Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In Sacra quatuor evangelia enarrationes perpetuae, secundum recognitae : in quibus praeterea habes syncerioris theologiae locos communes supra centum, ad scripturarum fidem simpliciter, & nullius cum insectatione tractatos, adjectis etiam aliquot locorum retractationibus

https://hdl.handle.net/1874/343266

Kast 109
Pl. D N°. 13

D. fo. 205.

kart 109
pl D n 13

N. 26. B.

Universiteitsbibliotheek Utrecht.
Witte vrouwenstraat 11
D fo. 205
Kas 107 D 13

IN SACRA QVATVOR EVANGELIA,

ENARRATIONES

PERPETVAE, SECVNDVM RECOGNITAE,

IN QVIBVS PRAETEREA HABES SYNCERIO-
ris Theologiæ locos communes ſupra centum, ad ſcriptu-
rarum fidem ſimpliciter, & nullius cum inſecta-
tione tractatos, adiectis etiam aliquot lo-
corum retractationibus.



Ex dono Bucholii

PER MARTINVM BVCERVM.

BASILEAE APVD IOAN. HERVAGIVM, ANNO
M. D. XXXVI. MENSE SEPTEMBRI.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. EDOARDO FOXO, EPISCOPO Herephordensi, doctrina & pietate eximio, Martinus Bucerus precatur incrementa spiritus Christi, & omnimodam fœlicitatem.



ERTIVM iam eduntur hæ enarrationes, reuerende in Christo pater, Christus faxit, ut certo Ecclesiarum cõmodo. Hanc editionem nomini R. P. T. inscribere uisum est, quam sic parare instituti, ut cum animo & studio tuo paria faceret. Nam in ea cuncta, quoad eius fieri potuit, sic exponere atq; confirmare, maxime de quibus est hoc seculo aliquid controuersiæ, operam dedi, ut facile quiuis cernat, ea sicut niti ipso uerbo Dei, ita minime quoq; dissidere ab orthodoxis patribus, & receptis pridem in Ecclesia catholica, cum dogmatis, tum institutis. Tua certe R. P. non solum in publicis actionibus sanctæ illius suæ ad Principes & R. pub. Germaniæ, qui puriori Christi doctrinæ nomen dederunt, legationis, uerum in priuatis etiã colloquijs, quæ hisce de rebus cum studiosis regni Christi quibuslibet, nam & mecum ea multoties miscere dignata est, habuit admodum & frequentia & ardentia, hoc à sanctis & purum Christi Euangeliũ professis in primis expetere, & quærere uisa est, ut semel de omni doctrina Christi, eiusq; administratione ita conueniret & constitueretur, ne quicquam posthac in ea uariaret, dubium, aut obscurum, minus ue captui quærentium dominum accõmodatum relinqueretur; sic uero emineret in ea, & extaret ubiq;, in primis ipsum uerbum Dei, clarum oraculũ Christi, tum solidus consensus cum omni Ecclesia Christi, et quibusq; idoneis administris Euangelij, qui ullo unquã seculo floruissent. Deniq; ut euidẽs esset cunctis & perspicuum, quæcunq; doceri geri ue in Ecclesijs debeant, ea necessario ex ijs religionis nostræ principijs emanare, quæ à puero Christo consecrati recte didicerunt, ut sublatis iam offendiculis quibusuis, ad religionem Christi syncera efficacissimè pellicerentur, quicunq; non prorsus à Deo reiecti sunt.

Perpendit siquidem T. R. P. quanto sit adducendis ad Christum offendiculo, suspicio modo, tam temerariæ nouationis, quàm non necessariæ cum probatis iam autoribus dissensionis: quantum item ad recte docendũ, atq; instituendum hominum momentum habeat, ex ijs quæ recepta iam sunt, & publice approbata, eos inducere, ut cum amplectantur quæ adhuc eis desunt, tum corrigant quæ supersunt. Deus non mutatur, & Christus religionem quam tradidit promisit ad finem usq; seculi perstituram: proinde nusquam suspecta tantopere esse solet nouatio, atque in ijs rebus, quæ pertinent ad religionẽ. Cumq; spiritus Christi secum dissidere non possit, nec illud mirum est, pondus omnis sanæ doctrinæ imminui, si illis parũ conueniat, qui eam administrant. Nisi igitur in profligandis inueteratis superstitionibus, & interpolanda doctrina & ritibus Christo dignis, summa adhibeatur cautio, ne quid uideamur damnare in præceptis & institutis Ecclesiæ, conuelleré ue religiose tradita & obseruata sanctis patribus, aut dissentire alicubi cum ijs, qui Philosophiam Christi aliqua cum autoritate profitentur, uti habent statim hostes instaurationis Ecclesiasticæ, quo uel impiæ nouationis, uel inconsultæ temeritatis nobis intendant calumniam, ita minimo momento fit, ut pleræq; bonæ alioqui mentes abalienentur, non minus ab ipsa Christi ueritate, atq; à nobis eius administris. Ad hæc cum homines sic cõparati sunt, ut nõ nisi ex cognitis, ad eorum cognitionem inducantur, quæ nondum norunt, hoc certe facilius sancti recipient, quæ ob ignauiam & peruersitatem Pseudoepiscoporũ pridem Ecclesiæ cognitione, & usu excíderunt, & agnoscent citius quæ aduersa religione irrepserũt, quò clarius ex ijs quæ

iam tenent,& illa cõmendauerimus, & hæc refutauerimus. Quemadmodũ ergo summa quidẽ cura aduigilandũ est, ne quid impiorũ cõmentorũ, eo quòd illa multis,& diu persuasa fuere,pro Ecclesiæ dogmatis,aut aliqua uetus superstitio,pro religioso instituto patrũ apud nos hæreat,ita maximo quoq; studio cauendũ est, necubi respuamus,aut damnemus, quod præterq; quod uerũ, piũq; est in se,tum autoritate antiquitatis religiosis hominibus persuasum ac usurpatũ, adiumẽto etiam nobis esse queat,cum repurgandi,si quid uitij eiusmodi uel dogmatis uel institutis obuenerit,tum adijciendi & commendandi quod ad exactiorem Christi cognitionem,& obseruantiam pietatis solidiorem præterea desideratur.

Hanc itaq; enarrationũ mearum retractationem sic pro uirili attemperare operam dedi,ut utrũq; mali euitarẽ, ut nec hærere sinerẽ quicq; quod Christi à doctrina alienũ sit,neq; repudiarẽ quod cum illa faciat,persuadẽdæq; illi hominibus utile sit. Quàm enim,bone Christe,pusillus adhuc numerus est eorũ, qui de religione recte imbuti sunt,quàm infinitus uero numerus eorũ, qui etiamnum habent instar ouium,quæ misere errantes nec pascua, nec ouile suũ inuenire ualent. Quare cunctis qui Christi regnum uere norunt, & colunt, longe alia solicitudo, aliud multo studium adhibendũ erat,ut adducerentur Christo & illæ ouiculæ,quas ubiq; gentium exitialis adhuc error tenet,utq; testimoniũ Christi cunctis populis cõmendaremus,& Euangelium eius cunctæ creaturę cum fructu prædicaremus.

Porrò dum huic fini in retractatione hac accõmodare omnia studui, satis præuidi fore, ut plerisq; zelo quodã Christi,sed nõ satis consulto, plerisq; etiã zelo carnis, ne quid grauius dicã,retractationẽ hanc illi parũ probent,hij etiam calumnientur. Quos zelus agit Christi, querẽtur me nunc humanæ autoritati plus æquo deferre, dum tanti facio nostra cum D. patribus,cumq; prisca Ecclesia cõgruere, nunc peruulgatis, & inueteratis erroribus nimiũ indulgere, cum nostra adeò accõmodare ijs quæro,quæ uulgo Christianis recepta sunt. Quos impellit zelus carnis,quisq; nos modo infamare,& nobis infamatis,doctrinę Christi quã administramus,cuiq; ipsi uiuere nõ sustinẽt,põdus detrahere laborãt, criminabuntur nos nobis nõ cõstare,Papę tyrãnidẽ & superstitionẽ reuehere,pfligatos errores postliminio reducere.

Ne ergo cuiquã ullum obijciam offendiculũ,hic præfari hoc uisum est. Me gratia Christi in hac sententia perstare & perstiturũ dum homo perstitero. In omni causa religionis solius Dei autoritatẽ ualere debere,unamq; hanc respiciendã esse. Verum dum sua placita Deus per cuncta filij sui membra profert,per sanctos omniũ seculorũ,agit siquidẽ spiritus Christi in omnibus mẽbris Christi, huic spiritui Christi merito auscultamus,nostraq; omnia accõmodamus, per quoscũq; ille unquam locutus est & egit,aut hodie loquitur,& agit,maxime uero loquenti,& agenti per ipsam Ecclesiã suam,hoc est,consensum sanctorũ omniũ,eumq; tam diuturnum. Si enim nihil temere reijciendum est,quod Dei nomine offert,etiamsi id priuatus aliquis & nuper adeò prodiens offerat, multo minus id repudiandũ temere est,quod nobis cõmendat sancta uetustas & publicus credentiũ per tot secula cõsensus. Adfuit & illis Christus,cũq; filij dei essent,spiritu Christi & ipsi acti sunt. At cũ nihilominus etiãnum caro fuerunt,& ex se inanitas,quãtalibet uel doctrina, & uitæ sanctimonia præcelluerint, nihil uolo recipi ideo, quia ipsi ita senserunt,docuerũt aut obseruauerunt: hoc aũt gratiæ Christi, quæ in eis aliàs tam præclare eluxit,dandũ puto,ne quid eorũ,quæ illi nobis Christi nomine tradiderũt, repudiemus temere, hoc est,anteq; certo explorauerimus & cõpertum iam habeamus id nõ esse à Christi spiritu profectũ. D. enim scriptura sic utilis est,& ad docendum quod uerum est, quod salutare,& ad confutandum quod falsum, quodq; noxium,ut ea homo Dei perfectus reddi,& instrui possit ad omne opus bonũ: quæcunq; ergo ad recte religioseq; uiuendũ pertinẽt,ea per scripturã euidẽtissime cõfirmari poterũt omnibus,

qui

qui modo quæ Dei sunt ualẽt percipere, quæ contra, item his luculẽtiss. confutari. Nam quicquid à uera religione alienũ est, id manifesto deprehẽdas cum scriptura pugnare, & prorsus euidenti, & irreconciliabili contradictione alicui scripturæ loco contradicere, si illud modo cum scriptura rite conferas.

Huic itaq; arcanæ scripturæ uni, quod ipsi quoq; sancti Patres ubiq; docent, ut totius religionis regulę ubiq; inhærendũ, & ex hac de omnibus omniũ scriptis, & institutis iudicandum esse profiteor. Eoq; sicut priscos illos sanctiss. Patres summo in pretio habendos, & ijs quæ uel docuerunt, uel obseruarunt singularẽ reuerentiam deferendam iudico, quia Christus in eis uixit, docuit, & scripsit, utcunq; homines quoq; fuerint, idq; subinde declararint nõ dissimulandis lapsibus, ita Pontif. Rom. & Episcopos, doctoresq; omnes quicunq; eam Ecclesiarũ, non administrationem, sed confessam dissipationẽ tuentur, quam Rom. Pontif. obnoxij aliquot iam seculis pro cura pastorali, atq; dispensatione doctrinæ, atq; disciplinæ Christi exhibent, indubitatos Antichristos, & quæ præcipuè docent, atq; obseruant in Ecclesijs, ita ut ipsi hæc docent, & obseruant manifestã esse doctrinæ Christi euersionẽ testor in domino, & testabor dum me Christus suo nõ destituerit spiritu. Nam præter q̃ quòd uulgò omnes istiusmodi Ecclesię tyranni uiuunt omniũ mortaliũ perditissime, nec quicq; studio Christi in Ecclesijs uel docent, uel gerunt, sed omnia otij, uoluptatũ, & dominationis caussa, tota doctrina, & cuncta disciplina quam in Ecclesijs administrant, contra Christi fidẽ instituta est. Nam utcunq; de Christo domino etiã prędicent, præcipuã tamen fiduciã docent ponere, cum in proprijs, tum sanctorũ meritis, & quas ipsi tradunt cęrimonijs. De uera pœnitentia, uiuaq; in Christũ fide, qua in ipso uno seruatore nostro misericordiã patris cœlestis, nobis propter unã ipsius filij sui satisfactionẽ, peccata remittentis, & uitam ęternã deputantis, amplectamur, quid illi uel norunt ipsi, uel docent alios? Interim tamen, sic licet ter quaterq; perditi sint, & deplorati, audẽt polliceri orbi, se nos reducturos ad unitatẽ Ecclesię, ad sanam doctrinã Christi. Qui ipsi non solum secundũ decreta Christi, sed etiam secundum ipsorũ leges nullũ prorsus in Ecclesia Christi locum habent, & doctrinæ Christi manifesti hostes sunt. Omne siquidem Ecclesiæ ministerium uerterunt in dissipatricem totius pietatis tyrannidem, & facultates eius, in tributa pauperum illud patrimonium crucifixi, quo titulo has opes, & ad hunc modum auxerunt, & tuentur, in tyrannidis istius fomenta, & firmamenta.

Ex hac ergo mea professione hoc loci retractatis enarrationibus meis præmissa, & ex ipsis enarrationibus uidebunt abunde sancti, me adhuc gratia Christi multũ ab eo abesse, ut ulla in re conniuendum modò putem impietati & uiolentiæ pseudoepiscoporum, ne dum concedendũ, aut ullam superstitionẽ reuocandã, quamlibet multum deferendũ censeam priscis illis uerè sanctis Ecclesiarũ patribus, & pastoribus, sanctisq; eorum cum scriptis, tum obseruationibus. Hęc uolui respondere ijs, qui uel metuunt, uel iam criminantur, me siue prudentẽ siue imprudentẽ papisticis tyrannis, & impostoribus, eorumq; uiolentię & imposturis aliquã rursus aperire fenestrã, dum quæ uel uetus, & sanctior Ecclesia piè sensit, & gessit, uel ij quos premit tyrannis Papæ ex sanctis ueterũ traditionibus utcunq; retinent, opto iudicari nõ secundum faciem, sed secundũ ueritatem, & nihil ex his damnari, nisi quod constiterit reuera pugnare cum placitis Christi: ne uel uenerandis patribus, immo Christo in illis, suum honorem detrahamus, uel præsentibus fratribus quos Christus ipse in se nobis coniunxit, aliquid incõmodemus, & occasionem, persuadendi eis salutem Christi ipsi nobis auertamus, & nullo prorsus fructu, nulla necessitate religionis, maxima autem Ecclesiarum pernicie, dissidia partim excitemus, partim excitata foueamus. Equidem unum hoc cõtendo, ut doctrina, & regnum Christi quàm syncerissime ubiq;, & latissime obtineat, ac ideo ne quicquam Christi in

quoq; dānetur, modis aūt omnib. quęcūq; Christi sunt apud quoslibet promoueāt.

Altera uel querela, uel criminatio aduersus me erit de externo uerbo, & sacramentis. Hic qui agēt mitius, dicent me in gratiā hominū non necessariā Ecclesijs, pro luculentiore ratione de his differendi, amplecti obscuriorē, qui durius, clamitabunt me à cognita, et cōfessa pridē ueritate, in superstitiosa relabi cōmenta hominū, quos tāti fieri in ecclesia nō oportebat, imò qbus locū in ecclesia illi ægre cōcedūt.

Etsi uero de hisce rebus proprios Enarrationibus tractatus inseruerim, uolo tamen hic quoq; paucis rationē consilij mei & causas harū retractationū exponere. Inualuisse pridem socordia, & impietate φιλοποιμένων gregis Christiani in uulgo Christianorū eam superstitionē, ut à cærimonijs, & uerbis sacris salutē illi expectarent, absq; uera fide, qua promissionem Christi in Euangelio & sacramentis amplecterētur, sancti omnes deplorāt. Hanc superstitionē D. Martinus Lutherus, primus hoc seculo iusto zelo insectari cœpit, eūq; statim in hoc studio secuti sunt per Germaniam admodū multi. Vt aūt domino uisum est nostrā fidē probare, permisit paulo pòst exortū huius lucis satanæ excitare, qui dum uellent uideri præposterā in sacra uerba & symbola fiduciā deijcere, uerū etiam usum sacrorū euerterēt, omni externæ doctrinæ, & cōsolationi nihil amplius tribuentes, q̄s nescio quod testimoniū doctrinæ & consolationis spiritus, quā quisq; antea secū habeat, sacramentis uero solā fidei, charitatisq; professionē. In quos cū Lutherus meritò, sed suo more inueheretur, & commendando dona Dei, quæ sacris, & uerbis, & symbolis offeruntur, hāc ipsam donorū Dei exhibitionē, quę fit ministerio S. uerborū, & symbolorū plusculum amplificaret, uisus est plerisq; doctis alioqui, & gloriā Christi ardentibus uiris, uti ea ratione ista cōmendandi, & eiusmodi uerborū formas usurpare, quæ nimium inclinarent ad illam exitiosam fidei superstitionē, qua uulgus à sacris uerbis, & cærimonijs salutē sibi petit absq; fide & pœnitentia, quaq; in S. Eucharistia eam cum speciebus panis, & uini Christi præsentiā imaginatur & colit, quæ salutifera ipsis sit, si modo has species uiderint, pompa aliqua circūtulerint, malisq; quæ cūq; premant, siue sit cœlū inclemens, aut pestilens, siue aqua inundans, ignis grassans, terra mota, morbi omne genus, hostis, & quicqd demū sit, quod adfligat infesterq; publicè opposuerint, utcunq; ipsi uiuāt interim, absq; ulla pœnitentia, absq; fide, totumq; etiā usum sacramenti, quē dominus instituit, negligāt prorsus & cōtemnāt.

Hi ergo cum putarent uerba, & loquendi modos, quibus cōmendando sacrum Ecclesiæ ministeriū in uerbis, & symbolis utebātur Lutherus, & ij qui illū sectabantur, superstitioni illi papisticæ nōnihil fauere, conati ipsi sunt tradere puriora, & solidiora, quibus id nimirū efficerent, ut sacrū ministeriū suo quidē loco consisteret, nihil aūt à nobis patrocinij acciperet impietas papistica. Hoc uero dum conātur, & q̄s longissime recedendum sibi putant à tractatione papistarum, sic quædam de usu uerborum, & sacramentorum proposuerunt, ut uiderētur iam alijs dispensationem mysteriorum Dei, quæ in sacro ministerio est, non satis agnoscere, nedum dignè exprimere, atq; prædicare: nam inanem modo quandam admonitionem uoluntatis diuinæ in uerbis, in sacramētis solā fidei & charitatis professionem agnoscere credebantur: Et in sacra Eucharistia nihil dari concedere, q̄s panem & uinum, corporis & sanguinis Christi symbola, quibus mortis dominicæ admoniti, eam prædicemus, agentes Domino pro redemptiōe nostra gratias. Hinc itaq; grauis iter eos exorta digladiatio est, quum illi non dubitarent se pugnare pro donis Dei, quæ sacro ministerio sanctis exhibentur, hi uero persuasi essent se certare pro synceritate fidei omnem salutem soli Christo, eiq; uero deo uero q; homini, adscribentes. Nam putabant hi illorum, si non mentes, uerba tamen, externo uerbo, & sacramentis uirtutem saluificam sic addicere, ut nō tota Christo relinqueretur, & eā Domini in Eucharistia præsentiā statuere, quæ cum ueritati humanæ naturæ in Christo, tum glo

rificationi

rificationi uideretur nõnihil derogare, ſicut cõtrà illi de his exiſtimabant, eos opus & donum dei in uerbis, & ſacramentis plane negare, & in ſacra cœna ſola ſymbola, panẽ & uinũ relinquere.

Nos interim qui hic miniſtramus in Euangelio Chriſti, quemadmodũ de utriſq; lõge melius ſentiebamus, & ſatis uidere nobis uidebamur, nec hos adeo inanire ſacra uerba & ſymbola, neq; illos uim iuſtificandi & ſaluandi Chriſto nõ pleniſſime tribuere; tum etiam de utraq; in Chriſto natura, atq; glorificatione orthodoxe ſentire, ita pro uirili noſtra laborabamus, ut ſublata omni diſſenſiõe idẽ utriq; i Domino, & ſentirent & dicerent, idq; de ſe inuicem agnoſcerent. Hoc uero cum moliremur, cõtigit euulgari amici cuiuſdam mei non uulgaris reſponſionem, ad priuatã quãdã meã ad illum epiſtolam, qua eum à gliſcenti iam pugna auertere inſtituerã. In ea uero reſponſione quia uidebatur amicus ille meam ſententiã non rite acceptam acrius q̃ conueniret, ut equidẽ iudicabã, exagitaſſe, edidi inuicẽ Apologiã, qua fateor ſicut rationẽ tractãdi D. Oecolampadij, cuius etiã cauſſa maxime amicũ illum cõpellaueram, aliqua ex parte defendebã, ita D. Lutheri & eorum qui ab illo ſtabãt, interpretatiões quaſdã & loquẽdi formas conuellebã. Sed Chriſtũ teſtor nulla alia cauſſa q̃ quòd præter meritũ flagellari Oecolãpadius uidebatur, q uir utiq; nõ uulgari fuit, nec eruditiõe, nec uitæ innocentia, nec ardore in gloriã Chriſti, tũ quòd ipſe quoq; uereret uerbis, quibus illi utebantur, externis ſacramẽtorũ actionibus gratiã, ultra q̃ maieſtati Chriſti congruat, addici, et carnalẽ præterea quandam ſtatui Chriſti manducationẽ, Phyſico modo in pane contenti, His enim tum uerbis uſus ſum. Hoc uero pacto cum in iſtuc certamẽ ueniſſem, in eo aliquandiu perſtiti, magis tamẽ, nouit hoc Chriſtus, ſtudio alterius Patris defendendæ, q̃ alteram impugnãdi. Sẽper enim de D. Luthero, & pleriſq; alijs ita prædicaui, eos præclara & uenerãd a Dei organa eſſe, uiros uere eximios & doctrina, & uita, & zelo in regnũ Chriſti, tãtum uidebãtur in alterã partẽ inuehi ſupra q̃ res poſceret, & hinc modos loquẽdi quoſdã dãnare, qui tolerari poterant, & uſurpare qui olim Eccleſiæ dare dãni aliquid poſſent,

Hinc nec Patris alterius uel interpretationes, uel loquẽdi formas omnes amplexus ſum, & rationẽ, pugnæ nũquã, pbaui, teſtãtur id libri mei. Religio, pfecto mihi erat non plane cõfiteri, ubicunq; de hac re egi, Chriſti nobis corpus, & ſanguinẽ in S. cœna uere dari ſumiq;: quare illas interpretationes, eſt, pro ſignificat, corpus pro figura, nemo in meis libris inueniet, utcũq; conarer defendere eos, qui panẽ dicebãt ſignũ, et figurã corporis Chriſti eſſe, propterea quòd nõ uiderẽ ex eo cõſequi, panẽ eſſe ſignũ, & figurã abſentis Chriſti, aut nõ uerã cũ pane, & uino in Euchariſtia exhiberi corporis et ſãguinis Domini cõmunionẽ. Solã enim phyſicã corporis Dñi cũ pane cõiunctionem, & localẽ eius in pane incluſionẽ impugnabã. Id tot in locis diſerte à me expreſſum leget, qui mea de hac re ſcripta legere ſuſtineat. Ipſam tamẽ exhibitionẽ corporis & ſanguinis Chriſti, quæ fit ſacro miniſterio, fateor nõ ubiq; ſatis expreſſi, ſicut nec exhibitionẽ ſpiritus Chriſti, remiſſionis peccatorũ, atq; regenerationis, quæ fit uerbo Euangelij, abſolutiõe Eccleſiæ, & ſacro baptiſmate. Sẽper enim uerebar ne externis rurſus actionibus miniſtrorũ id tribueretur, quod Chriſti eſt. Hac enim in re quid mali det cõtentio, donorũ dñi in miniſtris eius leuior exiſtimatio, tũ ꝓpriæ imbecillitatis remiſſior obſeruatio, p̃cipue ſenſi. Nã licet mihi aliud nõ cõſcius eſſẽ, q̃ me pro optima ratiõe cõmendãdi ſacrum miniſteriũ cõtendere, ſicut id unice ſpectare mihi uidebar, ne homines ab externa uerbi auditiõe, et ſymbolorũ pceptiõe ſalutẽ ſibi peterẽt abſq; uera fide in Chriſtũ, ñ in gloriã Chriſti; ad utilitatẽ Eccleſię eius, et ad meã ipſius et aliorũ cautionẽ fateri debeo et uolo, me in D. Luthero et alijs dãnaſſe et impugnaſſe rationẽ cõmendãdi dona Chriſti, quæ ſuis p̃ miniſteriũ Eccleſię pręſtat, in uerbo Euãgelij, Abſolutiõe peccatorũ, Babtiſmate, &

Eucharistia, quę ratio et cum apost. scriptis, et cũ fide et obseruatiõe totius Ecclesiæ Christi plane consentit, & maxime propria est, nec detrahit Christo, quod ipsius opus, & donum est, nec animos hominum à Christo in actionem hominis deducit, si modo rite, ut ipse solet, huius homines admoneamus, ut uera fide in omni sano ministerio Domini promissa, & munera spectent. Eam uero rationẽ, pro qua tum certabam, exprimendis donis Christi, quæ per sacrum ministeriũ suis impertire dignatur, haud satisfacere, ut etiã cum ipsis domini & Apostolorum formis, quibus hæc nobis cõmendantur, non tam cõsonare q̃ oportebat, id suis in locis, in retractationibus quas his de rebus nominatim hisce enarrationibus inserui, sic habere ex ipsis scripturis demonstro, et antè quoq; aliquot in libris ostẽdi. Nam pridem ista agnoui, postquam, scilicet, primi antagonistæ, progrediente pugna, sententiam suam utrinq; magis declarassent, & plerosq; ipse quoq; corã audiuissem. Plurimum tamen, ut hæc plane relegerem, etiam hæretici mihi contulerunt, qui omnem Ecclesiæ cõmunionem euertere, & usum sacramentorum plane abolere conantur. Ex horum nanq; furore didici causſam, cur D. Lutherus & qui illum sequuntur, de sacramentis, atq; sacro ministerio tam magnifice loqui soleant. Quanquam & ipse Oecolampadius hac in re me haud parum iuuerit. Nam exhibitionem donorum Christi in uerbis & sacramẽtis hic uir pulchre intellexit, & magnifice prædicauit. Sacramenta enim esse symbola gratiæ, & conscientiã fidemq; confirmare & instrumenta spiritus Christi, diligẽter docuit. Ad hæc autoritatẽ S. patrũ in hisce rebus, qui augustissime de sacro ministerio & senserũt & prędicarũt, cõmẽdauit nobis magno studio.

Ad hunc modum deduxit me dominus per istam contentionem grauem nimis, & Ecclesijs plurimũ, proh dolor, damnosam, sicq; ex ea eripuit, & in ueram Christi pacem me reduxit cum D. Luthero, quem hic ut primũ prioris Euangelij ad nos Apostolũ honoris causſa nomino, & omnibus quibus datum est agnoscere, omnẽ salutem nostram eo nobis constare, quòd remissionem peccatorũ, & iustitiam Christi seruatoris nostri sola misericordia patris cœlestis, & merito unius ipsius nostri redemptoris destinatam, & partam, & per S. ministerium Ecclesiæ in uerbis, & symbolis quæ ad id dominus instituit, oblatam & exhibitam, uiua fide amplectimur: nec dubitant, Dominum nostrum Iesum Christum in Ecclesia sua nobis præsentem, ipsumq; peccata remittere in cœlis, dum Ecclesia eius iussu, & ministerio peccata remittit in terra: peccatis uere abluere & regignere, quibus illa baptisma, quod nimirum lauacrum regenerationis est, impertit, uere suum corpus, & sanguinem, hoc est, se ipsum nobis tradere, ueram corporis, & sanguinis sui cõmunionem, dum illa sacram dispensat Eucharistiam: deniq; agnoscunt hæc sola domini institutione, uirtute ac opere, & nullius hominis merito niti, eoq; in Ecclesia semper prę stari integra, hoc est, non uerba modo, aut symbola, sed simul rem ipsam, & dona Dei, quæ uerba pollicentur, Absolutione, scilicet, remissionem peccatorum, baptismate regenerationem, & in Christum incorporationem, in Eucharistia ipsum uerum Domini corpus, & sanguinem, hoc est, ipsum Dominum, uerum Deum & uerum hominem: nec enim nunc corpus, & sanguis domini à se disiuncta sunt. Et agnoscunt integra hæc sacramenta esse, præstari, & percipi omnibus, qui uerba ipsa Domini, & institutionem, quibus hęc sua dona et se ipsum nobis sistit, atq; exhibet, integra credũt, & recipiunt, etiamsi ea indigne suscipiant, nõ rite, scilicet, illa dijudicantes, nec illis uiua fide, & agente exerenteq; se per solidam pœnitentiam, & dilectionem fruantur. Hac, inquam, qui fide sunt, indeq; sanctam Ecclesiæ communionem serio colũt, cum his pax solida, & consensus uerus in domino mihi domini beneficio confirmatus est, quem supplex ueniam oro, quam etiam à sanctis omnibus membris, & ministris eius precor, omnium eorum, quæ in hanc pacem unquã admisi uerbo, scripto, aut facto. Agnosco enim q̃ graue sit in eam uel imprudentẽ deliquisse.

liquisse. Oro etiam, & obtestor omnes quicunq; mea scripta legunt, ut quæ de externo uerbo, & sacramentis in illis extant, ea omnia intelligant ad hanc ueritatem, quã hic, et ĩ hisce enarrationib⁹, ítẽ antea in Enarrationib⁹ ĩ Epistolã ad Romanos ĩ defenitõe doctrinę Christianæ cõtra Episcopum Abrincẽsem. cõfiteor, & defendo.

Reiecí alicubi ísta, & oppugnauí uerba & symbola ín sacro minísterio esse canales, & uehicula spíritus, instrumenta gratię, íd autem facile quiuis uidebit me de uerbis, & symbolís negasse, ut illa externe adminístrãtur secluso spíritu Christí, quo sensu Paulus scripsit circũcisionem nihil esse, & legem administrationem mortis, cum tamen circuncísio suo tẽpore, & rite percepta, exhíbitio fuerit dignationis diuínæ, & fœderis salutís, lex fide Christí percepta, doctrina saluifica. Quo sensu, & D. Petrus cum dixisset baptísma saluare, subiecit, non ablutio sordium in corpore, cum tamen hac ipsa ablutione, cum ea ex uerbo dei præstatur, uera præstetur ablutio peccatorum. Id autem uirtute, et opere Christí, non ipsius corporalis ablutionis in se. Ad hunc modum negare uoluí, uerbum Euangelij, & sacramenta ex se hoc habere, remota operatione Christí, ut spíritum salutis, & gratíam adferant. At quia de uerbo, & sacramentis loquendum est, ut ea dominus Ecclesiæ suæ commendauit, & usurpari uult, pridem agnosco, & confirmo, recte dící de uerbís, & sacramentís, cum simpliciter de illís loquímur, esse ea administrationem salutís, canales, uehicula, & instrumenta spíritus, & gratíæ, quæ & D. Oecolampadius de eis in ultímo dialogo suo prædicat. Ex se enim, hoc est ex domini institutiõe, utroq; usu, sem per spíritum Christí, & salutem adferunt, quæ nemo etiam ex eis non percipit, nisí qui ea percipere dedignatur, ut illa dominus instituit. Ita ubi legitur in meis lucubrationibus corpus Christí non edí carnaliter, non contineri in pane realiter, & & alia huiusmodí, nemo non uidebit his me solum Christí ímpanationem, aut eius ín pane localem inclusionem negare uoluisse. Vbi itaque uidebor illam per sacrum minísterium donorum dei exhibitionem non satís expressisse, ea loca uel corrigantur, uel sarcíantur, & compleantur ex hísce meis posterioríbus lucubratiónibus, quas modo memoraui. Habet iam R. P. T. & quiunque hęc legent, ut in contentionem sacramentaríam pertractus sím, in ea me gesserím, & ab ea domini ope ereptus sum, quæque ratio sit consilij mei, quæ causlæ, quòd retractare in animũ induxí, quæ antè de sacro minísterio in uerbis et sacramentis scripsí, siue in hísce enarrationibns, siue in líberís meis alíjs.

Nunc paucís respondebo, íjs qui hoc meum retractandí consilium parum probant, uel etiam calumniantur. Præcípua querela est, me à luculentíore, & certiore ratione, de sacro minísterio, & maxime de sacramẽtis propter homines defícere ad obscuriorem & incertiorem, mallent quidam dicere impiam. Ad hanc querelam respondeo, solam scripturam dei, lucem ueræ intelligentíæ, & ueram certitudínem in hísce rebus in se continere, & nobis impartire, Nulla enim sapientía carnis ualet ad hæc mysteria regni dei pertingere. Tum ergo maxime luculenter, & perspicue, & certo de his fidei rebus loquemur, cum loquemur ad regulam, formàmque scripturarum. Iam in illa dominus díserte dicit: Euangelíum suum esse uirtutem ad saluãdũ omni credẽti, Baptísma lauacrũ regeneratiõis, Eucharistiã cõmunicationẽ corporís et sanguínis suí, suos minístros ligare et soluere, peccata retinere et remittere, cur non ergo & nos ita loquamur: Dñs cũ sacrã cœnã institueret, discípulisq; panẽ & uínum præberet, dicebat, accípite comedite & bibite, hoc est corpus meũ hoc sanguis meus. Hæc domini uerba qui fide consíderat, nunquid clarís. uideat, Dñm nõ solum panem & uinum, sed cum pane, et uino suum corpus, et sanguínem suum idq; corpus, & eũ sanguinẽ prębuisse, quę, p nobis ĩmolauit ĩ cruce, hoc est, seipsum uerum uere, eoq; substãtialiter, ipsum, scílicet, nõ pro se signũ aliquod, hoc enim ualet aduerbiũ hoc substãtialiter, quo nõnulli frustra offẽdũtur. Sí uero adest, et nobis

dominus in cœna nostra, præbetq; se nobis tam uere q; se præbebat Apostolis, qui non & credamus & dicamus cum Paulo, panis quem & nos frangimus, calix ad quẽ & nos gratias agimus, cõmunicatio est, nõ panis modo & uini, sed ipsius quo/q; corporis et sãguinis Domini. Et cũ S. Eucharistia hęc est, debet in ecclesia ita ut eã Dñs instituit administrari: qs fidẽ habẽs uerbis Christi sẽtire aut dicere aliud queat, q; semper dum S. Eucharistia ita ut Dñs eam instituit celebratur, cum pane, & uino ipsum Domini corpus & sanguinem dari, et exhiberi omnibus qui hoc sacramẽtũ sumunt? Quid enim uelit minister Christi hic facere aliud, q; quod facere eum Dñs iussit? Iam quia fallere Deus nõ potest, & actionem Ecclesiæ suæ sua institutiõe nitentem ratam habet, quis dubitet omnes eos integrum etiam sacramentum assumere, qui uerbis Domini, & institutioni fidem accommodãtes, nulloq; ea prauo sensu peruertentes, sumunt sacramentum, etiã si corpus & sanguinẽ domini nõ diiudicãtes, reos se interim faciãt corporis & sãguinis domini, ac inde cibo hoc uuifico non fruantur ad uitam, ad quod tamen illis hæc omnia exhibentur? D. Oecolampadius certe scribere haud dubitauit: Qui credit etiam fide mortua Christum filium dei, et Mariæ pro nostra reconciliatione, & uiuificatiõe mortuorum, & testatur hoc sacramento se id credere, illi utiq; uerum corpus Christi est in sacramento altaris. Nã & ipse subleuat sensus, tametsi gratiã & uirtutem non assequatur. Hæc ille. Subleuat, inquit, & ipse sensus, id est, non id solum amplectitur quod oculis apparet, quod manus tangit, & os sumit, sed id quoq; spectat agnoscit, quod uerba Dñi promittunt, et offerunt. In his quid obscuri, quid abhorrẽs à sana intelligentia, credentis duntaxat? Etenim cum diserte præterea testamur, nos nõ ponere ullam naturalem Christi cum pane unitionem, nullã localem inclusionem, nullã etiã extra usum sacramenti durabilem permanẽtiam, cum Christum in sua cœlesti gloria relinquimus, & in conditionẽ huius seculi nullatenus detrahimus solaq; fide pręsentem hic certi cõfitemur, cum deniq; nũq; uon inculcamus eos sibi sumere iudicium, qui hoc sacramentum sine uiua in Christum fide sumaut. Quid obsecro à nobis statuitur, quod uel ueritati humanę naturę in Christo ueleius glorificatiõi, uel deniq; uiuę, solidęq; fiduciæ in Christum aliquid detrahat? Si qui carnales nullam sustinent præsentiam domini animo complecti nisi quæ Christum quasi cœlo detrahat, & pane includat localiter, uel aliás in conditionem huius seculi à cœlesti sua gloria detrudat, quid hoc ad Ecclesiam Christi, cur ob id corrigenda sit lingua spiritus sancti? Quid hinc caussæ ut ideo negemus Christum se nobis in sacra cœna uere sistere, & manducandum exhibere? Quin docemus istos, ut cogitent gloriam cœlestem, in qua regnat Christus, sic habere, ut nec oculus eam uidere, nec auris audire, aut cor nostrum intelligere queat. S. uero cœnam esse actionem & rem fidei, negotium noui testamẽti, mysteriũ regni cœlorũ quod limitibus prædicamẽtorũ aut ullis legibus rationis nostræ minime includitur, quare repudiandæ hic sunt istæ cogitationes de mutatione, aut inclusione locorum, & omni conditione huius seculi, & credendum simpliciter domino iubenti nos suum in sacra cœna accipere corpus & sanguinẽ, credendum Apostolo, affirmanti fractionem hanc panis, & calicis, communionẽ esse corporis & sanguinis domini. At id quidem ut Dominus Iesus magis, magisq; in nobis uiuat, & nos in illo, ut fide in ipsum roboremur, studio eius amplius accẽdamur, attamen si nos eum sic complecti negligamus, uerax nihilominus ipse manebit, semperq; id nobis uerbis symboli sque præstabit et exhibebit quod pollicetur. In hac itaque luce in hac, certitudine uerbi Christi permaneamus, neque adsciscamus, uel admittamus tenebras & incertitudinem rationis humanæ. Viuere uitam Dei an non intelligimus Christo uni proprium esse, & eum solum hanc impartire nobis, & impartire ratione quam ipse instituit? Cum iam Domino nostro hæc ratio placuit, ut cum pane, & uino in sacra Eucharistia ueram nobis sui præsentiam,

quia

quia ueram cõmunicationem exhubeat sicut exhibet baptismate regenerationem ipsum simplici fide, gratacꝙ pietate hic quoꝙ uerè præsentem nobis amplectimur? Dicit Veritas, accipite, dat igitur quod accipere à se iubet, necꝙ enim fallit Christus: uidet autem à se accipere corpus suum quod pro nobis traditum est, sanguinem suum qui pro nobis fusus est: hæc igitur dat nobis, hæc ab illo accipimus, & non prohis signa modo, panem & uinũ. Si iam dat his Christus suũ nobis corpus, suũꝙ sanguinẽ, & accipim⁹ nos hæc ab illo, qd dubitabimus agnoscere, & fateri ea nobis adesse, & Christũ ipsum nos habere præsentẽ totũ, uerũ Deũ & hominem, utcumꝙ eum præsentem sola cernat sentiatꝙ fides, nõ sensus, nec ratio. Exhibebatur præsentia spiritus sancto Iohanni super Christo in specie columbæ, ibi scribit Euangelista, spiritum sanctum descendisse super Dominum in specie columbæ, uisumꝙ esse in hac specie à Iohanne, nec competit tamen spiritui sancto ulla loci mutatio, nec pertigerunt oculi Iohannis ad spiritum sanctum in se. Quid causæ itaꝙ dicemus, ut, cũ dicimus secundum uerbum Domini, nobis exhiberi corpus, & sanguinem Domini in pane, & uino, uel cum pane, & uino, necesse sit, hic statim cõsequi quod uel ueritatem humanæ naturæ in Christo, uel huius gloriam imminuat, demergens, scilicet, rursus eam in conditionem uitę huius corruptibilis, immutationi locorũ, uel affixioni cum rebus perituris obnoxiam. Mũdum Christus reliquit, abijt ad Patrem in cœlos, hoc est, in eam se gloriam recepit, qua nobis quidẽ uerè, & totus Deus, & homo adest, adest autẽ ratione cœlesti, nulla cum rebus præsentibus naturali coniunctione, ratione inquam quam fides, non sensus aut ratio apprehendit.

Obijciũtur, hic à nõnullis S. Patres, maxime, D. Aug. qui subinde panẽ signũ corporis Domini uocẽt, & rẽ sacramẽti huius signi ipsã faciãt cõmunionẽ, & cõcorporationem cum Domino, qua uiuit ille in nobis, & nos in eo, qui denicꝙ affirmẽt neminẽ reuera corpus, & sanguinem Domini edere, nisi qui manserit in Domino, & habeat illum manentẽ in se. Scribũt quidẽ hæc Patres, & clarissime oĩm D. Augustinus: quòd enim ex pane, & uino aliud cẽ signa corporis, & sanguinis Domini faciant? Etcur id nõ potissimũ in tractatiõe, huius sacramẽti exprimãt, cuius causſa dicũtur et geruntur in sacra cœna omnia? Totus sane sacramẽtorũ usus huius gratia institutus est, ut Christo incorporemur, & in hac eius communione cotidie proficiamus. At ubi faciunt S. Patres signa sacramentalia signa Christi absentis, aut dicunt ita exhiberi hic nobis communionem Christi, eiusꝙ incremẽtum, ut ipse nobis absit? Vocãt S. Patres signa sacramẽtalia signa, sed intelligũt signa exhibitiua, quibus id sistitur, et quasi manus traditur, quod illa significãt. Quale signũ nõ erat manuũ impositio, & suffiatus in discipulos, quibus signis suam exhibebat benedictionem, & spiritum sanctum. Præcipuum cur se Dominus nobis in cœna exhibet, docẽt merito S. Patres communicationem esse naturę eius, uitæ eius, sed ob hanc ipsã cõmunicationem ut uiuat ille in nobis, & nos sibi incorporet, illi pleno ore ipræd̃icant, nos accipere in sacra cœna carnẽ & sanguinẽ Domini, ipsumꝙ se nobis in sacra cœna uere exhibere. Cum itaꝙ Dominus ipse dicit, Accipite, manducate, hoc est corpus meum, non hic est spiritus meus, uirtus mea. Et Paulus. Panis quem frangimus nunquid est communicatio corporis Domini, non: spiritus aut uirtutis? Et omnis iam inde à tempore Apostolorum Ecclesia idem credit & prædicat cur non & ipsi crederemus & confiteremur simpliciter, in Eucharistia duas res esse: alteram cœlestem corpus ipsum, & sanguinem Domini, Dominum ipsum: alteram terrenam, panem & uinum quæ non nuda hic signa absentis Christi traduntur, sed cum quibus sistitur, traditur, & percipitur corpus, & sanguis Domini, Dominus ipse. Est, scribit. D. Augustinus, secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi: Sacramentum sanguinis Christi, sanguinis Christi. At secundum quem modum? ut significet tantum corpus & sanguinem domini absentia?

sentia? Absit. Honorari enim, & percipi in symbolis uisibilibus corpus, & sanguinẽ Domini idem passim scribit. Ita licet hic sanctus intelligat reuera manducare corpus domini illud manducare, quod uiua fide fit, quo pacto scribit reliquos Apostolos manducasse panem dominicũ, Iudam panem domini contra dominum, quàm multis tamen in locis affirmat eos etiam percipere corpus, & sanguinẽ domini, & non solũ nuda signa, qui illa sacramentotenus tantũ, uel in sacramento percipiunt? Quoties scribit etiam Iudam ipsum corpus, & sanguinẽ domini sumpsisse? Nemo itaq; autoritate S. patrum dicet, Christum in sacra cœna absentem esse, aut nuda tantum hic symbola præberi.

Obijcitur nobis præterea, nos in hoc studio conciliandi, plerasq; ecclesias negligere, & quam hic profiteor sententiam de sacramentis, alijs intempestiue præscribere. Nos uero nullas ecclesias negligimus, nec cuiquam præscribimus. Et quòd concordiam ecclesiarum in syncera, & solida ueritatis Christi confessione grati amplectimur, certe intempestiuum non est. Totum iam sexenniũ hoc saxũ uoluimus, ut in simplici & scripturis clare nitente fide & confessione de sacro ministerio, uerbis, & sacramentis ecclesijs conueniret. Adeoq; hac in caussa sategimus adeundo ecclesias, symmystas appellando, ad collationes inuitãdo, scriptis utraq; lingua publicis & priuatis solicitando, ut lusisse fratres & Ecclesias uideri iure possem, si cum Dominus dedit in ea cõfessione cõuenire, quam reipsa pridẽ Ecclesiæ tantũ non omnes receperãt, amplectẽdo hunc consensum, & omnibus cõmendando contarer. Nos expectamus in singula momẽta dominũ iudicẽ, nec possumus in gratiam cuiusquã, doctrinę Christi synceritatẽ, ecclesiarũq; tam necessariã pacẽ nõ pro uiribus promouere, remotis, quoad eius fieri datur, quæcũq; à nobis cuiquã obiecta offendicula uideri queãt. φιλῶ μὲν Σωκράτης, ἀλλὰ φιλτάτη ἡ ἀλήθεια, τιμιωτάτη ἡ ἐκκλησία. Etenim nihil habet doctrina de sacramentis, ipsãque Eucharistia quam recipimus, quod non admiserit nobis uiuus adhuc Zuinglius, approbarit etiam Oecolampadius. Nostram enim confessionẽ ad Cæsarem, eiusq; Apologiam, in qua hęc omnia insunt, quæ hodie his de rebus scribimus, & prædicamus, & Zuinglius uera esse confessus est, etiamsi patere eam nonnihil aliorũ calumnijs uereretur, eoq; parum tutum iudicaret si ipse eam simpliciter admitteret. At ex sentẽtia Oecolampadij esse quæ hic & in retractationibus de hac quæstione scripsimus, nemo inficiabitur, qui eius nouissimũ de hac controuersia Dialogum legerit. In quo nimirum confessionẽ præsentiæ Christi in cœna quamlibet plenam recipit, & sola hæc duo se oppugnare testatur. Vnum, uniri corpus domini cum pane in eandem naturalemq; substantiã eius, uel localiter includi in pane. Alterum, saluti esse sacramenti sumptionem, etiamsi ea sit absq; fide uiua. In eo modo tum hærebat, quòd putabat scriptis D. Lutheri statui quandã (ut ipse loquitur) corporis domini cum pane consubstantiationem, & eiusmodi in pane inclusionẽ, ex qua consequatur gratiæ participes fieri, quicunq; sacramentũ, uel absq; uiua fide perciperent. Hæc enim uerba Oecolampadij sunt initio Dialogi, ubi statum exponit cõtrouersiæ. Dissidium (inquit) magis est de modo præsentiæ, uel absentiæ, quàm de ipsa præsentia uel absentia. Nemo enim tam obtusus est, qui asserat omnibus modis adesse, uel abesse Christi corpus. Et cum respondet altera persona, Nondum apparet in quo dissideatis, subijcit præterea: Vrgent aliqui panem dominicum, esse ipsissimũ corpus Christi, ita, ut quicunq; siue pij, siue impij, illo pascantur, non solum panem, & sacramentũ, sed etiam corporaliter corpus Christi manducent, ac in os stomachi transmittant. Nos uero contradicimus, & elementum nequaquam in talem honorem euectum asserimus, ut omnium dignissima creatura, in unã naturalemq; illius substantiam se uniat, uel ita naturaliter in eo contineatur, ut per ipsum, tanquã per medium canalem, transfundatur gratia, quam ipse spiritus sanctus fidelibus concedit: & con-

tactu

tactu uel gustu eius, etiam impij, ipsum uerum corpus Christi contingant ac edant, gratiæ ue participes fiant. Habes ut scindamur, et quorsum Christi, patrumq; dicta, pro suo quiq; sensu accommodent. Hæc ille. Vtinam hunc dialogum quicunq; in hac caussa sunt diligenter excuterent, uiderent hunc uirum non solum nuda in cœna symbola statuisse, sed præsentiam Domini solide quoq; expressisse. Dominus donet, ut ipsum, non nos, ubique respiciamus, & tam simus expetentes ueritatis, quàm eius nos titulo strenuè commendamus. Bene tamen habet, pridem enim & illæ Ecclesiæ, quæ præcipuè sequi Zuinglium & Oecolampadium uidentur, diserte confitentur, sacramenta non tantum tesseras esse societatis Christianæ, sed symbola etiam gratiæ, & suo modo exhibere quæ significant. Id quidem uirtute, & opere domini, ministerio certè Ecclesiæ. Quare optima spes est, quicquid nonnulli uel querantur inconsultò zelo suo, uel calumnientur peruersitate sua, omnes qui Christum, dominum nostrum esse iustitiam & uitam nobiscum prędicant, in hanc ipsam domini ueritatem, quam profitemur & defendimus, pulchrè consensuros, agnito nimirum, nihil prorsus in hac nostra cõfessione esse, quod non toti ubiq; scripturæ plene consentiat, & humanam in Christo naturam, & eius gloriam, fideiq; in eum synceritatem, nullatenus oblædat.

Offendit præterea & illud pleroscq; quod diuinant, quosdam qui D. Lutheri partes secuti sunt, hac nostri submissione, & scriptorum retractatione, insolentiores futuros, & cum hactenus pleraq; haud ita purè tractarint, & nobis multa falsa impegerint, id de se non solum non agnituros, sed in ea potius iniquitate futuros confirmatiores. Fuerunt, fateor, & sunt etiamnum nonnulli, qui se D. Lutheri discipulos prædicant, qui contra egerunt, & etiamnum agunt, admodum insolentes, nobisq; impegerunt & impingunt, quorum nos nobis coram Domino conscij non sumus: in tractandis denicq; sacris mysterijs, sæpe multa sic proponunt, ut non pauca in eorum tractatione uel desiderare, uel culpare tutò possis. Sed quid illis facias? Contendendo & iurgando contrà, comperimus nos nihil quàm mala hæc conduplicare. Spes itaq; est eos citius modestia & submissione nostri emolliendos esse, quàm si perpetuo cum eis delitigemus.

Exposui bona fide hîc & alias, ut in bellum istuc sacramentariũ pertractus sum, ut in eo me habuerim, quid in omni hac disputatione spectarim, ut pridem, & nũc mihi pax cũ primis in Ecclesia Christi constet. Hæc si non permoueant eos, qui falsis nos hactenus criminibus infectati sunt, ut porrò quæ charitatis sunt nobis præstent, & insolentiam suam in tota caussa contra nos ponant, uiderit dominus, uiderint ipsi, nobis nihil est quod præterea illis faciamus. Me necesse est persequi quæ sunt officij mei, quicquid instituant alij. Sed dabit Dominus ut bono malum quorumlibet tandem uincamus.

Perturbat postremo & hoc nonnullos, quòd non dubitant pleroscq; eo offensum iri, quòd uidemur iam ipsi parũ nobis constare. At cum constare oporteat in eo, ut Christũ quotidie plenius & agnoscamus & prędicemus, morari horũ offensionem nõ possumus, quo minus ad solidissimã & plenissimã mysteriorũ Dei explicationẽ, pacemq; Ecclesiarũ consummatissimã cõtinuo enitamur, oblatamq; hanc Christi beneficio ambabus, quod aiũt, manib. amplectamur. Satis benignè nobiscũ egit Christus, qui dedit nobis, & dabit in finẽ usq; perstare in eo, quòd ipse unus seruator noster est, & cuncta uerba & symbola, quę nobis cõmendauit, ipsius nobis cõmunionem, & hac perfectam salutem adferunt. Quia præterea Dominus donauit, ut quędam loca nunc solidius intelligã, quàm aliquãdo intellexi, id quod cum mihi tam benignè largitus est, cur non impartirem liberaliter fratribus, & domini benignitatem ingenue prædicarem? Quid inconstantiæ sit, proficere in scientia salutis?

Et quis

Et quis uel superiore, uel hoc seculo scripturas tractauit, qui non expertus sit, hoc quoq; in studio priorem diem discipulum esse posterioris? Indubie si eadem nobis hodie esset religio in D. scripturas, quæ D. Augustino fuit, plures edi hac quoque tempestate retractationum libros uideremus. Summa, qui hoc meo instituto offendentur, quocunq; id nomine cõtingat, oro fratres, qui id intelligunt & dolent, moneant eiusmodi, ut sustineant caussam totam cognoscere, & indubie offendi desinent. Dominum nos recta sequi oportere quocunq; uocet, nouimus, quacunq; id uel offensione, uel gratia hominum fiat. Vt debeo tamen, ita studeo & studebo pro uirili, ne cui ullam dem offensionem, uituperandi ue ministerij Christi occasionem. Dominus dignetur mihi & omnibus præstare, ut istuc ad gloriam ipsius consequamur, Amen.

Hęc prefari hoc loco, ad R.P.T. uolui, primum, ut illi expositione hac de successu concordiæ ecclesiarum, meoq; in eam consilio & uoluntate aliquid sanctæ consolationis & uoluptatis adferrem, quæ nimirum tam anxie optat & expectat ut ecclesiæ Christi ubiq; gentium in unam, ueram, certam, & undiq; sibi consentientem doctrinæ Christi administrationem conspirent. Tum ut si quibus institutum hac in re meum perperã indicatum sit, & excitata inde apud eos sit aliqua offensio, eam hac satisfactione uel ex parte remouerem. Postremo ut nostris hominibus animos adderem sperandi amplissimam ecclesiarum consensionem, cum hinc intelligent etiam Episcopos, & tanti regni, & apud Regem totnominibus excellentem præcipuos, in hanc rem tanto studio incumbere. Nam ex his laudibus quæ docti bonique de R.P.T. iudicio & studio in religionẽ Christi, ecclesiarumq; solidam instauratione apud nos ipsius merito sparserunt, persuasum nostris est, multos similes R.P.T. Episcopos in regno isto esse, qui hunc in modum sese restituendo regno Christi consecrarint. Quo certe beneficio dominus uestrũ regnum reddidit hodie omniũ fœliciſſimum, adeò miserè ubiq; Episcopi non modo muneris sui obliuiscũtur, sed totis etiam uiribus obstant, ne unquam illud ecclesijs solidè restituatur. Nos orabimus sedulo dominum, ut illam fœlicitatem, ueris gaudere Episcopis, & uestro regno quotidie augeat, et reliquis regnis cõmunem faciat, tuãq; R.P. seruet & beatam reddat. Idẽ precor R.P.T. Collegæ. V.D. Nicolao Hættæo. Argentinæ X. Calend. Septemb. ANNO M. D. XXXVI.

ORDO CHARTARVM.

§ a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z & aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt uu xx. Omnes terniones, præter § xx quaterniones X aa ee duerniones.

LOCORVM COMMVNIVM INDEX.

De Euangelio 568
De nomine Christi 8
De usu nominum Ebraicorum 9
De uocatione mulierum generali 10
De impositione nominum 12.539
De nomine IESV ibidem
De adoratione 24.208
De impletione oraculorũ sacræ scripturæ 27
De cognomine Nazaræni 31
De regno cœlorum 35
De baptismo 39
De anabaptismo 47
De confessione 51
De solutione Ecclesiæ 55.336
De spiritu sancto & nominibus eius 61.63
De militia Christianorum, quod milites possint Christiani esse 65
De ieiunio quadragenario 73
De fuga in persecutione 83
De pœnitentia legali & Euangelica 86
De præficiendis muneri docendi 90
De signis & prodigijs, quibus lex & Euangelion orbi inuecta & commendata sunt 95
De duodecim Apostolis 99
De ministris Ecclesiæ eligendis 101
De mercede quã scriptura bene agentibus pollicetur 108
De bonis operibus 113.114
De legis impletione 117
De transitu cœlorum ibidem
De nomine & abrogatione legis 115.119
De usu cærimoniarum 119
De discrimine ueteris & noui testamenti 120
De usu legis 125
Quomodo Moseh intelligendus 126
De iustitia Pharisaica 128
De geenna 129
De purgatorio 132.226.310
De iuramentis prohibitis 135.136
De uindicta Christiano illicita 138
De armis pro proximo ferendis 140
De punitione malorum 141
De bello Christianis gerendo ibidem
De magistratu Christiano, & eius officio, tẽpore belli 142
An Christiano iure agere & lites sequi liceat 146
De ablatione rerum Christiani 148
De usura 148
De Pharisæis priscis & nostris 151
De Eleemosyna 155
De oratione 156.209.335.345
De intercessione sanctorum 159
De regno Dei 93.163
De satisfactione & condonatione peccatorum 166
De induratione & excæcatione malorum 167
Quomodo cunctos Deus uelit saluari 169
De ieiunio & quid in scripturis significet 173
Quòd uita æterna non comparatur operibus 181
De uerbi Dei pretio, & quatenus coram obstinatis promendum. 192
De solicitudine Christianorum in rebus temporarijs 184
De mandatis Dei, quatenus facilia & difficilia sint 196
Quomodo Christianus non peccet, & tamen habeat peccatum 200
Vnde initio legis & Euangelij frequẽtia miraculorũ 202
De electione sanctorum ab æterno 203
De potestate & autoritate Apostolica 205
Quàm necessaria & unde petenda prædicatoribus autoritas 206
Cur Christus sua beneficia tacere alijs, alijs prædicare præceperit 211
De cultu Dei quem homines ex propriis affectibus metiuntur 212
Externa legis quatenus seruanda 113
De leprosis publico semouendis & quatenus eis à coniuge & liberis ministrandum 213.214
De nomine & natura FIDEI 218.221
De peccato electorum 222
De ordine iustificationis 224.364
De aduentu Christi in carnem 225
De statu sanctorum & reproborum post hanc uitã 226.201
Quomodo fides omnia imperiat 227
De dæmonibus quatenus uestigandum 233
De ortu & casu dæmonum 235.225
De fide aliena 241
Qua fide baptizentur pueri 242
Contra usum Medicinæ damnantes 249
De luctu pro mortuis 250
De ueritatis reuelatione multifaria 253
De missione atque uocatione ad prædicandum uerbum Dei 255
De unctione Apostolorum 260
De temporarijs Christi mandatis 262
De sabbatho, & circuncisione ibidem
De fuga Christianorum in persecutione 270
Rationes, ut contemptis omnibus periculis Christum confiteamur 271
De ingenio reproborum, dum uerbo Dei tentantur 285
Quid Propheta & Prophetia 288.289
De feriis 298.299
De Dominici diei obseruatione apud Christianos 300
Electi semper peccant ex ignorantia 308
Quàm pestilens res iudicare secundum carnem 326
De labore manuum 327
De remigratione animarum 329
Quæ uota & iuramenta seruanda 330
De uotis monasticis 331
Fides etiam hosti seruanda 332
De humanis traditionibus 339
A nulla re externa iustitia uel iniustitia 342
Ecclesia super petram non Petrum ædificata 352
De clauibus regni cœlorũ, & potestate Ecclesiastica 355
De primatu Romani Pontif. 357
De æqualitate Apostolorum & Episcoporum 338
De primatu Petri ibidem
De pœnitentia publica 360
Reddetur unicuiq; iuxta facta sua quomodo intelligendum 363.364

Parendum

Parendum Magistratui 372
De immunitate Ecclesiastica 373
Quæ magistratui cedenda 374
Qui ad magistratum assumendi 375
Quanti domino pueri 377
Pueris quatenus similes, & dissimiles esse debeamus 378
Quid proprie scandalon, & quàm diligenter uitandũ ibi.
De cærimonijs, & libertate rerum externarum 379
Non cedenda libertas, ut mali confirmentur 380
Aduersæ Christo cærimoniæ ferri à Christianis non possunt 381
Quanto cum malo admonitio mutua negligatur 386
Cui Ecclesiæ ligandi & soluendi potestas data ibidem
De excommunicatione ibidem
A cœna Christi qui arcendi ibidem
Per Eucharistiam exercenda excõmunicatio 387
De repudio 390
Caussa nuptiarum & diuortij non est Ecclesiasticorũ, sed Magistratus 392
De adulterio puniendo 394
Quando adultera repudianda 397
Quomodo deserendi parentes præ coniuge 399
De cœlibatu & coniugio 400
Pueri per baptismum in Ecclesiam recipi possunt 403
Pueri absq; fide Deo placent 404
Qui non crediderit condemnabitur ibidem
Apostoli quomodo iudicabũt in regeneratione Israẽlẽ 407
De uocatione & electione 411
Compelle intrare 428
De ratione compellendi ad cœnam Dei ibidem
Quòd cura Ecclesiastica ad magistratũ pertineat ibidem
Reddite Cæsari 431
De diligendo Deo & proximo 435
Quis proximus 454
Quæ cathedra Moysi 457
Cur Deus hominibus præceperit impossibilia ibidem
Quomodo non sit pater in terris uocandus 400
De Decimis 445
Christianis pauperes alendi, & qui serunt spiritalia 444
Magistratus est de abusu rerum externarum cauere 444
De pseudoprophetis & pseudoapostolis 457
Abominatio desolationis quid apud Matthæum 458.461
Vaticinium Daniclis IX. excutitur 459
De pseudochristis & pseudoprophetis 463
Electi seduci non possunt ibidem
Alij pseudochristi, alij antichristi 464
De signis in sole & luna 465
Supplicium malorum æternum, ut regnum beatorũ 474
De obseruatione pascatis 477
Delitijs uti & pij possunt 480
De præsentia Domini in sacra cœna 483.566. & 685
An liceat Christiano se armis defendere 497
De descensu Christi ad inferna 511.795
De resurrectione & apparitionibus Christi 514
De cognitione Christi, & prophetijs de Christo 519
De diuinitate Christi 572
Quæ populo Dei attulerit incarnatio Christi 590
Verum populi ueteris & noui testamenti discrimen 593
Defensio pædobaptismi prægnans 595
De ueritate carnis Christi contra Marcionitas 626
De typicis expositionibus scripturæ, ac certis allegorijs. uel anagogijs 627
De libero arbitrio 674. usq; 677
De uera manducatione Christi 682
De potestate Rom. Pont. 725
De usu rerum præsentis uitæ 728
De uita æterna 770

FINIS.

INDEX ENARRATIONVM
M. Buceri in sacra quatuor Euangelia.

A

Abeo parare locum, quomodo intelligendum 745 b
Abnegationis necessitas, & quid Abnegare 362.c.d.
Abnegatio nostri cõmendatur 102.d.105.b.
Sine Abnegatione omnia opera damnosa 557.b.
Abominatio desolationis dicitur excidium Iudæorum 458.c.d.461.a.
Abraham exultauit, ut uideret diem Christi. 705.b.c.
Abraham quæ uiderit in sua promissione Ibidem.
Abrahæ promissa Ecclesiæ benedictio.706.c
Abrahæ benedictio, cognitio Dei ibidem
Abrahæ filia, domus zachæi 417.a.
Abrahæ fides 220.c.d
Abrahæ Christus præcipue promissus 5.a.
Abrahæ promissio facta de Christo .Ibidem.
Abrahæ germani filij qui 59.a.
Abrahæ filiorum allegoria 627.b
Abrahæ tentatio. 167.a.
Abraham, ab cuentu appellatus 12.d.
Abrahæ sinus quid. 226.c.559.a.
Abrahæ & Saræ nominũ immutatio quid significet 100.d
Absolutio Eccl. stæ quæ 55.a.
Absolutio priuata per se nihil efficit. ibidẽ.b.
Absolutio generalis quæ 360.c.
Abstinentia hypocritarũ perstringitur 38.c.
Abyssus pro inferno 236.d.
Achar filius, typus Christi 14.c
Achar incredulus noluit petere signũ 13.b.
Adam fide tentatus est 77.b
Adæ filius Christus 6.d.c
Adam typus Christi 627.a
Acta apostolorum cur sic inscripta 3.b
Adorationis uocabuli explicatio prægnans. 24.c.d.breuis 82.d.
Adorationis species tres 24.c.25.a.
Adorati reges & principes 24.c.
Adorare imagines Sanctorũ ethnicum, ibidem.d.
Adoratio spiritus ibidem.
Adoratio corporalis ridicula ibidem.
Adorationis uocabuli origo ibidem.
Adorandus quomodo solus Deus 25.a.
Adorare Latinis quid proprie. ibidem. & 208.d
Adoratio Duliæ qualis 25.a.
Adoratio propriæ iustitiæ 94.d.115.b
Adoratio in montibus 646.c
Adoratio pro toto Dei cultu ibidem.d
Adoratio Papæ notatur 25.b
Adulteræ historia non in omnibus exemplaribus, 699.b
Adulteræ quando repudianda 597.b
Adulterij pœna 394.d
Adulterij pœnam Christus non reuocauit ibi
Adulterium capitale esse magnopere præstaret 395.a
Adulterium inter flagitia capitalia 700.c
Aduentus Christi diem nõ lõge abesse.465.a
Aduersa pleraque, opera esse satanæ 235.b.c 234.d
Aduentus regni Dei quid 482.c
Aduentus Christi in carnem, ad quid 225.b & 246.d 294.c
Aduentus Christi per Euangelion.364.d
In Aduersis potissi, cœlestia percipimus 34.d
Aduersa æquanimiter ferenda 709.a
Aduersa plus eruditi quàm prospera.668.c
Aduersa cur immittantur à Deo 536.d
Adulterorum fructus qui 350.c
Adulterium corde æstimatur 132.d
Adultera uxor non toleranda 12.c
In Aëre Dæmones agunt 236.d
Aegroto pio quid agendum 249.b.c
Ex Aegypto uocaui fil. uaticinium generale populo Israëlitico 27.b
Aegyptius pseudopropheta 454.c
Aenææ paralitico sanitatem contulit fides aliena 241.b
Actas populi Dei triplex 601.b
Affectibus ne Christi quidẽ uita caruit.254.d
Afflati beati 103.b
Afflictiones Christianorũ graviores, quàm olim Iudæorum 130.d
Afflicti non omnes beati 105.a
non esse orandum ut à mundo affligente liberemur, sed à satana mundi principe 773.a
Agar allegoria 627.b
Agnus tollens peccata 590.c.591.d
Ahasia rex prætermissus in genealogia Christi.7.a
Allegoriæ quomodo tractandæ.726. & inde 644.c
Allegoria intempestiua Hieronymi 628.d
Allegorijs nimium quidam indulserunt.ibi.
Allegoriæ Origenis obscuræ 629.a
Allegoriarum licentia multos reddit nugatores, 632.d
Allegorias anagogas & mysteria è scripturis non temere esse eruenda 752.d
Allegoria uitis & palmitum 757.b
Allegoria per se nihil probat 323.b
ab Allegorijs uanis temperandum 25.b 184.c.25.b
contra Allegorias 333.b.384.c. 471.b 613.b
Allegorizantium argumenta quæ 634.c
Allegorijs Christus delectatus. 650.d 700.d
Allegoria grani significat nisi commortui fuerimus Christo, non uicturos 732.d
Alienigenæ in genealogia Christi 6.d
Alma quid sit Hebræis 15.a
Amazia rex prætermissus in genealogia Christi.7.a
Amici facti ex iniquo mammona, recipient nos in cælum 558.a
Amici cur non inuitandi 556.d
Amoris illiciti fructus qui 330.c.d
Anabaptistarum error de salute Dæmonũ 313.a
Anabaptistarum error de pœnis impiorũ finiendis 483.a
Anabaptistæ usum medicinæ damnant. 250.c
Anabaptistarum error de Christo Legislatore .225.b
Anabaptistarum error de magistratu, & non iurando 81.a
Anabaptistarum indolentia 722.d
Anabaptistarum error de baptismo infantium 523.a
Anabaptistarum error de iudicijs 147.b
De mutato, & usura 148 d
Contra Anabaptistas perpetuo uagantes 240.c
Anabaptistarum error de iuramento abiurãdis. 136.c
Anabaptistarum fons errorum, quibus implicati 137.b
Anabaptistarũ error de excommunicatione 367 a
Anabaptistæ nõ docti ad regnũ cœlorum
Anabaptistæ impudentiores 326.c
Sadducæis 432.d
Contra Catabapt. de uocatione ad prædicandum 639.a.
Anabaptistæ uetant patrem appellare genitorem 440.d.
Anabaptistæ pseudomartyres 223.b.
Anabaptistarũ dogmata, errores, ingenium 47.b.c.
Anabaptistarum uita qualis 48.c.
Anabaptistarum sacra anchora 49.b
Anabaptistæ quomodo scripturã sa. diuerti
Anabapti. à quibus fructibus (xant 398.d
bus deprehendẽdi. 198 d
Anabapti, friuolæ cõtentiones pro exteris 295.b
Anabapti. error de magistratu 140.c
Anabapti. de proximo diligendo. ibidem
Anabapti. tetrici & supercilioſi 6 12.d
Anabaptista. error de magistratu .413.a. 697.a
Anabaptistarum fermentũ, & rigor 350.a
Anabaptismi grauis tentatio ibidem
Anabaptistarũ seueritas pharisaica 248.c

Anagoge à cibo corporali ad cœlestem 670.C.
Anagoge quid & quomodo tractanda, ui de allegoria 629.c.b.
Anagoge ab aqua ad spiritum 644.c.
Andreas & Petrus primitie discipulorum 83.a. 88.c.
Angelus Christum solatur 780.d
Angelorum ministeria, tam bonorũ quàm malorum 656.c.
Angeli pœnitẽtibus cõgratulãtur 383.a.b.
Angelorum conspectus terret 531.b.
Angeli boni & mali 235.b.
Angelorum creatio incerta, lapsus item, ibidẽ. Per Angelos bonos bona, mala per malos 234.d.
Animarũ remigratio Iudæis credita 351.b
Angeli ministrantes Christo 610.c.
Angelorum ministerium Christo & fidelibus commune 611.a.
Angelorum figuræ ratio 736.
Angelorum similitudo promittitur nobis in resurrectione 432.d.
Angelorum custodia 26.c.50.d.80.c.
Anima perdenda. 362.d. & sequ.
Anima pro Affectu, & ui sensibili 433.a.
Anima, pro uentre 185.a.
Aïa, dicitur uita corporalis. 173.a. 174.d.
Animarum remigrationem Iudæi credidere runt 329.a.709.b.
Animarum medicus Christus 228.d.
Animarum index certiß. oratio 313.b.
Anima quæ inuenitur perditur 275.a.
Anna Phan, Christum annuntiat, perturbatis alijs 27.c.
Antichristi regnum & hodie regno Christi præferunt 20.c.
Antichristos recipiunt, qui Christum reijciunt 453.b.
Alij Antichristi alij pseudochristi 464. c.
Apathia Stoicorum Deo nõ probatur 255. a.251.a.
Apostoli quid potiß. in scripturis specta/rint 21.b.In enumerandis uerbis haud anxij. ibid.
Apostolorum obiurgationes seueræ 57.a.
Apostoli non illico erant, sed multa eruditione fecit eos piscatores hominum Christus 92.d.
Apopletici, qui & syderati 96.c:
Apostoli organa spiritus .21.b.3.b.
Apostoli dicti, sal terræ 109 b.110 c.d. Lux mundi 111. a.
Apostoli fugerunt in persecutione 83.b.
Apostolorũ uocatio prima qñ 83. a. 88. c.
Apostoli cur duodecim .99.b.c.
Apostoli comites Christi perpetui. Ibidem & .91.a.
Apostoli noui principes Gentis Iudaicæ 100.c.
Adostoli 12. adolescentes, gemmæ, ibidem Inter duodecim, unus diabolus ibid.d.
Ante Apostolorum electionem orauit Christus 101. a.
Apostolus quare & Iudas electus 102, c.
Apostolorum ieiunia .175. a.
Apostoli iudices futuri, & piorum & impiorum 407.a.b.
Apostolus circuncisionis Christus. 344.c. 347.a.
Apostoli quõ sua reliquerit 227.b.244.c.d
Apostoli quare magnis præcipue urbibus Euangelium annuntiarint 83.c.
Apostolorum duodecim delectus 98.d.
Apostolorum emissio secunda periculosa 266 c.d.
Apostolorum dignitas 779. a.
Apostolorum autoritas & ministerium 413.b.
Apostoli sua non reiecerunt, alienis utẽtes 744.d.
Apostoli manibus laborarunt, & Christus 244. d.
Apostolus circuncisionis Christus 240, c.
Apostolo non est semper uagandum, contra Anabaptistas. ibid.
Apostolis concessa potestas miraculorum 258.d.
Apostoli etiam carnales 229.b.
Apostoli omnes æquales 358.c.
Apostolorum citationes quomodo per anagogen intelligendæ 587.b.
Apostoli unde de Christo persuaserũt 520.c
Apostolorum timor in transfiguratine 367.a.
Apostolorum priuilegia & delectus 253. a.b.366.c.
Apostoli nõ credunt mulierculis 516.d.
Apostolorum contentio de primatu 195.a.
Apostoli uulgatã quare secuti editionem 9.b.12.d.21.b.
Aquæ nomine baptismus intelligitur 621. a. Quid nasci ex aqua 622.d.
Aqua uiua quomodo dicatur spiritus sanctus 644.c.d.
Aquæ nomine spiritus sanctus 42. d:61. a.b.
Aquæ salutares, opus angelorũ 656.c.
Arabia felix, Saba dicta 18.c.
Aranco fel, quod api mel 242.d:
Arboris similitudo 60.d.
Arbori securis ultionis adposita ibid.c.
Arbor sterilis excindenda 424.c.
Area quid 64.d.
Arma ferenda pro proximo 140.d.
Ascensionis Domini historia 517.a
De Ascensu Christi in cœlum 625.a.
Ascendere in cœlum 637.a.
Ascensus Christi quis sit 685.a
Asino cur ingredi urbem uoluerit Christus 418.c.d.
Asinæ pulli allegoria ibid. Sedit Christus super solum pullum ibid.
Asinæ pullus quid adumbrarit 731.a.
Atrio unde fortis armatus ejciendus est cor nostrum significatur 732.a.d
Auaricia uerbum dei enecat 521.b.
Auari omnes mortales 261.a.
Auaricia Gadarenorum stupida 237. b.
Auari ut Euangelion repellant ibid.b.c.
Auditus uerbi Dei ante omnia necessarius
Audire, pro credere 710.d. (433.b.
Aureolati monachi 400.d
Austri regina Saba 515.d

B

Babylonici exilij cur mentio fiat in genealogia Christi 7. b
Babylonica captiuitas summæ miſericordiæ fuit ibid.
Baptismus quid 39.a.b.
Baptisantur Christiani in nomen pris & fil. & spiritus S. ibid.b:
Baptismus ad quid institutus. 49.b. & seq.
Baptismum per se non adferre salutem. nec diluere peccata 41a.b.
Lauacro mundatam ecclesiam, quomodo accipiendum ibidem.
Baptism9 sãctificatiõis symbolũ 42. c. 66
De Baptismi ui ac natura recentiorũ. d. quorundam sententia 45.a.
Baptismus per quem sit institutus 45.a.
Baptismus Ioannis & Christi, unus baptismus ibidem.
Baptismus duplex, aquæ & spiritus. ibidem a.b,60.d.
Baptismus Ioannis & Christi siue ecclesiæ, quatenus differant .47. a.62. d.
D. Baptismo paruulorum, contra anabaptistas. 48.49.a.
Baptismus circuncisioni successit. 49.a.
Baptismi in Iordane mysterium. ibid.
Baptizati recipiũt spiritum sanctum 69.a.
Baptismus, aquæ nomine ũtelligitur. 621.a
Baptismus externus, sine spiritu dei unus. ibidem.
De Baptismo quõ apostoli locuti. ibid. a.b
In Baptismo quomodo peccata remittantur 621.a.b.
Baptisati induunt Christum. 417.b.
Baptismus ad qd institutus i ecclesia 595.a 594.c.
Baptismi usum ã Iudæis & Gẽtibus mutatum esse 594.c.
Baptismatis significatio ibid. c.d.
Baptisati in mortem Christi, quid. Ibidem
Baptismo aquæ in externam dei Ecclesiã recipimur baptismo spiritus in internam 595.a.
Baptismus quid Ibidem.
Baptismus per Ioannem cœpit Ibid.

Baptizarunt infantes Apostoli ibid.
Baptismi paruulorũ defensio ibid. copiose.
Pædobaptismi cõtemptus quæ mala dederit 605.a.
Baptismus aquæ per se nõ necessarius ad salutem 621.a.622.d.
Baptizatos quõ deus ducat 72.c.
Baptizari spiritu quid 591.b.c.
Baptismum non esse muneris apostolici opus 403.b.
Baptismo in externã Ecclesiã recipimur. 242.c.
Baptizantur pueri fide parentum ibid.
Baptisma crucis 412.d.
Baptismi & circũcisionis collatio 367.b.
Baptizati à malis, nõ rebaptizandi ibid.
Baptismi humilitas nõ cõtemnenda 263.a.
Baptismus mortis 274.d.
Bathsabaea mater Salomonis dicta 7.a.
Bathsabeæ nomen cur nõ ponatur ibid.
Beatus qui nõ fuerit scãdalizatus in Christo 279.a.
Beatitudines Euãgelicæ, paradoxa 102.d.
Beelzebub quid 271.b.
An belligerãdum Christianis 141. b.a.497.b.
Bella pro opibus Christiani nequaquam gerant ibid.
Bello impiorum resistendum, exemplo Ezechiæ 141.b.142.
Bello imminẽte quod officiũ pij magistratus 142.c.d.
Bellum impij hostis, quo animo pius princeps & populus excipiet 142.d.
Bella principum quorundam plus quàm ethnica 143.a.
Benedicere quid 334.c.
Benedictio Abrahæ promissa quę 706.c
Beneficentiam erga proximum docet parabola talentorum 472.c.
Beneficentia imaginem Dei restituit 433. a.434.c.
Ad beneficentiã prouocat Christus 473.a
Beneficia corporalia præstanda, ijs qui respuunt spiritalia 252.d.
Beneficijs inimico potissimũ utrẽdũ ibid.c.
Bñfacere proximo uera dei imago ibid. d
In beneficos etiam furit mundus 656,d.
Benefacere quid in scriptura 115.a.b.
Beneficia carnalia caro tãtũ agnoscit 95.b
Beneficia dei publica, & priuata, pœnæ item 448.c.
Beneficia dei non agnoscit stupiditas humana. 336.d.
Beneficia dei inculcanda 114.d.
Beneficentia imaginem dei restituit in homine 433.a.454.c.
Ben Cuziba pseudochristus 462.d.663.a.
Bethania à Ierusalem abfuit duob. millia rib. 721.b.c.
Bethaniæ situs 421.a.
Bethleẽ quomõ minima dicta, & non minima 21.a.b. olim dicta Euphrata ibid.
Bethsaida, domus piscatoris 655.a.
Bethseda, piscina natatoria 654.d. uarie interpretatur ibidem
Blasphemia ĩ spiritum sanctum qd 307.a.
qui blasphement bodie filium hom. & qui spiri. s. ibid.
Blasphemia in spiritum sanctum irremissibilis 306.c
Blasphemantes in spiritum sanctum pharisæi ibid.
Blasphemia in filium hominis ibid.
Boanerges Zebedæi filij dicti 101.a.
Bona in malum uertit Satan, Christus in bonum 630.c.
Bona externa ab se abijcere, non est Christianum 245.a.
Boni pauci 153.a.
Boni quomodo iudicabunt malos 315.b.
Bonum utile dicitur 115.a.
Bonus item nisi solus deus 405.a.
Burgensis suppuratio de translatione Neomeniæ & paschæ 478.c.d.

C

Cadus quid 612.d.
Cæcitas impiorum unde 576.d.
Cæci omnes homines de 577.a.
Cæci mittendi 344.c.
Cæci uident, uidentes cæci fiunt 711.b.
Cæcitas & furor Pharisæorum ibid.
Cæcitatis reproborum exemplum 617.a.
Cærimõiæ Mosaicæ nõ oẽs abolitæ 601.a
De Cærimonijs consulere Mosen, non absurdum ibid.b.
Cærimoniæ ueterum nõ tanum significatione futurorum fuere utiles 602.c.d.
Cærimoniarum plaustra quomodo in Ecclesias adiecta 75.d.
Cærimonijs carere non potest caro 616.d.
Cærimoniæ Anthichristi receptæ sunt, tanquam à deo institutæ 381.a.
In cærimonijs defendendis quid prætexunt molliores Christiani ibid.
Cærimoniæ tesles religionis sunt ibid.b.
Cærimoniæ Christo aduersæ, à Christianis ferri non possunt ibi.
Cerimonias Anthich. Christianas ferẽtes, Christum tandem excludunt 382.c.
Cærimonias legis nõ requirit deus 126.c.d.
Cærimoniæ ueterum quatenus obseruandæ 260.d.599.b.
De cærimonijs, & libertate rerum externarum copiose 379.& inde.
Cærimoniæ ob proximi commodum ob seruari possunt. 141.a.
Cerimonia ad qd institutæ Ecclesia. 593.a
Cerimoniarum legis obseruatio non necessaria 380,c.
Quare tot cærimoniæ præscriptæ ueteribus 631.
Cærimoniæ pontificiæ, & monasticæ innumerabiles ibidem.
Cærimoniæ onus importabile ibidem
Cærimoniæ folia fici execratæ 421.d.
Cærimoniæ omnes reiectæ 647.a.b.c.
Cærimoniæ cur datæ ibidem.b.
Cærimonias exigere in nouo testamento, est deum tentare 430.d.
Cærimonijs quid uulgus tribuat 43.a.b.
Cærimoniarum usus 119.b.
Cærimoniæ non pertinent ad legem dei 120.c.d.
Cærimoniæ Iudæorũ temporariæ 121.b.
Cærimoniæ Christianorum duæ ibidem.
Cærimoniarum abusus 197.a.
Cærimonias male intelligi per Christi dictum multa quæ non potestis portare nunc 766.d.
Cærimonijs plus nimiò tribuitur. 117.a.
Cærimoniæ inter præcepta temporaria 629.a.
Cærimoniarum umbræ mittendæ. 646.d
Cærimoniæ dei non contemnendæ 68.d.
Cærimonijs fidem testari 431.b.
Cærimonijs & legibus pij quomodo utẽtur 122.c.d.
Cærimoniarũ quas Christus instituit, utilitas 215.a.
Cæsareæ Philippi situs 351.b.
Caiphæ prophetia a deo 724.c.d.
Calamus quassatus, afflicti 303.b.
Calicis metaphora frequẽs scriptu 412.d
Calcaneum leuare quid 791.b. Calicem quomodo Christus transferri & non transferri orarit 790
Cameli persarum 30.c.
Canaan typus regni cœlorum 629.a.
Canes dicti olim Gentiles 545.a
Canones Ecclesiastici in Synodis conditi 559.a
Cantãdũ quõ Christiano cũ fructu 157.b
Capernaum ciuitas Christi 240.c
Capernaitarum ingratitudo quõ ulti 185.ibid.
Capernaũ quõ ad cœlum exaltata 185.a
Capernaum situs 87.b
Captiuitatis Babylonicæ cur mẽtio fiat in genealogia Christi 7.b
Captiuitas Satanica 22.c
Caput Ecclesiæ Christus 562.d
Carceris similitudo, nõ de purgatorio 226
Carceris purgatorij figmentum confutatur 132.c
Carnem & sanguinem cõsulere qd 352.c
Carne peccatrice grauatietiã sancti 200.c
Carnis fiduciam aufert Iudæis Ioannes 59.ab.
Carnis iudicium prauum 652.d
Carnis Christi pretium & utilitas 211.a
Carnis præsentia nõ usq; necessaria ibidẽ
Carnis opera mala 635.b
Carnalibus præcepta dei difficilia 196.d
Carnis pugna perpetua ibidem
Caro nostra caro Christi 625.b.c
Caro pro homine ĩ scripturis 628.c.580.c

Caro carnalẽ Christũ usq; requirit 463.a
Carnales etiam Apostoli 229.b
Caro non prodest quicquam, uarie accipitur 685.b
Catabaptistarum iudiciũ temerariũ 191.b
Catabaptistarũ dogmata absurda 597.a. uide Anabapt
Cathedra Moysi quæ 437.b
Cephas, ridicule interpretatum 562.d
Cephas dictus Petrus 607.a
Cẽtuplũ in hac uita percipere, quid 190.d
Centurionis fides 217.b.220.c
Centuriones qui 227.a
Centurio Ethnicus pietatis exemplũ 217.a
Cerinthi hæreici error 569.a.b.
Charitatem prox. sacrificijs præfert deus 295.a
Charitatis nomine quid 224.c
Charitatis ordo 494.c
Charitas summe necessaria 213.b.
Charitas legem moderatur 11.b
Charitatem ubiq; cõmẽdat Christus 125.d
Charitatis officia, opera uere bona 155.a
Charitas dei erga nos icõparabilis 445.d
Charitatẽ omnẽ cum fide interijsse 246.d.
Charitas erga proximum, scopus omnis scripturæ 195.a.223.b
Charitatis regula cõsummatissima ibid.b
Christiani re nobiles, opinione ignobiles 17.b.c
Christianum esse, quid sit 52.d
Christianorum communis tessera baptismus 66.d
Christianũ posse fungi magistratu 697.a
Christiani quare adfiguntur 130.d
Christianus non peccat, & tamen habet peccatum 200.c
Christiano an liceat se acrius defendere 497.b
Christianus fonti assimulatur 695.b.
Christianorum fiducia 205.a.
Christo quæ in cruce acciderunt 787.b.
Christus blasphematus & irrisus ibidem
Christus clamat se derelictum 788.c
Christus omnium iudex futurus 64.d
Christum literis uacasse, haud uerisimile 66.c
Christus usque 30. annum laborauit manibus ibidem & 527.b
Cristus cur baptisatus & circuncisus 66.d
Christus per omnia similis fratribus excepto peccato ibidem. & sequ. 68.d
per Christũ omnia creata 572.d
Christus cur uerbum dicatur ibid. splendor gloriæ & imago dei ibid. primogenitus omnis creaturæ ibi d. sapientia dei 573.a
Christus ille adorandus יהוה 575.a
Christum ardentissimo desiderio expectarunt patres 6.c.8.c
Christus græce, Messias hebraice, unctus latine 8.d. 606.d
Christi nomen apud Danielẽ 9.a
In nomine Christi, mira cõsolatio ibidẽ
Christus caput sanctorum 520.c.d
Christum omnia referunt 520.521
De Christo ũde persuaserũt Apostoli 526.c
Demonstratio de Christo ex quibus constet ibid. scripturæ & prophetiæ de Christo, quam pie tractãdæ 519.520
Christo quõ in scripturis prædicatur 521.a unde sit, quòd multa de Christo interpretantur. quæ mẽbrorũ sunt ibid.b
Christi uarietas in sanando 351.a
Christus cur non contactu quosdam curarit, quosdam solo uerbo 211.a.516.d
Christus cur sua beneficia taceri alijs, alijs prædicare præceperit ibid. & 253.a
Christus habet gloriam ab æterno 770.c
Christo quõ gloria collata 771.a
Christi regnũ dũ pugna uiget contra peccatum, extincto peccato Dei proprie regnum erit 771.b
Christi bonitas & inseruiendi nobis studium 93.a
Christi munus proprium prædicare Euãgelium, non dare leges ibidẽ
Christi regnum æternum 5 b.93.b
Christus qñ Euangeliõ regni prædicarit ibidem
Christi officium, & descriptio regni eius 303.a.b
Christi humilitas & mansuetudo ibidem
De Christo uariæ opiniones 304.c
Christi unius discipulos esse oportet in scientia pietatis 278.c
Christus uarijs modis tentatur à phariseis 659.b
Christus non uenerat iudicare peccatores 700.c
Christus quid potiss. docuerit ibidem.d
Christi bona opera quæ 717.a
Christũ deum esse, & gaudium sanctorũ 706.d.
Christus gratiam patris meruit omnibus
Christi benignitas 249.a. electis 177.a
Christi potentia 249.b.228.c
Christi aductus in carnem ad quid. 225.b. 246.d
Christus nõ est legislator 225.b
Christus non semper miracula operatus 78.d
Christus non tentatur Ieroſolymis 79.a
Christus sensim in nobis formatur 114.d
Christus semper beneficus 333.a.254.c d
Christũ sequẽtib. nihil desore 333.b.334.d 346.d 667.b
Christi exemplum cõtra eos qui nolunt è uulgo esse 674.
Christum solũ Euãgelistæ docent 15.b
Christi cœlestis magistri, autoritas 205.b
Christus fugit in persecutione 83.b
Christus per Christum solũ uenit in cœlum 703.a
Christi sectatores mundi gratiam amittũt 416.d
Christus maior Dauide, eoq; spiritalis rex 435.a
Charitatis officia, opera uere bona 115.a b
Christi potestas iudiciaria 561.a
Christum agnitũ usq; prædicãt fideles 528.c. Exemplo discipulorum
Christi aduentus ad quid 369.b
Christum frustra dæmones nouerũt 236.c
Christus quare Immanuel dictus 13.a
Christum ab hominib. nõ posse disci 553.b
Christus crebro in desertis 347.a
Christo nato Herodes turbatur 19.b
Christus mala uertit in bonum 650.c
Christus uolens passus est 496.d
Christus derisus 225.c
Christus nõcte orabat à mõte oliuarũ 421.a
Christus induunt baptisati 417.b
Christus fide tentatus est 77.b
Christi mos à turbis secedendi 227 b.219.a
Christus apostolus circuncisionis 240.c. 344.c 397.a
Christus miraculose legit script. 317.b
Christus discipulis quæ prædicaritaudita à Patre 760.c.
Christus quare nõ baptisauerit 643.a
Christianos esse, operum testimonium declarat 279.a
Christus quib. præcipue contingat 6.d
Christus mortẽ suã horruit & doluit 261.b
Christus Nazaræus 31.a
Christus quomodo innenitur 23.a
Christus uoluit occidi à gentibus 506.d
Christus subindefe cessit ad prædicandũ 98.d Ad orandum ibidem
Christi humilitas multos offendit 279.a.b
Christi mos docendi bona opera 114.c
Christo etiam ut homini Dei uocabulum competit 717.b.c
Christus quõ unigenitus dei dictus 634.d
Christus medicus 246 c.228.d.95.b
Christũ pati oportuit ante gloriam 361.a
per Christum oĩa innouãda 116.d
Christus spiritale suũ regnũ instituit 158.d
Christum olim agnoscent impij 695.b
Christiani cur omnibus odio 269.a.b
Christũ exaltatũ à terra quid 755.a. Christus æternus ibidem
Christi uictoria contra Satanã 504.d
Christus Dominus mortis ibidem d. 252.d
Chri. & Mosche collatio 584.c.d. & sequ.
Christi prædicationis ordo 720.d.

De Christo opinio uaria unde 351.a
Christus in summa humilitate, summam gloriam demonstrauit 417.a.b
Christus annunciāt fideles, perturbatis aliis 20.c
Christi omnem morbum curantis diuinitas 95.b
Christus quō descendit ad inferna 511.a b
Christū sequi arduū 110.c. & salutare 96.c
Christus repulsus à Gadarenis auaris 237 b.c
Christum quō uere edimus 670.d
Christi bonitatis exemplum 218.c
Christi reiectio, causſa condemnationis impiorum 615.a
Christus filius Dauid 344.d.254.c
Christo data omnis potestas 522.d
Christi humilitate Iudæi offensi 695.a
Christus unꝰ pastor est, nos eiꝰ serui 715 b
Christus rex Sion, quomodo 418.c
Christus cur inuitat magis, quàm præcipiat 109.a
Christi regis autoritas ibidem
Christi autoritas in assęuerando 179.a
Christus qua lingua sit usus ibid.b
Christus quō resurrectio & uita 722.c
Christus ostium ouium & pastorum 714.c
quid de Christo sentiendum 636.d
Christus filius hominis, Deꝰ & hō 625.b,c
Christus prædicari noluit 360.d.367.b
Christum reijcientes, antichristos recipiūt 453.b
Christi regnum in quibus conspiciatur. 774.c
Christus, lux Gentium, sol iustitiæ 113.a
Christus signum salutis 632.d
Christus unus uitæ magister 605.b,c
Christi amor erga Iudæos ardētiß. 448:d
Christus natus ablato sceptro 542.c
Christi ortus è cœlo, nō Galilæa 32.c
Christus quō dæmonia ejcit, quomodo impostores 305.a
Christus crucem tulit à puero 29.b.28.d
Christi autoritas 368.d
Christꝰ sacerdos unicꝰ et perpetuus 450.d
Christus ad qd trāsformatus 366.c.
Christi paupertas 229.b
Christus solus pascit mentem 678.d
De Christo Moses scripsit 663.b.659.b
Christo omnia tradita sunt, nil ergo aliun de petendum 286.c
Christum, & eius opera fantastica fuisse Marcionis error 79.a
Christi regnum æternum, & temporariū 322.d
Christus cur Abrahæ & Dauidis filius uocatus pag. 5.a
Christus uulgo filius Dauid cognominatus ibidem
Christus certißima diuinitatis sui signa cū caperetur ostendit 781.a
Christus cur humidum lignum 787.a
Christus à diabolo tentatus 72.d. & sequ.
Christus magister unus, per se docet, & per alios 440.c
Christus quō & cur Ioanni incognitus 68 c. & præcedenti
Christi mutatio in quo sita 74.c
Oracula de Christo quomodo ē scripturis reuenda 587.b
Christus inuenitur, ubi caro minime putat 544.c
Christus signum regni dei 546.d
Christi beneficia corporalia spiritaliū fiducia confirmant 225.d
Christus quare tacuit corā præside 507.b
Christus lux mundi 708.d.709. b.627.a
Christi uita à puero plena periculis 26. d
Christi infantiæ miracula fabulosa ibid.
Christum nō signari per nubē leuē ibidem
Christi diuinitas colligitur 657.a.b
Christus Dominus omniū, uiuificat mortuos ibidem
Omnia iudicat quia filius hominis 658.c
de Christo sancti plura intellexerūt. quàm cortex literæ dicet 705. b c
Christi expectatio etiā apud Gentes 706.c
Sine Christo nihil Deo gratū 584.d.585.b
Christus unus doctor ueritatis 585.b
Christus ut obuertit maxillā alterā 499.b
Christi summa innocentia ibidem
Christus cur primum tacuerit, & postea responderit 500.c
Christus sese aperte confessus est ibidem
Christus condoluit dolentibus, infremuit 722.c.d
Christus unde sit, nemo scit 693.b
Christum quare non credant Iudæi esse Messiam 694.c
Christus territos erigit 367.b
Christi longanimitas erga tardiores discipulos ibid. & 372.c
Christi cognitio quibus contingat 518.d
De Christo loqui, quàm utile ibidem
Christi cognitio homini incomprehensibilis 519.a
Christus ad falsa testimonia non respondit quòd quiuis ea esse falsa facile agnosceret 783.b
Christus non sine affectibus 254.d. & seq.
Christus comedit post resurrectionem 516. d.482.c
Christus natus in Bethleem 17.b
Christus natus, ablato sceptro à Iuda ibid.
Christus se regem Iudæorū insinuat ibid.b
Christi mortis fructus 512.c
Christo mortuo, Ioseph & Nicodem. fortiores ibidem.d
Christi sepultura pretiosa ibid. 788.d
de Christo persuadere spiritus sancti, est non hominum 701.b
Christus ustas ad populum orationes habuit ibidem.
à Christo omnia petenda ibidem
Christum soli renati agnoscunt ibidem
Christum respuentes cur in peccatis moriantur ibidē
Christus princeps Israēl 22.c.
Christus confortatus ab Angelo 495.a
Christi supplicium quomodo percipiendū ibidem.b. & 515.a
Christus quomodo quęstus sit se derelictū fuisse 511.a.
Christus uerus homo 235.a.
Christus Patrem laudat, quòd quosdam excæcet ibidem b.
Christus super oīa diligēdus 91.a.274.d.
pro Christo quomodo omnia deserenda ibidem
Christus ut sua libertate usus 573.b
Christus parum pecuniosus ibidē
Christum alij admirabātur, alij calumniabantur 326.d
Christi modestia admirabilis ibidē
Christus natus in hoc, ut ueritatem testaretur 507.a
Christum audit qui ex ueritate est ibidē
Christus quomodo omnem impleuit iustitiam 68.d
Christus quomodo dilectus 69.b
Christum quomodo scripturæ prædicent 662.d
ad Christum uenire quid 671.b
Christus legem impleuit 123.a.117.d
Christus legem publicam diligenter obseruat 212.d
Christi īcarnatio quæ attulerit orbi 590.c
Christus filius Adæ 6.c
Christum uiam esse & ueritatem quid significet 717.a
Cuthæi, à cluta flumine 643.b
Cibus Domini quis 649.b
Ciborum religio unde nata 339.b
Circumcisionis ueterum usus 39.a.49.a
Circumcisionē nihil ualere, quō 41.a
Ciceronis Theologia 650.d
Ciceronis libri legendi 291. b
Cineret, uel Cineroth, mare siue lacꝰ 987 b
Circūcisio ad nos quoq; pertinet 261.d.qd nucleus in circumcisione ibidem
Cinere sparguntur pœnitentes 274.c
Claues Ecclesiæ cui datæ 386.d.387.b
Ciuitatis similitudo passim in scripturis 112.c
Ciuitati in alto positæ cōparātur iusti 112 d
Ciuitatib. celebriorib. prædicarūt Christus & prophetæ 913.b.c.
Clauis regni cœlorū 353.b
Clauis metaphora unde 354.d
Clauis scientiæ ibidem

lorum phariſ. 441.b
Cœlibatũ lex Moſaica ignorat 10.d
De cœlibatu conſilium Pauli ibid.
Cœlibatũ inconſulto deligentes Dominũ tentant 81.a
Cœlibatꝰ monaſticꝰ cõtra deũ 340.c.351.a
In cœlum per ſolũ Chriſtũ uenitur 703.a
Cœlorum nomen quid in ſcripturis 70.c 625.b,636.a. 671.a.6.58.a
Cœlum dicuntur ſancti 166.a
Cœlum thronus Dei 135.b.523.a.609.
Cœli enarrant gloriam Dei, per proſopopœiam 70.d
Cœlorum apertio quid 69.b.70.c.610.c
Cœlum tertium Pauli quale 70.c
De cœlorũ tranſitu ſcriptura paucis 117.b
Cœli noui quõ acciꝑiẽdi, apud Eſa. ibid.c
Cœlibẽ uitã ũde diſcipuli probabãt. 399.b
Cœlibatus in quo cõmugio præſtat 400.c
Cœlibatus propter regnũ cœlorum ibid:
Cœlibem uitam duxit Paulus ibidem
Cœlibatus monaſticus impius ibidẽ d.
Cœlibatum non omnibus bonũ eſſe 401.a
Cœlibatui præferendæ nuptiæ ijs quibus datũ non eſt ibidẽ. b
Pro Cœlibatu nõ eſt omnibus orãdũ ibid.
Cui datum fuerit uiuere cœlibi, is ſecus non poterit 402,c
Cœlibatus non temere eligendus 11.a
Cœlebs cur Chriſtus ibidem
Cœnobitæ non ſequuntur Chriſtum 91.b
Cœnobitarum orationes Phariſaicæ 218.c
Cœnobitarum paupertas 230.d
Cœnobitæ ueteres meliores 443.a
A cœna Chriſti arcendi mali 586.d
De præſẽtia Dñi in cœna 483. b et ide
Cœnæ dominicæ uſus 487.b.492.c
Cœnæ cur adhibita ſymbola panis & uini 487. b.c
Quid dederit Dñs ĩ cœna 488.d.
Ad cœnã compellendi ratio 428. d
Cognationẽ carnis excluditſcriptura 59.a
Cognatio externa nihil prodeſt 690.d
Cognati Chriſti qui 316.d. & ſequ.
Cognitio Dei, benedictio Abrahæ promiſſa 706.c
Cognitio Dei duplex, perfecta & imperfecta 636.c.d
Cognitio Chriſti homini incomprehenſibilis, & quibus cõtingat .518.d. & ſequ.
Cõnitio dei, ex prædicatiõe Euãgelij 226.c
Cognitio Dei paruulis reuelata 286.c
Cognitio Dei ſolida beatitudo 552.c
In cognitionẽ Dei quõ rite perueniemus. 674.d
Cognitio Dei certa ratione & ordine reuelatur 253.a.b.321.a.366.c
Cognoſcunt deum & impij 576.d
Cognitio dei è creaturis 767
Columbæ ſpecies quid indicarit 591.a
Columbæ ſimplicitas 266.d
Columbarum natura 70.d
Columba Noe pacifera ibidem
Commune quid in ſcripturis 338.d
Concordia ſacrificijs anteponenda 151.a
Concupiſcẽtiæ malum quomodo in nobis augetur 124.d.125.b
Concupiſcentia praua prohibetur 133.a.
Condemnare quid 159.b
Confiteri quid in ſcriptura ſacra 285.b
De cõfeſſiõe ſecretaria error exploſus 211.d
Confeſſio peccatorum triplex 51.a
Cõfeſſio quæ hominibus fit ibidem b.
Confeſſionis erga homines exẽpla 52.c.d
Confeſſio à quibus olim requiſita ibid.d
Confeſſio priuata 53.a.b
Confeſſio pro conſolatione ibidẽ b.
Confeſſio proximo offenſo ibid.
Contra confeſſionem auricularẽ 559.b.c
Confeſſio peccat. deteſtatio peccati eſt, nõ enarratio ibidem
Cõfeſſionẽ peccat. requiri ad ſolutionẽ ibid
Cõtra cõfeſſionẽ ſecretariã 54.c
An ſoli ſacerdoti confitẽdum 55.a
Ad confeſſionem ueram quomodo homines mouendi 56.
Congius quid 612.d
Conſilium de dimittendo domino & eius flagellatione 785.b
Conſuetudines Eccleſiæ publicæ non contemnendæ 616.d
Contemptiora uocare ſolet deus 645.a
Contemptus Ioannis. Chriſtus item 368.c
Contritio Euangelica quid 87.a
Conuitia quæ à Chriſto damnata 130.d & ſequ. De conuitijs Chriſti
Conuitia impiorum 705.a
Conuiuiorum fructus qui 330.d
Conuiuiũ ſanguine miſcuit Herodes. ibid.
Conuiuia honeſta non damnanda 613.a
Conuiuijs interfuit Chriſtus 556.d
Corban quid 539.a
Cordis pietas Deo placet 106.c.445.a
Cornelius ſpiritum S. accepit ante baptiſma 39.b
Corpus pro tota uita 182.d
Corpus Chriſti quõ in cœna 484.d
Corpus Chriſti impij nõ edunt 485.b
Corpꝰ Domini quõ uere ſumatur ĩ euchariſtia 682.c. Et qui ſacramentotenus tantum edant ibidem
Correctiones ſeueræ in Apoſtolis & prophetis 57.a
Correptio fraterna, ſeriũ Chriſti præceptum 586.c
Coruorum pulli miraculo paſcũtur 186.d
Creator ex creaturis quõ agnoſcitur 576 c.d.
Creaturas cur deus operibꝰ ſuis adhibeat 708.d
Credendum ut deus loquitur, nõ ut Romani, aut ueteres 259.a
Non credunt, non electi 672.c.671.b
Qui credit. loquitur 607.b
Claues quibus propriæ 957.b.
Claue ſcientiæ ſublata claudũt regnũ cœ
Credere in nomen Ieſu 578.d
Credere in deum & Chriſtũ, quid 225.a.item credere in hominem ibid.
Credere deo, & in deum, male diſtinguũtur ibidem
Crucifixio, Chriſti exaltatio 635.d
Crudelitas impiorum uano metu ſæpe differtur 422.a
Crucem tulit Chriſtus à puero 29.b
In cruce ſumma gloria, exemplo Chriſti, & Pauli 417.a.b
Crucis ſignum in cœlo apparituru, ſecundum aliquos 466.d
Crux ſequitur Chriſti confeſſionẽ 274.d
Quæ cuique ſua crux 275.d
Crux gloriam præcedit 361.a
Crucem tollere quid 362.d
Crux Chriſti ad Gentes 510.d
Cruce multi ſcandaliſantur 279.b
Cultores Dei germani 106.c
Cultum qualem exigat deus 24.c.122.c
Cultus diuorum externus uanus ibidem
Colendus proximus ibid.d
Cultum Dei ex propꝛijs affectibus metientes 212.c
Cultus Dei uerꝰ nõ ĩ cærimonijs 647.a.b
Curioſis Dominus reſpondit utilia 453. d
Crux, typus Chriſti 587,b c

D

Dæmonũ natura, & quatenus de dæmonibus ueſtigandum 233, a
Dæmones boni & malibidem b
Dæmones quando conditi incertum ibidẽ
Dæmonum nomina, & unde 234.c
Dæmoniaci qui ibidem
Dæmones cupidiſſimi nocendi hominibus 233.b.235.a
Dæmonum miniſterio utitur Deus 234.d
Dæmoniacus idem qui & lunaticus ibid.
Dæmonia ĩ ſolẽtiores morbi ibid. & ſequ.
Dæmonum miniſtræ maleficæ 235.d
Dæmonum impotentia ibidem
De caſu Dæmonum nihil certi ibidem b.
Dæmonis inimici uirtus ibidem
Dæmonum malitiam Dei bonitas moderatur 236.c
Dæmones mira ĩtelligendi facultate præditi ibidem
Dæmones unde dicti ibid. & 234.c
Dæmonum teſtimonia cur chriſtus noluerit 236.c
Dæmones certis locis addicti ibid.d
Dæmonum opera peſtes omnes 237.d
Dæmones petunt porcos ibidem
Dæmones deprecantur ire ĩ abyſſũ ibid.
Dæmonia quomõ ejicit chriſtus, quomodo impoſtores 305.d
Dæmones quõ apud diuos paſſim pellãtur ibidem.b
Dæmoniũ magis ſæuit uiſo chriſto 370.d

Dæmonium quare discipuli non potuerunt eicere ibidem d. & seq.
Dæmones in desertis 315.b
Damnati an cuiquam bene uelint 559.c
Danielis uaticinium de Christo 459.a
Dauidis tentatio 170.d
Dauid typus Christi 519.b
Dauid comedit panes sacrificij 294.d
Dauid & Abrahã cur coniunctim in exordio posuerit Matth 5.a
Dauid cur priorem nominat ibidem
Dauidis filius Christus uulgo appellatus ibidem
Dauidi facta promissio de Christo contra Iudæos ibidem d
Dalmanutha, regio Galileæ 547.a
Decalogi præcepta exponuntur 585.a.b
Decimæ quando persoluendæ 443.b.c
ex Decimis pauperes alendi, & qui serũt spiritualia 444.c
Decimarum exactores, & impugnatores perstringuntur ibidem, & seq.
Delitijs uti & pij possunt 480.c
Deliţijs pretiosis quatenꝰ uti liceat 723.d
Dementia hostium ueritatis 718.c
Demens impietas 723.b
Demonstrare pro dare 660.d.717.a
Denarius drachmam ualebat 411.b
Denarius, drachma est 431.b
Denarius operariorũ quid signet 410.d
in Deserto secutæ dominũ turbæ 333.b
Desertum dicitur mundus ibidẽ
Desertum quale Ioannes inhabitarit 55.a
Desertum, populus Iudaicus 56.c
Desertum quale Christus incoluerit. 72.d
in Desertis crebro Christus 347.a
in Desertis dæmones agunt 236.d
Desperandũ nulli, exemplo latron. 510.d
Deum nemo uidit unquam 584.d & seq.
Deum uidit Moses, Iacob, quomodo ibid.
Deum quatenus impij cognoscunt 376.d
Dei cura pro pijs 26.c.51.a
De Deo, quantum ex creaturis cognoscitur ibidem
Deus inducit in tẽtationẽ bonos & malos 167. b. tradit in sensum reprobũ ibid.
Deus, & qui uerbum Dei docent, quomodo indurant malos ibidem
Deus si indurat, quare punit peccata, pag. 168.c.d
Dei iudicia in futuro seculo recte cognoscentur ibidem
Deum scire quosdam indurare, ad quid conducat ibidem
Deus solus omnia operatur 633.b
Deus operatur omnia omnibus 234.d
Deus ministerio demonum utitur ibidẽ
Deus contemtiora uocat 645.a
Deus ulciscitur maiores in minoribus,
Deum non esse iniustum ibid. 647.b
Dei uocabulum Christo etiam ut Homini competit 717.b.c
Deus solus bonus 405.a
Deus excæcat 285.b
Deus incomprehensibilis 286.c
Deus in tempore succurrit 696.d
Deo mille anni, uelut unus dies 465.a
Deum ignorat, qui admittit sibi gloriam pag. 440.c
Deus neminem iudicat, nisi ueritatẽ antè satis edoctum 193.a
Deus autor tentationis 170.c
Deus quando nobiscum 703.b
Deo omnia uiuunt 432.c
Dei clementia erga peccatores reuertentes 388.c.d.383.b.c
Dij cur dicti iudices 717.a.724.c
Deuteroses pharisaicæ 135.a.138.c
Dextera Dei quid 685.a
ad dextram sedere quid, & quorum 412.d
Diabolus malus dicitur 171.a
Diabolus quid Græcis 72.d
Diaboli spolia per Christum recuperata pag. 304.d
Diaboli filij, Iudæi 704.d
Diabolus quid 234.c
Diabolus tortor noster, & tentator. 170.d
Diabolus dicitur Iudas 686.d
Dicendi aspritas quæ probanda. 57.b
Diem Domini omni momento expectandum. 465.a
Diem aduentus Christi non longe abesse, ibidem
Diem quid uocat Christus 702.d
Dies rogationum quõ natæ 75.b
Dies extremus soli patri notus 467.b.c
Dies Domini sicut diluuium ueniet, & ultio Sodomorum 468.c.d
Dies à uespera incipitur à Iudæis 477.a & 478.c
Dierum religio unde orta 339.b
Digitus dei, spiritus sanctus 63.a
Dignitas Christianorum ex fide, non ex officijs metienda 611.a
De dilectione proximi, cauillum Anabaptistarum 140.c
Diligendus proximus secundum Deum, ibidem d.
Charitatis opus, punire malos 141.a
Dilectio proximi facillima. 156.c
Dilectionis Christi argumenta. 759.b
Dilectio Christiana mortuos luget 722.c
Dilectionis exemplum 123.c
Dilectionis præceptũ cõmendatur, 65.a.
Dilectio ergo defunctos unde 311.b
Dilectionis remissio prædicta 457.a
Dilectio quid in scripturis. 124.c
Dilectionis ueræ ingenium. 723.a
Dilectionem Christianismi esse signum, pag. 743.b
Dilectio proximi, summa legis. 150.c.d
Diligere proximum quare deus præceperit. 151.a
Dilectio uera erga inimicos officiosior, ibidem b.c
Dilectio manca. 152.d
Discendum semper. 358.c
Discipulorum incredulitas. 518.c
Discipuli rogant curiosa, Dominus respondit unlia. 453.a
Discipulos Christo maiora feciße 747.b
Discipuli perpetui Christi comites 91.a
Discipulorum stupor 347.a, 599.b
Discipulorum Ioannis studium præpostorum. 630.c
Inter discip. Christi nemo maior 377.a
Discipulos esse oportet unius Christi in scientia pietatis 278.c
Discipuli habuerunt cc. denarios 333.b
Discipuli quomodo Domino maiora fecerint 749.a
Discipulos tardos tulit Christ. 367. b. 372
Discipulorum misericordia & liberalitas pag. 334.c
Discipulorum ministerio quare apposuit panes Christus ibid.
Discipuli confusi. 369.a
Discipuli iure tarditatis arguti. 543.a
Discipulus Christi syncerus, rara auis, pag. 656.d
Discipuli durè increpantur à Domino, 249.b
Non reiciuntur. 550.c
Discipulos non credidisse Dominum resurrexiße, quomodo intelligendum, pag. 797.b
Disputandum quomodo cum Iudæis. 15.a
Disputationes quando necessariæ 561.b
Diuites iniqui erga pauperes. 406.c
Diues omnis aut iniquus, aut hæres iniqui. ibidem
Diuitijs confidentes impossibile est regnũ dei ingredi ibidem
De diuitibus non est desperandũ ibid.d
Diuinitas uera sita in beneficentia 440.c & 441.a
Diuitiæ fallaces. 558.b
Diuitiæ cœlestes, opera misericordiæ, pag. 180.d
Diuitias per se abijcere, non est Christianum. 245.a
Diuitum infelicitas. 105.a
Diuites non omnes infelices. ibidem
Diuortij causæ multæ. 395.b.c
Diuortium Ecclesiasticorum, commentũ satanæ 397.b
Docendi bona opera mos Christi 114.c
Docenda certissima. 656.d
Doctor Euangelij qualis esse debeat, pag. 325.b.c

Doctores pios & sedulos donat deus. 101.a
Doctor ueritatis unus Christus 585.b
Doctrina Dei per homines non contemnenda ibidem
Doctrina Apostolica qualis 189.a
Doctrina quid à prophetia differat. 290.c
Doctrinæ Euangelicæ summa 259.b
contra eruditionis contemptores, qui suæ insciticæ & ignauiæ prætexũt rudes discipulos à Domino uocatos 88.b
Eruditioni nemo fidat ibidem b.c
Docendi muneri quales præficiẽdi. 90.c
Non docebit Deus per miraculum ignauos ibidem
Doctrina predicatorum non persecutione sed spiritu Christi probanda 240.c
Doctrinam Christi qui possint cognoscere 651.b
Doctrina uerbi ad quid instituta in Ecclesia 493.a.b
Doctrina Christi non temere reijcienda, etiã si prima facie pugnare uideatur cum scriptura 610.d
Dolo carere, Christo proprium 609.a
Domus negociationis templum 411.b.c
Domus Dei quomodo facta spelunca latronum 421.c
Domus patris, domus mercatus 614.c
Domus uiduarum uorare 442.c
Domus purgatæ allegoria 519.c
Domestici primum curandi 84.c
Dominici diei obseruatio Christianis digna 300.c
Dominicus dies quõodo feriandus ibi.d
Contra abusus diei Dominici 301.a
Donec non dicit consequentiam 16.c
Donorũ Dei contẽptores taxãtur. 89.a.b
Duodenarij numeri mysterium 100.c
Dulia quid 254.
Drachma & denarius idẽ ualent 411.b

EBion negat Christum filium Dei. 569.a.b
Ecclesiæ mores publicè non temere contemnendæ 616.d
Ecclesiæ fundamentum Christus, non Petrus 355.a
Ecclesia quõ remittat peccata 593.a
Ecclesiæ caput Christus 562.d
Ecclesiæ ministerio quomodo peccata remittantur in baptismo 621.b.c
Ecclesia nunquam sine labe 161.b
Ecclesiæ typus, populus Israël 629.b
Ecclesia quæ habeat fundamenta. 734.d
Ecclesia regnum cœlorũ dicitur 594.c
Ecclesiæ ueteris forma in Episcopis eligendis 395.a
Ecclesiast. tyrãnis portẽtosa notatur ibi.
Anteccleſiasticorum tyrannis aduersus libertatem Christianam 580.d
Ecclesiæ ministerium magnum 212.d
Ecclesiæ consensus, haud parui momẽti. pag. 16.c
Ecclesiæ cui ligandi & soluendi potestas data 386.d (353.a
Ecclesia à Satana expugari non potest, Ecclesiam mundatam lauacro, quomodo accipiendum 41.a.b
Ecclesiæ regnum 93.a
Ecclesia una ex gentib. & Iudæis 715.a
Ecclesiæ monarcha unus Christus. 354.c
Ecclesiasticæ potestates etiã à deo. 146.c
Ecclesiasticorum imperitandi libido perstringitur. ibidẽm d. & 145.a
Electi seduci non possunt 461.a
Electi ante omnia secula, fideles, & quando huius certi fiant 579.b
Electi quomodo liberentur 540.d
Electi qbꝫ potiss. pctis sint obnoxij. 648.d
Electi ab æterno domini sunt 203. b
Electorum & reproborũ discrimen. 706.d 710.c. 712.c. 715.b
Electi ex Gentib. & Iudæis, unum ouile, pag. 715.a
Electio dei gratuita. 474.c. firma. 672.c
ab Electione pendent omnia 411.b
Electi semper peccãt ex ignorãtia 308.d
in Electis semper seminaria pietatis. 91.a
Electi perire non possunt 716.d
de Eleemosyna locus Lucæ: Veruntamen quod superest, Date in eleemosi. exponitur 445.b.c
Eleemosyna quid 155.a
Eleemosynæ exigendi ratio 729.b
Elementis scripturæ solis non inhærendum 81.a
Elephantia morbus qualis 214.d
Elias uenit. 368.c
Elias Thesbites Ioannis typus ibidem
Elisabet quid significat 531.a
Encænia, festũ dedicationis, reparati templi, post reditum à Babylone 716.c
Εὐαγγελία καὶ Εὐαγγέλια differunt 2.d
Episcopo non est semper uagandũ, contra anabaptistas 240.c
Episcoporum & Vicariorum Christi officium 91.a
Episcopi uiciniores olim Episcopum consecrabant 359.a
Episcopi eligebantur ex plebe & presbyteris ibidem
Episcopi Rom. prærogatiua unde ibidẽ, & 357.b
Episcopi non euangelizantes notantur, pag. 277.b
Erasmi Rot. laus 580.c
Errant nonnunquam electi 714.d
Errantes adducendi 715.a
Errores liberè confutandi 604.c
Errores occasionem dant doctrinæ sanæ 574.d. & seq
Errores fœdissimos parit uerbi dei contemptus 327.a
Errorum fons impietas 329.a.b
Errores absurdi & insani impiorum, pag. 443.a
Esaiæ locus cap. 9. de regno Christi exponitur 20.c
Esaiæ uaticinium: Ecce uirgo concip. latẽ exponitur 13. & inde
Esseni unde dicti 128.d
Ester ieiunium triduum 174.d
Esurientes & sitientes iustitiã qui 104.c
Ethnici iudicabunt Iudæos 315.a
Ethnicorum libri legendi 291.b
Ethnicorum insania in ludu mortuorũ. pag. 251.b
Euangelicæ historiæ ordo 83.a
Euangelici prædicatoris munus, Lonitatem Dei inculcare tardiorib. 14.d
Euangelion prædicandum bonis & malis 579.a
Euangelicam ueritatem deserentes, notantur 472.d
Euangelium auari repellũt, exemplo Gadarenorum 237.b.c
Euangelij auditorum genera 4. 321.b
Euangelion in scripturis sacris quid 2.d 3.a. 598.c
Euangelia cur Euãgelistæ suas historias uocauerunt 3.a
Ibi. Cur historiæ peculiariter Euangelia dicta
Euãgelij gratia nuptijs assimilatur 417.a
Euangelij ueritas etiam reprobis ennunciandum 589.a
Euãgelion reprobis quoq; prædic. 322.d
Euangelio omnia posthabenda. 326.a
Euangelij thesaurus non nisi uiolẽtis contingit ibidem.b
Euangelij prædicatio capturæ piscium assimilatur ibidem. & 88.c
Euangelij & prædicationis discrimen, pag. 2. d
Euangelio emergenti quomodo satan resistit 561.b
Euangelion pacis adferentes persecutio manet 106.d
Euangelij negotiũ quanta grauitate gerendum 656.c
Euangelizantium merces 651.a
Euangelio suo quare dominus primores ferè urbes inuisit 84.c
Euangelio homines præpararunt etiam philosophi 650.c.d
Euangelium qnomodo prædicatur in testimonium. 458.c
Euangelij nominis abusio. 2.d
ab Euangelio recepto discedere, qualis aduersitas. 456.d
Euangelij hostes qui potiss. 645.a

Euangelij thesaurus non nisi uiolentis contingit 282.c
Euangelij maiestas commendatur 530.d
Euangelij prædicatio quibus committenda ibidem
Euangelij res quando præcipitetur 581.a
Euangelio ingrati eadem expectent, quæ acciderunt Iudæis. 462.d
Euangelion orbi miraculis commendatum 95.a
Euangelij hostes nihil agunt manifesto iudicio 506.d
Euangelion publicitus annunti andum, mundo quamlibet inuito 272.c
Euangelion qui non audiuerunt, non temerè iudicandi 49.b
Euangelium semper sui simile 457.b
Euangelicæ historiæ autore spũs. 3. b
Euangelici nuperi taxantur 178.d
Euangelion prædicatum in toto mundo tempore Pauli 457.b
Euangelium Christi, quod Ioannes prædicauit 60 d. & sequ.
Euang. post passionem euulgatũ 361.a
Sine Euangelio omnia tenebræ 55.a
Euangelizatio per homines non contemnenda 585.b
Euangeliõ usque prædicandum, uocatio deo relinquenda 608.c
Euangelion quanti habendum 225. b.c
Euangelium primum erat Iudæis prædicandum 253.a.258.d
Εὐαγγέλια quid Græcis 2.c
Euãgelio unde accedãt carnales, & ab eo recedant. 309.a.b. Cum exemplis
Euangelium qui audierunt, nec respiscunt, Sodomis deteriores 284. d
Euangelion tacite, ac breui tempore fructificat 324.c.d.
Euangelion certo ordine reuelari hominibus. ibid. & 321.a.253.a.b.
Euangelicæ historiæ scopus 294 c
Euangelion regni prædicabat Christus pag. 93 a.b.
Et quando
Euangelistæ solũ Christũ predicant 15. b
Euangelistæ quomodo intelligẽdi, canon pag. 188 d.
Euangelistæ cur uulgata editione usi. pag. 9. b 12. d 21. b.
Euangelistarum mos in citandis testimonijs. 30. d
Euãgelista fit ex publicano Matthæus 3 b
Euangelistæ organa spiritus s. 5. b. 21. b.
Euangelistæ quod officium 94.c
Euangelistæ miscellanea scripserãt 692.c 294.c. 188.d. 133.a
Euangelistæ Christi præcones, non Mariæ. 16.c
Euangelistarũ scopus in describẽda Christi historia 29. b. 253. a. 449 a. 709 a
Euangelistæ diuersis scripserunt 529.a
Euangelistarum breuitas 182.d
In Eucharistia quomodo uere sumatur corpus Domini, & qui sacramentotenus tantum edant 682.c
Eucharistia quid, & cur instituta 59.a
Eucharistia sacrificys successit ibidem
Eucharistia quibus danda, et quibus non pag. ibid.
Per Eucharistiam exercenda communicatio 387.a
Eunuchi uarij 400.c
Excommunicatus quare stuprator Corinthus 245. b.c
Exaltatio Christi, crucifixio 703.a 635.a
Ob excæcationem quorundam laudat patrem Christus 285, b
Excæcationis tam multorum seculorum causæ 341. b.c
De excõmunicatione Ecclesiastica 586.d Et inde.
Excommunicatio circa Eucharistiam potiss. exercenda 387.a
De excommunicattone, error Anabaptistarum 598. c
Excelsa quare scriptura reprehendit pag, 646.c
Exemplum haud imitabile, ieiuniũ Christi quadragenarium 74.c
Exempla ueterum quatenus imitabilia pag. 599. b.c
Exempla patrum non semper sufficienda 649.a
Exhortationis Apostolicæ quæ ratio pag. 189.a
Externa legis non requirit Deus 126.c
Externa non uocantur propriè lex Dei, aut Moysi 127.a
Externa omnia propter hominem 295.b
Externarum rerum libertas 358,d
Externa legis quatenus seruanda 215.b
Externa omnia charitas moderatur 210d
Externa curare, internis neglectis, quanta cæcitas 445.b
Externa non continentur legis nomine pag. 120.c
A nulla re externa iustitia, uel iniustitia pag. 542.d
Externis Deum non delectari 543.a
Externa & impijs communia 647 a.b
Externa Dei non contemnenda 68.d
Externa nõ cõmendant apud Deũ 59.b c
Externa legis ob proximi commodum obseruari possunt 141.a
Externa Mosaica non omnia abolita pag. 601.a
Ezechielis dormitio super latus in aginaria 79.a
Ezechiæ expeditio contra Sanherib, pag. 141.b.c

F

Fabulæ de miraculosa Christi infantia 26.d.
Fames tempore desolationis Hierosolymorum 461.b
Fames Christi mira 422.d
Feriæ ueterum quæ 289.d
Feriæ ueterum quas memorias habuerunt ibidem
Feriæ apud Christianos omnes liberæ pag. 298.a
Feriandus quomodo dies Dominicus pag. 300.c.d
Contra abusus diei Dominici, & contra alias ferias Christianorum 301.a.b
Præstiterat Iudæorum ferias quàm nostras habere 302.c
Feriarum multitudo abolenda, exemplo Apostolorum ibidem.d
Fermentum bonum & malum 324. d 350.d
Fermenti uim quandam inesse credentibus 324.d
Festorum religio unde nata 75.b
Festorum translatio apud Iudæos 477 b
Fici arbor execrata 422.d
Ficus sterilis, populus Iudaicus ibidem
Fides facit filios Dei 617.b
Fides duplex ibid
Fides sine radice ibidem
Fidem crux manet ibidem
Fidei nomen apd Ebræos & Græc. 218.d
Fides quid Latinis ibidem
Fidẽ quod uulgo uocamus exprimit per suasio 219 a
Fidei uocabulo aliter Theologi utuntur, aliter Latini ibidem.b
Fidei ueræ natura, exemplo Cẽturionis & Abrahæ 220.c
Fides non nisi ex auditu ibidem
Fides, opus spiritus sancti ibidem
Ex Fide sua uiuet iustus ibidem.d
Fidei finitio 221.a
Fides sola iustificat ibidem.b
Fides ante opera 221.c
Fides quid Sophistis ibidem
Fides Sophistarũ, fidei simulachrum est ibi.
Fides informis, & acquisita, utrumque figmentum fidei 225.a
Fides sine operibus mortua 224.c
Quid in deum & Christũ credere 225. a
Item credere in hominem ibidem
Fides etiam hosti seruanda 332.c.d
Fidem etiam modicam non contemnit Christus 652.d
Fides aliena quid possit 241.a.b
Fidei omnia possibilia ibidem.a
Fidei alienæ omnia possibilia ibidem.b
Fide aliena quidam saluantur ibidem
Saluus esse nemo nisi sua fide potest. ibi.
Fide parentum baptisantur pueri 142

Fidem & charitatem omnia dei præcepta præ se ferunt 262.d. & seq.
Fides & charitas pietatis ratio uniuersalis. ibidem
Fidei exemplum insigne.
Fidei ante oĩa satanas insidiatur. 350.d
Fidei omnia possibilia. 336.d.241.a.b
Fide sola paramur in occursũ spõso 472.c
Fides nititur meritis Christi, nõ operibus bonis. ibidem
Fidei fructus, opera bona. 200.d
Ad fidem nemo cogendus. 428.d
Fidei & religionis negotium pertinere ad magistrum. 428.d. & seq.
Fidei ueræ uis, & quomodo omnia impetrat. 227.a.241.a.254.c
Fides substantia totius pietatis. 227.a
Fides grano sinapis comparata. 371.a
Fidei fructus. 370.c
Fides sola omnia potest. ibid. d
Fides quid, & cur opus dei. 679.d
Fidei donum secundum mensuram, exemplo Centurionis & Iairi. 249.a
Fidei natura. 612.c
Fidei, bonorumq; operum ratio. 637.a.b
Fides uita iusti. ibidem
Fide sola nos iustificari. ibidem
Fidem in primis curandam, operum fontem. 94.c
Fidem cærimonijs testari. 431.b
Fidei ueræ ingenium. 722.c
Fidei natura, exemplo Chananææ. 345.b
Fide iustificamur, operibus & dictis iusti declaramur. 314.c
An Fide seruẽtur infantes. 404.c,d
Fides primum exigitur passim. 254.c
Fide infirmos non reijciendos. 737.c
Fides omnis iustitiæ fundamentũ. 330.c
Fides, uice salis. 109.b.210.d
Fides probatur tentationibus. 250.d
Fidei mysteria ignorantes, nõ statim abijciendi. 636.c.d
Fides à satana subuerti non potest. 353.a
Fidẽ omnẽ ac charitatẽ interijsse. 246.d
Fiducia patrum, sanctorũ, uana. 59.a.b.c
Fiducia Christianorum solida, 205.a
Fiducia sui in apostolis. 495.b
Figura nihil probat. 632,c
Figuræ in scripturis sanctis quomodo accipiendæ 626.copiosè
Figuris & tropis usus Christus. 136.d.& 139.b.& 155.b
Filij Abrahæ qui. 59.a
Filij regni erant Iudæi. 225.b
Filius Dei, id est Deus 609.b
Filius hominis, id est, homo. ibidem, & 625.b.c.
Filij Dei omnes sancti. 609.b
Filij luunt pœnam parentum. 447.b
Filij Dei facile agnoscunt suos. 551.d
Fimbrias magnificare. 439.b
Flagella Domini etiam sancti experiuntur. 228.c
Fletus & stridor dentium quid. 226.c
Fœdus Dei nouum quid doceat. 438.c
Fœlicitas regni dei, & mundi diuersa. pag. 102.d
Fonti similis Christianus. 695.b
Fratres Iesu, cognati eius dicuntur. 327.b & 689.b & 797
Fratrum falsorum hypocrysis prædicta. pag. 457.a
Fraternæ benevolentiæ exemplũ. 91.a
Fructus Apostolorum quomodo moneat. pag. 760.c
Fructus centesimus, sexa. &c. 512.c
Fugere jubinde lucre. 690.c
Fugiendum ne Christiano in persequutione. 83.b
Fuga discipulorũ, capto Domino. 497.b
Fugam docebit spiritus. 645.a.725.a
Fugit Christus per uices. 725.a
Fundamentum sanctorum unus Christus. pag. 592.d
Furor Iudæorum contra Dominũ. 656.d
Fures & latrones cõmenta hominum loqui. 639.a
Furor impiorum aduersus fideles. 22.c
Furti pœna. 595.a
De Futuris scriptura paucis. 118,c
Futura prædicere, pars prophetiæ. 259.b
Futura nosse prodest. 462,c

G

Gadaræ situs. 238.c
Gadareni qui. 237.a
Gadarenorum auaricia & ingratitudo. ibid. m.
Gadaram quõ deseruit Christus. ibid.d
Gadarenos ingratos nõ in totum deseruit Dominus. 240.d
Galilæa natio contempta. 66.c
humilis. 93.a
Galilæa gloriosa, olim obscura. 522.d
Galilæa humilis regio. 31.b
Gallinæ similitudo. 448.d
Garasin mons Samariæ. 643.b.c
Gaudium sanctorum Christus. 706.d
Gaudium uerum unde. 767.a
Gazophilaciũ Christianorũ regni. 450.d
Gehenna solis impijs attribuitur, Infernus omnibus. 511.b
Gehennæ filios facere duplicius, quomodo accipiendum. 442.d
Gehẽna quid, & unde dicta. 226.c.129.b c
in ea filios immolabant. ibidem
Gehennam Christus pro futuro supplicio posuit. 130.c
Genealogia Christi peccatores habet & alienigenas. 6.d.8.c
In Genealogia Christi cur præteriti quidam. 7.a
Genealogiæ Christi apud Matthæum & Lucam concordia. 7.b.
Genealogia mulierum, olim non scribebatur. 8.c
In genealogia Christi quid considerandum, 8.c
Genezar regioni unde nomen. 337.a
Genesareth stagno unde nomen. 87.b
Generis fiducia tollitur. 59.a
Generatio pro ætate hominum. 407.b
Generatio Christi humilis. 4.c
Gentes uocandæ præsignatæ, per Samaritanos. 651. b. per Magos, & Centurionẽ. ibidem. Per pullum asinæ. 412.d
Gentibus uerbum Dei concreditũ. 424.d
Gentibus etiã expectatus Christus. 706.c
Gentium uocatio præcidia. 225.b
Gladij necessitas periculum significat. pag. 779.b.789.b
Gladio qui male utantur. 497.a
Gladius emendus, persequutionẽ significat. pag. 261.b
Gladij usu hodie non minus quàm olim opus est. 137.a
Gloriam Deo sine Christo nõ dari. 543.b
Gloriæ Dei omnia inseruiunt 709.b & 721.b.& 722,d
Gloriæ Dei ordo præscribitur. 255.a
Gloriam Christi Ieschaiah quomodo uiderit. 735.b
Gloriæ suæ futuræ specimen exhibuit Christus ingrediendo Hierusalem. 419.a.417.a
Gloria Domini impijs quoq; reuelanda. pag. 705.c
Gloria Dei quid. ibidẽ
Gloria Dei omnes caremus. 221.b
Ante gloriam humiliari oportuit Christũ pag. 361.a
Glor. sibi admittens, Deũ ignorat. 440.c
Gloria Domini in nube. 567.a
Glor. Dei, scopus oĩum piorũ. 245.a
Græca editio receptior ætate Apostolorum. 9.b.12.d.21.b
Græca Syrophœnissa quare dic. 344.d
Gratiã Dei nullo pctõ impediri. 7.a
Gratiam oblatam contemnere, quanta obstinatio. 282.c
Gratia duplex, prior & posterior 583.b c
Gratiani ostentantia in Decretis. 175.b
Grat. mũdi amittit Christũ sequẽt. 416.d
Gratia saluamur, & per fidem, non operibus. 181.a.b
Gratia iustificamur, nõ ex lege. 125.a.b
Gratiarum agendarũ mos apud Iudæos discumbentes. 467.b.481.b
Gratia Dei potiss. prædicanda in nouo testamento. 435.c
Gratiã oblatã oppugnare. 425.a
Gratia Dei humilia eligit. 17.b
Gratiæ predicatio opus Christiano diuisse.

gnissimum 276.d
Gregory error notatur 562.c
Gregorius VII. taxatus 75.b
Quadragesimam ieiunandã præcepit ibi

H

Hæreditatũ successio legitima 432
Hebdomades annorũ. 459.a (.c
Hebraicorũ nominũ usus uari 99
Herculis Gallici similitudo 674 . c .(b.c
Herodis regnũ crudelitas, & mors 30.d
Herodes nato Christo turbatur 19.b
Herodis regnum & hodie regno Christi præferunt 20.c
Herodi Christus adductus 785.a
Herodes uulpes 449.b
Herodis impij uesania 20.d
Hieronymi allegoria intempestiua 625.d
Hieronymus notatur 234. d, & 322.c
Hierony. reprehenditur, quòd minus diligenter de ieiunijs disseruerit 176.c
Hilaritatẽ moderatã nõ damnandã. 613.a
Historiæ Euangelicæ ordo. 85.a
Historiæ operũ dei quid doceant. 620.a.b
Historiæ ordo non ubique seruatur in Euangelistis, 133.a
Historiæ ordo mutatus. 689.a.b
Hœdi, reprobi. 473.b
Homo externus animæ nomine dicitur 173.a
Homo homini Deus 115.b. 171.b
Hominis filius quid, & cur dictus 129.b
Homines sumus hic, non angeli. 494.d
Honorare parentes quid, 358.d
Horæ canonicæ unde ortæ 75. b
Horæ dici duodecĩ, uarie exponitur 721.a
Horreum quid in Euãgelio 64.a. & 255.a
Hospitalitatis exemplum Mariba 554. a
Hostium Christi Syncretismus. 431.a
Hostes Euangelij qui sint potiss. 645.a
Humana sapere, est agere satanam. 362.c
Humana commenta loquũtur fures & latrones. 639. a
Humana commenta reddunt turgidos. 692.c
Humilitas generationis Christi. 4.c
Humilitas semper Deo placuit 17.b 21.a
Humiliari Christum oportuit ante gloriam. 371.a
Humilitas Christi multos offendit. 279.a.b
In summa humilitate, summam gloriam Christus demonstrauit 417.a.b.
Hyperbole in uerbis Christi. 139.b. 155.b
Hypocrisim uanam pariunt opera legis. 113.b.
Hypocrisis fugienda. 205.a
Hypocrisis etiam iter discipulos Domini. 637.a.
Hypocritæ faciunt bona opera, & non faciunt. 439 a.
Hypocritæ nostri seculi iudices acerrimi 191.b
Hypocritæ obtrectatores tumidi. 245.a
Hypocritis nihil cum Christo commune. 342.c. 201.b
Hypocrisios ultio stupenda. 204.d
Hypocritarum uanitas. 341.b
Hypocritatum tyrannis. 341.b
Hypocritæ nõ sentiunt peccati onus 286.d
Hypocrisim pharisaicã Christus ubique accusat. 116.d
Hypocritarum religio præpostera 645.b
Hypocritæ sèper erũt in Ecclesia 102.c. 118 d
Hypocritæ ferendi 323.b
Hypocritæ inuisi Deo 173.a
Hypocritæ nostri seculi monachi 257.b.
Hypocritarum simulata abstinẽtia taxatur 38.c
Hypocritæ etiã prophetentia 292.c. 255.b.
Hypocritæ omnes mercenarij. 410 c
Hypocritæ tãtũ externa quærunt & recipiunt 411.a.
Hypocritæ crassè quomodo ieiunãt 176.c

Iacobi dictum: Deus neminem tentat, quomodo intelligatur 170.c
Iacobi epistolæ autoritas parua 260.d
Iacob ut Ioseph uxorem duxerit 251.a
Idololatræ nostri seculi 197.b
Idola mendacium ibidem
Idololatria, cultus Diuorum 24.c
Idola, opera manuum nostrarum 113.b 94.d 350.
Iechoniæ duo, pater & filius 10.a
Iechonias pater, auctus & Ioiakim ibidẽ
Iechonias iunior, uocatus Ioachin ibidẽ
Ieiunium non præcepit Christus 162.a fiet 176.d
Ieiunium quid in scripturis significet 183 a.
Ieiunia, sanctorum priscorũ & recẽtiorum hypocritarum longe differunt, ibid. b
qua ratio ieiunandi apud priscos 174 c
Ieiuneum quod alumnius mactum ibidẽ
Ieiunantium ueterum symbola ibidem
Ieiunium sanctificare quid ibidem d
Ieiunãtes prisci ab omni cibo abstinuerũt ibidem
Ieiunium biduum, & triduum ibidem
Ieiunia ueterũ hypocritatu dãnata ibid.
Ieiunia sanctorum noui testamenti 175 a
Ieiunia Ecclesiæ superioris & purioris, qua ratione suscepta ibidem b
Ieiunia priuata haud infrequentia priscis Christianis ibidem
Ieiuniorum quatuor temporum origo ibidem
Ieiunia uulgo religiosorum, nihil minus quàm ieiunia 176 c copiose.
Ieiunium quid Aquinati, & aliis scriptoribus recentioribus ibidem
Ieiunium Deo acceptum 649 b
Ieiuniorum hypocriticorum impietates multæ. ibidem d
Ieiunium præcipere nõ potest homo ibi a & 242 d
Ieiunandi magna nobis necessitas 176 d
Ieiunij falsa hodie missa faciunt, uera non amplectuntur 178 c
Quo pacto uere ieiunandi facultas obtinenda ibidem d
Ieiuniorũ quis proprius usus ib. & 177.a
Ieiunia Christianorum temporaria 199 a
Ieiunia iusta quomodo possint restitui
Ieiunij ueri quis modus ibidem b
Ieiunium quadragenta dierum Moysi, Eliæ, & Christi. 73.a
Ieiunium quadragesimale inconsulto præceptum ibidem b. unde quadragesimæ
Ieiunium Christi quadragenarium exemplum haud imitabile 74. c
Quo fides deducitur, non ieiunãdum ibidẽ
Ieiunandum semper 74.c d
Ieiuniorum Leges à Montano heretico. 74.d. 175 b
Ieiunij obseruatio olim diuersissima 75.a
Ieiuniorum libertas apud ueteres. ibidem
Ieiunarunt ueteres usque ad uesperã ibi. b & 174.d
Ad Ieiunium uerum hortatio 76.c
Ieiunijs ac precibus misericordia præfertur 247.b
Ieiunium Luculus quidam est ibidem
Ieiunium & preces opera sunt spiritus
Iepte male uouit 350.d (ibid. 241.d
Ierusalem prima facta nouissima, quid moneat 450.c
Ierusalem propheticida 445.b
Ierosolymitarũ excidium, abominatio de solationis dicitur 458. c.d 461.a
Iesus quare unctus dicatur 606 d
Iesus quõ suos saluos faciat 12.d
In nomine Iesu mira consolatio 13.a
Iesus nomẽ ab euentu impositũ 12.d
Iesus Hebraice, Latine saluator ibidem
Ignis opera hominũ probat 216.d. 312 d
Ignis Euangelij 274.d
Ignis æterni cruciatus 130.c
Ignis spiritus sancti 62.c
Ignis inextinguibilis 64.d
Ignorantiam fateri melius, quàm incerta asserere 99.a
Ignorantes mysteria dei non statim abijciendi exemplo Nicodemi 650 c a. Itẽm zamaritanæ 648. d
Ignorantes Legem maledicti 606.d
Ignorari possunt quædã ad tẽpus, citra iacturam salutis 616.d
Imago dei quõd Christus 572.d
Imago cœlestis ĩ homine quæ 433 a. 434.c
Imago dei uera, bõi facere proximos 52.c.d
Imagines adorare, uetitum 24.c
Imitatio Christi in quo sita 74.c

Imitatiõ

Imitatio præpostera quã pernicioſa 58.c
Immanuel Chriſtus dicitur 13.a 33 b
Immanuel exponitur nobiſcũ Deus 14.d
Immundum cur tetigerit Chriſtus 210.d
Impij ſecum pugnant 348.d
Impij olim agnoſcent Chriſtum 695 b
Impios quomodo Chriſti ſermo cõdemnet 737.c
Impiorum potentatus breuis, exemplo Herodis 30 d
Impijs etiã gloria domini reuelãda 708 c
Impij inexcuſabiles 298 c
Impij Deum quoque cognoſcunt 576 d
Impij cæci uidentes ibidem
Impiorum demens conatus aduerſus electos 20.d
Impij ante conditum mundũ reiecti 635,a
Impiorum condemnationis cauſa, reiectio Chriſti ibidem
Impij ſecum pugnant 530.d
Impij uano metu ſæpe differuntur 422 c c.425 b
Impietas diuina amare non poteſt 329.a
Impietas fons erroum ibidem a.b
Impœnitentia Iudæorum multis rationibus arguitur 279. b 282.c
Impœnitentam inſignem oprobrat Ieſus ciuitatibus Iſraeliticis 284. c.d
In pro. per. more Hæbreorum 575 b
Incarnatio Chriſti quæ attulerit orbi 590 c.d
Incredulitas cauſa confuſionis 569 a
Incredulitas miraculis obſiſtit ibidem
Incredulitatem ſeuere increpat Chriſtus ibidem.b
Miraculis obſiſtit incredulitas 569 a
Cum incredulitate diſcipulorum certauit Chriſti bonitas 518.c
Increpationes Prophetarum & Apoſtolorum ſeueræ 57 a
Incredulitatis obſtinatæ exemplũ Nazaræni 526 d.527.b
Incredulitatem diſcipulorum dure increpat Ieſus 540.b
Increpatio Petri confutatur 561.b
Incredulit. fructus obſtinatio. &c. 370 c
Incurui gradiebantur pœnitentes 174 c
Indurat malos Deus & excæcat 167 b.c
De ſalute infantium. an fide ſeruentur
Infãtes Chriſto apportati 402.c(404.c d
Infernus quid 511 a.b
Deſcendere ad infernum quid ibidem
Infernus cõmunis omnibus ibidem.b
Somnia Theologorum de Inferno 512 c
Infantes Deum celebrant 420,d
Infernus, pro geenna ignis 559 b
Infirmari quid 179 b
Infirmiorum ratio inconſulte prætexitur 381.a
Infirmorũ ratio quomodo habenda 382 c
Infirmi & tardi quòd tolerandi 114.d
Inimici diligendi 151. 152
Inimicus eo quòd inimicus, proximus eſt. 151,b
Inimico beneficijs potiſſimum medendũ. ibidem & ſequ.
Inimici dilectionẽ Theologaſtri perperã docuerunt 152 c
Ingratitudo Gadarẽorũ in Chri. 237 b.c
Ingratis quoq; benefacit Ieſus 238.c 240 d
Ingratitudo Capernaitarũ quõ ulta 240 c
Ingratitudo Iudæorum arguitur 417 a
Iniuria iniuriam parit 190 d
Iniuriã propriã ulciſci nunq; licuit. 138 c
Iniuriæ memoriã omnẽ & Moſ. uetuit ib.
Iniuriarũ memoria penitus abolẽda 588 d
Innocentes contempti. 710,c
Inuocatio ſãctorũ ſuperflua, & ſuperſtitioſa 160.c.d. De origine eius 161.a
Inuocandus ſolus Chriſtus 161 b
Chriſtus eſt interceſſor efficax 160.d
Interceſſiones Diuorũ uendere, qualis impoſtura 464.d
Interceſſor efficax Chriſtus 160.d 286.d
Interceſſio Chriſti quãdo finem accipiet 522 d & ſequ.
Ioas rex in genealogia Chriſti præterm iſſus 7 a
Ioas Ahaſiæ filius Legalis 7.a.b
Ioachim dictus & Iechonias 10 a
Alius fuit Ioiachin, alius Ioiacim ibidẽ
Ioiacim filius Ioſiæ ibidem
Iohannes intepretatur gratioſus 607.b
Ioan. bapt. maior, minimus in regno cœlorum 281 b
Ioannes qua ratione negaucrit ſe eſſe Heliam, & prophetam eſſe 586.d
Ioannis bapt ſeuera obiurgatio 57 a
Ioannis diſcipulorũ ſtudiũ præpoſterũ 630 c
Ioan, Baptiſta clariſſ Euangelion prædicauit. 630. d
Ioannes Chriſtũ non ignorauit 67 a b
Et unde ipſum agnouerit ibidem
Ioã. quomodo, & cur Ieſu incognitus 68 c
Ioannes nõ ſine myſterio in Iordane baptizauit 50 d
Ioan. quomodo ſe prophetã negarit 281 a & 290 d
Ioannes Elias dictus 281 a.282 d
Ioannes quando in uincula cõiectus 83 a
Ioã. prophetis omnibus præſtantior 280 c c 291 a
De Ioan. opiniones uariæ 329 a
Cauſa necis Ioannis ibidem b
Ioan. uiciſſim Chriſtus teſtimoniũ perhibuit 279.b
Ioan. nihil minus quàm arundo, & mollis aulicus ibidem
Ioan. baptiſmis qualis fuerit 45 46
Ioannes primus baptiſmi miniſter ibidem
Ioã. quomodo Chriſtus fuerit incognitus 591 a
Ioan, cibus & ueſtis qualis 97 a
Ioannes quid ſignificat 532.
Ioan. mortificãdæ carnis exemplũ 284 a
Ioan. præ lege & prophetis audiendus. 282.d & ſequ.
Ioan. predicator pœnitentiæ 33.b
Ioan. Elias uocatus, ibidem
Ioã. ortus, & uita miraculis inſignis 54. c
Ioã. quo anno prædicare incepit ibidẽ d
Ioan. quale deſertum inhabitauit 55.a
Ioannis ſtudium, ut Chriſtus ab omnibus agnoſceretur 552.c.d
Ioan. Euan. an ſponſus 612 a
Iohannes d diuinitate Chriſti ſuum Euangelion anſpicatus 4.d
Ioan. cur apertius diuinitatem Chriſti indicarit ibidem
De Icãne Euangeliſta opinio uana 365 a
Ioan. non interrogat ignorans, ſed d ſcipulorum cauſa 278.c.d
Ioan. Euangeliõ de Chriſto 60,d. & ſequ.
Ioan. hiſtor. a Euangelij nomine præ alijs digna 568.d
Ioan. Euangeliõ ad uerbũ ediſcendũ ibid
Ioan cur dictus fil. tonitrui. ibid. & 608.c
Cur dilectus diſcipulus 568.d
Quare ſuum Euangeliõ ſcripſerit 569 a b
Cur miracula pauca narrat. ibidem
Ioan. Euãgelij quis ſcopus & ſtatus ibi b
Ioan. cur citra procemium & ſimpliciter narrat 570.c
Ionæ ſignum 314.d
Iordanis miracula 50.a
Ioram cur nõ poſuerit Matthæus in genealogia Chriſti 7.a
Ioſeph filius Heli ſecundum legem 7.b
Ioſeph caro fuit 11.b.
Ioſeph iuſtitia & æquitas ibidem
Ioſeph generatio, non Mariæ ponitur d Matthæo 8.c
Ioſua, pro Iehoſua 12.d
Iræ gradus, pœnarum item 129.a
Iraſci nec cum cauſa licet ibidem
Ira quæ damnetur à Chriſto, quæ uæ cõuicia 130.d. & ſequ. item. 129.a
Iratus Chriſtus 151 a
Iracundi ſecum pugnant 803.c
Iſaac typus Chriſti quatenus 629.b
Iſaac electi, Iſmaël reperti 627. b
Iſraelis nomen quare immutatum 100. d
Iudas quare in Apoſtolũ electus 102.c
Iudam proditorem nemini indicauit Chriſtus 483.a
Iudas Gaulonites ſeditioſus 374. c 713.b
Iudas Galilæus inter pſendo Chriſtos 454.c
Iudas diabolus dictus 686.d
Iudæ exitus 756
Iudas prædicauit, & miracula fecit 202.
Iud. miſſi prophetæ, ſapiẽtes, &c. 447.a
Iudæi citam

INDEX.

Iudæi etiã impÿ. scripturas callent 20.d
Iudæi olim conuertendi 270.d
Iudæorum afflictio magna 461.b
Iudæi quare aridi 787
Iudæi humilitate Christi offenſi. 695.a
Iudaicarũ calumniarũ dilutio 13.b.15.a
Iudæi moueri non potuerunt ad miſericordiam 507.b
Iudæi παλινγενεσίαν crediderunt & μετεμψύχωσιν 290.d.329.a.700.b
A Iudæis ad Gentes dimanaſſe philoſophiam 650.c
Iudæis primum erat prædicandũ Euangelium 253.a.258.d
Iudæorum impœnitentia notatur 423.b
Iudæi quare nõ credunt Ieſum eſſe Chriſtum 694.c.716.c
Iudæi literam nõ intelligentes 706.c
Iudæorum bellici tumultus uarij & horrendi 454.d
Iudæorum obſtinatio 281.a
Iudæi quomodo Chriſto lucrifaciẽdi 15.a
Iudæi quare filij Diaboli 704.d
Cur credere nequeant ibidem
Iudæorum obſtinata impietas 422.c
Iudæi ficus ſterilis execrata ibidem
Iudæorum ſectæ quatuor 56.c.128.c
Iudæorum exterminij præludia 455.a
Iudæorum diſcumbentium mos 487.b 481.b
Iudæis carnis fiduciam aufert Ioannes 59.a.b
Iudæorum furor contra dominũ 656.d
Iudæ pecuniam cur dominus crediderit 730.d
Iudæorum falſus prætextus 723.b.c
Iudæi obſtinati ab Ethnic. iudicẽtur 315.a
Iudæorum arrogantia 218.c
Iudæi ingrati nato Chriſto perturbantur 26. d
Iudæi filij regni 225.b.258.d
ex Iudæis ſalus 646.d
Iudæi legem non ſeruant 692.d.696.d
Iudicabunt boni malos, Ethnicis Iudæos 315.a.b
Iudex omnium futurus Chriſtus 64.d
Iudicare ſecundum carnem, quàm peſſilens res ſit 326.d
Contra eos qui hodie, licet Euangelici, ſecundum faciem iudicant 327.a
Iudicat Chriſtus omnia, quia filius hominis 655.c
Iudicium idem Chriſti & patris ibidem
Iudicium omnem Chriſto datum 563.a
Iudicium extremum quomodo ſecundum opera futurum 563.b
Deus neminem iudicat, niſi ueritatem ante ſatis edoctum 193.a
Iudicanda omnia 203.b
Iudicare pro condemnare 634.d
Iudicare in regeneratione Iſraẽlum quid 407.a.b
Iudicare quid in ſcripturis ibid.b
Iudicia domini in futuro ſeculo recte cognoſcentur 168.c
Iudicium & iuſtitiã facere, quid 446.c
de Iudicio temerario 189. a.b
Iudicium prauum quæ cohibent ibid.a
Iudicare quid ibi.b
Iudicare, pro damnare ibidem
In iudicando charitatis regula obſeruanda 190.c
Iudicium charitatis quod ibid.d
Iudicium excõmunicationis 191.a
Iudicium hypocritarum noſtri ſeculi ib.b
Iudiciorum formæ ex lege Dei potiſſ. petẽdæ 630.d
Iudicium Dei ineffabile 314.c.315.b
Iudicium Chriſti, ad quod uenit in mundum 711.b.c
Iudicia dei iuſta, ſemperq; laudãda. 285.b
Iudices & principes unde Dij 717.a
Iudicij extremi dies omnibus incertus, & ſemper expectatus 465.a
Iudicium Dei horrendũ in Iudæos 26.d
Ius ciuile Moyſi non contemnẽdum 122.c 141.a
Iure agere an liceat Chriſtiano 146.d
In ſua cauſſa nemo Chriſtianus litigabit ibi. pro proximo ſecus ibidem
Iudicia qualia hodie uulgo 147.a
Iudicio accuſare peccantes in R.P. & Dei gloriã, Chriſtianus nõ grauabitur ib.
Iudicium adibunt Chriſtiani, etiã in propria cauſſa ibidem
Iudicia quæ damnarit Apoſtolus 147.b
Iudicum libri cenſura 31.b
Iugum Antichriſti & hodie malunt quàm Chriſti 20.c
Iugum Chriſti bonum & amabile 287.b
Iuramenta quæ ſeruanda, quæ nõ 330.d
Iuramentum non excuſat Herodis homicidium ibidem
Iuramentum Herodis & ſtultum & impium ibidem
Iuſiurandũ etiam hoſti ſeruandũ 332.c.d
Iuramenta falſa illicita 135.a
Non iurandum omnino ibidem
Iurandum pro gloria Dei ibid.b
Iuramentum Chriſti, & Pauli 136.c
de Iuramento, error Anabaptiſtarum impiſſimus ibidem
Iuramenta Deus præcepit ibid. & 137.a
Iuramenta quæ prohibita 136.d
Iuramentũ iure exigit Magiſtratus 137.a
Iurandum cum reuerentia Dei ibidem
Iurarunt & ſancti ſæpe ibid.b
Iuramentorum formulæ eccliticæ 349.a
Iuſti nunquam defuturi 275.a
Iuſti non erant uocandi 246.d
Iuſtus nemo in terra ibidem
Iuſti ueri per fidem iuſtificantur ibi.
Iuſtificatio fidei atribuitur 221.b
Iuſtificationis ordo 224.d.247.b
Iuſtificationis ordo in Zachæo 416.d
Iuſtificata eſt ſapientia &c. ibidem
Iuſtitia quid in ſcripturis 68.d
Iuſtitiam Dei ſtatuentes, ſuſpicioni legis deſtruendæ obnoxij 116.d
Iuſtitia phariſaica damnatur 423.b
Iuſtitiæ fucatæ ingenium 338.d
Iuſtitiæ Zelus, alius ſanctis, alius hypocritis 12.c
Iuſtitiæ humanæ ingenium, omnia præſe damnare 245.a.443.b
Iuſtitiæ humanæ æſtimatio 269 b
Iuſtitia duplex, uera & phariſaica 102.d
Iuſtitiæ eſuries quæ 104.d
Iuſtitia noſtra Chriſtus ibidem
Iuſti ueri neminem contemnunt 441.b
Iuſti, non egentes pœnitentia qui 382.c.d
Iuſtitia duplex, interna & externa 116.d
Iuſtum eſſe, & uitam Dei uiuere, idem ſunt 637.a
Iuſtitia humana quàm abominabilis coram Deo 648.d
Iuſtitia Dei per Chriſtum reuelata 650.d
Iuſtitia non ex lege 124.d
Iuſtitia à Chriſto petenda 125.a
Iuſtitia phariſaica quæ 128.c
Iuſtitiæ fucatæ ingenium 294.d
Iuſtus ex fide uiuit 220.d
Iuſtitiæ propriæ adoratio 54.d.113.b
Iuſtificare quid in ſcripturis 363.b.284.c
Iuſtificationis ordo 364.c
Iuſtificari ex dictis & operibus quomodo accipiendum 314.c
Iuſto non eſt lex poſita 124.c.126.d
contra legis cærimonias exigentes.

L

Laborandum fidelibus, citra ſolicitudinem 185.b.c
ad Laborẽ prima & generalis omnium uocatio 90.d
Laborarunt manu Chriſtus & Apoſtoli 244.d
Labor Apoſtolicus magnus 650.c
Laborem manuum declinantes, Dominũ tentant 80.d
Labor manuum cõmendatur 317.b.66.c
Laborantes & oneratos ad ſe Chriſtus uocat 286.d
Lacus Lucernen. hoſpite Dæmone agitatur 237.a
Laicorum ignorantiam & Phariſæi noſtri damnant 696.d
Lapides clamabũt, quo ſenſu dictũ 420.d
in Lapidẽ impingere, & à lapide impingi quid ibidem

Lapis angularis Christus 415.a
Latronis bona opera, & fides 661.b
Latroni paradisus promittitur 511.a
Latronũ spelunca è templo facta 411.c
Latrociniũ sub prætextu pietatis ibidem
Latrones monachi & sacrifici ibidem
Lauatio pedũ quid signif. 739.b.740.c
Lazarus quid significat 721.b
Lex & opera quõ prædicãda 94.c.d
Lex & Euangelion signis & prodigijs, orbi inuecta & commendata 95.a
Lex uitæ doctrina, non uerborũ 697.a
Lex Dei sabbathis prælegebatur 437.b
Lex Dei onus graue 584.d
Lex data per Mosen 584.c
Lex erudit, & condemnat ibid.d
Lex charitate moderatur, exemplo Iosephb 10.b 11.b
Lex pædagogia 283.a.299.a
Lex Dei dicitur tota scriptura 717.a
Lex & Prophetæ usq; ad Ioan. 630.d
Legem ignorantes maledicti 696.d
Lex quid potiß. requirat ibi. & 692.d
Lege & promißione scriptura cõstat 2.d
Legis onus importabile 113. b. 696.d
Legis opera hypocrisim pariunt ibid.
Legis quid abrogatum 734.a
Legem publicam Christus diligenter obseruat 212.d
Legem Dei quomodo irritã fecerint pharisæi 339.a
Legis destruendæ suspicio unde in Christum 116.d
Legis & prophetarũ summa 115.b
Legis & Prophetarum nomine, scriptura sacra intelligitur 194.d
Legis externa quatenus seruanda 213.b
Legis omnia, & suo tempore, utilia fuere 602.d
Leges Dei ciuiles potißimum sequendæ 630.d
Legiõ. nũc æque opus atq; olim 137.a
Legibus etiã destides urgendi 114.d
Legibus ciuilibus quomodo utantur pij 122.c.d
Leges Moysi ciuiles Magistratui Christiano etiam obseruandæ ibid. & 141.a
Lex quæ non soluitur 123.a
Lex Dei uarijs mandatis explicata ibi b
Sub lege quatenus nõ sint credẽtes 124. c
Lex iusto non est posita ibid. & 126 c.d
Lex non iustificat 124.d.125.a
Lex peccatũ auget, iram operatur. 124.d
Sine lege peccatum mortuum 125.a
Lex uirtus peccati ibidem
Lex occidit ibidem
Legem augere peccatum & iram, quare Paulus docuerit ibid.b
Legis usus quis 125.b.c
Lex propter trãsgressiones data ibi. 124.d
Lex quid requirit 126.c
Contra irreligiose de lege Moysi loquentes ibid.d
Legem quomodo Christus implet 114.a 123.a
Legem dissoluere, abrogare est, soluere, transgredi ibidem
Lex & à nobis implenda 117.b.123.a
de Legis abrogatione 118.d & sequ.
An lex Mosaica omnis abrogata ibidem
Lex mandatorum in decretis ibidem
De nomine legis, & quid lex 119.a
Legis nomine Prophetæ ibidem
Lex tria requirit ibid.b
Legum ciuilium usus 120.c
Legis nomine nõ continẽtur externa ibi. 127. c
Lex noua, & testamentum nouum promissa 120.c.d
Lex cognitionis Dei præcipua 121.b
Ex lege quid remissum 122.c
Leo rugiens, diabolus 77.b
Lepræ iudicium quid adumbret 212.c.d
Leprosum cur tetigerit Christus 210.d 215.a
Leprosi an publico excludendi 213.b
Leprosos publico semouere, charitatis est ibidem
An leproso ministrandum à coniuge & liberis 214. c
Leprosus coniugio ineptus ibid.d
Lepra raro curabilis ibidem
Lepra ab elephantiasi differt ibidem
De leprosorũ coniugio rescriptũ R. Pont. ordini charitatis aduersum 215.b
Leprosum Deus coniugio eximit 216.a
Ob nullum alium morbũ ita ut ob leprã proximus uitandus ibidem
Libertate Christiana quando utendum in rebus externis, quãdo nõ 379.380.d
Libertas spiritus quæ 704.c.d
Libertatem ueram ex operibus æstimandam ibidem
Libertas non cedenda, ut mali confirmentur 380.d
Libertas Christiana in traditionibus humanis 295.a
Libertas rerum externarum 338.d
Libertate sua Christus quõ usus 573.b
Liberum arbitrium quatenus homini 674.copiose
Liberum arb. quomodo sancti patres adserunt 677.a
Liberi arb. æstimatio 269.b
cõtra librũ arbitriũ 361.c.636.d.712.c
Libidinis fructus q. exẽplo Herod. 330.c.d
Libri Cic. & aliorum Ethnicorũ legend. 291.b
Linguarum mirabili mysterium 150.d
De limbo patrum, somnia Theolo. 512.c
De linguis & arte Chalcographica, oraphetiæ 725.a
Literis scripturæ solis inhærere, quanta impietas 81.a
Litera Iudæis uelata 706.c
Literæ studium præposterum 663.a
Litera sine spiritu, inutilis 21.a
Literarũ studium nõ contemnendũ 327.b
Locustarum usus in cibo 37.b
Loqui ad cor 36.c
Loqui non possunt mali nisi mala 513.b
Locutiones Christi figuratæ 136.d.139.b 155.b
Lot uxor respiciens, salutẽ amisit 469.a
Lucas quo cõsilio scripserit de ortu Christi 29.b
Lucas quid in genealogia Christi spectarit 6.c
Lucas cur Euagelion scripserit 529.b
Luctus & pœnitentiæ symbola ueterum 174.c
Lugentes qui 104.c
Lumbaris absconsio ad Euphratem imaginaria 79.a
Lunatici qui 96.c
Lunaticus & Dæmoniacus idem 369.a
Lunaticus idem Dæmoniacus 254.d
Lupi qui homines 267.a
Lutheri de usu & ui sacramentorum sententia 43.44.a
Lucem odisse quid 635.b
Lumen uitæ, spiritus Dei 700.d
Lumen mundi, Apostoli 111.a
Lux, fidem signat & pietatem ibidem
Lucerna accensa, iusti ibid.b.112.c.d
Lux mundi Christus 708.d.709.b
Lux pietatem signat in scripturis, & prosperitatem 183.a
Lucidi toti quomodo ibidem
Lux gentium Christus 113.a
Lux, spiritus, radij lucis, opera bona ibid. & de filijs lucis ibidem
De casu Luciferi nihil certi 255.b

M

Magdalenas tres fuisse ueri simile 479.b
Magister unus Christus 585.b
Magistrum non nisi Christum agnoscere, quàm necessarium 440.c
Magisterium cœleste 19.b
Magistrum solum Christum iactantes per stringuntur 630.d
Magistratus orbi necessarius 65.a.137.a
ad Magistratum religionis curam pertinere 428.d
Magistratus & principes Dij uocãtur ibi.
Magistratus pij officium 429.a.b
Magistratus pius seruit, non dominatur 413.b
Magistratus quanti Deo sint 724.c.d

Magistratum Christiani impijs hostibus non cedunt. 141.b
Magistrat. officiũ, imminẽte bello. 142.c.d subditorum item.
Magistratũ ambiens, indignus illo 145.b
Ad Magistratum quales assumendi 375.a
Magistratus particeps diuinitatis 717.b
Magistratus iuramentũ iure exigit 137.a
Magistratus est, iniuriam suorum uindicare 138.c
Magistratui parẽdũ exẽplo Christi 372.d
Magistratus omnis à Deo 374.c
Magistratui quæ cedenda, quæ nõ ib.c.d
Contra magistratum malum nihil tentandum, sed inuocãdus contra eum Deus ibidem d
Magistratus quid spectare debeat ibid.
Magistratu posse fingi Christianũ 697.a
Magistratus pius legẽ Moysi ciuilem non contemnat 122.c.d.141.a
Magnus in regno cœlorum 377.a
Maior sit minor, quomodo intelligendum 778. b
Magis stella in oriente tantũ uisa 22.d
Magi haud frustra quærunt de nato rege 23.a
Magi ex Persida, non Saba ibidem
Magi non fuerunt reges 18.d.28.d
Magi Persarum sacerdotes ibidem
Magorum fidei probatio 26.c.22.d
Magi quando uenerint Bethleem 28.d & sequen.
Magos clam uocat Tyrannus 22.c
Magorum fides, & cogitatio ibidem
Magi quanto temporis, spatio ex Persida Hierosolymam peruenerint 30.c
Magorum stella noua 19.b
Mahometica insania perstringitur 464.d
Maleficarũ ministerio utitur diabol. 235.a
Mali quomodo uitandi 551.b
Mali etiã signa faciũt, & prophetãt. 202.c
Malorum corporaliũ deprecatio 170.d
Malorum fructus ibidem
à Malo liberari, id est, diabo. 171.a. 494.c
dolendum si quis inter nos Malus 482.d
Mali offendicula sunt 322.d & sequ.
Mala oĩa Satanæ ministerio fieri 494.c
Mala uertit in bonum Christus, Satan in malum 630.c
Mali bonis numero longe plures 137.a
Mali natura omnes homines 194.c
Malum non ulciscendum 147.b
Malo non resistendum, quomodo intelligatur 139.a
Malo resistit Deus per magistratũ 141.a
Malos punire, opus charitatis 141.a
Malis semper boni admixti 323.b.325.b
Malum difficulter à bonis discerni 323.b
Mammon syriace diuitiæ 181.c
Mammon iniustum 558.a.b
Mammonæ cultores antecclesiastici ibi.c
Man non fuit uere panis cœlestis 671.a
Man, panis cœlorum, nubium, angelorum 617.a
Manna typus Christi 629.a
Mandata Dei, onera grauia 437.b.584.d
Mandata Dei omnibus affectibus carnis præponenda 549.a
Manere in Christo quid 752.c.758.d
Manuũ impositio in prima eccleſia 62.c
In manibus portare quid 80.c 113.b.596 d
Manſuetudo Christi insignis 245.b.303.b 304.c
Marcionis Christus phantasticus 79.a
Marcio. hereſiarchæ error 569.b.626.d
Mare Galileæ, lacus Genesar 87.b
Maria uocantur lacus & stagna ibidem
Mare Galilææ, Tiberiadis 88.c.667.a
Margaritum scripturarum, uenditis omnibus comparandum 89.b.325.a
Maria plorat apud sepulchrum 515.a
Maria dominum prohibita tangere ibi.b 516.c Cfus 515.b
Mariæ Magdalenæ primum apparuit Ie
Maria exemplum ardentis fidei 554.a
Mariam cœnobitæ nostri infœliciter imitantur ibidem
Maria desponſa, matrimonij sanctimoniã commendat 10.d
Mariæ cultores blaſphemi 534.c
Mariæ compaſsio quomodo ueneranda 547.a
Maria nostri cauſsa uirgo seruata 11.a.b
Mariæ genealogiam quare non ponat Matthæus 8.c
Maria cognata & sponſa Ioseph ibid.c
Maria cur desponſata 10.d
Mariæ modestia 11.b
Mariam, uirginem & matrem scriptura prædicat 15.b.c
de Mariæ filijs, impia curiositas ibidem
Mariæ cognitio quatenus neceſsaria 16.c
Maria quomodo ueneranda & prædicanda 317.a.b
Mariam nõ matrem, sed mulierem cur appellat Iesus ibid.b
Mariæ cultus præposterus notatur ibid.
Martha exemplum hospitalitatis 554.a
Martyres plures quare in nouo teſtamento, quàm olim 130.d
Matrimonij dignitas mira 399.a
Matrimonij sanctimoniam cõmendat Maria desponſata 10.d
Matrimonij & diuortij cauſsæ ad magiſtratum pertinent, non Eccleſiaſticos 392.d
de Matrimonio leges ciuiles dignæ reuocari ibidem
de Matrimonio contrahendo male præcipientes Romaniſtæ perſtringuntur 393.a.b
Matrimonia quæ inceſta & illicita 394.c
Matrimonium diſſoluentia 515.b.c
Matrimonium commune uiuendi genus 10.b.613.b
Matthæus quo conſilio ſcripſerit de infantia Chriſti 29.b
Matthæus notarius ſpiritus ſancti 8.b
Matthæi publicani uocatio ibid.244.c
Matth. quomodo reliquit omnia ibidem
Matthæus qua ratione ſuum Euangelion auſpicatus 4.c
Matthæus quoq; diuinitatem Chriſti expreſsit 4.d.6.c
Matthiæ electio religioſa 101.b
Media naturæ conſueta, haud negligẽda 22.d.27.a.80.c.d
Mediandi finis quando 322.d
Medici animarum, prædicatores Euangelij 265.b
Medicus uerus Chriſtus 95.b.246.c
Medicina non damnanda 249.b.c
Medici non præferendi Deo ibidem
Medicinæ commendatio ibidem
Medicus fuit Salomon ibidem
Melancholia opus diaboli 234.d
Melchiſedec typus Chriſti 617.b
Mendax cur omnis homo dicatur 695.a
Menſa Chriſti quæ 216.c
in Menſa Chriſti ſedere quid 789.a
Mens humana tenebre 576.c.577.a
Mente immerſa curis mundi, perit omnis cognitio ueritatis 182.d
Meritum omne Chriſti eſt 221.b
contra Merita humana 172.c
contra Meritum monachorũ &c. 400.d
Merita & interceſsiones ſanctorum uendere, qualis impoſtura 464.d
Meritis ſanctorum non fidendum 364.c
Meritum humanum inflat 384.c
Merita diuorum Chriſto propoſita 160.c
Meritis humanis peccatorũ expiationem tribuere, impietas immaniſs. 161.a
Meritis Chriſti nititur fides, nõ operibus bonis 472.c
Meritum hominis nullum 108.c
Merita ieiuniorum notantur 177.a
contra Meritum humanum 410.c.411.a
Merces in ſcriptura pro dono gratuito 108.c.d
Mercedis nomen quid Ebræis ibidem
Merces operis comes 155.b
Mercenarij qui 715.b
Mercenarij omnes hypocritæ 410.c
Mercedẽ Prophetæ accipere quid 257.b
Merces iuſtorum Chriſtus ibidem
Merces quid in ſcripturis 651.a
Meſchiah hebraice, Chriſtus græc. 606.d
Meſsis, multitudo populorum 255.a

Meßis Euangelica quid 649.b.c
In Messem suam operarios extrudere, patris est 255.a
Metempsychosin Iudæi crediderũt 329.a 709.b
Metreta quid 612.d
Milites Christiani esse possunt 65.a.227.a
Ministrorum Ecclesiæ autoritas 43.a b
Ministeriũ Ecclesiæ magnifaciendũ 212.d
Ministrorum tenuitas non cõtemnendam 68.d & sequ.
Ministri Ecclesiæ magna religione eligendi 101.b
Ministri Ecclesiæ, cooperarij Dei ibid.a
Ministros indignos Ecclesiæ præficientes taxantur ibid.b
Ministrorum Dei contemptus 630.d
Ministri uerbi non temere iudicandi contemnendiue 527.a.b
Ministrorum uerbi consolatio 344.c
Ministrorum Ecclesiæ ordo & gradus 253.a.b.366.c
Ministri Ecclesiæ publici constituendi 354.c
Miracula falsa quo abducant 613.b
de Miraculis sanctorum dilutio 505.b
Miracula, & externa omnia quid ualeãt sine spiritu Dei 350.c.347.a
Miracula faciunt etiam mali 202.c.d
Miraculorum frequẽtia unde initio legis & Euangelij ibidem
Miracula quare cessarint, ibid.d. & 291.d 62.d
Miracula non semper ornant Ecclesiam ibidem b.c
Miraculorum raritas haud arguit uerum Euangelium nondum exortum ibid.
Miraculorum quæ Ioannes narrat, ordo 720.d
Miraculorum uerorum usus & natura 653.a.613.b.232.d.244.c
Miraculis suis cur Deus adhibeat creaturas 708.d
In Miraculis edendis Christi uarietas ib.
Miracula pauca quare Ioan. Euangel. conscripserit 569.a
Miraculorum potestas Apostolis concessa 258.d
Miraculis lex & Euangelium orbi commendata 95.a
Miracula rarissima habuerũt Iudæi, post Mosen ibidem
Miracula quando cessarint in Eccles. ibi.
Miracula incassa, si non doceat spiritus sanctus ibid.b
Miracula initio Euangelij uice classici 211.a
Miracula fecerunt etiam mali ab initio 552.d 561.c
Miracula tanta cur Deus olim operatus
Miracula nõ ediderit Christ. tẽtatus 78.d
contra Miracula frustranea ibidem
Miracula Dei homines terrent 539.b
Miraculorũ uerorũ usus & natura 232.d 244.c.346.d.613.b.653.a.712.d
Mirac. manifestari noluit Christus 346.c
Miraculorum diuinorum ratio 22.d
Miscellanea scripserunt Euãgelistæ 188.d 294.c.692.c
Misericordes beati 106.c
Misericordia Dei in summis afflictionibus 7.b
Misericordia commendatur præ sacrificijs ieiunijs ac precibus 247.a.b
Misericordia quid Hebræis ibidem a
Misericordiæ uiscera 541.b
Misericordia præpostera dãnatur 140.d
Misericor. sacrificijs præfert Deus 295.a
Misericor. opera, thesaurus in cœlo 180.d
Misericordia Dei erga peccatores reuertentes 383.b.c.388.c.d
Misericordiã consequuntur misericordes ibid.
Misericordes pauci ibidem
Missæ & Canonis religio unde nata 75.b
Missæ inter bona opera primas tenuerũt 116.c
Missarum institutiones parui meriti 339.a
Missis quidam plus fidunt quam morti Christi ibidem b
Missæ pseudoprophet. impostura 464.d
Missa blasphemia, non sacrificium 595.a
Mysteria Dei ignorantes non statim abijciendi 636.c
Mysteria sacra occultabat uetus Ecclesia 526.c
Mystica facta cur sæpe à uiris Dei adhibita 633.a
Missus quis sit 639.a contra catabapt.
Nemo nisi diuinitus missus recte docebit 635.d
Mites qui 104.c
Monachi & sacrif. latrones quales 422.c
Monachi hypocritæ nostri seculi 247.b
Monachi uorant domus uiduarũ 442.c
Monachi aureolati 400.d
contra cœlibatũ Monasticũ ibi. & 410.d
Monachi hodierni dissimiles priscis cœnobitis 443.a
Monach. hypocr. sis & arrogantia 410.d
Monachi opera bona uendunt, quæ non habent 116.c
Monachi nequicq; Christũ sequũtur 91.b
Monachi nostri, & prisci cœnobitæ longe differunt ibidem
Monachorum esse, nõ Apostolorum, alijs cere propria & uti alienis 244.d
Monarchia nõ semper probatur 144.c.d
Monarchiæ status optimus, si quis Deo similis monarcha posset haberi ibid d
Monarcha unus Ecclesiæ Christus 354.c
Monendi peccatores libere 246.c.245.b
Monendi uera ratio, exemplo Ioannis baptist. In Montibus sæpe orauit Christus 646.c
Montes transferre quid 371.a
per Mosen lex data 584.c
Moysi & Christi collatio ibid & sequ.
Moysi ius simile pius magistratus ne contemnat 112.c.142.a
Moses scripsit de Christo 663.b.659.b
ex Mose cur Iudæi Christum non discunt 663.b.c
Moysi cathedra quæ 437.b
Moses qua ratione docuerit rudem populum 114.d
Mosis posteriora Dei uidit 585.a
Moysi lex an omnis abrogata 118.d & sequ. copiose.
Moses quomodo intelligendus 126.d
Mose nihil ad nos, dictum impium 127.a
Mors ianua uitæ beatæ 480.c
Mortis Christi fructus 590.c.d
Mortuorum suffragia uana 252.c
Mortuos quomodo lugebunt & sepelient Christiani ibidem
Mors somnus uocatur ibidem
Mortis dominus Christus ibi.d.253.a
Morbi insolentiores ferè dæmonia 234.d & sequent.
Mortuos luget dilectio Christiana 721.c
Mortui sancti cum Christo sunt & uiuunt 651.a
à Mortuis nihil quærendum 559.c
si quis à Mortuis rediret, cogitatio impia ibidem
Mortui quomodo lugendi 250.d & seq.
Mortis malum 251.a
Mortuos dolere non est peccatum ibid.b
Mortuos uiuificat Christus 657.b
Mortuorum status post hanc uitam 310.d & sequ. copiose ex August.
Mortuorum suffragia unde nata in Ecclesia 311.b.c
Mors quoramlibet somnus dicitur 721.b
Morbi ob peccata immittuntur 95.b.242.d
Mors fidelium quomodo cogitãda 671.b
Mors æterna incredulorũ 634.d & seq.
Mulierum officia erga Christũ 514.d
Mulierum sedulitas dum sepeliretur Dominus ibid. & 517.b
Mulieres Apostolæ ad Apostolos factæ 515.a
Mulieres tenent pedes Iesu 516.c
Mulierem cur matrẽ suã appellarit Christus 612.c
Multitudo non curanda 618.c
Mundum non posse capere libros factorũ Christi 788.d 765.b
Mundum arguetur de peccato & iustit. d
Mundus quæ noua beneficia à morte Christi acceperit 733.b
Mundus ut suos diligat 761.b
Mundi corde beati 106.c

Mundi quomodo purgentur 758.d
Mundus quid 579.a.671.a
Mundus cõtra eos concitatur, qui Euangelium uere amplectuntur 773.a
Mundus etiam in beneficos furit 656.d
Mundus, pro genere humano 274.c
Mundus dicitur desertum 333.b
Mundi gratiam amittunt sectatores Christi 415.d
Mundus q; intolerãs ueræ iustitiæ 710.c
Mundũ arguere peccati quid 690.d
Mundi opera mala sunt ibid.c.d.635.b
Munerum offerendorum ratio 18.c
Murmurasse quomodo dicantur discipuli 727.a

N

Nasci ex aqua quid 622.d
Natalem diem celebrare infaustum 330.d
Natiuitas duplex, carnalis & cœle. 579.a
Nathanaël uere Israëlita, scripturarũ studiosus 608.d & sequ.
Nathanaël cur non in numerum duodecim ascitus 611.a
Naturæ media consueta, haud negligenda 22.d.27.a.80.c.d
Naues Tharsis unde dictæ 18.d.& inde
Nazaræus dicitur Christus, quare 31.a
Nazaræus dictus Samson ibid.
Nazareth locus educationis ibid.b
Nazareth oppidulum obscurum ibidem
Nazarenorũ obstinata impietas 326.d 327.d
Nazaræorum religio 552.d
Negotiatores eiectos à Christo, magnum miraculum 421.b
Neemiæ ieiunium biduum 174.d
Neomeniæ translatio legitima & illegitima apud Iudæos 477.b.c
Nicodemi fides infirma fructific. 697.a
Noah typus Christi 627.b
Nobiles uere Christiani, opinione ignobiles 17.b.c
Nobilit. uera ex operib. æstimãda 704.c
Noctem, uesperam dici in scripturis 517.b
Noctis nomine quid 709.d
Nomina ex cuentu indi. 12.d
de nominibus rerũ Galeni dictũ 219.b
Nomine Christi prophetare, quid 201.b
per Nomen Dei, ipsum Deũ intellig. ibi.d
Nominũ immutatio perfacilis 19.a
Nomina pueris Christianorum medentur superstitiosa 539.a
Nominum propriorum mutatio quid significet 100.d
Nominũ hebraicorũ usus uarius 9.b.c
Nominum impositiones non temere fieri 721.b
per Noua & uetera, Euangelion & legem, male intelligi 326.c
Nihil temere innouandum 302.d
in Nube gloria Domini 367.a
Numeri duodenarij sacramentum 100.c
Numeri 40. mysterium 73.a
Nuptiæ cœlibatui præferẽdæ quib. 401.b
Nuptijs Christiano nunquam posse interdici 134.d
Nuptiæ secundæ quibus licitæ ibidem
Nuptijs interfuit Christus 612.d

O

Obedientia monastica contra Deũ 331.a.340.c (331.b
Oblationis spontaneæ ueterum
Obstinatio fructus incredulitatis 370.c
Obtrectatores maleuoli hypocr. 245.a
Oculus pro mente & intentione 182.d
Oculus malus quid 411.a.183.b
per Oculum abijciendum, quid intelligatur 133.b
Oculi discipulorum unde beati 321.a
Odium parentum, liberorum &c. quale 274.d
Odiũ quo Christiani laborãt, unde 269.b
Odium in prophetas & prædicatores unde 107.b.c
Odio fratris nihil pestilentius 152.c
Odisse inimicum nusquam Iudæis permissum 150.c
Offendere quid 377.b
Offensi in Christo qui 279.b.617.a
Offendiculũ res nocentißima 110.c
Offendicula mali sunt 322.d
Offendebãtur mali in Christo, nihil prorsus offendente 343.a
Oleum, spiritus sancti 8.d
per Oleum male intelliguntur bona opera 472.c
Oleum lætitiæ quid 607.a (421.a
in Oliueto noctu Christus orabat 699.b
Omnis, non semper distribuit totũ 578.d
Omnes, id est, plurimi 169.a
Onus peccati graue 286.d
Onus pro doctrina 287.a
Operum bonorum ratio 194.d
non Operibus sed meritis Christi fides nititur 472.c
Operibus ac dictis iustificari, quomodo accipiendum 314.c
qui sine bonis Operibus, neq; Christi est 199.b
Opera bona quæ 115.a.474.c
Opera bona faciunt, & non faciunt hypocrytæ 439.a
Opera quatenus exigenda 94.c
Operum fontem, fidem im primis curandum ibidem
ad Opera nostra quàm facilis à Christo lapsus ibid.d
Operũ bonorũ, fideiq; ratio 637.a.b
Operantes iniquitatem, quid 203.b.c
Operarius dignus cibo 261.a
Opera Ecclesiasticorũ repudiata 116.c
Opuscula humanis cœlum posse promereri, quanta cæcitas 342.c
de Operarijs, præpostere ad opera hortantibus 113.b
Operarij quomodo seducantur ibidem
Opera legis hypocrisim pariunt ibidem
Opera manuum nostrarũ, Idola ibidem
ad Opera quõ Christus prouocet 114.c
Opera qua ratione urgenda ibid.d
Opera bona quæ i scriptura 115.a.b.116.c
Opera bona Domini quæ 717.a
Opera testimonia sunt electionis & benedictionis patris 473.b
Operarij, messores, uiri apostolici 255.a
Opera nec iustificant nec dãnant 363.b
Opera bona à corde æstimanda 480.c
Operũ manuũ nostrarũ idololatria 350.d
Operibus bonis sedulo incũbendũ 364.c
Operibus alienis non fidendum ibidem
Opera mundi mala sunt 690.c.d.635.b
Opera uere bona, charitatis officia 155.a
Operũ testimon. Christianos declar. 279.a
Opera bona, fidei fructus 100.d
Operarij, Euangeliomastiges ibidem
Opera misericordiæ, diuitiæ cœlest. 180.d
Opera bona, bonum fundamentũ 181.a
Operari nos dicimur, quæ agit in nobis Deus ibidem b
ex Operibus non constare salutem ibid.
ad Opera bona conditi sumus ibidem
Orabat Dominus noctu in monte oliuarũ 699.b.421.a
Orandum ac uigilandum 468.d
Orandum sedulo, ardenter, & perseueranter 194.d
Orandum quid 194.c
Orandũ pro remissione peccatorũ 166.c
Orationis Christi explicatio 773.a
Orationes audiũtur à Deo, cum nobis prædem reiectæ uidentur 532.d
Oration. nõ potest ꝑcipere homo 245.d
de successu ad Orandum 335.a.b
Oratio inter præcipua relig. opera 156.c
Orationis uitia duo ibidem
in Oratione uitetur multiloquium ibid.
Orare in conclaui quid ibid.d
Orare in cõuentu Ecclesiæ mos haud nouus ibidem
Oratio quid ibidem & 157.b
Orat. locus idoneus, secessus 156.d & seq.
Orare sine mente, quantũ piaculũ 156.d
Orationi tempus aptũ, noctурnũ 157.a
Orationis dictator, ipse animus ibid.b
uerba quatenus ad Orationem ibidem
Orantes in publico uerba adhibent ibid.
Orationes publicæ & psalmi cur in Ecclesia 158.c
Oratio quomodo prouocanda ibidem

Orandi tempus locum & modum statue/ re necessarium, superstitio grauis ibi.
Orandum crebro, & cur ibid.d
Orationes propiæ dicuntur statæ preces ib.
Orandum cum abstinentia & ieiunijs ibi.
Orandi torpor malum præsagiũ 159.a
Oratio rara apud Christianos ibidem
Orationis nomina uaria ibidem
Orandus quis ibid.b
Orandum fide ibidem
Orandum pro fratribus ibidem
Orandi an sint Diui ibidem
Oratur pro defunctis sine fide 160.c
de Oratione 209.210
quomodo externa Oranda 209.a
Orationis autor spiritus ibid.b
Orantes pie quatuor habebunt 210.c
Orationis Dominicæ epilogus 171.a
Orationis Dominicæ expositio 167.c
in Oratione Domini non uerba, sed sensa spectanda ibidem
qua fiducia & fratrum dilectione Oran/ dum ibid.194.c
Orationis Dominicæ summa 163.a
quare Orandũ, ut Dei uoluntas fiat 164.d
Orationis uis 345.b
Orationes cœnobitarũ Pharisaicæ 218.c
Orare die & nocte, quomodo intelligen/ dum 547.b
Ordo charitatis 494.c
Ordo gestorum non obseruat se in Euan gelistis 133.a
Ordo Dei in electis suis 72.c
Ordo in reuelanda cognitione Dei 255.a. b.321.a
Ordo probationis diuinæ 636.c
Origeniani noui 715.a
Origenis allegoriæ obscuræ 619.a
Osanna quid significet 419.b
Ostẽdere, p dare usurpatur 660.d.717.a
Ostium ouium & pastorũ Christus 714.c
Ouibus similes Christiani 266.d
Oues quæ sunt, perire nequeunt 716.d
Oues, iusti 473.b
Ouile unum, ex Gentibus & Iudæis 715.a
Oues perditæ, electi ex Iudæis 259.a

P

PAleæ reprobi 64.d
Παλιγγενεσίαν Iudæi crediderunt 586.c.290.d.329.a.351.b
Panis uiuens quo pacto Christus dicatur 677. Item quomodo edatur 678.d
Panis quotidianus quid 195.b
Panis pro omni cibo 670.c
Panis angelorum dicitur Manna 671.a
Panis cœlestis qui 669.a
Papalis ordo perstringitur 203.a
Papæ adoratio 23.b
Paradoxis quare usus Christus 109.b
Paradoxa, beatitudinis Euãgelicæ 102.c
Paradisus quid 216.c
Paradisus latroni promittitur 511.a
Parabolæ quomodo accipiendæ 557.d
Parabolis cur Christus delectatus 650.d 700.d
Paracletus dicitur spiritus s. 63.a, 762.c
Paralytico sanitatem impetrauit fides a/ licna 241.a.b
Paralytici qui 96.c
Parare uiam Domini 57.a.588.c
Parati simus semper, ut hinc migremus 465.a
Parentes quatenus odio habendi 274.d
contra desertores suorum ibidem
Maiores ut beneficia, ita & mala acci piunt in minoribus 447.b
Parentum quando filij luant pœnã ibid.
Parentes honorare quid 338.d
Parentes quomodo deserendi præ con/ iuge 599.b
de Paschatis obseruatione 477.478
Pascha quãdo celebrauit Christus 477.a
a. Quando Iudæi ibidem b
Paschæ translatio illegitima 478.c
Passio Christi quomodo meditãda 495.b 513.a
Patiendum quid Christiano 106.c
Passionis suæ Christus cur toties admo/ nuerit discipulos 372.c
Pastor unus est Christ. nos eius serui 715 b
Pater per filiũ recte cognoscitur 701.a
Patris de filio testimonium triplex 662.d 658.d
Pater quomodo in terris non uocandus 440.d
Patrem appellare genitorem, peccatum Anabaptistis 440.d
Patrum desideriũ, noster torpor 321.a
Patris cognitionẽ solus filius donat 286.c
Patrum placita non cõtemnenda 253.b
Patrum fiducia stulta 59.a
Patrum exempla non semper suspicienda 649.a
Parentes Christi humiles 17.b
Patris & filij præcepta secum non pu/ gnant 136.d.138.c.141.a
Patrum desiderium de aduentu Christi in carnem 6.c
Patientia uera quæ 495.b
Patriarchæ Ecclesiarũ primi 559.a
Paulus nõ minor duodecim Apost. 407.b
Paulus fugit in persecutione 83.b
Pauli sancta astutia 267.b
Paulus cœlibem uitam duxit 400.c
Paulus Πολύς 25.a
Paulus quare Petrum arguerit 380.c
Paulus ut fratris mortem doluit 251.a
Paupertas Christi 229.b
Pauperes spiritu qui 105.a
Paupertas monastica pugnat cum Deo 540.c.531.a
Pauperes Christi parentes 17.
Pauperes alendi Christianis, & qui Eccle siæ ministrant 450.d.444.c
Pauperes quanti Domino 450.d
Paupertas Christi quõ imitanda 230.d
Paupertas cœnobitarum ibidem
Pauper. & minimi quãi Do. 473.b. 450.d
Pauperum delectus 155.b
Pauperes gazophilaciũ Christian. 450.d
Pauperibus subueniendum 148.c & quatenus omni petenti dandũ ibi.
Pax à solo Christo 522.c
Pax Dei qualis 287.a.755.a
Pacem reuerti quid 265.b
Pacis Euangelion adferentes persecutio manet 106.d
Pacifici qui, & quæ pax uera ibidem
Pacis legati Apostoli 107.a
Pacis umbella ibidem
Patrem in Christo sancti quomodo ha/ beant 768.d
Pax Christi non terrena 278.a
Pacem non esse impijs ibid.b.c
Peccatum ratio humana à pœna æstimat 554.d
Peccati mundum arguere quid 690.d
Vitia aliena insectari, suis neglectis ibid.
Peccata remittere, & uerbo restituere sa nitatem, perinde esse ibid.b
Peccata aliter remittit Christus, aliter sancti ibidem
Peccatori non desperandum 244.c
Peccatum in spiritum sanctum solum da/ mnat 510.c
Peccatorũ remissio an in futuro ibid.d
Peccatũ æternũ, ergo & pœna 513.a
ob Peccata morbos immitti 242.c
non Peccat Christianus, & tamen habet peccatum 200.c
Peccatores non contemnendi, exemplo Christi 67.a
Pecc. nostra, iusta Dei ultiõe puniri 168.d
in Peccatis cur moriantur, qui respuunt Christum 701.b
Peccata sentire, laborantiũ est 286.d
Peccati sensum amiserũt hypocritæ ibid.
nemo non Peccator 166.c.d
Peccatorũ satisfactio impossibilis 166.c
Peccatorũ condonatio ab uno Deo potest impetrari ibidem d
Peccata cõdonare, potestatis Eccle. 354.c
Peccata quõ Ecclesia remittat 621.b.c
Peccatiũ nõnunq; cedere in bonũ 630.c
Pec. respicienti cõgratulãtur ang. 385.a b
Peccatiũ electorũ, ex ignorantia 508.d
Peccatores, pro sceleratis 510.d
Peccatiũ in spiritum sanctũ 506. & sequ.
Peccatiũ in filiũ hominis 506.d
Peccatum ad mortem 307.b
Peccatorum occasio fugienda 133.b

Peccatū non naturæ, sed morbi est. 625.b
Peccata aliena hostes uident, ad sua cæci. 189.a.191.b
Peccatum pœnitenti remittitur. 388.c
Peccatores monēdi liberè 245.b.c.330.c
Peccatores quatenus uitandi. 245.b.c
cum peccatoribus congredi, per se nō malum ibidem
Peccatoribus quō conuiuendum 246.c
Peccatorum medicus Christus ibidem
Peccatores qui. 247.a
aliter peccant electi aliter reprobi. 222.d
Peccatum in electis unde ibidem
in Peccata fœdiora labi suos quare sinit deus. 648.d
Peccatores qui Euangelistis ibidem
Peccatores quomodo uitandi. 551.b
Peccata solus deus remittit 41.b.243.a
à Peccatis quomodo absoluant ministri, ibidem, & 43.b
Peccata quō tollit Christus, quomodo sancti 592.d. & seq.
de Peccatoribus non facile desperandū, pag. 384.d
Peccatores in genealogia Christi. 6.d
Peccatum nō impedit gratiā dei 7.a
ob Peccata morbi accidunt 655.b
Peccatores esse uitandos dominis non comendauit 774.d
Peccant non nisi uolentes 674.d
Pœna futuri seculi animorum est 265.a
Pœnarum beneficiorumq; Dei eadem ratio 443.c
Pœnitentia Euangelicæ prædicationis summa 259.b
Pœnitentia Euangelica & legalis 86.d
& sequentia
Pœnitentiæ fructus uitæ renouatio profert 280.c
Pœnitentiæ partes tres recentiorum 86.d
Pœnitentia iusti qui nō indigeant 382.c.d
Pœnitentibus congratulātur Angeli ibi.
Pœnitere quid 85.b.c
Pœnitentia legalis communis bonis & malis 87.a
Pœnitentiæ exemplum insigne zachæus pag. 416.d
Pœnitenti remittitur peccatum ibid.
Pœnitentiæ ueræ uis 551.c
Pœnitentiæ fructus. 58.d
Pœnitentiæ symbola ueterum. 174.c
Perfectio nostri summa quæ 220.d
Persa regio orientalis. 18.c.d
à Perside uenerunt Magi Ierusalē ibidē
Persæ uicini Sabæis 18.d
Perseuerantia sanctorū probatur 353.a
Pestes omnes opera satanæ. 237.a
Petri negationes quid moneant 498.d
Petri inconstantia quare saxi nomen meruerit. 601.c
Petri pusillanimitas. 336.c
Petrus & Ioan. inuisunt sepulchrū. 515.a
Petri nomen quare immutatum. 100.d
Petri confidentia. 779.a
Petri uotum stultum. 367.a
Petri negationes 782.c.783.a
Petri cognomentū à firmitate fidei 352.d
Petrus cæteris feruentior 351.b.493.b
Pharaonis induratio. 169.a
Pharisæi uiperarum genimina 447.a
Pharisæorum dolus 369.a.588.d
Pharisæi unde dicti. 588.c
Pharisæorū cæcitas & furor 711.b.306.d
Pharisæorū φιλαυτία insana 396.d
Pharisæi & Saducæi consentiunt contra Christum. 348.d
Pharis. quō irritā fecerūt legē dei. 339.a
Pharisæi hostes ueritatis præcipui. 696.d
Pharisæorū phylacteria, & ambitio 439.b
Pharisæi hostes Euangelij potiss. 645.a
Pharisæorum dolus 396.a
Pharisæi & publ. parab. explic. 441.a
Pharisæorum secta. 56.c
Pharisæorū rapina & intemper. 445.a
Pharisæi prisci, & nostri seculi 151.b
Pharisaica iustitia quæ. 128.c
Pharisæi unde dicti ibidem
Pharis. obscurius loquitur Christus 242.d
Pharisæi nostri peiores priscis ibi. & seq
Pharisaicam disciplinam Christus ubiq; accusat 116.d
Pharisæi peccarunt in spiritū s. 306.d
Philautiæ insania. 296.d
Philosophia externa non cōmendat apud deum 59.b.c
Philosophiam à Iudæis ad Gentes dimanasse 650.c
Philosophi etiā homines Euangelio præpararunt ibidem c.d
Pietas absoluta in sacris lit. tradita 340.c
Pietas nō sita in præceptis humanis ibi.d
Pietatis impietatisq; cadē sedes. 342.d
Pietas simplex. 26.c
Pietas in nouo testamento potiss. prædicanda. 438.c
Pietas cur tam multis inuisa. 267.b.c
Pietatis exemplū Centurio 217.a
Pietas solius dei donum ibidem
Pietas in electis tempestiue relucet 218.c
Pietas solida unde. 523.b
Pietatis contemptus errores parit fœdiss. pag. 329.a.b
Pietatis studijs perpetuo incumbendū 469
in Pietatis scientia unius Christi discipulos esse oportet 278.c
Pietas ex fide, non, non officijs metiēda, pag. 611.a
Pietatis tota ratio in duabus parabolis tradita 472.d
Pietatem solidam statuentes, suspicioni legis destruendæ obnoxij 116.d. & seq.
Pij semen solius Christi 322.d
Pij quanti Deo sint ibidem
Pij cur inuisi malis 269.b
Pij nisi alio à Deo uocentur laborent manibus 90.d
Pietatis seminar in electis 19.a
Pisces citius suppeditabunt quàm egeant Pij 374.c
Piscatio hominum Euangelij prædicatio 88.c. & 325.b
Piscandi studium, id est, lucrandi quàm plurimos commendatur 92.d
Piscatores hominū nō illico erāt Apostoli sed multa eruditione fecit Christus ibi.
Placere licet hominib. in bono 108.c
Plantare quid in scripturis 343.b
omnis Plantatio & cæt. nō de dogmatis, sed hominib. non plantatis ibidem
Poētæ etiam ueritatē tradiderunt 996.d
Pontificiæ leges cū lege Dei pugnāt 396
Pontifici Rom. quatenus obtemperandū pag. 725.a
Populi Dei ætas triplex 601.b
Populus diuersissima sequitur 423.a
Populus in ueritate nō perseuerat 507.a
Populus Israēl, typus Ecclesiæ 619.b
Porcos petiunt Dæmones 237.a
Porcos cur Christus perdiderit ibidem
Portæ inferi quæ 353.a
Portæ infero. nihil contra Ecclesiam & fidem ibidem
In portis olim iudicabatur ibid.b
Potestas spiritalis quæ 205.b
Potestas Apostolica hodie cara 206.c
Autoritas predicatorib. quàm necessaria & unde petenda ibidē
Potestas omnis obseruanda 374.c
Potestati quantū Christianus debeat 143a
Potestates à Deo ordinatæ, non potestas, contra Monarchias 144.c.d
Potestati inferiori, an liceat suos defendere contra superiorem, præsertim in causa religionis 143.144.
Potestatū discrimē notabile 134.d. & seq.
Potestates Ecclesiasticæ quæ sint 355.b.c
Potestas Ecclesiastica penes quem sit pag. 354.c
De potestate Rom. pontificis commenta pag. 355.a
Prædestinatio piorum prædicāda 672.c
Prædicatio Apostolorum 259.b
Prædicationis Euangelicæ summa ibid.
Prædicatores regni inepti, terrena spectantes 229.b Exemplo scribæ
Prædicatio Euangelij ad iustificationis ordinem pertinet 224.d

prædicatio Euãgelij quãti habẽda 125.b.c
prædicatio Euangelij capturæ piſcium aſſimilatur 88.c.325.b
Nemo prædicet niſi miſſus 255.b.254.c 250.d
prædicator quõ tẽperabit increpationes 57.b. cõtra quorundam procacitatem
prædicationis aſperitas quæ probanda 57.b
prædicatores mittere, Dei Patris eſt 255.a
prædicãdi officiũ cui ambiendũ. ibid.b.c
potentiori ſpiritu, is qui minus poteſt, cedet 256.d
prædicatores non temere mutent uocationes ibidem & ſequ.
prophetant etiam hypocritæ 255.b.202.c
Contra prædicatores intempeſtiuos, & non miſſos 211.b
prædicatores fidi ſint ac ſoduli 267.b
Cõtra ignauos cõcionatores ibid. & 269.a
prædicatores tentari quàm utile ſit 72.d
prædicatoris Euangelici munus, fidem & delectionem commendare 65.a
prædicatione regni cœlorum nihil præſtantius 85.b
prædicandum Euangeliõ bonis & malis 273.a
prædicatori non ſemper uagandum, contra Anabaptiſtas 240.c
prædicationis doctrina non exilio, ſed ſpiritu Chriſti probanda ibidem
Ad prædicandum dominus ſubinde ſeceſſit. 98.d
predicator fugiãt fauorẽ populárẽ 107.b
prædicatorũ uerbi ignauia taxatur 92.d
prædicatorum neceſsitas ibid. & ſequ.
prædicantibus deberi uictum 265.b
Nõ illico de fructu prædicationis deſperãdum 238.c
prædicantibus deberi uictum 265.b
prædicatores Euang. medici animarũ ib.
predican. Euangelion etiã reprobis 685.a
prædicatores Euãg. pauci & multi. 206.c
prædicatoribus quàm neceſsaria autoritas & unde petenda ibidem
prædicator, exemplo Moſi. beneficiorum dei admoneat rudiores 114.d
prædicatorum Euangelij officium 178.c
prædicatorum morbi, plebis item ibidem
prædicatorum culpa 179.b
præcepta Chriſti quædã tẽporaria 262.c
Canon certiſs. intelligendi præcepta, certis hominibus data ibid.d
præcepta Dei omnia ad nos aliquatenus pertinent 263.d
præcepta humana, diuinis ſemper pluris habentur 76.d
Cur inuitet magis quàm præcipiat Chriſtus 109.a
præceptis uarijs lex dei explicata 123.b
Præcepta minima quæ ibidem
præceptorum caput timor dei 405.b
præcep. ſeruaſſe ſe falſo putauit princeps ibidem b.c
præcepta Dei alia temporaria, alia perpetua 629.a. Et quõ tractãda ſint 630.d
præcepta in fronte ferunt Indi, Perſæ. Phariſæi 439.b
præcepta patris & filij ſecum non pugnant 136.d.138.c.141.a
præcepta ad quid homini data 676.c
præcepta dei quatenus facilia & difficilia 196.c.d
præcepta dei obliterata traditionibus hominum 340.c
Singula hominum mandata, ſingula dei cuertunt ibidem
præceptorum decalogi epilogus 385.a.b
præcepta dei difficilia 457.b
Cur deus hominibus præceperit impoſsibilia ibidem & ſequ.
Iubemur, quæ tamen non niſi Dei dono poſſumus facere 151.a.b
prælatis Eccleſiarum in primis uigilandum 470.c
præſentia nõ diligenda, exemplo uxoris Lot 469.a
Preſbiteri noſtri, & legis ſacerdotis differunt 212.d
primogenitus omnis creaturæ, Chriſtus 572.d
primogenitus eſt, antequam nullus alius 16.c
principis pij officium tempore belli 142.c d. uide bellum
principes cur potiſs. ſæuiant in Chriſtianos 267.b.c
principes & iudices unde Dij 717.a
principes dij dicti 428.d
principatus cupiditas homini innata. 439.b
probatica quid 654.d
probationis diuinæ ordo 636.c
prodigia à morte Chriſti 788.c
promiſsiones patrum plus in receſſu habent quam fronte 705.b.c
promiſsio Abrahæ facta de Chriſto, exponitur ibidem
promiſsio facta Abrahæ & Dauid de Chriſto 5.a.b
promiſsiones de Chriſto, Iud. uelatæ 5.a.b
promiſsiões aliæ Moyſi, aliæ Chriſti 120.d
promiſsiones Chriſti etiã tẽporariæ ibidẽ
promiſsio & Euangelion differunt 2.d
propheta minimus in regno Dei, maior Ioanne bapt. 251.b
propheta quis 649.a
prophetiæ de Chriſto, quõ accipiẽdæ 146
Propheta quis dicatur in ſcripturis 288.c
Prophetarum filij qui ibi. Prophetas Iudæi ſemper habuere, Prophetarũ genera, Prophetare ut uarie accipiatur, Prophetia, Prophetiæ pars, prædictio futurorum
Prophetas multos habuit Iſraël, & Eccleſia prima, Prophetæ munus præcipuũ, docere pietatem, Prophetæ quid differant à doctoribus, & Prophetia cur tam rara 288. & ſequentibus.
prophetare in nomine Chriſti, quid. 201. b
prophetia pro doctrina 202.c
prophetant etiam mali ibidem & 255.b
ppophetiæ de Chriſto & eccleſia quomodo tractandæ 630.c.d
propheta non petit niſi Ieruſalem 449.b
prophetia quando obſignata 459.b
prophetant & reprobi, ſed ignorantes 724.c. Exemplo Caiaphæ
prophetiæ de Chriſto, quomodo é ſcripturis eruendæ 587.b
propinquitatem ſanguinis nõ reſpicit Euangelium 690.d
prouidentia dei omnia diſpenſat 272.d
Nihil fit temere 294.c.296.d
proſeliti qui 442.d
proximus quid ſignificet 150.d
prox. diligere cur deo præceperit 151.a
proximos quàm uarie Deus nobis facit ibidem
proximi hoſtes quoq; uocantur ibid.a.b
proximi uocabulum, phariſæi priſci & recentes inuerterunt 151.b
De proximo diligendo, anabaptiſtarum cauillum 140.c
pro proximo arma ferenda ibidem.d
proximus ſecũdum Deũ diligendus ibidẽ
prudentia ſerpentina opus Chriſtianis 266.d. & ſequ.
prudentibus uerbi diſpenſatio committenda. 267.a
pſalmus 109. de Chriſto Dño & rege paraphraſticos explanatus 435.a,b
pſalmorum uſus 157.a
pſalmi cur in Eccleſia dicantur 158.c
pſalmi 88. locus, ſemel iuraui & c. de Chriſto ſonat 6.b
pſalmi 72. locus: Reges Tharſis excuſſus 18.d & inde
pſalmi 110. uerſus. 4. explicatur 164.d
pſeudochriſti qui. & quales ante excidium Iudæis uenerint 455.b.464.c
Alij pſeudochriſti, alij Antichriſti 464.c
pſeudoprophetas futuros prædicit Chriſtus 457.a
pſeudóproph. etiã futura prædicũt 259.b
pſeudoprophetæ qui 192.a
pſeudoproph. multi uigente ueritate ibid.
pſeudopropb. et nũij & magiſtri ſatanæ ibid.

publicani & meretrices præcedunt in regnum Dei, principes sacerdotũ 423.b
publicanus Matthæus, sit Euang. 3.b
publicanorũ benignitas imperfecta. 152.d
publicani & milites, possunt Christiani esse 65.a
publicani nomẽ cur passim infame ibi.b
publicani qui ibid.
pueri qua fide baptizentur 242.c
pueri baptismo in externam Ecclesiam recipiuntur ibidem
pueri unice obseruandi 382.d
pueri an baptisandi 47.48.49
pueri quanti Domino 377.b.382.d
pueri quomodo credunt in Christum ibi.
pueris in quo similes esse debemus, in quo dissimiles 578
pueri bonæ conditiones ibidem
pueri in Ecclesiam recipiendi 402.d.& inde 595.b.c
pueri ab Apostolis baptizati 595.b
Paruulorũ baptismi defensio. contra Anabaptistas ibi. copiose
puerorũ Christianorũ Deum etiam esse saluatorem 596.d
pueri Christo adducti 402.c
puerorũ quoque esse regnũ cœlorũ ibi.d
pueri quare in tempore hinc rapiantur. pag. 403.a
pueri per baptismum in Ecclesiam recipiendi ibid.b
puerilis ætas plures dat regni Dei ciues, quàm alia quæuis ibidem
pueri absque fide Deo placent 404.c.d
puluere, siue cinere, spargebantur pœnitentes 174.c
puluerem excutimus, nihil recipientes pag. 264.d
puritas summa quæ 210.d
purificationum usus 119.b
purificationũ ritus mystice. 630.d et seq.
purgatorij carceris commentũ refutatur pag. 532.c
purgatorij commentũ stupendũ 342.c
De purgatorio, & limbo patrum, somnia Theologorum 512.c
De purgatorio, & suffragijs mortuorum copiose 510.d.& sequ.
De purgatorio Augustinus incerta scripsit 512.d
purgatorij cõmenta fugiẽda 226.d
purgatorium nescit scriptura ibidem
purgatorium sacerdotibus lucrosum ibi.
purgatoriũ nõ probat locus. 1. Cor. 3. ibi.
posse esse statum post hanc uitam proficiendi ibidem. & 313.a

Quadragenarius numerus præparationis & expurgationis 73.b
Quadragesimale ieiuniũ in cõsulto præceptum ibidem
Quadragenariũ Christi ieiunium, exemplum haud imitabile 74.c
Quadragesimæ institutio superstitiosa pag. ibid.d
Quadragesimæ obseruatio ueterũ 75.a
Quadragesimæ religio quomodo irrepserit ibid.b
Quadragenarij ieiunij solutio lætifera pag. 76.c
Quadragesimæ obseruãtia, ut d ueterum consensu degenerarit 76.d. et sequ.
Quadrans quid 132.d
Qualis uir talis oratio 313.b
Quæstum in sacrificijs facere intolerabile Domino 421.b
Quæstiones curiosæ & impiæ 15. b.c
Querulatio, non præcatio fuit, quod orauit Domine, pater mi, &c. 494.d
Quæstum facere ex pietate. quàm inuisa res Deo 617.a

Rabbi quid Hebræis 605.b
Rachab cur in genealogia Christi memorata 6.d
Rachab hospita exploratorum officiosa pag. ibidem
Rachab fides eximia ibidem
Rachel pro Bethleem usurpatur 50.c
Rapina & intẽperantia pharisæorũ 445.a
Rationis humanæ æstimatio 271.b.269.b
Contra Rationis iudicium 562.c
Recõciliatio omnibus sacrificijs Deo gratior 131.a
De reconciliatione fraterna similitudo explicata ibidem b & sequenti
Redemptionis nostræ quæ ratio 11.d
Regnum cœlorum. populus Dei 118.c.d 251.b.353.b
Regnum Dei. doctrina & lex Dei 424.c
Regnum dei ad Gentes translatum ibidẽ
Regnum ecclesiæ. Christi 93.a.b
Regni cœlorũ prædicatione nihil præstãtius 55.b
Regni Dei. & mundi discrimen 102.d
Regnum cœlorum puerorum est 402.d
Regni cœlorũ capacitas in quo sita 403.a
Regnũ Dei nõ carnale, sed spirituale 465.b
Regnum Dei qui hodie sibi & alijs claudant 441.b
Regnandi libido Eccclesiasticorum perstrigitur 145.a.146.d
Regnum suum spirituale instituit Christus 138.d
Regnum Dei quando cum uirtute aduenit 364.d.& sequ.
Regnum Christi temporarium. & æternũ 522.d
Regnum Christi regno patris cedit ibidẽ
Regnum Christi idem quod sacerdotium eius 525.a
Regnum Dei quærere, quid 185.b
Regno Dei inceptus qui 131.a
Regnum Christi, quomodo regnum spiritus 605.a.b
Regnum dei uim patitur 630.d.282.c
Regnum cœlorum quid 35.a.163.b.c
De regno Christi uaticinium Esa. insigne ibidem
Regnum Christi quale 20.c.5.b
Regnum antichristi, & hodie regno Christi præsunt ibidem
Regnum Christi non nisi fide percipitur 694.c
Regnum cœlorum Ecclesia 594.c
Regnum Christi non est de hoc mundo 507.a
Regnum Dei in quo situm 620.
Regnũ Dei uidere, & ingredi ibid. & 622.d
Regnũ dei ut hereditas, nõ ut mercas dabitur electis. 473.a.
Regni Dei aduentus quid 482.c
Regnũ Dei quomodolibet promouentes. non prohibẽdi 553.a
Regni Christi specimen, ingressus eius in Ierusalem 417.a.419.a
Regnum Christi commendatur 419.b
Regnum christi spiritale 435.a
Regnãdi appetitio homini innata 439.b
Regem Iudæorũ se Christus insinuat 17.b
Regenerationis status qualis 406.d
Religionis negotium pertinere ad magistratum 428.d. & sequ.
Sub religionis prætextu sua quærere, quàm inuisa res deo 617.a
Religio hypocritarum præpostera 645.b
Religio præpostera notatur in sacerdotibus 503.b
Religiosa impietas 504.c
Religio uera à Iudæis orta 646.d
De Religione nihil temere iudicandũ 254.
Religionis externæ opera instant 247.a
Remittenda fratri noxa cito 132.c
Remittendum septuagies septies 388.c
Reproborum status post hanc uitam 226.c
Reproborum ingeniũ cum uerbo Dei tentantur 283
Reprobi omnes tandem in spiritum. S. peccant 307
Reprobi secum pugnant 308.c
Reprobi quatenus ueritatẽ agnoscunt ib.d
Reprobi soli peccant in spiritũ sanctũ ibi.
Reprobis omnia noxia 242.d
Repudium quare olim permissum 390.d
Repudiũ Magistratus admittere debet obduriciam cordis ibid,
Homo ne separet, nõ est contra Magistratũ dictum 391.a.b
Qui repudiatam duxerit, quomodo accipiendum ibidem.b
Repudiata uxor citra adulterium duci potest ibid.b.c

Repudium quale uetat Christus 215.b
de Repudio lex Theodosij & Valentiniani 395.b
Repudij causæ uariæ ibid.b.c
Repudianda quando adultera 397.b
de iure repudij siue diuortij 134.d
Repudium quãdo illicitũ Christiano ibi.
Requiem solus Christus præstat 287.b
Resipiscere quid 85.b.c
Respondere quid in sacris literis 614.d
Resurgent omnes uoce Christi 658.c
Resurrectio quõ Christus, & uita 722.c
Resurrectionis, & apparitionũ Domini historia ordinatur 514.& inde.
Comedit Dominus post resurrectionẽ 516.d.& 482.c
Resurgentẽ Magdalena prima uidit 515.b
Nesurrexit dominus cũ terræmotu 517.b
Resurrectionis primi præcones Ang. ibid.
Resurrectionis fides quã necessaria 518.c
à fide Resurrectionis nouitas uitæ ibi.d
Resurrectionẽ difficile credit homo ibid.
in Resur. ang. similitudo promittitur 432.d
Rete Euangelicum 88.c.325.b
Reuelationes diuinæ quibus, & quando exhibeantur 26.c
Romam Petri fidem habere, nõdum probatum 494.c
Romana sanctimonia perstringitur 450.6
Romani pontif. taxantur 355.& inde.
nihil ad Rom. pont. quæ data Petro 355.b
Romani pont. qui habendi 357.b
Rom. Episcopi prærogatiua ibid.a 358.d
Rom. pont non sunt propriæ claues 357.b
Romanæ ẽpostuæ perstringũtur 464.d
Rudiores ferendi 367.b.372.c
à Rudibus Christi, non requirenda illico summa 247.b.c
Rudiores in mysterijs fidei non statim abiiciendi 616.c.d
Ruth unde auia domini esse meruerit 6.d

Saba, fœlix Arabia est 18.c.515.a
Saba, Iudææ ad meridiem 18.c
Sabbatho licere benefacere 296.d
Sabbathum magnum 477.b
Sabb. uetus ad nos quoq; pertinet 265.a
quid spirituale in Sabbatho ibid.
Sabbathi religio 294.c
Sabbathum secundo primum quid ibid.
Sabb non quodlibet opus prohibitũ ibi.b
Sabbathi opus proprium 615.b.c
Sabb. legebatur in tẽplo scriptura 326.d
Sabbathorum obseruatio cur adeo seuere exacta 299.a
Sabbathum sanctificare quid ibid.b
Sabb. lex & Prophe. legebãtur ibi. 437.b
Sabbathum cuius figura ibidem
in præcepto Sabbathi quies domini cur memoraretur ibid.
Sabb. uiolati apologia Christi 692.d
Sabbathum à Iudæis uiolari ibidem
Sabbathi dominus filius hominis 295.a
Sabbathum propter hominem ibid.b
Sabbathi causæ multæ ibidem
Sabbthum cur & quando dominus sanctificauit 659.b
sabb. quõ sanctificetur, & uioletur 660.c
Sacculus quomodo tollendus 262.c
Saccus habitus luctuosus 174.c
Sacerdotes leges, & presbyteri hodierni differunt 212.d
Sacerdotes superstitiosi taxantur 503.b
Sacerdotiũ Christianorũ spirituale 450.d
Sacerd. unicus & perpetuus Christus ibi.
Sacerdotium Christi, idem quod regnum eius 323.a
Sacramenta Christianorũ duo 35.b.39.a 593.a.594.c
Quare à Deo instituta 40.c.d
Sacramentorum efficacia qualis ibid.d
de Sacramentorum ui & natura, recentiorum quorundã sententia 43.a
in Sacramentis quid conferat ministrorum opera 43.b.c
Sacramenta quomodo gratiæ Dei instrumenta 43.44.633.b.686.c
Sacram. ex se non conferre gratiã 485.b
in Sacramento Christus sumitur 486.d
Sacramentorum mysteria celabat profanos Ecclesia uetus 326.c
Sacrificium Christianorũ spirituale 450.d
in Sacrificijs quæstum facere, intolerabile domino 421.b
Sacrificia Iudæorum uaria, quorum nos admoneant 631.a
Sacrificijs reconciliatio fraterna præferenda 131.a
Sacrificium Christianorum ibidem
Saducæi ignorant scripturam & uirtutem Dei 432.c
Saducæi unde dicti 128.d
Saducæorum secta 56.c
Sal est bonum 557.b
Salis similitudo explicata 109.b.c
Sal in sacrificijs, mystice 110.d
Sal terræ, Apost. 109.b.c. Et oẽs fid. 110.d
Salom. typus Christi 609.b.628.d.630.c
Salomonis iudicium de meretricibus allegoricũs 628.d
Saltationis fructus qui 530.d
Saluari uult cũctos deus, exponitur 169.a
Salutatio interdicitur hyperbolicũs 264.c
Salus non annuntiatur, nisi ad hoc ordinatis 259.a
Salus unde speranda 435.b
Salus ex Dei electione &c. 259.b
Salus ex Iudæis 646.d
Salus per fidem constat nõ operib. 181.b
Salus omnis in uno Christo 279.a
Samar. cur nõ receperint Christũ 553.b.c
inter Iudæ. & Samar. unde diſsidiũ 645.b
Samaritani Gentes erant 258.d
Samar. & Sichimitæ dicebãtur 644.c
Samar. transgressor dicitur ibidem
Sancti quare flagellantur à Do. 228.c
Sancti cum Christo sunt & uiuunt 651.a
Sancti ueri auidissime solent sibi inuicem coniungi 536.d
Sancti imitandi 161.b
Sancti quare tentãtur à Domino 231.b.c
Sancti quæ uiderint in promissionibus sibi factis 705.b.c
Sanctificationis symbolũ bapt. 42.c.66.d
Sanctitas alia externa, alia interna 246.d
inter Sanctos uteris testamenti, & noui. quid interſit 590.d.593.a.b
Sanctos, qui hinc discesserũt, uiuere 706.d
Sanctorũ gaudiũ & zelus Christus ibid.
Sanctorũ cultus præposterus 645.b.c
Sancti imitandi ibid.c
Sanctorũ status post hanc uitam 226.c
Sanctorum intercessionem non probat locus de muliere Chananæa 345.a
Sanct. intercessiones uendere, qualis impostura 464.d
Sanct. ac patrũ fiducia stulta 59.a.b.60.c
Sanctorũ meritis non fidendũ 364.c
Sanctorum ueneratio uana 24.c.115.b
Sanct. imagines adorare ethnicũ ibid.d
Sanctum quid 193.a
Sanguis Zachariæ iusti 448.c
Sanguis iustorum quomodo requiratur à posteris 447.a.b
Sanguis Christi super Iudæos 507.b
Sanguis & aqua de latere Christi quid adumbret 512.d
Sapientia Dei, Christus 573.c
Sapientia sapientum quõ perijt 541.b.c
Sapientiæ humanæ æstimatio 271.b.269.b
Sapientiæ Dei contemptores in absurdos errores prolabuntur 445.a
Saræ nomen quare immutatum 100.d
Saræ allegoria 628.c
Satan quare tentator appellatur 77.a
Satan fidem potissimum petit ibid. 94.d
Satan, Leo rugiens 77.b
Satan quid 254.c
Satan quo rapiat 576.d
Satan princeps mundi esse conatur 506.c
Satan dicitur diabolus 72.d
Satan bona in malũ uertit 630.c
Satan hostis Christi irreconciliabilis 269.a
Satan quomodo Petrus dicatur 361.b.c
Satan tortor 170.d
Satanæ inimici uirtus 235.b.& ante
Satanæ graues tentationes 167.b
Satanæ in homines potestas, à peccato est 95.b
Satanæ pollicitationes impiæ 82.c
Satanæ conatus circa opera bona 115.a
Satanas expetiuit Apostolos 494.c
Satanæ ministerio mala oĩa fieri ibid.
Satanæ tradere, qualis Ecclesiæ potestas 353.b.c

Satisfactio pro peccatis Christus 256.d
Satisfactiõe Christi nemo nõ idiget 637.b
Satum quid 324.d
Saul inter Prophetas 288.c.d
Saulis dementia 20.d
Scandali nomina 378.c
Scandalizare, & scandalum quid 133.b.c 378.b.343.a
Scandala malis sunt, Christus & omnia bona 378.b
Scandala necessario ueniunt 379.a
Scandalorum plenus orbis ibidem
Scandala diligenter uitanda ibidem
Scandalon duplex ibidem b
contra quæ Scandala Paulus Roman. 14. & 1.Cor.8. ibidem
Scandali rationem docet uocatio Zachæi 417.a
Scandala quæ nobis negligenda 344.c
Scandalũ q̃ anxie uitarit Christus 298.c
Scandalum Apostolorum 77.a
Scandalum deficientium fratrum prædicitur 456.d
Scenopeia quid 689.b
Scientia salutis 541.b
Scientiam inflare 696.d
Scientiæ solis electis cõmunicetur 320 d
Scriba doctus ad regnum 315.b.c
Scribæ qui apud Iudæos 128.c.326.d
Scribæ clauem scientiæ abstulerãt ibid.
Scriba terrena spectabat 229.b
Scribæ inflati maledictos uocant indoctos 696.d
Scriptura, lex Dei dicitur 717.a
Scriptura sa. non diuexanda 398.d
Scriptura secum nõ pugnat 136.c.138.d
Scriptura sa. obuelata Iudæis 5.b.c
Scriptura in legem & Euangelion diuiditur 2.d
Scriptura sa. legis & Prophetarum nomine intelligitur 194.d
Scripturæ datæ solis pijs in salutẽ 168.c
Scripturæ scientiam ignauis haud donat miraculose Deus 80.d & sequ.
Scripturæ scientiam sperare sine summo studio, tentare Dominũ est ibidem
Scriptu. elementis solis nõ hærendũ 31.a
Script. de Christo q̃ pie tractãdæ 520.d
Scripturæ non intelliguntur sine mente Christi 519.520.
Scriptura habet historias, uaticinia, præcepta 619. a
Script. quid potiß. doceant 632.c
ad Scripturas remittit Christus 425.a
Script. utilitas, exẽplo Nathanaëlis 610.d
Scripturam siue prophetiam impleri, intelligimus bifariam 27.a.84.d
Scripturæ sacræ honos 203.a
Script. sa. figuræ & tropi obseruãdi 136.d
Script. lectioni usq̃ incumbendũ 89.b.c
Script. impletio, pro allusione 84.d
Script. sabbatho legebatur in tẽplo 526.d
in Scripturis citandis mos Apost. 21.b
Scriptura genealogias per uiros tantum recenset 8. c
Scripturæ scopus quis 195.a
Script. quõ de Christo testificetur 662.d
Sedere ad dextrã patris qd 500.c.522.d
Sedere à dextris Christi & similibus, quid & quibus datum 412.d
Seditiones, mera latrocinia 374.c
Seduci non possunt electi 463.a
Semen Christi, q̃ sunt 322.d
Semen Dei ubi ubi fuerit, tandẽ fructificat 697.a
per Semen quid in scripturis 519.a
in Semine tuo benedicentur, uni Christo competere ibid.a.b
contra Sepulchrorum immodicas impensiones 252.c (512.d
Sepulchra Christianorũ honesta sint ibi.
Sepulturæ Christi pretiosa 512.d
Sepeliendi mos Iudæ. ibi. & 480.d.728.c
ad Sepulchrũ Christi quæ mulieres & quando uenerint 514.c
Et earum sedulitas ibid.d
Sepulchrum Domini inuisunt Petrus & Ioan. 515.a
Sepulchris similes 446.c
Sequenti Christũ quõ oĩa deserẽda 91.a
Sequũtur Christũ cœnobitæ neq̃ cæ 181.b
Sequi Christũ, quàm salutare 96.c
Sequi Christum, res ardua 110.c
Sequi Christum quid 230.d.243.c
Secuti Dominum uarij, & uarijs de causis 669.b
Sequentib. Christum nihil de fore 333.b. 334.d.346.d.667.b
Sectatores Christi consolantur 362.d
Serpentis astutia 266.d
Serpentis ænei allegoria explicata 632.d
Seruus Dei quilibet est, ut cõmodet alijs 469.b
Serui Dei, typi Christi 619.b
Serui quomodo tractandi, exemplo Centurionis 217.b
Serui sumus inutiles 560.a
Seruitus peccati 704.c
Seruire quid 183.b
Seueritas Christi in corripiendo 315.b
Sibyllarũ uaticinia de Christo 706.c
Siclus quid 373.a
Sichĩa alias Sichẽ dicta, & Sychar 643.b
Sichinitæ ijdem qui samaritani 644.c
Sidoni cur non prædicatum 284.c
Sidus gladio simile 455.b
Signum regni Dei Christus 546.d
Signum Achar fusius enarratũ 13.b.14.
Signũ Ionæ, signum resurrectionis 514.d 615.a.b
Signum Achar petere noluit præ incredulitate 13.b
Signum filij hominis in cœlo 466.d
Signa Christianorum pauca 647.a
Signa à Deo petierunt etiã sancti 347.d
quid tentare signũ petendo ibidem
Signa magna de cœlo 455.b
Signa sacramẽtalia non esse inania 43.b
Signa cur Deus sanctis dederit sensibilia 40.c.d
Signa Christi nõ oĩa literis mãdata 618.c
Signis sæpe adscribi, qd signati est 42.c
Simon magis pseudopropheta 454.d
Simon Cyrenensis 709.a
Siloam siue Schiloah quid 709.a
Simplex semper est pietas 26.c
Sinapis, Euangelij prædicatio 324.c
Sinapis fides 271.a
Sobrietas apud Christianos perpetua, ieiunia non item 179.a
Sodomis quare non prædicatũ 284.c
Sodomis deteriores, qui Euangelium audierunt, nec respiscunt ibid.d
Sodomorũ exẽplũ quõ accipiendũ 265.a
Sol iustitiæ, Christus 113.a
Sol typus Christi 617.a
Solicitudo quid 184.d
præ Solicitudine fides in Deũ cadit ibid.
Solicitudo non quæuis, sed diffidens prohibita 268
Solicitudinis natura 185.a
Somnus mors quorumlibet 721.b
Somniorum diuinorum uis 15.b
Spiritus s. noĩa 61. & inde 591.b.595.a
Spiritus s. cur aqua 61.42.d
Spiritus s. quomodo ignis 62.c
Spiritus s. mißio duplex ibidem
Spiritus s. quare uocetur spiritus ibid.d
Spiritus sanctus unctio ibidem
Spiritus s. paraletus 63.a. Digitus Dei ib.
Spiritus sanctus quid operetur ibid.b
Spiritus sancti uaria dona ibid.
Spiritus sanctus Deus ibidem
Spiritus s. à patre & filio procedit 64.c
Spiritus sanctus in specie columbæ cur
Spiritus quid 742.d (uisus 70.d
Spiritus s. magisterijs in credẽtibus 124.c
Spiritus Domini unde detur 716.d
Spiritus timoris in ueteri testamento, adoptionis in nouo 593.a
Spiritus filiorum hic imperfectus ibid.b
Spiritus quid doceat & suggerat 752.d
Spiritus Christi salutem hominum quærit 553.c
Spiritus sanctus quid 591.b
Spiritu baptizari quid ibid.b.c
Spiritus s. oleum & unguentum 8.d
Spiritus timoris, & libertatis 583.b.c
Spiritus sancti descẽsus in baptismo Christi, quid admoneat 69.a

Spiritus ſanctus quomodo dicatur aqua uiua 644.c.d
Spiritus ubi uult ſpirat, uarie exponitur
Spiritalis hominis natura ibid. (625.a
Spiritu Dei fideles aguntur, non ſuo arbitrio 72.c
Spiritu colendus Deus 647.a
Spir.nō litera cōuincēdi increduli 289.a
Spiritū Deus non dat ad menſurā 639.b
Spiritui ſancto conuiciari quid 506.d
in Spir.ſ.oēs reprobi tandē peccāt 307.b
Spirium Chriſti habuerunt etiam ſancti ueteres 55.b.696.c
Spirital.beneficia caro nō agnoſcit 95.b
Spir.tanq; corporalia deſcribūtur 559.b
Spiritalib.mandata Dei facilia 196.d
Spinæ in finibus Phariſæorum 459.b
Spolium diaboli per Chriſtū recuperatū
Stella magis noua condita 19.b (304.d
Stella Magis in oriente tantū uiſa 22.d
Stolati obambulare ſoliti Phariſæi 459.b
Studiū literarū haud negligendū 691.a
Sudor Chriſti ſanguineus 495.a
Supplicium malorum æternum,ut regnū beatorum 474.c
Supplicationes indicere, magiſtri eſſe diuinioris 176.d
Supplicationis,& ieiunij ueri quis modus 179.b
Supplicationes feriæ eccleſiæ ſuperioris, qua ratione ſuſceptæ 175.b
Superſtitiões uulgi in cærimonijs 43.a.b
Symeon iuſt.Chriſtum annuntiat,perturbatis alijs 20.c
Symbola externa ſine ſp.dei uana 621.a b
Symbolis tribuuntur,quæ per illa ſignificantur ibid.b
Symbola cur à Chriſto data 594.c
Synecdoche frequēs in ſcripturis 479.a 457.b.480.c.489.b.20.d
Synodorū erat leges cōdere Eccle. 359.a
Syriaca lingua uſi Hebræi 129.b

TAnq;,non ſemper ſimilitud.495.a
Talentorum parabola docet beneficentiā erga proximū 472.c
Tecta plana in Iudæa 461.b.123.b
Telones Matthæus 3.b
Tempeſtates opera ſatanæ 372.a
Temperātia apud Chriſtianos perpetua, ieiunia non item 179.a
Tēpla noſtra īpijs lucris pfituta 421.b.c
Templum domus negotiationis ibidem
Templum carnale erexerunt ſacerdotes carnales 450.d
Tēpli ſubſtructiones oſtendūtur Do.452.d
Templorū ſtructura parui meriti 339.a
Templū quō ſanctificat aurum 443.a
in Templo habitabat olim Deus, quia ibi coli uolebat 443.b
Templum Salomonis nihil ad noſtra delubra ibidem
Templum,corpus Chriſti 615.a
Templum quomodo ædificatum XLIX. annis,& XLVI.concordatur 615.b
Temporalia à Deo orare, non indignum 165.a
Tenebræ in paßione Chriſti quid ſignēt 511.a
Tenebræ omnia ſine Euangelio 85.a
Tenebræ quid 635.a.b
Tenebris lucem præferre ibidem
Tenebræ externæ hic incipiunt 226.c
Teneb.meræ,hominū mētes 576.c.577.a
Tenebræ dicuntur affectus humani 183.a
Tentat ſuos Dominus 231.b.c
Tentationis natura graphice depicta ib.
Tentare Dominū quid 50.c.d.347.d
Tentant Dominum, qui manuū laborem declinant ibid.d
Tentant Dominum, qui ſine ſummo ſtudio,ſcripturæ ſcientiam ſperant ibid.
Tentant Dominum,cœlibatum inconſulto deligentes 81.a
Tentari ſuos cur permittat Deus 336.d
Tentatio quæ deprecanda,quæ nō 169.b 167.a
Tentatio utilis ibid.& 72.d.77.a b
Tentatio credentib.nō timēda 169.b
Tentatio duplex 166.d
Tentat ſuos uarie Deus 167.a
in Tentationē Deus inducit ibid.b.& ſeq.
Tentationes ſatanæ graues ibid.
Tentatio Chriſti in deſerto peracta non Ieroſolymis 79.a
Tentatio Chriſti imaginaria ibid. 81.b
Tentatio quid 77.a
Tentator ſatan cur appellatur ibidem
Tentationes Chriſti quomodo accipiendæ 77.a.b
Tentati fide Moyſes,Aaron.Adam ibid.
contra Tentationem de uitā 78.c
Tentatio timenda quæ 170.c
Tentationis autor Deus ibidem
Tentator ſatan dicitur ibidem d
Tentatio parentum Ieſu 27.a
Tentationum ratio, & quibus fides probatur 250.d
Terra noua, quomodo accipienda, apud Eſa. 118.c
Terrenis corde addici,ſummū malū 132.c
ad Terrena non reſpiciendum exemplo uxoris Lot 469.a
Terram poßidebunt lugentes 104.c
Terræmotus in paßione Chriſti 512.c
Terrena ſpectantes,inepti comites Chriſti 229.b (129.c.d
Teſtamentū nouū, & lex noua promiſſa inter Teſtam.uetus & nouū diſcrimē ib.d
Teſtamenti utriuſq; collatio apud Apoſtolum quomodo accipienda 121.b
Teſtamentum nouū, gratiam Dei potiß. cōmendat 438.c
Teſtimonium immundorū hominū Deo inuiſum 256.c
Teſtimonium pro lege 213.a
Teſtim. & lex pro eodem 458.c
Teſtim.de Chriſto uaria 658.d.662.d
Tetragrāmaton nomē quid ſignif. 573.b
Tharſis regio,Cilicia eſt 18.d & inde
Tharſis naues unde dictæ ibid.
Tharſus Ciliciæ metropolis ibidem
Theologia uera quid 549.a.b
Theudas inter pſeudochriſtos 454.c
Theuſaurum recondere in terra, aut cœlo,quid 180.c
Theſaurus in cœlo,opera miſeric. ibid.d
Timorē Dei lex potiß.requirit 696.d
Timidi infideles 19.b
Titi circunciſio 580.d
Tolerantia Apoſt.neceſſaria 138.d & ſeq.
Tolerantia animi præcipitur 139.b
Tophet geenna 119.b.c
Tractus patris qualis 670.d.673.b.c
Trahit ſua quenq; uoluptas 678.b
Traditionib.hoīm colentib. ſe fecit Deus ſtupenda,immißis palpabilibus tenebris 341.b.c
Traditionum humanarum Dominus eſt fidelis 295.a
Traditiones Phariſaicæ quomodo legem Dei irritam fecerint 339.a
Traditionū humanarū uanitas ibidem
Traditiones humanæ quæ ibid.b
Tradition.ho.quædā diuinæ ſunt ibid.
Traditiones ho.quō cū pietate pugnēt ib.
Traditionū humanū autor ſatanas ibid.
Traditiones diui Pauli nō ſunt præcepta hominum ibidem d
Traditionum humanarū fructus ibid.
Traditionum huma.patroni ueritatis hoſtes nocentiſſimi ibid.b
Traditionib.ho.fruſtra colitur Deus ib.b
Trāsfiguratio Chriſti qualis fuerit 366.c
Tropi in literis Euangelicis 65.a.269.a
Tuba qua electi conuocabuntur 466.d
Typorum explicandorum ratio 615.b.c 627.& ſequ.copioſe
in Typis exponēdis Apoſt.imitandi 619.a
in Typis non omnia Chriſto competere, & Eccleſiæ ibidem b.c
Typis perparce uſi Prophe.& Apoſt.631.b
Typicos intellect.Euāg. literæ doc.632.c

V

VAcca rufa in ſacrificijs quid adumbrat 631.a
Velamen,Iud.cordib. inducī.6.c
Velum Iudæorum 706.c
Venire ad Chriſtum quid 671.b
Venter,animæ nomine ſignificatur 185.a
Ventilabrū uerbi Dei 64.d
Verbo Dei creditur ſolo ſpiritu 663.b
Verbum Dei Gentibus miſſum 424.d

Verbi dispensatio prudentibus committenda 267.a
Verbum prædicatur alijs in salutem, alijs in perniciem 167.b.c
Verbo Dei quomodo mali inducãtur ibi.
Verbum Dei non illico plene intelligitur 337.c.d
Verbũ Dei non frustra prædicatur, si etiã non intelligantur illico omnia ibid.
Verbo Dei carere miserrimum 255.a
Verbi contemptorũ pœna 264.d.266.c 417.a
Verbũ uere caro factũ 625.b.c.579.b.c
Quod omnia aliquo modo uerbum per quod condita sunt, referunt 627.a
De uerbi Dei pretio 192.d & sequ.
Verbum Dei non prophanandum 192.d
Verbum ad contestationem coram obstinatis etiam promendum ibidem
Verbum quomodo prædicandum 193.a
Verbum otiosum iudicatur 313.b.c
Verbi Dei contemptus, errores parit fœdiss. 327.a
Verbo Dei alimur 346.d
Verbi Dei digne prædicatiuis 647.a 703.b.208.c
Verbum pro re gesta 574.c
Verbum Dei quanta synceritate tractandum 529.b.c
Verbum inter quos habitauit 582.c
Verbi gloriã qui ad salutẽ uiderit ib.d
Verbum Dei audiunt & faciunt Christiani ueri 205.a
Verbi externe prædicati uis & natura 43.44.
Verbum Dei audire, est uoluntatem patris facere 517.a
Verbum Dei enecat auaritia 321.b
Verbum Dei non possunt audire reprobi 706.d
Verbũ cur Christus appellatur 572.d
Verbum, & spiritus oris Dei, idem ibid.
Verbum cur apud Deum 571.b
Verbum illuminat omnem hominẽ, quomodo accipiẽdũ, cõtra Anabap 575.d
Verbum Dei factum ad aliquem, quid sit 717.b
Verbũ uitæ quibus cõmunicetur 320.d
Verbo Dei reprobi magis excæcãtur ib.
in Verbo suo coli ualt Deus 24.c
Verbi ministrorum contemptus quid pariat 206.c.d
Verbo Dei indigni qui 32.c
à Verbo Dei cur & hodie multi reijciantur ibidem
Verbi prædicatio in aduersis potissimum locum habet 34.d
Verax Deus 639.b
Veracẽ esse Deum, quid sit 674.d.703.b
Veritas certa ratione & ordine reuelatur 253.a.b.321.a.366.c
Ver. nõ celãda bonis propter mal. 590.c
Veritas etiã reprobis prædicanda 322.d 589.a.683.a
Veritas annuntiata non temere reijicienda, etiamsi prima facie pugnare uideatur cum scriptura 610.d
Veritas in scripturis quid 219.a
Veritas & misericordia siue bonitas, coniungi solent ibidem
Veritas hostes qui potiss. 695.b.696.d
Veritatis ingente, multi pseudopro. 197.a
Veritas, quæ significet 581.a
Verit. agnoscere, donũ spirit. Dei 617.a
Veritas quomodo nos liberet 703.b
Ver. oppugnãt electi ex ignorãtia 308.d
Veritatis comes crux 309.a
Veritati unde accedant carnales, & ab ea recedant ibidem
Veritatem cognitã blasphemare, peccatũ in spiritum sanctum 307.a.712.c
Veritatis calũniatores relinquẽdi 344.c
Veritatis hostium dementia 718.c.723.b
Veritatem cognoscere qui possunt 691.b
Veritatem etiam à philosophis & pœtis traditam 650.d
Veritatis hostes manifestum iudicium fugiunt 506.d
Veritatis adsertores læsæ maiestatis accusantur omnes ibidem
Veritas non à loci splendore metienda, uel personæ 450.c
Ver. hostiũ falsus prætextus 724.c
qui ex Veritate est, audit Christũ 570.a
in Veritate non perseuerat populus ibid.
Ver. Dei repuentes, mẽdac. credẽt 453.b
Veritati nunquã decerãt hostes 569.b
Vespera dicitur nox 517.b
Vestium scissio in luctu 174.c
Vestis nuptialis, fidei synceritas 417.a
Veterũ exempla quatenus imitãda 599.b.c
Via pacis 541.b
Via ad uitam gloriamq; 361.a
Victoria Christi contra satanam 304.d
Viderunt D. ũ Mos. & Iacq; quomodo ibi.
Videre, pro habere uel accipere 660.d
Vid. faciẽ Dei nullus potest 584.d & seq.
Videre, pro cognoscere 106.c.d
Viduarum domus uorare 442.c
Vigilandũ in primis Eccl. prælat. 470.c
Vigilandum & orandum 468.d
Vindictã. propriã ulcisci, nunq; licuit 138.c
Vindictæ cupiditatẽ & Mos. uetuit ibidem
Vindictã Christian. nõ exquirat 497.b
Vinũ myrrhatũ, & acetũ, idẽ 506.c.510.d
Vinũ nouũ nõ mittẽdũ in utres uet. 248.d
Vinum & siceram non bibet 532.d
Violentia cœlũ rapit 282.c
Viperarum natura 58.c
Viperarum genimina pharisæi 447.a
Viæ rectæ quando in deserto 56.c
Via Domini quæ ibidem
Virorum uocatio generalis 10.d
Virtutũ operatio quæ apud Apost. 354.c
Virtus in infirmitate potentior 496.d
Visitare quid 540.c
Vitæ Dei compotes qui 652.d & seq.
Vitæ renouatio sola dignos fert pœnitentiæ fructus 280.c
Vita æterna quid 770.c
Vita æterna hic incipit 226.c
Vita iusti, fides 637.a.b
Vitã Dei uiuere, & iustũ esse, idẽ sunt ibi.
Vita æterna unde sit 695.b
Vita æterna in Iesu 13.a
Vita æterna nõ cõparatur operib. 181.a
Vita Christi plena crumnis à puero 26.d
Vitã æternã nõ cõstare operib. 122.c.151.b
Vitam æternam quomodo habeant credentes 634.c
Vltio Dei in posteris 447.b
Vltio non optanda 147.b
Vnctio Christi spiritualis 8.d
Vnctus Christus, uncti Christiani ibidem
Vnctio spiritus sancti 8.d.62.d
Vnctio Apostolorum qualis 260.c.d
contra extremam Vnctionem ibidem
Vnctiones ueterũ, quõ accipiẽdæ ibidem
Vnctus sanctus sanctorum quando 459.b
Vnctus quare dictus Iesus 606.d
per Vnctionem capitis, ieiunij dissimulatio significatur 173.a
Vnigenitus Dei Christus 634.d
Vocatio Matthæi 3.b
Vocare solet Deus contemptiora 645.a
Vocatio uirorũ ac mulierũ generalis 10.d
Vocatio prima & gener. ad laborẽ 90.d
quo cognoscas ad qd te Deus Vocarit ibiem de uocatione ministrorũ uerbi ibid.
Vocationes nõ temere mutandæ 256.d
Vocatio Domini æquanimiter expectanda ijs, qui Euangeliũ prædicãt 608.c
Vocationi suæ quisq; pareat 231.a.349.d
Voca. diuinæ parendũ 610.c.616.d.618.c
Vocationi Dei posthabenda omnia, etiam optima 362.c
Vocati soli ueniũt i uineã do. 410.c.411.b
Vocati multi, electi pauci ibid.d
de Vocatione & electione 411.b
Vocatio duplex ibidem
Volũtas Dei spectã. pio prin. 144.c.146.c
Voluntas cæca 674.d
Volunt. patris facere quid 200.c
Voluntati patris ante omnia student, qui Christi sunt ibid.d
Voluntatem patris faciunt, audientes uerbum Dei 317.a
Voluntas Dei bona erga nos prædicatur 543.b
Voluntas Dei in omnib. spectanda 703.b

Vocum diligens obseruatio quàm necessaria. 2.d
In Vocibus declarandis Buceri institutũ. ibidem.
Vocum ignorantia quid pariat. 25.a
Vota quæ seruanda, quæ non.. 350.d
Votum Iephthe temerarium. ibidem
Vota monastica pugnant cum Deo. 331.a & 340.c
Vota peregrinationum stulta. ibidẽ b
Vouete & reddite, exponitur. ibidem
Votum Petri stultum. 367.a
De usura, male quidam sentiunt. 248.d
Vsura quæ prohibita. 149.a
Vsura quatenus licita. ibidem
De Vsuris lex Iustiniani. ibid.b
Vrbanitas abesse debet à Christian. 314.d
Vrbes ferè insigniores quare Dominus uerbo suo inuisit. 84.c
Vulpem uocauit Christus Herodẽ. 449.b
Vulgi stupenda inconstantia. 423.a
Vxor propriè quid. 397.c
Vxor adultera quãdo repudianda. ibid.b
Vxor aliunde grauida nõ ferẽda. 12.c

Z

Zacharias quomodo repletus spiritu. 540.c
Zacharias quid significat. 531.a
Zacharias binominis. 504.c
Zachariæ sanguis quõ ultus. 448.c
Zachæi domus, filia Abrahæ. 417.a
Zachæi conuersio & pœnitentia. 416.d
Zelus domus tuæ &c. quomodo in Christo completum. 614.d
Zelus absq; spiritu Dei, nihil recte agit. pag. 617.a
Zizania sectæ sunt. 321.d
Inter zizania & triticũ similitudo. 323.b.c
Zonarum luxus apud Gentiles. 37.b

FINIS.

LOCI QVOS INTER RELEGENDVM OPERE PRAECIUM est uisum annotare, qui tamen in plerisq; exemplaribus aut recte habent, aut calamo sunt restituti.

pag.	uersu.	lege.
2	7	בשורה
4	4	טפר
4	5	גילין
6	39	fecerat præcepto filijs &c.
6	46	Iosua
8	33	משיח
14	21	inde pro iuda.
14	22	peteret pro diceret.
14	3 à fine	deumq; pro deniq;
15	1	בתולה
18	33	Magos alterum redundat
21	22	Βηθλεὲμ Ισραὴλ
24	4	השתחוה
24	11	השתחוה
24	9	adoratione
45	18	exhibitus remißio
177	12	pro grati gratiam
477	in annot. marg. pro legitur legitima	
494	in annot. marg. pro interpretatione, lege precatione	
576	5	cupidißimus.
575	6	ר pro ח
575	8 à fine	ב pro כ
581		ר pro ך finali
161	21	pro idc. lege idcirco
679	33	illos pro illo
679	9	filius pro filium
715	20	pro muti, lege multi.
718	15	pro apertione, apertiore
656	17	offenderer
650	9	primis

Si quæ sunt alia, tibi ipsi candide lector, facile licet obseruare.

A

EVANGELION SE-

CVNDVM MATTHAEVM.

CAPVT PRIMVM.



IBER GENERATIONIS IESV CHRISTI FILII DA uid, filij Abraham. Sect. 1.

Abrahã genuit Isaac. Isaac autẽ genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Iudã & fratres eius. Iudas autẽ genuit Phares & Zaram è Thamar. Phares autẽ genuit Esrom. Esrom autẽ genuit Aram. Arã autẽ genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autẽ genuit Salmon. Salmon autẽ genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autẽ genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. Sect. 2.

Dauid autẽ rex genuit Solomonẽ, ex ea quæ fuerat uxor Uriæ. Solomon autem genuit Roboã. Roboam autẽ genuit Abia. Abia autẽ genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autẽ genuit Iorã. Ioram autẽ genuit Hoziã. Hozias autẽ genuit Ioatham. Ioathã autem genuit Achaz. Achaz autẽ genuit Ezechiam. Ezechias autẽ genuit Manasse. Manasses autẽ genuit Amon. Amon autẽ genuit Iosiam. Iosias autẽ genuit Iechoniã, & fratres eius in exilio Babylonico. Sect. 3.

Porrò post exilium Babylonicum, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autẽ genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achin. Achin autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph maritum Mariæ, ex qua genitus fuit Iesus ille, qui dicitur Christus. Sect. 4.

B

Vniuersæ itaq; generatiões ab Abrahã usq; ad Dauid, generatiões quatuordecim, & à Dauid usq; ad demigrationẽ Babylonicã, generationes quatuordecim, & à demigratione Babylonica usq; ad Christũ, generatiões quatuordecim. Sect. 5.

Iesu uero Christi natiuitas sic habet. Cum mater eius Maria desponsa esset Ioseph, priusquam congressi fuissent, deprehensa est grauida è spiritu sancto. Porrò Ioseph maritus eius, quoniam erat iustus, & nolebat illam infamare, uoluit clanculum ab ea diuertere. Hæc autem cum is in animo uersaret, ecce angelus Domini in somnis uisus est illi, dicens: Ioseph fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariam uxorem tuam. Nam quod in illa conceptum est, à spiritu sancto profectum est. Pariet autem filium, & uocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Sect. 6.

Porrò totum hoc factũ est, ut perficeretur id quod dictum fuerat à Domino per prophetam ita loquentẽ: Ecce uirgo erit prægnans, & pariet filium, & uocabunt nomen eius Emanuel, quod si quis interpretetur, sonat, nobiscum Deus. Sect. 7.

Excitatus autem Ioseph à somno, fecit ut iniunxerat sibi angelus Domini, & adiunxit sibi uxorem suam, & non cognouit eam, donec peperisset filium suum primogenitum, & appellauit nomen eius Iesum. Sect. 8.

ENARRATIONES IN EVANGELION SECVNDVM MATTHAEVM, PER MARTINVM BVCERVM.

Explicatio tituli.

EVANGELION.) Euangelia Græcis dicebantur ſacrificium & ſupplicationes pro iucundo & optato nuntio ſuſcepta, item fauſti nuntij præmia, de quo lege Guil. Budæum in annotatione Pandectarũ, in titulum, De officio præfecti prætorio. Autore autem Heſychio, etiã ipſe renuntiationes & præconia, id eſt, μηνύματα καὶ κηρύγματα ſignificant. In qua ſignificatione, noſtri ſcriptores, hac uoce Euangelij uſi, exprimere uoluerunt, quod Hebræis dicitur, בשורה & ſignificat ferè, publicam multum expectatæ rei renuntiationem, ac ceu præconium: deductum nomen à uerbo בשר, quo prophetas ferè uſos legimus, quoties de gratiæ prædicatione per Chriſtum euulganda ſunt uaticinati. Id Septuaginta interpretes, ſi modo illorum eſt, quam uulgo habemus ſub eorum nomine, ueteris inſtrumenti uerſio, ſemper per εὐαγγελίζειν reddiderunt. Vt Ieſaiæ. 52. Quàm pulchri ſuper montes pedes prædicantis, annuntiantis pacem, prædicantis bonum. Vbi nos prædicantis, Hebræa habent מבשר, Septua. εὐαγγελιζομένου, nam per pluralem numerum id efferunt. Sic cap. 61. apud eundẽ Vatem: Spiritus Domini ſuper me, propterea unxit Dominus me, ad prædicandum mitibus miſit me. Hic ubi nos, ad prædicandũ, Hebræi לבשר, & Lucas poſt Septuaginta εὐαγγελίζεσθαι legunt. Ita Pſal. 40. Annuntiaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna. Pſal. 67. Dominus dabit ſermonem annuntiantibus. Pſal. 96. Benedicite Domino, benedicite nomini eius, annuntiate de die in diem ſalutem eius. His omnibus locis, ubi nos annũtiare, Hebræi habent, בשר. Græca editio εὐαγγελίζεσθαι. Dicimus hinc ergo, Noui teſtamenti ſcriptores Euangelij uocem uſurpaſſe, pro publica gratiæ ac redemptionis per Chriſtum partæ, renuntiatione, ac prædicatione de qua iam memorata, ac alia innumera ſcripturæ oracula, prædixerunt.

Quid Euangelion.

Cœpit dudũ ſcriptura, in legẽ & Euangelion diſtingui, & Euangelion pro qualibet promiſſione gratiæ Dei uſurpari. Prius ſanè ſolidũ eſt, ut ſcriptura in legẽ & promiſſionẽ ſecetur, nã quicquid in ea legimus, aut requirit aliquid à nobis & legis nomine cenſetur, aut pollicetur aliquid Dei, & uocatur rectè promiſſio. Sed cum ſacri ſcriptores, promiſſiones ἐπαγγελίας, nõ εὐαγγέλια, uocent, & per Euangelion ubiq; Chriſti, & pacis gratiæq;, quam nobis reſtituit, prædicationẽ publicam illã, & omni creaturæ cõmunicandam intelligant, id quod quiuis agnoſcat excutiens ea Noui Teſtamenti loca, in quibus hæc uox legitur, erit non tutius modo, uerum etiã ex officio noſtro, ut uocem hanc, eo ſignificatu quo ſcriptura conſueuit uſurpemus, magis impletæ promiſſionis renuntiationẽ, quàm promiſſionẽ, per ipſam exprimentes. Quanquã cum omnis diuina promiſſio, ſimul annuntiet Dei fauorẽ, quum auxiliũ promittit, & omnis diuinæ beneuolentiæ renuntiatio, promiſſionẽ ſalutis in ſe contineat, nihil fuerit in eo periculi, ſi promiſſiones fauoris diuini, nomine Euangeliorũ, & eiuſdẽ fauoris renuntiationes, promiſſionum nomine efferamus. Sic tamen puritati ac ſimplicitati fidei ſatan inſidiatur, tam miro plerũq; aſtu à ſententia Dei, ad hominum nos abducit cõmenta, ut uix ſatis ubiq; curioſi in ſeruanda uocũ ſynceritate eſſe poſſimus: propterea quòd ſimul atq; illæ, à ſignificatione ſpiritus detortæ fuerint, perq; facile in peregrina etiã ſenſa prolabamur. Quod, prò dolor, circa innumera, ingenti pietatis iactura ſumus experti. Vnde enim factũ, ut de Fide, Gratia, Peccato, Remiſſione, Sacrificio, Dilectione, Proximo, Concilijs, Præceptis, alijſq; eq; plurimis, non minus periculoſe quàm fœde adeò aberratum ſit, etiã ab optimis, niſi quòd horũ appellationes in aliam, quàm qua illis ſcriptura uſa eſt, ſignificationẽ fuerint detortæ? Dabo igitur operam, ut in præſenti Enarratione, neminem prorſus, quàm

Quàm neceſſaria uocum diligens obſeruatio.

ſpiritum

A ſpiritum ipſum,in ſcripturis ſeipſum explicantem, quantũ ipſe dederit, etiã cum uoces declarandæ erũt ſequar in ſingulis, id quod ſpiritus ſanctus per eas uoluit exprimere obſeruaturus,& licuerit religioſiſſime, ne in foribus errantes,ſenſim ab improprietate uocũ ad dogmatũ quoq;, ut priſcis accidiſſe uidemus, peregrinitatẽ deuoluamur. Significat ergo Euangelion, prædicationẽ de Chriſto, qua is toti orbi renuntiatur & prædicatur,ſeruator ille & reſtitutor,qui ſua morte, in ſe credentiũ peccata expiauit:& à mortuis reſurgens,regnũ electorũ per ſpiritum ſuum adminiſtrat, renouans eos ad pietatẽ & ſalutẽ. Hinc iam in manifeſto eſt, cur noſtri illi quatuor ſacri hiſtorici,Matthæus,Marcus,Lucas & Ioannes,ſuis de Domino hiſtorijs,Euangelij titulũ indiderint. Quæcũq; enim de ipſo memorant,ut natus ſit,uixerit,docuerit,miraculis ſe aliquid ſupra hominẽ eſſe declarauerit, ſuppliciũ tandem pertulerit, & à mortuis reſurrexerit,ſuiſq; mandata prędicandi Euangelij dederit,ea omnia ad hoc faciunt,ut Ieſum Chriſtũ agnoſcamus factũ à Deo nobis ſapientiã, iuſtitiamq;, ſanctificationẽ & redemptionẽ, hoc eſt, unicũ illum ſeruatorẽ ac mediatorẽ omniũ hominũ,quem promiſſum ſibi Patres, Reges & Prophetæ, tam anhelis uotis expectarunt,ſuũ & omniũ gentium ſaluatorẽ. Sicut ergo Euangelion in ſcripturis ut iterum dicã,proprie eſt,expectatæ diu,tandemq; exhibitæ per Chriſtũ ſalutis, renũtiatio,publicũq; præconium,ſcite Matthæus noſter,ut & reliqui,Marcus,Lucas & Ioannes,ſuam de Domino noſtro hiſtoriã,qua dicta & facta eius,non omnia quidem, ſed quantũ ſatis eſt ad cognoſcendũ, ipſum Chriſtũ & redemptorem noſtrũ eſſe, ordine narrat,Euangelion inſcripſit. Peculiariter autẽ quatuor iſtæ Euangeliſtarũ hiſtoriæ,præ alijs Noui Inſtrumenti ſcriptis,in quibus tamen omnibus Euangelion legitur,hoc eſt, ſalutis per Chriſtũ perfectæ deprædicatio, titulo hoc ſunt inſignes, & ſolo,quòd in his de ſolo Chriſto eſt narratio, quid dixerit, geſſerit,& paſſus ſit, cum in Apoſtolicis Epiſtolis præterea inſint uariæ diſputationes,& paræneſes: quanquã

B præcipue gratia Chriſti in omnibus prædicetur & explicet. Ad hæc cũ Epiſtolæ ad certas Eccleſias ac fratres ſcriptæ ſint,iure Epiſtolarũ nomen obtinuerunt: ſed prorſus Euangelicæ dici & haberi debent. Liber Geſtorum Apoſtolicorũ,quoniã ut per Apoſtolos regnũ Chriſti propagatum eſt, narrat, id nominis accepit: inſunt tamen & in eo,ut Apoſtolorũ prædicationes non paucæ,ita uera atq; germana Euangelia.

Cur Euangeliſtæ ſuas hiſtorias uocauerint Euangelia.

Cur hæ hiſtoriæ peculiariter Euangelia dicta.

Secundũ Matthæũ.) Quoniã uerus huius hiſtoriæ autor ſpiritus ſanctus eſt, organon tantũ,ac ceu amanuenſis Matthæus, tũ locus hic eſt Chriſtũ, non Apoſtolũ eius prędicandi, multa de hoc Apoſtolo & Euangeliſta cõmemorare, nõ eſt operæpretiũ: præſertim cũ præter ea, quę in Euangelicis literis de eo legimus,nihil certi habeatur. Satis igitur nobis ſit, quod & ad inſtitutũ præſens, Chriſti gratiã prædicãdi, unice facit,quòd Telones cũ eſſet,à Domino uocatus eſt ad munus Euãgelion tum prædicandi,tum etiã conſcribendi:ut uel in ipſo hoc ſcriptore uideamus,Chriſtũ uenire uocatũ quæ abiectiſſima,& ferè deplorata ſunt,uti ſanè ſunt diuites ſeculi,ad dignitatẽ,diuitiasq; regni cœleſtis. Iſta uero uocatio in eo maxime effulſit hic, q Matthæus præ hac non diuitias modo,& haud dubie,cõmodũ uiuendi in hoc ſeculo genus (quæ q ægre relinquantur,nulli obſcurũ eſt) ſimulatq; à Domino uocatus fuit, cõtempſit atq; dereliquit,uerumetiã ſanguine poſtea ſuo,huic fidem arrogare fuerit promptiſſimus. Sed ut hic tantũ Dei organũ hãc philoſophiã,niſi à Chriſto uocatus, nunquã gnouiſſet:ita orandũ nobis,ut ille & nos ad eã uitæ doctrinã uocet,faciatq; uere ſuos diſcipulos:quo mũdi omnia,& nos ipſos præ hac, qua ipſum & patrẽ cognoſcere,hoc eſt, æternã licebit uitã aſſequi,doctrina,abnegemus, ipſius tantũ gloriæ illuſtrandæ uiuentes.

ENARRATIO SECTIONIS I.

LIBER generationis Ieſu Chriſti.) Non titulus libri hoc, ſed initium eſt ſubiecti catalogi,in quo enumerãtur ij, ex quibus Chriſtus ſecundum carnẽ natus eſt, ad

imitationẽ eius,quod initio 5.cap.Gen.legitur:Liber generationis hominũ.SubiiciC
tur enim illic catalogus hominũ,ab Adã usq; Noah,cum descriptione, à quo quisq;,
& quo tẽpore fuerit,pgenitus. Liber itaq; in hoc loco perinde ualet, atq; catalogus,
recensio,uel denarratio.Nã Hebr.habetur ספר,quod à uerbo numerandi,recensendi atq; denarrandi uenit,non גיליון,uel מגלה, quibus nominibus aliãs illi librũ uocant.Sepher nanq; ferè eiusmodi librũ significat,in quo aliquid recensetur, & numeratur.Vnde librũ iustorum,librũ Dei,in quo iusti inscribuntur, sic legimus appellatum,Exo.32.Iosua 10.Proprie igitur hoc nomẽ catalogo & historiæ cõpetit. Ab humilitate generationis,Euangelion Christi auspicatur,per uitæ erumnas, extremũq;
suppliciũ illud ad resurrectionis usq; gloriã, & potentiã maiestatemq; regni eius, in
qua sedens à dextris Dei,omnia moderatur,deducturus:ut sicut Christus multa antea passus fuit,& ita in gloriã suã introiuit,utq; antea inaniuit se,homo factus,& seruus,ac humiliauit se usq; ad mortẽ,mortẽ autem crucis: ita nobis Christũ antea hominẽ mortalẽ,& crucifixũ, quàm immortalẽ & glorioſe regnantẽ prædicet, atq; sic per stultitiã prædicationis saluos faciat credentes. Nã ut D. Paulus 1. Cor.2.,differit, Mundus in sapientia Dei,hoc est,in ijs, quæ Deus etiã nostro iudicio, ac pro nostra sapientia maiestate sua digna fecit,quibusq; se sapientẽ declarauit,per sapientiã suã, qua in magnis & præclaris tantũ rebus Deum quærit, Deũ nõ cognouerat,ideo uoluit Deus per stultitiã prædicationis (stultissimũ enim mens humana ducit, salutẽ à crucifixo petere)saluos facere, nõ sapiẽtes iam, per sapientiã siquidẽ nõ potuit Deus cognosci,sed credentes:ut sapientiæ humanę fides succedat donũ Dei,quæ in humana infirmitate,morte,& cruce,Christũ Dei,salutis autorẽ,uitam & immortalitatem certo agnoscit & percipit. D.Ioannes paulò apertius Christi maiestatẽ prędicauit,
docens ipsum esse illud patris æternũ uerbũ,illã diuinã uim & potentiã, qua condita sunt,consistunt,uiuunt,sentiunt & intelligunt omnia,etiã si mundus hanc lucem
illuminantem omnem hominem, quãlibet mirifice in creaturis omnibus relucentem,æternãq; suam diuinitatẽ luculentissime ob oculos ponentẽ,uidere nõ poterat. Sic enim peccato primorũ parentũ excæcatũ est hominũ genus, ut ad uerbi Dei, uitæ & lucis omniũ cognitionẽ,nulli se mortales attollere potuerint:nisi quos hęc eadem lux,& uere filius Dei suo spiritu innouauit,atq; regenuit.Id quod extra populũ Israëlẽ haud ita multis cõtigit,donec hoc uerbũ æternũ Dei,hominẽ indutũ, hominibus sese familiarius adiunxit,uersans inter suos, & licet humana imbecillitate tectum,uita,tum miraculis,atq; doctrina creaturæ facultatẽ superante,diuinitatem & gloriã suam, gloriã unigeniti prodidit, moxq; per Apostolos suos in toto orbe non minus exhibere eã,ui illa mirifica spiritus,qua maiora quàm ipse miracula pariebãt, quàm deprędicari Euangelium ad omnẽ creaturã maxima cum uirtute penetrante, fecit. Matthæus uero uno uerbo Christi diuinitatẽ indicasse satis duxit, scribens: Liber generationis Iesu Christi. Etenim quòd Iesum qui faber & fabri filius credebatur,Christum uocauit,expectatum illum sanctorum Regẽ,de quo promissum Patribus erat, eum uere tandẽ iudiciũ & iustitiã in terra facturũ, & in diebus eius saluaturum Iuda,& Israël habitaturũ cõfidenter, eiusq; nomen uocandum,Dominus iustus noster. Iere.23.,scientibus uim nominis huius,diuinitatẽ seruatoris abunde testatus est.Non autẽ nomine hoc tantum Christi,diuinitatem Matthæus indicauit: sed etiã,dum illum semẽ benedictũ Abrahæ & filium illum Dauidis in æternum regnaturum,explicando genus,& numerando maiores eius,euangelizauit,scripturã scientibus,illam admodum explicate etiã prędicauit. Quod apertius uero hæc loãnes egit,nam per totã suã historiã,ea potissimum de Christo memorat, quæ diuinitatem eius astruunt,creditur ab ijs, qui tempori eius uiciniores fuerunt, occasione fecisse quorundam,qui Christum nihil homine maius fuisse,blasphemabant.

Qua ratione Ioannes suum Euangelium auspicatus.

Filij Dauid filij Abraham.) Hæc ita lego, ut Iesum, Dauidis simul & Abrahæ filium

A liũ prędicari intelligã. Quæ enim ratio hic Dauidẽ memorare filiũ Abrahæ? Sed ratio erat, ꝓpter insignes illas ꝓmissiones Dauidi & Abrahę factas, memorare Iesum esse, ꝓmissam illã, diuꝯ expectatã, ac germanã & Dauidis & Abrahæ sobolẽ: ut magnifica mox ab initio de ipso cogitatione, quẽ uitæ autorẽ agnoscere, suprema felicitas est, lectorũ animos imbueret. Prius Dauidis, ꝙ Abrahæ filiũ illũ cõmemorat, ꝙ ꝓmissio facta Dauidi, ut erat uicinior tẽpore, ita habebatur quoꝯ populo illustrior ac memorabilior. Cœperat enim Christus iã uulgo filius Dauid cognominari. Vnde mulier illa Syrophœnissa, Cæcus secus uiã, Populus excipiens ingredientẽ Ierusalẽ, deniꝯ & dæmones, cũ Iesum uellẽt cõfiteri, Christũ filiũ Dauidis appellabant. Iudæi quoꝯ rogati, cuius filiũ Christũ putarẽt, responderunt Dauidis. Huic causam dederũt ꝓphetiæ uiciniores, Iesa. 11. & 55. Iere. 23. & 33. Ezec. 34. et 37. Hos. 3. ac pleræ ꝙ aliæ, in qbus Christũ, sub nomine uel Dauidis uel germinis eius ꝓmissum legimus. Hos ergo secuti Israëlitæ, quẽ expectabãt Christũ, Dauidis filiũ uulgo cognoiabant. *Christus uulgo filius Dauid cognominatur.*

Satis uulgatũ est illud, Gen. 12. & 22. Cũ dominus Abrahę pollicitus fuit, in semine eius benedicẽdas oẽs terræ nationes, & gentes, Christũ illi ꝓmisisse. Neꝯ enim uel per totã Abrahæ posteritatẽ, uel aliquẽ ex ea, benedictio ad uniuersas terræ familias, & quascũꝯ sub cœlo gentes, nisi per dominũ nostrũ Iesum peruenit. Hic enĩ amandauit suos prædicatũ Euangelion omni creaturæ, Mar. ult. fecitꝯ illud ubiꝯ fructificare, Colos. 1. Ab reliquis filijs Abrahæ, excisas gẽtes legimus, benedictas non legimus. Vt sanè hodie quoꝯ ꝓdendi nos, ꝙ benedicẽdi, miser populus plus animi habet. Benedictio itaꝯ per semẽ hoc Abrahæ, ꝓmissa, est fides Euãgelij, qua ut Deũ cognoscimus, ita ab eo in filios adoptamur: hoc Christi merito, & spiritu, quaslibet gẽtes, oẽsꝙ terræ familias donatas, pridẽ, & nũc rursus, donari cõfitemur. Promissionem Dauidi de Christo factã, legimus 2. Samuel. 7. 1. Par. 17. Psal. 89. et 132, hãc Iudæi cõtendunt, ad Solomonẽ, ac alios reges, ex Dauidis posteritate ꝓtinere: ut uero in ilB los quædã eius ꝓmissionis cõpetant, pio tamẽ pectori, & ueritatis potius ꝙ cõtentionis studioso, satis erit, ut Christũ his uerbis, ꝓmissum agnoscat, quod in hac ꝓmissione legitur: Et dirigã thronũ regni eius in sempiternũ. Hoc enim, neꝯ in Solomonẽ, neꝯ in posteritatẽ eius cõpetere potuit, cũ omne ab Iudęis regni soliũ iã olim ablatũ sit: in Iesum autẽ nostrũ ueríssime quadrat. Huic enĩ, testante angelo, dedit dominus Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit sup domũ Iacob in æternũ, et regni eius nõ erit finis. Lu. 1. Quadrat itẽ in unũ Iesum ꝓprie, quod per Nathan dominus promittebat, se illi fore patrẽ, & illũ sibi filiũ. Quid enim hoc aliud sibi uoluit, ꝙ quod de Iesu angelus Marię dicebat: Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur: Itẽ illud Patris: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit Hic primogenitus, et adeò dilectus æterno patri est, ut eius gratia, eidẽ patri, filij & dilecti, ꝗtquot ipsi credimus uere simus. Quod uero in Samuel. lib. additur: Cũ iniꝗtatẽ admiserit, ad reliquã Dauidis posteritatẽ, & mẽbra Christi referendũ est: qui & hodie ubi delinquũt, à Dño corripiũtur, ne cũ mũdo condẽnentur. 1. Cor. 11. Ea uirga est hominũ, id est, similis castigationi, qua filij Adã liberos suos castigant, qualẽ Dñs promittit. Vnde Psal. 89. de hac ipsa promissiõe canens: Si deliquerint, filij eius legẽ, &c. Sũma ergo est, Dauidi ęternũ hic regnũ promissum est, sed ꝺd ab ipso ad Christũ usꝯ, tẽporale esset, quodꝯ ꝑ malos etiã aliquãdiu administraretur: quorũ tamen peccato fieri non potuit, ut si- T cut Sauli euenerat, omnis posteritas Dauidis reijceretur, donec Christus ablato iã à domo Dauid sceptro, & regnãte alienigena Herode uenit: ꝙ auspicatus regnũ spirituale, illud in sempiternũ suo uerbo & spiritu administrat, hoc est, donec hæc uita durabit, atꝯ aboleri cõtigerit ultimũ hostẽ, mortẽ, cũ regnũ tradet Deo & Patri. 1. Cor. 15. Ex his itaꝯ pius facile agnoscet, de Christo præcipue fuisse illã promissionẽ: quæ tã in lib. Sam. ꝙ quæ in Para. recensita est, et nõnihil Psal. 89. explicata. In quẽ enĩ aliũ possit quadrare, quod hic Psal. canit: Semel iurauí per sanctitatẽ meã, si Dauid mentiar. Semen eius in æternũ erit, & thronus eius sicut sol in cõspectu meo. Sicut Luna

ſtabilieſ in æternũ, quę eſt teſtis in cœlo fidelis. Haud igitur locũ Samuel. 7. Iudęis ce C
demus, & ſolũ Para. 17. urgebimus, eũ tam manifeſtũ ſit, eandẽ utrobiq; hiſtoriã eſſe deſcriptã. Si id nequeas Iudæo peruicaci perſuadere, nõ te moueat, memorẽ, ſcripturas nobis credẽtibus, nõ carnalibus datas. Chriſtus ueteris Adã renouationẽ, neceſſariã eſſe ad ingreſſum regni Dei, nõ poterat Nicodemo, & ſi magiſtro in Iſraële, perſuadere. Data opera Deus ijs ſcripturæ locis, qbus ſumma pietatis cõtinetur, uelamẽ aliquod induxit: quo arrogãtes abſterriti, nihil uideant, cũ uidere ſeſe arbitrentur omnia. Ita perpetuò in ijs qui pereunt, Euangelion uitæ opertum manet. 2. Cor. 4. Niſi nanq; Deus doceat, fruſtra noſter ſermo perſtrepit.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Abrahã genuit Iſaac, Iſaac, &c.) Ex ſanctis his Dei ſeruis, genus ducere Chriſtũ, Matthæus ideo prædicat, ut eũ recipiamus, ut illũ ipſum ſalutis autorẽ, omniũq; reſtauratorẽ, uerũ Chriſtũ filiũ Dei, q illis ut diuinitus, pmiſſus, ita ardẽtiſſime fuit expectatus: beatosq; nos exiſtimemus, quibus huius tam experta cõtigit cognitio, quã re
Luc. 3. ges, pphetę & iuſti multi percipere, licet anxie optarẽt, nõ potuerũt, intrà 13. Lu. 10. Ergo et diuinitatẽ eius Euãgeliſta nobis his cõmendat, & ad credendũ ipſi, ut æterno ſanctorũ regi atq; redẽptori, puocat. Idẽ & Luc. ſua genealogia ſpectauit, tametſi ſcripturã ſecutus, ad Adã uſq; ipſam pduxerit. Nã & ijs patribus, qui ante Abrahã uixerũt, Chriſtus & pmiſſus et expectatus fuit. Quanq; eo, q uſq; ad Adã genus Dñi Ieſu hic Euãgeliſta duxit, ſignificare uoluiſſe uidetur eũ non modo ſeminis Abrahæ, ſed uniuerſi humani generis, omniũ filiorũ Adã ſeruatorẽ eſſe: talemq; etiã oportuiſſe prædicari eũ, poſtq; filius Adã, id eſt, hoïs factus eſt, quo noïe ipſe ſe uocare ſolebat.

E' Thamar.) Huius mulieris, ſanè nihil minus q̃ impudicæ, aut peccatricis, id q̃d ſcriptura Gen. 38. abunde teſtatur, impotens adeò ex Iuda ſuſcipiendæ, plis deſideriũ, Chriſti diuinitatẽ atq; expectationẽ, pro quo ſuſcipiẽdo, nihil nõ debeat poſthaberi, cõmendat. Illud uero, quod inexpectatũ erat, ut in hac familia benedicta, matris locũ D
Thamar inuentret, quod tamẽ inſolita arte cõſecuta eſt, monet, Chriſtũ præcipue cõtingere ijs, qbus mundus minime deputat: & in qbus eũ ægerrime etiã agnoſcit. Iudas enim, & ſi egregius patriarcha, et ſibi nõ parũ iuſtus uideretur, hanc carnis tamẽ rationẽ ſecutus, nuptijs filij ſui, quẽ ei maritũ, pmiſerat, atq; ita ſemine ſuo, unde Chriſtus expectabatur, fraudare ſtatuerat: ſecus autẽ uiſum fuit Dño, cuius ſpiritu, nõ dubito actã eſſe Thamar in oïbus, quæ ad id ut ex Iuda cõciperet egit. Certe illã libido ad hoc facinus nequaq; aĩauerat: ut quę ante et poſt illũ cõceptũ, uixerit integerrime.

E' Rachab. Hãc noïatim memoratã exiſtimo, ut in ea uideamus, Chriſtũ ueniſſe, ut quod pditũ, & iã internecioni deſtinatũ eſt, nõ ſolũ à pditione et internecione eripiat, ſed ſũma etiã dignitate exornet. Fuit nãq; hæc Rachab ex ciuibus Iericho, quos dñs anathema fecerat, pręcepto filijs Iſraël, ut eos delerẽt fũditus, igniq; ciuitatẽ, et qc quid in ea erat exurerẽt: hãc tamẽ nõ optimã quidẽ illã hominũ iudicio, qa caupona erat, et forſan etiã meretrix, utrũq; enĩ זונה ſignificat, nõ ſolũ anathemate hoc exemit, ſed etiã matrẽ ſuã fieri uoluit. Quòd uero hoc iſti cõtigit, fide ſanè eximia, ſacra hiſtoria luculẽter oſtẽdit: rerũ certe fidẽ eius memorãs. Adeò nãq; quę Dñs et fecerat et pmiſerat pplo ſuo, iſta crediderat, ut nõ dubitaret uitã q̃q ſuã ĩ diſcrimẽ, p ſalute explo ratorũ Iſraëlis adducere. Lege et obſerua hiſt. Ioſ. 2. in qua illud q̃q obſeruabis, ut uerã fidẽ ſũmã cõſequaſ hũanitas et officioſitas: q̃ mirifice in caupona iſta excelluerũt.

E' Ruth.) Et hãc nobis noïe recenſet, ut uideamus, & q̃ omniũ ſit Chriſtus, maxime uero deſolatorũ, & q̃ amet benignos, ac dilectione erga pximos præſtãtes. Moabitis enĩ hæc et alienigena, uidua et paup erat, at quia datũ ei fuit, & credere fortiter, & diligere cõſtanter, meruit inter auias dñi locũ habere, nobilitari & ditari: beneuolẽtia alioq; pietateq; erga ſocrũ ſuã incõparabili, ut in li. eius noïe inſcripto legimus.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Ex ea quæ fuerat uxor Vriæ.) Hæc memoratur, ut cognoſcamus deſtinatam Dei gratiam,

A gratiã, & nullo posse peccato impediri, & quibus minime creditur contingere. Ista nanq; Batschaba grandi scelere Dauidi facta fuerat uxor, & filius eius Solomon, natu nequaquam erat maximus, cui primogeniti ius, uulgata etiam Dei lege, deberetur. Vt uero Matthæus notabilius admoneret, peccatores à Christo non abijci: quippe quos maiores habere secundum carnem, haudquaquam sit dedignatus, uxorem Vriæ hanc, quo flagitium eius notauit; quã suo nomine, Batschaba, uocare maluit.

Iorã autẽ genuit Oziã.) Hic præterijt Euãgelista tres reges Ahasian, Iorã & Amaziam. Ahasia fuit filius Iorã, ex Athalia filia Amri, sorore Ahab regis Israël. Ioas, Ahasiæ ex posteritate Nathan, ut credit, successit. Mortuo enĩ Ahasia, nemo erat ex domo eius qui in regno succederet, 2. Par. 21. Quare inuidẽs Athalia regnũ alteri, ꝓsapię regiæ, quã ex Nathan filio Dauidis descẽdisse aiunt, fecerat occidi omne semẽ regiũ reliquũ in Iuda: è quo tamẽ opa Iesabeath, sororis Ahasię, et uxoris Ioiada sacerdotis, furtim hic Ioas cædi subductus, atq; seruatus donec septẽ annos natũ Ioiada regẽ domui Iuda pręficeret. Amazia huius filius fuit, et Ozię pater, quẽ Euãgelista Iorã subiunxit. Quare aũt hoc factũ sit, nõ facile dixero. Quòd quidã dicũt horruisse Euãgelistã affinitatẽ cũ impia domo Ahab, quã Ahasia cõtraxerat, nõ est satis firmũ. Nã Ioas aliũde genus suũ ducebat. Ad hęc in alijs nullã uel generis cõtaminationẽ, uel ꝓpriã impietatẽ horruit, quo minus in genealogia poneret, q̃s scriptura in ea cõmemorat. Mihi uidet Euãgelista instituisse, narratis aliquot, ijsq; pręcipuis maiorũ Christi, genus eius, quò expectatũ illũ saluatorẽ agnosceremus, declarare, non etiã q̃slibet eius posteritatis noĩatim cecẽsere. Etenĩ & post captiuitatẽ Babylonicã nouẽ pauciores, q̃ Lu. cõmemorat. Tres tessaradecadas, fortè cõsulturus memoriæ, ponere uoluit, cũq; in secũda tres redundarẽt, tacuit hos, Ahasiã, Ioã et Amazian, qui nihilominus cõsultis scripturis, potuerãt à q̃libet in suũ ordinẽ collocari. Ecquis sciat, si fortasse negligenter adeò huius generis pleraq; nõ maximi momẽti, sacri scriptores attigerint: ut B ad magis seria nos inuitarẽt, & harũ rerũ nõ adeò scitu necessariarũ curiosos, ad scriptutã remitterẽt? Ordo certe, et numerus maiorũ Christi, res externa est, ad salutẽ ꝑ se nihil faciẽs: quare circa ea, si Euãgelista parũ curiosus fuit, id ab instituto Apostolico, alienũ nõ est.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Porrò post exiliũ Babylonicũ.) Exiliũ hoc summæ misericordiæ fuit, eoq; palàm ꝓper Christũ exhibitũ: nam meruerãt Iudæi inuicta sua impietate, excindi funditus, & hoc certe minabat uis Babylonica: sed quia Christus inerat huic populo, nec deleri prorsus, nec in exilio detineri diutius potuerũt: ideoq; et breui tẽpore exiliũ hoc finem accepit, utcũq; æternũ Iudæorũ impietati deberet. Sic donatis Christo, omnis castigatio semꝑ merito leuior est: & esse diuturna nequit, etiã si ea appareat esse internecina. Tandẽ enim uelut è mortuis, pręter oẽm carnis expectationẽ, Iudęorũ instar, q̃s planè absorpsisse Babylõ uidebat, uitæ ac fœlicitati restituũtur, quicũq; Christi sunt. Horũ ut Euãgelista admoneret ex typo isto poouli Iudaici, in exiliũ Babylonicũ abducti, indeq; restituti, exilij huius mentionẽ fecit tã insignẽ. Quis enĩ Christi uere studiosus huius exilij recordet, ne dũ tã notabilẽ in hac Christi genealogia mẽtionẽ eius legat, q nõ agnoscat Christũ iã tũ se præstitisse ppl̃i sui seruatorẽ mirificũ? Quasi enĩ interpolatus tũ ppl̃s fuit: de q̃, scilicet, nemo nõ cõclamatũ esse iudicabat.

Iacob aũt genuit Ioseph.) Lucas Heli patrẽ Ioseph ponit, ut & in tota genealogia noĩbus & numero à Matthęo uariat. Verum qui uel mediocriter scripturã attigit, nõ ignorat q̃ frequẽs apud ueteres fuerit, bina aut trina nomina habere. Ita multos eosdem Lucas, sed alijs nominibus recẽset: multos etiã alios, dũ naturali ordine, per posteritatẽ Nathan ad Dauid ascendit: cũ Matthæus etiam legalẽ ordinem admiserit in Ioas, qui ex posteritate Solomonis, nõ naturalis, sed legalis filius fuit, ex lege in regno succedens: ita enim aiunt statuisse Dauidem, ut si quando deficeret posteritas Solomonis, posteri Nathan, alterius Dauidis, ex Batschaba filij & natu minoris, in regno succederent. Hos ordine suo ponit Lucas, Matthæus, primum à Ioas, qui ut

primus ex illis rex factus, ita primũ posteritati Solomonicæ fuit cooptatus, recẽsere C
eos cœpit. Hinc euenit ista & numeri & nominũ discrepãtia. De istis si libet plura le-
gere, licebit in Annota. Erasmi, Ioãne Annio, adducẽte Philonẽ, itẽ Fabro Stapulẽsi
in Epst. ad Heb. Quòd uero generatiõis series ad Iosephũ qui Christi pater putaba
tur, nõ erat, & nõ ad Mariã naturalẽ eius matrẽ, deducta est, uulgo notũ est id exẽplo
scripturæ factũ esse, quæ ubicꝫ ꝓ uiros genealogias texit. Nihilominus cũ in hoc de-
scribere seriẽ generatiõis huiusce Euãgelista instituerit, ut Iesum nostrũ seruatorẽ o-
stenderet, filiũ Abrahę & Dauidis, ut à capite, ꝓposuit: satis manifestũ est, Iosepho Ma
riam cognatã fuisse, natãcꝫ ex eadẽ ꝓgenie, uerecꝫ fuisse filiã Dauidis. Alioqui cũ ex
ea, opera spiritus fœcũdata, natus Christus sit, nequacꝫ ex Ioseph, ut mox diligenter
Euãgelista narrabit, frustra hãc genealogiã ꝓtexuisset. Quę si quis tibi uelit calũnia-
ri, quod nõ faciet nisi languens circa quæstiones: quicꝫ magis uideri argutus q̃ esse
pius studet, dicito illi, iuxta Pauli monitionẽ, longũ uale. Necꝫ enim hæc illi scripta
sunt, necꝫ is poterit ea capere. Vt reliqua oĩa, ita & scripta nostra, oportet carni esse
& contẽpta, & ad calũniandũ obnoxia. Qui Christũ quæsierit, & Dei spiritu actus
huc fuerit, eũ certo et luculẽter in singulis apiculis etiã inueniet: nihil nuncꝫ finiẽdis
genealogijs remoratus. Ex hac itacꝫ genealogia, quã & Matth. & Luc. descripsit,
primũ animaduertemus, Iesum nostrũ, uerũ illũ Christum regẽ esse salutiscꝫ autorẽ,
patribus ut ꝓmissum, ita ingenti desiderio expectatũ: uerecꝫ esse, qui secundũ scriptu
ras, ex Abrahã, atcꝫ Dauide genus per Mariã uirginẽ, uerã suam matrẽ duxit, natus
homo. Proximũ ineffabilẽ Dei erga nos dignationẽ, qui nostri causa, suũ uerbũ ho-
minẽ fieri uoluerit, nimirũ ut nos deos redderet. Pręterea expẽdemus & ex q̃bus uo
luerit nasci, cꝫ non horruerit in numerũ maiorũ suorũ admittere & peccatores, & a-
lienigenas: quo sanè et facilitatẽ suã, et incõparabilẽ erga nos beneuolentiã, est miris-
ce testatus. Postremo haud oscitãter felicitatẽ hãc nostrã perpẽdemus, qui iã regnan
tis in carne nostra Christi, cognitiõe solida & reuelata donati opulentissime sumus, D
quã tãtopere optatã, reges, ꝓphetæ & iusti illi ueteres nõ acceperũt: ne in uacuũ tan
tã gratiã accepisse uideamur. His pie cõsideratis et ꝓpẽsis, satis magno cũ fructu præ-
sentẽ genealogiã legerimus: etiã si deficiẽtibus nos ueterũ monumẽtis, nequeamus
certã de singulis rationẽ afferre: præsertim de ijs, à q̃bus cognitio Christi nõ pendet.

De nomine Christi.

Ille qui dicitur Christus.) Hoc cognomentũ futuro regi, orbis instauratori sanctũ
dederãt, ut uulgo iã non aliter cꝫ unctus, id est, Hebræis מָשִׁיחַ, Græce χριστὸς uocare
tur. Vnde Ioannẽ rogabant, Es tu ille Christus: Et Samaritis illa muliercula, Scio ꝙ
Messias uenit, Ioan. 4. Dñs ipse, Matth. 22. Quid uidetur uobis de Christo: Huius co
gnominationis, ut seruator noster ita absolute, unctus, nõ unctus in Regẽ, Sacerdo-
tẽ, Prophetã, aut q̃d aliud cœperit dici, existimo fuisse, ꝙ noua quadã & incõparabi-
li unctione, tũ ad nouũ atcꝫ incõparabile munus ungendus, expectaretur. Moti for-
san sancti ad istuc cognominis ex eo fuerunt, quod legimus Psal. 45. Dilexisti iusti-
iam & odisti impietatẽ, ꝓpterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ cõsorti-
bus tuis. Aut certe ex 61. Iesa. Spiritus dominatoris Dñi super me, ꝓpterea unxit Dñs
me, ad prędicandũ humilibus misit me, ad obligandũ uulnera cõtritis corde, ad pro-
mulgandũ captiuis remissionẽ & cætera. Spiritus enĩ sanctus oleũ & unguentũ est,
quo seruator præ oĩbus ita unctus fuit, ut de plenitudine eius accipiamus oẽs. Hæc
uere noua & incõparabilis eius unctio adumbrata est, per id unguentũ, de quo Exo.
30. quo humana caro nõ debebat cõtingi: necꝫ simile ei cõfici. Sanctũ enĩ erat: ꝓpte-
rea sanctũ Dño seruari oportebat. Solus Aharon, filij eius, tabernaculũ, arca fœderis,
mẽsa et reliqua tẽpli sanctiora, illo inungebãtur. Sicut spiritu sancto nõ nisi Christus,
& filij eius Apostoli ac prædicatores Euãgelij, cũ reliquis credẽtibus, qui sunt uasa
gloriæ Dei, & uera diuini cultus instrumẽta, inungũtur: dimanãte illo à Christo, cui
dedit pater oĩa, ad reliquos filios Dei. Nã ipse est, qui à patre suis, quẽ meruit spiritũ,
mittit, Ioan. 16. Vnctio ergo qua ungendũ desideratũ illũ filiũ Dauidis instauratorẽ
omnium

A omniũ ſancti expectabãt,& ſpiritalis,& eiuſmodi eſt, cuius ad ęternã uitam electio mnes,per ipſum reddantur participes. Ea enim unctus fuit, nõ ut eſſet regni terreni mutabilis adminiſtrator:aut manufacti tabernaculi ſacerdos: uel de alio uaticinans ac docẽs propheta:ſed ut afflictis euangelizaret regnũ Dei,ut obligaret uulnera con tritis corde,ut promulgaret captiuis remiſſionẽ, & cõpeditis apertionẽ carceris: ad ꝓmulgandũ annũ beneplacitũ Domino,& diem ultionis Dei noſtri,ad conſolandũ omnes lugentes,& reliqua,quæ Ieſaias de ipſo hoc loci uaticinatus eſt. Vt uno uerbo hæc cõplectar,unctus in hoc fuit,ut pauperibus ſpiritu ſibi fidentibus annũtiaret & exhiberet gratiã patris,atq; æternã uitã:ac modo ſummus Pontifex noſter,in cœlo ad dextrã patris,noſtrã cauſam ageret, ſuo ſpiritu, beatifica iſta unctione, omnes electos cõſummans. Vt igitur ſancti longe alia unctione, q; uulgo Reges, Sacerdotes,& Prophetæ,inungi ſolebant,unctũ hunc Regẽ expectabant:nempe ſancto ſpiritu præ participibus ſuis:tum ad hoc ut ſaluos faceret in ſe credentes, nõ tantũ externe gubernaret,aut doceret: ſed ut participatione huius unctionis beatificæ, Reges omnes,prophetas,atq; ſacerdotes cõſtitueret:quod certe munus nulli alij potuit contingere,Dominũ noſtrũ unctum abſolute,id eſt,Chriſtũ, uel ſua lingua Maſchiach, cœperunt uere appellare. Apud ſcriptotes tamẽ ſacros,præter unũ Danielẽ ſeruatorem,ita abſolute,unctũ uocatũ,legere me haud memini. Hic autẽ 9. ita habet:Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus. A' quo fortè, cũ indies de Chriſto apertius populus doceretur,ac ideo,ut ueriſimile eſt,crebrius de eo loqueretur,acceperunt,ut ſeruatorẽ,quem propediem adfore expectabant, unctũ tantum uocarent.

Hæc de ſignificatione, & origine huius nominis hic ſemel fuſius uolui adnotare, ut uideremus,quàm ingens ſit in ſola hac uoce conſolatio:qua ſonante, pius ſemper animus cogitabit: Vnctus eſt,ut ſit Rex,Doctor & ſacerdos noſter in æternũ,qui gu
B bernabit nos,ne quid boni deſideremus, aut malo ullo premamur:docebit ueritatẽ omnẽ,& placatum reddet patrem nobis in æternum. Vnctus eſt, ut nos ungat in filios Dei,uere reges & ſacerdotes. Vnctus eſt,ut ſemel dicã,ut ſit nobis miſeris ſaluator & autor omnis boni:quẽ ardentiſſimo priſci deſiderio expectarunt,cui pater dedit in manus omnia,quicq; beatos reddet,quicunq; ipſum receperint, æternũq; condemnabit,qui ipſum non receperint. De nomine Ieſu,paulò poſt dicemus.

Porrò quod noibus,in hac genealogia,ne quẽ et hoc moueat,aliter atq; in Hebręis legũtur,Euangeliſta uſus eſt,ſcito factũ, ut uulgatæ editioni Sacrorũ Bibliorũ, quæ Gręce iam paſſim legebatur,ſe accõmodaret, quod & reliqui Apoſtoli fecerũt. Oia enim ad id retulerũt,& hac cauſa omnia oibus facti ſunt, ut ſcripturã cõmendarent, & in illis oſtenderẽt Chriſtũ. Cęterũ indubie maluiſſent omnia pure,ut ſcriptura habet,efferre. Vulgatis ergo & nos noibus,tum teſtimoniis, dũ ita iuuare fratres dabitur,utemur. Vbi uero ſcripturã,& in hoc Chriſtũ, potẽtius cõmendare poterimus, utendo noibus,& teſtimoniis purius elatis,cur nõ hoc mallemus? Quare officij noſtri fuerit,quãdo iã linguarũ ſtudia nobis ſingulari Dei fauore reſtituta ſunt, atq; inde nõ modo in Latina,uerũ & uernacula lingua ſyncerius uerſa ſacrę ſcripturę Biblia extãt,dare operã,ut et ipſi q; puriſſime omnia eloquamur,et alios eloqui doceamus. Quis enim nõ fateatur,ſi nihil aliud,certe decẽtius eſſe,ac calũniæ irriſionicq; Iudæorum minus obnoxiũ, uerbo ſpiritus,ſuo ſono & modo, q; deprauato efferre? Modo quod Apoſtoli publico uſui,ꝓpter ędificationẽ indulſerũt,nemo calũnietur aut irrideat. Si qd igitur ex Apoſtolis citandũ,ſiue ex hac genealogia,ſiue aliis locis ſcripturę,quę ſuis ſcriptis inſeruerũt,ipſorũ uerbis utar, uel ad cõmendationẽ claritatis ipſorũ, qua Barbaris etiã Barbari,ut illos lucrarẽtur,facti ſunt. Si quid autẽ ex ipſo uetęris inſtrumẽti corpore mihi ꝓferetur, magis curabo, ut illic ſcriptũ eſt,ipſum eloqui, q; ut ab interpretibus nõnihil exiſtit deluxatũ. Ita ſi ex Ioã. 4. citauero quod muliercula illa dixit:Scio q; Meſſias uenit,non grauabor cũ Ioannes uſitata tũ uoce uſo, dicere &

Cur Euãgeliſtæ uſi ſint uulgatis ſcripturarum libris.

cere & ipſe Meſſias. Si autem ex Daniele, uel alijs ſcripturæ libris ea uox eſſet profe- C
renda, mallem dicere, ut illic legitur, Maſchiah. Ad eundem modum ſi ex ſcripturis, de Moſe loquendum erit, uocabitur mihi Moſe. Si illud Pauli 2. Corin. 3. citandum: Quemadmodum Moyſes, ponebat uelamen, &c. efferre Moyſes haudquaquā gra- uabor. Leuiculum hoc, monere tamē id uolui, ut oſtenderem mihi æque diſplicere, & qui in ſcriptis Apoſtolicis caſtigatius, quàm Apoſtoli ipſi loqui conantur: & qui quòd ſacræ linguæ ignari ſunt, in lege & prophetis, puritatem ſectari rident: quod tamen magni quidam ſibi permittunt, in alijs ſyncerioris elocutionis ſatis curioſi.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Vniuerſæ itaq; generationes.) Secunda Teſſaradecas, incipiens à Solomone, in Iechonia finitur, quē niſi repetas, & caput quoq; cōſtituas tertiæ, ea nō habebit gene rationes quatuordecim. Vnde duos, Iechonias, hoc eſt, patrē Ioiacim, & filium Ioia- chim, quocatus Iechania. 1. Par. 3. legitur, fateamur oportet, aut quod ſcriptorū uitio, p Ioiacim patre Iechanię irrepſerit Iechonias, ut eodē et pater et filius nomine legan tur. Nā Faber Stapulen. eruditione & pietate uenerandus ſenex, meminit hoc loco, ex ueteri quodā archetypo Græco, priore loco, ubi nos Iechonias habemus, legi Ioia cim. Cæterū ex 1. Par. 3. ita leguntur ſibi hi ſucceſſiſſe: Ioſias genuit filiū Ioiacim, qui cū 11. annis Ieruſalē regnaſſet, uinctus abductus eſt in Babylonē. Huic ſucceſſit filius eius Ioiachim, qui & Iechania uocabat, quē & ipſum Nebucac Nezar poſt annū in Babylonē curauit abducendū. Ex hoc tum Sealthiel, qui hic Salathiel dicitur, fuit ge nitus. Ita ſi poſteriorē Iechonian, filiū prioris intelligas, cōſtabit & hæc tertia Teſſa- radecas, habēs ſuas generationes quatuordecim ſiue hic Iechonia filius nomine uo catus fuit, ſiue irrepſit id nominis, pro Ioiacim. Pater enim ſecundā Teſſaradecada finiet: filius tertiam incipiet.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Cū mater eius Maria eſſet deſponſa Ioſeph.) Deſponſam putant uirginē Ioſepho D
quidā, ut hoc pacto partus iſte celaretur ſatanā, quod quàm firmū ſit, uiderint qui id affirmant. Equidē uideo tam Chriſtū ipſum, quàm ſanctos reliquos, quos nobis ſcri- ptura prędicat, dum ad nihil peculiare, diuinitus fuerunt uocati, cōmune, & primis parentibus diuinitus præſcriptū uiuendi genus amplexos eſſe. Id eſt, ut uir in ſudore uultus ſui, pane ſuo ueſcatur, & mulier ſub poteſtate uiri agat, cū moleſtia & erūna, liberos ſi dominus dederit, geſtatura & paritura. Cœlibatū lex Moſech ignorat, tam abeſt ut laudet. Sed & quæ Paulus de cœlibatu cōſuluit, qui recte perſpexerit, uide- bit magis ſcripta, ut quorundā propoſito, qui propter inſtantē neceſſitatē, utq; præ- ſentius negotio Euangelico, ſtudioq; pietatis inſeruirent, cœlibatū ſibi delegerant, certo ad id diuinitus uocati, patrocinaretur, & à peccato uindicaret, oſtenderetq; quandā id eſſe futuræ uitæ meditationē: q; ut nouum uitæ genus, antea in ſcriptura, quæ ipſo teſte 2. Tim. 3. omnia bona docet, nō traditū inueheret. Vnde ſubiunxit, ijs quæ ad cōmendationē cœlibatus illic ſcripſit: Hæc ad id, quod uobis cōducibile eſt, dico: non uti uobis laqueū injiciam. Alioqui & Epiſcopū maritū, & iuniores uiduas uult rurſus eſſe coniuges: ne qua ſit uel peccati, uel calumniandi religionē noſtram occaſio. Nihil minus igitur, quàm inſtitutū nouū cœlibum aut uirginū, Paulus uo luit ſuo conſilio inſtituere. Id ut apud gentes idololatras, frequens fuit, & laudatum, apud Dei uero populū incognitū & infame: ita facile uidetur, cui ſit acceptū feren- dū, nimirū dęmonijs, quorū et ad Tim. doctrinā Paulus teſtatur, nuptijs interdicere.

Proinde cum ad nihil aliud ſanctiſſima uirgo adhuc uocata eſſet, ſuſtinuit nu bere uiro & ſi nulli uiro cognoſcenda, uictura ita non ſuo, ſed alterius arbitrio, in- deq; ad aliorum obſequium, non ſuam uoluptatem, iuxta legem Domini, Gene. 3. mulieribus datam. Id ita fieri Dominus uoluit, cum ut legem ſuam, connubijq; ſan- ctimoniā cōmendaret: tum ut Chriſtus per omnia quatenus fieri potuit, figura ut ho

mo,

mo, reperiretur, hoc est, in omnibus uitæ munijs, etiã in suis, uulgo hominũ sese ac-
A commodaret, similẽq; exhiberet, maiestate sua hactenus dissimulata. Hic primũ ad-
miranda nobis est, insignis hac quoq; in re demonstrata à Christo humilitas, quæ fi-
dem nobis in eũ iure confirmet: agnoscentibus adeò illũ nostri causa, ad quæq; hu-
millima sese dimisisse. Deinde discendũ nobis est, ne priuati quicquã nobis in uita
deligamus: præcipue autẽ ne cœlibatũ arripiamus temere, hoc est, ad isthuc uiuendi
genus non certo Dei iussu uocati, quò, scilicet, cõmodius proximis ad gloriã Dei ser
uiamus. Qui enim nõ graues, & temeritatis & arrogantiæ pœnas iure pendat, qui-
cunq; tam apertã Dei institutionẽ ac legem, qua mares patresfamiliâs, fœminas ma
tresfamiliâs esse instituit, ac præcepit, uel suã ipsius, uel aliorũ rationẽ secutus, post-
habeat atq; transgrediatur, amplexus uiuendi genus tam periculosum, cuiusq; præ-
ceptum nullũ, exempla habeat rarissima? Quod enim cœlebs Christus uixit, & ma-
ter eius uirgo seruata est, id ita salutis nostræ interfuit, ut mox dicam, nostriq; causa
factum est: nõ quòd cœlibatui, per se sanctimonia inesset. Quare qui sibi aliquid, uel
meritum apud Deum, uel tranquillitatem uitæ præsentis iniussu Dei cœlibatu quæ
runt, hos nihil minus quàm Christi, aut Mariæ exemplum referre constat.

Priusquam congressi fuissent.) Satis hæc uerba indicare uidẽtur, ubi inter se con
nubium Ioseph & Maria contraxerunt, uulgare id futurum fuisse ratos: Dominum
autem, qui suos opinantes, ad sua munera solet rapere, moram, ne uulgari coniugũ
ritu congrederentur, iniecisse: donec quod agebat mysterium, utriq; patefaceret. Ita
certo nos quoq; in tempore, & satis commode, si ad priua munia delegit, auocabit,
ad eaq; interim seruabit, si ipsum in uulgari & certa eius uocatione expectaueri-
mus. Apud oues Mosen & Dauidem inuentos, principes populi sui constituit. Nos
quoq; nusquam ipsum, si nobis ad singularia uolet uti, latebimus: tantum uocantẽ
expectemus, non conemur præuenire: pertæsi eius, quod iam per uerbũ suum, aper-
B tamq; scripturam mandauit & iniunxit.

Deprehensa est grauida à spiritu sancto.) Ioseph caro erat, nihil nisi carnẽ gigne-
re potuisset, hoc est, mendacium & uanitatem: quod enim ex carne natum est, caro
est, Ioan. 3. At per Christum oportuit fieri gratiam & ueritatem: non igitur potuit à
uiro gigni. Eoq; ui occulta Dei, hoc est, sancto spiritu uicem uirilis seminis in Deipa
ra uirgine necesse fuit suppleri, eaq; corpus Domino in castissima puella formari:
quo omnis peccati purus & sanctus, nos quoq; purificaret & sanctificaret, hostia pa-
tri futurus sancta & incontaminata. Vide igitur ut nostri causa oportuerit Mariam
uirginem seruari, non sua: aut quòd per se tanti uirginitas apud Deum esset. Ita si li-
bet & licet uirginem uiuere: uide ne tibi uiuas, sed proximis in gloriam Dei.

Quoniam erat uir iustus.) Iustus erat, ideo aliunde grauidam sibi retinere coniu
gem nolebat, nam ex spiritu sancto grauidam, cum nullum extaret exemplũ, qui fuis
set suspicatus? Noluit autẽ diffamare, quòd nullam flagitij suspitionẽ in ipsam, inno-
center adeò uiuentem, uideret cõpetere. Anxius igitur animi, æquitate prohibitus
ne diffamaret, quam nulli uitio uidisset affinem: grauitate uero & iustitia deterritus,
ne secum teneret non ex se grauidam, statuerat eam derelinquere, ut iam non suam:
neq; tamen traducere, quæ id uidebatur nequaquã meruisse. Hic uero notanda Ma
riæ modestia, quæ angeli ad se uerba, marito non aperuerat: Interim & ipsa procul-
dubio, animo non parum, uel propter maritum, qui non facile suas cogitationes in
totum potuit dissimulare, consternata. Hic uidemus, ut soleat Deus, præter omnem
rationis existimationẽ ducere, neq; suum, nisi antea nonnihil tentatis & afflictis, con
siliũ patefacere. Insigne autẽ exemplũ proponit in Ioseph iusto, qui ita legi uolebat
accõmodare se, & apud se aliũde grauidã nõ retinere, ne tamẽ interim nimiũ iustus,
dilectionis, quæ summa legis, iura uiolaret. Maluit enim ipse, ceu in exiliũ abire, ipsa
clanculũ dimissa, quàm infamatam in periculũ adducere, quæ moribus uisa sibi fue-

ras

rat incorruptissimis, ac meliora meruisse. Ita sancti suo zelo iustitiæq; rigore, non alijs, sed sibijpsis potius graues esse solent, cum contrà hypocritæ zelo, quem magis simulant, quàm habent, alios solent affligere, sibi uero indulgere omnia. Porrò ita probi & iusti uiri est matremfamiliâs non ferre aliunde grauidam, ut leges lenocinij damnent eum, qui talem inultam sibi sustinet. π. ad legem Iuliam. C

Ecce angelus Domini in somnis.) Nota afflictos & perturbatos sanctos, dũ quid facto opus sit nesciunt, interim tamen, & charitatis sese legi attemperant, & domini consiliũ æquanimiter expectant, in tempore diuinitus & moneri & cõsolari. Ioseph animi auxius erat, integritate & seueritate sua prohibebatur uxorem retinere, quæ ex se non esset grauida, id tamen per dilectionem uolebat ita attemperare, quò minimo Mariæ periculo abiret. Passus quidẽ fuit dominus aliquandiu cũ animo suo illũ conflictari, at priusquã tamen admitteret, quod uel se indignũ, uel Mariæ incõmodum esset, angelũ misit, qui & mysterium quod agebatur explicaret, & ad delegatũ ipsi munus eũ animaret. Diuinus uero nũtius in somnis illi uisus est, iuxta illud Numeri 12. Si quis fuerit inter uos propheta Domini, in uisione apparebo ei, uel per somnium loquar ad illũ. Diuinis nanq; percipiendis animus tanto aptior est, quanto à negotio corporis alienior est, ut fit in somnis. Longe autẽ alia sunt oracula huiusmodi immissa diuinitus, quàm uulgo insomnia, de qua re experti, certius loquetur. Nobis hic didicisse satis est, ita pios Domino curæ esse, ut citius miraculo illos docturus sit, quàm ut errare periculose permittat. Proinde quoties res nostræ implicitæ sunt, nec apparet quid potissimũ faciendum, fidenti animo nos domini spiritui cõmittamus, interim legem charitatis nunquã ab animo relinquentes, & experiemur, ut non possit pastor ille optimus nos ouiculas suas diu in errore relinquere.

Et uocabis nomen eius Iesum.) Solenne est, ut quos Dominus ad singulare aliquod munus delegit, secundum id etiam nomen eis indat. Sic Abram designato patri multorum populorum, nomen dedit Abraham: quo nomine idipsum expressit, ad quod eũ deputabat. Ita Ioãnes gratiæ prædicationẽ auspicari, & primus debebat Euangelion Christi orbi annuntiare: hinc datũ illi nomen diuinitus fuit, ut Ioannes uocaretur, quod gratiosum significat. Cum ergo benedictus hic filius Dauid missus fuerit, ut sit salus domini, usq; ad terminos terræ, Iesa. 49. & per hunc unũ contingat redemptio electis: recte nomen illi diuinitus inditũ fuit, quo id significaretur. Nam Iesus nomen illud est, quod Hebr. יהושע, id est, Iehosua dicitur, & seruatorem significat. Maluit enim Euangelista, ut suprà dixi, hoc nomen, ut & alia, iuxta receptã uulgo editionem sacrorũ Bibliorum efferre, quàm uideri non iuxta scripturam loqui: aut à lectione uulgatæ editionis, dum melior nõ haberetur, tanquã mendosa abstinere: quo pacto simul in totum à scripturæ lectione auocasset. Cæterum ubi nos supprimentes primã, quæ alioquí breuissima est, syllabã cum aspiratione, quæ & ipsa lenior existit, Iosua pro Iehosua legimus, Græci ἰησοῦς, id est, Iesus habent, quod per totum Iosua librũ uidere est. Vanũ igitur est, quod Iudæi blasphemant, aliud domino nostro nomen fuisse, quàm Iehosua. Quod uel angeli interpretatio cõprobat, dũ subijcit: Is enim saluũ faciet populum suum à peccatis suis. Etenim Iehosua à uerbo Hiphil, הושיע quod saluũ fecit, opem tulit, significat, deductum est. Nota autẽ quod ait: Is saluum faciet à peccatis. Nihil igitur ulli creaturæ, aut nostris operibus potest huius cõpetere. Populũ suum saluũ faciet, hoc est, electos, quos ipsi pater adducit. Li nanq; soli, ipsum huiusce modi Saluatorem agnoscunt, eoq; etiã experiuntur. Ita autem saluum facit: Morte sua omnium electorum peccata semel expiauit, meruitq; ut pater illis propitius, suum spiritum donet: eo renouati, hanc Dei gratiã agnoscunt, eaq; fidunt, quare & plene ipsam tandem percipiunt: interea dum hic uiuitur, hanc gratiam prædicant, proximos diligunt, aduentum huius seruatoris nostri, in summa uitæ moderatione, & crucis parata tolerantia expectant: qui tum uniuersas peccati

Abraham. *Ioannes.* *Iesus.* *Quæratio nostræ reparationis.* D

reliquias

A reliquias expurgabit, penitusq; renouatos, ac Dei plenos, beatos in æternũ reddet. Hinc est quod Petrus & Ioannes Act. 4. dicebant: Nõ est aliud nomẽ sub cœlo datũ hoibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Porrò salus hæc ita plene in optimum uitæ statũ restituit animo & corpore, ut nihil omnino præterea boni desideremus. Eaq; est uita illa æterna, quam Dominus omnibus in se credentibus toties pollicetur, Ioannis 3. & 6. ac locis alijs innumeris. Qui fit igitur, si in solo ipsius nomine salus est, & plena, ut illud non solũ ex animo inuocemus, cui uelint nolint, oportebit flectere se omnium genua: Philippenses 2. Proinde uel sola hæc uox Iesus, quantam quæso, pijs & credentibus animis consolationem & fiduciam iure adferat? Ter maximam ergo Domini nostri maiestatem ac diuinitatẽ Euangelista, uel ab initio, ut diximus, prædicauit, dum de Iesu Christo se scripturum recepit.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Porrò totum hoc factum est.) Nimirum ut Iesus Christus seruator noster, ex diua uirgine, à spiritu sancto grauidata, nasceretur homo: & iuxta munus suum, Iesus uocaretur, quod cũ saluatorẽ significet, recte etiam Immanuel dicitur, quòd per ipsum solum uere præsentẽ ac propitiũ Deum habeamus. Vbi nanq; salus ibi Deus, cuius solius est, uere saluare, postquam salus hominum uana, Psal. 60. Porrò uaticiniũ hoc Iesa. 7. legitur, eisdem ferè uerbis, apud Hebræos, Septuaginta, & Euangelistam. Hebræa ad uerbum sic habent: Ecce adolescentula illa prægnans, & pariens filiũ, & uocabis nomen eius Immanuel. Hoc testimoniũ Iudæi ex duobus calumniantur. Prius est, cum signum hoc de puella datum sit Achaz, ad confirmandam promissionem liberationes à ui Syrorũ & Israelis non potuisse tam diu differri, frustra enim fuisset, pro signo regi Achaz datum, qui id non potuisset uidere: deinde adolescentulam, non uirginem uatem dixisse. Ad prius respondẽdum est, cum nollet Achaz signum liberandi populi ac regni sui, à Deo petere, eò quòd frustra se petiturum, inopia fidei
B existimaret: plus uirtute Assyriorũ, quàm Domini confisus, Dominũ noluisse in præsenti illi signum dare, sed quasi exprobrans ipsi & populo impiam ingratitudinẽ & fidei inopiam, de futuro illis auxilio & æterno quidem, ac spirituali, cœpisse polliceri. Quasi dixisset: Impij & ingrati, non confiditis mihi, quòd uelim & possim hanc urbem de manu liberare Assyriorum: qui tanta uobis feci, & maiora adhuc facturus sum. Non enim tantum urbem hanc ab hostibus liberabo, uerũ dabo uobis adhuc filium meum, extinctis omnibus istis hostibus uestris. Hunc inaudito miraculo, uirgo hominem, à sancto spiritu prægnans facta, pariet. Quod utiq;, omnibus quotquot ex gente uestra electi sunt, & erunt, gratiæ meæ signum certissimum erit: eoq; in illo filio meo unigenito æternum me sibi præsentem & propitium agnoscent. Reliqui uestri similes, more uestro, Romanam illi uirtuti meæ potestatem præferent; his ille in ruinam erit, uti electis futurus est in salutem. Atq; ita signum hoc Achaz promissum, omnino simile illi fuit, quod de signo Ionæ Dominus Iudeis respondit, infrà. 21. Et Ioan. 2. de soluendo ac restituendo templo corporis sui. Vtiq; signũ resurrectionis Christi fuit ter maximum: sed ut pijs solis cognitũ, ita his solis fuit saluti: reliquis, ut diuina omnia, cessit in iudicium. Sunt tamen, qui putant, non esse magnopere cũ Iudæis hic pugnandum, contendentibus statim ab illo ipso tempore, quo hæc uates prædixit, regem Achaz filium ex puella suscepisse, & antequam is adoleuisset, ut bonum & malum discerneret, hostiles illos duos reges, Retzin & Recach fuisse sublatos. Ita puellum hunc regi ac populo, quorũ corda formidine à duobus illis regibus, ut arbores uento agitatæ, trepidabant, signum fuisse diuinæ opis, quam sic laturum se Dominus promiserat, ut non solum regnum Iuda illi non expugnarent, quod certe statuerant, sed ut ipsi etiam item perirent, antequam, scilicet, puer iste discrimina boni ac mali per ætatem teneret, etiam si mature hoc assequeretur, delicatissime nutriendus, quod butyro, id est, præstantioris lactis atq; mellis cibo significatur. Hunc

uero puerum dicunt isti fuisse typum Christi, quo nato populus Dei, non à duobus C
solum, sed uniuersis hostibus & malis ereptus est, Deum plenissime præsentẽ, & pro
prium nactus: atq; ideo in hoc uere demum præsens uaticinium impletum esse, pro-
phetamq; in hunc præcipue respexisse: etsi id etiam, sed pro typi tantum ratione, ad
filiũ Achaz pertinuerit. Eo modo, quo & uaticiniũ illud 2. Reg. 7. & 1. Para. 17. quod
suprà tractauimus, partim ad Solomonẽ, aliosq; Dauidis posteros attinuit, cum de
Christo tamen fuerit datũ præcipue, in eoq; solo impletũ. Pleraq; enim de Christo
uaticinia sic habẽt, ut partim & de ijs dicta sint, qui Christi typum prætulere, de quo
dicam nonnihil infrà. Certe qui ea, quæ uates hoc 7. cap. uaticinatur suo ordine, atq;
diligenter considerarit, is uidebit uatem quatuor potissimũ hic agere. Primum est,
quòd memorat, ut rex Iuda & populus consternati fuerint, audito Retzin rege Sy-
riæ, cum Recach rege Israël conspirasse, & coniunctis uiribus exercitũ ducere con-
tra Ierusalem, ut regem ei præficerent filium Tabeal: ingẽti siquidẽ classe Iuda pro-
strauerant, occisis centenis millibus, & captis mulieribus & liberis bis centenis mil
libus, ut legimus. 2. Par. cap. 28. Hinc scribit uates cor populi agitari cœpisse præ me-
tu, uti agitantur arbores syluæ impulsæ uento. Proximũ quod propheta hoc capite
narrat, est, se missum peculiariter ad regem, ut ei prædiceret, duos illos reges, quam-
uis spe iam Ierusalem expugnassent, nihil tamen effecturos. Inde iubet regẽ mittere
metum, & animo esse securo. Tertiò addit Dominum confirmando regẽ adiecisse,
ut signum sibi peteret, uel ex supernis, uel è supernis: regem uero petere signum no-
luisse, prætexentem religionem, cum reuera illum sua incredulitas à petendo signũ
remoraretur. Quam incredulitatem memorat se uates increpuisse his uerbis: Au-
dite heus domus Dauid: Parúm ne uobis uidet, quòd molesti estis hominibus, con-
temnendo, scilicet, quòd illi uera uobis prædicant, nam & Deo molesti estis: oblatã
uobis ultrò opem nunc spernendo. Propterea (nimirũ ut uincat Deus bonitate ob- D
stinatam uestram incredulitatem, & uel inuitis promissi sui ueritatem uobis cõpro-
bet) en dabit ipse uobis signum, quo, si qui in uobis reliqui sunt, qui credere ipsi sus-
tinent, fiduciam & expectationẽ promissæ opis suffulciant. Ecce puella uirgo con-
cipiet, & pariet filium, cuius nomen uocare debet Imanú El, id est, nobiscum Deus.
Præcipuum lactis & mel edet, hoc est, delicatè enutrietur, quò maturè adolescat, id
est, huc ætatis perueniet, in qua sciat reijcere malum, & eligere bonum: nam priusq;
quam puer sciat reijcere malum, & eligere bonum, id est, antequam pueritiam egre-
diatur, diceretur terra, quam tu auersaris, terra Israëlis & Syriæ, à regibus suis: uterq;
enim Retzin rex Syriæ, & Recach rex Israëlis paulò post hoc uaticiniũ deuicti fue-
runt, priusquam puer ille in signum regi donatus, adoleuisset, & scientiã fugiendo-
rum, & expetendorum teneret. Iudæorum quidam istuc: Reijcere malum & eligere
bonum, tantum ad cibos referunt: alij ad primam illam cognitionem bonorum &
malorum, quam pueri etiam habere incipiunt, de quo quicquid sit, formula hæc pe-
riphrasis est pueritiæ. Quartum quod hoc capite agit uates, minæ sunt de rege Assy-
riorum. Cum enim Achaz ab hoc auxilium magno emere, quàm à Domino ultrò et
gratis oblatum accipere mallet, minatus est ei Dominus, extrema eum ab Assyrijs
passurum, quod etiam euenit. Historiæ ergo seriem sequenti, uideri possit non adeò
absimile ueri, etiam tum, quando Dominus populo suo liberationem pollicebatur
à ui regum Syriæ & Israëlis, qui Iudæos propè deleuerant, signum illi dedisse puerũ,
quem ideo uocari uoluerit Immanú El, id est, nobiscum Deus. Et in hoc typo filij sui,
simul promisisse eundem Dominum Iesum ex uirgine puella natum nobis: ut inter-
necioni deuoti, in uitam restitueremur æternam. Deniq; nobiscum esse plenissima
tandem eius ope experiremur, ut enim dicemus præcipua Christi, non tam uerbis
nobis pater, quàm typis quibusdam quos in sanctis suis præmisit, promisit, multaq;
antè deliniauit. Porrò ad id, quod Iudæi obijciunt, Prophetam adolescentulam di-

xisse

A xisse pariturã,non uirginem:nõ enim בתולה, quod uirginẽ proprie significat,sed עלמה,quod puellã,uel adolescentulã, à propheta dictum. Respondendũ est, hic Iesaiam,ut de re supra modũ miranda uaticinatum,nihil autẽ miri,si adolescentula cognita à uiro,mater fiat: miraculum autẽ est,quòd incognita uiro peperit. Ad hæc alma,non quamlibet adolescentulã,sed innuptam adhuc, ac uelut domi abscõditam, ut uirgines solent antequam nuptũ elocentur, significat, qualis Rebecca erat, cum Isaaco sponsa peteretur. Ea tum alma dicebatur,ut legimus Gene.24. Ita uocatam & Mariam sororem Mosi legimus,cum à filia Pharaonis iuberetur, nutricem recepto infantulo Mosi adducere,quando certe admodum puella fuit. Nec obstat his, quod Prouerb.30. legitur: Tria mihi admirationi sunt,quartũ nescio. Via aquilæ in cœlo, uia serpentis super petram, uia nauis in corde maris, & uia uiri in adolescentulam. Nam per hoc quartum studium adolescentis, puellã depereũtis & ambientis, quod utiq; inexplicabile est,& cognitu difficillimũ,significatur. Sic adolescentula,uel alma,& hic,nisi innuptam significat. Sed his Iudæum non peruinces,habet semper impia peruicacia quod regerat,siue id quadret,siue minus. Quare de istiusmodi rebus cum Iudæis,nisi id fieret ad tuendam ueritatẽ à credentibus iam receptã, ne hi,scilicet,si nihil calumniatori Iudæo responderemus,scandalon paterentur,haudquaquã ab initio disputandũ est: sed prædicanda est illis exemplo Christi, & Apostolorum, ante omnia resipiscentia, conuincendiq; sunt esse peccatores, naturaq; nihil boni posse,nisi è supernis animo renouentur,&c. Id si persuaseris, persuadebis facile Christum & omnia. Si hic nõ successerit, inanis erit λογομαχία quicquid cum illis egeris: si non simul,& ipsis & auditoribus euadet damnosa. Nimirum si parum commode possis ad singulas illorum argutias respondere, ut illi in errore suo confirmatiores abibunt,ita infirmiores auditores de ueritate incipient nonnihil dubitare.

Quomodo cũ Iudæis disputandum.

ENARRATIO SECTIONIS VIII.

B Excitatus autem Ioseph à somno,fecit ut,&c.) Vide certitudinem oraculi,licet in somnis accepti. Ita cum Dominus cordi loqui cœperit, quæ etiã humanæ menti impossibilia uidentur, non tantum absurda, aut dubia, omnia credit, omnia sequitur, omnia amplectitur. Ita ergo Iosephi animus uim diuini responsi senserat,ut neq; dubitaret diuinitus immissum oraculum:neq; uera quæ audierat,licet omnem naturæ facultatẽ superarent:neq; grauaretur remisso iam iustitiæ suę rigore, à se incognitã, ut uxorem fouere, magisq; iam seruuli, quàm mariti & officiũ & locũ amplecti. Ita utcunq; humilis mentiq; nostræ absurdus sit,sermo crucis Christi, quantũlibet etiã non probabiliter ac plausibiliter prædicetur,si intus docuerit Dominus, nihil omnino erit uel creditu,uel factu difficile. Si is non docuerit,fidem operaq; simulare audi tores possunt,habere & facere non possunt,etiam si Paulum,uel Christũ ipsum, suadentem audirent. Ergo quod Ioseph apud se non dubitauit, angelum Dei sibi apparuisse,ueraq; esse quæ audierat,quamlibet miranda,& inaudita essent,sed incontanter illico fecit,quod sibi angelus Domini iniunxerat, assumpta in uxorem, quã metuens paulò antè retinere,statuerat clanculum dimittere,opus fuit diuini spiritus,ita animum eius,ad angeli oraculum formantis.

Et non cognouit eam,donec peperisset.) Si nouissent,quos hoc donec & primogenitus,torsit atq; coegit de perpetua uirginitate Mariæ disputare,quid in Euangelijs petendum sit,imò quid sint Euangelia,nunquam eiuscemodi disputationem admisissent. Euangelia Christum unum prædicant, saluatorem omnium in se credentium,præter hunc,ut non opus est,aut salutare,scire aliquid,ita nihil præterea pij uestigabunt. Si igitur inciderís in præpostere curiosulum aliquem, qui hæc exagitare atq; de alijs filijs Mariæ disputare uolet,respondeto:Christianus sum, ideo cum Paulo satis habeo,cognouisse Iesum Christum & hunc crucifixum, hunc Euangelistæ & omnes diuinæ literæ solum prædicant. Vere homo factus est,sed absq; peccato, qua

lis nemo opa uiri poteſt gigni. Igitur ſcriptura mihi prędicat Mariã uere illi ſecundũ C
carnẽ fuiſſe matrẽ, ſed uirginẽ, & ex ſpiritu ſancto, non uiro grauidatã. In hoc ergo dum uitã æternã habeã, cur uel de matre præterea, aut alijs eius liberis impia curioſitate ueſtigarẽ? Diſputent de filijs Mariæ alijs, quibus hic Ieſus Chriſtus unus ſatis nõ fuerit. Deinde & ex eo certũ eſt, ſua ſomnia illos ſequi, qui ita (donec) urgent, & (primogenitus) cũ neutrũ conuincat, illã uel ab edito Chriſto, à Ioſeph cognitã uel alios habuiſſe filios. Dico amico, uale donec rediero, non uolo tamẽ, ut me reuerſo, amicus nõ ualeat, cuiuſmodi exemplis, nõ ſcriptura ſolũ, ſed quælibet etiã lingua plena eſt. Ita in ſcripturis primogenitus dicit, ante quẽ nullus alius ab eiſdẽ parentibus editus eſt, ſi etiã nullus poſt eum unquã editus fuerit. Sed, ut dixi, prorſus impiũ eſt, de iſtiuſmodi quæſtionibus eſſe ſolicitũ, et eorũ tantũ, quibus unus Chriſtus ſatis nõ eſt. Mariæ uirginis & matris cognitio neceſſaria eſt, ut Chriſtũ, ſcilicet, agnoſcas, & uere pro te hominẽ factũ & peccati purũ, ut te peccato liberaret, reliqua Mariæ nihil ad te. Igitur Euãgeliſtæ, Chriſti non Mariæ præcones, nihil præterea de ea, niſi paucula quædã, quæ & ipſa ad cognoſcendã Chriſti maieſtatẽ præcipue faciunt, cõmemorant. Attamen pius animus de Maria, uaſe tam ſancto, atq; electo ut Chriſtũ nobis pareret, non niſi ſanctiſſima cogitabit, nec unquã ſuſpicabitur eam, quæ grauida ſemel facta fuit è ſpiritu ſancto, ſuſtinuiſſe, ut poſtea grauidaret ab homine. Ad quod credendũ, cõſenſus perpetuus eccleſiæ momentũ præcipuũ adfert. De quo ſanè dubitare, dum nullũ id cogit certum oraculum ſcripturæ, nõ eſt eorũ, qui quid ſit Chriſto eccleſia, didicerunt. Ex hoc uero conſenſu, nemo uereatur, ut impia ſibi hominũ commenta obtrudantur, quod quidem nonnulli conantur. Illa enim ſemper deprehendes cum expreſſis ſcripturæ oraculis pugnantia ex diametro.

CAPVT SECVNDVM.

Sect. 1. CVM NATVS ESSET IESVS IN BETHLEEM D
ciuitate Iudææ, temporibus Herodis regis, ecce magi ab oriente acceſſerunt Hieroſolima, dicentes: Vbi eſt ille, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim illius ſtellam in oriẽte, & acceſſimus, ut adoraremus eum.

Sect. 2. Auditis autem his Herodes rex, turbatus eſt, & tota Hieroſolimorũ urbs cum illo, & conuocatis omnibus pontificibus, & ſcribis populi, percontatus eſt eos, ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudææ. Sic enim ſcriptum eſt per prophetã: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es inter principes Iuda. Ex te enim mihi proditurus eſt dux, qui gubernaturus eſt populum meum Iſraël.

Sect. 3. Tum Herodes clam accerſitis magis, accurate perquiſiuit ab illis, quo tempore ſtella apparuiſſet. Et iuſſis ire in Bethleem, dixit, profecti illuc, accurate inquirite de puero. Vbi uero inueneritis, renuntiate mihi, ut & ego ueniam, & adorem illum. At illi audito rege, profecti ſunt. Et ecce ſtella quam uiderant in oriente, præcedebat illos, donec progreſſa ſtaret ſupra locum in quo erat puer. Cum autem uidiſſent ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno ualde. Et ingreſſi domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & proſtrati adorauerũt illũ, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt illi munera, aurum, & thus, & mirrham, & oraculo admoniti in ſomnis, ne reuerterentur ad Herodem, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

Digreſſus

A Digressis autẽ illis, ecce angelus domini apparet in somnis Ioseph, dicens: *Sect. 4.*
Surge, & assume puerum ac matrẽ illius, & fuge in Aegyptũ, & esto illic donec
dixero tibi. Futurũ est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.
Ille uero excitatus, assumpsit puerũ & matrẽ eius noctu, & secessit in Aegyptũ,
& fuit illic usq; ad obitũ Herodis, ut perficeretur quod dictũ fuerat à domino
per prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum.

Tum Herodes, ubi uidit sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est uche *Sect. 5.*
menter, ac missis satellitibus, interfecit omnes pueros, qui erant Bethleem, & in
omnibus finibus Bethleemiticis, quotquot essent bimuli, aut minores iuxta
tempus quod exacte cognouerat ex Magis. Tunc perfectum est, quod dictũ
fuerat à Hieremia propheta, cum ait: Vox in Rama audita est, lamẽtatio, plo-
ratus, & fletus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem ad-
mittere, propterea quòd non sint.

Cæterum defuncto Herode ecce angelus domini in somnis apparet Ioseph *Sect. 6.*
in Aegypto dicẽs. Surge & assume puerũ & matrẽ eius, & uade in terrã Israel,
defuncti sunt enim qui quærebãt animã pueri. At ille surgẽs assumpsit puerũ
& matrẽ illius, & uenit in terrã Israel. Verũ cum audisset Archelaũ regnare in
Iudæa loco Herodis patris sui, timuit illuc abire, sed oracuło admonitus i som-
nis, secessit in partes Galilææ, ac profectus habitauit in ciuitate, quæ uocat Na-
zareth, ut impleretur quod dictũ erat per prophetas: Nazaræus uocabitur.

B ENARRATIO SECTIONIS I.

VM autẽ natus esset Iesus in Bethleem, &c.) Primo capite genus et ortũ Christi Euãgelista descripsit, hoc secundo quæ infanti acciderũt, cõmemorat, in omnibus eum saluatorẽ, uerumq; Christũ prædicans: qua de causa hic locũ natalẽ, ac regnũ Herodis nominatim expressit. Ex Bethleẽ enim dux iste populi Dei, iuxta subiectũ Micha uaticiniũ, proditurus expectabatur. Et Iacob adfuturũ ipsum prædixerat, cũ esset sublatũ à Iu-da sceptrũ, Gen. 49. Id tum nato Christo à Iudæis ablatum, xxxij. annos, penes Hero dem alienigenam fuerat. Dominus ergo sua natiuitate facta hoc loci & hoc tempo-ris, se Christũ Dei, ac populi liberatorẽ declarauit, re ipsa uelut ita Iudæos alloquu-tus: Accisæ plus nimio, pressæq; res uestræ sunt, duro tot iã annis tyranno seruitis, ut recuperandæ libertatis spem ferè posueritis, confirmato illi regno à Romanis. Reci-pite nũc animos, adsum alter ille et uerior Dauid, rex huius populi et liberator tãtope expectatus, uere quotquot me receperint liberaturus, ac cœlesti regno donaturus.

Quòd autẽ humili adeò loco, & tẽpore Iudæis tã infelici, secundũ carnẽ Christus nasci uoluit, monet humilia illi secundũ carnẽ semper placere, et nõ esse tẽpus aduen tus eius eque aptũ, atq; in quo oia seculi huius nobis aduersanẽ. In eo enim & ipse se saluatorẽ potest declarare, & nõ obstat nobis mũdi, psperitas, quo minus auidissime ipsum recipiamus. Neq; enĩ adesse ille potest, ubi nulla sui necessitas, uel est, uel sen titur. Fuit quidẽ Bethleẽ quãlibet humili uiculo, ingens apud pios nobilitas, quippe *Natalis loeus re nobilis, opi nione ignobi-lis.*
ex eo ut Dauidẽ acceperãt, ita sciebãt se benedictũ quoq; illũ filiũ Dauidis Christũ, omniũ instauratorẽ accepturos: at perq; modicus extitit horũ numerus, quãdo tam pauci ex illo populo Christũ, ubi se inauditis signis ac portẽtis exhibuit, receperũt. Vt igitur parẽtes, licet ex regio sanguine descẽdentes, atq; diuina, pmissione nobilis-simos, mundi tamẽ iudicio tũ maxime humiles atq; pauperes, sibi delegit; ita locum

quoq; natalẽ,ac tempus,ex Dei uerbo habuit dignitatis præstantissimæ, attamẽ uul- c
gi opinione nihil habebatur uilius aut deploratius. Ita & nos mundo uilescere opor
tet,& nostra omnia pro nihilo haberi, cum tamen filij Dei, in Christo æternam uitã
ac omnia summa possideamus.1.Cor.4. 2.Cor.6. 1.Ioan.3.

Ecce Magi ab oriente.) Magi autore Strabone,lib.16,id fuerũt apud Persas,quod apud Indos Gymnosophistæ,Chaldæi apud Babylonios,Moses apud Hebræos,qui nimirũ diuina gentilibus suis præcepta & documẽta edebãt. Et lib.15,ait: Nationes incolũt regionẽ,quæ Patischores appellatur.Itẽ Achæmenidæ & Magi,qui honestũ quoddã uiuendi genus sectãtur.Ex his stellæ apparitione excíti aliqui fuerunt,ut cũ muneribus adoratũ Christũ,Hierosolyma aduenirent.Sunt qui ex felice Arabia eos aduenisse putãt,cõiecturã sumẽtes ex ratione donorũ, quæ in ea regione ꝓueniunt, thure & mirrha. Nã fuisse morẽ ueteribus apparet, inter honoraria munera potissimũ,quæ qbusq; domi peculiaria,ꝓueniebãt offerre. Vnde Iacob Gen.45. filios suos iubebat Iosepho afferre munera,de optimis terræ frugibus,modicũ Balsami,mellis, &c. At uero cũ Euãgelista scribat ab oriente Magos hos uenisse, non ex Saba, felici Arabia,quæ regio Iudæis satis noïata fuit,toties,scilicet,à ꝓphetis cõmemorata: deinde Saba,id est,felix Arabia, Iudææ sit ad meridiẽ, quare regina Saba à Christo regina Austri uocat̃,infrà 12.malo cũ Chrysostomo cui cõsonant, quæ de Magis apud Persas Strabo scriptũ reliqt,dicere,hos Christi adoratores ex Perside aduenisse, Ierusalẽ ad orientẽ sita,regione tam longinqua, ut Euãgelista eã nullo peculiari noïe potuerit cõmode designare, scripseritq;, scilicet, ad cõmendandũ miraculũ,ab oriente illos aduenisse. Ad id facit & excitandi illud aduerbiũ,Ecce. Quasi dixisset, Videte grãde miraculũ,ex orientis remotissimis regionibus,quarũ & noïa ignoramus, Magi adoratũ Christũ,stella adducti fuere.Etsi autẽ ꝓphetarũ scripta nomẽ Persidis habeant פרס,id est,Parasch, qa tamẽ hæc ultima est regionũ, quæ Iudæis noïatæ erãt, & Magorũ regio forsan extrema Persidis,maluit Euãgelista memorare magos istos ab oriente,q̃ à Perside uenisse. Cæterũ cũ Persæ, felici Arabiæ uicíni sint, eoq; aromatibus abundent,nihil insolens est,q̃ munera attulerũt,non in ꝓpria,sed in uicina tamẽ regione nata:præsertim tam rara,atq; in omni orbe eximia.Horũ ergo Magorum Persidis sacerdotũ,miraculosus aduentus Iesum nostrũ declarauit esse illũ principẽ felicissimũ,cui populos Iacob prædixit auscultaturos, Gen.49. Radicẽ istã Isai, quæ stat in signũ populorũ,quã gentes erãt quæsituræ.Iesai.11. Magos Euangelista, nõ reges scripsit.Strabo, qui illo ipso tẽpore floruit, eoq; admodũ idoneus huius rei testis est,scribit Magos Persarũ fuisse sacerdotes.Ad hæc,ut & hic ab Euãgelista describũtur,nihil sanè regiæ dignitatis præ se ferũt.Ita nõ regiè ab Herode uocatos,rursumq; dimissos,ac demũ insidijs eius elapsos cõmemorat.Mittẽdi quoq; sunt,q illud Iesaiæ 60.Omnes de Saba uenient,aurũ & thus portabũt. Et Psal.72. Reges Tharsis & insularũ munera offerẽt,reges Arabiæ,et Saba donũ adducẽt,in Magos hos peculiariter cõpetere,atq; in eis cõpleta cõtendunt. Vtrobiq; enĩ prædictũ est, de Gentiũ cõuersione ad Christũ in genere,tam orientaliũ,q̃ occidentalium. Hæ enĩ per reges Tharsis & insularũ,illæ per Aethiopes,Midianitas,Arabas,Sabæos, & reliquos populos,quos uterq; ꝓpheta noïatim recensẽt,intelligitur. Cæterũ Tharsis,autore Iosepho lib.Antiq.1.cap.11,Cilicia olim dicta est,q̃ à Tharsis,nepote Iaphet,filij Noah, de q̃ Gen.10,cœpta sit primũ inhabitari. Vnde eius regionis metropolis,ℓ. mutata in r. Tharsus nomẽ retinuit,ortu Pauli Apostoli,nõ uulgariter nobilis. Inde ut fieri solet,& mare Cilicũ,in cuius meridionali litore Iudæa est,Tharsis uocatũ,admodũ uerisimile uidetur,uti & Ausoniũ, Siculũ, Ioniũ, & aliæ regiones mediterranei maris, ab accolentibus populis,& illi ab autoribus suis,noïa acceperũt. Hinc naues Tharsis dictæ sunt quasi marinæ,quibus in mari hoc mediterraneo nauigabatur, ac inde ꝓ qbuslibet marinis nauibus. Fortè etiã, quia à Cilicibus nauigãdi præ alijs peritis,

Tharsis Cilicia est.

Naues Tharsis.

naues

A naues marinæ cõficiebãtur: nã nauibus supra modũ abundabãt, ut Xerxi cõtra Græcos centũ naues suppeditasse, scribat Herodotus, naues marinæ quælibet uocatæ fuerunt naues Tharsis, quasi Cilicũ. Dum enĩ ait: Transite ad Tharsis, ululate habitatores insularũ, quis nõ uideat regionẽ & urbẽ Tharsis uocatã, ad quam abire iubentur mercatores Aegyptij, Zor, hoc est, Tyro, cuius deuastatio hoc loco à ꝓpheta prædicitur excisa? Senius enĩ ꝓphetiæ sic esse uidetur, Tyri, ô mercatores, iã mercatus uestros exercere uobis haud licebit, euertetur enĩ, trajiciendũ uobis erit in Ciliciam, & Tharsi posthac negotiandũ. Hæc plenius ac certius annotata sparsim ab insigni Christi ministro Ioanne Oecolãpadio, in Hypomnematis suis supꝑ Iesaiã prophetã leges. Huic sentẽtiæ haud adeò obstare uidetur, ꝙ Cilicię metropolis Tharsus, nõ Tharsis uocetur, cũ insolens nõ sit tantulã nominis factã esse immutationẽ: uix ullũ nãqꝫ uel loci uel gentis nomen, ita & à gentibus, ut à scriptura, ꝓfertur. Quos scriptura Mizraim uocat, gentes Aegyptios uocãt. Sic cũ Ierusalaim in scriptura legitur, nemo tamen nõ intelligit, quàm urbẽ reliqui scriptores noĩe Hierosolimorum appellent. Ec quantũ etiã Euãgelistæ, immutatis ab Hebræa forma, noĩbus utuntur, de quo suprà memini? Sunt quos moueat, ꝙ Solomoni naues Tharsis tertio quoqꝫ anno reuerti solitas, cũ naue Hiram legimus. 1. Reg. 11. Sed hæ naues è sinu Arabico Iudææ petebant, & dicebãtur naues Tharsis, quasi marinæ. Has legimus Solomonẽ ædificasse in Ezeon Geber, quæ est iuxta Eloth in litore maris iuncosi, in terra Edom, & Hiram regẽ Tyri misisse in naui seruos suos nauigãdi & maris peritos, ꝙ simul ad Ophir, in orientẽ nauigabãt, allatũ aurũ. 1. Re. 9. & 1. Par. 8. Cũ itaqꝫ tota Cilicũ regio, Tharsis, à Tharsis nepote Iaphet, ut Ionia à Iauan, & aliæ regiones orbis, ab aljs filijs Noah, cognominata fuerit, totqꝫ regiones sub imperio suo tenuerit, quid absurdi, si reges Tharsis, de tot gentiũ imperio loquens, ꝓpheta dixerit? Proinde ut firmũ esse nõ puto, Tharsis mare mediterraneũ totũ, aut oceanũ in scriptura uocari: ita Cilicią ita di-
B ctam, & ab ea alluens ipsum mare, cuius meridionale litus Hebræi adhabitahãt, cũ multæ ex scripturis cõiecturæ, tũ Iosephi autoritas cõfirmat. Quod uoluí hic admonere, postqꝫ in mẽtionẽ Tharsis incidimus, ut ostẽderẽ, quàm incerto testimonio hoc, reges Tharsis, &c. ad Magos sit pertractũ, quasi fuerit peculiare de illis uaticinium. Vbi est ille qui natus fuit rex Iudæorũ? Vidimus enim illius stellã.) Vide ut electi, omnia à Deo, etiã citra omnẽ hominis operã docentur. Per nullũ externũ prædicatorẽ hi Magi moniti, Iesum Regẽ Iudæorũ, & nequaqꝫ uulgarẽ, aut à quo solis Iudæis salus esset futura, agnouerũt. Alioquí tantũ iter, eius adorãdi causſa haudquaqꝫ suscepissent. Hi specimen eius dederũt, quòd Christus postea Iudæis dixit futurũ: Dico autẽ uobis, quòd multi ab oriente & occidẽte uenturi sunt, & accũbent, cũ Abraham & Isaac, &c. infrà. 8. Ne despondeamus igitur animũ de eorũ salute, quibus nõdum datũ est audire Euãgelion, nouit Dominus suos, hos noricꝫ cedet satanæ, sed interim pro ipsis oremus ad Dominũ, ut & illos aliquãdo filio suo attrahat: & interim caueamus ne nobis Euangeliũ frustra prædicetur, quibus datum est illud audire.

Stellã istam, quam regis huius Magi uocãt, facile apparet nouã in hoc ministerĩũ, ut ipsos Christo adduceret, conditã fuisse. Nam certo tempore domi ipsorũ illis apparuerat, cumqꝫ Hierosolymis, ubi frustra Christum quæsierãt, essent egressi, iterum præluxit, præcessitqꝫ usqꝫ Bethleem, & stetit supra locum in quo puer erat, uelut illũ indicans, quæ omnia aliena fuerunt à natura & ratione reliquarum stellarum.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Auditis aũt his Herodes rex, turbatus est, & tota, &c.) Regẽ sibi male conscíũ, mirũ nõ est turbatũ fuisse, audito, esse aliũ Iudæis regẽ natũ. At turbata fuisse tota Hierosolyma, argumento est, side in Messiam, quam se simulabant à Domino petere, urbem uacasse. Turbabatur enim, quòd timerent nouo isti regi, Herodem sine cæde & sanguine, regnum haudquaqꝫ cessurum, non ꝙ tyrannum amarent. Multa nanqꝫ

cladē ſuorū aliquoties iam uiderant, tyrannidi illius repugnatum. Ferre igitur male bant malū iam ferè aſſuetū, cp illud repugnando duplicare. At ſi fidē habuiſſent oraculis ꝓphetarū, hoc timore uacaſſent, nō dubitātes, Deū quod ꝓmiſerat ſuo Meſſiæ regnū, facile ac non modo citra periculū, ſed cum certa etiā populi ſui ſalute inſtituturū, Herode nequicquā repugnante. Multiplicandū ac roborandū principatū Chriſti cum pace ſine fine, Ieſaia prædixerat, ſeſſurumq; ſuper ſoliū Dauid, & iup regnū eius, ut cōcinnaret, & cōfirmaret illud in iudicio & iuſtitia, à nunc & uſq; in ſeculū, addēs: Zelus Domini exercituū faciet hæc, Ieſ. 9. Ecquí potuiſſet huic caro reſiſtere? ſcilicet furor Herodis, obſiſtat zelo Dei? Sed deerat illis fides. Horum hodie cp plurimos uidemus ſimiles, qui & ſi Chriſti, quàm Antichriſti imperiū mallent: quoniā autā timēt Chriſto Antichriſtū nō tam facile ceſſurū, & interea, ſi nondū penitus Antichriſto extincto, quod nō niſi illuſtratione nouiſſimo Chriſti aduentu fiet, Chriſti regnū reducat, aliquid incōmodi ſe fortè paſſuros, malunt duriſſimū Antichriſti iugum; cū certa ac æterna animę & corporis pernicie, quàm Chriſti cōmodū cū carnis periculo magis, q̄ damno perferre: adeò ut ſi quando præter ſuā exiſtimationē Chriſti regnū incipiat illuceſcere, ex animo turbentur, ueriti id turbas daturū. Nos autē qui ſcimus carnē fœnū eſſe, & gloriā carnis fœni florē, & utrūcp illico exareſcere atcp cōcidere, cū uerbū Domini in æternū ſtabit, dū annuntiatur regnū Chriſti, leuemus capita noſtra, appropinquat certè noſtra redēptio, quālibet multi Herodes, quātumuis potenter reſiſtant. Ita indubie Symeon iuſtus, Anna filia Phanuelis, ac q̄bus hæc de Chriſto loquebatur, qui expectabāt redemptionē in Ieruſalē, hi audientes iā natū Meſſiā, nouū & æternū regē Iudæorū, apud ſe inquiri, mirifice exultarunt, adeò abfuit, ut hinc turbarentur, certi, Deo omnia poſſibilia eſſe: deinde agnoſcentes regnū Chriſti, ut nō de hoc mundo futurū, ita per ſe quidē nullas uſpiā daturū turbas, quam quam agitante ſatana principe mūdi ſuos, nunquā poſſint in orbe ſine perſecutione agere, qui uolunt pie uiuere. Hinc autē patet, quod Euangeliſta ait, tota Hieroſolyma, Synecdochen eſſe, quæ ex toto maiorē partē ſignificat. Perpauci nancq; credētes Hieroſolymis tū erant, ut ferè ſemper reliqui omnes, ut temporariā pacē, quàm Chriſti regnū malebant: ita turbabantur, ſimulatcq; audiebant ſibi nouum regem natum.

Et hodie regnum Herodis regno Chriſti præferunt.

Et cōuocatis oibus pontificibus & ſcribis populi, &c.) Vide demens impij regis conſiliū. Si (te appello Herodes) oracula ſcripturæ inania putas, ut de te ex uita tua iudicandū eſt, cur pontifices & ſcribas, ut ex ea tibi reſpōdeant cōuocas? Multo magis autē, cur Bethleemitanos infantes trucidas, ſperans te ſic & Chriſtū, quē Bethleē naſciturū ꝓphetæ prædixerant occiſurū? Si uana tibi ſcriptura habetur, cur nō & uanum habes, q̄cquid ea de Chriſti regno uaticinatur, & ſinis Magos ſua ſomnia perſequi, neq; ipſe turbationē admittens, neq; tanta infantiū cęde turbationē aliis commouens? Si uero diuina in illa oracula credis cōtineri, ut ſolicite adeò ea ſciſcitanda tibi putes, qui nō agnoſcis te fruſtra conari, q̄cquid cōtra Chriſtū fueris molitus? Cœlum enī & terra tranſibunt, & ſtabit uerbū Domini in æternū. Sic autē raptantur in diuerſa, & perturbantur impiorū mentes, ut conentur impoſſibilia, donec ſe penitus dent præcipites, ac incidant in foueā, quā aliis fodiunt. Quod tū potiſſimū experiuntur, quū putāt, res ſuas maxime in tuto collocaſſe. Similē demētiā in Saule legimus, qui Dauidē ꝓſequebatur, cū tamen ipſe fateretur, illū poſt ſe regnaturū, et dominum cū ipſo eſſe. Nec alia Iudæorū cōſilia cōtra Chriſtū Euangeliſtæ deſcribūt. In Pſal. huiuſmodi impiorū conatus ꝓſæpe memorātur, et rident, Pſal. 9. 55. 59. 62. ac aliis multis.

At illi ei dixerūt in Bethleem Iudææ. Sic enim ſcriptū eſt per prophetā: Et tu Bethleem terra, &c.) Vtcunq; impij eſſent hi pontifices & ſcribæ, ſcripturā tamen tenebant, atque incontanter de Chriſto rogati, quod res erat, potuerunt reſpondere: quibus tanto deteriores noſtri ſunt, quod ne ſcripturā quidē norūt, ne dum ſyncere ex ea reſpondere de Chriſto, uel poſſunt, uel uolunt. Sed animaduertendū iuxtà no-

bis,

A bis,quàm nihil sit,scripturæ literam sine spiritu tenere.Natũ hí audiunt Christũ,quẽ ad id temporis expectabant adfuturũ,uaticinium proferũt,Bethleem illi fore natalẽ locũ,norunt & docẽt, & sinunt illò tamen incomitatos abire Magos, natũ Christũ uestigaturos & adoraturos,quos certè anteuertere debuerãt,cũ ipsis potissimũ Christus esset promissus.At ubi deest fides,ubi non trahit pater, Christus neq; cognoscitur,neq; uestigatur,mortua omnia sunt,quicquid de ipso legitur,dicitur,& auditur.

Porrò uaticiniũ prophetæ Micha 5.Heb.sic habet:Et tu ó Bethleem Euphrata quæ minor quidẽ es,q; ut inter millia Iuda cẽseare,ex te tamẽ mihi egredieẽ, qui sit princeps in Israël,& egressus eius ab initio à diebus seculi.Sensus est: Tu Bethleem olim dicta Euphrata,minor es,quàm ut millenariam possis in Iuda præfecturam implere (erat enim populus in centurias,& chiliades distinctus) at corã Domino,qui humilia exaltat,& quæ nõ sunt,uocat ut sint, nequaquã cõtempta es, aut minima,sed præ omnibus,quamlibet magnis Iudææ urbibus, atq; adeò ipsa Ierusalẽ, electa es, ut ex te mihi egrediatur,qui olim nobis rex & saluator Israël promissus est, qui non super mille tantũ,sed totã domũ Iacob principẽ agat in æternũ: ille qui homo quidẽ, ex te post annos aliquot prodibit,sed qui æternũ patris Verbum erat iam in initio, cuius egressus à diebus seculi fuerũt.Nam per ipsum facta sunt, cõsistunt,et uiuunt omnia.

Græca editio quã esse Lxx.putamus,ab Hebræo nõ discordat.Ita enim in ea legimus, Καὶ σὺ Βηθλεὲμ, οἶκος εὐφραθᾶ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν ἰούδα, ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ἐξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, id est, Et tu Bethleem domus Euphrata,minima es,ut sis in millibus Iuda,ex te mihi egredietur,ut sit in principem Israël,& egressus eius ab initio,ex diebus seculi.Latina illa uersio,quæ sub nomine Lxx. in commentarijs Hieronymi in hunc prophetam, Basileæ excusa est,& ab Erasmo in Annotationibus citatur, habet, Nequaquã minima es. Quæ si uere Lxx.est,more suo Euangelista,illorũ lectionẽ secutus est, dum id citra ueritatis
B iacturam potuit.Hic enim uaticiniũ Micha in hoc solũ citatũ fuit,ut probaret Bethleem Christũ fuisse nasciturũ.At simul cõiectura hinc sumitur, eam Græcã uersionẽ quæ sub Lxx.nomine,ab Aldo extat excusa,nõ esse quod dicit. Sed de his Christianus nõ cõtendet,qui uidet ubiq; Apostolis unũ hoc curę fuisse,ut Christi gloriã prædicarent,& in ipso impleta,quæ in scripturis prædicta sunt, ostenderẽt. Ideo de uerbis nunq; solliciti fuerũt,ubi de sententia,quantũ ad ipsorũ institutũ faciebat constaret.Dũ ergo hic Matth.narrare uoluit,scribas Herodi,de loco natali Christi respondisse,quod res erat,subiecit Micha uaticiniũ,ut ostẽderet,ita in scriptura antea fuisse prædictũ,nostrũq; hũc Iesum uere Christũ esse,et in quẽ Christi oia cõpeterẽt.Dũ igitur,ut illud uulgata Lxx.editio habebat, ꝓposito seruiret, neq; sentẽtiæ aliqd in eo esset deprauatũ,maluit uulgatis uti,q; uoculas curiosius sectando, uulgus Ecclesiæ, quod editioni illi assueuerat,mox ab initio turbare. Quod etenim illa editio habet: Nequaq; minima es,&c,à ueritate prophetæ nihil uariat,sed quodãmodo eius uerba explicat,ut Erasmus nõ tam scite,q; uere annotauit. Voluit nanq; propheta significare,quæ tũ ceu paruulus erat,collata reliquis millibus Iuda,Christi ortu ita fore illustrẽ,ut per hunc unũ suũ alumnũ,cunctis Iuda millibus plurimũ præstaret,ac iã nihil minus,q; paruulus esset.Ita ergo aptis uerbis Euãgelista uaticiniũ eius, uulgatæ lectioni inhærens,posuit:nequaq; inquiens minima es, tametsi admodũ exiguus sis carnis iudicio uiculus: qa ex te egredietur, qui pluris est uniuersis millibus,nõ Iudæ tantum,sed totius terræ,qui princeps ille optatus Israëlis, hoc est, electi populi erit,à quo æternã uitã accipiẽt,q̃tquot in eũ crediderint. Satis nãq; uel cuiuis patet,ꝓphetã duo uoluisse dicere:Bethleẽ exiguã esse carne, & ortu Christi fore maximã. Eadẽ iã & Euãgelistæ uerba significãt. Vt igitur nihil est in sentẽtia uariatũ, ita nõ iniuria dum uulgata,ut credit,lectio esset,sic est ab ipso hoc uaticiniũ adductum. Valebant mira energia spiritus Apostoli,uere à domino missi, unde persuadente in uerbis ipsorum

Coniectura uulgatã Græcam editionẽ non esse Lxx.

sorum Dei spiritu,non erat illis opus,in enumerandis uerbis,anxijs esse.Nos tamen quibus uacat & licet,debemus uerba spiritus quàm purissime & religiosissime,citra omnem tamen inanem uocum curiositatem efferre,de quo & suprà monui.

Potissimum autem hic pijs expendendum est, quod per prophetam prædictũ est. Christum principem Israëlis,id est,populi Dei fore,qui ut angelus uaticinabatur, regnabit in domo Iacob in æternũ.Si enim ipse à patre nobis princeps datus,& ea potentia,ut in manu sua omnia habeat, tutissime nos illi committemus, & par est ut unum audiamus,in quo tota salus & uita æterna sita est, quiq; iudicabit omnes, ac delebit funditus,quicunq; eum nolunt super se regnare.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Tum Herodes clam accersitis.) Clam accersebat Magos tyrannus,ne percrebresceret,natũ aliũ Iudæis regẽ:pessime enim de Iudæis meritus, omnia ab illis metuebat.Sed uide obstinatũ,ac insanũ cupiditate regnandi animũ. Audit per stellã excitos Magos, ut ab oriente aduenissent adoratũ regẽ Iudæorũ,audit scripturã de Christo testari,nec tamẽ mouet, nisi ut modis o ibus conetur nouũ illũ regẽ extinguere: non cogitans si Christus Domini est cuius ortũ nouũ sydus testatur,suas illũ manus facile euasurũ: si minus, nihil sibi ab illo metuendũ.Ita in omni scriptura uides,quãto luculentius se diuina uirtus,uerbis & signis impijs unquã aperuit,tãto eos impotentius furijsse.Exemplũ multo clarissimũ est Pharao,Saul,& Iesu pſecutores Iudæi. Nõ miremur igit̃,cum idẽ & hodie reprobis euenire uideamus,captiui satanæ sunt, qui quo propius uim sentit Dei,eò peius accẽditur,& tanto suos crudelius exagitat, ut ipsi sibi uertat in toxicũ,quod sua natura medicina existit,cibusq; uitæ æternæ.

At illi audito rege,pfecti sunt.) O admirandã Magorũ fidẽ,quos à perquirendo Christo,nihil adeò reuocare potuit,licet apud Iudæos, tanti regis natiuitati, omnia offendissent dissimillima.Quid enim putas cogitasse, cũ in primã Iudæorũ urbẽ, & antiquã regiã ueniſſent,ubi ut uerisimile est,nõ dubitauerant, se tantopere quæsitũ regẽ inuenturos,& nõ modo eũ non inuenissent, sed ad nomẽ eius omnes magis uidissent pterrefactos? Primores Iudæorũ indicare quidẽ locũ ubi nasci debuerat, sed neminẽ eorũ præ se ferre,se credere,aut etiã uelle natũ. Homines erant, proinde uerisimile est eos,ut reliquis sanctis usu uenit, hic fidei suæ probationẽ sensisse: suggerente humana ratine,frustra illos tantũ iter cõfecisse, delusos esse apparitione stellæ, postq; apud Iudæos omnia nihil minus,q; natũ nouum regẽ, præsertim illũ totius Israëlis saluatorẽ,præ se ferrent,Sed fidelis Dominus,qui tentãdo in angustias harum cogitationũ induxerat,nõ est passus tẽtari illos supra q; potuissent ope sua ferre. Sed fecit simul cũ tẽtatione exitum, id est,eduxit rursus ex illis angustijs, & dilatauit cor ipsorũ spe atq; consolatione mirifica,Mox enim ut regẽ relinquerãt,ecce stella,quam uiderãt in oriente,præcedebat illos,&c. Hinc apparet, stellã in oriente tantũ illis uisam,unde exciti,uel q; fortè super Iudæã uiderant lucere, uel q; aliâs à Domino moniti erãt eam portendere regẽ Iudæis natũ, Iudæam rectà petierant, in regia eius regionis,de recens nato rege rogant,stella interim latitante.Nam dicebant: Vidimus illius stellã in oriente,non addũt,& in uia huc usq;.Ita Herodes scisscitabat, quo tempore stella apparuisset,quo innuitur,dũ adhuc in oriẽte essent, apparuisse certo tẽpore,postea uero rursum disparuisse.Id paulò manifestius indicare uident uerba præsentis loci:Et ecce stella quã uiderãt in oriente,nõ addit,& in uia usq; Ierusalẽ.Nã omnino hũc morẽ habet diuina clementia,ut dũ suppetũt naturæ adminicula,illis suos uti malit,quã usq; ducere per miracula, quæ benignissime tamen exhibet, simul atq; naturæ uires nõ sufficerint.Ita cũ naturæ lumẽ de Christo nato, nihil posset his Magis indicare,miraculo eũ illis,pdidit,cõdito nouo sydere, quod illũ,pderet, quod & ipsum miraculo eis patefecit.At cũ regis Iudęorũ stellã uidissent,satisq; essent edocti ipsum in Iudæa natũ,nõ erat iam opus miraculo:ipsa humana ratio de uia uestigare potuit,

A potuit: quare rectà ad Iudæam contendebant, & ut res ipsa poscere uidebatur, in regia gentis urbe, de nato rege rogant, neq; frustra. Nã & si nemo quicquã de nato rege posset indicare, imò uiderentur haudquaquam uelle natum, tamẽ redduntur ibi certiores, Iudæos talẽ regẽ expectare, & expectare nasciturũ in uico Bethleem. Vnde cum fide firmi essent, neq; dubitarent, natũ iam illum regẽ, quod apparente domi stella fuerant edocti diuinitus, utcunq; id Iudæis æque ingratũ ac ignoratum uiderent, proximum fuit, ut Bethleem, quò & Herodes illos mittebat, concederent, ibi de rege hoc uestigaturi. Hactenus spiritus sanctus Magos à primo miraculo, humana ratione & consuetis naturæ mediis usus, absq; miraculo duxit. Sed cũ apud Iudæos, non modo prorsus ignoratam, sed etiam inuisam regis huius natiuitatem animaduertissent, quibus peculiariter erat saluator promissus, ac ita duriter sanè pulsata illorum fides esset, tum apud Dominum Iesum ipsum, omnia dissimillima regiæ dignitatis essent offensuri, ne suprà quàm ferre possent, fides illorum tentaretur, rursus miraculo indulgentissimus pater eis adfuit, & inopinantibus stella, quam domi uiderant lumine præluxit, filioq; suo adduxit, longè maiore illos hinc gaudio afficiens, quàm erant mœstitia Hierosolimis, ubi præter spem omnia offenderant, perturbati.

Hic uero uides pulchre descriptũ ordinem, quem cum electis suis Deus solet obseruare. Primum luce uerbi sui & spiritus affulget, ea se ita animis illorum insinuat, ut omnia posthabeant, omnia relinquant, quo Christum Dei sapientiã & iustitiam præsentem inueniant, eaq; causa adiungunt se mox omnibus, penes quos se illum inuenturos existimant, præcipue autem ijs qui publicum Christi prædicandi ministerium habent, sed non raro deprehendunt Iesum, nullis minus cognitum & amatum: ibi consternantur admodum, certi tamen illa luce, qua primum natũ & extare Christum, possecq; à quærentibus inueniri, didicerunt, uerbũ Domini sectantur, publicũ ministeriũ in pretio habent, & cosulunt, sic fit, ut responso Domini dirigantur
B tamen, & consolentur. Nam illud scribæ licet ipsi ei fidem non habeant, opportuna tamen afflictis conscientijs proferunt, eoq; ad Christum dirigunt, ad quem nec ueniunt ipsi, nec uenire cupiunt. Vt uero scripturæ oraculum audierunt, impigre quò illud mittit, contendunt, & demonstrato per illud Christo, cuncta mũdi contemnentes, humili fide sese dedunt totos. His mox aliter lux diuini spiritus illis exoritur, quę sanctis sic prælucet, atq; in omnem ueritatẽ eos inducit, ut rectà ad Christum, crucis scandalo nihil offensi, plenissime perueniant, præsentẽq;, hoc est, plene cognitũ, toto iam pectore, & corde adorent, seseq; illi ac omnia offerant, prorsus pij & beati.

Quomodo Christus inuenitur.

Et ingressi domum repererunt puerum, &c.) Ita dum aliquãdiu suos Dominus exercuit, quo cœlestium amorem in eis acuat, fidemq; ipsorum probet, tandem reddit uoti compotes cumulatissime: at nunquam hoc, sine temperamento crucis, ut fide uiuant. Sic desideratum anxie, & tam diu quæsitum Iesum, Magis tandem uidendum & adorandum obtulit: sed in eo palatio, eo satellitio munitum, ea pompa suspiciendum, ut humana ratio ne regis quidem uilissimum seruulũ, agnouisset, ne dum tantum torbis otius redemptorem. Sed credere Christum, uidere autem abiectissimum filium hominis, est præsentis sortis sanctorum. Quare qui magnifica secundũ carnem spectant, Christum nunquam inueniunt.

Et prostrati adorauerunt illum, & apertis thesauris, &c.) Hoc est prostratione corporis, regem & Christum Domini agnouerunt, & uenerati sunt. Est enim hæc adoratio, prostratione corporis exhibita reuerentia, uti regibus & summis principibus in orientalibus regionibus solet fieri, nostris enim tantum genua flectuntur, nisi quod Pontifex Romanus imitatus Persarum reges, non solum exigit adorari se, hoc est, prostrato corpore uenerari, sed etiam pedes sibi osculari, idq; non à uulgaribus, sed aliqua etiam dignitate præditis, reliquis magnam gratiã facit, si osculari pedum suorum uestigiũ permiserit. Adeò Petri successor, & Christi uicarius, dignitate

& ho-

& honore tam Christũ, quàm Petrum supergressus uidetur. Vtinam uero ita Chri- c
stum ac Petrum doctrina & uita referat, sicut horum nomine se coli adorariq; ab o-
mnibus tam insolenter postulat, sed hæc nõ sunt huius loci. Quod nos adorare, Græ-
ci προσκυνεῖν & Hebr. השתחוה dicunt, id uero significat se corpore prosternere. Sic
satan coli se ab Iesu petebat, ubi tentans eum in deserto, dicebat: ταῦτά σοι πάντα δώ-
De adoratiõe. σω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσης μοι, id est, Hæc tibi omnia dabo, si cadens me adoraueris.
Ex eo autem quod Dominus ipsi respondit: Scriptum est Dominũ Deum tuum ado-
rabis, & illum solũ coles, multa sunt de adoratione disputata, ut ea soli Deo, aut alijs
possit competere: hinc secta fuit, in adorationẽ latriæ, duliæ, & hyperduliæ, sectione
non adeò reijcienda, si in scripturis esset tradita. In scriptura, uerbum adorandi acci-
pitur pro eo, quod Hebr. השתחוה dicitur reuerentiam exhibere prostratione corpo-
ris. Sed Exod. 20. & Deut. 5. legitur uetitum, alienos Deos, & statuas atq; imagines
adorare, hoc est, se illis prosternere. Non enim uult se in illis Deus coli, sed in ijs re-
bus, quas ipse in hoc cõmendauit, eaq; ratione, quã ipse præscripsit. Iam aliud quiddã
pro ipso Deo habere, eoq; animo illud adorare, multo maior, non tam impietas, q̃
insania est. At in principe uel rege, aut aliãs ex suo dono eximio homine, Deus se co
li postulat: quare in scriptura, reges & præstantes uiros adoratos, hoc est, exhibentes
reuerentiam prostratione corporis, sæpe legimus. Sic Iacob fratrẽ suum Esau septies
adorabat in terram, hoc est, septies prosternebat se coram illo in terram. Ergo adora-
re quicquam pro Deo, hoc est, uenerari tanquam autorem uitę, impietas est. Adora-
re autem in potestate constitutos, uel aliãs nobis à Domino singulari dignitate com
mendatos, debito honore prosequi, hoc est, ut filios atq; ministros Dei aliquo ritu so
lito, uel flectendo genua, uel prosternendo corpus uenerari, laudata officiositas est.
Sic autem uenerari sanctos, qui hinc migrarunt, nec uerbo nec exemplo scripturæ
commendatur. Statuis uel imaginibus eorum, eiusmodi honorẽ impendere, ut uul-
go fit, & laudatur, tanquã hic numen aliquod adsit, & exorari hic opẽ uelint sancti, d
quid differt, à confessa Ethnicorũ idololatria: Proximos enim, hoc est, qui nobiscum
agunt, quiq; beneficentia nostra queunt frui, corporalibus officijs colendos cõmen
dauit Dominus, se uero spiritu, & toto corde, patrẽ & Deũ nostrũ ipsum credamus
& confiteamur. Vnde si quando ex perpensione beneficẽtiæ eius animus ardẽtior,
corpus quoq; rapiat, ut hunc spiritalẽ cultũ, uel prostratione, uel alio gestu foris cũ
decore prodat: cultus is est corporalis, & sancta pietatis declaratio. At sine hoc cultu
spiritus, animiq; feruore ita corpus agitante, multum gesticulari, & certis corporis
motibus ac gestibus pietatem effingere, Deum irridere est, non uenerari. De istiusmodi
adoratoribus ipse ait Esaiæ 1. Et quum extenderitis uos palmas uestras, occũlta-
bo oculos meos à uobis. Atqui cum omnis diuinæ bonitatis seria recordatio, quæ
à ueteribus præcipue statis solennitatibus, aut ubi peculiare Dei beneficium perce-
pissent in templo, & antequam esset templum ædificatum, ubi fixum erat tabernacu-
lum, antequam uero hoc habebatur, in montibus aliquibus, aut alijs locis, ubi ferè
Deus illis apparuerat, habebatur, corpus quoq; accẽdat, ut gestu externo uel opere,
animi pietatẽ testetur, id quod illi corporis prostratione & sacrificijs solebant, factũ
fuit, ut omnis ille cultus externus & internus, adoratio cœperit uocari, nimirum ab
eo, quod magis apparebat. Ita 1. Samuel. 1. De Elcana: Et ascendebat uir ille de ciui-
tate sua, statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Hoc
est, ut solennem Deo cultum exhiberet, pietatemq; suam testaretur. Sic Sycharitis il-
la muliercula dicebat Domino: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, quo nihil
aliud uoluit dicere, quàm in monte hoc, Patres nostri solenniter Deum coluerunt,
unde illi Christus respondebat: Venit hora cum ueri adoratores, id est, cultores, Pa-
trem in spiritu & ueritate adorabunt, hoc est, colent. Eodẽ significatu scribit Lucas.
ueniisse eunuchum illum Aethiopem Hierusalẽ adoraturũ. Ergo inuenias adoratio-
nis uo-

A nis uocabulũ pro cultu Dei, usurpatum, idq; circunstãtiæ facile indicabunt, sic uero nõ nisi unus Deus adorari debet. At prima illa sui significatione, qua nihil aliud, q̃ prostratione corporis quempiã uenerari significat, adorare licebit & homines. Sic autẽ magis proprie, per uenerari aut se prosternere, potuerat reddi: omnino enĩ plus est Latinis adorare, q̃ uel השתחוה, uel Græcis προσκυνεῖν: præterea & animi magis quàm corporis est, cũ utraq; hæc magis corporis sint, q̃ animi. Ita etiã augustius est, quo illud Germani reddunt: Anbetten, rectius diceret, zuo fuosz fallen, oder eeren mit zuo fuossen fallen. Sicut in altera illa significatione, cum pro cultu Dei accipit, expressius redderet, per Ein Gottsdienst thuon oder Gott uereeren, q̃ per anbettẽ: plus enim tum significat adorare, quàm in formã precantis, pcidere, quod anbetten, uidetur ꝓprie significare. Hæc uolui hoc loco de adorationis uocabulo annotare, ne qua eius obscuritas, cum toties occurrat, simpliciores in alienos sensus abducat. Latriam etiã Augustini tempore acceperunt pro cultu Deo ꝓprio, ut legis de Ciuitate Dei, lib. 10. cap. 1. & alibi. Addiderunt alij Duleiam cultũ esse, qui excellentibus creaturis exhibetur: sed neutra definitio, uel proprietate uocis, uel usu Græci sermonis, etiã in sacris libris usurpari uidetur: δουλεία enim addictitiã seruitutẽ, quã quis ex necessitate debet, ferè significat, eoq; plus cultus & addictiõis exprimit, q̃ λατρεία, quæ liberi, & ferè pro mercede seruientis, seruitus est. Paulus certe uolens significare, sese totum Dei iuris esse, & diuinis rebus addictissimum, qui nihil nisi Dei causam agat, δοῦλον se Dei & Domini nostri Iesu Christi, profitetur. Cæterum pro eodem, δουλεύω & λατρεύω in scripturis accipi, excutienti loca satis constabit.

Et apertis thesauris suis, obtulerunt illi, &c.) Vetustissimus mos est, præcipue autem orientaliũ, id quod passim scriptura indicat, munerũ oblatione, animi beneuolentiã ac deuotionẽ erga principes, & quibus uelit se quis uideri unice addictũ, profiteri & testari. Inde & sacrificandi muneraq; offerendi Deo ritus introductus est: ijs
B nanq; testari pij uolebant, sese & sua omnia Deo consecrasse & dedidisse. Sic hi Magi, cum puerũ hunc Christũ Domini, & regẽ orbi restaurando diuinitus datũ agnoscerent, cuperentq; hanc suam fidẽ, animiq; deuotionẽ testari, quæ pretiosissima habebant, & uere dona regia, nimirũ aurũ, thus & myrrham illi obtulerunt. Persæ enĩ transmisso sinu suo proximã habent beatã Arabiã, cui soli thus & myrrha, ac ne quidem uniuersæ, ut Plin. lib. 12. cap. 14. testatur, ꝓuenit, res sanè maximi pretij, quas nõ facile apud nos non adulteratas inuenias. Docti diuinitus Magi, hunc puerũ regem omniũ præstantissimum salutisq; æternæ autorẽ designatũ agnoscebãt: summe igit uenerari, animosq; illi deditissimos suos cupiebant testari: obtulerũt igitur quæ poterant habere pretiosissima, & quæ pridẽ suæ genti dona regia habebãtur. Quorum fidẽ ac deuotionẽ, si hactenus possemus imitari, ut tanti nobis esset Regis huius tam seria adoratio, & nostra relinquere, tantisq; laboribus & periculis Christũ quærere, eiq; nos, nostraq; omnia ex animo offerre & dicare animus esset, satis magno cũ fructu, factũ hoc Magorũ expẽdissemus. Ne igitur uel ridiculas argutulis, uel suspectas infirmioribus scripturas reddamus, temperemus nobis à male firmis illis allegorijs, nullo scripturę exẽplo, & luculẽto Ecclesiæ dãno, inuectis. Abunde locorũ est qbus apertè satis prædicat Christi diuinitas, sacerdotiũ & mors, scripturæ etiã ꝓphetarum hæc abunde testantur: his ergo primum fidem firmemus: deinde quia nihil fit temere, sed omnia certa ratione in salutem sanctorum Deus attemperat, quorũ pius animus possit efficacissime admoneri: id hisce muneribus Magorum, auro (inquam) thure, & myrrha indicemus. Munera hæc fuerunt, & deditos Christo Magorũ animos testata sunt: id credidisse & probè expendisse, satis superq; erit, ad omnem pietatis ædificationẽ. In hoc enim primũ mirifice elucet diuina bonitas, quæ immeritos hos Ethnicos, tanta filij cognitione & fide donauit. Deinde considerandũ se offert, & admirabile Dei, nobis gentibus uero exoscũlandũ iudiciũ, quo ex primis Iudæis

nouíſſimos, & ex nouíſſimis Gentibus primos filij ſui fecit adoratores. Natura de/ C
níq; fidei clare deſcribit, quæ orta diuina illuſtratione, mox tentatur, omnibus ſecus quàm credebatur apparentibus: ſed ſuffulta uerbo, dum perſtat & in cœpto itínere pergit, ſtatim ſpiritus luce mirũ in modũ confirmatur. Inde illico fructus fidei proue niunt, gaudium indicibile, & ſuí promptiſſima deditio, quam auet animus offeren/ do Chriſto quæq; pretioſiſſima, teſtari. Vtinã hęc animis noſtris penitus inſediſſent, & nulla pietatis iactura, allegorias plerasq; liceret ignorare. Poſthæc ſi quis ex auro Chriſti regnũ, & ex thure ſacerdotiũ, & ex myrrha mortem, ita conſideret, aut etiam alia quæ Chriſti beneficiũ commendent, fructu ſuo ea conſiderans minime carebit.

Admoniti in ſomnis, &c.) Vide ut curæ ſint Deo pij, Magorum animus dolum Herodis præſentiſcere nequibat, ut ſimplex ſemp eſt pietas, atq; ex ſe alios metitur: adeſt ergo oraculũ, quod periculo eos eximat, tutoq; faciat redire ad ſuos. Id in ſom nis illis peculiari reuelatione editũ eſt, ut & Ioſepho, & ſanctis alijs multis. Iſtuc ue/ ro, ꝓpter nos factũ & ſcriptũ eſt, ut uideremus noſtrã ſimplicitatẽ nunquam poſſe no bis eſſe fraudi, Deumq; noſtri ſolicitudinẽ nunq; ponere, ut citius nobis ſit proprĩ angelũ miſſurus, ſi in rem noſtrã ſit, q; nos ullo in periculo deſerat: iuxta illud: Habi/ tans in abdito altiſſimi, in umbra omnipotentis cõmorabitur. Et poſtea: Quoniã an gelis ſuis præcipiet adeſſe tibi, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis, & reliqua, Pſal. 91. Sed omnes ferè Pſalmi, ac tota ſcriptura ſcripta, ꝓpter noſtrã conſolationem, id in/ culcat, Deum timentes ſe, in omnibus dirigere & tutari, etiã ſi id non manifeſtis ſem per faciat reuelationibus. Quas eaſdẽ tamen benigniſſime quoq; exhibet, ſi eæ uel in rem fuerint eorũ quibus eas is exhibet, uel aliorũ, quibus illæ poſtea in exemplũ prædicantur. Sic ſunt reuelationes quas hic Magis & Ioſepho, & alibi alijs factas le/ gimus. Multo enim magis propter nos, quàm illos, pleraq; miracula contigerunt, ut ita in paucis uideremus quanti Deo eſſent timentes eum uniuerſi.

ENARRATIO SECTIONIS IIII. D

Digreſſis autẽ illis, ecce angelus Domini.) Præter id quod iam annotauimus, hic perpendendũ eſt, cuiuſmodi uitã Chriſto filio ſuo dilectiſſimo & unico, à puero pa/ ter ordinauerit, plenã periculis & erumnis, ut mox indicaret, regnum eius de hoc mundo non eſſe, noſq; animaret ad eandẽ ſortem, ut non uellemus antea regnare, quàm cũ Chriſto noſtro pati & crucifigi. In quo & hoc humilitatis fuit, quòd fuga il lum ſeruari oportuit, qui uerbo potuiſſet Herodẽ cum omni ſua potentia in nihilũ redigere. Sed & horrendũ Dei in Iudæos iudicium minime prætereundum eſt, quẽ ipſis potiſſimũ promiſſum ſaluatorẽ, & apud eos natum, è longinquo gentes adora/ uerunt, non ſolum pro nihilo habuerunt, ſed perturbati etiam fuerunt, audientes na tum. Pro hoc ergo impio contemptu, & ſceleſtiſſima ingratitudine, has pœnas dede runt, ut relicto illis Herode, tyranno ſæuiſſimo, ipſe in Aegyptum ad famoſiſſimam impietate gentẽ fugerit, declarans etiam tum regnũ Dei à Iudæis ad Gentes transfe rendum: & ſe ueniſſe, ut quod maxime perierat, quæreret, & ſaluum faceret. Nam, fa buloſa ſunt, quæ quidam de Chriſti miraculis in Aegypto editis cõmemorant, & hu manitatem Chriſti intelligunt nubem leuem, de qua Ieſa. 19. Ecce Dominus equitat ſuper nubẽ leuem, & uenit in Aegyptum, & nutabunt idola Aegypti à facie eius. E/ tenim ut cuiuis ſatis manifeſtum fuerit, hunc prophetæ locum excutienti, Dominus his uerbis Aegyptijs minatus eſt, ſe uelociſſime illis, ultione ſua per Aſſyrios adfu turum, atq; omnem idolorum fiduciam ſubuerſurum, ipſoſq; adeò conterritos, con tra ſeipſos mutuo, ſine ulla ſpe auxilij concitaturum. Poſtremo autẽ & hoc animad/ uertendum, quàm pulchre donarijs Magorũ, ad hoc exiliũ Dominus Chriſtum ſuũ, cum matre & nutritio cõmunierit. Ita ſemper Dominus tentationẽ ſuis temperat, ut ferre eam poſſint, ſimulq; cũ adflictionis anguſtia, exitũ aliquẽ & latitudinẽ habeãt.

Ille uero excitatus aſſumpſit puerum & matrem eius noctu.) Noctu fugit, cum

fugere

A fugere ſimpliciter eſſet iuſſus, in quo diligentiam, parendi oraculo præ ſe tulit: & do
cuit, cum de uoluntate Domini conſtat, tum rationis induſtriam ac uires omnes in
tendendas eſſe, ut quod probari Domino cognouerimus, commodiſſime perficia
mus, quibus etiam Domini uoluntati ſtudentibus, ſpiritus cõſilij nunquam deerit.
Porrò admodũ ueriſimile eſt, fuiſſe uarijs in hac fuga cogitationibus pectus Ioſeph
ac Mariæ agitatum, & non parum miratos, cum utercꝫ audiſſet hunc puerum Re
gem illum eſſe potentiſſimum, qui in domo Iacob regnaturus erat in æternũ: quòd
diuinitus iuberentur, etiamnum tenellum infantulum, uelut in exilium, in Aegy
ptum, propter impij tyranni furorem, deportare: quem tamen ut ab omnibus ſerua
re, Regemꝫ extincto Herode conſtituere, ſciebant Domino eſſe facillimũ. Sed cer
ti per ſpiritum, oraculum quod perceperãt Dei eſſe, ſimpliciter parebant, omnia bo
ni conſulentes, etiam quorum nequibant rationem inire. Ita ubi de uerbo Domini
conſtat, utcunꝫ abſurda rationi, aut mira uideantur, quæ incidũt, Domino nos ad
decet exhibere morigeros, qui cũ pater ſit, filios nos non poterit nõ optime ducere.

Vt impleretur, quod dictũ eſt per prophetam.) Impleri Euangeliſta ſcripturam
intelligit, cum id fit, quod illa uel prædixit, uel commemorat, aut quod quouis etiã
modo loquitur. Sic per Ieſaiam prædictum fuerat, uirginem parituram, &c. Vbi is
partus fuit editus, impletum fuerat uaticinium. Sed nonnunquam etiã impleri ſcri
pturæ aliquis locus dicitur, cum quidem fit, quod ille commemorat, etiam ſi non ſit
illud ipſum, de quo eſt propriè ſcriptus. Ita Chriſtus dicebat phariſæis, infrà cap. 15.
Hypocritæ rectè de uobis prædixit Eſaias, dicens: Appropinquat mihi populus hic
ore ſuo, &c. Quadrabat enim in eos hoc prophetæ dictum, ſed non ſolos, eoꝫ imple
batur quidem in eis, dum ita agebant, uti propheta eo opprobrat. Verũ cum æquè
hypocritæ fuerint, & quibus propheta illud in os dixit, ſuo tempore nõ minus & in
illis extitit impletum, hoc eſt, uerificatum. Sic habet ſe, & quod infrà 13. legimus Do
B minum dixiſſe: Et completur in illis prophetia Ieſaiæ, quæ dicit: Auribus audietis, et
non intelligetis. Certe non erat de ijs ſolis, quibus tum Chriſtus in parabolis loque
batur, hoc prædictum, ſed de omnibus, omnium ſeculorum reprobis. Vnde idẽ Pau
lus & Romanis & Iudæis obiecit, Act ultimo. Fuit ergo hoc dictum, in illis Chriſti
auditoribus completum, quatenus de eis uere dicebatur, quatenus & in ipſos qua
drabat. Ad hunc igitur modum impletum de Chriſto fuit, & præſens dictum Hoſea
11. Ex Aegypto uocaui filium meum, non quòd peculiare fuerit de Chriſto ex Aegy
pto uocando uaticinium, ſicut illud Micha, de naſcituro in uico Bethleem: ſed ſcri
ptum à propheta nominatum eſt de populo Iſraëlitico, cui his uerbis Dominus hoc
beneficium, quòd illos ex Aegypto eduxiſſet, exprobrat: atqꝫ mox minatur, non re
miſſurum quidem ſe eos in Aegpptum, ſed traditurũ iam Aſſyrijs, quòd noluerint
cõuerti: de hoc ergo populo ait: Quia adoleſcentulus Iſraël: & dilexi eum: & ex ipſo
Aegypto uocaui filium meum. Sed cum & Chriſtus in Aegypto, ſimilis in hoc pa
tribus factus, exulauit, uereꝫ dilectus Dei filius exiſtit, tum per angelum inde fuit
reuocatus, caput & rex totius Iſraëlitici populi, cuius merito, omnia illa à Deo bene
ficia populus Iſraël accepit, potuit appoſite & de ipſo dici, Ex Aegypto uocaui filiũ
meum, imò cum hic ſit primogenitus filiorum Dei, à quo habent, quotquot filij Dei
cenſentur, in ipſo primum fuit hoc dictum penitus completum & uerificatum. Pro
inde quod Euangeliſta ait: Receſſit in Aegyptum, & fuit illic uſqꝫ ad obitum Hero
dis, ut impleretur quod dictum fuerat per prophetam, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ut &
de puero Ieſu illud prophetæ uerificaretur, Ex Aegypto uocaui filium meum. Vt ſi
quis uerba faciens de patre aliquo, pro filio mire ſolicito, diceret: Vidiſſes amore de
ſideriocꝫ filij, non poſſe conſiſtere, omnia negligere, omnia poſthabere, ut filiũ præ
ſentem uideret, ut impleretur in eo illud Maronis: Omnis in Aſcanio chari ſtat cura
parentis. Hoc iam impleri, nihil aliud eſſet, quàm quadrare in eiuſmodi patrẽ, quod

Maro scripsit de Aenea. Ita principe abnuente, quod sui cõcedendũ cõsulerent, posset quis dicere: Impletur modo illud Homeri, Ἀλλ' ὄυκ Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονι ἤνδανε θυμῷ. Quod perinde esset atq; dicere: In hunc principem competit, quod de Agamemnone scripsit Homerus. Huius generis est, & quod infrà 13. Euangelista scribit in Christo per parabolas populo loquente, impletum nempe illud Psal. 78. Aperiã in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mũdi. Hoc enim Asaph de se ipso dixit, mirabilia Dei & beneficia populo Israëlitico exhibita, cãtaturo. Sed quoniam & de Christo, in parabolis docente dici potuit. Scribit Euangelista, sicut in præsenti loco, ut impleretur, &c. Quasi dixisset: Iesus omnia in parabolis loquebatur, ut quadraret in eum illud Asaph: Aperiam in parabolis, &c. Neq; dissimile quidem est, & dictum Ieremiæ, quod paulo infrà ab Euangelista adducitur, Ifluc tamen, in hac loquendi formula, animaduertendum est, cum Christus sit finis legis et caput sanctorum, ad quem referuntur in scripturis omnia, in eo solo etiam omnia quæ laudi dantur in scripturis, uera esse & solida, id est, impleta, utcũq; pleraq; etiã membris eius competant. Volui fusius ista hoc loco annotare, ne quis è simpliciori bus, ubicunq; legerit, impletum esse aliquod scripturæ dictum, putet illud oportere in solum id, quo impletum dicitur competere: ac frustra inde, uel se, uel scripturam, ut solet fieri, torqueat. Ergo si Iudæus in præsenti obstrepat, cõtendens uanum esse Euangelistæ testimonium, qui in Christum competere affirmet, quod de toto Israële esse dictum constat: Respondendum est, Prophetam non inficiari id, quod citauit de Israële dictum esse, neq; affirmare in solũ Christum quadrare: sed cum Christus & primogenitus Dei filius sit, is etiam, propter quem olim populus Israël ex Aegypto à Domino uocatus est, denicq; per angelũ Domini ex Aegypto reuocatus fuit, Euangelista certa ratione scripturæ dixit, etiam in Christum uerba illa competere, uere tum patrem cœlestem, cum Christum suum ex Aegypto monitu angeli reuocauit, re ipsa dixisse istuc, Ex Aegypto uocaui filium meum. D

ENARRATIO SECTIONIS V.

Tum Herodes ubi uidit sibi illusum fuisse à Magis.) Vel hinc uides Magos nõ fuisse principes aut reges, alioquin non potuisset ita inscio Herode dilabi, neq; certe incomitatos eos Bethleem dimisisset, ut erat magnificentiæ studiosus. Porrò hic scrupus obijcitur, quòd non uidentur, quæ Lucas scribit, cũ his, quæ hic Matthæus, per omnia conuenire. Ille exactis diebus purificationis, puerum commemorat Hierosolymis in templo præsentatũ, mox peractis quæ secundum legem oportebat, relatum Nazareth, Luc. 2. Iam historia Matthæi ita uidetur contexta, ut ex Bethleem, mox atq; digressi Magi fuerant, puer sit deportatus in Aegyptũ & non Nazareth, ut Lucas uidetur uelle, cum scribit: Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Faber Stapulensis harum rerum admodum studiosus uestigator, existimat, quæ Lucas scribit eo ordine gesta esse, quo scripta sunt, & exacto anno uno, quem Maria & Ioseph cũ puero in oppido Galilææ Nazareth egerint, reuersos Bethleem, tum aduenisse Magos, & tum peracta esse quæ Matthæus hic commemorat. Coniectura quam sequitur, est, quòd Matthæus scribit Herodẽ occidisse bimulos & minores, iuxta tempus quod à Magis exacte cognouerat: eo enim putat innui, pridem stellam Christi nati indicem, illis apparuisse, de quo tempore Herodes accurate ab eis perquisiuerit, & ideo tempore quo Magi uenerunt Christum anniculum fuisse. Hæc coniectura si satis firma esset, nodus hic facillime ita dissolueretur, dicendo, natum Christum, per dies purificationis seruatum fuisse Bethleem: ijs exactis præsentatum in templum, mox domum Nazareth relatum, exactoq; anno, reportatum Bethleem, tum aduenisse Magos: quibus digressis, monitu angeli delatum in Aegyptum, mox Herodem in infantes, qui potuerunt uideri Christo æquales, desæuisse, perpenso tempore, ab eo

quòd

A quòd ſtellã Magis didicerat apparuiſſe: quã apparuiſſe putabat, quo tempore Chriſtus fuerat editus in lucẽ, mortuo autem Herode, Chriſtũ rurſus relatum Nazareth, &c. A' quo tempore nihil de eo noſtri ſcriptores cõmemorant, uſq; quo duodennis in templo ſe parentibus ſubduxit. Sed dum omnia diligenter excutimus, neſcio q; probabiliter ita dixerimus: primo, quia non facile apparet cauſſa, cur puerũ tenerũ adeò Bethleem poſt annũ reportaſſent, neq; enim cenſus quotannis agebatur. Deinde quòd Matthæus ſcribit, Herodem ſuſtuliſſe pueros à bimatu & infra, ſecundũ tempus quod exacte cognouerat à Magis, poteſt intelligi, in hoc ab Euãgeliſta adiectum, ut ſignificaret, minores bimulis non quoslibet, ſed qui eſſent circa & ante, non poſt tempus ſtellæ editi, iuſſos ab Herode occidi. Neq; enim natũ hunc puerũ regium poſt ſtellæ apparitionẽ arbitrabatur. Sed quotquot bimatum uiderẽtur attigiſſe, ideo uoluit trucidari, ne ſi fortè Chriſtus per miraculũ maior, quàm pro ætate, nempe ad tantũ regnum deſtinatus, poſſet elabi, tanquã longe ante tempus ſtellæ natus. Poſtremo quòd Matthæus ſcribit ab initio huius capitis: Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudææ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente acceſſerũt: uidetur ſanè innuere, non diu à Chriſti natiuitate, Hieroſolymis Magos adfuiſſe. Expendat ergo lector, quando ſuis Deus omnia inſperato quidẽ, ſed longe cõmodiſſime diſpenſat, fieri potuiſſe ut Magi adeſſent, cum iam finis inſtaret temporis, quo Deipara uirgo legi purificationis inſeruiebat, ac ita Ioſeph ſtatim illis digreſſis, & oraculo de fuga percepto, noctu cum Maria & puero fugerit in Aegyptum, ſic tamen, ut erat religioſus, quòd antequam in Aegyptũ abirent, legi ſatisfaceret, eoq; Hieruſalẽ ignoti petierint, & perfectis illic, quæ lex iubebat, pactiſq; omnibus quæ Lucas memorat, cõceſſerint in Aegyptũ. Quod & ipſum forſan ita Dominus diſpoſuerat, ut Ioſeph ac Maria, auditis quæ magnifica de puero, Simeon & Anna prædicarunt, in exiliũ abirent confirmatiores. Lucas qui de hac in Aegyptum fuga
B nihil meminit, narratis, quæ Ieruſalem contigerant, tranſitum fecit ad ſequẽtia ſuæ narrationis, nimirũ ut deſcriberet parentũ Ieſu religionẽ, & quid circa puerũ duodennem iam eſſent paſſi, qui in feſto Paſchę ſolebant Ieruſalẽ quotannis aſcendere: eoq; poſuit illud: Reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatẽ ſuam Nazareth. Non enim ait, illico. Et planè fuerunt tandẽ eò reuerſi, atq; illic habitãtes, quotannis inde Ieruſalem petierunt, ſed poſtquàm ex Aegypto redierunt. Etenim nulli Euangeliſtarũ curæ fuit, ut omnia Chriſti, quæ plura & maiora fuere, quàm ut deſcribi commode potuiſſent, Ioannis ultimo, ordine conſcriberet: tantũ quædam quilibet ſibi deſcribenda deſumpſit, quibus oſtẽderet Ieſum noſtrum, uerũ & indubitatũ Chriſtũ eſſe. Id ergo Matthæus in Ieſu puero, contentus fuit declarare, per ea quæ commemorauit, nempe illũ genus ex Abrahã & Dauide duxiſſe, uerum hominẽ ex Maria natũ, ſed ſanctũ: quia illa ex ſpiritu ſancto, non congreſſu uirili, iuxta ſcripturã, fuit grauidata, quod per oraculũ Ioſeph didicit: ubi editus in lucem fuit, à ſuis incognitũ & ſpretũ, ab alienigenis autẽ è longinquo, & per inſigne miraculũ adductis, tanquam Chriſtũ, adoratũ. Mox uero ut crucem nobis cõmendaret, atq; illico infantulus declararet, regnũ ſuũ non eſſe de hoc mundo, ueniſſeq; cruce nos redempturũ, quam ſuos pariter ferre oporteat, exilium Aegypti ſubijſſe, cauſamq; fuiſſe, ut tot infantes Herodes perimeret, &c. Lucas autẽ, eodem ſpectans, nempe ut Ieſum Chriſtũ & ſaluatorẽ nobis cõmendaret, alia conſcripſit: primum de ortu Ioannis, circa quẽ, ſcilicet, Domini noſtri gloria prædicata fuit, tum ab angelo, tum Zacharia, deinde de nuntio angeli & conceptione mirifica Domini, utq; id myſterij mox à Maria & Elizabeth fuit prædicatũ: præterea quomodo Bethleẽ editus, & à paſtoribus annuntiantibus illis angelis agnitus, poſtremo ut prædicatus à Simeone & Anna. His ſatis ſuperq; eſt ortus Chriſti, quantũ facit, ad gloriã eius cognoſcendã, ab hoc Euangeliſta deſcriptus, etiam ſi adorationẽ Magorũ tacuerit, uti & abunde à Matthæo

prædicatus est, licet conceptionem eius, natiuitatem, adorationem pastorũ, atq; in C
templo præsentationẽ cum ortu Ioannis præterierit. Quin & reliqui duo Marcus & Ioannes, licet in totũ de ortu Domini tacuerint, nisi quòd Ioãnes uno uerbo ici-psit: Verbum caro factũ, alijs tamen quæ de ipso narrarũt, plus satis, hominẽ ipsum uerũ, simul & æternũ uerbum Patris, uitæq; autorem hoc est ipsissimum Christum declararunt & prædicarunt. Iam non fuit illis alius scopus, quàm ut Iesum Christũ prædicarent, & per dicta & facta eius, quæ commemorarunt, ipsum mundi saluatorem testarentur. Nemo eorum recepit omnia Christi se descripturum. Hoc perpenso, ex multis angustijs nos facile explicabimus. De temporis modo, quo Magi ex Persida Hierosolymam peruenerunt, non sum solicitus. Camelis enim in ea regione utuntur, quibus paruo tempore, maximũ iter possunt conficere. Nec distat adeò à Iudæa Persia, quin possit intra mensem ab ultima eius parte in Iudæam perueniri camelis. Indubie etiam, qui illos excíuit, ut Christum suum primi regem salutarent, iter eis reddidit facillimum. Iudicium sit penes ecclesiam: satis nobis erit, quòd ueritatis hostes nullam scriptorum nostrorum pugnantiã possunt obijcere: scire ut singula acciderunt, sicut ad salutem nostrã non magnopere facit, sic qui salutis doctrinam tradiderunt, non curarunt magnopere id describere.

Tunc impletũ est quod dictũ fuerat ab Ieremia, &c.) Hoc testimoniũ Ieremiæ 31. legitur, & ipsum non proprie de his infantibus, propter Christũ occisis, à propheta prædictũ est, sed de filijs Beniamin, in captiuitatẽ trãsmigraturis, propter quos lamentis & fletibus se datura erat Rahel mater eorum: ei prædicit uates rursus affuturam consolationẽ. Sic enim habent Hebræa: Sic dicit Dominus: Vox in Rama audita est, planctus, fletus, amaritudines: Rahel deflens filios suos, renuit consolationẽ accipere super filijs suis, quia nõ supersunt. Sic dicit Dominus: Prohibe uocẽ tuam à fletu, & oculos à lachryma, quia merces operi tuo, dicit Dominus, & reuertentur de terra inimici. Cum ergo trucidatione horũ infantiũ, rursus isti regioni luctus & D
planctus esset excitatus, potuit quoq; rursus dici, Rahel deflesse atq; planxisse filios suos. Nam nomine Rahel regio Bethleemitica, à propheta significatur, fortè quòd circa Bethleem illa fuerat sepulta, & mater Beniamitarũ, quorũ sorti Bethleem, quæ ipsa tamen tribus Iuda fuit, adiacebat. Ad hanc subiecta Abrahæ consolatio hactenus pertinebat, quòd omnino futurũ erat, ut esset merces operi eius, hoc est, haberetur rursus ratio eius, foretq; aliquod pietatis in exilio seruatæ operæpretium, & filij eius quos putabat extinctos, reuerterentur de terra inimici, hoc est, è regione mortuorum, in æternã uitam. Quia itaq; regioni isti, dum infantes trucidarentur ab Herode simile accidit ei, quod olim, de quo propheta peculiariter locutus est: & huic interim facto, prophetæ dictum, ab Euangelista adaptatũ est, de quo suprà fusius. Porrò in Rama perinde est, atq; in excelso, quanquã fuerit in sorte Beniamin locus Rama appellatus, ut legimus Iosua 18. Cæterum eisdẽ ferè uerbis, hoc testimonium, & in Græca editione, atq; apud Euangelistam legitur. Omnino enim easdẽ uoces adnumerare, Apostoli non solent, contenti Christum prædicasse ueritate & integritate sententiarum.

Cæterum defuncto Herode, ecce angelus Domini, &c.) Septẽ supra triginta annos Herodes regnauerat, ab eo quòd à Romanis illi regnum fuerat decretũ, triginta & quatuor post occisum Antigonum, autore Iosepho, libro Antiq. 17. cap. 10. tyrannus multis modis, malus & crudelis. Sed quid? Tandẽ moritur, & Christus noster regnat in æternũ, potuitq; uere de eo dici illud Psal. 37. Vidi impiũ, robustũ & integrũ, instar lauri uirentẽ: & transiui, & ecce nusquã est, &c. Quòd uero rursus angelus adest, & mortuũ Herodẽ adnũtiat, atq; ab exilio reuocat, cõmendat nobis indulgentiã optimi patris, qui momentaneũ & leue facit omne quod patimur, æternum autẽ pondus gloriæ, ad quã aduersis nos præparat. Quòd uero monet, ut nõ in

Iudæam

A Iudææ regnante Archelao concedat, cõmendat patris pro nobis curam, ac omnino id in exemplo exhibet, quod Psal. 34. canit. Ponit castra angelus Domini in circuitu timentiũ eũ, & eripiet eos. Quicquid enī Christo ipsi & suis factũ à Dño legimus, si modo possumus credere, idem & nobis ab optimo Deo & patre expectandũ est.

Profectus habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareth, ut impleretur, &c.) A prophetis omnibus prædictum est: Christum fore singularem, separatum & sanctũ, ut à quo omnes sanctificandi, & ab omni impuritate adserendi essent, quod in Nazaræis Numeri 6. & sacerdotibus priscis indicta sanctimonia, de qua Leuit. 21. præfiguratum fuit. Cum ergo Domino nostro, id cognomenti ut Nazaræus diceret, quod sanctum & separatum significat, à loco quidem, in quo educatus fuit, cõtigit, quod tamen re ipsa maxime illi competebat, dicit Euangelista impletum, quod de eo prophetæ prædixerunt. Sanctum enim futurum, imò sanctitatis autorem, talẽq; palàm prædicandum, omnes uaticinati sunt. Vnde etiam creditur Euangelista hic nullum prophetarum nominatim citasse. Sunt autem qui non à נזר, quod sanctũ & separatum, נצר, quod surculum significat, Dominum cognominatum putent, eo quòd Iesa. 11. legimus Christum per surculum designatum, cum ait: Egredietur uirga de stirpe Isai, & נצר, id est surculus de radicibus eius, fructum faciet. Porrò eorũ sententia omnibus probabilior uidetur, qui putant hic ab Euangelista notatum illud, quod de Simsone angelum dixisse, Iudicum 13. legimus. Nempe: Quoniam Nezir Dei Domini, hic puer ab utero. Hanc sententiã quo diligentius expendo, eò uero similior mihi uidetur. Primo etenim uerba quadrant adeò, ut nullus ex omni scriptura locus queat proferri, qui uerbis æque, cum eo quod Euangelista citauit, conueniat. Deinde in confesso est, Simsonem multis nominibus typum Christi fuisse. Vt enim Nezir Dei Domini ab utero fuit, robore incomparabili saluauit Israël, moriens plus hostes populi sui ultus est quã uiuens: ita & Christus Nezir, hoc est, sanB ctus Domini, is quo omnes sanctificantur iam in utero fuit, forti armato fortior, omnium potestatẽ à Patre accepit, uerus Israëlis, hoc est, credentis populi saluator exístit, moriens quoq; plus quàm uiuens satanæ nocuit, quem morte sua prorsus deuicit, & ereptam illi prædam, ad munia salutis, distribuit. Vnde quod de Simsone, qui Christi figura fuit, dictum est, rectè in Christo impletũ ab Euangelista asserítur. Potissimũ autẽ in eo, quòd Nezir, hoc est, sanctus & separatus ille ab utero fuit. Nam ita sanctus est hic noster Nazaræus, ut non tam ipse sanctus sit, quàm autor sanctitatis, omnibus in se credentibus. Postremo, cum constet librum Iudicum, non ab uno sed multis, quòd multorum longo tempore, sibi succedentium, historias contineat, conscriptum esse, non est uero dissimile Euangelistam dum scribit (quod dictũ fuerat per prophetas) hunc ipsum Iudicum librum, opus multorum prophetarum designasse. Sed de his, ut alijs omnibus, sit penes Christianum lectorem iudicium, monitoris officio fungor. Docemur autem hic præterea: quod Christo usu uenisse uidemus, idem omnibus electis usu uenire: nempe, nihil tam minutum esse, quod fortuito, & non certa Dei prouidentia illis accidat, & quòd pios sanè, mirificè in omnibus rebus consolatur & confirmat. Res leuicula & temeraria carni uidetur, quòd quis à loco educationis cognomentum trahat, sed Christo id adeò non temere contigit, ut quod ei à loco educationis cognomen hæsit, summã totius Euangelij cõpleteretur: nimirũ, ipsum esse sanctũ illum, qui uniuersos filios Dei, uere Nazaræos, hoc est sanctos reddit. Sed præter cognomẽtum, & aliam caussam fuisse puto, cur potissimum Nazareth oportuerit Dominum nostrũ educari. Omnia ita in Christo temperata uidemus, ut pij quidem saluatorem ipsum non possint non agnoscere, impij autem atque reprobi nihil minus. Ita diuinitas eius, cruce & humilitate tegitur. Huius nõ minima portio fuit, quòd haberetur Galilæus & Nazarænus, hoc est, in humillima Iudæorum regione, & obscuro oppidulo natus. Vnde Nathanaël: A

Dominus.

Nazaræus

Nazareth potest aliquid boni esse? Ioan. 1. Id quidam legunt affirmatiue, satis tamē patet, ex responsione Philippi, ex admiratione ab illo dictū. Nam respondit ei Philippus: Veni & uide, quasi diceret, ipse probabis ita esse, si coràm uideris, & fueris cum illo locutus, quālibet id nūc tibi mirū uideatur, quod & euenit. Sed Iudæos reprobos, uideas hinc offensos, adeò ut nihil minus quàm Christū agnoscere illū sustinerent. Vnde Nicodemo suadenti inaudita & incognita causſa, neminem cōdemnandum, respondebant: Num & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & uide, quòd à Galilæa propheta non surrexit. Ioan. 7. Surrexerat autē Dominus noster, nō à Galilæa, sed è cœlo uenerat, natus Bethleem Iuda, secundū scripturam, unde surgere debuit Dominus prophetarū. Sed dum Nazareth educatus esset, illic & natus uulgo credebat, atq; ita humilitate Nazareth, nobilitas quam ex loco natali Bethleem uerè habebat, obtecta fuit, sed reprobis: ut uidentes, scilicet, non uiderent. Cæterū & si Nazarænum putarent, ubi tamē fundentē audiebant uerba uitæ æternæ, ac nihil nisi patris gloriā uindicantē, toto pectore uerbis eius crediderunt: inde & Natum Bethleem, ac reliqua Christi omnia, ipsi certissime competere, facillime edocebant. Qui enim audiunt certū Dei uerbū, & contantur illi habere fidē, respectantes post externa illa, locū, tempus, eruditionē, dignitatē & alia huiusmodi, digni sanè sunt, ut à cognitione ueritatis in totū reiciantur. Id quod usu uenit Iudæis, à loco natali diuinā ueritatem æstimantibus, quam luculentissime sibi in uerbis Christi proponi audiebant. Idē iusto Dei iudicio, & multis hodie euenit, qui consuetudine, mortalium dignitatē & nomen, temporis diuturnitatem, & alia id genus uerbo Dei adeò præferunt, ut ne audire quidem illud sustineant, cum offaciunt illud cum receptis erroribus non conuenire. Quòd illi offensi loco, dicebant: A' Galilæa propheta nō surrexit, hoc nostri offensi loco dicunt: Scilicet, prædicatores nuperi isti doctiores erunt, tot antiquissimis patribus & conciliis? Scilicet, nostri isti plus sapient, quàm doctores Parisini & tot Academiarū? Vt ergo omnia pluris uerbo Dei faciunt, ita iure à uerbo Dei reiecti, humanis commentis & erroribus permittūtur intermori.

CAPVT TERTIVM.

Sect. 1. IN diebus illis accedit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, dicensq;: Pœnitentiā agite uitæ prioris, in propinquo est enim regnum cœlorum. Nam hic est ille, de quo dixit Esaias propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto: Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.

Sect. 2. Ipse uero Ioannes habebat indumentū suum è pilis camelorum, & zonam pelliceam circum lumbos suos. Potrò cibus illius erant locustæ, & mel syluestre.

Sect. 3. Tunc egressa est ad illū Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, cōfitentes peccata sua. Cū uidisset autem multos ex pharisæis & Saducæis uenientes ad baptismū suum, dixit illis: Progenies uiperarum, quis uobis submonstrauit, ut fugeretis à uentura ira: Facite igitur fructus, qui deceant pœnitentiam. Et ne sitis hac mente, ut dicatis intra uosipsos: Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quòd possit Deus facere, ut ex lapidibus his filij surgant ipsi Abrahæ. Iam uero & securis ad radicem arboris posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructū bonum, excinditur, & in ignem mittitur.

Ego

A Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam. At ille qui post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum idoneus ut calceamenta portem. Ipse uos baptizabit spiritu sancto, & igni, cuius uentilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili.

Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab illo. At Ioannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ad illum: Omitte nũc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam. Tunc omittit illum.

Et baptizatus Iesus, ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cœli, & uidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super ipsum. Et ecce uox de cœlis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.

IN diebus illis accedit Ioannes Baptista prædicans, &c.) Superioribus duobus capitibus, ortum seruatoris & infantiam, Euangelista descripsit, eaq; de eo narrauit, quibus abunde etiamnum infantulũ, Christũ esse & seruatorem, nobis comprobauit: nunc in hoc tertio transmissis, quæ ab infantia, usq; ad trigesimum ætatis suæ annum gessit, quę & ab aliis Euangelistis tacita sunt, nisi quòd Lucas unum factũ eius, iam duodennis narrauit, describit, quo modo Ioannis prædicatione, hominibus fuit proditus, & demũ ad baptismũ patris uoce, atq; apparitione spiritus, uelut in munus suũ docẽdi & remittendi in se credentes, inauguratus est. De ortu Ioannis, atq; de legatione in mu-
B nus hoc, ut Christum Israëli manifestaret, eiq; populũ prædicata pœnitentia, uelut præpararet, Lucas primo plenius narrat. Vt enim nihil diuinius, nihil beatius hominibus potuit donare Deus, quàm unigenitum suum, cum quo donauit nobis omnia, ita debuit Ille à nobis ardẽtissimo desiderio ac summa religione excipi. Id nõ potest autem, nisi ab ijs, qui peccatores se esse, & agnoscunt & sentiunt, fieri. Missus ergo fuit hic Ioannes, qui & peccata populo ostenderet, resipiscentiæq; necessitatẽ doceret, & Iesum cõmendaret, qui credentes in se, peccatis liberaret, & æterna uita donaret. Id prædictum fuit, Malac. 3. & 4. Tertio: Ecce mitto angelũ meum, ut uiam ante faciem meam expediat, & repente ueniet, ad templũ suum Dominus, quẽ uos quæritis, & angelus fœderis, quem uos cupitis: Ecce uenit, dicit Dominus exercituum. Verus enim hic Dominus, Iesus est, cui omnium genua flecti oportet, qui à morte in uitam suos adserit, idem angelus fœderis, annuntiauit enim nobis, nouũ illud & æternum fœdus, sanguine suo confirmatũ, quo Deus recepit, se nobis patrem futurũ, nosq; filios, & hæredes uitæ beatæ habiturũ: & nos uicissim fidẽ debemus, illum nos patris loco obseruaturos, & ueneraturos. Huius Domini & angeli templum, populus est electorũ. In hoc Domino & angelo, Deus nos clemẽtissime adijt: in illo nanq; habitat, ut Diuus Paulus inquit, diuinitas corporaliter, unde & Immanuel, hoc est, nobiscũ Deus, eum iure uocamus, Iesa. 9. Non dissimile est, & quod in fine quarti capitis, idẽ uates de hoc præcursore prædixit: Ecce ego mittam uobis Eliã prophetã, anteq; ueniat dies Dñi magnus & tremẽdus, & cõuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorũ ad patres eorũ, ne fortè ueniã & percutiã terrã anathemate. Hic dies, dies & reuelatio Christi est, uere magnus, & luce diuinæ maiestatis planè tremendus, præsertim carni, ut in quo pateſiat, hanc nihil & peccatũ esse, eoq; crucifigendã & abolendã. Anteq; ergo hęc dies exoriret, misit Dñs Eliã prophetã, hoc est, hunc Ioannẽ, uirtute & spiritu Eliæ præditum, quippe fortissime impietatem, ut &

Thesbi-

Thesbites ille fecit, infectatus fuit, & ueram religionem incredibili studio restituere conatus est. Ita angelus Luc. 1. & Christus ipse infrà 11. & 17. hęc interpretatus est. Hic ergo alter Elias, qui uenit ut patres & filios in Domino uniret, omnes peccatores esse, & ab uno Christo salutem petendam docuit, pœnitentiam & Euangelion Christi prædicans: ne, scilicet, in impietate usq; perseuerantes Iudæi, tandē anathemate percussi, prorsus exterminarentur, quòd dum, nec Ioanni, nec Christo ipsi, nec denique Apostolis auscultare uoluerunt, inauditæ crudelitatis excidio experti sunt. De uaticinio Iesaia, quod & noster Euangelista citat, postea loquemur. C

Ad tantū igitur munus destinatus, ut commendatior testis Christi esset, Dominus ortum eius atq; uitam, multis miraculis insignē reddidit. Ex promissione, præter ætatem & naturam, à sterili matre senioq; graui patre natus est, nomenq; illi ab angelo impositū, quod gratiæ legationē, in qua natus fuit significaret, etiamnum infantulus gaudio & admirationi multis extitit: pater quia nō crediderat promissioni diuinæ: mutus factus est, rursus pſoluta incredulitatis pœna, nō solū loqui potuit, sed spiritu pleno, etiam optatissima de uicina electorū redemptione, munereq; filij prophetizauit, deniq; spiritu sancto ab utero sic repletus ipse est, ut magnus coram Domino, in omnibus appareret. Porrò ortui non tam sancto, quàm admirando magis sancta & miranda uita successit. Cum ætate enim & spiritus Dei in eo luculentius sese continuo exeruit, uinum & ciceram Nazaræus Domini nō bibit, sed & in desertum recedens, locustis & melle syluestri uictitans, ac ueste ex pilis camelorū cōtexta, illic latitans egit, donec tēpus aduenīret, quo ostēdi ipsum Israēli, & Euangelicā auspicari prædicationē oportuit. Hæc tanta Ioannis, & si ministri duntaxat, ac præcursoris dignitas, debet Christi nobis dignitatē, quā adeò excellere suā agnouit, ut indignū se fateretur, qui ei calceamenta portaret, cōmendare, ut Euangelio regni, quod ille cœpit, hic perfecit, & cuius causla uterq; aduenit, tanquam incōparabili & inæstimabili thesauro, oīa posthabeamus, qua sola ratione huius & Christi erimus participes. Porrò Matthæus, ortū & reliqua Ioānis, ut & Christi, quæ ab eo, quòd in Nazareth fuit relatus, usq; ad baptismū eius gesta sunt, tacuit, alijs satis superq; gloriam eius, illustrem reddens. De Ioanne igit incipit memorare ab eo, quū iam cœpit prædicare. D

In diebus illis, accedens Ioannes.) Dies istos Lucas describit exactius. Inceperūt enim anno quintodecimo, imperij Tiberij Cæsaris, &c. Luc. 3. Fuit autē hoc tempus aptissimū prædicando regno cœlorū, cum terrenum regnum apud Iudæos tam male haberet. Præter enim sectionem principatuum profanorum, eoq; multimodam tyrannidem in rebus externis, sacerdotij quoq; dignitas scissa erat, pridem Romanorum auaritiæ, & sacerdotum ambitioni penitus prostituta. Nunquā etenim ad percipienda cœlestia, magis capaces sumus, quàm ubi terrena omnia aduersa cadunt. Ita priusquam Mosen liberatorem Israēlitis Dominus mitteret, passus fuit durissime illos adfligi in Aegypto. Sic priusquam in promissam terram induceret, per uastum desertum, uarijs modis afflixit. Ad hæc, aderat, qui facturus noua omnia aduenerat, nouum populum, nouum cultum, cuncta spiritalia: recte igitur uetera et carnalia, ad interitum, ita dissecta & afflicta proxime accesserant. Accedit autem Ioannes Baptista prædicans, non solum in hoc natus, ut dictum iam suprà est: sed cum iam prædicandum esset, meminit Lucas, peculiariter factum uerbū Domini super eum. Quo modo enim prædicasset, inauditum orbi, & reuelatissimum iam Euangelion regni Dei, nisi fuisset ad id peculiariter missus? Rom. 10. Alij prophetæ, nisi facto super eos uerbo Domini, non prophetarūt: quanto minus id potuit Ioānes, qui ea debuit prophetizare, ob quæ, maior inter natos mulierum, & plusquam propheta futurus erat? Faciunt autem hæc omnia, ad commendandam nobis Euangelij, quod prædicauit, maiestatem, utinam ea sic animis nostris insideant, quò illud digne æstimemus.

Tempus opportunū Euangelio.

Luc. cap. 3. explicatur.

In deserto Iudææ.) Lucas habet: Et uenit in omnem regionem finitimam Iordani.

A dani. Ergo desertũ illud non fuit omnino uastũ, in quo nemo, sed in quo sparsim homines & rari habitabant, sicut in Hercinia sylua, Vogeso, & similibus incultis locis uidere est. Vnde Iosua 15. Sorti tribus Iuda, in deserto sex ciuitates, quæ & suas villas habuerunt assignatas, legimus. Quare non est cogitandum Ioannem secessisse ab omni hominũ conuictu, more eorum, qui hodie heremitæ uideri uolunt, omnino solitarie, in syluis obscurioribus habitantes: sed cum in montanis Iudææ paterna domus esset, fortè paululũ progressus in desertum, id est, saltuosa loca, uersus Iordanẽ, et mare mortuum, egit in obscuriore loco aliquo: uti si quis hinc à regione Rheni cultiore, ad montana, & saltus Vogesi, uel alia Lotharingiæ incultiora loca secederet. *Desertũ quale.*

Pœniteat uos, appropinquauit enim regnũ cœlorũ.) Verba breuissima, sed summa hæc est totius prædicationis Euangelicæ, unde hisce uerbis & Christus & Apostoli suum Euangelion auspicati sunt, infrà 4. & 10. Sensus autem est: Resipiscite, aliã modo mentẽ capite, innouamini, actæ uitæ ita pœniteat, ut totã deponere, & noua cõmutare libeat, appropinquauit enĩ diu expectatũ regnũ cœlorũ, regnũ iustitiæ, regnũ spiritus atq; solidæ pietatis. Aduenit, q iustitiã uere & doceat & donet. Adest tẽpus illud beneplacitum, illuxerũt dies illi salutis, qbus respondere suis Deus, et opẽ ferre uult prẽsentissime, seruareq; eos, & dare in fœdus populi, ut per ipsos & alij sibi confœderentur, ac ita terram in regnum salutis suscitent, uastatasq; Gentium hæreditates, per Euangelion hæreditario percipiãt, ac dicãt uinctis: Exite, & his qui in tenebris, emigrate, Super uias enim pascent, & super oẽs colles pascua eorum. Nõ esurient, & nõ sitient, & nõ percutiet eos æstus, & sol, quia miserator eorũ minabit eos: & sup scaturigines aquarũ aquabit eos, &c. quæ Iesa. 49. de hoc regno cœlorum, uaticinatus est, ut & locis multis alijs. Est siquidẽ hoc regnũ, regnũ Christi, quo per spiritũ suũ, & fidẽ Euangelij, in mẽtibus regnat electorũ, iustificans eos atq; saluans. Id in electis uiguit quidẽ ab initio, at nunc reuelari palàm, & q̃ late orbis patet, proferri debuit, ea causa ait: Appropinquauit, quod Dei donum, & Iesa. tantum agnouit, ut prædicto loco, uniuersam creaturam, ad exultandum & gratulandum prouocet, dicens: Exulta cœlum, & exulta terra, iubilent montes exultatione, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Quid enim sunt omnia antea populo collata, siue externa illa rerum prosperitas, quam sub aliquibus principibus habuerant, siue etiã lata lex, & instituta religio per Mosen, ad felicitatẽ huius regni, in quo credentes æterna uita atq; beatitudine donantur, & per spiritum lex uitæ in corda nostra inscribitur, qui in spiritu & ueritate nos, hoc est, uere patrẽ colere docet. Tenuit quidem, egitq; & qui ante aduentum Christi in carnem, uerbo Dei fidem habuerunt, Spiritus Christi, sed non tam potenter, nec tam late se in homines diffudit: in sola siquidem Iudæa notus Deus erat, tota dispersio rerũ uersabatur in tenebris multiplicis erroris & impietatis, nunc autem omnis caro uisura est salutem Domini, in seruatore nostro Iesu Christo, prædicato Euangelio omni creaturæ. Proinde hoc regnum Christi, rectè cœlorum regnum uocatur: uiget enim in eo cœlestis, & omni terrenæ incomparabiliter præstans, potentia, qua nimirum, à peccato & morte uindicamur, æternaq; pace, ac omnium bonorum affluentia fruimur, sicut lege spiritus, non litera, eaq; non lapideis, sed cordis tabulis inscripta regimur, & fide animi, non externa conuersatione ciues agimus, regem deniq; non uidentes, sed regnantem in cœlestibus per fidem adorantes. Vt igitur omnia huius regni Christi spiritalia & cœlestia sunt, iure cœleste, & cœlorũ regnũ appellatur. Nam & si uerbũ externũ, & duo signa, Baptismũ & Eucharistiam, Ecclesiæ Dominus commendauit, propterea quòd in corpore etiamnum agimus: uirtus tamen in his, qua id nobis exhibetur, quæ uerbo & symbolis repræsentatur, Christi est, diuina & cœlestis est. *Vaticinium Iesa. de regno Christi insigne.* *Aliud regnũ Christi.* *quæ*

Hic enim est ille, de quo dixit propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto.) Id hactenus in Ioannem peculiariter quadrat, quòd uocem hanc Euangelicam, de qua il- *Iesa. 40.*

lic

lic propheta uaticinatus legit, primus extulit. Omnino enim illic propheta, de prædicatione Euangelij, quæ auspicanda quidē erat per Ioannē, at nō absoluenda: nam per electos ad hoc, ad finē usq; mundi ea perducenda est, sub typo liberationis factæ per Cyrū, uaticinatus est. Ita siquidē uates Domini illic cœpit: Consolamini, consolamini populū meum, dicit Deus uester. Dicite in animū Ierusalē, & edita uoce annuntiate illi, q̄ tēpus afflictionis eius cōpletum sit, quòd remissa iniquitas eius, quia accepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamans in deserto: expedite uiam Domini, rectam facite in solitudine semitam Dei nostri. Omnis uallis exaltetur, & omnis mons & collis humilientur: & redigatur quod tortuosum est in æquor, & aspera in planitiē. Et reuelabitur gloria Domini, uidebitq; omnis caro simul, quòd os Domini loquutū sit, &c. Hactenus & Lucas testimoniū hoc, ab eo incipiens, Vox clamans, adduxit. Est autem uerborū huius uaticinij sensus: Deus uester ô electi & ueri Israëlitæ, dicet & mandabit prædicatoribus suis, ut consolationē iam & Euangelion gratiæ prædicent, eoq; corda uestra erigant & demulceant, id enim uocat loqui ad cor, & quo per omnia, gaudium præ se ferant, edita quoq; uoce adnuntient, impletū esse tēpus eius, quo cum malis omne genus cōflictari illā necesse fuit, remissam & condonatam iniquitatē, postquam pro omnibus peccatis suis duplicia accepit, hoc est, abunde sæuam castigationē. Iamq; audietur uox, huius felicitatis testis, & annuntiatrix, Ea ceu in deserto, in populo Iudæorū omni pietatis cultu destituto, sonans, hortabitur, ut uiam Domini omnes parent, & rectam faciant semitam Dei nostri, hoc est, omnem præposterā fiduciā legis, & rationis humanæ, omnemq; peruersam religionē, ac peccata alia semoueant, & obedientiā uerbi Dei, fidemq; in Christū recipiant, quo pacto omnis uallis exaltabitur, & omnis mons humiliabitur, hoc est, quicquid in cōmoditatem, aut impedimentū, in uia Domini, uitaq; Christo digna, qua Deus ad nos, & nos ad illum imus, afferre possit, tolletur. Contemnentur traditiones hominū, quæ sunt aduersæ uerbo Dei, operū fiducia cadet, rationis arrogantiæ renuntiabitur, caro cum uitijs & cōcupiscentijs suis crucifigetur, ut uno uerbo dicam, homines resipiscent & innouabuntur. Tum reuelabitur per Euangelion gloria Domini, quàm late orbis patet, & omnis caro, hoc est, uniuersi mortales uidebunt certa fide agnoscentes os Domini esse loquutū, hoc est, prophetarum oracula certissima, uereq; iam Domini sapientiā atq; cœlestem doctrinam hominibus cōmunicatam: quia uero Ioannes primus præco esse debuit huius consolatoriæ prædicationis, qua ut adesse tēpus gratiæ, id est, regnū cœlorū appropinquasse, ita & resipiscentiā, atq; abnegationē omnium prædicari oportebat, atq; ita uiam Domini, uiam fidei & salutis, parari, & ipse ut est apud Ioan. 1. se hanc uocē in deserto clamantē, professus est, & idem Euangelistæ de eo testati sunt. Hanc autem prædicationē Ioannes duntaxat auspicatus est: Christus postea, primum per se, mox per Apostolos, inde per reliquos, quos suo ad hoc spiritu, delegauit, eam promouit & promouebit, dum iudicij tempus apperierit. Quòd autē in deserto, hoc est, in inculta Iordanis regione prædicare Ioannes incepit, significans per hoc, quod alibi Propheta idem prædixit, agrum cultum in desertum, & deserta in loca maxime culta atq; frugifera conuertenda, Euangelista non illibenter iuxta uulgatam Græcorum editionem, hoc testimonium citauit, ita distinguens: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, &c. Cæterum in Hebræo illud (in deserto) iungitur cum sequentibus, nempe sic: Vox clamans, in deserto parate uiā Domini, ut respondeat sequētibus particulæ, rectam facite in solitudine semitam Dei nostri. Sed hoc (in solitudine) etiam à Luca, nimirum uso uulgata editione prætermissum est. Sed quoniam citationibus suis Euangelistæ ad ipsam scripturam magis remittere, quàm oracula quæ citarunt, explicare uoluerunt, atq; etiam in uulgata editione, sine detrimento sententiæ principalis, ita ordinata hæc legebantur, neque Lucas ueritus est omittere

solitu-

A solitudinẽ, neq; Matthæus ordinem nonnihil immutare: neutro enim ueritati quic quam detractum est. Hoc etenim egerunt Euangelistæ, ut memorarent Ioannẽ præ/ dicationem illam consolatoriam, uereq; resipiscentiæ doctrinam fuisse auspicatum, quò, scilicet, cõmendatiorem eam nobis efficerent, & obuijs animis excipiendam cõmendarent, quod & solum nobis erit saluti: huius igitur curiosi studiosiq; simus.

Porrò in tota hac huius oraculi enarratione, secutus eos sum qui parare uiam, de/ primi montes, extolli ualles &c. allegorias esse putãt, quibus populus dei iubeatur, tollere è uita quæ deum offendunt, demittere fastũ, erigere animos deiectiores &c. Videtur autem uates, si Hebræam phrasim consideremus, his omnibus nihil aliud uoluisse prædicere, quàm breui in desolata Iudæa exaudiendam uocem, quæ læto clamore iubeat, Domino in illa iamiam reuersuro, uiam parare, ut intelligas Pro/ phetã de Deo, tanq; de ingressuro iam rege loqui. Et per hoc quòd prædicit fore, ut edita uoce iubeatur, parari domino uia, prædicere uoluisse q; optatus futurus esset eius aduentus. Reges enim cum cupide excipiuntur, magno studio uia illis expedi/ tur & paratur, quicquid altius est deducitur in planum, quicquid depressius exple/ tur, ut in æquabilitatem assurgat, sic corrigũtur & quæ tortuosa sunt & flexuosa. Ad hunc modum enarraui, præsens uaticinium in Ioannem cap. 1. Quæ enarratio, quo simplicior est, eo existimo certiorem: quanquam non damnarim, si quis cum agno/ uit hic à Vate prædictũ esse aduentũ dei, primũ reuertentibus in terram suã Iudæis ex Babylone, deinde omnibus hominibus per Christũ, cuius ille ad Iudæos aduen/ tus typus fuit, tum ut sancti dominum essent excepturi, utroq; aduentu, maxime au/ tem secundo: hic intelligat doceri à Ioanne, qua ratione, Deo ad nos uenienti, uia muniatur, nempe abdicatione, & reiectione omnium quæ illi displicent, hoc est, amplectendo illud resipiscite, aduenit enim regnum Dei.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

B Ipse uero Ioannes habebat indumentum.) Agebat in deserto, uilioribus ergo, hoc est, deserti incolis assuetis cibis & uestibus fuit usus, locustis, scilicet, melle syluestri pastus, & panno ex pilis camelorum confecto uestitus. Ne quis existimet, in mo/ rem nostrorum monachorum, peculiare sibi aliquod cibi & uestimenti genus dele/ gisse. Astrictius quidem, quàm uulgus uixit, at id præter insolentem nouitatem, quòd omnino sanctorum sit, ut sanctitati unice studere, ita speciem eius minimum iactare. Scimus deserti habitatores omnes, incultioribus cibis, & uestibus uti, ut co rum asperitas uitæ, cultiorũ regionũ hominibus uideatur sæpe intolerabilis. Cum itaq; Ioannes desertum, & incultiorem regionẽ inhabitare delegisset, uoluit ijs uti quibus & reliqui deserti incolæ solebant, sed ut sancti consueuerunt, sicut citra ali/ quam insolentem peregrinitatem, ita etiam omnibus ad humiliorem modum. Iam locustis usos illius deserti inhabitatores, haudquaquam incredibile est, cum Plinius scribat libro undecimo capite uicesimonono, Parthis has in in cibo gratas. Taceo quod libro sexto capite tricesimo meminit: Partem quandam Aethyopum, locustis tantum uiuere, fumo & sale duratis, in annua alimenta. Vestes autem ex pilis came/ lorum, quibus ea regio abundat, confectas illos gestasse, uel ex eo uerisimile esse po/ terit, quòd uidemus uicina nobis deserta incolẽtes, paulò mollioribus indumentis uti. Sic et pelliceam zonam prædicatur, in notam modestiæ & continẽtiæ habuisse, nam gentibus illis prætiosas zonas gestare in more erat, & hodie est, neq; enim fa/ cile alijs quàm sericis, uel aliâs pretiosis utuntur. Quem luxum zonarum fuisse illi olim genti, uel ex Prouerbiorum ultimo notes, ubi de muliere proba canitur. Tuni/ cas parat & uendit, & cingulum dat mercatori. Atqui hæc zonarum utilitas indu/ bie Ioanni, cum suis deserti incolis communis fuit, tametsi pro more sanctorum, in/ dubie humiliora in omnibus delegit. Nullum enim uspiam sanctorum legimus in/ solentia ac singularia in rebus istis externis sectatum, cum corporalis exercitatio, parum conducat, quo circa in ea hypocritę magis, quàm ueri sancti studeant excelle/

re. Ideo non dubito Ioannem ut abiectioribus quidem usum, ita nullam tamen in uita insolẽtiam, ac in imitabilem peregrinitatẽ admisisse. Quapropter & illud Christi: Venit Ioannes, neq; manducans, neq; bibens, hyperbolicῶs, ut oportet accipio: neq; enim nihil cibi & potus sumpsit, sed delitijs in cibo & potu, prorsus renuntiauerat, & inter abiectos & asperos, ipse adhuc abiectius atque asperius, cum decoro tamen uixerat. De qua re uerbosius uolui differere, ut ostenderem eos, qui propterea quòd rebus, usu pereuntibus, in læsionem corporis, atque sumptuũ parcitatem iuxta præcepta & doctrinas hominum, Col. 2. abstinent, uel abstinere se simulãt indeq; magnificam sanctimoniæ laudem uenantur, huius instituti sui neminem minus, quàm sanctum domini præcursorem, posse autorẽ iactare, qui uilibus quidẽ & asperis, sed assuetis ijs, cum quibus agebat usus fuit, idq; ad humiliorẽ modũ. Ita demus operã, ut carnem fortiter castigemus, ac spiritui subijciamus, sed citra insolentem in externis istis rebus nouitatem. Tum curemus, ut Deo magis quàm hominibus testibus istuc agamus. Absit multo magis omnis fucus & simulatio, qui hodie apud minime paucos ueræ abstinẽtiæ successit. Possumus certe, si in deserto agimus, cum Ioanne, & si incultiore regione, cũ Christo consuetis uti, & nihilominus ueram solidamq; & modestiam & abstinentiam præstare. Sed nouit iam pridem & queritur orbis, plurimos, abstinentiam delitiarum & carnis castigationem fortiter quidem præ se ferre, ac uerbis magnifice iactare, sed re nihil minus præstare. Vtinã agnoscãt illi, aliq uãdo Deũ cultores, requirere, qui se in spiritu & ueritate adorent.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Tunc egressa est ad illum, Hierosolyma & tota Iudæa &c,) Hoc est quod Malachias & Gabriel de eo prædixerant: Et multos filiorum Israël, conuertet ad dominum Deum ipsorum, et ipse præcedet ante illum in spiritu et uirtute Eliæ. Specimen certe hic omnium ad eum conuentus fuit, eius, quod tũ incipiebatur, & paulò pòst per spiritum Christi erat implendum, de quo suprà citatũ uaticiniũ prædixit, nempe gloriam Domini reuelandam, et omnem carnem uisuram, dominum locutum esse. Sed quamlibet multi, ad uocem Ioannis accurrerent, baptizandósque sese offerrẽt perpauci tamen ex eis uerè renati fuerunt, quod postea, dum Christum ita reijcerẽt, tandemq; ad mortẽ poscerent, satis apertè declararunt. Iaciebatur tum rete Euangelicũ, in mare populi Iudaici, & capiebat multos quidẽ pisces, sed inter quos nõ pauci putres fuerũt. Regnũ cœlorũ incipiebat uim pati. Violẽter, hoc est, ardentissime innumeris irruẽtibus, sed nõ omnibus per patrẽ attractis, ideo nequiuerũt persistere. Nobis uero ut iste populi feruor, certè à Deo immissus, diuinitatẽ Euãgelij quod prędicari tũ incipiebatur, cõmendat, ita etiã monet, studio populi nihil fidẽdũ, quãdo in istis hic feruor tam cito fuerit remissus.

Prædicatori igitur Euangelico, nequaquã animos erigat, si ad se undiq; accurratur, & auditoriũ habeat frequẽtissimũ. Deus id ita dispensat, quò maiestatẽ uerbi sui ostendat, adeoq; illud palam faciat, ne quis sit excusabilis, si uel audire, uel credere nolit, mox declarat simul, quam pauci electi sint, immissa cruce, & permisso inimico homini suas zizanias serere. Hinc ueri prædicatoris auditoriũ, fit admodũ rarũ, uel cruce abactis, uel ultrò ad mundi curas relabentibus, qui citra solidã fidem aderant. Curemus igitur magis solidos q; multos auditores habere, quod faciemus, si magis salutaria, q; plausibilia docuerimus, toti in eo, in quo fuisse Ioannẽ legimus, nimirũ, in prædicãda resipiscentia, & clamando, omnẽ carnẽ fœnũ, &c. Valde uerendũ est, pleroscq; hodie prędicatores, dũ plurimis dicere, quàm probatis malunt in prędicãda pœnitentia suis, nõ esse tam ardẽtes, quàm sunt in insectandis aduersarijs, quo sæpe plebs non paulo plus titillatur, quàm ædificatur.

DE SACRO

A

DE SACRO BAPTISMATE TRACTATIO.

Et baptizabantur.) Non tantum apud superioris seculi homines, sed etiam nostri circa baptismũ haud parũ erratũ esse extra dubiũ est. Volo igitur paucis, de baptismo hoc loco disserere, quid sit, ad quid, & per quem institutus, cuius usus atq; utilitatis, quibus denicq; competat. Dabo operam simpliciter sequi scripturam, iudicium ecclesiæ delatum esto. Quod utinam & suum agnoscat, & nullum præter Christum doctorem admittens, secundum purum Dei uerbum exerceat, id quod synceri Christiani omnino curabunt. Baptismus ergo Græca uox, tinctionẽ significat, quod uulgo notum. Vt autem Christianorum signum habetur: Est tinctio in aqua, qua in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, in fidẽ, & in gregem Christi, ordinẽq; innouandorũ spiritu, recipiũtur qui tinguntur, donata eis remissione omniũ peccatorũ. Cum enim in corpore hic etiamnum agimus, atq; cum alijs conuersamur, ut signũ etiã externum Christiani haberemus, quo ab alijs secerneremur, religionisq; Christi consortes nos profiteremur, & ab alijs agnosceremur, duo Christus nobis signa instituit, quæ sacramenta uocant, Baptismum & Eucharistiam, quorum ille circuncisioni, hæc sacrificijs legis successit. Veteres circuncisione suos in fœdus & ecclesiã Dei recipiebãt, receptis, diuini fauoris dignationẽ, Christiq; futuri cõmunionẽ exhibebãt sacrificijs. Ita nos Baptismate Christo primũ nostros consecramus, & incorporamus, Eucharistiam innouamus & peruehimus. Cúmque à nobis, qui cor intueri nequimus, multi intercipiantur, quos natos ex diabolo, dum id operibus malis declarauerint, iterum reijcere oportet, hos, negantes eis mensæ Domini communionem, declaramus, aut in totum nullam in Christo partem habere, aut in præsens indignius uiuere, quàm ut in Christi ecclesiam debeant ferri, hoc pacto conantes pudore illos afficere, et ad timorẽ domini reducere. Sed in præsenti de Baptismo, quem

B

id esse quod diximus, per scripturas est manifestandũ. Tinctionem in aqua, nostrum Baptismum esse nemo ambigit, uel ex præsenti loco monitus, cum scribit Euangelista: Et baptizabantur in Iordane. Sed quòd ea tinctione in fidem, & in gregẽ Christi, qui tinguntur, recipiuntur, satis probant illa loca, Numer. 6. 1. Cor. 12. Thes. 5. Coloc. 2. Tit. 3. In his enim locis testatur Apostolus diserte, nos baptismate esse cũ Christo sepultos, ipsi incorporatos, ac peccato uirtute Christi mundatos, innouatos, atque regeneratos, Infra ultimo iubet dominus gẽtes baptismate facere suos discipulos. Act. 2. legitur: Qui ergo libenter acceperunt sermonem Petri, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illo, animæ circiter ter mille. His Lucas testatur animas baptismate apponi, utiq; ad gregem Christi, & ordinem innouandorum per spiritũ Christi. Ex hisce itaq; locis liquet Baptisma esse eiusmodi redemptionis Christi collationem, qua ut ipsi incorporamur, ita unimur in eo sanctis omnibus. Adulti præterea cum baptizantur profitentur fidem suam, baptizamur siquidem in patrem ut non dubitemus paterna ipsum nos beneuolentia complecti: in filiũ, ut certi simus hunc pro nobis satisfeciisse, & nos seruaturum: in spiritum sanctum, ut quẽ habituri simus totius uitæ formatorem & innouatorem. Baptizari in nomine Christi idem pollet, quia in Christo est, pater, filius, & spiritus sanctus.

Sed dubitari queat, quidnam conferatur ijs, qui iam credunt in Christum, et hac fide habẽt uitam æternam, ut erat Eunuchus ille quem baptizauit Philippus, et Cornelius, quem baptizauit Petrus, qui uir etiam ante auditum Petri Deo tàm charus erat, ut angelũ illi mitteret, qui illi significatet preces exauditas esse, ut iuberet pro Petro, ut ab eo Euangelion Christi plenè perciperet, mittere. Hic cum Petro cum domo sua auscultaret, Dominus spiritum sanctũ, ut in Apostolos fecerat, ilico effudit, unde stupefactus Petrus dicebat: Nunquis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos, inquit Lucas baptizari, in nomine domini. En hi, dono spiritus sancti uisibili, Apostolis fuere æquati

quati,quid ergo adiecit illis aquæ:Dominus ſicut per Petrum doceri iſtos uoluit,ita uoluit eis & aquæ tinctione,ab eodem uitam æternam donari. Ad eundē modum & Paulus cum credidiſſet, & ſpiritum ſanctum hactenus accepiſſet, audiuit tamen ab Anania ut ablueret peccata baptiſmate.Ex quibus omnibus, ueritatem quærenti,obſcurum eſſe non poteſt,Baptiſmum ad id dari, ut eo ſigno gratiæ qui tinguntur,in eccleſiam Chriſti palàm recipiantur. Voluit enim ſummam inter ſuos dominus dilectionem uigere,& ut ſeſe mutuo membra agnoſcerēt, ideo licet ipſe doceat omnia,& ſolus in numerū à patre electorū adſcribat, uoluit tamē ita ſuis ſibi inuicē ſubijcere,ut alius ab alio doceretur,in eccleſiā reciperetur,hoc eſt,peccatis ſoluerētur,poſtea moneretur,atq; ſi indigne Chriſto uiueret, rurſus ab eccleſia ejiceretur, hoc eſt,ligaretur. Sanè qui angelus Cornelium iubebat accerſere Simonem, idem potuiſſet docere Chriſti omnia:non minus potuiſſet & Chriſtus ipſe Paulum de ſingulis ſuis myſterijs erudire,ſed oportebat illū Petro,hunc Ananiæ præceptori ſubijci, & cum uterq; ſpiritu ſancto plenus eſſet, atq; declaratus diuinitus eſſe de grege Chriſti,Baptiſmo tamen ambos à ſuis præceptoribus gratiam Chriſti uiſibili ſigno percipere,et Chriſto inaugurari.Adeò ſancta uoluit eſſe quę dixerat,Quę ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlis, & quorum remiſeritis peccata, illis remittuntur,&c.infrà.16.18.& Ioan.20.Facit ſiquidem ita colligari inter ſe Chriſti membra,ad tuendam tum modeſtiam,tum dilectionem,quā ille unice inter ſuos requirit,quaq; ſola ueri eius diſcipuli dignoſcimur.

Ad hæc cum deus hoc ingenio nos condidit, ut promiſſiones,& rerum inuiſibilium exhibitiones,ſenſibilibus ſignis factæ, grauiores ſint,ac plus moueant, uiſum eſt domino,& in promiſſione atq; exhibitione redemptionis noſtræ uti ſignis ſuis, quibus animos noſtros in contēplationē bonitatis ſuæ amplius attollat,fidemq; in ſe pleniorē nobis reddat.Experimur enim omnes, dum ſynceriter & ſerio inter nos agimus,quantū ualeant iſtæ ſignorum commonefactiones, quibus in grauioribus cum promiſſionibus,tum exhibitionibus uti ſolemus.Cui enim non plus momenti habeat coniugij pactio,cum ea ſolitis ſignis perficitur,quàm ſi nudis conſiat uerbis? Sic habet animus noſter, & in alijs contractibus, atq; initiationibus præcipui ponderis.Quamobrem Dominus non ſolum ad publicā fœderis ſui exhibitionem, atq; inſtaurationem ſigna ſua inſtituit, uti fuerunt in priori populo circunciſio, uaria ſacrificia,unctio ſacerdotum & regum, manuum impoſitio,& huiuſmodi apud nos,Baptiſma & Euchariſtia, & item manuum impoſitio: uerum etiam ad ea,quæ priuatim promiſit cōtulitq; ſuis: Cuius generis ſigna fuere,cōmonſtratio ſtellarum facta Abrahæ,decem partes conſciſſi pallij traditæ Hieroboam,percuſſio terræ iacu lo, quam Ioæ regi indixit Heliſæus, & ſimilia. Nihil etenim magis inſidere animo, grauiusq; expendi debet, quàm quæ nobis pollicetur & præſtat Deus. Cum ergo ingenium noſtrum ſic eſt, ut pollicitatio atq; exhibitio rerum inuiſibilium, per ſigna, ceu quædā uerba uiſibilia, uti ea D. Auguſtinus appellat, facta,grauior nobis ſit,& amplius mouet,& nunquam ſatis fide apprehendimus & penſitamus immenſum illud diuinæ bonitatis munus, quod nobis communione domini noſtri Ieſu Chriſti exhibetur.Pręcipuus uſus ſacramentorum eſt,nos huius Dei in nos bonitatis plenius admonere,fidemq; meam excitare atq; prouehere.Non quidem id uirtute aliqua,quæ per ſe ineſſet,uel uerbis,uel actioni iſti,ita ut Magi ſua uerba & ſigna uolunt efficacia eſſe, & ut à maxima proh dolor parte uulgi Chriſtianorum, ſacramenta habentur,nimirum paſtoribus,qui uocantur,plus quæſtum ſuū in his,quàm fructum pietatis quærentibus, ſed uirtute Domini noſtri Ieſu, qui in hiſce ſuis uerbis & ſignis loquitur & agit omnia, nos miniſtri modo & organa eius ſumus, ut Diuus Chryſoſtomus ſecundum diuinas literas ſcitè ſcripſit, ut ipſe induit nos ſeipſo,& conſepelit ſecū, incorporat ſibi, & refingit in baptiſmate: ita paſcit nos ſeipſo in Euchariſtia.

Porrò

A Porrò contra hæc duplex error apud multos irrepſit, prior diu admodum obtinu
it, & hodie apud innumeras gentes obtinet, alter nuper natus, ex inconſulta imita-
tione, non parum uirium accipit. Prior error eſt, quem modo attigi, eorum, qui ba-
ptiſma, hoc eſt, tinctionem iſtam ſuis præſcriptis uerbis, & ceremonijs peractam, uo-
lunt ſalutem adferre ex ſe, adeò ut animum ad Chriſtum ſerio nunquam attollãt. Al
ter eſt eorum, qui negant debere baptizari infantes. Prior error eo maxime confuta
tur, quòd Apoſtolus & omnis ſcriptura ubiq; docet, ſola miſericordia Dei per Chri-
ſtum impetrata et exhibita, fideq;, quã eius in nobis ſpiritus excitat, percepta, ſi ad-
ulti ſumus, nos iuſtificari atq; ſeruari, & nullo prorſus opere, quod per hominẽ per-
fici poſſit. Iam baptizare & baptizari, ſi id in ſe intueare, ut ab homine geritur, nec
præcipue in Chriſtum reſpicis, quid aliud quàm opus hominis eſt? Fatendum ergo
erit de baptiſmate ad hunc modum conſideratum, id, quod Apoſtolus ſcripſit de cir
cunciſione, nempe illud nihil eſſe aut ualere, ſed nouam requiri creaturã, & obſer-
uationem mandatorum Dei. 1. Cor. 7. Gal. 6.

Sed obijciunt loca quædam, quæ perſpicienda ſunt. Ephe. 5. legimus: Chriſtus di-
lexit eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundatam laua-
cro aquæ, in uerbo, ut adhiberet eam ſibijpſi, glorioſam eccleſiã, &c. Cum hic Pau-
lus dicat, mundatam lauacro aquę, putant Baptiſmo ex ſe uirtutem eſſe peccata ex-
purgandi. Verum iſti nõ animaduertunt, quod addit (in uerbo) & præmittit (ut ſan-
ctificaret.) Ipſe enim Dominus eſt, qui ſanctificat, dum ſuo ſpiritu homines innouat,
hoc eſt, fide in Deum, & dilectione erga proximos donat. Ad hoc autem & uer-
bum externum adhibet adultis, & Baptiſmi ſignum, quo ij qui uerbo credunt, in ec-
cleſiam recipiuntur, & fidem ſuam palàm profitentur. Hic ordo in ijs, quæ Mat. ult.
legimus, pulchre eſt deſcriptus. Prædicate, inquit, Dominus Apoſtolis, Euangelion
B omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Adultis enim primũ
prædicetur Euangelion oportet, tum ſi ex ouibus ſunt, donantur ſpiritu, ut Euange-
lio habeant fidem, his proximum eſt, ut baptiſmo remiſſionem peccatorum per ſa-
crum miniſterium eccleſiæ, plenè percipiant. Dominus uero eſt, qui peccata ſacro
baptiſmate abluit, uſus miniſtrorũ opera, in uerbo & ſacra tinctione. Per ſe enim ci-
tra uirtutẽ et operationẽ domini, nec uerba, nec ſymbola, aliquid proficient. Ioan. 15.
dicebat dominus diſcipulis, nunc uos mundi eſtis propter ſermonem quem loquu-
tus ſum uobis, & tamen ſatis conſtat, quòd externus ſermo domini eos non munda-
rat, ſed uirtus Chriſti ex qua Apoſtoli ſermonem domini fide perceperunt, indeq;
cordis purificationem conſecuti ſunt, iuxta illud, fide purificantur corda, Act. 15. Ita
etiam Paulus ait, eccleſiam mundatam lauacro aquæ in uerbo, non quòd externum
Euangelij uerbum, quod eccleſia audiuit, uel aqua, qua tincta eſt, eam mundarit, per
ſe, ſecluſa uirtute Chriſti, ſed uirtus Chriſti mundans uerbo, et tinctione externa per
miniſtrum exhibitis. In ſumma ita mundata lauacro aquę, in uerbo, eccleſia dicitur,
ſicut Apoſtolis promiſſum & datum fuit, ſoluere, & peccata remittere. Certum au-
tem eſt, uirtute Chriſti ſolui ligatos, atq; peccata remitti, & diſcipulos Chriſti hanc
Chriſti ſolutionem hominibus adminiſtrare fide recipiendam. Attamen dicit Do-
minus ipſe: Quæcunq; ſolueritis, quorum remiſeritis, &c. Ad hunc modum & Ana
nias Paulo loquebatur, ipſo narrante in Act. 22. Exurge, & baptizare, & ablue pec-
cata tua, inuocato nomine Domini. Et tamen ante ſpiritum ſanctũ acceperat, Chri-
ſtum uiderat & crediderat, eoq; abluta illi per ſanguinem Chriſti peccata erant. Ni
hilominus cum baptiſmum ſuſcipere, erat condonatis peccatis, in fidem Chriſti &
eccleſiam recipi, Ananias uocat baptizari, peccatis ablui. Sic circunciſio Gen. 17. ip
ſum fœdus domini dicitur, quia fœdus Domini circunciſione conferebatur, uirtute
Domini, & eccleſiæ miniſterio. Ad hunc modum & baptiſmate dicimur peccatis
ſolui & ablui, quia baptiſmate, uirtute Chriſti & eccleſiæ miniſterio ſolutionem &

ablutionem percipimus, manetq; semper peccatorũ ablutio, opus Christi proprium, donantis spiritum, quo istam purificationem à peccatis credimus, & uerè percipimus. Ipse enim est unus noster sacerdos, qui aspersos suo sanguine, à peccatis & operibus mortuis, Heb. 9. repurgat & sanctificat, uti & Paulus ipsum ubiq; prædicat, eũ esse per quem sanctificamur. C

Sic intelligendũ est, & quod Tit. 3. legimus: Secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quẽ effudit in nos opulente, per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur, iuxta spem uitæ æternæ. Quis hic nõ uideat, misericordiæ Dei, Christi gratiæ & spiritui sancto donato nobis, nostram salutem adscribi? Per lauacrum quidem ait regenerationis, id aũt est non sola tinctio quæ externe administratur, sed qua simul Christus interne nos donat suo spiritu. Apostolus hic totum ordinem salutis & renouationis pulchre complexus est, in quo & baptismus, tanquam renouationis & sanctificationis nostræ symbolum suum locum obtinet. Primum ergo ponit Dei misericordiam, qua ille nos saluos facit, non ex operibus quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, mox ponit lauacrum, sed cum addit, regenerationis & renouationis spiritus, luculenter declarat, se non de lauacro aquæ, nisi ut signo, & signo uero atq; exhibitiuo loqui. Spiritus sanctus igitur, quẽ in nos abunde pater optimus effudit, quo fide & dilectione donamur, secundo loco ponitur, adiuncto baptismo, in quo, scilicet, spiritus renouatio exhibetur atq; percipitur. Tertio seruator noster Christus, cuius meriti et gratię est, ut spiritu per misericordiã donemur. Quarto ergo loco, nostra iustificatio sequitur, quæ opus est misericordiæ Dei, spiritus renouantis, & meriti Christi, postremum est hæreditas uitæ æternæ. Sed quid opus multis? Impijs & reprobis nihil satis erit, pijs quæ memorauimus abunde satis erunt, ut baptismo aquæ per se, secluſa uirtute Christi, nullam iustificandi uim tribuant, eò quòd norunt, operibus nostris, uti est aquæ baptismus, nos haudquaquam iustificari, sed sola Dei gratia & fide. Haud enim fallere potest qui ait: Qui credit in me, habet uitam æternam. Neq; offendentur, si quæ scripturæ uideantur Baptismo iustificationem tribuere: animaduertent enim scripturam signis istis sacramentalibus adscribere, quod signati est. Sunt enim signa exhibitiua, cunq; de signis in ueritate perceptis loquatur, quo pacto simul adest, quod significant, solet interna simul cum externis, hoc est, signum & signatũ coniungere, atq; ita iunctim ea prædicare. D

Hoc uel ex Petro cap. 3. prioris Epistole discẽt, qui ita scripsit: Cuius figuræ respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit, non quo carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Vide, dicit nos saluari baptismate, sed ne intelligas per baptismũ, opus nostrum, illam externam tinctionem, uirtute Christi secluſam, addit ilico, non quo carnis sordes abluuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respõdeat apud Deum, id quod fides est. Iam illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, cum Dominus mox spiritum repetat, & non aquã, dicens: Quod natum est ex spiritu, spiritus est, satis ipse declarauit, se spiritu non tinctione aquæ, regenerationẽ tribuere, & si aquam spiritui, ut internæ ablutionis symbolum iunxerit, sicut & Paulus hanc lauacrũ uocauit regenerationis. Illud D. Petri, & hunc, & quemlibet locũ, in quo uideri possit, plus satis aquæ tribui, abunde explicat, non quo carnis sordes abijciuntur.

RETRACTATIO.

In his quæ hic de ui & natura baptismatis tractaui, retractare quædam uisum est. Doctrina siquidem Christi nihil sacratius est, quare summa religione cauendum, ne nostra tractatione, uel obscuretur alicubi, uel impediatur. Scripsi in prima operis huius editione hoc loco quædam de baptismate, atq; adeò in communi de omni sacro ministerio ecclesiæ, in uerbis et sacramentis, quæ dignationem Dei in hoc nobis ministerio

A niſterio commendatam,uerumq; eius uſum non ſatis explicant, tum notant erroris quoſdam,quos tum arbitrabar,externæ adminiſtrationi uerbi Dei & ſacramentorum plus quàm par ſit tribuere,didici autẽ interea orthodoxe de hiſce myſterijs ſentire.Cum ergo poſſint,quæ antea hoc loco de ſacro Eccleſiæ miniſterio ſcripſi,rapi ad contemptum cum ſacri miniſterij,tum eorum,qui de eo pie ſentiunt et prædicãt, uolui in hac retractatione,quantum Dominus dederit,& ſarcire & complere,quod de ſacro miniſterio ſcripſi ante hac imminutius,et reddere illis ſuis teſtimoniũ,quos exiſtimaui quidem ſacro miniſterio plusq; ſatis tribuere, quod ſcriptura ipſa dictat.

Quæ ſcripſi equidem hac de re in editionibus prioribus, nouit Dominus, me ea potiſſimum de cauſſa ſcripſiſſe,quantum quidem ipſi mihi conſcius ſum ,ut ab alijs auerterem,ab alijs arcerem impietatem illam , qua homines ſalutem petunt à ceremonijs,ſine fide uera in Deum,quæ ſuperſtitio & impietas omnibus ſeculis totum prope orbem occupat,ueramq; religionem euertit. Hãc ſuperſtitionem atq; impietatem reuocari uerebar,cum Martinus Lutherus,magnus ille alioqui & ardens fi dei in Chriſtum prædicator,& alij quidam uiri docti & religioſi ſcriberent , Deum conſtituiſſe fidem & ſpiritum ſanctum nemini niſi per externa illa ,uerbum & ſacra menta conferre,& his ceu canalibus,gratiam atq; ſpiritum ſanctum infundi,indeq; ea,ut diuinæ dignationis certiſſima ſigilla unice ualere ad erigendas conſcientias, atq; confirmandam fidem, qua de cauſa etiam uerba ſacra & ſacramenta potiſſimũ percipienda ſint.Hæc cum iſti ad hunc modum ad commendandum ſacrum miniſterium,contra quoſdam qui illũd uidebantur prorſus euacuare,ſcribebant,metuebamus nos ea in occaſionem rapienda, fidendi externe modo auditis & perceptis uerbis Domini, & ſacramentis, animũq; ad Chriſtũ ipſum ſeruatorẽ unicũ minus attollendi.Etenim apud eos quoq; quibus cõtinuo inculcatur Dominũ Ieſum Chriſtum unũ eſſe noſtrũ ſeruatorẽ,& fide nos ſola ſalutẽ ab eo percipere, uidemusq; q; B plurimos eſſe,qui quotidie uerbo Dei audiendo adſunt ,& ſacramenta percipiunt, nec uſpiam tamen ptodunt,ueram in Chriſtum fidem:ut admodum formidandum ſit,eos ex uulgato illo & ueteri orbis errore , conari externis iſtis obſeruationibus ſeſe approbare Deo,ſperareq; his illum placari ſibi,utcumq; uerã reſipiſcentiã ignorent,& fidem uiuam agentemq; neſciant . De uulgo reliquo quid iudicandum ſit, quod quotidie Miſſam audit,ſuo tempore confitetur, & abſolutionem petit,indulgentias redimit,nulla tamen unquam in animum ſeriæ penitentiæ admiſſa cogitatiuncula,nimium manifeſtum eſt.

Vt uidebantur ergo hæc,uerba externa,& ſacramenta,eſſe gratiæ Chriſti certa ſigilla,canales atq; inſtrumenta,in quibus certiſſime ſpiritus Chriſti percipiatur ,errori & ſuperſtitioni illi nonnihil patrocinari uolumus, omnem remiſſionem peccatorum,conſcientiæ erectionem,ſpiritumq; Chriſti cõmunionẽ, Chriſto domino quàm pleniſſime adſerere,idq; diligenter monere ,una nos fide hic percipere , quæ ille ad ſalutem noſtram largitur & operatur.Et hac de cauſſa diximus, Miniſtros à peccatis abſoluere,cum pronuntiant per Chriſtum abſolutos eſſe , & confirmare conſcientias fidemq; ſtabilire, atq; prouehere,dum prædicant Chriſtum conſcientias confirmare, & fidem augere:Baptiſmate abluere peccata & regignere,cum uerbis & ſacra tinctione repræſentant,& teſtantur Chriſtum à peccatis abluere, paſcere corpore & ſanguine Domini,dum item uerbis & ſignis prædicant,Chriſtum ipſum ſe ipſo nos reficere.Baptiſmatis uſum precipuum fecimus recipi in Eccleſiam,& profiteri fidem:Euchariſtiæ,nos admoneri redemptionis noſtræ , & profiteri in fide dilectionemq; perſeuerantiam.Signa nec ſenſimus ,nec ſcripſimus unquam eſſe inania,imo diſerte in his ipſis,quæ retracto,teſtatus ſum ſcripturam de ſacris ſignis loqui,ut uere percipiuntur,quo pacto ſignificatum ſigno coniunctum eſt, & id reuera geritur, quod ſignis repræſentatur.Miniſtros non uolumus nihil agere, quia cũ Paulo ſcri-

psimus,eos plantare & rigare.Hoc unum urgere uoluimus,sine uirtute Christi,qua C
nos ipse ad se trahit,operam ministrorum,ipsaq; uerba & signa externa administra-
ta,nemini posse esse salutifera.

In his quiuis uidet nihil ineſſe impij,sed,ut dixi, sic scripta sunt, ut possint rapi in occasionē sacrum ministerium non suo loco habendi.Fateor igitur primum,me dignationem Dei, usumq; uerum in uerbis & sacramentis non satis explicuisse,dum illud non diligenter inculcaui,Christum uti ministro, organo suo, ut omnium primum in uerbis & sacramentis suis exhibeat,remissionem peccatorum,& communionem sui,usumq; uerum in his esse,si minister hanc exhibitionem cōmendet quàm diligentissime,& cæteri eam fide uera amplectantur.Professio religionis hic secundarium est. Fides enim fidei professione prior est, & fide prædicatio misericordiæ Dei redemptionisq; Christi,quæ fidei obiectū est.Iam symbola in sacramentis nihil quàm uisibilia uerba sunt,quibus prædicatio & oblatio gratię Christi fit uehementior,& ad excitandum animum efficacior.

Deinde agnosco,has methaphoras,sacramenta esse instrumenta,organa & canales gratiæ esse secundum scripturas.D. Paulus enim Cor. scribit:Ego uos genui per Euangelium.1.Cor.4.In altera ad Cor.3.scribit se illis administrasse spiritū, non literam,fecisseq; eos epistolam Christi. Gal. scribit accepisse spiritum ex auditione fidei.Hinc uocauit baptisma lauacrū regenerationis,& eucharistiam cōmunionem corporis & sanguinis Christi: Baptismo affirmat nos esse in mortē Christi sepultos, Christo incorporatos,& Christo indutos.Ex quibus omnibus sicut manifestum est Euangelium,& sacramenta,quæ sunt ceu uisibilia Euangelia,à Christo Domino in hoc instituta esse, ut per ea suam nobis redemptionem communicet: ita admodum liquet,ea Domino esse quodā modo instrumenta,& canales spiritus & gratiæ suæ, adeoq; nihil ineſſe in hisce translationibus absurdi: si modo hoc diligēter commen
detur,ministros & ministerium eiusmodi instrumenta esse salutis nostræ, ut huius D
nihil in se habeant,aut præstent,nisi quantum eius Christus pro sua ultronea misericordia utens illis,donare, & per illa præstare fuerit dignatus.Et hoc modo nos etiam nunquam negauimus,uerba & sacramenta Euangelica,esse organa Christi,quibus ille nobis redemptionis suæ beneficium exhibet. Hoc tantum inficiati sumus, ita ut id diserte expressimus,sacramenta, & sacra uerba esse talia instumenta, canales q; gratiæ,ut salutem adferant,quocunq; illis animo aut fide cōmunices.Sic enim nonnulli gratiam Christi illis addixerunt,ut uiderentur externa hæc per se salutifera facere,etiam si ad Christum animus se nunquam serio attollat, ita ut habet in his superstitio uulgi, quod Christi fidem puram adhuc ignorat.

Porrò,ut nobis hi uisi sunt sic de uerbo atq; sacramētis Euangelij loqui, ut ex uerbis eorum periculū esse existimaremus,ne illa uulgi superstitio,aut firmaretur, ubi adhuc hæret,aut reuocaretur,unde exposa est:ita illi uicissim,cum nos uolentes cauere,ne quis salutem sibi peteret à ceremonijs, absq; fide certa in Christum, scripsimus Christum pro suo arbitratu gratiam & spiritum suum largiri,quibus,& quando uelit,& nihil huius posse quę per hominē geruntur,existimarūt nos sacramentis nihil aliud tribuere,q̄ ea,notas esse externas nostræ in Christo societatis, nec agnoscere illa esse symbola gratiæ,gratiāq; per illa exhiberi. Sed dedit Dominus pridem ut agnoscant & illi nos,& nos illos,id de uerbo & sacramentis sentire, atq; docere, quod tradit scriptura,nempe esse illa communionis Christi, hoc est, salutis nostræ signa exhibitiua & organa, quibus Dominus sui communionem nobis impertit, sed id pro beneuolentia patris,& sua in nos misericordia, nullo ullius creaturæ merito,quare fidem requirunt.Itaq; utrisq; exclusus est error uterq;,& eorum,qui salutem sibi petunt à ceremonijs absq; fide in Christum: & eorum, qui ita à Christo sibi salutem petere se simulant, ut mane tamen habeant sacrum ecclesiæ ministerium.

Quæ

A Quæ itaq; nos ſcripſimus in eos qui ſacramentis & externe prædicato Euangelio pluſquã par ſit tribuunt, ea nemo in D. Martinum Lutherum, aut ullos qui huius doctrinam pure ſectantur, torqueat, neq; in nos, quæ ille, aut qui cum eo recte faciunt, ſcripſit aut ſcribunt in eos, qui ſacrum miniſterium non ſuo loco habent, & miniſterium ſpiritus atq; noui teſtamenti agnoſcunt.

Iam tertio loco dicendum, per quem ſit baptiſmus inſtitutus. Hic rurſus dicam, quod non dubito, ex ſcriptura Dei me didiciſſe, iudicent an ita ſe habeat Chriſtiani, & iudicent ſecundum ſcripturam. Baptiſmi ergo ceremoniam inſtitutam credo diuinitus, ſed miniſterio Ioannis. Sicut ait, qui miſit me ut baptizarem in aqua. Ioan. 1. Id & Chriſtus ſatis indicauit, ubi principes ſacerdotum, & ſeniores populi rogabãt, unde baptiſmus Ioannis fuiſſet, è cœlo, an ex hominibus? infra 21. Neq; enim audiendos puto, qui adeò alium Ioannis, & alium noſtrum baptiſmum faciunt, ut exhibitam remiſſionem peccatorum baptiſmate Ioannis, oblata non ſit. Baptizando Ioannes gratiã Chriſti offerebat, et Chriſti ſcholæ conſecrabat, idem fecerunt & diſcipuli, neq; aliud nobis faciendũ incumbit. Chriſti baptiſmus quem cum et ſine externa tinctione per ſe præſtat, eſt, per ſpiritum & ignem, ut Ioannes teſtabatur & Chriſtus ipſe Act. 1. de quo infrà dicemus. Vnde Chriſtus aquæ baptiſmum nulli contulit, ſed diſcipuli eius Ioan. 4. Cunq; Chriſtus ipſe noui populi dux & magiſter, à Ioanne uoluit Baptiſmo initiari, mihi dubium nõ eſt, nullo alio, neq; ab alio Apoſtolos quoq; & primos eius diſcipulos fuiſſe baptizatos. Scriptura ſane non nouit niſi duos Baptiſmos, aquæ & ſpiritus: ille quoniam per Ioannem cœpit, Ioannis uocatur, hic domum Chriſti eſt, & uocatur. Is ergo neget ſe Baptiſmo Ioannis baptizare, qui non aqua ſed ſpiritu baptizat, quod ſolius Chriſti eſt. Paulum Epheſijs illis, qui in baptiſmo Ioannis baptizati erant, ignorantes quid ipſum eſſet, quia ſpiritum ſanctum

B adhuc ignorabant, quo ille Chriſtum baptizaturũ tantopere prædicauerat, dixiſſe legimus. Act. 19. Ioannes quidem baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo dicens, in eum qui uenturus eſſet poſt ſe, ut crederent, hoc eſt, in Chriſtum Ieſum. Quid iam nos aliud uel facimus baptizando, uel facere debemus? Vtiq; noſter baptiſmus, pœnitentiæ eſt, dum quos baptizamus, in mortem Chriſti ſepelimus, hoc eſt, in eum numerum adſcribimus, qui per omnem hanc uitam peccatis mori, et uiuere iuſtitiæ debeant, quod tamen ſint nõ niſi dono Chriſti accepturi, quare ab adultis, quos baptizamus, fidem in Chriſtũ requirimus, & infantes in eandem educandos eccleſiæ cõmendamus. Nunquam igitur rebaptizaſſet illos Epheſios Paulus, ſi Ioannis baptiſmo, id eſt, quo ſolebat ipſe baptizare, in pœnitentiam & fidem Chriſti fuiſſent baptizati, ſed cum eſſent tantum, ut Lucas meminit, in baptiſma Ioannis, quod tamen neſciebant, quale eſſet, ignorantes in totum baptiſmum Chriſti, id eſt, ſpiritus, baptizauit eos, declarato, quid fuiſſet Ioannis baptiſmus, & quomodo ille in Chriſtum baptizaſſet, non in ſuam iſtam tinctionem, quaſi ea ullis poſſet ſaluti eſſe. Baptizauit itaq; eos hoc ipſo baptiſmo Ioannis, id eſt, ut ille ſolebat, in nomen Domini Ieſu, & mox impoſitis manibus, Chriſti quoq; baptiſmo, id eſt, ſpiritu ſancto. Nam ſtatim uenit ſuper eos ſpiritus ſanctus, ut illic legitur. Confirmantur hæc, ſi dextro oculo quis legat, quod Petrus fratribus reſpondit, expoſtulantibus cum ipſo, quòd ad Cornelium fuiſſet ingreſſus hominem ethnicum. Act. 11. Cum exorſus eſſem, inquit ſermonem, illapſus eſt ſpiritus ſanctus in illos, quemadmodum & in nos fuerat illapſus initio. Veniebat autem in mentem, quod dixerat Dominus: Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterum uos baptizabimini ſpiritu ſancto. Proinde ſi par donum dedit illis Deus, quemadmodum & nobis, cum credidiſſemus in Dominum Ieſum Chriſtum, ego porrò quis eram, qui poſſem obſiſtere Deo? Vide & hic, ſicut ubiq; ſcriptura tantum duo baptiſmata memorat. aquæ alterum, alterũ ſpiritus, hoc Chriſti dono, illud Ioanne miniſtro introductum. Sed quid eſt quod ait: Ego porrò quis

eram

eram,qui posſem obſiſtere Deo? Indubie aliud nihil, quàm quod coram cum id fie/ret,dixerat: Nunquis prohibere poteſt,quò minus aqua baptizentur hi, qui ſpiritũ ſanctũ acceperũt ſicut & nos? Id eſt quos,uiderã Chriſtũ ſibi delegiſſe,idq; baptiſmo ſpiritus declaraſſe. Huic,inquã,q potuiſsẽ obſiſtere,ut nõ in noſtrũ gregẽ eos aquæ baptiſmo, quẽ Ioãnes Domini uolũtate inſtituit,pariter recepiſſem? Deus quod ma ximum erat,dederat,eoq; illos nobis æquauerat, ac de noſtro numero eſſe declara/uerat,quî iam negaſſem eis quod minimũ erat huius ſignum? Hic uides D. Petrum ſuum baptiſmum perinde habuiſſe atq; Ioannis,& uocaſſe baptiſma aquæ, ſicut Io/annes ſuum. Cũ igitur baptizando omnino id agamus,quod Ioannes egit, hoc eſt, aqua tingamus,& Chriſto addicamus,quibus baptiſma conferimus, nihil omnino præterea conferentes,ut omnia interna uirtutis Chriſti ſunt,ſatis cõſtat idem eſſe no ſtrum,atq; Ioannis baptiſmum. Quẽ cum ille inſtituerit,diuinitus in hoc miſſus, ut ſicut primus Euangelij prædicator extitit,primus Chriſti præco, ita primus ſigni e/ius, quo Euangelij auditores inſignirentur, & Chriſto inſererẽtur,uſum inueheret: quid quæſo eſt,cur uel alium baptiſmum habere nos, uel per aliũ uſum eius cœpiſſe fingamus? Ii qui Ioannem prædicatorẽ Euangelij negant, & minus, Apoſtolis præ/dicaſſe affirmant, à uero apertius recedere uidentur, quàm ut mereantur confutari. Agnum prædicauit Chriſtũ, qui peccata mundi ueniſſet tollere, qui è cœlo uenerit, ſit ſuper omnes, uerba Dei loquatur, ſpiritum acceperit uberrime, diligatur ut filius à patre, in cuius manu Pater omnia dederit, in quem qui crediderint, habeãt uitam æternam, qui minus, nunquàm ſint uitã uiſuri, in ſempiternũ illos urgente ira Dei. Ioan. 3. Quid quæſo in omnibus, Euangeliſtarũ & Apoſtolorum ſcriptis, plus Euan/gelicũ, aut reuelatius legitur? Vt ergo cœpit primus Chriſtum aperte docere, digito etiã indicare, illi diſcipulos colligere, hoc eſt, ipſi uiam munire, & plebẽ parare per/fectam, ita & ſigni eius uſum, quo uoluit Dominus homines ſibi initiari, primus in/uexit. Neq; obſtat, quod iactatur, oportere ſacramenta nouæ legis inſtituta eſſe ab ipſo Chriſto, nulli Apoſtolorum id autoritatis fuiſſe, neq; Ioanni. Nõ enim Ioannes inſtituit baptiſmum, ſed Dominus, è cœlo enim illum accepimus, ut ſuprà memini, ſed primum miniſterio Ioannis, non Chriſti, qui ipſe non baptizabat, nec Apoſtolo rum, qui non primũ baptizarunt. Verum Chriſtus ſatis illum comprobauit, cũ ipſe eo baptizatus eſt, & iuſſit eodem & diſcipulos baptizare. Hactenus de autore, & primo miniſtro baptiſmi, id eſt, per quem Baptiſmus eccleſiæ commendatus eſt.

In his uero, dum Ioanni atq; omnibus eccleſiæ miniſtris, baptiſma aquæ, et Domi no baptiſma ſpiritus tribuo, nemo id eo accipiat, quaſi Ioannem & miniſtros eccle/ſiæ nihil niſi aquam adminiſtrare iudicem, & non etiam ſpiritum ſanctum: nã is de/mum miniſter Chriſti, & noui teſtamenti eſt, qui ſpiritum, non literã modo, ipſamq; cõmunionem Chriſti, non nuda ſymbola adminiſtrat, et ſi ſpiritũ atq; Chriſti com/munionem miniſter eccleſiæ, Chriſti, non ſua uirtute adminiſtret. Collatio iſta Ioan nis, ego baptizo aqua, qui poſt me uenit baptizat ſpiritu, ſimilis eſt illis Paulinis, quibus Apoſtolus confert legem & ſpiritum, opera & fidem, miniſterium Moſe & Chriſti. Item illis Domini, cum ſe & patrem confert, negans ſe iudicare quenquam, ſed patrem, non ſua uerba loqui, ſed patris, non ueniſſe à ſemetipſo, ſed miſſum à pa/tre. In hiſce collationibus diſtrahuntur & conferuntur, quæ re ipſa conuincta ſunt, ut appareat luculentius eius excellentia, quod in eiuſmodi coniunctione præcipu/um eſt. Legem ſuam deus populo ſuo dedit in ſalutem, eoq; cum ſuo ſpiritu, opera probat, ſed ex fide nata, non quæ ſine fide uera facta ſunt. Miniſterium Moſe, quia Chriſto adducere populum debuit, abſq; Chriſto uno mediatore non fuit. Ita cum Chriſtus idem ſit, & agat cum patre ſecundum diuinam naturam, et ipſe iudicat, ſua uerba loquutus eſt, & uenit à ſemetipſo. Sed quia erant qui legem ſine ſpiritu, opera ſine fide, Moſe miniſterium, ſine gratia Chriſti attollerent, diſiunxit hæc Paulus, ut

appareret

A appareret quicquid in lege unquam fuit salutiferum,id esse spiritus: quicquid in operibus,id esse fidei:quicquid in ministerio Mose,id Christi esse.Ita cum Iudæi dicta factaq; Domini contemnerent,tanquam hominis,ostendit ea non esse sua ut hominis,sed Dei. Ad eundem modum,cum populus Ioanni plus quàm par esset tribuere uellet,ut ostenderet omnem salutem à Christo petendam esse,sibi aquæ tinctionem propriam fecit, Christo baptisma spiritus,cum tamen sine fide & spiritu nihil gereret,aut suscipi à se uellet.Ad salutem enim,non ad perniciem populo ministrare uoluit,ita ut missus erat,ad manifestandũ Israëli Christũ.Iam absq; fide & spiritu Christi,nihil non noxium est,tam abest,ut queat ueram pœnitentiam,Christiq; desiderium accendere, id quod agebat Ioannes.

In hac præterea collatione,& illud obseruandum,Ioannem in ea Christo omnem quidem spiritus sui communicationem attribuisse, de plenitudine eius accepimus omnes:præcipue autem de largissima spiritus perfusione intellexisse, quam effudit in die pentecostes.Nam ita testabatur Dominus ,cum iuberet eos expectare Hierosolymis promissionem patris . Nam Ioannes inquit baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Tinctionis metaphora,copiam spiritus expressit.Sed hæc quoq; copia spiritus tum effusa in Apostolos, qua idonei facti sunt,ut ad communionem spiritus Christi orbem adducerent,argumento fuit, spiritum omnem rectè & salutariter intelligendi,iudicandi,loquendi,& agendi, ab uno Christo suppeditari.

Ne autem uideamur temere discedere à sanctis patribus , qui diuersa baptismata fecerũt Ioannis & Ecclesiæ ,testamur nos,baptisma Ioannis & ecclesiæ idẽ substantia habere,non autem luce reuelationis Christi & efficacia spiritus,nã à Christo glorificato,cognitio Christi amplior donata est,& spiritus effusus potentior.Interim tamen Ioannes in Christum baptizauit,ut nos,idq; ut minister dei & Christi,proinde
B non potuit solam aquam administrare, sed administrauit simul remissionem peccatorum,fide Christi percipiendam.Inde dicebat Pharisæis & Saducæis ad ipsius baptisma uenientibus.Quis docuit uos fugere à uentura ira? Significans ad baptisma suum profugere,esse fugere à uentura ira. Vis quoq; spiritus sancti in baptismate Ioannis administrati,in eo satis effulsit,quòd homines ad baptisma eius uenientes peccata sua confiterentur, & innocentiam profiterentur.Idq; non solum Iudæi religiosiores,sed etiam milites & publicani . De his omnibus plura in enarrationibus nostris in 6.cap.ad Rom.in quæstione de natura usuq; baptismatis.

Nunc quartum & ultimum supereſt,quibus baptisma competat, nam cuius usus sit atque uirtutis, ex dictis admodum patet. Sed quibus baptismus competat, an etiam infantibus dari debeat, est nuper uehemens à quibusdam , utinam tam spiritu Christi doctis,quàm id uolunt uideri,contentio oborta. Et hic alter error est , quem confitendũ initio huius tractatus suscepimus .Huius itaq; erroris autores, eo quòd Christus nusquam nominatim infantes baptizare iussit,summam impietatẽ,& idolatriam,quòd infantes baptizamus committi clamitant,atq; in diabolum & mortem baptizari affirmant , quotquot infantes baptizantur , quare eum Christianum non agnoscunt , qui se non rursus baptizandum renuntiato Satana obtulerit. Cum autem compertum sit,eos à contentionis spiritu , huc pertractos , accidit eis, quod usq; accidisse & alijs,qui simplici Christi cognitione relicta , prophanas uocũ inanitates sectati sunt,legimus,nempe,præterea in multos æque crassos atq; impios errores inciderunt. Bona nanq; eorum pars negant,Christianum posse magistratu fungi,quòd sit illi utendum gladio,neq; posse etiã magistratui iniungẽti ferre arma, uel contra hostem patriæ,uel malum ciuem,uel facere iusiurandum,parere.Alij adferunt,diabolum & omnes reprobos fore saluos,ipsis diem reuelatum nouissimum. Quidam etiam ausi sunt,iactare se uiuere absq; peccato,et pleraq; alia nõ minus absurda,

ſurda,quàm blaſphema cõmenta excogitarunt. Et quo uel ſolo agnoſcas, à Satana C
impelli,puram Chriſti annuntiationem,modis omnibus infamant, & præ ſuis nu-
gis omnia contemnunt, neminem audire monitorem ſuſtinent, peruicacia incom-
parabili ſuis commentis inhærentes,ut præ illis,quenq; induratiſſimum Hebræum
citius ad ueritatem pertraxeris.Deus nouit, me uera, & quæ congreſſus cum ipſis
expertus ſum,ſcribere,is mihi repẽdat,ſi quid hic affingo.Necq; ipſe ſanè, priuſquam
expertus fui,potui credere,tanta illos pertinacia,impijs ſuis commentis inhærere,et
ad omnem quamlibet amicam monitionem adeo non dico obſurdeſcere,ſed obbru
teſcere,imò efferari.Scio iſtis fruſtra omnia ſcribi, nihil enim præter ſacra Biblia le-
gunt,& quæ ſuæ farinæ homines conſcripſerũt,imò exorti ſunt inter eos,qui etiam
Biblia abijciunt,etiam exurant,iactantes ſe ſpiritu omnia doceri.

Ne aũt ij,qui audiunt tantum de baptiſmo iactari quæſtionem, & urgeri ab illis
nos, quodnam Dei uerbum ſequamur, baptizantes infantulos, putent ſe iure ſic
contra nos furere,paucis,quo noſtra hac in re fides nitatur,indicabo. Sed præfari
hoc ante libet,eſſe in hoc hominum genere minime paucos, uitæ ſanctioris admo-
dum ſtudioſos, in quibus nihil ferè deſideres, ſi ſolo cõtentionis ſpiritu liberi eſſent.
Eo autem ſiç à uia regia detorquentur, ut ipſiſſimi hæretici,id eſt,in eccleſia Chriſti
factioſi,& perturbatores euadant. Rariſſimus ſiquidem inter illos eſt, qui non tan-
quam ab ethnicis,ab omnibus qui puerorum baptiſmum obſeruant, ſecedendum
putet,quamlibet inculpate illi,& pie uiuant. Quantum autem hoc damni det,Rei-
publicæ Chriſtianæ,quiuis facile intelligit.Cum nanq; externam uitam,quam uul-
gus ſolam ferè conſiderant,ſatis pure degũt,alieni à luxu & ineptijs huius ſeculi,au-
toritatem ſibi non uulgarem comparant.Illa quo maior fuerit, eo plures à commu-
ni ueræ eccleſiæ cœtu, & à doctrina ſyncériore,quæ in eo tractatur,auocãt,qui mox
illorum fermento inflati,ſimul cum ipſis damnant totum Chriſti gregem,ſeq; retin-
ctos ſolos Chriſti eſſe gloriantur. Quam tamen arrogantiã,Chriſtus ut ſibi ſummo- D
pere inuiſam ſic ulciſcitur,ut & ipſis inter ſe conueniat minime,quilibet nouum ali
quod dogma comminiſcatur,quod cum alij non amplectũtur, pronuntiat ilico eos
ſpiritu deſtitutos,Chriſti conſortio excludendos.Nonnullos uero ſinit Deus iuſtus
iudex prolabi,& in manifeſta ſcelera & non ſolum dogmata abſurda,nihil enim il-
le æque deteſtatur,quàm ſibi placere,& damnare alios, quod uel ſola illa, Phariſæi
& Publicani parabola,luculentiſſime teſtatus eſt. Hinc uero fit,uti nihil æque uanũ
ſit,atq; hi, qui puerorum baptiſma oppugnant. At uero qui pares in erroribus non
ſunt,quæ in eos ſcripſero,nolo de omnibus omnia ſcripta intelligi, ſed uuumquẽq;
eius duntaxat notare uolo,cuius uere tenetur.Sunt enim plærique,qui puerorum ba
ptiſmum haud probant,& tamen hæreſi iſtorum,hoc eſt factioni accedunt minime,
imò damnant quoq; horum ſeceſſionem. Sed hi pædobaptiſmum tantum non pro-
bant,non etiam oppugnant,multo minus obſeruantes illum, à Chriſto alienos pu-
tant. Sciunt ſiquidem quàm noxium opus carnis ſit hæreſis, hoc eſt, à uere timenti-
bus Deum ſeceſſio,& quàm ſancte uelit coli à ſuis Chriſtus,in ipſo unitatem, uerãq;
communionem.At norunt,quanto nocentiora ſunt carnis opera,illa quæ pro uirtu
tibus ſeſe ingerunt, quàm quæ excuſare nemo poteſt, & ideo ſæpe tolerabilius eſſe
craſſioribus illis operibus carnis, ut ſunt comeſſationes, ebrietates, fornicationes,
& id genus,quàm tectioribus illis,contentione,æmulatione,concertationibus,ſedi
tionibus,ſectis,& quæ huius ordinis ſunt,obnoxios eſſe. Iſtos igitur qui licet bapti-
ſma puerorum non probant,alieni tamen ſunt ab hæreſi, adeò nolo dictis acerbiori
bus petere,ut magnopere cupiã eos, omnibus quoad licet dictis & factis demereri,
quamlibet hic diſſentiant.Scio enim illi nondum Chriſtianæ dilectionis rationem
conſtare,qui non poteſt & diſſentientes,modo Chriſtum uere ſeruatorem adorent,
& pariter adorantes fratres agnoſcere, ſuſtineant, ſyncera charitate complecti, &

ferre

A ferre ut suo Domino quisque stet & cadat, hoc est, rectè & perperam, multis in rebus sentiat, Sed ad rem.

Ex superius adductis, puto constare baptismum esse signum, quo offertur gratia Christi, & recipiuntur in eius ecclesiam, qui ad eam pertinent: iam quoniã Christus allatos sibi paruulos noluit prohiberi, indignatus hac caussa discipulis, qui eos prohibuerant, pronuntiauitq; talium esse regnum Dei, accepit in ulnas, & impositis manibus benedixit, non licet nobis ab ecclesia Christi illos arcere, hoc est, prohibere Christo illos offerri. Igitur & ex nobis, tanquam ad ecclesiam pertinentes agnoscimus omnium eorum infantes, qui petunt eos Christo consecrare, atq; cum nostrum non sit illos benedicere, benedicẽdos eos Christo uelut apportamus, & id baptismo qui signum est, Christo primum initiandi. Ad hæc Paulus 1. Cor. 7. eatenus affirmat infidelem coniugem, si adhæreat fideli, sanctificari, ut eorum liberi sancti sint, quod indubie intelligit, modo scripturæ, pro eo, quod est ad ecclesiã Dei pertinere. Si igitur ad eam pertinent, quis uetaret baptismo illos donare communione Christi, et eius ecclesiæ solẽniter inscribere, atq; ita ad precandum magis sẽdulo pro eis fratres prouocare, tum commendare eos omnibus sanctis, ut si contingat eos adolescere, tanto maiore diligentia & à suis educentur, & à reliquis fratribus moneantur, tanquam Christo pridem consecratos, & eius ecclesiæ inauguratos. Postremo satis ex Paulo patet, circuncisionem baptismo successisse, eundemq; esse hodie usum baptismatis, qui fuit olim circuncisionis, nisi quòd nunc spiritus donatur potentior, & cognitio Chtisti plenior. Sicut ergo per circuncisionem olim infantes populi dei in fœdus Dei recipiebãtur, ita debent recipi & nostri, nec enim minus Deo chari sunt, quàm erant infantes ueterum. Cumq; illi nos rident scisitantes, cur ergo non tantum mares baptizemus, quos ueteres solos circuncidebant: Respondemus, in Chri
B sto non esse marem aut fœminam, utrosq; quantum ad Christum, & pietatem attinet, perinde haberi, igitur pariter illi esse initiandos. In ueteri autem lege, non ita parem mulierum rationem habitam, & ecclesiam ex uiris tantum numeratã, quod mulier caro uiri, uiri quoq; nomine censeretur, iuxtaq; legem uiris subiectæ in nullo numero, nisi nuptæ haberentur. Ante nuptias ergo patris nomini, post mariti ecclesiæ Dei accensebantur. Deinde sicut per unum uirum peccatum in orbem intrauerat, ita per unum uirum erat tollendum, eoq; signum innouationis & purgationis solis uiris dabatur. Interea tamen non minus & fœminæ de familia Dei erant innuptæ, ut iam dictum gratia patrum, nuptæ gratia maritorum. Nunc omni discrimine sublato, cum pariter immundi mares, & fœminæ, pariter per Christũ quoq; mundemur, signum accepimus, utriusq; cõmune. Denicq; propiores illi statui, in quo nuptiæ cessabunt, sumus, & plus loci, & laudis esse cœpit cœlibatui, quàm erat, quare suo nomine inaugurari Domino & fœminas, magis nunc quàm apud ueteres conuenit: quanq; habebant & suum sacramentum initiationis puellæ, sacrificiũ, quo primũ Domino sistebantur.

Porrò sacra anchora, qua Catabaptistæ illi contra nos nituntur, est, quod Dominus, infra ult. ita præcepit: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Existimant enim cum hic prius docere, quàm baptizare positum sit, non posse nos, sine grandi impietate baptizare, quos nõ ante fidem edocuerimus. Sed nõ animaduertunt hoc loci, discipulos amandatos, præcipue ad prædicandum Euangelion, eoq; negotium datum eis agendi potissimum, & nominatim cum adultis, & ideo cum erga hos hic ordo sit necessarius, ut antea doceas, quàm baptizes, quis enim sustineret se baptizari, non indicato, in quid eum baptizare uelles? Isto ordine sua hic Christus discipulis mandata dedit, ut de doctrina prius, quàm baptismo præceperit. Necq; id hac caussa solum, sed quia doctrina longe pluris, quàm baptismus, atq; propria Apostolici muneris esset. Nam Paulus scribit Cor. se non ad baptizandum, sed Matt. 16.

euangelizandum missum. Proinde ex hoc loco, infantum baptismū nemo, uel probauerit, uel improbauerit, nihil enim hic de ipsis agitur, sed quomodo cum adultis agerent discipuli, & ut euangelium ad Gentes protectent, sunt hoc loco à domino instructi, negotio infantium dilectioni fidelium demandato, quæ cum illos ab ecclesia Christi nō poterit habere alienos, etiā baptismo, ecclesiæ palàm inserere debebit. C

Ita quod Euangelistæ, præcipue Lucas in Actis, adultos tantum, à Ioanne & discipulis baptizatos scribunt: in caussa fuit, quòd susceperant demonstrare, quomodo prędicatum euangelion fructificarit, id iam in adultis tantum, potuit declarari: ideo de eorum baptismo tantum faciunt mentionem: quanquam Lucas non obscure significarit, & infantes baptizatos, quando scribit totas domos baptizatas. Ergo adiecerimus baptismum, ut signum & tesseram gratiæ Christi & regni Dei, omnibus cō petere, qui ad regnum Dei pertinent, eiusmodi iam sunt, non solum qui prædicato euangelio credunt, sed & infantes nostri, uel pronuntiante Christo, propterea & infantibus conferendus est, ipsiq; domino suo offerendi, uti præcepit cum ait: Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum Dei. Hanc ergo obseruationem indubie idem uindicabit, & in ecclesia sua seruabit: quicquid tumultuentur Catabaptistæ, & in tempore suo illos, qui hic à nobis dissentiunt, hanc suam uoluntatem docebit, utcunq; iam eam agnoscere nequeant.

An autem infantes fide, quam scriptura tantum auditi uerbi ferè agnoscit & uocat, an alterius generis Dei cognitione, salutem consequātur, dicemus infra cap. 19. Id certum quidem est, cum uita æterna sit, Deum cognoscere, & dominum Iesum Christum, infantes tam non posse salutem percipere, sine aliqua Dei cognitione, quàm nemo potest uiuere absque uita. Iam satis nobis est, Christum dixisse, talium esse regnum cœlorum, regnum Dei, ergo ecclesiæ membra sunt: par igitur est, hæc ipsis per baptismum testari. Et pij quos nulla hic tenet tentatio, hinc quoq; satis uidere possunt, nos nequaquam baptismo paruulorum, super harenam ædificare, sed niti certo uerbo Christi. D

Hactenus de baptismo uerbosius sanè quàm apud Christianos decebat. Hi nimirum norunt Deum in Christo etiam seminis sui Deum seruatorem esse, idq; debere sacramento imitationis solenniter in ecclesia prædicari. At si spectes, quàm mira arte, nec minore successu, à Christo unico seruatore satan in errorem hunc multos seduxerit, & ex eo in sexcentos alios inde præcipitarit, agnosces nihil dum redundare. Oro itaque quotquot Christi regno ex animo student, in his & similibus locis, quibus hodie ecclesia misere adeo concutitur, ueritatem doctrinæ Christi sibi & alijs probe confirment. Dissipatis enim compagibus ecclesiæ, collabi omnia Christi necesse est.

In Iordane.) Haudquaquā mysterio uacat, quod in Iordane baptismum Ioannes exercuit, qui missus fuit, ut dominum Iesum Israëli prædicans, ipsum Christum, id est, orbis saluatorem esse, manifestaret, atq; ita plebem illi perfectā pararet, instituendo ipsi scholam, atq; legendo discipulos: unde & baptismi, qui Christianismi tessera est, usum, ut dictum est, primum oportuit inuehere. Iordanem miraculo olim populus Israël transiuit ad terram promissam, Iosua. 4. Naëman Syrus, iussu Eliseę in eo flumine lotus, à lepra fuit mundatus. 2. Regum. 5. Ita qui baptismo Ioannis, quo Christi gregi inserimur, baptizantur, in mortem Christi baptizantur, Roman. 6. ut peccatis mortui, iustitiæ deinde uiuant, & relicto mundi deserto, hoc est, abnegata uita carnis, in regno iam cœlorum, ductu spiritus agant, regione uere uiuentium, sanctisq; promissa. In hac ut per spiritum, facta carnis quotidie mortificantur, ita uelut septies in Iordane lauamur: ut corruptione carnis, noxia lepra, tandem penitus mundati, uere sanctorū cēturijs, ueroq; Dei populo, & domini castris adiungamur. Hæc utiq; baptismo omnia significātur, & uere simul apud eos qui Christi sunt, gerūtur.

Confitentes

A Confitentes peccata sua.) Pœnitentiam enim prædicabat, & Christum indicabat esse eum, qui credentes in se peccatis liberaret: ideo non baptizabat, id est, Christi ecclesiæ eo signo discipulos inaugurabat, nisi qui uerbis suis se habere fidem faterentur, nempe agnoscẽtes se plane peccatores, eoq; Christi redemptione opus habere, cum adultis enim illi potissimum negotium erat, proinde oportuit, ut sua peccata, qui ab eo baptizarentur, confiterentur.

Porrò cum & circa confessionem, plurimum erratum sit, atq; uocabulum hoc longe alio significatu, quam illo scriptura utitur, diu usurpatum, paucis & de hac, quæ credimus, aperiam. Confessio peccatorum, de qua hic agitur, triplex in scriptura commendatur. Prima & fons reliquarum est, qua ex animo coram Deo, nos peccatores agnoscimus: qua ita humiliamur, ut coram uniuerso mundo, si id uel in gloriam Dei uel commodum proximorum cessurum constaret, omnem nostram iniquitatem detegere, nihil grauaremur. De hac est, illud Psalmo. 32. Peccatum meum notum tibi feci, & delictum meum nõ operui. Dixi, confitebor de transgressionibus meis domino &c. Item illud, Psal. 51. Quoniam transgressiones meas ego agnosco, & peccatum meum coram me semper. Rursus. 1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. Hæc peccatorum coram Deo agnitio & confessio, ubi uera ac uiua fuerit, impellit mox, ut quisque facto & uerbis peccatorem se coram hominibus quoq;, quandocunq; eius occasso est, & aliqua utilitas, ingenue fateatur. Sic & Iudas, ubi serio suum peccatum agnoscebat, & si nulla esset spe ueniæ, palàm tamen relatis argenteis in templum, dicebat Principibus sacerdotum & senioribus populi: Peccaui, tradens sanguinem innoxium, infra. 27. Sic Cain, Saul, ac multi alij, quod sua coram Deo peccata uere agnoscerent, coacti fuere, ea palam quoq; apud homines fateri. Quanto magis ergo ij, qui non dubitant, gratiam peccatorum suorum se ab optimo patre accepis-
B se, aut sperant se accepturos, illa liberrime, ubicunq; se locus offerat, confiterentur, uel sic benignissimi patris misericordiam prædicaturi, aut sanè cruciatu sauciæ conscientiæ, dum fratribus illum aperirent, nonnihil sese leuaturi?

De confessione.

Atq; hæc altera confessio est, cum interna illa peccatorum coram Deo agnitio, compellit, eadem & hominibus fateri. Ea autem à nonnullis fit, citra spem ueniæ, ex importabili duntaxat conscientiæ tormento, cuius exempla in Iuda, Saul, ac plerisq; aliis, ut iam memini, scriptura commemorat. Porrò eorum, qui certi de remissione peccatorum, magis ex ardenti diuinæ bonitatis prædicandæ affectu, quam æstu male sibi conscij cordis, peccata confitentur, egregium in Paulo exemplum legimus, 1. Timoth. 1. Vbi se, non tam Timotheo, quàm orbi, blasphemum, persecutorem, ac uiolentum fuisse confitentur, & iuxta Dei erga se misericordiam prędicat, quæ iure debeat quoslibet, ad sperandam à patre indulgentissimo peccatorum ueniam animare. Vnde illic scribit: Verum ideo sum misericordiam adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem longanimitatem, ad exprimendum exemplar ijs, qui crediturí essent in se, in uitam æternam. Ecquis sibi peccata à clementissimo Deo, uere condonata credat, hoc est, ab æterna morte, in æternam uitam se planè transpositum, qui non ardentissime cupiat, summeq; delectetur, hanc sibi peccatorum factam gratiam, impensissime prædicare, eoq; qua peccatorum mole premebatur, iuxtà apertissime fateri? Non minus ardent, qui tacti uiua suorum commissorum cognitione, sperant condonationem, sua errata fratribus palam facere. Quis enim certa promissa medicina uulnus uereatur suum detegere? Sic ergo in præsentiarum, hortante ad resipiscentiam Ioanne, & Christum medicum animarum promittente atque indicante, in quem qui crederet, haberet uitam æternam, quis istis habens fidem, potuisset contari, peccatorem se palàm fateri? Quis nanq;

Cõfessio quæ hominibus fit

pudor à percipienda medicina uitæ æternæ fuisset illos remoratus? Vt leuiculos c
morbos pudor nonnunquam uetat detegere, ita letales summoq; instantes crucia-
tu, non pudorem modo, sed semel omnia cogunt posthabere, si qua spes illucescat
remedij. Ita si cuius conscientia fuerit peccati cognitione serio exagitata, & simul
spes ueniæ proposita, nihil prorsus esse poterit, quod homo eiusmodi non postha-
beat, ut uenią sequatur: neq; poteritis quidē satis suum peccatum, non Deo solum,
uerum & fratribus, præsertim ijs, qui ex uerbis Dei spem ueniæ faciunt, confiteri:
hoc est, quibus laboret malis cōqueri. Sentit enim iam talis peccatis nihil æque per-
niciosum, miserum & abhominabile esse. In morem igitur eorum, qui summis ma-
lis laborant, nihil prius habet, quàm illa queri, maxime aūt, ubi liberationis aliqua
spes affulget: ita nulla peccatorum quamlibet aperta confessio, potest eiusmodi ho
mini, sic uim peccatorum suorum sentienti, immo dolori eius satisfacere. Exem-
plum uides in ijs, quibus Petrus, die quo spiritus sanctus Apostolis missus fuit, præ-
dicabat. Admoniti enim suorum peccatorum, compuncti corde dicebant ad Pe-
trum, & Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Quasi dixissent, fatemur omnia,
nihil nisi peccata sumus, præterea eum, qui peccatis nos liberaturus, aduenerat, Ie-
sum Christum crucifiximus, quid igitur faciemus miseri? Quibus respondentibus
Apostolis: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomen Iesu
Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti, & cætera,
mox obtemperarunt, & baptizati sunt in remissionem peccatorum: ita sese coram
omnibus palàm peccatores agnoscentes & confitētes. Verior enim commissorum
confessio, paucissimis quidem uerbis constat: at totam interim uitam, singulari
modestia, assidua carnis mortificatione, promptissimoq; fratrum obsequio, refor-
mat & innouat. Cui nanq; conducat, audire te, singula tua commissa denarrantem,
nisi sint singula quoq; adhibenda remedia? Atqui peccatorum omnium unum re- D
medium est, Christum dominum solide agnoscere mortuum esse propter peccata
nostra, resurrexisse autem, propter nostram iustitiam: nisi alicubi hæreat conscien-
tia, ut quomodo ex placito Dei se homo comparet, ignoret.

Aliud exemplum huiuscemodi confessionis legimus. Actorum. 19. Cecidit timor
super illos, & magnificabatur nomen domini Iesu, multiq; qui crediderant, uenie-
bant, confitentes & annuntiantes facta sua: multi autem ex eis, qui curiosas artes
exercuerant, comportatos libros exusserunt. Hic & causam habes huius ueræ er-
ga homines confessionis, & ipsam confessionem, uitæ reformatione comitatam.
Cecidit, inquit, timor super omnes, &c. Vbi Deus enim suo cor timore confingit,
nihil potius habet, quàm & queri dolorem, & medelam quærere. Hanc ergo cum
Paulus prædicabat, ueniebant ad eum, confitentes & annuntiantes sua facta (scio
aliter quosdam hæc legere, sed hæc lectio uisa est certior) quod cum citra hypocri-
sim facerent, instrumenta peccatorum, & si maximi pretij, exusserunt. Id demum
erat actam uitam uere damnare, ac citra singulorum flagitiorum enumerationem,
planè peccata confiteri. Huius generis confessio, fuit olim ab ijs, qui adulti bapti-
zati sunt, exacta: qui dum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum ba-
ptizabantur, peccatis soluebantur, iuxta illud: Quorum peccata remiseritis & cæ-
tera. Et quæcunq; solueris super terram, infra. 16. Requisita item fuit, ab ijs, qui uel
palàm peccatorum in ecclesia reprehenderentur, uel cum ab ea excommunicati,
pœnitētes in ecclesiam rursus admitterentur: quod illud soluere est, de quo Matth.
18. Cum enim Christianum esse nihil aliud sit, quàm Christo esse consecratum, qui
quotidie in nobis suo spiritu peccata mortificet, necesse est, ut perpetuo nos pec-
catores confiteamur, non tam uerbis, quàm omni uita, de quo. 1. Ioan. 1.

Tertia

A Tertia confessio priuata est, qua uel tui, uel proximi caussa commissum aliquod tuum, aut affectum fratri cuipiam priuatim confiteris. Tui caussa, si quando aliqua in re hæreas, aut animo sis consternatior, ut uel consilio tibi opus sit, uel consolatione. Et ad hanc, prima illa peccati confessio, qua uere in animo te peccato pressum sentis, impellit. Nam facit solicitum, ne quo pacto plus Deum offendas, & peius intolerabili peccati onere graueris, unde si qua in re, quid facto optimum sit, non liqueat, & nescias an carnis affectu an spiritus iudicio agaris, perpellet utique domini timor, & peccandi metus, qui animum tuum peccati molem & perniciem iam agnoscentem occupat, ut cupidissime fratrem aliquem cordatum, & uerbi Dei tenacem conuenias, propositum tuum & consilium, atque omnes circa illud affectus tuos, singulasq; circunstantias, aperias, quatenus quidem ex illis implicitum te sentias, ac simul cum illo consultes, quidnam magis ex sententia domini, quid certius secundum uerbum eius possis amplecti: immo per illum & simul cum illo domini potius oraculum super eo, quæras. Iuxta illud: Si duo consenserint super terram, de omni re quacunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo uel tres, &c. Hæc sanè affectuum & consiliorum priuata apud fidelem animum detectio & confessio, admodum frequens ijs est, quos uera pie uiuendi solicitudo, & peccandi tenet formido. Suspecta enim habent semper sua pij, eoq; cum fratribus de ijs libentissime consultant, iuxta illud Prouerb. 11. Via stulti recta est in oculis suis, at sapiens consilium audit. Item 25. Caussam tuam iudicet proximus. Rursus 27. Vnguentum & aromata delectãt cor, dulcior autem amicus est, propter consilium animæ. In profanis rebus, nemo sibi sufficit, eoq; amicorum in ijs consilia non nisi stulti despiciunt: nesciat igitur necesse est, quàm ardua res sit, uita Deo digna, quantum huic insidietur caro, mundus & satan, quanq; facile à uia seducamur, quicunq; non agnouerit consultorem B in rebus pietatis, rem esse multo sacratissimam & præcipuam felicitatis portionem habere, quibus affectus tuos & animi morbos, liberrime detegas.

Confessio priuata.

Confessio pro consilio.

Ita si quando cæcum conscientiæ flagellum, plus nimio cœperit affligere, ut quæcunque legis & audis, ex scripturis non possint te satis consolari, spemq; uetiæ tibi confirmare, ibi rursus, illa interior confessio, uiua, scilicet, peccati coram Deo agnitio, ut amicum aliquem Dei, quenq; tenere mentem domini confidis, consulas, eiq; quo potissimum discruciaris, malum, reueles, ita adiget, ut nihil optatius possit tibi contingere, quàm eiusmodi uir, in cuius sinum commissum tuum effundas: Iterum fretus eo quod paulo ante citaui: Si duo consenserint super terram, &c. Et ubi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, &c. Vtranq; uero hanc confessionem, soli cum norunt, tum amant, quos solicitos tenet cura pietatis, apud quos uiuit timor domini: reliquis ut frustra hæc suaseris, ita noxie præceperis, quòd ista præcipiendo hypocritas reddere possis, uere & cum fructu hoc modo confitentes, reddere non possis. Hortari tamen ad eam conuenit, quod & diuus Iacobus fecit, Iacob. 5. Cum ait: Confitemini inuicem peccata uestra, & cætera. Nam de hoc confessionis genere, de quo hactenus differui, locutum non dubito.

Cõfessio pro consolatione.

Verum priuata confessio, quæ alterius fit gratia, est, cum quem offendisti, confitens illi tuum peccatum, oras ueniam, atque ita tibi curas eum placare. Hanc confessionem dominus præcepit, Matth. 5. Itaque si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari & abiens prius reconcilieris fratri tuo. Charitate enim inter nos mutua, Christus nihil prius requirit, quæ si abest, nihil sumus:

Confessio offenso.

ideo oportet omnia tentare, si quando illam nonnihil contigerit obscurari ut, C
rursus enitescat, & tollatur, si qua offensa eam obfuscauit. Porrò & hanc confes-
sionem, prima illa qua coram Deo confitemur, efficit. Qui enim se ex animo co-
ram Deo peccati reum agnoscit, & nouit eius gratiam se non posse obtinere, nisi
restituta gratia cum proximis, quid hunc pigeat facere ut fratri reconcilietur, sine
quo se non posse placere Deo, uidet. Certe prõptissimo & supplici animo, & quod
in illum deliquit fatebitur, & ueniam obnixe orabit, ne Dei indignatione diutius
prematur, quam sentit iam onus importabile.

Contra confessionẽ secretariam.

Tot nouit genera confessionum scriptura, quicquid præterea adiectum est, ut
præter Dei uerbum adiectum est, ita non potest, non esse noxium. Quale illud est,
quòd quidam eos gehennæ addicunt, qui non quotannis, uel semel peccata sua
singula, cum singulis circunstantijs, ac etiam cogitationes quibus peccato uel cõ-
senserunt, uel fuerunt eo nonnihil in animo titillati, enuntiauerint. Quo dogma-
te, non tam tortæ, quàm summe periclitatæ fuere innumeræ animarum myriades.
Hac enim confessione crediderunt peccata prorsus deponi, etiã sine uera in Chri-
stum fide, atque solida resipiscentia, ita pernicios issime suo facto fisi sunt & non
uno Christo. Deinde tam anxie atque scrupulose istam confessionem fieri præce-
perunt, ut nisi ex animo uere contrito, id est, à peccato abhorrente, purissimo o-
mnibus enuntiatis fiat, & ad quam non minori diligentia te pararis, ac collegeris,
atque si esset maximæ alicuius & latissimæ dispensationis reddenda ratio, eaq; do-
mino difficillimo, nullius habeatur momenti: quo pacto effecerunt, ut qui etiam
diligentissime confiterentur, nunquam tamen sibi satisfacerent. Cunq; autem nõ
nisi per hanc, salutem se posse consequi fuissent persuasi, perpetua desperatione fue
runt excarnificati: & si non Christus tandem uana hac cura eos liberauit, inæter-
num insuper perditi. Postremo quot millia pudor, à solida & plena confessione cõ- D
missorum retraxit. Hi aũt, cum pariter persuasi essent certo perire, qui quippiã pec-
catorum in confessione celasset, quid aliud, si non miraculo illis Christus subue-
nit, quam desperarunt tandem, & prorsus perierunt? Taceo quòd à paucissimis,
non inuito atq; repugnante animo ita confessum fuit: nam prouerbio, pro summa
molestia ista confessio cœpit iactari. Iam cõstat nihil coactum, nihil inuitum Deo
placere. Quicunq; igitur superstitione rei tam multis modis pernicios æ, liberare
proximos suos poterit, si id non summopere fuerit annixus, certe dispergit: quip-
pe qui cum Christo cesset colligere. Docẽdi igitur sunt homines, Christiani qui-
dem esse, & homini nonnunquam sua peccata confiteri, & maxime ei qui gerit
publicum munus prædicandi euangelij & consolandi cõscientias, uti episcopi &
pastores sunt, suæ functioni rite incumbentes. At confiteri certo tempore, & pec-
cata singula, etiam cogitationum, id humanam esse traditionem: id quod & Pa-
normitanus, autor glossæ, multiq; alij, & iureconsulti, & Theologi agnouerunt;
eoq; Christianos ad confitendum homini certo tempore & peccata singula non
amplius teneri, quàm id, ad pietatis incrementum conduxerit, quod & Thomas
Aquinas censet: nec posse obmissam peccato obstringere, ut Gerson pie docuit.
Etenim quas scripturas pro stabilienda hac sua secretaria confessione recentiores
Theologi quidam & summarij afferunt, isti quiuis uideat competere, & nequa-
quam ei confessioni quam ipsi commenti sunt, uel confessioni quæ Deo fit, uel quę
in genere ecclesiæ, à suscipientibus in adulta ætate baptismum, aut reconcilian-
dis post excommunicationem, aut aliàs à uolentibus impensam sibi Dei miseri-
cordiam deprædicare: uel ei quæ priuatim fratri fit, pro consolatione aut consilio,
aut denicq; quod ipsum offenderis pro uenia. Præcipuum autem firmamentum il-
li suæ isti confessioni ex eo quærunt, quòd dominus dixit Petro: Quicquid solue-

ris

A ris in terra, &c. infra. 16. &. 18. Quæcunq; soluerítis, &c. Item illud Ioan. 20. Quorũ remiseritis peccata, &c. Aiunt enim, quomodo possumus soluere, quos nescimus ligatos: cum ergo peccata quibus ligantur, occulta sint, ipsi nobis ea confiteantur necesse est. & singula quidem, non enim nisi semel uniuersis liberari possunt.

Quibus respondendum: istam solutionem à peccatis, & remissionem peccatorum, Petro nomine ecclesiæ primum, atq; inde reliquis pariter promissam et collatam, esse publicam in ecclesiam admissionem, in numerum, scilicet, eorum, quos à peccatis saluat Christus: id primum baptismo, postea quoties quis ob sua scelera è communione ecclesiæ eiectus, uera pœnitentia recipi meruerit, fieri à Christi ecclesia solet. Ad quod haud quaquam opus est sacerdoti singula peccata enarrare: Deus enim omnia simul condonat. Iam soluere ecclesiæ, ut suprà de baptismo quoq; indicatum est, nihil aliud est, quàm pronuntiare à domino solutos. Sicut ergo ille simul cuncta condonat, quid impedit simul etiam uniuersa condonata pronunties, eoq; simul etiam in genere omnia, non ordine singula cognoscas? Si enim à nullo peccato posset ecclesia soluere, nisi quòd eius ministro esset nominatim indicatum, quomodo soluere ab ijs quorum qui admiserunt non possunt recordari? Nugæ sunt, eorum qui sibi obnoxiam plebem, quam addictam dominã malunt. *Quæ ecclesiæ solutio.*

Ad hæc, qua scriptura probabitur, potius sacerdoti, quàm alij pio & cordato uiro, uel toti etiam ecclesiæ, peccata esse enuntianda? Certe & ecclesiæ solutio non est, nisi publica in ecclesiam receptio, ita palam coram ecclesia etiam peccata sunt à soluendis confitenda, sicut fecisse legimus eos, qui à Ioanne atq; postea Apostolis fuere baptizati, atq; ita in ecclesiam admissi. At qui secreto uoluerit cum fructu sua cõmissa confiteri, ei spectandũ erit, non qui ab quouis titulo tenus episcopo, ad
B id muneris sit delegatus, sed quẽ dominus uerbo & spiritu suo fecerit, ad consolandum monendũ & consulendũ idoneũ. Quòd aũt sacerdotibus præcipue confitendum ueteres cẽsuerũt, caussa fuit, quod deceret hos, alijs ad docendũ, monendũ, & consolandum esse instructiores. Quales si & hodie habeantur, nemo uere pius, nõ illos præ alijs consulet, si quãdo conscientię æstibus laborauerit. At ut uulgo sunt, quid quæso consilij, quid doctrinæ ab eis tibi petas, quibus nemo ferè in orbe uiuit sceleratius? At ubi sunt, qui claues regni cœlorum, euangelium Christi rite administrant, qui unde petenda sit peccatorum remissio, bona fide docent, apud hos clauium beneficium petere suo fructu nunquã carebit, tum ipsum in domino colloquium suum quoq; momentum ad instaurandam pietatem habebit. Hoc sanè experiuntur pij, priuatim in domino colloquium, & amicam per uerbum Dei cõsolationem, miram uim ad consolandum, & erigendos animos habere: ex eo utiq; quòd dominus ipse ait: ubi duo uel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Sic tamen, ut siue publicitus, siue priuatim uerbum gratiæ prædicetur, domini solius sit, dare incrementum, hoc est, ut credas illud ad te quoque pertinere. Quòd enim priuata plerunq; uerbi admonitio, atq; cõsolatio efficacior sentitur, quàm publica & generalis, ex eo potius est, quòd animo famelico hæc magis, quàm illa ferè quæritur: publicas enim & solennes conciones plus ex more sæpenumero, quàm uera uerbi fame, admus, priuatas autem consolationes non nisi afflictis animis, uerbiq; Dei serio sitientibus, petimus: tum in priuatis illis colloquijs, atq; consolationibus, expositis animi morbis, ex ijs potissimum scripturæ locis medicina profertur, qui sic laborantem animum proprie respiciunt, qui denique pro laborantis captu quoq; tractãtur: cum in generali concione, generalia tractari soleant, & non semper, nec quæ ad priuatos cuiusq; morbos proprie faciunt, neq; eo modo, quo illis potissimum eos morbos leuarent. *Priuatam absolutionẽ per se nihil efficere.*

Quomodo homines ad uerã confessionẽ mouẽdi

Sed exemplo Ioannis, Christi & Apostolorum prædicemus nos diligenter pœnitentiam, ostendamus hominibus sua peccata: si tum cooperatus spiritus domini in ueram eos peccatorum suorum agnitionem adduxerit, tum ultro, si communi gratiæ Dei annuntiatione satis erigi nequiuerint, priuatas consolationes petẽt ab ijs, qui nõ tam simplicem aliquam Dei promissionem, priuatim recitent, quàm pro ratione morbi, è pigmentario scripturarum, antidotum appositissimum proferant: quibus & morbum suum illis quàm planissime detegere, auebunt: quod norunt experti. Summa est, quæcunq; cum salutis fructu peccatorum fit confessio, ut dixi, ab illa, qua Deo nos corde uere contrito, peccatores confitemur, dimanat, sine qua omnia fucus & hypocrisis sunt, & cum qua nihil omnino, ueræ & salutaris confessionis hominibus faciendæ, desiderabitur. Ex his iam de confessione annotatis, qui ea diligenter legerit, atq; indicata scripturæ loca probe excusserit, ut ueritatem huius rei abunde tenebit: ita quibuslibet circa hæc obortis erroribus poterit potẽtissime occurrere, et electorũ animos, illis liberare. Hactenus ut de confessione dissereremus, libuit digredi. C

Sectæ Iudæorum.

Cum uidisset autem multos ex Pharisæis & Saducæis.) Quatuor sectas apud Iudæos hoc temporis fuisse, meminit Iosephus, Pharisæorum, Saducæorum, Essenorum, & eorum, qui autore Iuda Gauloníte tempore census fuerant exorti. Horum dogmata pariter & mores, paucis describit, lib. Iudaici belli secundo, cap. 7. lib. Anti. 15. cap. 8. & lib. 18. cap. 2. Pharisæi legis studiosiores, fatum, cum libertate tamen nostræ uoluntatis agnoscebant, animam credentes immortalem. Saducæi fato nihil, & omnia hominis arbitrio tribuebant, neque animarum recipiebant immortalitatem: moribus, quoq; erant incultioribus & ab humanitate alienioribus. Essení fato tribuebant omnia, miram continentiam profitebantur, prorsus similes ueteribus monachis, nisi quòd quædam male sana dogmata sectarentur. Postremi illi cum Pharisæis ferè conueniebant, nisi quòd nephas adserebant, præter Deum, principem agnoscere: & censum, ad quem agendum Cyrenius missus fuerat, affirmabant esse solidam seruitutem, miris; modis hortabantur plebem, ad tuendam libertatem, pollicentes id conantibus, omnem creaturam cooperaturam, Deumq; illis nequaquam nisi id conarentur, futurum uel propitium, uel auxilio. Quibus pollicitationibus & hortamentis sibi plebem mire deuincie bant, quam ad rebellandum concitatam, in summa quoq; pericula & mala adduxerunt, ac totam regionem cædibus & seditionibus repleuerunt. Non dissimilis furor ab eo, quo superiore anno quidam perciti, miseris agricolis pro libertate tumultuantibus, fidem fecerant, unum ex eis hostium centum fugaturum, & bombardarum globos contra eos missos, reuersuros, in emittentes. Sed ut illi, ita hi quoque magno suo malo experti sunt, quàm inuisa res Deo sit, ordinatæ ab ipso potestati repugnare. Verum iuxtà uides, non nouam satanæ hanc artem, qua permittente illi domino, nos germanos superiore anno aggressus est: postquam id, scilicet, nostra incõparabili ingratitudine, abunde merueramus, eo quòd immensam illam Dei in nos bonitatem, qua euangelion filij sui, uerbum uitæ æternæ, nobis tam præclare restituit, partim contempsimus, partim etiam crudelissime sumus insectati, pauciſſimi ex animo amplexi. Sed ad Pharisæos & Saducæos. Horum sectæ præcipuæ in populo erant, quare tantum de his duabus, nostri scriptores meminerunt: plurimum inter se quidem illæ dissidebãt: sed quia utraq; sine Deo erat, contra Christum & uerbum eius, semper conuenerunt, ut. 22. Act. quo loco etiam de dogmatis ipsorum Paulus commemorat, uidere est. D

Progenies uiperarum.) Durum ad tam sanctos & præstabiles uiros exordiũ, & inhumana

A inhumana salutatio, sed quia non hic Ioannes, uerũ patris & domini omniũ spiritus orationem auspicabatur, & quidem obiurgatoriam, minime uitiosum exordium, aut indecora salutatio extitit. Sic exordiuntur sanè patres castigaturi filios, & heri increpaturi seruulos. Scopus nanque huius orationis fuit, arrogantes illos & generis nobilitate frustrà fidentes, metu diuini iudicij perterrefacere, atque ita ad resipiscentiam permouere: ad hoc sanè non parum conducebat, tanta sæueritate & obiurgandi uehementia exordiri, ut audientes maiorem, scilicet, opinione sua libertatem, maiorem etiam, quam appareret, obiurgantis suspicerent autoritatem. Denique spiritus qui loquebatur, facile potuit illos detinere, ne excepti tanto conuitio, ut uideri poterat, resilirent, reliqua audire detrectantes. Quin immo ista insolita libertate dicendi, magis excitabantur, & noua quadam admiratione suspendebantur, ut cætera audirent attentissime. Similia exordia & in orationibus Apostolicis inuenias, ut in oratione Petri, Act. 2. ubi illico ab initio, Iudæis occisum Christum opprobrat. Similiter exorditum legimus, Act. 5. ad principes sacerdotum. At qui nunquam ferè huiuscemodi exordijs, usi sunt, nisi quando negotium illis fuit, cum superciliosis ueritatis contemptoribus, uel contradictoribus, quales erant & hi Pharisæi atq; Saducæi, aliàs multo mitius exordiri solebant. Mose autem & Prophetis familiarius fuit, ab increpatione initium dicendi facere. Sic Deuter. 32. mox ab inuocatione, Israelitas, gentem prauam, atq; peruersam appellat. Et Iesaia gentem peccatricem, populum grauẽ iniquitate. Nihil mollius & alij Prophetæ suos sermones auspicantur. Meminisse autem oportet, non ipsos, sed Deum per ipsos locutum, quis iam indecorum ducat, nos quamlibet dure à Deo increpari, à patre adeo indulgente, filios tam male morigeros, à domino tam æquo, seruulos adeo petulantes?

B Non est igitur, ut quamlibet sæuera sæueritate, dicendiq; inclementia pij prædicatoris Christianus offendatur. Non enim sua, sed Dei uerba loquitur, non sua, sed Dei autoritate increpat. Qui ergo in loco Ioannis fuerit, & missus ut uice Dei ad pœnitentiam inhortetur, iure increpandi sæueritatem adhibebit. Sed uidendum etiam atq; etiam illi est, ne quid ex affectu carnis agat, & ut purum se spiritui organon exhibeat, hoc est, ut sit Ioannes, Petrus, Paulus: sic acto à spiritu, dabitur in loco sæuero esse, eoq; cum fructu. Alioqui si se sibi permittat, non inepta modo, sed & nocens etiam, erit eius dicendi uehementia, & sanctorum simia, mentes potius exasperabit, & indurabit, quam ad resipiscentiam permouebit. Proinde haudquaquã satis est, Christus ita increpuit, Ioãnes ita inuectus est, Apostoli sic prosciderunt. Nõ enim hac parte, sed solida fide, & tui omnimoda abnegatione, illorum imitatio incipienda est. Incisio salutaris est, sed periti medici, non cuiuslibet.

Quæ dicendi asperitas probanda.

Primum ergo, ne hic pecces erit, ut patrem bonum spiritum ores, sine cuius magisterio, nihil omnino recte dici aut geri potest: proximum, ut fidem sanctorum in procurando Christi negotio, ob oculos tibi ponas: postremo ut diligentissime obserues, in quos illi, & qua opportunitate, quaq; grauitate sint inuecti. Neque enim exemplum scripturæ proferent quidam, sannarum & scommatum, quibus lucubrationum suarum omnes ferè chartas complent, & amabilissimum purissimumq; euangelij margaritum, illis miserum in modum deuenustant, quos non paulo stultius atque nocentius alij in concionibus imitantur. Horum procacitate factum est, ut non solum euangelion Iesu Christi blandissimum, passim nomine caninæ facundiæ male audiat: sed etiam petulantia ista sermonis, tam in auditoribus, quàm doctoribus, qui euangelici uideri uolunt, habeatur, tanquam prima euangelicorum uirtus & insigne, adeo, ut qui non iam in sacrificulos solum, sed in aduersarios quoslibet, pluribus possit scommatis ludere, is uideatur sibi hoc δαιμονιώτερον.

Atq;

Atque ita præter hoc, quòd plurimos sanè sua dicacitate, ab audiendo euangelio ar- C
cent, etiam in se ipsos mutuo adeo debacchantur, ut ne uncia quidem dilectionis
& candoris apud eos uideatur reliqua. Tam pernicioſa res est, præpostera imita-
tio. Summa est, nisi zelo gloriæ Christi, qui studio, scilicet, salutis proximorum,
unice flagrat, sæuere increpes, diabolus, hoc est calumniator esse poteris, idoneus
prædicator pœnitentiæ non poteris. Hæc de sæueritate sermonis & styli, uolui
hic monere: quia quod hodie illi præpostere à multis studetur, & Euangelion
cœpit pessime audire, & charitas atque candor graue admodum fecerunt nau-
fragium.

Porrò quòd Ioannes progeniem uiperarum Pharisæos & Saducæos appellauit,
forte eo respexit, quod scribitur, catulos uiperarum, dum singulos mater, singulis
diebus edit, uiginti editis, reliquos tarditatis impatientes, perrumpere latera, oc-
cisa parente: lege Plinium lib. 10. cap. 62. Dum enim Gens illa, Prophetas domini
usq; persecuta fuit atq; occidit, parenti Deo id retulit, quod catuli uiperarũ suis ma-
tribus. Quod enim in domini nuntios committitur, in Deum ipsum committitur.
Iam factiones istæ duæ, Pharisæorum & Saducæorum primas apud Iudæos sibi uen-
Concordia Lucæ. dicauerant, eoq; implentes mensuram patrum suorum, ueritatem modis omnibus
persequebantur, pleni uersutia & dolo, quo nomine etiam uiperinis serpentibus ui-
deri possunt, assimilari, & à Ioanne, & à Christo ipso, infra. 23. Lucas hoc conuitio
commemorat Ioannem excepisse turbas, dicens: Dicebat ergo ad turbas, quæ exi-
bant ut baptizarentur ab ipso, sed intelligendum est id per synecdochen, de Phari-
sæis tantum & Saducæis, quos Mattheus nominatim exprimit. Ipso enim Luca te-
ste, etiam publicanos, atque milites excepit mitius, absq; conuitio, respondens ad
id, quod rogabant.

Quis uobis submonstrauit ut fugeretis.) Sensus est: Vos progenies estis uipera- D
rum, & ex eorum numero qui salutaria monentes occidunt, qui clauem scientiæ si-
bi pridem uendicarunt, & omnem iustitiam arrogarunt, ut neq; doctore, neq; resi-
piscentia sibi opus esse arbitrentur, quid uobis accidit igitur noui, quod & uos ad
hoc meum baptisma uenitis, quo iamiam adfuturo Christo, eos dũtaxat discipulos
adlego, qui peccatores, ut sunt, ita se quoq; agnoscunt? Non cum iustis ille, sed cum
perditis duntaxat peccatoribus negotium habebit: quos solos non modo à uentura
ira, hoc est, Dei ultione, quæ hanc Gentem manet ter atrocissima, & inaudita, ue-
rum & ab æterna morte liberabit: uita æterna donatos, manente super reliquos iu-
stos, ut sibi uidentur, ira Dei in perpetuum. Ioan. 3. Non absre igitur, quãdo uos ex
Pharisæis & Saducæis, iustis illis, & primi nominis Hebræis estis, miror, quis uos
imminentis populo huic iræ, & ultionis diuinæ præmonuerit, adeoq; humiliarit,
ut isti gregi peccatorum, quos solos in pœnitentiã baptizo, hoc est, confitentes sua
peccata, in ordinem eorum quos actæ uitæ pœnitet, & qui nouam ab iam adfutu-
ro Christo expectant, recipio, uos immiscueritis, non iam iustorum uobis sed pec-
catorum nomine placentes. Per iram uenturam intellexit, excidium Gentis Iu-
dæorum per Romanos postea perfectum, quo nullum crudelius legitur, eo tamen
cæcitas, quæ ex parte Israëli accidit. Roman. 11. atque inde æternum excidium, si-
mul significauit.

Facite igitur fructus qui deceant pœnitentiam. Hoc est inseritis uos gregi pœni
tentium, ueris hic agitur, non fucis, ut penes uos. Ergo si uultis baptizari, & ex eo-
rum numero haberi, qui uere regno cœlorum ciues inscribuntur, oportet ueram
esse uestram resipiscentiam. Vera autem erit, si suos fructus protulerit, nimirum re-
rum præsentium contemptum, sui abnegationem, summam modestiam, ardens
pietatis studium. Hi demum fructus sunt, animi plane resipiscentis, & uitæ nouita-
tem serio meditãtis. Ponendum ergo uobis erit uestrum supercilio, peccatores uos

& omni

A & omni uita uestra agnoscatis oportet, dum omnium minimi, & seruuli esse studebitis, Christum, quem prædico, auidissime exceperitis, pro eo nihil non & passuri & facturi, totiq; in eo futuri, ut ipsi quàm plurimos lucrifaciatis. Hæc ex animo uos resipuisse, & non ut apud uestros præceptores didicistis, fucate omnia agere, comprobabunt: hi enim soli sunt fructus pœnitentiæ solida digni.

Et ne uideamini dicere intra uos.) Stulta fiducia patrum, qui Deo placuerant, securi & resupini, in impietate sua Iudæi perseuerabant, hanc uoluit Ioannes his, qui ad suum baptisma uenerant præscindere. Quasi diceret: Magnifica fateor, dominus Abrahæ & semini eius promisit, quæ & indubie complebit. Sed ideo non est necesse, ut uestram impietatem transmittat inultam. Nam excisis etiam uobis ad unũ omnibus, & deletis, si degeneres Abrahæ posteri esse perrexeritis, poterit Deus germanis Abrahæ filijs, qui sibi nunquam deerunt, quæcunq; est pollicitus præstare. Necq; enim carnali successione Abrahæ filios metitur, alioqui & Ismaëlis atque Esau posteritatem, promissionis Abrahæ factæ, oportuisset fieri participem. Qui ex promissione atq; fide renati magis, quàm nati filij Abrahæ fuerint, eos demum germanam Abrahæ sobolem, dominus agnoscit. Huiusmodi autem potest sibi ex lapidibus suscitare, adeo non est opus uos seruari, si perdi usq; mereamini. Quo uidetis quam nullius sit apud Deum momenti carnalis cognatio. Quid à carne Abrahæ æquæ diuersum atq; lapides? Attamen ex lapidibus nati, si fide Abraham patrem referant, ueri domino Abrahæ filij habentur, cum nihil minus esse agnoscat eos, qui fide illa uacant, quamlibet carne ex Abraham geniti sint. *Qui uere filij Abrahæ.*

Hoc est, quod Christus infra quoq; 8. dicit: Dico autem uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenturi sunt, & accumbent, cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum, filij uero regni eijcientur in tenebras extremas. Item Ioannis. 8. filios
B Diaboli pronuntiat, se filios Abrahæ, sine fide & operibus Abrahæ, iactantes. Paulus quoq; Roman. 4. & Gal. 3. diligenter probat non esse ueros Abrahæ filios, qui ex carne, aut lege, sed qui fide, eius filij fuerint. Ad Gal. 3. scribit: Quòd si uos estis Christi, igitur Abrahæ semen estis, & iuxta promissionem hæredes. Et Psal. 18. uersibus. 45. & 44 Iudæi increduli, alienigenæ, & Gentes credulæ, regni Christi indigenæ canuntur: E`rixis populi eripuisti me, & constituisti caput Gentibus: populus seruiuit mihi, de quo nihil sciebam: simul atq; de me audierunt, ultro ad me supplices uenerunt: alienigenæ mihi seruiliter supplices facti sunt, &c. Commodum igitur, carnis hanc fiduciam Iudæis Ioannes aufert, & ad solidam pœnitentiam hortatur: qua sola & nequaquam quod patrem haberent Abraham, à uentura ipsis ira seruari poterant.

Vbi & nos monemur, ne qua re alia, quàm sola in Deum uiua fide, cui innocentia & uitæ nouitas, comites nunquam desunt, nobis salutẽ & proprium Deum polliceamur. Quòd si hodie multi nostrum, haudquaquam paterentur se ab euangelio domini Iesu Christi, falso iactata dignitate Sacrificorum, & Conciliorum autoritate absterreri. Sedere nanq; in sede Petri & Pauli, successores esse sanctorum, unctos Episcopos atq; Sacrificos: magno numero conuenire, doctorum titulis insigniri, omnia hæc externa sunt, & caro non minus, quàm ex Abrahæ posteritate, secundum carnem duntaxat esse natum: quare seruare illos, postquam hominum gloriam, Dei gloriæ præferunt, & mandatis hominũ, uerbum Dei posthabent, nequaq; poterunt, quo minus sæuiat in eos, intentata illis ira Dei, & inuoluantur ijs malis, ex quibus se nullatenus queant explicare: sensuri tum perijsse sapientiam à sapientibus, & intellectum intelligentium euanuisse. Dominus enim est, qui dixit: Propterea quia appropinquauit populus iste ore suo, et labijs suis glorificat me, & cor eius longe à me est, & est timor eorum, quo me timent, tantum hominũ traditio, cui tandem adsuerunt: propterea ecce ego faciam mirabile populo isti portentum & miraculum,

ita

ita ut peritura sit sapientia sapientium eius, & intellectus intelligentium eius euaniturus. Iesa. 29. Non est igitur quòd ecclesiæ nomen, & spiritus sancti præsentiam iactent, qui fidem & innocentiam non possunt iactare. Externum nihil moratur Deus, electis tantum, & filio suo ex animo addictis, spiritum & ueritatem promisit, ijsq; solis hæc donat. Proinde qui apud eos, qui maiorum quidem sanctimoniam iactant, sua autem uita palàm declarant se Christi non esse, qualis prò dolor uulgus sacrificorum & monachorum esse, uel à pueris iam cognoscitur, ueritatem atq; uitæ doctrinam quærunt, quæ præcipua sunt spiritus Christi dona, planè nihilo prudentius agunt, quàm si à tribulis peterent uuas. Secretum domini timentibus eum, & his fœdus suum notum faciet, Psal. 25. Nihil est externi, siue nomen, siue locus, quod huc aliquid faciat: sicut nec externa agnatio seminis Abrahæ, Iudæos potuit, seruatos ab imminente ira, promissa huius semini benedictione, reddere participes. C

Iam uero & securis &c. Metu iamiam imminentis excidij, id quod per securim, radici non trunco appositam, qua, scilicet, radicitus sit arbor excidenda, allegoricῶs significat, ad seriam pœnitentiam prouocat. Non procul enim aberat, ut gens Iudæorum, à Tito pœnitus euerteretur: quam insistens in incœpta allegoria probat à simili, iure excidendam, quando ut arbor infrugifera, quæ nemini usui est, quàm ut focũ refoueat, nec omni pietatis fructu careret, in ullum iam usum idonea esset, quàm ut dominus in euersione eius, tanquam in uasis iræ, apparatis in interitum, potentiam suam notam faceret, Roman. 9. Monitio itaq; Ioannis huiusmodi est. Datis. ó Pharisæi & Saducæi, simulationem magis, quam ueritatem à magistris uestris docti, nomen, inter pœnitentes, uidete ut id serio faciatis: hic nullis fucis, sed ueritati tantum locus est. Nisi enim solida resipiscentia, uos germanum Abrahæ semen, cui soli Christus promissus est, declaraueritis, non liberabit, ab imminente genti uestræ excidio, ducere genus ex Abraham secundum carnem. Poterit nanq; Deus uobis omnibus ad unũ extinctis, ueros Abrahæ filios, quibus promissam benedictionem conferat, ex lapidibus suscitare, nedum ex Gentibus. Et ne nesciatis summe tẽpestiuum esse, ut mature resipiscatis, atq; à generatione ista praua eripiamini, prædico uobis proximum esse, ut hæc natio prorsus euertatur, uti excidium arbori iam adest, cum ad eius radicem securis adposita est. Id uero excidium pridem natio hæc pridem meruit, quæ quantumlibet operosè à Prophetis culta, usq; tamen pergit esse pietate sterilis. Quemadmodum ergo infrugiferis solet arboribus fieri, ut ne solum frustra occupent, excidantur & comburantur: ita eos eiectos è terra, quam frustra hactenus incoluistis, tam ingrati Deo, ignis iræ Dei, absumet. Ergo resipiscite, dum tempus habetis, & credite Christo, quem prædico, is unus poterit uos malis, quæ superuenient uestræ genti, eximere. Porrò similitudo arboris non in euangelijs tantũ, ut infra. 7. & 12. Luc. 13. sed in omni quoq; scriptura, præcipue autem in Psalmis, admodum frequens est, ut Psal. 1. 38. 52. 92. D

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Ego quidem baptizo uos aqua.) Hic incipit, territis iam comminatione imminentis iræ Dei, Christum saluatorem annuntiare. Ego quidem baptizo aqua. Quasi diceret: A me frustra salutem expectabitis, qui aqua tantum abluo, quæ certe peccata auferre non potest, quare si uere peccata uestra agnouistis, & illis purgari optatis, ostendam uobis, à quo istuc petatis. Post me ueniet, qui regnum Dei mira docendi autoritate, tum inauditis miraculis annuntiabit, cum ego iam munere meo fuero defunctus, is ante me factus est, multo me prior: nimirũ uenit è supernis, æternum patris uerbum, unigenitus Dei, quem diligit pater, & cui spiritum opulentissime, ac omnia dedit in manus, ut qui in hunc suum filium credit, habeat uitam æternã: hic in medium uestri modo prodijt, iam inter uos adest, ut munus suum obeat, ut saluatorẽ orbis se declaret, uobis licet etiamnũ incognitus sit: hunc crescere, me uero

oportet

A oportet imminui,non enim mihi,sed illi plebem paraturus aduenì.Hunc ergo ſuſci piatis oportet,in hunc credere uos neceſſe erit,& huius fieri diſcipulos:qui,ſcilicet, uenit,ut populum ſuum à peccatis,iuxta nomen ſuum ſaluet: in quem qui credit, habet uitam ęternam,qui minùs,non uidebit uitam,ſed ira Dei manet ſuper ipſum. Igitur à me ad potiorem hunc, qui multo plura quam ego poteſt, cui non dignus ſum,ſordidiſſimum abiectioris ſeruuli officium facere, calceamẽta, ſcilicet, ſoluere, & portare,cõcedite.Ille & potentiore uos baptiſmo,ſi ex ſuo grege uere fueritis,tinget,nimirum nõ aqua,ut ego facere uideor:ſed igni,quo ueteris hominis ſordes exurantur,& uos noui penitus atq; celeſtes reddamini. Hic uero ignis,eſt ſpiritus ſanctus, qui fide corda purificat, Deoq; conſecrat,& ſic tanquam uaſa gloriæ parat atque inſtruit,ut ore quæ credunt,animoſiſſime confiteantur,& uirtutes Dei,ſummo ſtudio uti hic,deprædicent.Hoc euangelion eſt, quod Ioannes de Chriſto prædicauit,ut Marci.1.Lucæ.3.Ioan.1.& 5.legimus. *Euangelion Chriſti, quod Ioannes prædicauit.*

Quoniam hic mentio facta eſt ſpiritus ſancti,nõ abs re forſan fuerit, paucis annotare,quibus eum ſcriptura nominibus prædicare ſoleat,omnibus nihil aliud uolens ſignificare atq; prædicare,quàm ſanctam illam & diuinam uirtutem atq; energiam, qua afflatæ diuinitus mentes,innouantur: illuſtratæ, ſcilicet, ut iam diuina queant perçipere,ad quæ natura alioquí ſtupent:tum accenſæ,ut in eadem ardeant,quæ natura alioqui faſtidiunt. Hunc itaq; ſpiritum Dei,& optimi patris afflatum,atq; uiuificam auram, ſcriptura nunc aquæ nomine, nunc ignis, per metaphoram uocat, ut diuina omnia non niſi translatitie ſignificari nobis poſſunt. Nam quòd & ſpiritus dicitur,ſanè translatio eſt. Aqua uero uocatur, quòd ſteriles alias mentes,ad fructificandum pietate fœcundat.Sic Ieſa.44.Effundam aquam ſuper ſitientem,& flumina ſuper aridam, effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam,ſuper germina tua.Et germinabũt,ſicut inter herbas, ſicut ſalices ſuper riuos *De ſpiritu ſancto & uominibus eius.*

B aquarum. Iſte dicet:Domini ego: Et hic,uocabit ſe nomine Iacob:& ille ſcribet manu ſua domini,& nomine Iſraël cognominabitur.Hic uides,quas aquas & flumina dominus pollicetur effuſurum ſe ſuper ſitientem & aridam, eaſdem mox uocare ſuũ ſpiritum,ſuum uiuificum afflatum,& nouę uirtutis aſpirationem ſuper ſemen,& benedictionem ſuper germina,nimirum ſuper electos,qui ſunt uerũ ſemen & germen Iſraëlis.Quo ſpiritu,quaq; benedictione,quo nouæ mentis dono,electi germinant, & citiſſime & feliciſſime,uti herbę ſolẽt,et ſalices iuxta riuos aquarũ,qui licet quotannis putẽtur,enaſcuntur & attollunt ſe.Porrò fructus, ad quem ſpiritum illum, ſic fœcundantur,ut mox enaſcantur & efflorent, eſt, quòd uolunt omnes, & quidem ſolida fide domini eſſe,idq; liberrime confitentur,& ore & ſcripto: ſummã,ſcilicet, gloriam ducentes,quòd Iacob & Iſraël,hoc eſt populus Dei,cognominentur.

Hunc eundem ſpiritũ,& dominus noſter,Ioan.7.aquas uocauit,dicens: Qui credit in me,ſicut dicit ſcriptura,flumina de uentre eius fluent,aquæ uiuæ.Et Ioann.4. Quiſquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dabo ei,fiet in eo fons aquæ ſalientis in uitam æternam. Qui enim ſpiritu Chriſti fuerit præditus,is arrabonem habet uitæ æternæ,cognoſcit,docẽte unctione iſta, quæ ſaluti illi eſſe poſſunt omnia:certus eſt,omnia in bonũ ſibi cedere,ſe eſſe filium & hæredem Dei. Quid igitur bonorum poſſet huiuſmodi ſitire? Intra ſe habet fontem aquæ uiuæ,ſpiritum Dei,unde ſcaturit largiſſime,quicquid ſapientiæ,uitæ atq; conſolationis poſſit deſiderare. Vere itaq; ſalit hic fons in uitam ęternã,dum ita potat,ut nihil bonorum ſitias,& ad quemlibet pietatis fructum fœcunderis: idq; adeo ut de uentre tuo,hoc eſt, de intimo tui, ubi iam omnium doctor & uiuificator ſpiritus habitat,flumina aquæ uiuæ,ſpiritalis,ſcilicet, doctrinæ, exhortationis, conſolationis,aliorumq; bonorum operum, perpetuo & abunde in modum æterni fontis, cuius aquæ nunquam deficiunt, ad proximos dimanet? Sunt aũt & alia apud Pro- *Cur ſpiritus ſanctus aqua.*

f phetas

phetas & Psal. loca, in quibus aquæ atq; fluminis nomine spiritus sanctus significa- C
tur, ut Iesa. 12. Iehescel. 36. Psal. 146. 65. atq; alijs, idq; ad significandū, uel quòd ab ipso
est bonorū operum fœcunditas: uel quòd in æstu tentationis solus recreat: uel quòd
sitim bonorum solus restinguit, uel denicq; quòd à peccatis unus repurgat, quarum,
scilicet, rerum omnium in aqua est similitudo.

Quomodo spiritus sanctus ignis.

Porrò ignis dicitur propter uim & uehementiam: totum nanq; hominem immu-
tat, sordes peccatorum exurit, & in promouenda gloria domini prorsus ardentē red
dit atq; inuictum. Id quod in Apostolis planè apparuit, qui simul atq; spiritu dona-
ti erant, ignita uerba loquebantur, & inuicta, ut uix in alijs æque declaratum sit il-
lud Ieremiæ. 23. Nunquid non uerba mea sunt, quasi ignis, dicit dominus, & quasi
malleus conterens petram? Hoc per igneas illas linguas quæ uidebātur super Apo
stolis Act. 2. indicatum fuit. Vnde uerba Ioannis de baptismo spiritus, quę Christus
Acto. 1. repetijt, cum diceret, Ioannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptiza-
bimini spiritu sancto, peculiariter de uisibili hac spiritus sancti missione in specie
ignis dicta sunt, ut supra monuimus. Sed quod aliquandiu in sanctis primæ eccle-
siæ gestum est uisibiliter, idem mox & usque in præsens geritur in omnibus electis
inuisibiliter. Qui enim spiritum Christi non habet, is non est eius, Roman. 8. Vbi
autem spiritus est, reddens electos Dei filios, illic nec ardor ille atq; facultas, Christi
gloriam propagādi, cuiquam pro suo munere & loco, quem in Christi corpore ob-
tinet, deesse poterit. Quod ut tanto facilius crederemus, aliquādiu uisibiliter ad im-
positionem manuum Apostolicarum, spiritus sanctus ista efficiens, datus fuit, ut
Actor. 8. 10. & 19. legimus. Sic sanè & alia miracula, cum electis quibusdam Deus &
fecit, & curauit conscribi, non sanè quòd alij credentes & electi ipsi minoris sint, qui
ut filios habet omnes: uerum ut in illis, quibus cum tanta miracula operatum eum
legimus, uideremus, quanti ipsi sunt, quotquot nomini eius confidimus, propter
quos, priusquam aliquod nos bonum deficere pateretur, non minora esset prodi- D
gia editurus. Atqui dum consueto rerum ordine abunde nobis in omnibus pro-
spicit, quid miracula requireremus? quandoquidem fidei interest, ut rariora nunc
miracula fiant: quam tamen priora illa miracula, non mediocriter alunt, & con-
firmant.

Quare spiritus sanctus uocetur spiritus

Cæterum nomen spiritus, quo hęc uis Dei crebrius uocatur, ex eo usurpatum est,
quòd uentus, & aura quibus hoc nomen spiritus, primo inditum fuit, res sunt uisibi
les quidem, sed à crassitie reliquorum corporum semotiores, ac miræ simul potētiæ
& uirtutis. Istuc in die illo sancto pentecostes clare significatum est, dum fieret re-
pente de cœlo sonitus tanquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleret to-
tam domum ubi erant sedentes. Et tum uisibiliter præstitum est, quod hic de Chri-
sto Ioannes prædixerat, & postea Acto. 1. ipse quoq; fuerat pollicitus, nempe ut spi-
ritu & igni discipuli baptizarentur, idq;, ut dixi, ad declarandum, quod eundem ba-
ptismum, à Christo, quotquot ipsi crediderint, certò accipiant. Quòd uero utroq;
nomine spiritus, & ignis, uim istam diuinam hic Ioannes uocauit, fecit, ut clarior
esset sui & Christi baptismatis antithesis, & ut ita Christum se potentiorem declara-
ret, quasi diceret: Ego baptizo aqua tantum, quantulum hoc? Ille qui post me uenit,
baptizabit igni, & non quolibet, sed qui sit spiritus sanctus, quo purget, & innouet,
non autem consumat. Videte igitur quanto me ille præcellat, quàm cupide præ me
illum debeatis suscipere. Marcus & Ioannes satis habuerunt spiritum aquæ oppo-
suisse, ignis nomen tacuerunt.

Spiritus sancti unctio.

Vocatur denicq; spiritus sanctus, unctio, quod sicut unctione olim sacerdotes &
reges ad officia sua deputabantur, & ceu idonei declarabantur, ita ad uiuendum &
glorificandum Deum electi, per spiritum Dei instituuntur, & idonei non tam decla
rantur quàm efficiuntur. Vnde est illud Ioan. in epistola sua prima, cap. 2. Et non ne-

cesse

A ceſſe habetis, ut quiſquam doceat uos, ſed ſicut ipſa unctio docet uos de omnibus & uerax eſt, &c. Etenim tota ſalutis ſumma in hoc ſita eſt, ut quæ Dei ſunt, ſolide doceamur, quandoquidem uita æterna eſt, Deum cognouiſſe, & quem miſit Ieſum Chriſtum. Ioan. 17. Cæterum de hac unctione plura ſupra, ubi rationem nominis Chriſti, explicaui.

Porro Seruator cognominauit hũc ſpiritum ſanctum, παράκλητον id eſt, paracletũ, quod non tam conſolatorem, quàm patronum, exhortatorem & impulſorem ſignificat. Nam miſſurum ſe illum pollicebatur, ut apoſtolos omnia docereț, & à ſe dicta ſuggereret, ut teſtaretur de ſe, denicț ut mundum argueret, utruncț ſanè in Apoſtolis. Vt igitur teſtari de Chriſto, & mundum arguere, magnę molis res, & perſecutionis feraciſſima eſt, ita ſanè omnibus quibus hoc muneris delegatur, ut Apoſtolis, perneceſſarium eſt, uirtute ex alto indui (quo nomine dominus ſpiritum uocauit, Lucæ ultimo) hoc eſt, habere paracletum, qui non ſolum, afflictis conſolationem, ſed timidis alioqui, & mortem natura horrentibus, animos addat: ut contempta mundi potentia, & mortis timore poſthabito, regem Chriſtum intrepide omnibus annuntient, atque præ eo omnia liberrime damnent. Denique ne & hoc præteream, uocatur ſpiritus ſanctus, etiam digitus Dei dicitur, hoc eſt, uis & potentia Dei, Lucæ, 11. *Spiritus ſanctus paracletus.*

Tam multis autem nominibus, hæc Dei uirtus appellatur, quòd quæ infra in electis efficit, ſatis nobis exponi nequeunt. Nec enim tot nomina habet, quin plura in nobis operetur & efficiat. Primarium uero eſt, quòd nos diuinarum rerum, quas animalis homo nec moratur, nec poteſt percipere, curioſos reddit, & intelligentes: ut & uerbum Dei ſitiamus, & auditum, ut indubitatũ Dei uerbum excipiamus & ſeruemus, in eo propitium nobis Deum per Chriſtum, atcț beneuolẽtiſſimum patrem agnoſcentes. Proximum, quod nos accendit, ut nihil prius habeamus, quam prædi-
B care gloriam Dei, & gratiam nobis in Chriſto factam, nullius rei, ne uitæ quidem iactura deterriti. Deinde tranſanimat adeo, ut qui antea tantum noſtra in omnibus quærebamus, abnegatis nobis ipſis, quæramus quæ ſint aliorũ: & ſyncera nos dilectione, omnibus ſeruos addicamus, præcipue autem domeſticis fidei. Poſtremo domat, quicquid his in nobis repugnat, ut ſanè tota noſtra natura, quæ caro in ſcripturis uocatur, diuinæ uoluntati aduerſatur. Hæc ſanè in omnibus, qui Chriſti ſunt, ſpiritus ſanctus operatur. De quibus Ioan. 14. 15. & 16. Rom. 5. & 8. 1. Corinth. 2. Gal. 4. & 5. 2. Timoth. 1. ac locis alijs pluribus, multa legimus. Iuxtà aũt, quoniam per ſpiritum ſanctum, electi, noui homines redduntur, conditi ad gloriam domini, uti Ieſa. 43. ipſe dicit: Omnem qui uocatus eſt nomine meo, illum ad gloriam meam creaui, &c. ac paulo poſt: Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit, unde & uaſa gloriæ, id eſt, organa. Rom. 9. à Paulo uocantur: neceſſe eſt, ut ſicut ad uaria deputantur uitæ munera, in quibus propagandæ gloriæ domini ſeruiant, ita & uarijs dotibus inſtruantur, ut id commode poſſint. A nobis enim non ſumus ſufficientes cogitare quicquam, tanquã ex nobis ipſis. 2. Corinth. 3. Eas iam dotes idem ſpiritus unicuicț pro ratione muneris, ad quod conſtitutus eſt, abunde ſuppeditat, ac in omnibus inſtituit atcț dirigit, quibuſcunc̣ dictis uel factis opus fuerit. Ipſe loquitur, & agit in electis omnia, uti in eis iam uiuit per hunc ſuum ſpiritũ, Chriſtus, non ipſi. Id uero eſt, quod Paulus Rom. 8. ſcribit: Quicunc̣ ſpiritu Dei aguntur, iſti filij Dei ſunt. At uero de uarietate harum dotium. 12. Rom. 1. Corinth. 12. & Ephe. 4. legimus. Vnicuicț enim datur manifeſtatio ſpiritus, ad id quod expedit, &c. *Quid ſpiritus ſanctus operetur.*

Poſtremo & hoc notandum, his omnibus nominibus, quibus hũc de quo loquimur, adflatum Dei, & ſpiritum ſanctum ſcriptura prædicat, exprimi quidem aliquatenus, quid ille in nobis efficit, at non quid ſit in ſe ipſo. Deus enim ipſe eſt, ſicut & uerbum. Necț enim uel uerbũ, uel ſpiritus Dei, aliud eſt, quam Deus ipſe, cui nihil

accidit,in quo omnia substantia sunt. Ex his iam puto liquere, quid illud sit, quod C.
Ioannes ait:Ipse uos baptizabit in spiritu sancto,& igni.Perinde enim est,ac si dixisset,signum tantum ueri baptismi est, quod equidem confero, siquidem illud, quatenus apparet sensibus intueamini: at is ad quem uos colligere & adducere laboro Christus,cum omnium potestatem à patre acceperit, & sit super omnes, diuina quadam uirtute uos afflabit, & iuxta Iohelis uaticinium perfundet, nouaq; mente donabit,ut uere peccatis liberi,& iustitia solida præditi,sitis:abūde denicq; instructi,siue sapientia,siue scientia,siue prophetia,siue facultate linguarum, siue quacunq; re alia,quæ ad uestram salutem, & propagandam gloriam Dei, opus esse poterit. In quo sanè diuinitatem & regnum Christi apertissime prædicauit,cum illi cōmunem cum patre innouandi nos, iustificandi atq; planè beatificandi uim, hoc est, donum spiritus sancti adscribit.Quod & de se ipso dominus testatus est,cum Ioannis.15.ait: Cum uenerit paracletus,quem ego mittam uobis à patre,&c.&.14.Paracletus autē spiritus sanctus, quē mittet pater in nomine meo. Vide filius mittit à patre,& pater in nomine filij,nimirum quia filio pater regnum cœlorum tradidit, quem illis filius quoq; morte sua placatum reddidit, unde spiritū filiorum Dei, accepta licet à patre potestate,iure dispensat,qui idem cum patris sit donum,dicitur à patre,sed per Christum,hoc est,in nomine Christi mitti.Eant nunc inconsulti homines,& dicant à Ioanne non prædicatum euangelion. Hactenus de spiritu sancto,& nominibus eius, quantum huic loco satis est. Vtinam uero hoc Christi baptismo,contingat baptizari omnibus qui Christi nomine censentur, & spiritum cordium innouatorem, uere percipere:is enim solus omnia, quæ saluti esse, aut in gloriam Dei cedere possunt, & docet,& suppeditat.

Cuius uentilabrum in manu ipsius.) Hactenus prædicauit Ioannes dominum Iesum esse seruatorem,quia testatus est, eum esse spiritus iustificatoris donatorem, his D
sequentibus modo annūtiat & iudicem. Omne enim iudicium,dedit filio pater,ut omnes honorificent filium,sicut honorificant patrem, Ioan.5. Area uniuersitas hominum est,præcipue autem uulgus Iudæorum.Horreum regnum cœlorum,populus electorum,domino uere credētium. Ventilabrum uerbum euangelij, quod iam in manu habere illum prædicat, qui iam tum incipiebatur palàm enuntiari. Illo ergo primum Iudæos,inde & reliquos populos erat excessurus, & electos,qui per triticum significantur, sanctorum cœtui adiuncturus, paleas uero, hoc est, reprobos, æterno igni adiudicaturus. Quicunq; enim euangelio credunt, dē morte ad uitam iam transierūt,Ioan.5.qui minus iam iudicati sunt,Ioan.3. Quia autem peculiariter hic cum Pharisæis & Saducæis,ac reliquo Iudæorum populo agebat Ioannes,ueri simile est,peculiariter in ipsos quoq; hæc dixisse. Qui quidem populus Christi proprie erat:in propria enim uenerat,Ioan.1. Sed dum usq; pergerēt Deo aduersari,ipse aderat uentilabro uerbi sui,ex ipsis suos selecturus,atq; in horreum sanctorum repositurus:reliquos,ut inutiles paleas,quibus impij, & Psal.1. comparantur, igni inextinguibili,qui tamē uisibiliter per Romanos cœpit flagrare,exusturus.De quo igni uarijs locis in Prophetis prædictum est:inextinguibilem aūt, nominatim Ies.ult.testatur:Ignis,inquit,eorum,non extinguetur.

Hic iam finis est,orationis Ioannis planè euangelicæ,atq; pie artificiosæ.Cū enim nullis nisi qui se peccatores agnoscunt,saluator Christus aduenerit, primum peccati obiurgat,& uel imminentis ultionis metu ad resipiscentiam conatur permouere: mox territis, Christum prædicat saluatorem, nimirum qui illos esset baptizaturus igni & spiritu sancto,hoc est,nouam & diuinam mentem afflando ad salutem renouaturus:postremo ut ad hunc urgeret, magisq; solicitos,ut huic sese consecrarent, redderet,atq; in officio perdurarent,iudicem omnium fore, annuntiat,quicq; ipsum spreuerint,eos æternum perituros testatur. Quem profecto ordinem ubiq; Paulus obseruauit,

A obſeruauit,& Apoſtoli reliqui,imò & Chriſtus ipſe:neq; eſt oratio euangelica,quę non fuerit ad hunc modum inſtituta.

Lucas præterea paucula, quæ Ioannes præcepta uitę dedit,commemorat. Turbis quidem quid faciendum ſibi eſſet rogantibus,reſpondit:Qui duas tunicas haberet, impartiret non habenti, & qui haberet eſcas, ſimiliter faceret: quo ad legem charitatis,omnia ſummantem,remiſit,quod proprium,ſcilicet,erat prædicatoris Euangelici,qui poſt fidem in Chriſtum,nihil niſi nouum dilectionis præceptum commendat. Monuit ergo, ut qui abundaret rebus, quarum uſum uita præſens requirit, proximo quem ſicut ſeipſum diligere debet, impartiret, ita opere & ueritate dilecturus, non lingua tantum & uerbis. 1.Ioan.3. Atque ita ex uno dilectionis officio, hortatus eſt ad omnia. Tota nanque oratione tropis, quo penitius uulgi animis inſideret, uſum uidemus. *Lucas explic.*

Peculiariter autem Publicanis & militibus pręcepta dedit:his,ne quem concuterent, aut contumelia afficerent, contenticq; eſſent ſuis ſtipendijs: illis autem, ne ſupergrederentur id, quod eis eſſet conſtitutum, neutros iubens inſtituto decedere, cum tamen is eſſet, qui in Chriſto uenerat perfectam plebem parare. Ex quo certe colligitur,ſed pijs,non contentioſis,qui cætera innocenter,in utroque uitæ genere, Reipublicæ ſuas operas collocant, nequaquam Chriſto indignos eſſe. Vnde nec ipſe dominus Centurionem illum, cui teſtimonium, tulit eum fide maiore prædituſſe, quam quenquā in Iſraël, munus ſuū deſerere iuſſit: ita nec Petrus Cornelium, aut Sergium Paulus. Omnino enim cum tanta ſit malorum turba, opus eſt, ut legibus,ita & magiſtratu:cuius poteſtatem ſanctam habent, quotquot pij ſunt: eoq; licet ipſis,neq; legibus,neq; magiſtratu opus exiſtat, operam tamen ſuam, quiſq; pro ſua uocatione, ad hoc libenter impendit, ut res tam neceſſaria orbi non intercidat, aut contemnatur: non minus,quàm Chriſtus ſoluit didrachma,infra.17. Vt autem B & militare, & publicanum agere, per ſe Chriſtianiſmo non pugnat, ita perpaucos inuenias, qui pure in hiſce officijs uerſentur, quare utrunq; & apud Iudæos, etiam pios olim, & poſtea apud Chriſtianos infame extitit. Quod tamen nullus eò rapiet cordatus, quaſi prorſus nemo pie in militia, aut publicanorum officio, queat uerſari. Secus nanque habere,cum hic, tum ille Roman.13.locus,tum plærique alij aperte conuincunt. *Publicani & milites poſſunt Chriſtiani eſſe.*

Sunt autem publicani,qui è fiſco redimunt,præcipue uectigalia, autore Vlpiano in Pandectis Iuris Ciuilis, Titulo de publicanis & uectigalibus. Hi apud Romanos olim habiti ſunt homines honeſtiſſimi & ornatiſſimi,ut eos Marcus Tullius prædicat,in Oratione pro lege Manilia:neque ſanè hodie habentur minoris,etiam apud Chriſtianiſſimos,ſi titulum ſpectes: neq; id mirum,quando cœpit uulgo nemo magni habere,niſi qui plurima poſſideat.Ideo autem Iudæis ordo publicanorum tantopere infamis fuit,quòd Romanorum apud eos uectigalia exercerent, eoq; nō tantum cum illis allophylis,plus quàm ſupercilium concederet Phariſæorum, communicarent:ſed etiam tyrannidi,qua contra legem Dei ſe premi putabant, inſeruirent. Ad hæc iſtiuſmodi hominibus,in procliui fuit,ui & rapina peccare, quādo perpaucos ad hoc muneris,niſi immodica habendi cupiditas, perrahat: quare & peculiaribus eorum auaritia ſepta & notata legibus fuit. Scribit enim Vlpianus: Quantæ audaciæ,quantæq; temeritatis ſint publicanorū factiones,nemo eſt qui neſciat. Vnde Zachæus quoq; dicebat domino, tanquam fraudis ſuſpectus:Si quem fraudaui, reddo quadruplum,cum lex nonniſi dupli reſtitutione, ſiquidem intra annum eius poſtulentur,ſimpli ſi poſt annum,publicanos cōdemnet,ut in Pandectis, titulo iam ſuprà citato legitur. Quin & Ioannes,quaſi à familiari illis peccato, præ cæteris dehortatus eſt,monens,ne ſupra quàm conſtitutum eſſet, exigerent. Hac itaq; cauſſa, ut dixi,etiam probatioribus Iudæis,hoc hominum genus non probabatur,ut planè *Qui publicani.*

pijs ſordidi quæſtus eſſe debent, quibuſcunq; diuitiæ quęruntur, imò quicunq; non C
proprio ſudore conſtant, niſi aliò Reſpublica, aut fratrum commodum uocet. At nos
bis mundi contemptoribus Chriſtianis, id enim nomine profitemur, ut quæcq; ars
lucroſiſſima, ita habetur & honeſtiſſima: necq; ſolum dignitatem iam, ſed ſapiẽtiam,
pietatem denicq; & fœlicitatem opibus metimur: quos, ut regina Saba Iudæos, Ci-
cero ethnicus condemnabit, ſi modo ſenſit ut ſcripſit, quod perraro filij Adam ſo-
lent. Nam longe ſanctius de artificijs & quæſtibus, libro Officiorũ tertio præcepit,
quàm ſententia ſit hodie, nõ uulgi tantum Chriſtianorum, ſed eorum quoq;, qui pri
mæ inter nos notæ uolunt haberi.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Tunc accedit Ieſus à Galilæa ad Iordanẽ)Præmiſſis, quæ Ioannes, ut Ieſum Chri
ſtum eſſe demonſtraret, geſſit & prædicauit, iam incipit Euangeliſta dominum Ie-
ſum orbis ſaluatorem, ex ſuis ipſius dictis & factis cõprobare & prædicare: primoq;
omnium loco cõmemorat, ut baptizatus eſt, non aqua tantum, ſed & ſpiritu: & non
tam à Ioanne in regnum cœlorum, nouum Dei populum inauguratus, quàm à pa-
tre, doctor & rex, eius regni & populi, uoce cœlitus lapſa, declaratus. Tunc ergo, in-
quit: Cum præfinitum, ſcilicet, à patre tempus iam appetiſſet, & Ioannis teſtimonio
eſſet annuntiatus, uenit à Galilæa, ubi, ſcilicet, prius quàm ad peculiare munus uo-
caretur, & communi mortalium uocatione, labore ſuo, ut omnino ueriſimile eſt, ſi-
Chriſtus uſq; 30. annum laborauit manibus. bi forte & matri uictum quæritans, perdurauerat. Nam Marci. 6. & faber & fabri fi-
lius, à gentilibus ſuis uocatur. Certe literis uacaſſe eum ueriſimiliter dici nõ poteſt,
cum Ioan. 7. legamus miratos Iudæos, dixiſſe: Quomodo hic ſcit literas, cum non di
cerit: multo minus indulſiſſe illum otio. Quare uero potiſſimũ in contempta Ga-
lilæa natione uiuere uoluerit, quæ uidetur mihi ratio, in finem capitis. 2. adſcripſi.

Porrò antequam regnum Dei euangelizare inciperet, munusq; ſuum auſpicare- D
tur, uoluit baptizari, hoc eſt, ſibi etiam publico eccleſiæ ſuæ miniſterio fauorem pa-
tris addici, ſanctorumq; ſuorũ corpori ſe inſeri, atq; communem Chriſtianorũ teſ-
seram, & ipſe geſtare: perinde ac ſi rex quiſpiam, cuperet ſe ciuium ſuorum publico
teſtimonio probari, ciuitatecq; eorũ donari, atq; cõmuni ciuitatis inſigni inſigniri.
Ita & circunciſus fuerat, eoq; ſigno cum patris fauorem exceperat, tum Iudæorum
populo accẽſus fuerat: iam ergo cum noua ratione fœdus domini addici, & nouus
ſcribi domino exercitus, per Ioannem cœperat, abſq; ſigno baptiſmi, dare nomẽ in-
ter hos & ipſe dominus rex & imperator eorum uoluit, in hoc fratribus aſſimula-
tus, quibus in nullo, niſi ſolo peccato uoluit diſſimilis eſſe. Hebræ. 4. Quòd autẽ in
pœnitentiam Ioannes baptizabat, hoc eſt, eos qui ſe peccatores agnouiſſent, pœni-
tentium ordini inſcribebat, ob id tamen baptiſma tam non horruit, quàm antea non
recuſarat, circunciſione ceu impurus, in ordinẽ recipi eorum, quos oporteret inno-
uari: utcunq; ut pœnitentia, ita etiam innouatione, haudquaquam opus illi eſſet. In
utroq; ſacramento præcipuũ fuit publica fauoris diuini, fœderisq; gratiæ per eccle-
ſiæ miniſterium addictio, atq; in populum Dei inſitio, utrunq; ergo ut ſanctificaret,
omnibusq; membris ſuis cõmendaret, ipſe caput princeps & ſeruator ſuorũ religio-
ſiſſime ſuſcipere uoluit. Nobis qui in peccatis nati ſumus, in ſuſceptione iſta fauoris
fœderisq; diuini, primũ remiſſio peccatorũ eſt, & in ſocietate ſanctorũ pœnitentiæ
meditatio: Domino aũt pro peccatis mundi ſatisfactio & ſpiritus ueræ pœnitentiæ
impertitio. Ad hæc uoluit, humilitatis tẽpore, in ſimilitudine hominũ factus, figura
Ad quid Dominus aduenerit baptizari. quoq;, hoc eſt, uita & cõuerſatione ut homo reperiri: unde mirũ non eſt, qui in aſſi-
mulatione carnis peccati, à patre eſſet miſſus. Rom. 8. ſi pariter pœnitentiũ teſſerã nõ
abhorruerit: ut factus ceu unus ex ægrotis, eò gratior illis, quo ſimilior atq; familia-
rior medicus admitteretur. Præterea, cum baptiſmus ſit ſymbolũ purificationis, ac
ideo abolitionis Adã ueteris, & induitionis noui, ad quã, nõ niſi carnis huius morte

peruenirí

A peruenirí poteſt,& Chriſtus caput,hac uia,qua, ſcilicet, mẽbra eius oportet,ad uitã immortalẽ peruenire uoluiſſet:etiã hinc ſanè cauſſam habuit,ut ſymbolũ huius, nẽpe fidei,qua creditur per mortẽ ad uitã peruenirí,unà cum mẽbris ſuis ſuſciperet.

Reliqui quidem cum ſe homines Dei profitentur,ſimul peccatores ſe agnoſcant, atq; reſipiſcentiam profiteantur, oportet: quòd præter Chriſtũ, omnes ſint peccatis obnoxij,& niſi illis mortificentur,nequeant eſſe ex Dei populo: attamen huic conditioni,ut quis ſit ex filijs Dei, & populo ſancto, non plus adhæret mori peccatis,q̃ humanitati adhæret eſſe obnoxiam peccatis. Vt ergo aſſimulationẽ carnis peccati Chriſtus propter nos non horruit,in ſimilitudine hominũ factus,& figura ut homo repertus,aſſimulationẽ mortis,carnis,peccati,quare horruiſſet baptizatus? Quẽ hominem eſſe,non potuit peccati cõuincere, cum nemo tamen ſit omniũ mortalium, præter ipſum unum,peccati purus,eum nec dare nomen inter homines Dei,peccati potuit infamare,quanq̃ æque præter eum ſolum,nemo omnino ſit,qui hominem ſe Dei,ſine peccatorũ confeſſione,& reſipiſcentiæ profeſſione,poſſit uere teſtari. Expectamus tamen, ut olim & homines, & homines Dei ſimus, ſicut peccatis liberi, ita nullam quoq; reſipiſcentiæ neceſſitatẽ habentes. Hoc uero Chriſti exemplũ, ſe nobis per omnia aſſimulantis,mire condemnat omnes eos,qui ſacrũ eccleſiæ miniſterium atq; ſocietatẽ faſtidiunt. Chriſtus qui ſuper omnes erat, etiã peccatoribus per omnia,præter unum peccatũ,uoluit ſimilis & eſſe & haberi:& ſcilicet,hominẽ peccatorẽ pigeat peccatoribus conſociari: hij uere ex iuſtis illis ſunt, quibus dominus non uenit, quia pœnitentia opus non habent.

Exemplũ contra eos, qui nolunt è uulgo eſſe.

At Ioannes prohibebat illum &c.) Vnde nouerat eum,ut prohiberet? Nam Ioan. 1. legimus,dixiſſe:Ego neſciebam eum,ſed qui miſit me,ut baptizarem in aqua, ille mihi dixit,ſuper quem uideris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eum,hic eſt,qui baptizat in ſpiritu ſancto:& ego uidi, & teſtimonium perhibui, quòd hic eſt B filius Dei.Hæc ſunt uerba eius.Ioan.1.Si iam neſciebat Chriſtum,donec ſuper illum uidit ſpiritum ſanctum deſcendentem, quod ipſi ſignum agnoſcẽdi illius dominus dederat, id quod ipſe de ſe bis teſtatus eſt, & ſpiritus ſanctus in baptizatum illum iam, ut hic noſter teſtatur, & Lucas, qui potuit ante baptiſmum illum agnoſcere, adeo ut diceret ei: Mihi opus eſt, ut à te baptizer? Neque enim firmum eſt, quod dicunt quidam,dominũ à Ioanne,cum ad baptiſmum ueniſſet,non ſummum illum Meſſiam,filium Dei agnitum, ſed aliâs inſignite pium, quod ipſis oculis,totoq; uultu & inceſſu,admirabilis eius probitas ſeſe exereret.Nam quamlibet pius homo uiſus Ioanni fuiſſet,non potuiſſet tamen indignum eo putare, uel per baptiſmum populo nouo Dei accenſeri:uel id à ſe ſuſcipere, qui toti Iſraëli, eoq; omnibus quamlibet eximijs, miſſus erat,iſto modo Chriſtum manifeſtare. Vnde maiorem quàm ut à ſe baptizaretur Ioannes, neminem potuit agnoſcere, niſi cui non eſſet opus Chriſto. Ad hæc cui potuiſſet alij, quàm ipſi Chriſto dicere, mihi opus eſt, ut à te baptizer? Certe nullus alius, in hoc erat miſſus. Nouit ergo, cum hæc diceret, Ieſum, Chriſtum eſſe, Regem & ſaluatorem populi noui: ideo recte dicebat: Mihi opus eſt, ut à te baptizer,ut à te ſanctorum rege, in regnũ tuum recipiar, ut tuo baptiſmo ſpiritus baptizer, & tu uenis ad me,ut perfundaris aqua,& illorum cœtui adſcribaris,qui & ſi populus Dei ſunt,ſimul autẽ peccatores & exiſtunt, & hoc eſſe ſe, meo baptiſmo palàm profitentur.

Concordia Ioan.1.

Sed unde dicemus Ioanni Chriſtum agnitum, cum ſignum datum deſcendentis ſpiritus, nondum uidiſſet? An hoc ſignum datum ſit, non quo dominum primum agnoſceret, ſed quo confirmaretur de eo, antea ex reuelatione patris, alijs ue indicijs cognito? Moſe legimus dixiſſe dominũ,cum eũ primũ populo ſuo educẽdo præficeret. 2.Moſe.3. Hoc tibi ſignũ erit,quod miſerim te:cum eduxeris populũ meum ex Aegypto, ſuper montẽ iſtum, cultum exhibebitis Deo. Moſe aũt longe antea q̃

hoc fieret, certus euasit, se diuinitus missum. Ita Ioannes ab eo, qui signum descen- C
dentis spiritus sancti dederat, monitus fuit, Christum illum esse, qui tum baptismũ
ab ipso petebat, antequam signũ datum, ei appareret. Vtq; Mose illud, ad fidei con
firmationem, non tam sibi, quàm toti populo, cui signum id præstitum prædicabat,
seruiuit: ita & Ioanni utile fuit, hoc de Christo signum, & promitti, & postea reddi:
ut non tam ipsi, quàm omnibus credentibus eo fides in Christum confirmaretur:
qua de caussa Ioannes hoc signum prædicauit, & est ad nos quoque hac sacra
historia transmissum. Qui enim plenus spiritu sancto erat, facile de Iesu præsente,
ab inhabitatore sui admonere potuit, hunc illum esse quem prædicasset, mox af-
futurum se potentiorẽ, quippe spiritus sancti donatorem, hoc est, Christum. Ac ita
quod dixit (& ego nesciebam eum) in tempus referendum est, quod aduentum eius
ad Iordanem antecesserat. Maluit autem Ioannes eam Christi agnitionem, quam
simul & ex Dei indicatione, & signi exhibitione, tanquam pleniorem acceperat:
quàm quæ ex sola illi reuelatione, contigerat, populo testari. Verum quòd ignotus
Quomodo et cur Iesus Ioanni incognitus. Ioanni Iesus uel de facie usq; ad tempus baptismi mansit, factum est, ne ex pacto ui-
deretur illum tanto elogio honestare: alioqui domesticus testis, quippe cognatus:
quandoquidem matrẽ eius Marię parenti Iesu, cognatam fuisse Lucas testatur. Ne-
que item uerisimile est, ut plenus spiritu sancto ab utero matris, non nouerit hunc
ipsum Iesum suum cognatum, ad cuius præsentiam in uentre matris exultauerat,
illum esse, quem tum prædicabat, Christum esse: at iuxta uerisimile est, cum Ioan-
nes in deserto Iudææ, Christus Nazareth in Galilæa usq; egisset, ut de facie alter al-
terum humanitus nõ nouerit, donec apud Iordanem congrederentur, ibi autem si-
mulatq; in conspectu Ioannis Iesus ueniisset, quo spiritu in uentre ipso presente exul
tauerat, illum agnouisse. Quicquid uero huius sit, istuc ex uerbis Ioannis liquet, do
minum Iesum ei de facie fuisse cognitum aliquandiu: deinde uero cognitum Chri
stum esse, ut à quo baptizari se debere agnosceret. Postremo hãc agnitionem signo D
superueniente spiritus fuisse confirmatã. Hæc mens Christiana simpliciter ita ample
ctetur, mirabitur dispensationẽ reuelationis domini: & quibus dominus proditus
est, sibi quoq; seruire ad id sinet, ut in cognitiõe cultuq; domini proficiat. Ad quem
finem ista omnia scripta sunt.

Respondens autem Iesus dixit ad illum, omitte nunc &c.) In præsens, quoniam
tempus humiliationis Iesu erat, noluit numero suorum eximi, ideo ait omitte nunc
id est, sine me iam humiliari: & sicut cætera hominem me gero, ita hac cerimonia,
hominem Dei me profiteri. Non plus est pœnitentibus, quàm hominibus adnume-
Omnem iustitiam. rari. Sic enim decet nos, ut impleamus omnem iustitiam, nihil quamlibet minutũ
aut leuiculum, quod diuinæ uoluntati probari agnouerimus, prætereuntes. Leuis
per se momenti est, abluí aqua, at cum à patre tu in hoc missus es, ut ritu isto fœdus
salutis offeras, regnoq; cœlorum ciues adscribas, & placuit patri, ut excepto pecca-
to, per omnia similem fratribus me exhibeam, non potest mihi non magni esse tuus
baptismus, & decorum uideri, ut eodem quo reliqui, & ipse signo insigniar. Satis pa
tet iustitiam in scripturis, pro impletione legis & ceremoniarum Dei accipi, quare
& baptizari, dum ita dominus instituisset, portio aliqua iustitiæ iure domino habi-
ta fuit. Monemur autem hic, ne nostra sacramenta, & si res externas, contemnamus.
Externa Dei non contemnenda. Postquam enim ceremoniæ sunt institutæ diuinitus, debemus illis libenter & reue-
renter uti: sic & nos omnem iustitiam impleturi. Neq; enim absq; fructu, si non de-
fuerit nobis fides, illis utemur: sed de usu hoc sacramentorum, alijs & suis locis.
Porrò Ioannes simulatq; Christi uoluntatem accepit, contentus agnouisse suam te-
nuitatem, & ipsius dignitatem, dominum suum baptizauit, magis spectans quid di
uina requireret autoritas, quã quo digna esset sua humilitas. Ita & nos ubi mandatũ
accepimus

A accepimus à domino, ubi de uerbo ipsius constat, illi totis est obtemperandum uiri/bus, quamlibet inepti, ad id aut indigni uideamur. Ad quæ enim uocarit dominus, ad ea pares nos & idoneos facile reddet, siquidem ipse operatur omnia in omnibus. Ex nobis nihil sumus et tantundem possumus, quare nemo ad quicquã idoneus ex se erit: ex domino autem ad quamlibet functionẽ is idoneus est, quem ad eam do/minus pertraxerit. Huius Dominus multo clarissimũ in apostolis exemplum pro/posuit, quos cum orbis doctores constituisset, ita spiritu suo instruxit, ut muneri isti celsissimo, per omnia pares fuerint: licet plericq; eorum idiotæ fuissent omnium rudissimi.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Et baptizatus Iesus, ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cœli &c.) Hoc (protinus) uidetur ad apertionem cœlorum referendũ tamesi ad uerbũ ascen/dit positum sit. Mox enim atq; baptizato Iesu, è Iordane, uterq; Ioan. & Dominus a/scendissent, cœli aperti fuere. Ita nanq; Marcus scribit: Et statim ascendens ex aqua, uidit diffindi cœlos, nimirum Ioannes. Quid enim uel Ioannes, uel Iesus adeo festi/nassent, ex aqua sese recipere, ut id euangelista nominatim memorare duxisset ope/ræpretium? Ambiguum autem tum ex hoc nostro euangelista, quàm Marco appa/ret, utri, Ioanni an Christo cœli aperti, & columbæ specie spiritus sanctus uisus sit. Sed ipso Ioanne commemorante, hoc sibi signum datum, & ita se spiritum sanctum uidisse, perspicuum fit, cœlos Ioanni apertos fuisse, & spiritum sanctum super Iesum fuisse conspectum.

Quòd autem simulatque baptizatus Christus fuit, spiritus sanctus uisus est super ipsum descẽdere & manere, patrisq; uox audita: Hic est filius meus dilectus, &c. mo/net, illico ut in fœdus domini receptus, & gregi Dei uere accensus fueris, ac ita in
B mortem domini baptizatus, spiritum sanctum adfore, idq; tui innouatione manife/sto declaraturum: præter id, quòd interne tuo spiritui testimonium reddet, & te dile/ctum Deo filium esse, cui plena fiducia acclames: Abba pater, & hæreditatem eius certo expectes. Roman. 8. Baptismus enim ut Paulus Rom. 6. docet, & supra addu/ctum est, cõmunionem mortis & uitæ Christi adfert, unde spiritus sanctificator ab/esse non potest, nec est de adoptione in filios Dei quicquam nobis dubitãdum. Sed per Christum, qui sicut quòd unctus præ omnibus est, Christus, id est, unctus, abso/lute dicitur, ita pariter quòd unicus est ex hominibus, in quo nihil Deo patri displi/cere potuit, uelut solus filius dilectus, gratus Deo pronuũtiatur. Primogenitus enim est omnium Dei filiorum, per quem solum, habent omnes electi, ut filij Dei, dilecti & grati existant, unde Paulus Ephesijs. 1. Quemadmodum elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles, coram illo in charitate, qui prædestinauit nos, in adoptionem filiorum per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum uoluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ in qua gratificauit nos in dilecto. *Quomodo Christus di/lectus &c.*

Porrò apertio cœlorum (Marcus scribit diffisos fuisse) uisio fuit aperientis se, & coram exhibentis maiestatis diuinæ. Sicut & Iehescel sibi apertos fuisse cœlos com/memorat, cum uidit uisiones Dei. Ita Stephanus: Ecce uideo cœlos apertos, & filiũ hominis stantem à dextris Dei Act. 7. Quod hoc aliud fuit, quàm apertior aliqua di/uinæ maiestatis reuelatio, & manifestior Christi apparitio? Vt enim cœli cunctis creaturis corporalibus modis omnibus præstant, ita cœperunt spiritalia per cœlos peculiariter significari, & ipsi Deo sedes haberi, quæcunq; denicq; præter communẽ naturæ ordinem diuinitus donantur, cœlitus dicuntur demitti. Ita Patrem in cœlis inuocamus, in cœlis nostrã conuersationem, & domum non manufactã habere glo/riamur, hoc est, in supernis & spititalibus rebus, in quibus lux diuinitatis reuelatius relucet, et Deus præsentius uidetur. Vnde & seruatorẽ nostrũ expectamus. Et quãq; *Quid cælo/rum apertio.*

corpori

corpori Christi, item Heliæ in cœlum sublato. 2. Reg. 2. suus locus non desit, uti or- C
thodoxa omnium sanctorum patrum fides, semper confessa est, erit ille tamen planè
diuinus, atque spiritalior, quàm ut sensibus istis nostris queat patere. Cæterum ita
Deus in cœlis habitat, ut nullis omnino rebus possit contineri, ipse autem omnia
contineat & impleat. Ies. 66. Sic cœlum de quo Christus Ioan. 3. ait: Nemo ascen-
dit in cœlũ, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, quid aliud est,
quàm apertior Dei cognitio, & plenior diuinitatis perfruitio? Nec aliud est, tertiũ
illud cœlum, in quo Paulus arcana uerba audiuit.

De cœlorum nomine.

Cœlorum itaq; nomine interdum significatur firmamentum expansum illud, in
quo astra insunt, quæ ornatus cœlorum, uel exercitus subinde in scripturis uocan-
tur, ut. 1. Mose. 1. & passim aliâs. Ex quo tam uasto & magnifico opificio, opificis Dei
maiestatem & potentiam identidem scriptura cõmendat, ut Hiob. 9. Psal. 102. & pas-
sim sanè, tum in Psalmis, tum Prophetis. Non raro autem cœli in scripturis, locum
præsentiæ Dei, clariorem, scilicet, diuinæ lucis reuelationem, metaphoricõs signi-
ficant. Denicq; cœlum aliquoties tantum pro loco nubium accipitur, cum pluere,
tonare, fulgurare, & huiusmodi facere dicitur. Vt. 2. Mose. 20, 3. Mose. 26. & aliâs. In
præsenti ergo, quod apertos Ioanni cœlos, Matthæus & Lucas, Marcus diffissos me-
morant, nihil aliud uolunt significare, quam irradiasse Ioanni è supernis mirabilem
quandam lucem, & uisum ei apertius diuinum splendorem, atq; inde prodijsse ipi-
spiritum sanctum, atq; sonuisse patris uocem. Cum nanq; in nullis rebus quæ quidẽ
nobis uidentur, ut in supernis illis, diuina se potentius maiestas ac uirtus exerit, atq;
uisendam exhibet, fit admodum commode, ut inde etiam illucescere, atq; mitti di-
cantur, quæ supra naturæ ordinem diuina nobis aduenium, uel apparent: atq; eo-
dem quoq; recipi, qui numero mortalium exempti, ad pleniorem diuinitatis parti-
cipationẽ admittũtur: quo ita ab humilioribus, & præsentibus istis rebus, quæ no- D
stræ cognitioni patent, auocati, magis illa superna suspiciamus: illisq; adhuc infini-
to præstantem opificem, tanto amplius admiremur. Nam & de uisibilibus istis cœ-
lis scriptum est: Cœli enarrant gloram Dei, & opus manuum eius annuntiat firma-
mentum. Psal. 19. Et Psal. 8. Vates maiestatem domini admiratus ait: Videbo cœlos
tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & stellas, quæ fundasti. Et si nanq; per cœlos
cœlestes, hoc est, diuiniores homines subinde metaphoricõs significentur, attamen
propterea, quòd tam admirandum & magnificum, ac incognobile nobis, Dei opi-
ficium sunt, diuinæ gloriæ ac magnificentiæ prædicatio, etiam ipsis per Prosopo-
pœiam tribuitur: sicut eodem tropo, postea homines per spiritum Dei cœlestes fa-
cti, quiq; diuinam gloriam prædicant, cœli uocantur.

In specie columbæ.

Columbæ autem specie, spiritus sanctus uisus est, ad designandum maxime co-
lumbinam in Christo, non simplicitatem tantum, de qua ipse præcepit suis infra. 10.
sed summam etiam pro suis solicitudinem & curam. Flagrantissimæ enim erga pul
los suos affectionis est columba, quos omnibus rebus posthabitis, summo studio fo
uet, ita Christus pro suis mortem oppetijt, sicut & in omni uita incomparabile erga
nos studium, ac multo ardentissimum amorem, in omnibus præ se tulit. Forte re-
spectum est, & ad illud. 1. Mose. 8. ubi legimus columbam, relato ramo oliuæ, pa-
cem humano generi redditam, Noah nuntiasse. Ita nanq; Christus ad hoc tum in-
augurabatur, ut gratiam patris orbi annuntiaret. De quo est illud Iesa. 6. Spiritus do
minatoris domini super me, propterea unxit dominus me, ad prædicandum humi-
libus misit me, &c. ad promulgandum annum beneplacitum domino, &c. De sim-
plicitate columbina, infra. 10. dicam. Cæterum quicunq; in dominum Iesum uere
baptizantur, & ipsum uere induunt, ij per ipsum, spiritu sancto æque donantur, &
per hunc, charitate & simplicitate columbina indubie adornantur. Vbique enim
spiritus sanctus sui similis est, & in omnibus qui uere Christi sunt, colũbæ speciem,

dictis

A dictis dotibus, manifesto præ se fert & exerit, etiam si figuram huius alitis oculis nō exhibeat. Vti enim supra monuimus, quæ uisibiliter in Christo ac sanctis alijs gesta scriptura commemorat, in hoc commemorat, ut non dubitemus, si Deo credimus, eadem & in nobis, si non sensibiliter, uere tamen gerenda.

Lucas scribit domino baptizato, & orante, apertum fuisse cœlum, quo monemur diuina dona, non nisi sitientibus ea donari, eoq; semper orationi, qua à domino bonum spiritum oremus, insistendum. *Luc. explicatio.*

CAPVT QVARTVM.



VNC Iesus subductus fuit in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et postquā ieiunasset dies quadraginta, ac noctes quadraginta, tum esurijt. Et cum accessisset ad eum ille qui tentat, dixit: Si filius es Dei, iube ut lapides hi, panes fiant. At ille respondēs dixit, scriptum est: Non solo pane uicturus est homo, sed omni uerbo, quod egreditur per os Dei. Tunc assumit illum diabolus in sanctam ciuitatē, & statuit eum super pinnaculum templi, dicitq; illi: Si filius es Dei, præcipita te deorsum, nam scriptum est: Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Dixit illi Iesus: rursum scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum. Rursum assumit illum diabolus in montem excelsum ualde, & commonstrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum, & dicit illi: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Tunc dicit illi Iesus: Abi satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Tunc omittit illum diabolus. Et ecce Angeli accedebant, ac ministrabant ei. *Sect. 1.* *Psa. 90.*

Cum audisset autem Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæā, & relicta Nazareth, profectus, habitauit in Capernaum, quæ est ciuitas maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, ut impleretur quod dictum fuerat per Esaiam Prophetam, dicentem: Terra Zabulon & Neptalim iuxta uiam maris ultra Iordanem, Galilæa gentium. Populus qui sedebat in tenebris, & umbra mortis, uidit lucem magnam, & qui sedebant in regione & umbra mortis, lux orta est eis. *Sect. 2.* *Esa. 8.*

Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare & dicere: Resipiscite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem, qui uocabatur Petrus, & Andræam fratrē eius, iacientes rete in mare (nam erant piscatores.) Et dicit illis: Sequamini me, & faciā uos piscatorem hominum. At illi relictis illico retibus, secuti sunt illū. Et progressus illinc, uidit alios duos fratres, Iacobū filium Zebedæi, & Ioannē fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua, & uocauit eos. At illi protinus relicta naui & patre suo, secuti sunt eum. Et circumibat totā Galilæā Iesus, docens in synagogis illorum, ac prædicans Euangelium regni, & curans omnem morbum, & omnem languorē in populo. Et dimanauit fama illius in *Sect. 3.*

totam

totam Syriam. Et adduxerunt ad illum omnes male affectos uarijs morbis ac torminibus contractos, & dæmoniacos & lunaticos, & paralyticos, sanauitq; illos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ à Galilæa, ac Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem sitis. C

TVNC Iesus subductus fuit in desertum à spiritu.) Hoc quarto capite describit Euangelista, & dominus noster, munus prædicandi, tentatus antea, auspicatus est. Secessu & tentatione, mox à baptismo, prædicationi euangelicæ uelut præludere uoluit: ut ostenderet, renatos ex spiritu, ad uacandũ à tumultu uitæ carnalis, illico rapi, & mox uarijs tentationibus probari, ut de bonitate Dei, ex probatione tẽtationis facti certiores, efficacius illam alijs postea prędicent. Hunc enim in electis suis ordinem dominus obseruat, primum adigit ad baptismum, hoc est, ut à se remissionem peccatorum petãt, abnegent se ipsos, resipiscentiam professi, mox donat eis adesse spiritũ sanctum, qui illos turbis hominum statim eximit, hoc est, præter rationis existimationem, & uulgi iudicium ducit: continuo aduersis exercet, ut patientia probationem, hæc spem pariat & adaugeat, req; ipsa experiãtur, quàm bonus & suauis sit dominus: tum demum probatos, & expertos Dei bonitatẽ emittit, ut alijs quoq; eam annuntient. Iuxta illud, Psal. 107. Celebrabunt dominum, pro bonitate sua, & mirabilibus, quæ facit filijs hominum. Sed ad uerba Euangelistæ.

Quomodo Deus suos ducat.

Tunc, id est, statim à baptismo, ita Marcus habet. Vide ergo, ubi in filiũ Deo fueris, adoptatus, proximum esse, ut mũdo ualedicas, & tentationibus exponaris. Semper igitur uigilandum & orandum, ne tentationi consentias. Subductus fuit à spiritu, quo commonefacit, postquam in gregem domini, baptismo recepti sumus, nihil nostro arbitrio tentandum, sed filios iam Dei spiritu agi nos oportere. Roman. 8. Quin cum ἐκβάλλει Marcus, id est, ejicit, & Lucas ἄγεται, id est, agebatur, ponunt, indicant uere Dei filios, nequaquã sui iam iuris esse, sed totos quanti sunt, spiritus imperio cessisse: contra eos, qui nescio quam umbellam uirtutis per se agendi, nostræ uoluntati reliquam tribuunt. D

Desertũ, in quo Christus egit, solitudo fuit nullis habitata hominibus, unde Marcus: Agebatq; cum bestijs, & Angeli ministrabant illi. Vbi nota, adeo abesse ut filij Dei possint alicuius necessarię rei inopia laborare, ut citius Angeli ipsis ministrauerint, ubi hominum ministerio fuerint destituti. Nota autem simul illos, hominum neq; conuictum, neque ministeria declinare, nisi spiritus patris egerit in desertum. Alias præsentibus, pro ductu spiritus cum gratiarum actione utuntur. Non enim nisi hac uice, Christum incoluisse desertum: & incoluisse non suo, sed spiritus ductu & arbitrio, legimus.

Vt tentaretur à Diabolo.) Vide fructum eius, quòd in desertum fuit actus: tentari eum oportebat. Hinc uero discendum quàm utile sit, prædicaturis regnum Dei, tentatos, fidei ante cœpisse experientiam: tum sic agi spiritu Christi, ut nihil accidat eis, quod non cadat ex sententia & in gloriam Dei, si huic se modo spiritui permittant. Quem uero Euangelista hic diabolum, mox satanam uocat, uti Græcis ὁ διάβολος, id est, quod Heb. שָׂטָן, id est, satan: significat autem utrunq;, aduersarium & calumniatorem. Ita dicebat Dauid. 2. Samuelis. 19. Quid mihi & uobis filij Zeruiah, nam estis mihi hodie pro satan, id est, pro suasore noxio, quiq; malum mihi quærat. Suadebant enim occidere Semei, atq; ita funestum reddere diem reditus sui. Ita reuocanti à cruce Petro, Christus dicebat: Vade retro satana. Infra. 16. aduersabatur enim illi, & à mandato reuocare patris querebat. At quia ueterator ille spiritus, nusquam non aduersatur nobis, ac pessima ubiq; suadet, tum ad ultionem postulat, peculiariter & per Antomasiam satan uocatur. Vnde. 1. Paralip. 21. Consurrexit autem

De nomine satan & diaboli.

satan

A satan contra Israël, & incitauit Dauid, ut numeraret Israël. Sed Hiob. 1. & 2. studia eius plenius describuntur: totus in eo est, ut nobis aduersetur & noceat. Vnde Petrus ipsum, ultimo Epistolæ suæ prioris rugienti leoni, obambulanti & quærenti quem deuoret, similem facit, Diabolum græco nomine uocans, Græcorum uulgatam editionem secutus, quæ & loco iam citato ex Paralip. ubi satan legimus, ὁ διάβολος habet. Necesse autem fuit, ab ipso satana tentari Christum, cum nulli eius ex hominibus ministri adessent, agebat quippe cum bestijs. At postea etiam per suos satellites, prauos homines oppugnare illum, donec in crucem ageret, nunquam cessauit. Quis iam indigne ferat, se ab impijs exerceri, quando Christus ipse à satana tentari & oppugnari sustinuit?

Et cum ieiunasset quadraginta dies.) Mose legem à Domino accepturus, quadraginta dies ieunauit: totidem & Helias, antequã à Domino amandaretur, uncturus regem Syris, Israëlitis Regem & Prophetam, quorum ministerio tota ferè in regnis istis rerũ facies fuit mutata. 1. Reg. 19. Christus ergo, quẽ illi adumbrarunt, priusquã legem uitæ, Euangelion orbi inuulgaret, atq; omnia innouaret, totidem dies, à consortio hominum secedere, & humano abstinere cibo uoluit: quò significaret, se istis haudquaquam minorẽ, aut ad minora destinatum. Cæterum de mysterio quadragenarij numeri, qui multis Domini operib. celebris factus est, ijs differere relinquo quibus id datũ est, me hac in re haud posse certi aliquid adferre, ingenue fateor. Ter quadraginta annos dedit Dominus spatiũ resipiscendi mundo, priusquã tempore Noah, diluuio humanum genus disperderet. Quadraginta postea dies inundauit diluuiũ. Decies quadraginta annis peregrinatus fuit, & seruiuit populus Israël in Aegypto. Semel quadraginta annis circunducti fuere in deserto. Mose secũdo quadraginta dies apud Dominũ pro lege recipienda absque cibo mansit, 2. Mose. 23. & 34

B Elias quadraginta dies ambulauit, usq; ad montem Dei Horeb. Quadraginta dies dormiuit in uiso Iehezcel, assumpta iniquitate Iuda, super latus dextrum, Iehez. 4. Post totidem dies euertendam Niniuen, prædicabat Iona. Quadraginta diebus approbauit Christus discipulis sũis resurrectionẽ suam. Quadragesimo anno post passionem Domini, apprehendit Iudæos, ultio per Romanos, autore Egesippo. Ex his subapparet, numerum quadragenarium præparationi, atque peccatorum expurgationi sacrum fere habitum. Voluit ergo & Dominus, eum in secessu isto suo complere, qui ad hoc præparabatur, ut regno cœlorum præpararet genus mortalium: ut salutem æternã orbi enuntiaret & adferret, hoc est, uere peccatorũ pœnitentes peccatis purgaret, exercitosq; & præparatos aduersis deserti mundi, in terrã sanctis promissam, induceret. Cui datum fuerit, adferat hic certiora, equidem malo parcius de his differere, quàm afferre Ecclesiæ Christi, quod humanæ rationis argutiã, magis quàm scripturarum soliditatem referat. Quæ adduxi expendisse, forte suo fructu nõ carebit, & quidem ad ædificationem fidei.

Et cum ieiunasset dies quardaginta, ac noctes quadraginta, postea esurijt.) Vide miraculum, quo diuinæ erga nos cũ prouidentiæ tum indulgentiæ, egregie admonemur. Quadraginta dies, & totidem noctes, absque humano cibo, uti bis Mose, & semel Eliæ contigerat, Christus uerus homo mansit, & ita tamẽ uirtute Domini, qui in eum secessum per spiritum ipsum subduxerat, sustentatus fuit, ut famem ne senserit quidem. Nam scribit Euangelista, postea esurijt, nempe exactis quadraginta diebus, ac totidem noctibus, cum, scilicet, redeundum illi esset ad homines. Lucas adhuc apertius hoc notauit: Et consummatis, inquit, illis, postea esurijt, καὶ συντελεσθέντων αὐτῶν, ὕστερον ἐπείνασεν. Proinde quadragenarium ieiunium haud proprie ad imitationẽ Christi introductũ est, inconsulto tam seuere postea præceptũ toti ecclesiæ cum tanta obstrictione conscientiarũ, maxime cũ pridem nemo minus ieiuniorũ rationem habeat, quàm ij ipsi, qui ea alijs præcipiũt sub peccato mortali. In quibus

Christum imitari debemus, aperte satis ipse docuit nimirum ut abnegata nostra uoluntate, uoluntati patris, benemerẽdo de omnibus, præcipue uero domesticis fidei, nos totos consecremus. Ecquis imitaretur Christũ in isto ieiunio? Quod enim quadraginta dies, tantum semel cotidie cibum sumis, & eum piscarium, quid hoc simile habet ad factum Christi, qui quadraginta dies & totidem noctes, non modo nullum omnino cibũ gustauit, sed ne esurijt quidem? Leuicula sanè huius exempli imitatio, per dies quadraginta nõ cœnare, & uesci pisciũ, nõ quadrupedum carnibus. Secedendũ erat in desertum ad bestias, & omnino nullo cibo tanto tempore utendum, sed neq; esuriem pati, & ante omnia à spiritu Dei huc rapi oportebat: sic demũ exemplum Christi exprimeremus. Ieiunandum quidem nobis est, sed nostro more, non ad exemplum hoc, de quo infra cap. 6. dicam. Hic Christi secessus altius aliquid fuit, quàm ut sit exemplum imitabile nobis, quantum quidem ad factum hoc pertinet, quadraginta dies, & totidem noctes nullum sumpsit cibum.

Docemur ergo hic, non ieiunandum, sed magis ut ductũ spiritus in omnibus, & ad quęuis sequamur, si etiam ab omni nos hominũ consortio seduceret: ut planè facit, cum Euangelij causa, in id odij hominũ nos adducit, ut homines magis bestias se, quàm homines nobis exhibeant, igni, scilicet, & aqua interdicentes. Tum præsentis Christi exempli in hoc memores esse debemus, ut fidem nobis firmemus, patrem nostrum cœlestem, sicut hic Christum suum, etiam sine cibo, & hominum ministerio inter bestias seruauit, iuxtà præstitit ut ne esuriret quidem, ita nos quoque haud quaquam deserturum, & nobis etiam angelos pro hominibus ministraturos. Sed cauendũ ne huc nos ipsi cõijciamus: spiritu eijci in desertum oportet, id est, Domini causa, nõ uel nostra in homines culpa, uel præposteræ studio religionis fieri, ut cibo, aliue uitæ necessarijs destituamur, uel ut ea ipsi ultro reijciamus. Christus dum apud homines uixit, humanis rebus, cibis, & alijs, cum frugalitate, & gratiarũ actione usus est, ubi ab hominum conuictu, spiritu subductus fuit, commisit se confidenter prouidentiæ patris, quam etiam expertus est, ut famen ne senserit quidẽ. Ita dum ministerio creaturarum suarum Deus nos curat, nihil debemus earum reijcere, 1. Timot. 4. sed cum modo, & gratiarum actione illis uti: ubi autem eo ipse adduxerit nos, ut ministerium desit creaturarum, debemus certo credere, eum non minus etiã tum sine creaturis, quàm ante per illas nobis prospecturum: quando æque sine illis, atque per illas omnia potest. Id quod aliâs, tum in Christo suo Domino nostro, præsenti facto luculentissime declarauit.

Sic æmulari itaque Christi præsens exemplum, salutiferum erit, cum quadragenario illo ieiunio, tam abfit ut illud referas, ut etiam superstitione in Dominũ pecces. Superstitio nanq; est, religiosum existimare, & Deo gratum, quod Christus nõ docuit, quódq; inuentũ humanum est, uti certe est institutio Quadragesimæ, sicut ea à uulgo obseruatur. Attentius enim precibus incumbere, & delitijs abstinere, ut semper Christianos decet, ita id Quadragesima minime dedecebit, modo ea obseruatio in hoc suscipiatur, ut Deo per illã gratificeris, & rebus fratrũ deinde melius accommodes, nõ ut ab eo, sic Christũ imitatus, nescio quid tibi merearis, aut certe temperantiam, cui perpetuo studere conuenit, ideo his quadraginta diebus colas, ut per reliquum annũ, eo licentius genio indulgeas. Quis enim Apostolus hanc ceremoniã tradidit? Ad ieiunandũ quidem & uigilandum hortati sunt, sed nullũ certum tempus præscripserunt, quòd semper quidem, non quadraginta tantum dies, caro domanda sit: tũ ubi plus solito inedia maceranda est, nemo possit nisi spiritus Domini, qui filios Dei, & in reliquis omnibus agit, salubriter prescribere, nã haudquaquam idem cuilibet modus, eadémue ratio potest competere. Leges ieiuniorum Montanus hæreticus primus imposuit, & ex eo cõuincitur, ab Apollonio quodã, scriptore Ecclesiastico, malo spiritu esse actũ, autor est Eusebius in historia Ecclesiastica, lib. 5. cap.

Leges ieiuniorum à Montano hæretico.

A cap.18. Vetus quidem obſeruatio Quadrageſimæ eſt, ſed nõ in hoc inſtituta, uti præ
ſens domini facinus imitemur, quod, ut dixi, noſtras uires longe excedit. Primum
religioſiores ut haberentur, Chriſtiani quadragenarij ieiunij religionem obſerua-
runt: ea poſtea ad ſolennem Eccleſiæ imitationem apud multos, ut fit, dum nemo
ſuſtinet, palàm irreligioſus haberi, fuit pertracta: líberam tamen, quod aperte uídere
eſt, ex ijs quę ſcripta ab Irenæo ad Victorem Pontificem Romanũ, Euſebius in Ec-
cleſiaſtica hiſtoría, líbro. 5. cap. 24. recenſet. Verba Irenæi ſunt: Non ſolum de die Pa
ſchę agitur controuerſia, ſed & de ipſa ſpecie ieiuniorum. Quidam enim putãt uno
tantum die obſeruari debere ieiunium, alij duobus, alij uero pluríbus: nõnulli qua-
dragínta horis, ita tamẽ ut horas díurnas nocturnásq; computent. Quæ uarietas ob
ſeruantiæ, inquit Irenęus, non nunc primum, neque noſtris temporibus cœpit, ſed
multo ante nos ex illis, ut opinor, qui non ſimpliciter, quod ab initio traditum eſt,
tenentes, in alium morem, uel per negligentiam, uel per imperitiam poſtmodum de
cídere. Et tamen nihilominnus omnes iſti etiam, cum in obſeruantía uarient inter
ſemetipſos, & pacifici ſemper fuerunt nobiſcum & ſunt, nec diſſonantia ieiunij con
ſonantíam fidei rupit. Hæc ille. Quæ líbertas, & ex Chryſoſtomo notatur, in oratio-
ne quadam de ieiunio: Nam ſi, inquit, ieiunare non etiam potes, potes tamen abſti-
nerę delitijs, hoc autem non minimum eſt, nec à ieiunio multum díſtans, ſed ipſum
quoq; díaboli furorem proſternere idoneum. Hinc uides, eo tempore nondum ita
ieiunij obſeruantiam fuiſſe præceptam, ſed ſolennẽ duntaxat, ultrò uolentium fuiſſe
obſeruantíam, ex qualícunque Chriſti ímitatione, ut plæraq; alía, natam, poſtea ho
minum conſulta haud ſcioadmiratione, confirmatam.

In multís enim uídemus, etiam ueteres illos, receptis ſemel ceremonijs, plus ſatis
fuiſſe addíctos, & in recipiendís, ad imitationẽ cuiuſlíbet plus nímio faciles, in quo
B poſteriores tamen multo plus peccarunt, qui quencunque morem, quaſcunq; pre-
culas uíderunt in uſu eſſe ijs quos ſanctimoniæ aliqua ſpecies commendabat, illico
in publicam Eceleſiarum obſeruantíam pertraxerunt. Sic natę, & eo uſq; auctę ſunt,
horæ illæ, quas Canonicas uocant, nec alíunde Canon ille, ac reliqua miſſæ, ita ex-
creuerunt. Feſta denicq;, ac ritus eccleſiaſticos hoc pacto natos & multiplicatos eſſe,
qui hiſtorías legít, non poteſt ignorare. Exemplum eſt uel clariſſimum, religio die-
rum, quas Rogationum uocant. in illis legunt in templo Viennæ Allobrogum ob
horrendam, quæ illos afligebat cœli tempeſtatem, Mamertum illíc Epiſcopum, pu-
blicas preces inſtituiſſe, & ad eas uiciniores Eccleſias hortatũ. Eæ ita fuere receptæ,
ac poſtea per Romanum Pontificem aljs quoq; índictæ, ut paulo poſt publica eua
ſerit hæc obſeruantía, omnium totius Occídentis Eccſeſiarum, cum líbertate quidẽ
ab ínitio, mox autem etiam cum neceſſitate, accedente præcepto Pontificis & Epi-
ſcoporum. Sic índubie, & Quadrageſimæ religio irrepſit.

Primum religioſiores aliqui neſcio an ſecundum ſcientíam, quadraginta díes ie-
iunando, hoc eſt, non niſi uelpera cibum ſumendo (ita enim ueteres ieiunarunt (uo
luerunt exemplum Chriſti referre. Ea mox obſeruantia publicitus recepta fuit, quia
humanum erat ínuentum, cui tacito quodam naturæ ſenſu, plus quàm Dei uerbo
afficímur: tum etiã uel aliqua ſimilitudine facti Chriſti, cõmendabatur id enim ma
gnum momentũ habet apud mentes religioſas, adeo propenſi omnes ad id ſumus,
ut Chriſto ſimiles habeamur, magís tamẽ in ijs, quæ ipſe nõ præcepit quàm quę præ
cepit. Hanc obſeruationem aliæ ſtatim Eccleſiæ mutuatæ ſunt ab ijs, donec in omni
bus, quotquot uolebant haberi bene inſtitutæ, obtineret. Cohortationíbus tamen
Epiſcoporum, non præceptis tam ínuecta, quàm conſeruata aliquot ſeculis fuit, ni-
mirum uſq; ad Gregorium ſeptímum, qui non hac in re ſolum, uerum in multis aljs
quoque Eccleſiæ Dei conſuluit non optime. Is ínter cætera audaciæ ſuæ facinora,
& Quadrageſimam ieiunandam præcepit, peccatumque mortale, ut loquuntur, fe-

cit, si quis nõ urgentissima caussa, uel unius diei ieiunium soluisset, quo pacto nihil aliud quàm miseros mortales, nouis peccatis onerauit: paucissimis nimirum, ita ut præscriptum erat, ieiunantibus, & omnibus credentibus, tamen esse necessario sic ieiunandum. Adde quòd rarissimus fuerit, qui ex animo ieiunarit, iam fictionem odit Deus: postremo, ut arbitrati hi fuere, si quis ieiunium soluisset, eum grauissime peccare, ita dubitare non potuerunt, se Deum si tantum ieiunassent, plurimum demereri, cum illum nulla re, nisi fide & innocentia demereri possimus

Proinde quibus gloria Christi chara fuerit, ij dabunt operam, ut quod inconsulte, ne quid durius dicam, humeris fidelibus impositum est, consultius modo, rursus deponatur, & doceantur homines abnegatione sui, ac perpetua carnis castigatione, tũ exposita omnibus dilectione Christum nobis imitandum esse non hoc quadragenario, non tam ieiunio quàm secessu: neque enim nisi completis quadraginta diebus esurijt. Caro quidem nostra ut alijs castigationibus, ita & ieiunijs usq; atterenda est, eaq; statis quoque temporibus pro petulantia ueteris Adam intendenda, uerum his modum & tempus, nõ nisi suus cuique spiritus recte prescribet, frustra erit, quicquid alienus statuerit, siue quadraginta siue pauciores ieiunio dies præscribat. Tempus pro feruore spiritus, admetiedum est, spiritus admetiri tempori non potest. At uero sicubi pauciores Christianam libertatem norint, cæterum uerbũ Christi à se nequaquam reijcientes, eóque obseruatio Quadragesimæ adhuc persancta illis habeatur, Christiani pectoris erit ut ueritatem spiritus docere cupidissime, ita nihil omittere, quo possit illi docendæ ostium aperiri. Atque ita cum ieiunantibus ieiunabit, etiam ubi sua id caro non poposcerit, ut possit ueram illis ieiunandi rationem commendare. Siquidem debemus omnia fieri omnibus, ut aliquos saltem lucremur. At rursus cũ Domini hac in re uoluntatẽ, pro uiribus tua docueris, quotquot ipse capaces eius reddiderit, eos tum exemplis quoque libertatis Christi, oportebit confirmare, quicquid audias ab impijs. Omnia tamen summo cum timore Domini, & ita in salutem fratrum instituenda sunt, ut ubique sese dilectio exerat, & studium Christi gloriæ propagandæ: nusquam autẽ arrogantiæ aut temeritatis morbus. Sed de his plura alibi. Hæc de religione Quadragesimæ hic dicta satis sint: quibus certe hoc patet, eã nõ tantum nullo uerbo Dei inuectam, uel ad imitationem proposito exemplo introductam. Nam neq; Christi hic, neque Moseos, aut Eliæ, quadragenarius secessus nobis, ut eum æmularemur, sicut ne possumus quidem propositus est.

Hæc uero nemo eo rapiat, quasi non probem, uel quadraginta dies, dum plus obtineri nequit, uiuere uulgus christianorum afflictius ac religiosius, utinam uero tantum illi præstarent. Sed quis nõ uidet neminem ex animo his quadraginta diebus, abstinentiæ & religioni studere, nisi sic sit Dei spiritu præditus, ut idem curet quouis tempore. Reliqui tantũ terrestres delitias mutant aquatilibus, & hypocrisi plus quã alio tempore, Deum offendũt. Nec pauci boni sunt, qui cum ieiunare aut nequeunt aut negligunt, & credunt tamen eo se neglectu gehennæ obnoxios facere, graui & periculosa desperatione exagitentur: arbitrati enim se iam gratia Dei excidisse, licentius in quoduis scelus ruunt. Nec desunt, qui cum huiusmodi obseruationi sibi uidentur aliquatenus satisfecisse, mirum in modum turgeant, ac præ se alios contẽnant, tanto ad quæuis alia mala proniores, quo fuerint in hac obseruatione sæuerio ues. Natura siquidem comparatum est, ut hominibus præcepta humana, diuinis semper pluris habeantur. Id Diuus Augustinus & suo tempore questus est, scribit enim lib. 2. ad inquisitiones Ianuarij cap. 19. Hoc nimis doleo, quia multa, quæ in diuinis libris saluberrima præcepta minus curantur, & tam multis præsumptionibus, sic plena sunt omnia, ut grauius corripiatur, qui per octauas suas terrã nudo pede tetigerit quã qui mentẽ uinolentia sepelierit, Scripsit hic sanctus uir eodẽ lib. capite. 18. de his regulam, quam saluberrimam uocat, ea utinam, sicut re uera saluberrima est, ita etiã ob-

A obseruaretur. Illa sic habet, ut que non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, ubicunque institui uidemus, uel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non impedit, ut amplius detractum sit. Quòd si admodum uetus est obseruantia Quadragesimæ, & Diuus Augustinus quoq; recte sentit in hoc eodem libro, nõ esse tollendã, impudendissima transgressione abolentur ipsæ Dei leges, ne dum regulæ patrũ, cũ præceptis humanis nihil aliud quàm conscientiæ obstringuntur, ijs præsertim quæ uetus ecclesia prorsus ignorauit. Et quidẽ Quadragesima uetus obseruatio ecclesiæ, non uenit tamen ex uilo uel uerbo Dei, uel exẽplo imitabili. D. Augustinus de ea scribit ad Ianuarium. Hæc de scripturis firmissime tenentur, id est, Pascha Pentecoste. Nam ut quadraginta illi dies ante pascha obseruentur, ecclesiæ consensio roborauit. Hæc ille. Sed hic consensus, quo quadragesima instituta est, quo euanuit? Omnino conscientijs hic succurrendum erat, cumq; hodie satis supèrque constet, propter multorum infirmitatem, ieiunij in ea tam seuerum præceptum, multo plus dare detrimenti quàm possit utilitatis, omnino uigilantem pastorẽ decebit, illud remittere, & omnia sic instituere, ut Patrem in spiritu & ueritate, hoc est, ex animo, & syncere colamus, non uel coacti colere eum simulemus, uel cum grauiori conscientiæ uulnere, Ecclesiæ quæ credimus præcepta, transgrediamur,

Videtur octauas à baptismo notare.

Et cum accessisset ad eum ille qui tentat.) ὁ πειράζων id est, tentans satan appellatur: eo quòd per ipsum, tam cum praua suadet, ut hic Christo quàm cum aduersis affligit, ut Iob adflixit, exploramur & manifestum fit, an Deo cerdimus, uel minus. Est enim omino tentare, experimentum de aliquo sumere. Cum autem unice nobis cõducat, nos nobis probe esse cognitos, uidemus etiam satanam, nostrã, licet nihil minus uelit, salutem promouere. De tentationibus autem Christi, ut me nõ fugit, quid

B sentiant alij, ita quæ ipse accepisse à Domino nõ dubito, ingenue hic proponam, Ecclesia Christi iudicet. Vt fiducia in Deum, ceraq; uerbi eius persuasio, nostra uita & salus est, ita hanc in primis satan petit: præcipue autem in ijs, qui, alijs uitijs non facile affines reddi possunt. Ita primis parentibus potissimum laborabat extorquere fidem & obedientiam uerbi illius Domini, quo fructum ligni scientiæ boni & mali ut noxiũ uetuerat. Vnde dicebat: Nequaquam morte moriemini, sed eritis similes Deo. Voracitatis siquidem peccatum & in alijs fructibus admittere poterant. Hoc peccato deiecit, & Mosen atq; Aharon, quos effecit de Domini uerbo subdubitare, apud aquas contradictionis. 4. Mose. 20. In Iob deniq;, quid aliud, quàm fiduciam in Dominum oppugnabat; Vnde Petrus ubi monet, in morem rugientis illum leonis obambulare, & quærere quem deuoret, ait: Cui resistite solidi in fide. Itaq; & Iesum quẽ satis uidebat hominem esse eximiũ, qui ad crassiora illa peccata ut sunt, uoracitas, intempestiua ambitio, aut alia huiusmodi non facile posset pellici, aggressus telo est, quo quosq; præstantissimos semper tentauit, conatus nimirũ, eum à fide promissionis multo præclarissimæ, & prorsus incomparabilis elogij illius, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitũ est, deijcere, fretus eo, quod exterior uita Domini, rerumq; successus, perparum uidebatur illi elogio respondere: sciebat enim, si hac fide deiecisset, se illum minimo negotio ad quæuis mala, ut iam sui iuris pertracturum. De uoracitate nanq; tentatum Dominum nequeo agnoscere. Vbi enim esuriebat, quid peccati si comedisset? Siq; alias in gloriam Patris fuisset, quis luxus, si panibus ex lapidibus factis, esuriem illam sedasset? Agebat ergo potissimũ satanas, non ut uoracem redderet, sed ut fidem uerbi illius: Hic est filius meus &c. subuerteret. Vsus tamen occasione esuriei, sicut erga primos parentes, usus fuit illicibilitate arboris scientiæ boni & mali, quasi dixisset: Tu Iesu uideris tibi aliquid eximij esse, filius Dei dilectus, in quo illi sit peculiariter complacitum, forsan existi-

Satan fidem potissimum petit

Christus fide tentatus est

mes te ferre illum magnum Christum dominum, orbis instauratorē. Imposuit etiam tibi quòd quadraginta iam dies uixisti absq; cibo, eoq; grandia nunc meditaris, ut, scilicet, ad exemplum Ioannis prædices, & toti orbi obijcias reformatorem. Maiora te ista erunt: si me audies, nihil tale tentabis, neque Dei uocem, illam, quam audisti credes. Ludibrium fuit, quo miser in præceps dejcereris, sic & ista fames tanto tempore cessatio. Alioqui si Dei te filium putas, & uis stultus illi uoci habere fidem, fac ex his lapidibus tibi panes, quo miser latrantem uentrem compescas. Id tanto Dei filio, quantus tu tibi uideris, non potest non facillimum esse. Quanquã eo ipso, quòd adeo esuris, quod nequaquam tam eximium filium Dei decet, satis possis admoneri si saperes, te planè uoce illa lusum esse.

At ille respondens dixit: Scriptum est, non in pane solo.) Locus hic habetur. 5. Mose. 8. Vbi ita legimus: Et afflixit te esurire q; fecit, & pauit per Man, quod nec tu, nec Patres tui nouerant, idq; hac causa, ut ostenderet tibi quòd non per solum panem uiuat homo, sed per omne, quod de ore Domini egreditur, homo uiuet. Quod Hebræa habent, כל מוצא פי יהוה, id est omne egrediens ore Domini hoc Euangelista secutus uulgatam Græcorum editionem, explicatius posuit, omni uerbo, quod egreditur per os Domini. Est autem & egrediens, & uerbum uirtus & potentia Dei qua sustentamur eque sine solito cibo, atque per cibum, siue in locum cibi substituat aliud quippiam, ut ueteribus man ministrauit, siue nihil, ut Mosen, Eliam ac Christum, sine omni cibo, tot dies seruauit. Responsio ergo Christi, tanquam fortiter uerbo Patris nitentis est: Etsi esuriam, est Deus qui de me dixit: Hic est filius meus dilectus &c. qui potentia sua, ut hactenus tanto tempore fecit, seruare me potest, etiam absque omni cibo, ut non sit opus, me ex lapidibus istis panes facere. Sed ut dum ex illius uoluntate secesseram, me absque cibo seruauit, ita porro reuerso ad homines, abunde humanum uictum prouidebit. Neque opus est, aut ratio, ut usq; miraculis mecum agat. Habeo uerbum Patris, illo nitar, etiam si nũc esuriam, neque panes mi- D.
raculo conficiam.

Cæterum probe notandum, ex citato scripturæ testimonio, non pane solo, hoc est solito cibo seruari nostram uitam, sed magis uirtute Dei, ubique & in omnibus rebus præsente, quæ æque absque omnium creaturarum ministerio nos seruare potest, atque cum omnia affatim adsunt. Quod si persuaderi nobis posset, quàm bene nobiscum ageretur, quam pronè omnia pietatis reliqua sequerentur?

Deinde animaduertendum, Christum, cum nulla posset fidei expectari ædificatio, noluisse operari miracula: hinc discendum, ne uel fructranea miracula illi tribuamus ut quidam, uel quæ miracula iactantur apud delubra diuorum, quibus à fiducia in Christum, ad confidendum diuis uel, eorum potius simulacris, homines seducuntur, uera & Dei opera credamus. Postremo non prætereundũ tum demũ Iesum esurijsse, cum iam uellet illum Pater rursus hominũ cõsortium repetere, apud quos etiam cibum humanum illi erat suppeditaturus. Quo rursus docemur, Deum haud quaquã temere miracula operari, uelleq; ut consuetis utamur, dum adsunt, tum miracula certo expectaturi, dum eo ipse adduxerit, ut consuetis uti non liceat. Notatur simul, quod & antea dictum, secessum illum fuisse, non ieiunium, eoq; egisse Patrẽ, ne illo tempore, quadraginta dierum esuriret. De interno per uerbum Dei pastu, qui fide constat, non est locus prẽsens. Docet etiam hic à uerbo, id est, uirtute Dei, etiam corporis alimoniam expectandam, ut indicatum est. Istuc autem non nisi uera fide percipitur, & si perceptum sit, iam nullo uerbo Dei fides negatur, & percipiũtur ex eo beneficia Dei omne genus, cum spiritalia tum corporalia.

Tunc assumit illum Diabolus in sanctam &c.) Fratres iudicent. Scimus Christũ, quæcunque fecit & passus est ita in nostram certam utilitatem instituisse, ut quilibet uideat, qui inde fructus prouenerit, Quæ autem utilitas, si corporaliter fuisset à

A Satana per aëra transuectus, nunc in pinnaculum templi, nũc in montem excelsum. Ad hæc scribitur finita tentatione, in Galilæam reuersus esse, utique è deserto. Igitur ista acciderunt, non Ierosolymis.

Cum ergo scriptura similem tentationem non narret, ubi satan tentatos, corporaliter aliquo transuexerit, testetur autem Christum tentatum, per omnia ad similitudinem fratrum, Heb. 4. deinde nulla possit utilitas ostendi huiusce transuectionis corporalis, siue tentationem spectes, siue alia, æque enim non transuectus tentari potuit. Postremo cum Matthæus noster scribat, in desertum subductum ut tentaretur, quo sanè significat, in deserto tentationem peractam, mihi uidetur, imaginariam fuisse, hanc in templum & in montem assumptionem, sicut absconsio Lumbaris, ad Euphratem à Ieremia 13. & dormitio Iehezcelis super latus sinistrum, dies trecentos, nonaginta, & super dextrum dies quadraginta. Ezech. 4.

Neque enim minus aperte illic scribitur Ieremiam ĩsse ad Euphratem, atque illic lumbare suũ abscondisse, secũdoq; redĩsse & repperisse illud iã corruptũ, tũ Iehezcelem supra latus sinistrũ dies trecẽtos nonaginta, & super dextrũ quadraginta dormiuisse, quã hic Dominũ à Diabolo, in pinnaculũ templi, mox in montẽ assumptum: Hieron. tamen, & alijs nõ est dubium, per uisionẽ illa contigisse. Vt itaque periculũ nõ est, ne quis omnia apud Prophetas istos, per uisionẽ quandã, non re ipsa ita contigisse, eo quòd istos duos locos ad hũc modũ intelligimus, adserat, sic nemo metuat hoc sensu nostro, Marcionis errori fenestrã aperiri, Christũ totũ, & omnia eius opera, phantastica fuisse, mentiẽti. Obstãt enim illi scripturæ loca innumera, & cantatissima, est etiã apud Prophetas eius utilitas, quòd uere hominẽ gessit, at huius transuectionis nulla adparet. Quin maior, ut Christi humilitas, ita nobis cõsolatio affulget, si agnoscamus ita Domino per satanam sensus delusos, ut nũc in templi pinnaculo, nũc in celso monte, sibi uideret collocatus, quã si putemus corpore ita, scientẽ
B & sentientẽ, per loca tam remota transiatũ. Quod utiq; satan haudquaquam secundũ suũ ingeniũ fecisset, qui ludificationibus, nõ ueris rebus solet agere. Certe quòd Lucas habet satanã Domino in monte, in momento tẽporis, omnia regna ostẽdisse orbis terræ, non per naturalem uisionem factum fuit. Sed cum nullo hac de re contendero, quid mihi uideatur, ostendi, & rationes cur ita uidetur, quibusq; oraculis fidei conuenire hanc sententiam putem, iuxta apposui, sequatur quisque quod agnouerit, ut certius, ita ad ædificandam fidem accommodatius,

Sed ad uerba tentationis. Si, inquit, filius Dei es. &c, Hoc est, scio scripturam, id quod iactas habere, interim tamen, ut reliqui mortales esuris, neque potes factis ex lapidibus panibus, esuriem miser sedare: tu igitur uideris, quomodo sine pane uicturus sis. Sed age, si omnino in errore hoc iuuat persistere, ut te credas, ob uocem illã unice dilectum filium Dei, quem sit ille usque miraculis aliturus, atque ideo putas peculiariter ad te pertinere illud: Non uiuit in solo pane &c. en constituo te in apicẽ templi, hic urbi sancta sedes est religionis: hic oportebit te aliquid esse, si uelis haberi prẽcipuus ille filius & iustus dei orbis reparator. Aede igitur modo specimẽ uirtutis tuæ, dimitte te hinc deorsum, ut omnes uideant te uirtutem Dei esse: siquidem nõ minus scriptura tibi hoc tutum fore pollicetur, quàm citra panem ex uerbo Dei uitã. In Psal. enim scribitur de filijs Dei, & qui ita Deo chari sunt, ut tu tibi uideris: angelis suis mandaturus est de te, & in manib. tollẽt te, ne quãdo impingas in lapidẽ pedẽ tuum. Age igitur, si ad te pertinere illã scripturam: Nõ solo pane &c. existimas, ne habeas hãc à te alienã, eaq; fretus, deijce tehinc deorsum ut uideamus te dilectum adeo Deo filium esse, ut illa tibi uox promisit.

Locus quem satan citauit, habetur Psalmo, 91. nec prætermissum est, nisi (& custodient te in omnibus uijs tuis) Lucas tamen (custodient) habet, licet (in uijs tuis) prætermiserit. Et nescio an satan, deprauatæ scripturæ eo accusari debeat, quòd

aliquid prætermiſit,& non potius quòd ea ad perſuadendum impietatem ſit abu- C
ſus. Quanquã ex eo, quod prętermiſſum hic eſt, redargui commodiſſime potuerit, & ſuadere impia,& falſa,ſcripturę abuſu polliceri. Nam ex eo quod ſcriptum eſt,credentes & charos Dei ab angelis in omnibus uijs ſuis cuſtodiendos,non poteſt colligi, cuſtodiendos eſſe illos extra uias ſuas:iam non erat opus,aut uia,filio Dei,iam homine,digna,ſe ex alto dare præcipitẽ,cum pater nihil tale præcepiſſet. Agẽs itaq; ſe digna,& ſuis, hoc eſt, ſibi à patre ordinatis inſiſtens, ſic demũ certus potuerat ex hoc Pſalmo eſſe,ita ſibi angelos cuſtodes adfuturos,ut unſquam impingeret. Verũ cum Chriſtus hic deprauatam ſcripturam ſatanæ nõ obiecit ſed, contentus fuit alia ſcriptura falſum eius ſenſum,quem conabatur ſibi obtrudere,refutare,apparet eum non tam omittendo aliquid, quàm ad prauum ſenſum abutendo, in hanc ſcripturam peccaſſe.

Quod uero Dominus reſpondit,5 Moſe.6.legitur. Vbi Moſe Iſraëlitas monet,ne tentent Dominum,ut in loco,cui ex euentu, Maſſa, id eſt,tentatio,nomen inditum uit,tentauerant. Inibi enim cum ſiti laborarent, experimento ſcire uolebant,ac re ipſa experiri,ſi eſſet inter ipſos Dominus. An eſt, inquiebãt,inter nos Dominus,uel ſecus:2.Moſe.17. Scite igitur,hoc dicto Chriſtus,contra ſatanam uſus eſt, quaſi dicere: Credo me angelorum manibus geſtari, necubi impingam, hoc eſt noui ex iſto Pſalmo,certiſſimam angelorum cuſtodiam,quæ me taphoricõs,per geſtationem in manibus angelorum ſignificatur mihi adeſſe:ſed ex fide quæ mihi omni experientia pluris eſt,eoq; nolo,id etiam temeraria iſta,quàm tu ſuades,meijpſius præcipitatione experiri. Nolo maioribus meis,in hoc ſimilis fieri, qui Patris promiſſioni parum fidentes,re ipſa & miraculis uolebant experiri,an in medio ipſorum eſſet, eoq; grauiter ipſum exacerbauerũt. Proinde inſiſtam uijs meis,homo ſum,humanis utar rebus,non eſt uia hominis,dare ſe hinc præcipitem,quod ſi facerem,uolens ita experiri cuſtodiam & geſtationem angelorũ quam Pater eſt pollicitus,quid aliud, quã D
cum Patribus tentarem illum,num ſtare promiſſis uellet: Experiar abunde ad huc cum ipſi uiſum fuerit,quod modo credo: antequam ipſi uiſum ſit, malo fide,quàm experientia cuſtodia eius frui.

Quid tentare Dominum.

Hinc ergo uidemus tentare Dominum, quicunque præteritis uijs ſuis, hoc eſt, uiuendi generibus,inſtitutis atque operibus nobis in ſcriptura ordinatis,præſumũt ipſum ſibi adfuturum: ſumere enim iſtiuſmodi,omnipotentiæ eius experimentum uolunt,quod eſt,Dominum tentare. Sic qui manuum laborem declinant, expectantes dum alia ratione ipſos Deus alat,quando in Adam omnibus nobis,niſi quos ipſe aliò uocauerit, ut in ſudore uultus noſtri ueſcamur pane noſtro, iniunxit,certe Dominum tentant,uolentes,ſcilicet,experiri,an etiam non laborantes uelit aut poſſit alere. Si iam huiuſmodi illud Domini prætexerent,dicentes: Quid laboraremus? Dominus iuſſit nos conſiderare uolucres cæli,quos Pater citra laborem alit, & affirmauit nos pluris eſſe,planè ad exemplum ſatanæ hic, uerba Domini citarent. Ita profecto tentant Dominum,qui conſtituti ut doceant plebem, ſcripturam diligentiſſime excutere,atque ut id melius poſſint linguas diſcere negligũt, interim iactantes,literam occidere,ſcientiam inflare,ſpiritum eſſe qui loquatur, Deminum in illa hora, cum ſit pro fide reſpnndendum, daturum, quid loquantur. Apoſtolos omnium rudiſſimos, optime prædicaſſe,humilia Deo placere, & cætera huiuſmodi. Nam ſicut Dominus ſuos certe fame perire non ſinet, & ſimul uult: tamen, ut laborent,& proximos ſuos demereantur, ac ita ſuo non alieno pane uiuant, ita ſuo quoque ſpiritu docebit omnia electos, nihilominus uult tamen, ut huc totis uiribus, qui ad id delecti ſunt, atque hac cauſſa aluntur, incumbant: quemadmodum Paulus ſuum Timotheum iubebat, quanquam à puero ſacras literas doctum, lectioni ſcripturarum incumbere.1. ad Timotheum. 4. Indigni ſane ſunt. quibus

Tentant Dominum, qui ſine ſummo ſtudio, ſcripturæ ſcientiã ſperãt

miraculo

miraculo Deus ſcripturarum ſcientiam donet,qui ignaui adeo ſunt & ingrati,ut do
A natis ab ipſo mediis,ut libris,præceptoribus,tempore,ingenij facultate, ac aliis pige
at uti. Tentant etiam Dominum, & fruſtra Deum omnia poſſe iactant, qui cœliba-
tum ad quem eos Dominus non uocauit,deligunt contempto coniugio,omnibus,
quos aliò Deus non deſtinarit,mandato .Nos uiis noſtris inſiſtere debemus,ſi quan
do autem Dominus aliò uocarit,tum ne dubitemus ipſum quoq; daturum , ut ei ad
quod uocat poſſimus pares eſſe.

Notandum præterea hic eſt,quàm impie agant qui literis ſolis,negecta analogia
fidei, & non conſideratis ſimul & aliis ſcripturæ locis inhærent . Nunquid hic ſata-
nas Chriſto reſpondenti tentationem Domini eſſe,ſe dare è pinnaculo præcipitem,
cum liceret aliàs deſcendere,eoq; non eſſe promiſſum ex adducto Pſalmo ita tentan
tem Dominum, fore angelorum cuſtodia tutum, obiicere potuiſſet & ingeminare,
Scriptum eſt, cuſtodient te in omnibus uiis tuis,ergo etiam in iſtis, ſi te præcipites:
Vis tu ſimplicitatem ſcripturæ inuertere?Scriptum eſt:Portabunt te in manibus,ne
quando ad lapidem pedem tuum impingas:ergo lædi nullatenus potes,ſiue præci-
pitem te des,ſiue aliàs deſcendas. Verba Domini ſunt aperta nihil exceptum eſt,nõ
audio quid aliæ ſcripturæ dicant. Volo ex his ipſis ſenſum germanum eruere. Sed
erat ſatan minus impudens,quàm quidam hodie,qui quod dictum eſt à Deo,Ne re-
ſiſtatis malo,negant magiſtratũ qui gladio animaduertit,poſſe eſſe Chriſtianum;& *Solis elementis ſcripturæ non hærendum.*
quia dictum eſt, ne omnino iuretis, contendunt, nullũ iuſiurandum à Chriſto fieri
poſſe. Alia innumera ingerũt iſti portentia, eo quòd inhærent literæ, ſcripturarum
uero ſenſu neglecto . Hoc ergo loco cum conſtaret illam pſalmi promiſſionem ad
eos tantum pertinere qui Domino fidũt,& in ipſum ſpem ſuã habẽt,apertiſſime fuit
conſilium ſatanæ confutatum,qui Chriſto ſuadebat,Dominum tentare . Quod qui
faciunt non fidunt Domino ,neque ſpem in ipſum collocant:igitur nihil ad eos iſta
Pſalmi promiſſio. Tentare Deum ſatan ſuaſerat,dum iubebat media à Domino crea
B ta contemnere ,& ſine cauſſa experiri,an Deus uellet,aut certe poſſet,quod promi-
ſerat,opere præſtare.

Rurſus aſſumit illum Diabolus &c .) Hanc tentationem ſecundo loco recenſet
Lucas,& tertio,quàm noſter ſecundo,uti ordinem geſtorum & alia huius generis,
quæ per ſe nihil ad pietatem faciunt haud quaquam ſuperſtitioſe obſeruarunt. Verũ
quoniam hic noſter ſcribit,ſatanam Chriſto omnia regna mundi,& gloriam illorũ
oſtendiſſe , Lucas uero etiam addidit,ἐν στιγμῇ χρόνου in puncto temporis , uidetur ſatis
coniecturæ eſſe hæc omnia per uiſionem quandam,non corporali tranſuectione,&
oſtẽſione eſſe geſta. Qui enim humãitus uidere potuiſſet omnia regna orbis & glo
riam eorum in momento:Porro uerba ſatanę in ultima hac tentatione , hũc ſenſum
habent:Ita tu uero,effugis:Si iubeo te ex lapidibus panes facere , quod oportet filio
Dei facillimum eſſe,reſpondes,eſſe ſcriptum:Hominem non ſolo pane uiuere:ſi pe-
to ut præcipitando te ex alto declares te eſſe , quod illa uox tibi tam chara,perſuaſit,
eo quòd ſcriptum ſit,non poſſe lædi eiuſmodi Dei filios , qualis tibi uideris, reſpon-
des,hoc eſſe tentare Dominum,id quod ſcriptura uetat:interim tamen eſuris perpe-
tuo, & es omnib. modis miſer,tantoq; miſerior , quòd delusus illa uoce, miſeriã tuã
quam uides & ſentis,non agnoſcis, taceo quæ meditaris quibus te planè,niſi monẽ
tem meliora audieris,reddes te omnium mortalium miſerrimum.Ne uelis igitur uſ
que deſipere,en tot regna mundi,uide iſtam incomparabilem eorum gloriã,& præ-
clariſſimã maieſtatẽ,hæc omnia mea ſunt & cuicunq; uolo,do illa.Mitte ergo illum
Patrẽ,cuius uocẽ audire tibi uiſus es,neq; enim uidiſti eũ,neq; eſt ille Deus qui te fi-
liũ ſuũ ita patitur eſurire , & agere miſerũ cum beſtiis , eſſeq; omni ſolatio humano
deſtitutũ:ludibriũ fuit , quicquid audiſti.Linque ergo nugas, & ſectare uera, adora
me agnoſce me rerũ principẽ,& omnia tua erũt,neq; iam eſuries,neq; ſolus ages,ſed

orbis

orbis tibi seruiet,omnibusq; rebus,quas optare possis, afflues. Ita primum conatur C
satan,uerbum Domini irritum nobis facere & uanum,mox sua illa carnalia pollicetur. Sic primis parentibus primum persuasit,uanum Domini uerbum: Nequaquã, inquiens,moriemini mox falsis promissis lactabat,dicens. Eritis sicut Dij, scientes bona & mala. Neque enim possumus cupiditate aliarum rerum,capi, nisi ante Deũ fecerimus missum. Primum ergo conatur persuadere, uanum esse seruire Domino, id quod persuasum suæ ætatis hominibus quibusdam Maleaci queritur, Mala. 1. tum sua promittit,nempe bene futurum omnibus qui sibi adhærent,hoc est,testantur studia uulgi,cum in falsis religionibus,tum in rebus ad præsentẽ uitam cõditis. Tunc dicit illi Iesus: Vade,abi post me, &c) Impia suaserat satan & in prioribus,at nunc præter impium suum consilium,se etiam Deo præferebat: hac caussa gloriæ Patris unice studiosus Christus,duriuscule ipsum à se repellit,& satanam,hoc est,aduersarium uocat: quia palàm iam à Deo ipsum ad se adorandum pertrahere conabatur: obiecit tamen iterum scripturã,pulcherrimo suo exemplo nos docens,in omni tentatione ex sola scriptura cõsolationem petere: iuxta illud Rom. 15: Quæcunq; scripta sunt,ad nostram doctrinam scripta sunt,&c. Porro locum quem hic Christus satanæ obiecit,quidam putant illum esse. 5. Mose. 6. Dominum Deum tuum timebis,& illi seruies,& in nomine eius iurabis. Sed mihi uidetur ex quinto capite desumptus,mutata negatiua in affirmatiuam. Ibi enim legimus: Non adorabis ea,scilicet,Deos alienos,& idola,neque seruies eis, quia ego Dominus Deus tuus, &c. Hęc enim perinde sunt,atque si dixisset, Me solũ adorabis,& mihi soli seruies. Græca etiam conueniunt, quæ ita habent, σὲ προσκυνήσεις κύριον, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. &c. cum locus in sexto capite non per omnia conueniat,legitur enim, κύριον τὸν θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Cæterum de adoratione, dixi fusius supra in secundo capite, ad illud. Et prostrati, adorauerunt illum. Certe ut uitæ autorem, unum adorare Deum oportet: atqui cum השתחוה Hebræis prosternere, & προσκυνεῖν Græcis adosculari significet, hoc est honorẽ prostratione corporis, uel manuũ osculo deferre,aut Dominum agnoscere,eatenus possunt adorari, quotquot Dominus uoluerit à nobis honorari. Satuas & idola tam sua quàm aliorum coli Deus uetuit, quare impium est illis se prosternere, uel προσκυνεῖν, aut aliàs honorem impendere. D

Tunc omittit illum satan &c) Lucas habet,consummata omni tentatione,Diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Ita uerbo Domini innitenti, ne tibi quidem poterit prævalere, tandémque cedet,sed ad tempus: dum enim in mundo sumus,ubi satan princeps est,tentationibus eius sumus obnoxij. Verum nõ deerit interim sua consolatione,Deum totius consolationis,dabitque subinde,submotis dæmonibus, angelos beatos nobis erigere,sicut hic Matthæus de Christo scribit: Et ecce angeli accedebant,& ministrabant ei, cum eum scilicet,satan dimisisset. Semper quidem angeli ipsi ministrarunt,ut Mar. uidetur innuere,qui ita scripsit: Eratq; cum bestijs, & angeli ministrabant illi. Sed agitante Dominum satana, Angeli uisi fuerunt abesse, dum ministerio eorum non frueretur. Quando ergo satan discessit,ut iterum frui angelorum ministerio cœpit,ita dicuntur quasi de nouo accessisse. Vnde per admirationem quodammodo noster memorat: Ecce angeli accedebant. Resistamus igitur & nos fortes in fide Diabolo,& eadem omnia experiemur,quæ ut certo spere mus, ista seruatori nostro & acciderunt,& sunt nobis conscripta.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Cum audisset autem Iesus,quòd Ioannes traditus esset.) Legimus Christum à baptismo protinus spiritu in desertũ actum,ut tentaretur. Mar. primo,indéq; ductu eiusdem spiritus,Galilæam repetijsse,Lucæ. 4. Tum uero creditur, Andream, Petrum, Philippum

A Philippum,& Nathanẽlem,primum discipulos sibi adsciuisse,Ioannis.1.Paulo uero post,in uiculo Galilææ Cana,primum edidisse miraculum. Vnde commigrans Capernaum cum matre,fratribus & discipulis petijt,paululũ inibi moratus.Nam proximo festo Paschæ,Hierosolymã ascendit,& uendentes illic templo eiecit,quod legimus Ioan. 2. Tum uero existimatur & cũ Nicodemo longã illam disputationẽ, quæ Ioannis.3.conscripta est,habuisse.Inde autem in terrã Iudææam abijt,Nam Ieru/salem,ad sortem Beniamin spectat,Iosua.18. Ac ibi ministerio discipulorũ baptiza/bat,& discipulos adlegebat,Ioanne nondum in carcerẽ recluso. Quod discipuli Io/annis ad magistrum suũ tanquàm rem indignam, & gloriæ eius præiudicantem de ferebant;Ioannes autem præposterum illorũ erga se studium, insigni Christi præco nio repressit,Hæc legis Ioannis tertio. Dũ uero ita Iesus baptizaret, pluresq; quàm Ioannes discipulos adlegeret, fama huius ad Pharisæos peruenit, atq; in odium il/lius commouit. Volebant enim soli populi duces haberi.Id ergo ubi Iesus resciuit, iterum in Galilæam reuersus est, atq; in uia Samaritidẽ mulierculã, ac reliquos ci/ues Sychar,fidem regni cœlorum docuit. In Galilęam autem cum uenisset, sanauit filium Reguli habitantis Capernaum. Quod Ioannes uestatur alterum signum fuisse,à Domino in Galilæa patratum.Ioannis 4.Posthac altero festo appetente, ite/rum Ieruſalẽ ascendit,quod legimus Ioannis quinto:inde rursus in Galilęam redijt, ut patet ex initio cap.6.Ioan. Et circa hoc tempus uidetur, Ioannes ab Herode in uincula esse coniectus,et ab eo tempore uidentur tres Euangelistæ, Matthæus,Mar cus, & Lucas, suas historias de seruatore nostro texere cœpisse Propositum enim illis fuit, declarare orbi Iesum nostrum uere Christum, hoc est saluatorem & omni/um reparatorem esse: eoq; id tempus eius, describere satis habuerunt,quo maxime ipse se talem esse comprobauit, Ioannes autem Euangelista, qui post cæteros eos

B scripsit, cum uideret quædam etiam ante illud tempus à Domino gesta huc facere, Christi historiæ illa adiecit. Hæc partim & Irenæo ita uisa sunt, ut legis in Eccleſia/stica historia libro quinto,capite 25.

Ordo historiæ Euangelicæ.

Notandum autem Dominum furori Herodis cessisse,idq; actum à spiritu, ut Lu/cas exprimit:quo monemur,si uere Domino nos commiserimus, spiritus eius nos quoq; in omnibus salutariter diriget, siue fugere nos uelit, siue consistere,& com/minus cum hostibus cõgredi. Sic enim Christum Dominũ nostrum,sic Apostolos quoq;,nunc persecutorum furori,ut latius prædicarent,subduxit: nunc uero intrepi dos oppositi,uictoréſque illorũ,uel uita,uel morte reddidit. De fuga in persecutio/ne multis est à ueteribus disputatũ. Tertullianus propriũ de ea librum composuit, nimisq; eam damnauit: fugit enim & Christus,fugerunt ipsi Apostoli. Fuga qua gloriæ Christi detrahitur, Christiano indigna est,& ignorata sanctis:at ubi ita fu/gis,ut gloriæ domini commodius inseruias,nihil tui quærens,sed tuo tantum mu/neri inseruiens,tuæ te horæ seruans,facis quod hic,& alias Christus fecit. Ad cuius exemplum & Paulus é Damasco,& alias fugit. Hi quo spiritu,dum gloriæ Dei re/tulit,fugerunt:eodem postea se ultro persecutoribus obtulere.Ita Christus quæren/tibus se ad necem, dedit ultro obuium, Paulus nulla ratione reuocati potuit,quo minus Ieruſalem peteret, ubi tamen sciebat se manere uincula & tribulationes, Acto.20.Ita ergo fugiendum erit Christano,ne præter gloriam Christi:cui consecra tus est,quantus est. Vbi autẽ fuga, uel persistendo,magis gloriæ consulueris,nemo nisi Domini spiritus recte indicabit, quare pater ante omnia orandus est,bonum spiritum,qui deducat in uia recta,psal.144. neque sinat nos uspiam nostro arbitrio ferri. Nam non potest, de fuga aliquid certum præcipi, neq; in totum ea laudari, neque in totum uituperari:quapropter paulo seuerior hic,ut & in alijs quibusdam Tertullianus fuit. Committamus igitur nos Domino,is & fugere & cõsistere,dum ipsi uisum fuerit,dabit,

Et

Luc. explicatio.

Et relicta Nazareth, profectus habitauit Capernaũ,) In Nazareth tamen antea, ut Lucas 4. memorat, se Christum ex uaticinio Iesa. 61. prædicauit. Verum illi, cum indignitatem & ingratitudinem ipsorum eis opprobrasset, qui uerum faciebant prouerbium illud: Nemo Propheta acceptus est in patria sua, eductum usque ad supercilium montis, super quo ipsorũ ciuitas ędificata erat, conati sunt præcipitare, sed ipse transiens per medium illorum ibat. Itaq; domesticos suos iuxta ordinem dilectionis nequaquam posthabuit. Verum ubi illi regno Dei se indignos reddidissent, coactus fuit aliò migrare. Alioquí qui negligit suos, præsertim domesticos, infideli deterior est, & fidem abnegauit, 1. Timoth. 5. Sic tandem & tota Gens Iudæorũ deserta fuit, cui tamen primum Euangelion, ut domesticis offerri oportuit.

Domestici primum curandi.

Capernaum autẽ elegit habitare ciuitate maritima, & magis quàm Nazareth insigni, eàmque multis adeo miraculis, præter doctrinam suam, quã per sabbatha stupenda authoritate, impertiebat, Lucæ 4. multo insigniorem reddidit. Hunc morem Dominus usque seruauit, ut ad insigniores urbes suos nuntios præcipue miserit. Ita Ierusalem potissimum Prophetæ prędicarunt, ut & Christus, plura illic quàm alibi gessit. Sic Paulus, Damasci, Anthiochię, Ephesi, Corinthi, Philippis, ac alijs præcipuis urbibus Christum præcipue annuntiauit. Et uero ita solere Dominum existimo, ut magis illustrem suam gloriam reddat, & bonitatem ita declaret, dum hoc modo per infirma mundi, fortia confundit, hoc est, per abiectos, suos Apostolos, præclaras urbes aggressus, per sermonem illorum, regno suo, nequicquã plurimis repugnantibus adlegit, quotquot ad id prędordinauit. Eo etiam declarauit infinitam misericordiam suam in genus humanum, cui ibi potissimum succurrere instituit, ubi sub tyrannide satanæ laborabit grauius. Nã in magnis urbibus solet satan potentius regnare. Postremo ex magnis urbibus, commode semper uerbum & ad reliquos proferpit. Vnde & hodie uidemus præcipuas urbes, Euangelio uisitari, quibus tamen uidendum est, ne olim eis eueniat quod huic Capernaum, Ierusalẽ, Corintho, Ephesо, Romæ, ac alijs, quæ quanto sublimius per Euangelion euectæ fuere, tanto sunt postea, cum ingratas se huic dono exhiberent, atrocius deiectæ, atque uastatæ. Quid enim æque impium ac sceleratum possit admitti, atque reijcere à se Euangelion gratiæ Dei?

Quare Dominus uerbo uo primores ferè urbes inuisit.

Vt impleretur quod dictũ fuerat per Esaiam &c.) Locum hunc Euangelista ob id præcipue adduxit, quod habet: Et populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucẽ magnam: tum quod regionis zabulon & Neptalim, ac Galilææ nominatim meminit. In eo tamen allusio magis est, quam de hac Christi prædicatione, quã hic Euangelista commemorat certum uaticinium: supra enim cap. 2. in illud: Vt impleretur quod dictum est à Domino per prophetam, dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum, annotaui, Euangelistas dicere impletas scripturas, ubi tantum ad eas est alluſum. Etenim iuxta historiam, uaticinium præsens sic habet: Neque enim erit oppressa illa, quæ adfligetur, sicut priore tempore, leuiore malo Assyrius, terram zabulon & terram Neptalim, & posteriore, maritima, finitima Iordanis, & confiniũ gentium, adflixit. Populus agens in tenebris, uidebit lucem magnam, & sedentibus in terra umbræ mortis, lumen affulgebit. Porro quòd uates his predicere uoluit, hoc est: Non permittetur Assyrio in Ierusalem, quod permissum ei est, in decem tribus, quas deuictas, in terram suam, transuexit, Primũ regnante Thiglath pileesser, duas tribus & dimidiam quæ habitabant trans iordanẽ, & tribum Nepthalim & Zabulon, quæ sedes suas habebant citra iordanẽ. De Zabulon hic propheta testatur, nam S. hist. 4. Reg. 15. tantum Nepthali meminit. Hæc uero in exiliũ abductio, leuior calamitas fuit, deinde regnante Schalmaneser, reliquum Israëlem uniuersum, id quod Vates significat, cum uiam maris, id est regionem maritimam, finitima Iordanis, & confinium Gentium, & quod est prope Sidonem, memorat. Hanc calamitatẽ grauiorem,

A uiorem narrat & sacra historia. 4. Reg. 17. & 18. Sed populus Ierusalem, agens in extremo periculo, ac ideo quasi in ipsis tenebris mortis, & terra umbræ mortis, hoc est, apud inferos, (significat his grauissimam obsidionem, qua fuerunt à Sanherib Hierosolymitani pressi) uidebit lucem magnam, admirandam illam sui liberationem, cum Dominus in una nocte percussit fulmine in exercitu Assyriorum, centena & quinq; supra octoginta millia. Vt uero hæc salus populo Iudaico facta, typus quidam fuit redemptionis factæ per Christum, ita commodum præsens uaticinium de Christi luce, perditis mortalibus illata, adductum est. Cumq; ea primum spargi cœperit apud Galilæos, uisum est Euangelistæ sic oraculum hoc adducere, ut allusione non ineleganti, ex eo istuc ipsum diceret.

Deinde ne hoc quidem prætereundum, quod Galilæi, licet Iudæi essent, & præter rationis lumen, etiam legis atq; Prophetarum lampada haberent, nihilominus ab Euangelista, adseruntur, ante prædicatum illis euangelion, in tenebris & umbra mortis sedisse. Eo enim docemur, humanam rationem usq; cæcam, & literam cum legis tum Prophetarum occidere, donec Christi dono, euangelij fide renouamur. Tum demum reuelata facie, gloriã domini & ipsi uidemus, & ceu speculum, illam alijs repræsentamus: deniq; transformamur ad eandem imaginem, à gloria in gloriam, tanquam à domini spiritu. 2. Corinth. 3. Etenim ante creditum euangelion, & afflatum diuini spiritus, animales sumus, eoq; quæ Dei sunt, percipere prorsus nequimus. 1. Cor. 2. Tenebræ itaq; sunt & umbra mortis, omnis tũ sapientia, tum iusti- *Omnia sine Euangelio tenebræ.*
tia, quam sine spiritu Dei habemus, sicq; illis nobis placemus, uere ut à Dei cognitione, sic & uita alieni, in ipsa morte obtenebrati desidemus.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Et ex eo tempore cœpit Iesus prædicare, & dicere, pœniteat uos, &c.) Eisdem uer-
B bis & Ioannes pauloantè prædicauerat, & infra legemus discipulos eadem prædicaturos à domino amandari, 10. Regnum cœlorum, & diu expectatum reuelandæ salutis tẽpus aduenerat, id par fuit, ut eodem sermone, orbi, ab anteambulone domini, à domino ipso, Apostolis eius, ac omnibus deniq; Noui Testamenti ministris adnuntiaretur. Necq; enim potuit præstantius quicquam, prædicari: proinde mirũ non est, si idem spiritus in omnibus loquens, ijsdem usus uerbis sit. Cæterum de prædicatione hac, & regno cœlorum, supra cap. 3. nonnihil admonuimus. Summa certe est totius Euangelicæ prædicationis; annuntiatur enim his uerbis, regnum gratiæ & reconciliationis aduenisse: simulq; exponitur quibus aduenerit, nimirum qui sibi displicent, & peccatores sese agnoscũt. Nam cœli municipatus contingere non potest, nisi qui mundi regno, hoc est, carnis & satanæ seruituti renuntiauerint: adeo inter se illa pugnant.

Porrò ut & hoc annotem, si quis similem ex scripturis ueteris instrumenti locum requirat. Videtur hic mihi domini sermo affinitatem habere cum istiusmodi sermonibus: Conuertimini filij conuertentes, Ier. 3. Conuertimini & uiuetis, Iehez. 18. &c. Existimo enim quod hic legimus, μετανοεῖτε, respondere ei, quod passim in scripturis legitur שובו uel השיבו id est, conuertimini, uel magis proprie resipiscite, redite in uiam: quàm ei, pro quo recte legimus, pœniteat uos, quod Hebræis dicitur נחם Id enim pœnitere, quod cum dolore est, ferè significat. Ita habet liber Iudicum: Pœnituisse filios Israël, propter tribum Beniamin, propè ad internitionem deletam. Ibi ca. 21. legimus, וינחמו בני ישראל אל בנימין pœnituit filios Israël, super Beniamin, uel doluit eis. Sic Dominus dicit sibi doluisse, quòd creasset hominem, 1. Mosche. 6. Et 1. Schmuël. 15. quod Regem fecisset, Schaul. In his locis est, uerbũ נחם. At hic ad eiusmodi resipiscentiam Christus uoluit prouocare, quæ non tam esset cum dolore peccatorum, quæ commissa erant, quàm cum ingenti gaudio ob gratiam, quę ultro offerebatur. Vnde ceu caussam, cur conuerti, hoc est, resipiscere deberent, subiecit:

Quid interſit inter נחם & שוב, id eſt, pœnitere & reſipiſcere.

h Appro-

Appropinquauit enim regnum cœlorum, tempus, scilicet, gratiæ & propitiationis: quasi dixisset: Vel nunc tandem in uiam redite, & relinquite uestra studia praua, adest enim iam regnum gratiæ, aduenit qui peccatores, non iustos uocet, & uocet ut filij Dei sint & hæredes ciuesq; cœlorum. Inuitet hæc patris effusissima bonitas, ut ipsi deinceps in æternam salutem, potius quàm uobis ipsis & mundo in æternam uobis perniciem uiuere libeat.

Perinde ac si quis abdicatis filijs, patre illorum ad clementiam benignitatemq; erga ipsos moto, diceret: Reuertimini optimi filij, relictis omnibus euestigio domũ paternam repetite, redijt patri uestro affectus paternus, aduenit tandem tẽpus, quo remittere uobis commissa in animum induxit. Nolite optatissimam hanc occasionẽ præterire. Haud sanè tam apte uidentur cohæsura uerba domini, si per μετανοεῖτε intelligamus, id quod Heb. per נחם nimirum pœnitudinem illam, quæ ob commissa animum excruciat. Qui nanq; pro ratione quadret, quod adijcit: Appropinquauit enim regnũ cœlorũ? Perinde utiq; esset, ac si quis capitaliter reo diceret, dole, discrucia teipsum, quòd tanta flagitia admiseris, aduenit enim enim tẽpus ut libereris. Diceret potius cordatus illi, uel nunc tandem in uiam redito, arrideatq; tam diu contempta tibi innocentia: aduenit enim tempus illud optatũ, quo uita te princeps donare in animũ induxit, educetq; hoc carcere, & libero uiuere concedet.

Quanto enim uero Dei gratia amabilior existit, quàm sunt nostra peccata detestabilia, tanto conuenit de illa oblata plus gaudere, quàm de his dolere: imò omnẽ de peccatis dolorem, oblatæ Dei gratiæ, certoq; donatæ gaudiũ, absorbet. Ita filius ille decoctor, ubi benigne adeo susceptus esset, habereturq; tam indulgenter, quid quæso quàm gaudere & exultare potuit, licet plurimum illi sua commissa displicerẽt, & ob ea ipsum sui maxime puderet & pigeret? Nec alia est pœnitentia, quàm in nomine Christi, cum peccatorũ remissionẽ prædicari oportuit per orbem, Luc. 24. quanque Deus Gentibus pariter & Iudæis donauit, Act. 11. nempe resipiscentia, mundiq; ac sui ipsius abnegatio, amore domini & seruatoris nostri Iesu Christi, ac oblatæ gratiæ delectatione gaudioq; concepta. Quæ Euangelica pœnitentia uocari possit, certe longe plus mellis quàm fellis, lætitiæ quàm tristitiæ obtinẽs. Hæc uero resipiscentia nunquam est sine maximo ob peccata dolore, & uehementi animi contritione.

De pœnitẽtia Legali et Euangelica.

At ubi tam læta adfertur de peccatorum condonatione prædicatio, statim absorbet ingens gaudium de domini clementia dolorem illum qui ob peccata animum excruciat. Nonnunquã uero diutius instatur prædicatione legis, & peccatorũ exprobatione, ultionisq; domini cõminatione: ibi dolor etiam & cruciatus animi ob peccata grauior est et diuturnior. Ita usu uenit Niniuitis, Manasse ac alijs qui nimirum ob commissa sua & iram Dei propter illa ipsis imminentem, animo plurimũ discruciabantur. Hac tacti fuere & Iudæi illi Ierusalem, quorum ut Lucas scribit, Actor. 2. corda scindebantur, audito sermone Petri, eoq; dicebant ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? His Petrus respondit: Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq;, &c. Vide compuncti corde erant, ac ex magna peccatorũ pœnitentia rogabant, quidnam facere se Apostoli iuberent, & Petrus pœnitentiam illis præcepit, ultro adeo pœnitentibus & de sua impietate indolentibus, ut corda ipsorũ dissecarentur. Ergo alia erat qua compungebantur, obiecta illis sua impietate, pœnitentia, & ad aliam eos Petrus hortabatur. Prior illa legalis erat, & animũ conspecta iam impietatis abominatione excarnificabat: altera uero Euangelica, nimirum spe salutis suscepta resipiscentia, uitam cum hilaritate emendabat. Nam nihil nisi uitæ innouatio est, quã amore tam propitij Dei, factæq; gratiæ exultatione, sibi Christo iam credentes proponunt, ad eamq; sese usq; exercent.

Hæc duo & ueteres pœnitentiæ nomine intellexerunt, recentiores prius contritionem, posterius satisfactionem uocarũt, mediam inserentes peccatorũ confessionem.

A nem,quæ si pie fiat,ueræ cõtritionis opus & fructus est.De hac supra cap.3. diximus satis.Quod aũt isti satisfactionem,qui recte sentiunt, perpetuam pietatis meditationem,uitæq; innouationem intelligunt:& uocant carnis ac peccatorum mortificationem,uitæ conuersionem,studiorum correctionẽ,siue,ut dixi, pœnitentiam euangelicam, peccatorum satisfactionem qua ea expientur, Christo uni qui,scilicet,pro omnibus in se credentibus satisfecit,tribuentes.Licet si latinæ linguæ usum spectemus, contritio illa & dolor ob commissa rectius pœnitentia uocetur: ut hæc innocentiæ professio, resipiscentia, uitæ emendatio, studiumq; sanctimoniæ, sicut & in Apostolicis literis identidem appellatur.

Est ergo pœnitentia Legalis,siue animi contritio, odium & cum animi dolore ac cõpunctione,peccatorũ detestatio:quæ cooritur,simulat exq; cognita lege Dei,peccatorum quoq; agnita fuerit abominatio. Et est impijs cum pijs cõmunis. Nam & Iudas proditor Christi, agnito suo scelere ita cõpungebatur, ut sibi ipsi mortẽ consciscceret. Euangelica aũt pœnitentia est accepta gratia peccatorũ per fidem in Christum,perpetuũ morificandæ carnis,uitæq; ad uoluntatẽ domini formandæ, studiũ, sed alacre,irremissaq;, sed lubens meditatio: cooritur uero mox atq; Christus fuerit cognitus,neq; est nisi eorum qui fidem in Christum nacti fuerint solidam. Quæ de pœnitentia recentiores quidam Theologi scripserunt,sunt cum iudicio legenda,& ad scripturarum sententiam exigenda. Christi gloria pleriscq; illorum uidetur haud probe cognita fuisse: ideo mirum non est, eos quæ ad uerum Christianissimum attinent,haud ita certo & luculenter tradidisse. De pœnitẽtia illa,quam uulgo uocant, quam episcopi olim iniunxerunt ijs qui peccauerant, certa, scilicet, ieiunia, & alias corporis castigationes,dicam infra in cap.18.

Quid pœnitẽtia Legalis.

Euangelica pœnitentia.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ.) Hoc mare lacus est, in quem Iordanis influit, de quo fluuio & lacu sic scribit Plinius lib. 5. cap. 15. Ergo ubi prima B conuallium fuit occasio, in lacum se fundit,quem plures Genesaram uocant XVI. M. passuum longitudinis, VI. M. latitudinis, amœnis circunseptum oppidis, ab oriente Iuliade & Hippo,à meridie Tarichea,quo nomine aliqui etiam lacum appellant:ab occidente Tiberiade,aquis calidis salubri. Ab hac Tiberiade, quam Herodes tetrarcha,in gratiam Tiberij Cæsaris nouam extruxit, ut meminit Iosephus lib. 18.capite.4. mare Tiberiadis uocatur à Ioanne. Porrò scriptura uocat hunc lacum, ים כינרות uel כינרת id est,mare Cinereth,uel Cinneroth, ut 4.Mosche.34.5.Mos. 3.Iehoschua.12.& locis alijs. Quod enim lacus specimen quoddam maris præ se ferunt, maria in scriptura appellantur.Sic lacum Asphaltiten, itidem mare desertum, uel salis uocatur. Sed mare mediterraneum, solet scriptura mare magnum uocare, etiam interdum absolute,mare,uti & Oceanũ: sinum uero Arabicum, uocat mare Iunci.Portionem aũt maris mediterranei,quæ Ciliciã uersus est, ab ea regione Tarsith nonnunquam dicitur,de quo suprà dictum est cap.2

Mare Galilææ lacus Genesar.

Sed ad nostrum mare Galilææ, quod proprio uocabulo Cinnereth, id est,mare dulce dicitur,id deluxato nonnihil uocabulo à Gentibus, Genesar uel Genasareth, postea cœpit uocari,atq; ab ipso uicina regio cognominari.Sicut & olim factum apparet, Iehosua enim 19. ciuitatem in portione Naphtali, quæ huic lacui adiacebat, Cinnareth uocatam legimus,imò ut apparet ex Iehos.11.ac alijs quibusdam locis,regio illa sita ad occidentale latus huius lacus,tota fuit Cinneroth appellata:falsus igitur fuit Egesippus lib.3.de excidio Hierosol.cap.26.qui scribit Græco uocabulo Genesar,lacum hunc uocatum, quasi generantem sibi auram aquæ dulcis &c. Græci potius Hebræum uocabulum,ut fit,nonnihil demutarunt.Hæc uero regio à stagno hoc, Genesareth uocata,habuit in superiore stagni litore Capernaum, postea Bersaida, quam Philippus Herodis frater, ædificatam & exornatam, Iuliam homonymam Iuliæ Cæsaris filiæ uocauit:autor est Iosephus lib.antiquitatum 18.cap.3. Infe-

Vnde nomen Genesareth stagno, & uicinæ regioni.

rius litus Tiberias addecorabat. Idem igitur est mare Galilææ, mare Tiberiadis, & lacus uel stagnum Genesareth. Hæc uolui, quo maiorem lucem haberent, quæ euangelistæ à domino, circa hunc lacum, & in hac regione gesta conscripserunt, uel hoc loco annotare. c

Miraculum ex Luca.

Vidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus &c.) Hunc Christus Petrum, id est, lingua Syriaca, Cephas, in prima illa uocatione, quæ Ioan. 1. legitur, uocauit, de qua infra. 16. dicemus. Porrò antequam ad perpetuum sui comitatum hac postrema uocatione, hos discipulos uocaret, edidit miraculum illud, ut in suo nomine iacientes rete, tantam multitudinem piscium cõprehenderent, ita ut rete rũperetur, qui antea totam noctem laborauerãt, & nihil ceperant, ut legimus Luc. 5. Quo docuit, ut sine ipsius iussu & uirtute frustra sudatur & cassum est quicquid docetur aut præcipitur: ita ubi ipsius uerbo & iussu prædicatur, innumeros reti Euangelico comprehendi. Nam & infra. 13. prædicationem euangelicam, capturæ piscium assimilat, quòd sicut uerticulum iactum in mare, uarios pisces capit, ita & euangelion prædicatum in mundo uarios adducat ecclesiæ Dei, homines, inter quos non pauci mali sunt, & rursus eijcientur, sicut sæpe cum probis, & putres pisces solent capi. Sed uoluit Christus hoc miraculo non tam quid futurum esset adumbrare, quã simul animare istos ad sequendum se pauperem, & à suis pauloantè non reiectũ tantum, sed etiam mortí adiudicatum: cui quoq; ipsum planè tradidissent, nisi per medium illorum, mirum in modum transijsset, de quo 4. Lucæ.

Historia Lucæ explicatur.

Vnde cum uiso miraculo territi fuissent, & procidens illi ad genua Petrus dixisset: Discede à me Domine, quia homo peccator sum, respondit ei Iesus: Ne metuas, post hac eris homines capiens, quasi diceret: Ponite inanem hunc metum, quo ob ostensam hoc miraculo meam diuinitatem perculsi estis: non exerui illam, ut uos à me absterrerem, sed ut potius ad me sequendum inuitarem, ac declararem paterna me uirtute præditum, mihiq; omnia subiecta: ne putaretis impossibilia, quæ, mundo tam contemptus, molior. Nolite igitur orare, ut à uobis discedam, sed potius orate, ut relictis omnibus mihi adhærere, meq; sequi uobis detur. Neq; auferat animũ, quòd peccatores estis: id adeo non moror, & hac causa uos tam nihil fastidio, ut sim constituturus uos captores hominum, quos peccatis exemptos, iustitię consecretis: & quorum cum uos peccata remiseritis, sint uere illis remissa. Videtur quidem modo hoc, longe captum & facultatem uestram excedere, sed etiam uidebatur iam paulo antè frustra fore, si rete laxaretis ad capturã, eo quòd noctem totam laborantes nihil cepissetis. Qui ergo potui uobis, licet peccatoribus, uerbo tantã multitudinem, in uerticulum uestrum adducere, idem uirtute mea dabo, ut innumeri adhuc homines uerbum uestrum sequantur ad æternam uitam. d

Concordia Matthæi & Lucæ.

Sic igitur præparatos hos, ad comitandum se uocauit. Filios Zebedæi ante pasus fuit subducere ad terram naues, retiaq; sua, quæ ex nimia illa piscium multitudine rupta erant, sedentes reficere, quod noster euangelista nominatim memorat: & tum demum ut se sequerentur, hoc est, ut sui perpetui comites essent, euocauit. Nam quod Matthæus noster scribit: Vidit Iesus duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, iacientes rete in mare, non sic intelligendũ est, quod euestigio ubi uidit rete iacere illos euocarit, sed post editũ miraculũ, post quod, scilicet, Lucas scribit: Relictis omnibus secuti sunt eum.

Videtur ergo ordo historiæ sic habere: Primum docuerat dominus in synagogis Galilææ, inde ubi et alijs ciuitatibus uellet prædicare, obruebatur à turba, tũ ingressus nauem Petri, quem cum fratre offenderat piscãtem, iussit à terra subducere, mox edidit signum, ex quo attoniti orabant, ut à se migraret, ibi ipse illos Petrum & Andream primum ad sequendum se uocauit, pollicitus se facturum eos captores hominum. Vbi autem ad terram naues subductæ erant, & forte in suam stationẽ seorsim

se filij

A se filij Zebedæi recepissent, nondum enim illos ad perpetuum suum comitatum uocarat, progressus paululum, offendit eos sedentes cum patre reficere rete suum, tum uocauit & illos: qui protinus relicta naui, & patre, secuti eum sunt, facti iam & ipsi perpetui Christi comites. Quod Lucas summatim dixit: Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Eadē uocatio hic & Luc. 5.

Licet enim hi domini discipuli facti essent, nempe post illam uocationem, quæ Ioan. 1. describitur, nondum tamen relictis omnibus, illum cœperant perpetuo comitari. At ubi iam omnibus relictis secuti ipsum fuerunt, non uidetur uerisimile, quod eo agente etiamnum in mortali uita, ad piscationem redierint: aliud enim iam munus illorum erat. Vnde cum Luc. 5. sicut hic Matth. narret eos omnia reliquisse, & promissionem accepisse de capiendis hominibus, mihi omnino uidetur, eandem hi storiam & uocationem ab utroq; descriptam esse. Verum iudicet de hoc Christianus, cum nullo de hac re contendero: quanquam nō uideam quomodo possint duę uocationes haberi, cum uterq; scribat hos relictis omnibus secutos Christum fuisse. Quam locutionem si uelis ad eum modum accipere, quo aliàs in euangelicis literis accipi solet, ferendū erit, istos apostolos Petrum, Andræam, & filios Zebedæi, cœpisse ab hac primum uocatione, post capturam piscium domino, ualedictis alijs negotijs omnibus, comites usq; adhærere. Hactenus de concordia Matth. & Lucæ.

Cæterum obseruandus hic est locus ille communis, dominum delectari humilibus & infirmis, ut suæ uirtuti feramus omnia accepta, de quo Paulus multis disserit 1. Corinth. 1. Videte uocationem uestram, quòd non multi sapientes secundum carnem &c. Verum ista ad hoc cōsideranda sunt, ut donis Dei nemo fidat, aut illis negotium salutis addicat: nequaquam autem, ut illa contemnat, ut sunt quidam, qui adeo eruditionem, aliaq; Dei dona spernunt, ut ipsi interim sua insciti a ac ruditate

B plus fidant atq; superbiāt, quàm alij sua eruditione aut ingenij dexteritate. Inuenias hodie quoq;, qui hoc domini exemplum suæ pigritiæ strenue prætexant: dumq; socordiæ arguuntur, qui non incumbant scripturis, negligant discere linguas, quo possint uersari in scripturis inoffensius, perpetuo in ore habeant, non uocauit Deus multos sapientes secundum carnem &c. Quibus respondendum erit, neq; certe uocasse multos pigros uētres, qui nati consumere fruges, ecclesiæ prodesse posthabēt, & interim ab ecclesia & alienis sudoribus saginantur. Rudissimos hic certe & crassissimos piscatores uocauit, quibus postea cœlesti sapientia orbem erudiret: sed non reliquit rudes & crassos: suo illos spiritu, antequā ecclesiæ ministros designaret, docuit omnem ueritatem. Ita hodie crassos & rudes uocabit quidem, at donato suo spiritu reddet doctos & eruditos ad salutem. Illos miraculo erudiuit, quia ita res poscebat: his dabit animum & facultatem discendi ex suis literis: & si opus sit item miraculo semel docebit, quantum satis erit: at nequaquā eos, qui cum possint, negligunt tamen scripturarum cognitionem sibi parare. Petentibus enim uult dare dominus: & sapientia nonnisi à uigilantibus ad fores suas conspicietur.

Cōtra eos qui suæ insciti æ et ignauiæ prætexunt rudes discipulos à Domino uocatos.

Dominus citra humanam eruditionem & operam, semel scientiā uitæ his piscatoribus donauit per suum spiritum: ita semel Israëlitas quadraginta annis sine humano cibo in deserto pauit, ut ostenderet à se solo ueram sapientiam, cibum & omnia donari, sibiq; perinde esse cui illa donet: nihilominus tamen, sicut tentasset Deum & iure optimo fame interijsset, qui ex Ebræis ubi uentum erat in terram promissam exercere illā, sererecq; agros neglexisset: ita recte omnis diuinioris cognitionis epers manet, quisquis nō diuenditis omnibus, hoc est, cunctis negotijs alijs posthabitis, qui huc saltem uocatus est, margaritū scripturarum sibi comparare studuerit, totisq; uiribus in hoc incubuerit, ut scripturam synceriter intelligat, eaq; de causa linguas sibi parare, ac omnino nihil omittere quod huc adiumento esse possit,

curauerit. Alioqui cur ſocordes iſti, non etiã loquuntur linguis,& ut Apoſtoli pro- C
phetant,quando ſanctam eruditionem adeo cõtemnunt,& operatione ſpiritus,tan-
ta oſcitantia fidunt?

Quæ ex rudium diſcipulorum uocatione diſcẽda.

Proinde diſcamus, hoc exemplo Chriſti, omnia ſuæ uirtutis eſſe, neq; illũ noſtra eruditione habere opus:eoq; ſi citra illam profitẽda ſit gloria Chriſti, nihil mouea-
ris,qui os creauit & hominem,dabit ſapientiã & os in illa hora,cui nemo queat reſi-
ſtere:ſi adeſt eruditio, ut nequaquam illo nomine tibi placeas,plusq; confidas.At ſi
ad docendum plebem Chriſti es uocatus, atq; in hoc aleris otioq; frueris, uæ tibi ſi
huc non omnia cõtuleris,cunctosq; ingenij neruos intenderis,quo habeas ſcriptu-
ram in numerato, & ſingula puriſſime, ſemper tamen ad ædificationem intelligas.

Non docebit Deus per miraculum,quibus dedit unde alias ſcientiam ſcripturæ aſſequantur.

Cur enim miraculo tibi Deus daret,ad quæ comparanda tanta ſuppeditauit admi-
nicula? Quare præter morẽ ſuum, ſaturam ac nauſeabundam animam cœleſtibus
iſtis delitijs uſq; ſtertentem,neq; eas ambientem repleret? Ad gloriam ſuam & no-
ſtram ſalutem,non ad fouendam ingratorum inertiam, & tegendam impoſtorũ hy
pocriſim,Deus operari miracula ſolet. Paulum potius ſequamur, qui Timotheum
ſuum,licet à puero doctum diuinas literas,hortatur tamen lectioni uſq; incumbere,
1. Timoth.4. Et Apollo illum Alexandrinũ uirum eloquentem, & in ſcripturis po-
tentem,quanti diſcipuli faciebant? Certe Act.18.ſcribit Lucas,multũ illum conuiliſ-
ſe ijs,qui crediderant per gratiam. Ita Paulus uult Epiſcopum qui ſit tenax eius, qui
ſecundum doctrinam eſt,fidelis ſermonis ,ut potens ſit, etiam exhortari in doctrina
ſana, & contradicentes conuincere. Tit.1.Et.1. Timoth.3.qui ſit διδακτικὸς, id eſt,a-
ptus ad docendũ.Hæc iam omnia dona Dei ſunt, quæ quidẽ etiam miraculo poteſt
dare,& dat multis, uerum nihil eorum, contemnentibus quæ ipſe dedit & ordina-
uit media,huc perueniendi.

Præficiendi muneri docẽdi, qui cum reliquis dotibus in ſcriptura plurimũ poſſunt.

Et hoc contra eos eſt,qui rudes & laicos,quã in ſcripturis exercitatos malunt mi- D
niſterio uerbi præficere,iactantes & Chriſtum rudes laicos delegiſſe. Quorum ſen-
tentia ferenda eſſet,ſi poſſent,ut Chriſtus,ex rudibus laicis, & ipſi illico reddere qui
loquerentur uarijs linguis,& ſcripturas intelligerent. Spiritus quidẽ eſt qui docet,
ſed unumquemq; quantum ſatis eſt,ad ipſius,& eorum quibus Dominus præfecit,
ſalutem. Cæterum diſtribuit ſua dona,iuxta quod ipſe uoluerit,& munus, ad quod
delectus quiſq; fuerit,requirit.Idem etiam ſpiritus impellit,ut dona Dei non contẽ-
nas, & diſcere quibus opus eſt, non pigeat, denicq; ut eum cuicq; muneri deputes,
quem uides ab ipſo ad id formatum.Summa eſt,dona Dei,eruditio, linguarum pe-
ritia,in ſcripturis exercitatio,quærenda & magnifacienda ſunt: ſed nequaquam il-
lis uel fidendum,uel ſuperbiendũ. Hactenus digredi hic libuit quòd plurimi rurſus
fuci ſeſe hodie in miniſteriũ uerbi Dei intrudunt,ad quiduis aliud aptiores, qui ſtre
nue ut ignauiam ſuam, non diſſimulent tantum,ſed etiam ſpiritus titulo impie uen
ditent,linguarum ſtudium,& diligentem ſcripturarum excuſſionẽ, palam è ſugge-
ſtu audent damnare,& impuriſſimo ore proſcindere.

Pij niſi aliò à Deo uocẽtur laborent manibus.

Præterea notandũ quòd dominus ab opere diſcipulos iſtos uocauit. Ita pij in pri-
ma & generali uocatione Domino ſeruiunt,hoc eſt,in ſudore uultus ſui,ſuo ueſcũ-
tur pane:alunt ſe & ſuos, agũt cum ad eam ætatem uentũ fuerit,patresfamiliãs, do-
nec per dominum ad aliud deputentur. Sic Chriſtus ipſe labori manuum incubuit,
donec tempus prædicandi appetijſſet. Qui igitur non fuerint ad alia,ſcilicet,uel lite
rarum ſtudia,ut poſtea docendo,uel gubernãdo eccleſiæ Dei præſint, uel ad Rem-
publicam adminiſtrandam,aliá ue honeſta,& alijs utilia ſtudia uocati,illis nihil cõ-
ſultius inſtitui poterit, quàm ut manibus laborent,quò habeant, ut tribuant neceſ-
ſitatem patienti. Pius autem animus,facile agnoſcet, quo ſe uocet Dominus: dum
ſuam propenſionem,utilitatem fratrum,atq; adminicula,quo ſecundum ſuam pro-
penſionem publica commoda procuret,expenderit. Ad quę enim Deus nos uocat,

ad ea

A ad ea & ardorem quendam, atq; adminicula solet suppeditare. Præcipuum autem fuerit, quo agnoscas, ad quid te Deus uocarit, & uocationis Dei lydius lapis est, si tibi datum sit, fratribus quàm plurimum commodare, & tibi indulgere quàm minimum.

Quo cognoscas ad quid te Deus uocarit.

Deinde & exempla innocentiæ atq; pietatis in his discipulis, etiamnum sua agentibus, uidere est. Vti ferè semper in electis, etiam ante plenam eorum cõuersionem, & dum flagitijs madent, quædam tamen pietatis seminaria subinde elucent. Rarum nanq; est, ut fratribus, postquam singuli patresfamiliâs facti sunt, probe inter se & cum parentibus conueniat, adeo quærit caro semper quæ sua sunt. At hic uides fratres simul & cum patre piscari, habereq; omnia, summa cum beneuolentia communia. Ita semper suis pij, quibus eos Deus, scilicet, adiunxit, solẽt adesse & uiuere.

In electis semper seminaria pietatis.

Venite post me, & faciam uos piscatores hominum.) Vocatio hæc fuit ad peculiare munus, ut essent discipuli ac perpetui Christi comites, ut est dictum. Nam mox sequitur: At ille relictis illico retibus ἀπολιθησαν αὐτῷ, id est, secuti, uel consectati sunt eum. Nam cum nõ posset simul piscationi & patris curæ incumbere, pie & religiose fecerunt, quòd reliquerunt hæc omnia. Hoc enim est Christum præ omnibus diligere, & parentes, uxorem, liberos, denicq; suam ipsius animam propter ipsum odisse, de quo in Luca. 14. hoc est, eum animum erga illa omnia, ac seipsum habere, ut simulatq; dominus uolet, citra moram, ac lubens cunctis ualedicas, ut hic uides hos discipulos, uniuersis simul rebus ualedixisse. Vbi autem Dominus te à rebus, parentibus, liberis, ac quibuscunq; te adiunxit, nõ auocauerit, caue illos deseras: ethnico esses deterior, & fidem abnegasses. Timoth. 5. Præ Christo, aliò uocante, non pręeo, quod uel tibi, uel alijs hominibus arridet, deserenda sunt, quæ Dominus dedit.

Vnde quicq; aliud magis q̃ Apostolos hos, plericq; Monachi & Monachæ nostri
B seculi imitantur: qui post homines, non Christum abeuntes, ijs quos Deus commisit, ualedicunt. Neq; enim nobis integrum est, parentes, liberos, aut rerum quas Dominus nobis dedit dispensatores, pro nostro arbitrio mutare. Pro suo autem illi arbitrio, parentes, magistratus, fratres, rerum suarum dispensationem & omnia commutant, amplectentes pro ijs, qui ipsos genuerunt, eos qui ipsos cuculla uestierũt: pro ordinata à Deo potestate, eam quam erexerunt ipsi: pro exijsdem parentibus natis, ac eodem Christi sanguine redemptis, germanis fratribus, eodem colore uestientes: pro se ipsis, quos Dominus dispensare uoluit, quas illis facultates dedit, præfectos Cœnobiorum, quibus alienas, nempe Dei facultates iniussu ueri Domini committunt. Hos autem nolo uituperare, si qui eo spiritu, & ea ratione uitæ cõmunionem instituant, & patrimonia sua communi dispensatori credant, quò ipsi spiritualioribus actionibus intendant expeditius, quo spiritu, quaq; ratione, Apostoli leguntur, rerum communicationem incepisse, Act. 4. quod institutum plurimi quoque sanctorum hominum postea secuti fuere: & hi laudati illi à sanctis patribus Cœnobitæ fuerunt. His autem, si nostri seculi Monachos, & fratres conferas, quid quæso simile? Optimi siquidem inter eos istam suam uiuendi rationem amplectuntur, ut liberi cura aliorum, suæ duntaxat animæ, ut loquuntur, consulant. Vulgus uero, otium & securitatem uentris duntaxat sectatur: plærique etiam opes & fastum plus quàm aulicum. Iam Christianorum est, non solum mundum, sed & seipsos abnegare: curæ que suæ salutis Deo concredita, aliorum salutem modis omnibus procurare. Huc suam illam uitæ communionem, Apostoli & prisci Monachi instituerunt: ac ideo quando illa communio Christi institutum non promouebat, libere eam soluerunt. Fuci autẽ, quorum uenter, Deus est, statim se sanctissimis uiris admiscuerunt, quos D. Hieronymus ad Eustochium, & aliâs sæpe suis coloribus depinxit. D. Augustinus quoq; libro de opere Monachorum, socordiam

Quomodo pro domino omnia deserenda.

Cœnobitæ nequicquam Christum sequuntur.

& hypocrisim talium fortiter taxat. Vtinam uero, nostræ ætatis Cœnobitæ, nō hos fucos potius, quàm uel Apostolos, uel ueros illos monachos referrent? c

Post me. Veni post me, idiotismus Ebræus est, pro eo quod infra 9. & alibi habetur ἀκολούθει μοι, id est, consectare me, sicut Iere. 3. Patrem uocabis me, לא תשובי מאחרי id est (ut uerbum uerbo reddam) de post me non deflectes, quod perinde est, & me sectaberis. Ita Hosea. 11. Post Deum ambulant.

Respexit ad uaticiniū Ier. In priore editione, secutus. D. Hieronymum, adduxeram hic locum Ierem. 16. ut quo de hac Apostolorum piscatione prædictum esset, locus sic habet: Ecce mittam piscatores plurimos dicit Iehouah, & piscabuntur eos, & postea mittam multos uenatores, & uenabuntur eos, in omnibus montibus, & collibus, & in cauernis petrarum. Verum dum in hac altera editione, cum precedentibus sequentia eius capitis contuli, uideo Hebræorum sententiam probabiliorem, qui scribunt, Vatem hæc de Chaldæis piscaturis & uenaturis undiq; Iudæos, ut abducerent captiuos, prædixisse. Nam his quæ adduxi, continuo subiecit: Nam oculi mei intenti sunt in uias uestras, non sunt mihi absconditæ, neq; tecta est oculis meis iniquitas eorum. Mouit autem D. Hieronymum, ut de Apostolis hic prædictū putaret, quod præmissum est: Propterea ecce dies ueniunt, dicit Iehouah, cum nō dicetur amplius, uiuit Iehouah, qui adduxit nos de terra Aegypti, sed uiuit Iehouah. qui adduxit nos de terra Aquilonis, & de omnibus terris, ad quas depulerant eos, &c. Sed hęc Propheta intulit, ad id, quod minatus illic Deus est, in hæc uerba: Auferam uos de terra hac, ad terram quam nec uos nouistis, nec patres uestri &c. Hoc itaq; confirmaturus subiecit, sic terra sua ejiciendos, ut cum redire in illam eis iterum contingeret, eam sui reuocationem, non minoris facturi essent, ac celebrem habituri, quàm haberent illam, qua fuerant educti ex Aegypto: atq; per hoc significauit, uniuersos è terra sua abigēdos. Ad id iam augendum, & illud facit, quod prædixit, eo studio quo capi pisces solent, quo feræ uenari, undiq; conquirendos illos, & uenandos esse, ut in Chaldæam abigerentur. Hanc interpretationem quia omnino germanā arbitror, totus siquidē cōtextus, de Iudæorū in Babylonē abductione uaticinatur, adducere uolui: ne per me quis in diuersum abduceretur. Nihil siquidem æque sacrosanctū esse nobis decet, atq; synceritas uerbi Dei. Cæterum hac piscationis allegoria, cōmendatur nobis diligens & indefessum, lucrandi quàm plurimos studium, ex quo Paulus omnibus omnia fiebat, ut saltem aliquos lucraretur. 1. Cor. 9. Et Corinthios pio dolo, gratis illis prædicans capiebat. 2. Cor. 12. Pigere certe ac pudere nos debet nostræ ignauiæ, qui oscitanter adeo lucrari domino fratres studemus, cum qui perituro uētri pisces item perituros uenantur, omnes partes, flexus & recessus fluminum & lacuum habeant exploratos, cœlum diligentissime obseruent, frigus horridum perferant, magna pericula adeant, mille artes tentent, solidas noctes ubi somno indulget alij, operentur & algeant, imò potissimum noctu operi suo incumbant. Maxime uero à nobis summa cura atq; fides requiritur, qui in hoc delecti sumus, ut Deo æterno & omnium uiuificatori, pisces itē ęternū uicturos capiamus, imò è mortis captiuitate, in uiuariū cœleste trāsponamus. Væ nostro corpori, qui parū adeo laboris & periculi adire pro Christo sustinemus: & pro regni eius amplificatione tam modicam industriam hic intendimus.

Studiū piscandi, id est, lucrandi quàm plurimos cōmendatur.

Nō illico erāt, sed multa eruditione fecit eos piscatores hominū. Notandum uero est, quod ait: Faciam uos piscatores hominū, contra eos, quibus ruditas tātopere probatur. Vocauit quidē eos cum essent piscatores piscium, adhuc rudes & crassi: at quia plurimū spiritalis industriæ, & dexteritatis ad hoc requirebatur, ut piscatores hominum essent, adiunxit illos mature sibi, quo per tēpus fingeret formaretq; ad munus hoc tam eximium, ut piscatores hominū esse possent: & cum iam homines uenari & capere deberent, nihil minus essent, quàm crassi & rudes. In quo etiā domini nostri bonitas, ita sedulo curātis quę ad salutē nostrā faciūt, reluxit: d

& neces-

A & neceſſitas doctorum quando ipſe tales nobis formare, tam ſolicite atq; operoſe ſtuduit, ſubindicata eſt. *Neceſſitas prædicatorũ.*

In eo poſtremo, quòd hic diſcipuli protinus, ubi uocem domini audierant ſecuti eum ſunt, uis domini uocãtis apparuit. Eo certe uocante, nemo eſt qui poſſit nolle ſequi: ita luculenter dũ uocat, ſuã animo eius quẽ uocat, bonitatẽ oſtẽdit. Omnibus his, ut admodũ ſalutis humanę ſolicitũ ſeſe Chriſtus declarauit, ita uniuerſa fidẽ no bis corroborãt, et dilectionẽ accendũt, ſi religioſe perpendãtur: ut nõ dubitemus illũ & noſtra pro ſalute æque ſolicitũ eſſe & nos ſimiliter pro fratrũ ſalute ſolliciti ſimus. *Bonitas Chriſti & inſeruiendi nobis ſtudium.*

Et circumibat totam Galilæam.) Vide ut magna & ſaluifica luce regio hæc, quæ humilis olim erat, & tenebris ac umbra mortis oppreſſa, perfundebatur, & nunc ue re glorioſa reddebatur, de quo ſuprá. Ita fiebant nouiſſimi primi, & magnifica, quæ fuerant omnibus abiectiſſima. Attende ſimul immenſam Chriſti erga homines cha ritatem, qui ipſe uniuerſam Galilæam circumibat. Hoc demum officium erat Chriſti Vicariorũ, ita circũire, & ſalutis doctrina, ad uitã reuocare peccatores, ſi maluiſſent Chriſtũ re quàm nomine atq; dignitate referre. Euangelion regni prædicabat, quod notent, qui Chriſtũ nouę legis latorem, impie blaſphemãt. O quàm leuiculũ, externe bonas leges dare, ad id quod proprium fuit munus Chriſti. Euangelion regni prædicabat, tẽpus, ſcilicet, & annũ aduenìſſe beneplacitum: adnuntiabat, quòd propter ipſum, pater dignatur nobis peccata cuncta condonare, eſſeq; Deus noſter, nos habere ſuũ populũ, qui ſub ipſo Chriſto eius, uere Rege noſtro, ſcilicet, nihil ſui, ſed ſolam noſtram ſalutẽ, ſuo imperio procurante, omnimoda libertate & fœlicitate fruamur. Vel ſola enim Chriſtianorũ Reſpublica, regnum & Dei & cœleſte, uocari meretur. Et Euangelion Chriſti, uere Euangelion regni, nimirũ præconium Regis cœleſtis, hoc eſt, ęternũ inſtificãtis & ſaluantis omnes in ſe credentes. Vnde Iere. 23. *Munus proprium Chriſti prædicare euangeliũ, nõ dare leges. Eccleſiæ regnum. Euangelion regni.*

B Ecce ueniunt dies dicit Dominus, & ſtatuam Dauidi, germen iuſtum, & regnabit Rex, & prudẽter aget, facietq; ut ex iuſto & æquo uiuatur in terra. In diebus eius, ſaluabitur Iehuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc nomen eius quod uocabũt Dominus iuſtus noſter. Vere ſolus ſolide rex eſt, qui uitæ & necis poteſtate plena in omnes fungitur: ſpiritu aũt ſuo, ad optima quæq; ſibi ſubiectos adducit, ſolus ſapienter omnia adminiſtrans, ut apud ſuos germana iuſtitia ac ueritas uigeat. Vnde uerus etiam Iehuda ac Iſraël, populus, ſcilicet, electus Dei, ſalutẽ et bonorum omniũ abundantiã cum ſumma ſecuritate conſequitur. De eodẽ regno, & Zacar. 9. Exulta ualde filia Zion, iubila filia Ieruſchalaim, ecce Rex tuus ueniet tibi, iuſtus & ſaluator, humilis & ſedens ſuper aſinũ, & ſuper pullum filium aſinarum, & deſtruet currũ Ephraim, & equũ Ieruſchalaim, & deſtruetur arcus belli, & loquetur pacẽ ad Gentes, & dominabitur à mari, uſq; ad mare, & à flumine uſq; ad fines terræ. De hoc regno multa in Ieſaia, ac omnibus prophetis legimus. Micha. 4. luculenter quoq; & magnifice illud deſcribit, Pſalmi id celeberrime canunt: Regnauit dominus, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. *Chriſti regnũ*

Hoc iam beatum regnũ, adducere ſe oppreſſis duriſſima ſatanæ tyrãnide, Chriſtus prædicabat. Quid enim aliud fuit, quàm huius regni, gratiæ, iuſtitiæ, pacis, & ſalutis euãgelion atq; pręconiũ multo lætiſſimũ, cum dicebat, quod infra habemus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. Tollite iugũ meum ſuper uos. Item: Veni in mundũ, ut qui credit in me habeat uitã æternã. Veni uocatũ nõ iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã, quæſitũ & ſaluatũ quod perierat. In hoc ergo totus fuit, ut ſe regẽ iuſtificatorẽ & beatorẽ omniũ ſibi fidentiũ declararet: ac ſi quid legũ refricuit, ſi quando opera uiſus eſt exigere, tantũ id fecit, ut ſuę gratiæ neceſſitatẽ miſeris, qui à lege certo dãnantur, perſuaderet: tum etiã ad fidei opera excitaret: recte igitur prædicaſſe illũ euangelion regni, id eſt, præconium gratiæ ac ſalutis, per ipſum orbi exhibitę, enuntiaſſe Matthęus adſerit. Sed dũ illud nemo rite *Quãdo Chriſtus euangelion regni prædicarit.*

poteſt

poteſt percipere, qui non ex lege peccata ſua probe nouit: & qui illud percipiunt, di C
uini tum, nihil quàm diuinam uitam uiuunt, hoc eſt, legi Dei conformẽ, ſubinde de
lege & legis obedientia quoq; diſſeruit quò alios ad euangeliũ ex cognitione pec-
catorum ſuorum perpelleret, alios moneret ingenij euangelij, ne ſibi illud fontẽ o-
mnium bonorum operũ, amplexos eſſe uiderentur, ſteriles etiamnum bonorũ ope-
Quod officiũ Euangeliſtæ. rum. Hunc itaq; euangelij & largitorem, & prædicatorem primum, qui Euangeli-
ſtæ regni eius fuerint, imitabuntur, primam & præcipuam operam dabunt, ut quę
per Ieſum Chriſtum gratia electis facta ſit, pleniſſime declarent, neq; ad alium uſum
uel legem urgeant, uel cohortationibus immorentur, quàm ut peccata ſua homines
ex lege cognoſcant, tantoq; auidius Chriſto ſe regi per fidem ſe dedant: cúmque
agnouerint ſeſe peccatis ſuis perditos, & Chriſto dediderint, ne torpeant, & à ſen-
ſu carnis ſoporem quendam, ſuffundi ſpiritui ſinant, hoc eſt, ne non ſatis acceptæ
gratiæ exiſtant grati, aut à rege hoc ſuo ſaluatore animum patiantur uel paulu-
lum deflecti.

Omnes tamen cohortationes euangelio regni nitentur, & ex eo manabunt, uti
Paulum legimus per miſericordias Dei adhortari & obſecrare, ac ſemper ſummo-
Quatenus o-pera exigẽda pere inculcare, quid per Chriſtum acceperimus, ac inde tum monere, ne uelimus
uideri hanc gratiam accepiſſe fruſtra. Niſi enim ex fide, & animo qui propitio iam
ſibi Deo cupiat gratificari, opera fiant, ſimulata ſunt & peccata, quamlibet bona ap
pareant. Qui enim non infandum peccatum, tribuere tuo operi, quod ſolius Chri-
ſti eſt, nempe expiare peccatum, Patris gratiam parare? Iam ſi non ſtudio Deo gra-
tificandi, quem nõ dubitas te ſuorum numero inſcripſiſſe, opera tua bona facis, cer-
tum erit, te ſalutis comparandæ cauſſa illa facere, iam illis tribuis quod ſolius Chri-
ſti eſt: qui igitur non peccares, & eo grauius, quo nobilioribus Dei donis (quicquid
Curandum in primis operũ fontem, fidẽ. enim boni à nobis proficiſcitur, Dei donum eſt) ita abuteris in ignominiam Chri- D
ſti tui? Bona igitur opera urgeamus quidem, ſed quia bona non ſunt, niſi ex bono
corde, hoc eſt, per plenam fidem dedito Deo proficiſcantur, multo magis euange-
lion regni & Chriſti redemptionẽ urgeamus, qua percepta, uere demum cor reſipi-
ſcere, ſeſeq; Deo conſecrare & bonum fieri poteſt.

Hac digreſſiuncula munire uolui electorũ corda, contra eos, qui ita legẽ prædicãt
& opera, ut Chriſti gratiã obliterent, qui miris cuniculis hodie rurſus irrepunt, & fi-
dem Chriſtiq; gloriam, horrende impugnant, licet nihil minus uideri uelint. Quia
enim ſalus in una fide Chriſti, quod perſuaſum habemus per ipſum, patrem nobis
propitium nosq; filios & hæredes adoptaſſe ſita eſt, tentat omnia ſatan, ut hanc fidẽ
labefactet: etiam ipſe ſe transformans in angelũ lucis, & docens & urgẽs bona ope-
ra: non quæ uere ſunt, id eſt, ex ſyncera omniũ dilectione proficiſcẽtia, ſed quæ apud
homines, maximi habentur, ut ſimulatum contemptũ uoluptatũ, perſecutionis tole
rantiam, uitæq; tetricam fæueritatẽ, atq; id genus alia. Nouit enim his omnibus ſa-
lutem nobis non conſtare, & difficilius ita pretioſa ut mundo uidẽtur, nos poſſe re-
Quã facilis à Chriſto ad noſtra opera lapſus. linquere, ſed nos adorare ea potius, et in illis nobis placere atq; ſuperbire ſolere. Iam
id unice ſemper agit, ut adoremus opera manuum noſtrarum: fouenda igitur exco-
lendaq; ante omnia fides in Chriſtũ erit, quæ certe ſi recta fuerit, ſua ſponte magno
cumulo omnia uere opera proueniẽt. Si illa labaſcat, nihil recte aut bene à nobis fie
ri poterit. Nequibit autẽ non labaſcere, ubi toti in eo homines fuerint, ut ad præſcri-
ptum legis opera extorqueãt, omnemq; in operibus animum habeant Chriſto præ-
terito. Tacite nanq;, & priuſq; animaduertamus, obrepit amor & adoratio propriæ
iuſtitiæ, gloriaq; Chriſti in noſtris cordibus obſcuratur. Expẽdat hæc ſpiritalis, & a-
gnoſcet me ueriſſima ſcribere. Sit ergo Chriſtus, ſint Apoſtoli, ſit ſpiritus ſanctus per
totã ſcripturã magis nobis exẽplo, et autores prędicãdi et euãgelion regni prędicãdi

quàm

A quàm male conciliati quidam homines,qui uolunt ut legem uſq; inculcemus,in operibus extorquendis toti ſimus,externaq; ſpecie Chriſtianiſmum metiamur.

Et curans omnem morbum.) Legem dominus dedit,præmiſſis & ſequentibus aliquandiu magnis portentis, quæ uoluit ad commendandam ſuam potentiã & bonitatem poſteris conſcribi,& diligenter narrari. Nam perpetuo edere miracula noluit. Ita initio Euangelij,& tẽpore aliquanto poſt ortum eius,plurimis ſignis & prodigijs, ijſq; præcipue,quibus laborantibus ſubueniebatur, Euangelij maieſtatem ac pretium orbi commendauit, declarauitq; aduenisſe tempus, quo ſanari & reſtitui hominum genus debuit:quo uiſitari oculi cæcorum, & aures ſurdorum aperiri,ſalire ſicut ceruus claudicans,laudare lingua muti,ſicut Ieſaias uaticinatus eſt. 35.hoc eſt,ut uno uerbo dicam,quo ſaucius,peccatorumq; morbis oppreſſus Iudæorum & gentium populus debuit iuſtitiæ ſanitatẽ & uires recipere,ueræ ſaluti redditus. Porrò cum Apoſtolis, hæc edẽdi ſigna facultas uel remiſſa fuit uel ceſſauit: ſicut & poſt Moſen,rariſſima Hebræis prodigia euenere.Quem enim ad credendũ prædicata ſigna nequeunt permouere,eum neq; uiſa mouebunt,uti in Phariſæis & reliquis Iudæis ſatis apparuit,qui citius Beelzebub Chriſti miracula attribuerũt,quàm ut credere ipſi ſuſtinuiſſent. Fides opus ſpiritus ſancti eſt,ad quod uerbis prædicantis, uti ſolet ſemper,ſignis utitur raro . Hic electos per euangelium docebit omnem ueritatem,ſi etiam nulla ſigna uideant, quare non eſt quod eccleſia ſigna deſideret. Verbum habet,& fructificatorem eius ſpiritum,hinc credit in Chriſtum,& habet uitam æternam,ad quid ſigna præterea requireret? Quanquam nec ea ſi res poſcat,pij deſiderabunt: imò quotidie multa,quæ impios latent,experiuntur.

Lex & euangelion ſignis & prodigijs, orbi inuecta & commendata.

Non eſt eccleſia eò infelicior quòd frequentia ſignorum ceſſauit.

Obſeruandum uero eſt, quòd Euangeliſta ſcribit à domino omnem morbum & omnem languorem curatum, eo enim maxime diuinitatem ſuam exeruit, cui nul-
B lus morbus inſanabilis extitit:ſimulq; oſtendit ad quid uenerit,nimirum ad tollenda ſemel à ſuis,ut peccata,ita mala uniuerſa,quæ omnia à peccato uenerunt.Quare quòd dominus curauit omnem morbum, & dæmones ab hominibus exegit, hoc ipſum euangelij prædicatio quædã fuit,per facta ſcilicet.Cum enim adeo neminem qui opem ſuam imploraret à ſe repulit,nullumq; quanquam grauem ac diuturnum morbum non ſanauit, nullam quamuis ſæuam uim dæmonum ab hominibus non uerbo remouit, eo clariſſime ſanè prædicauit, ſe illum eſſe qui peccata mundi tollit, qui tollebat pœnas, quas orbis pro peccatis debet. Omnis ſiquidem ſatanæ in homines poteſtas ei à peccato eſt:& ob peccata immittũtur omnes morbi ac mors ipſa, ut paſſim ſcriptura teſtatur, & Pſal. clariſs. canit, ſingulariter uero pſal. 107. Paulus idem monet. 1. Cor. 11. Propterea inter uos multi ægroti. Tanto ergo ſeruatori quis ſeſe non addicat? Quis dein eorum,qui ſe illi addixerunt,non ſtudeat exemplo eius depellendis aliorum malis ſeſe totum impendere?

Et dimanauit fama illius,&c.) Hic, ſcilicet, agebatur, ut longe lateq; ſeruator agnoſceretur.Huc pertinere et facere,ut Chriſti,ſcilicet,gloria diuulgetur,oportet omnia dicta & facta noſtra. Sed uide ut omnia nihil ſunt, ſi non informet cor ſpiritus ſanctus . Quamlibet celebrem enim dominum noſtrum,& eo nomine celebrem, quo neminem illi conferre potuerant, ex omnibus, quos unquam habuerant prophetis:uidere tamẽ & odiſſe,atrociſſimeq; perſequi eum potuerũt qui apud Iudæos in omnibus primas obtinebat.

Incaſſa miracula ſi non doceat ſpiritus ſanctus.

Et adduxerunt ad illum,&c.) Ita caro carnalia beneficia quæ ſentit, ſpiritalibus quæ, ſcilicet, non agnoſcit, præfert, unde turmatim hic, Chriſtum corporibus medentem adibant,rariſſimus qui ſpiritalem ab eo curam,ob quam potiſſimũ aduenerat ſibi petijſſet. Nihilominus patrẽ ſuum, perfectione beneficentiæ ſtrenue retulit, quibuslibet benefaciens , corporalia beneficia conferẽs ijs qui noluiſſent ſpiritalia.

Quem

Quem certe qui spiritu eius præditi sunt aut æmulentur, addecet, & erga quoslibet C
benefici sint: potissimum quidem operam dabunt, ut spirtalibus beneficijs proximos adficiant, tamen si qui illis sese indignos faciant, eis corporalia nõ negabũt. Sic perfecti erunt, sicut perfectus est pater illorum cœlestis, qui solem suum oriri sinit super malos & bonos, &c.

Torminibus contractos & dæmoniacos & lunaticos, &c.) Grauiores & ferè incurabiles morbos, Euangelista recenset, quo diuinitatem Christi & illud, quòd uenit, ut liberaret nos peccatis, causis morborũ, magis declaret, & fidem in ipsum fortius confirmet. De dæmoniacis alibi dicam. Lunatici sunt, morbo comitiali, quẽ uocant, laborãtes. Vocantur aũt lunatici, autore Perotto, quod eos qui interlunio nati sunt, hũc morbum ferè pati compertum est: citatq; Serenum, cuius inter reliquos de hoc malo hi uersus sunt.

Qui lunatici.

Ipse Deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.

Qui paraytici.

Apopletici syderati.

Paralytici sunt gutta non toti, sed in parte aliqua corporis percussi, unde neruorũ solutio consecuta est: sicut apopletici, quibus gutta totum corpus infestauit, qui & syderati dicuntur. Omnes hi morbi ut grauissimi sunt, ita contra medicorum artem sæpenumero existunt inuicti.

Et secutæ sunt eum turbæ multæ.) Plurima sanè pars, ut dictum est, ob corporum beneficia, quia tamẽ illa, licet indigni assecuti sunt, docemur quàm salutare sit Christum sectari, etiam quamlibet imbecilli fide. Vide autem ut iam toti regioni Ebræorum innotuerit: ex omnibus enim eius regionis partibus sectatores habebat, ex Galilæa, quæ citra Iordanem, ex Decapoli, quæ trans Iordanem, de qua Plin. lib. 5. cap. 18. Hierosolyma, & circa Iordanem. Lucæ 6. additur & maritima Tyrus & Sydon. Porrò πέραν, propositio græca, licet trans uel ultra significet, attamen, quoniam ab Euangelistis, pro Ebræa עבר quæ item trans & ultra, sed etiam circa significat, usurpatur, mihi quidem uidetur hic perinde ualere atq; si ἀμφὶ, uel περὶ posuisset. Vt sicut עבר הירדן nõ solum trans, uel ultra, sed etiam circa Iordanem significare reperias, ita & πέραν τοῦ ἰορδάνου, accipias pro eo, quod Euangelista noster, supra cap. 3. περίχωρον τοῦ ἰορδανοῦ dixit, id est, regionem finitimam Iordani. Ibi enim de eadem regione qua hic, locutus uidetur. Nam & illic portiones aliquas terræ Gentis Israẽlitarum, enumerat, Hierosolyma, scilicet, Iudæam, atq; hanc finitimã Iordani, quam eandem & Ioannes significasse uidetur, cum ait primo cap. Hæc in Bethabara facta sunt, trãs uel circa Iordanem ubi Ioannes baptizabat. Hinc conijcio hanc trans, uel potius circa Iordanem, hoc est, Iordani finitimam illam esse regionem, quę est, nobis ex portu Ioppe, Iordanem petentibus citra Iordanem, paulo supra Asphaltiten lacum, quod mare salis, uel desertum in scriptura uocatur.

Quæ regio trans Iordanẽ

D

CAPVT QVINTVM.

Sect. 1.



VM uidisset autem turbas, ascendit in montẽ, & cum consedisset, accesserunt ad illum discipuli eius, & postquam aperuisset os suum, docebat illos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Beati mites quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabũtur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniã ij filij Dei uocabuntur.

Beati

A Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis, cum probra iecerint in uos homines, & inſecati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduerſus uos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante uos.

Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? Ad nihil ualet ultra, niſi ut proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt oppidum abſcondi ſupra montem ſitum, neq; accendũt lucernam, & ponunt illam ſubter modium, ſed ſupra candelabrum, & lucet omnibus, qui ſunt in domo. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis. *Sect.2.*

Ne exiſtimetis, quod uenerim ad deſtruendam legem aut Prophetas, imò nõ ueni ut deſtruam, ſed ut compleam. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quiſquis igitur ſoluerit unum ex mandatis hiſce minimis, & docuerit ſic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Quiſquis aũt fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. *Sect.3.*

Dico enim uobis: Niſi abundauerit ueſtra iuſtitia pluſquã Scribarũ & Phariſæorum, non poſſitis ingredi in regnũ cœlorum. Audiſtis quòd dictũ ſit ueteribus, Non occides. Quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quòd quiſquis iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxius erit iudicio. Quicunq; uero dixerit fratri ſuo racha, obnoxius erit cõcilio. Quiſquis autem dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Itaq; ſi obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque illic munus tuũ coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tũ ueniens offer munus tuum. Habeto beneuolentiam cum aduerſario tuo cito, dum es in uia cum illo, ne quando te tradat aduerſarius iudici, & iudex te tradat miniſtro, & in carcerem coniiciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem. *Sect.4.* *Exodi. 20.* *Deut.6.*

B

Audiſtis quòd dictum fuerit antiquis: Non cõmittes adulterium. At ego dico uobis, quòd quicunq; aſpexerit uxorem alterius, ad concupiſcendum eam, iam adulterium cum ea commiſit in corde ſuo. *Sect.5.* *Exod.20.*

Quòd ſi oculus tuus dexter obſtaculo tibi fuerit, erue illum, & abiice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorũ tuorum, ac non totum corpus tuum coniiciatur in gehennam. Et ſi dextera tua manus obſtiterit tibi, amputa eam, & proiice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorũ tuorũ, ac non totum corpus tuum coniiciatur in gehennam. *Sect.6.*

Dictum eſt autem: Quicunq; repudiauerit uxorem ſuam, det illi libellum diuortij. At ego dico uobis, quòd quiſquis repudiauerit uxorem ſuam, niſi cauſa ſtrupri, efficit ut illa ſit adultera, & quicunq; repudiatam duxerit, adulterium committit. *Sect.7.* *Deut.21.*

Sect.8. Rursum audistis,quod dictum fuerit antiquis, Non peierabis, sed persol- c
Leuit.19. ues domino ea quæ iuraueris. At ego dico uobis, ne iuretis omnino, neque per cœlum,quia thronus Dei est, neq; per terram, quia subsellium est pedum illius,neq; per Hierosolyma, quoniam ciuitas est magni regis, neq; per caput tuum iurabis,propterea quòd non potes unum pilum album aut nigrum facere: sed erit sermo uester,est est,non non.Porrò quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur.

Sect.9. Audistis quod dictum fuerit, oculum pro oculo,& dentem pro dente. At
Exod.21. ego dico uobis,ne resistatis malo,sed quisquis impegerit alapam in dexteram
Deut.19. tuam maxillã, obuerte illi & alterã,& ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicã tuã tollere,permitte illi & palliũ,& qui te adegerit ad miliarium unũ, abito cum illo duo:Petenti abs te dato,& cupientem mutuum accipere,ne auerseris.

Sect.10. Audistis quod dictũ sit:Diliges proximũ tuum,& odio habebis inimicum
Leuit.19. tuũ. At ego dico uobis: Diligite inimicos uestros,bene precemini deuouentibus uos,benefacite ijs,qui uos odio prosequũtur. Orate pro ijs qui lædunt & insectantur uos,ut sitis filij Patris uestri,qui est in cœlis, quia Solem suum exoriri sinit super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Nam si dilexeritis eos qui diligunt uos, quod præmium habetis? Nónne & Publicani idem faciũt? Etsi cõplexi fueritis fratres uestros tantũ, quid eximiũ facitis? Nónne & Publicani sic faciunt? Eritis igitur uos perfecti quemadmodum Parer uester,qui est in cœlis,perfectus est. d

Series historiæ ex Matt. Marc.& Lu.

VM uidisset autem turbas,ascẽdit in montem,&c.) Ordo historiæ uidetur sic habere. Cum prædicando & sanãdo male habentes Christus per Galilęã circumiuisset,&,ut consequẽs erat,maxima ipsum,populi undiq; accurrentis multitudo circunfudisset, quod Matth. in fine capitis superioris testatus est, secessit in montẽ ad orandũ, pernoctauitq; in deprecatione Dei,ut Luc.6.meminit.Hunc enim morem habuit,ut subinde,pressus nimia populi turba,aliquò secederet,ut & ad precandum interquiescret, & turbam cõmode, præsertim eorũ qui carnalia tantum quærebant, à se dimitteret: tum denicq; cœlestia ijs qui ea sitiebant,maiore opportunitate,impartiret. Sic.Luc.in fine.4.ca.meminit eum desertũ locũ petijsse,& cum illũ, turbæ secutæ,uellent ipsum detinere,dixisse:Oportet me & alijs ciuitatibus euangelizare, ac ita illos à se demisisse.Nam subijcit:Et prædicabat in synagogis Galilææ.Sic dimisit turbã,cum postquam è naui Symonis docuisset, iuberet Petrum nauem in altum ducere, laxareq; retia in capturam,quod Luc.scribit cap.5.ab initio.Et paulo pòst in eodem cap.Peruagabatur aũt magis rumor de illo,& conueniebant turbæ multę,ut audirent & sanarentur ab ipso,ab infirmitatibus suis. Ipse aũt agebat in secessu in desertis, & orabat.Ad hunc modũ ergo & in præsenti secesserat,cum uidisset turbas, ut habet noster,noctemq; in precatione transegit:orto aũt die,uocauit quos ipse uoluit discipulos suos, & uenerunt ad ipsum, quod & noster ponit: & elegit duodecim ex eis,ut essent secum,& ut emitteret eos ad prædicandũ, utq; haberent potestatem sanandi morbos,ejiciendiq; dæmonia.Et imposuit Simoni nomen Petrus:& Iacobũ filium Zebedæi,& Ioannem fratrem Iacobi,& imposuit eis nomina Boanerges,quod est, filij tonitrui:& Andream & Philippum,& Bartholomęum & Matthęum,qui fuerat publicanus:& Thomã,& Iacobum Alphęi filiũ,& Thaddæum,qui & Iuda,Iacobi

Dominus subinde secessit ad prædicãdũ

Delectus Apostolorum duodecim.

atq;

A atq; Lebbæus dicitur, & Simonem Cananæum, qui uocatur Zelotes, & Iudã Iscariotem qui & prodidit illum. Hæc Luc. 6. Marc. 3. & Matth. 10. habent. Cum his itaque discipulis, & in Apostolos iam electis, dominus descendit de monte, stetitq; in loco campestri, qui præsentem turbam posset capere. Tum eleuatis oculis suis in discipulos uniuersos, quorum utiq; in illa turba aderant permulti, aperuit os suum, & docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu &c.

Hanc puto esse seriem historiæ huius, & hoc ordine quę ex Euangelistis recensuimus, à domino esse gesta. Iam huius ordinis hanc habeo rationem. Mihi quidẽ non fit dubium, eandem esse domini orationẽ, quam Luc. 6. cõscripsit, cum ea, quam hic memorat Matthæus. Cum igitur Lucas scribit, primum in montem secessisse dominum, atq; in precatione pernoctasse, mox orto die ex uocatis ad se discipulis, duodecim Apostolos designasse, tum è monte cum eis, in locum campestrem, ad reliquam populi turbam descendisse, stantemq; illic orationem subiectam hic, habuisse, hoc ipso ordine, hæc omnia facta esse, nihil ambigo, aliorum tamen sit iudicium: quanquã moneo diligenter, ut qui de his uolunt statuere, quæ Marcus & Lucas habent, cum his nostra conferant atq; perpendant, neq; uelint temere, ad nimis uulgatũ illud diuerticulum in his, excurrere. Aliam ab illis & aliam à nostro esse historiã posita, præsertim ubi tot eadem leguntur. Frigidis istiusmodi responsis, & nihili effugijs, aliud nihil efficimus, quàm quòd & alia nostra suspecta reddimus, eosq; qui ingenio ualent, ab illis alienamus. Prę stiterat multo, ingenue fateri, nescire te quomodo alicubi scriptoribus nostris conueniat, quam incerta adeo & friuola respondere, quibus dissonantiam eorũ magis quàm consonantiam probes.

Ratio positi ordinis.

Concordia Matth. Marci & Luce.

Ergo quod noster habet. Cum uidisset aũt turbas ascendit in montem, intelligemus, idem esse cum eo, quod Lucas scribit: Factum est autem in illis diebus, exijt in montem ad orandum, &c. Luc. 6. Hoc uero: Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, idem cum eo, quod Marcus. 3. habet. Ac uocat ad se quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum. Lucas scribit, & uocauit discipulos suos. Postea describunt illi, electionem duodecim Apostolorum, eam noster præterijt, ut & descensum de monte, cum discipulis in locum campestrem, tacuit. Quòd autem ponit: Et postquã aperuisset os suum, docebat illos, id Lucas sic extulit. Et ipse attollens oculos suos in discipulos, dicebat. Sic nihil pugnãtiæ erit, de loco, uti quibusdam uisum fuit, quasi Matthæus scripsisset, in monte habitam hanc orationem, Lucas uero in loco campestri. In montem quidem noster ascendisse dominum nominatim exprimit, quod & Lucas facit: nõ autem sic exprimit, orationẽ hanc ab eo in monte habitã esse, sed ait: Postquã aperuisset os suũ, docebat illos. Id aũt, ut Lucas testatur, factum est in loco cãpestri, cum in eum è monte cum discipulis iam descendisset. Etenim & hoc nostro teste, in fine capitis septimi orationẽ hanc, ad discipulos prę sente & audiente omni populi multitudine, habuit. Nam ita claudit cap. 7. Et factum est, ut cum finisset Iesus sermones hos, obstupuerunt turbæ, super doctrina illius.

B *Quæ Matth. prætерijt.*

De secessu ad prædicandũ, quem omnibus, præsertim prædicatoribus oportebat exemplo Christi admodum frequẽtem esse, infrà in cap. 14. dicam. De oratione, uel precatione in proximè sequenti.

Quòd autem ex multis adeo discipulis suis, quorum, ut Lucas meminit, turbam habuit, duodecim selegit, quos Apostolos constituit & uocauit, quos & uoluit peculiariter secum esse, hoc est, ut supra diximus, perpetuos habere comites, & sectatores indiuiduos, deín & primum ad prædicandum euãgelion regni emittere, cum potestate sanandi morbos, ejciendiq; dæmonia, huc uidetur spectasse. In duodecim tribus Deus populum Israël, qui typus fuit, totius populi electorum, distinxerat. Iam his selectis Apostolis, uoluit ministris atq; legatis uti, ad uerum Israël, hoc est, quicquid undiq; esset filiorum Dei, congregandum atq; instituendũ. Nimirum

Cur duodecim Apostoli.

ueri Israëlis iudices & principes esse debebant: hoc ergo ut significaret, duodecim c
numero delegit, per quos primos etiam regnum cœlorum apud Gentem Israëlis, secundum carnem fuit auspicatus. Multo maximum sanè & ineffabile beneficium Dei est, quod ex tam perdito hominum genere, populum æternæ fœlicitatis participem, sibi Deus selegit, ideo plurimis id signis & typis præfigurauit, quò tantam nobis bonitatem suam melius commendaret, & ad fidendum ipsi ita prouocaret. Hac causa posteritatem Abrahæ, ex omnibus Gentibus & populis selegit, & inauditis portentis, fortissimoq; brachio ex Aegypti seruitute in terram Canaan eduxit: dedit ei legem & sacerdotium, habitauit in medio eorum, omnia indubie, ut declararet, quanti esset ipsum Deũ agnouisse, & esse ipsi in populũ ascitũ. Quæcunque enim illis corporalia exhibuit, illis declarauit, quàm etiam largus uellet esse donis spiritalibus in omnes eos qui sibi crederent, & corporaliter simul ita ducere & regere, ut neq; in corporalibus atq; uisibilibus boni quicq; desiderarent. Timentibus enim Deum, nihil potest boni deesse, Psal. 34.

Hoc ergo duodenario Apostolorũ significare uoluit, nequaquã finem Gentis Israëliticæ, ut uidebatur aduenisse, sed iam ueros Israëlitas ex omnibus terris, quàm late orbis patet, ad montem sanctum Zion, & domum Domini conuocandos, quod suprà citato Iere. 16. ac multis alijs uaticinijs promissum erat. Id cum primũ per hos duodecim uellet auspicari, ita ceu duodecim tribuum Iacob, nouos principes illos hic designauit.

Huc non inconcinne multa alia quoq; quæ scriptura duodenario numero, mysteria adumbrauit, referri possunt, ut duodecim illi adolescentes, facientes holocausta & hostias pacificas, lecta & recepta lege Domini. 2. Mosche. 24. Item duodecim gẽmæ, quæ insculpta habentes nomina duodecim filiorum Israël, insertæ fuerant pectorali Aharon. 2. Mosche. 28. Vere enim hic duodecim, prædicando Iesum Chri- d
stum, & hunc pro nobis crucifixum, factumq; holocaustum & hostiam pacificam pro electis, quo gratiæ fœdus inter Deum, & illos confirmatur, & ipsi uere se lege Dei uicturos recipiunt, electi nostri sacerdotes, ac ceu præsules fuere. Sunt denique & sicut gemmæ illæ, quas in pectore suo uerus Aharon, noster summus sacerdos gestauit, in ipsis & per ipsos declarans, uere se in pectore gestare, omnem populum Israël, charitate ineffabili, qua & mori pro ipsis adserẽdis uoluit. Sed hæc ad hoc genus alia spiritalioribus, & quibus plus otij fuerit, concinnanda explicandaq; relinquo. Sunt qui dicant morẽ fuisse iudæis rebus grauioribus cõtestandis, 12. testes adhibere. Sic ergo & Dominum ad contestandũ euangelium suum hos duodecim testes deputasse, illud tamẽ de principatu, & duodecim tribubus Israël uidetur à Domino subindicatum esse. Cum permitteret illis duodecim thronos ad iudicandum 12. tribus Israël.

Quòd autem inter hos duodecim selectos populi Dei principes, unus diabolus extitit, factum est ut offenderetur, nihil apud homines integrum esse. Electus tamen hic hypocrita fuit, & Matthias in locum eius suffectus, priusquã illi solide suũ principatum inirent, ut ita nihilominus duodenarij sacramentũ constaret.

Porrò quòd nomina Petro & filijs Zebedæi alia indidit, more suo fecit, ut significaret, præcipuum adeo munus esse, ad quod ipsos delegisset, ut oporteret eos prorsus alios esse, eoq; & alijs iam nominibus uocari. Sic & Abrahæ, Saræ ac Israëli, qui ut carnalis Israëlis autores, ita spiritalis typi fuere, noua hæc nomina indidit. Potissimum autem his tribus, Petro & filijs Zebedæi, nomina dedit, quod erat opera ipsorum ad regnum suum instituendum præcipue usurus: quare & peculiariter præ alijs familiares habuit, sicut sanè ad plura, quàm alios adhibuit, ut clare testantur historiæ Euangelicæ.

Cæterum

A Cæterum de nomine Petri, recepi me dicturum infra.16. Cognomen autem filiorum zebedæi, Græce Βοανηργὲς, uidetur idem esse, quod בני רגש, id est, bne regesch, quod Hebræis significaret filios fremitus uel sonitus, hoc est, filios sonantes, uel frementes. Sed satis constat, Dominum uulgari tum lingua usum, quæ nobis modo Syriaca, uel Chaldæa dicitur, in hac רגש tonitru dicitur, ut Mar. testatus est, & filij tonitrui, בנארגש, quòd & propius ad Boanerges accedit. Sic autem uocauit hos filios Zebedæi Seruator, quod essent præ alijs euangelij tonitru mundum percussuri. Id à Iacobo factũ esse, argumento est, quod eum Herodes ante alios omnes, etiã Petrũ, neci dedit, eo Iudæis gratificatus, indubie quod prę reliquis Apostolis, infestior illis euangelij prædicatione fuisset. De multo maximo tonitru, quod edidit Ioannes, huius frater, abũde testantur, historia euãgelica, & epistola, quã scriptã nobis reliquit.

De reliquorũ nominibus, quia non sunt illis peculiariter à Domino indita, nolo pluribus philosophari, sicut nec de ordine, quo illa ab euangelistis recensentur.

Nequaquam aũt prætereundum est, quòd Dominus potissimum cum eligendi sibi erant Apostoli, ad precandum secesserit, precatusq; est adeo instanter, ut totã noctem in precatione transegerit. Declarauit etenim eo, quã cordi sibi nostra salus fuerit, qui tam anxie patrem orauit, indubie ut ipse nascentis regni, idoneos sibi ministros, & duces designaret, utq; illos suo spiritu instrueret, & donaret successum, ut quamplurimi per uerbum ipsorũ, regno suo adducerentur. Etsi nanq; doctrina atq; monitio salutis, proprium patris opus sit, uoluit tamen homines sibi in his cooperari, iuxta illud.1. Corinth.3. Etenim Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio estis. Eoq; quibus propitius fuerit, ante omnia donat, pios ac sedulos doctores & monitores. Cum itaq; iam talibus ei opus esset cooperarijs, tantis hominum turbis accurrentibus, & futuro cœlorum regno fœliciter præludentibus, agnoscens patris donum esse, eiusmodi extrudere in messem suã operarios, ad ipsum se B cessit, atq; procul dubio pro eo, quod id tẽporis aduenisset, egit gratias, precatusq; fuit, ut instantẽ Apostolorũ electionem dirigere, & prosperam reddere dignaretur.

Ante electionem Apostolorũ orauit.

Quo sanè ut suum erga nos amorem & in nostram salutem, solicitudinem, lucu lenter & amabiliter exeruit: ita certe simul docuit, quanta cura quantaq; circunspectione ecclesiarum ministri deligendi sunt, quantã ue deniq; religione Deo supplicandum, ut ostendat quos ipse elegerit. Quod ab Apostolis studiose factum, Acto.1. legimus, ubi in locum Iudæ alium subrogare uellent. Sic cum tantum ministerio mensarum præficere aliquos uellent, dicebant reliquæ ecclesiæ: Considerate ergo fratres, uiros ex uobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto, & sapientia. Sic Paulus monet suum Timotheum: ne cui cito manus imponat. Quid enim pretiosius animabus Christi sanguine redemptis? quid præstantius thesauro euangelico? Non debet igitur nisi summa cura, & accuratissime canone Pauli, quem in epistola ad Timotheum, & Titum præscripsit, perpenso, quisquam in episcopum & euangelij dispensatorem assumi. Cum autem nos corda hominum ignoramus, & hypocrisi nobis facile imponitur, quàm enixe conuenit, oremus patrem, ut Apostoli orabant: Tu Domine, καρδιογνῶστα πάντων, ostende quem elegeris, & cætera. Si enim hic non summopere inuigilatum fuerit, & nostra negligentia parum idoneus animabus, uerbi Dei promus contigerit, omnis incommodi, quod hinc consequitur, ut necesse est plurimum sequi, nos rei existimus, & alienis quoque nos peccatis grauamus.

Magna religione ministri ecclesiæ eligendi.

Quo iam loco putas esse, qui ne cogitant quidem ut dignos ecclesiæ ministros assignent, imò scientes & uolentes, perditissimos quosq; illis præficiunt? Isti quid faciunt aliud, quàm Domini sui charissimas ouiculas, pro quibus filium suum impendit, lupis adducunt uorandas? In regno autem Antichristi mirum non est, si Christo aduersa omnia fiant, hoc maxime dolendum, quòd etiam ubi Christi libertas re-

ſtituta eſt,affectibus magis,quàm uero excuſſoq; iudicio Eccleſiarum miniſtri pue- C
ritiæq; formatores deliguntur, cum uideamus Chriſtum ipſum tanta diligentia in
deligendis Apoſtolis uſum. Totam turbam diſcipulorum, antea aliquandiu cir-
cunduxit & explorauit,ſedulo de regno Dei docuit, ſignisq; confirmauit mirificis:
neq; tamen Apoſtolos ex eis delegit,niſi ante totam noctem ſuper hac re cum patre
communicaſſet,ac ut ipſe quos uellet,ſibi oſtenderet,oraſſet. Si quis autem obijciat,
Cur & Iudas in Apoſtolum electus. qui factum igitur eſt,ut Iudam in hunc numerum cooptarit? Reſpondeo ut ſuprà,id
ſingulari diſpenſatione Domini factum,ut uideremus nos nunquam ita cautos eſſe
poſſe in deligendis ad ſacra munia miniſtris,quin hypocritę irrepant;talibus quoq;
eccleſiam ſemper contaminari,ferendos tamen eſſe,dum ipſi ſe perdant. Hoc autem
acuere nobis diligentiam debet in deligendo:tum firmare tolerantiam dum mali ir
repſerunt,quos excutere non licet. Deinde patri uiſum erat, ut Chriſtus ab intimo
diſcipulo ſuo in mortem traderetur,idq; in ſcriptura prædixerat, quare oportuit ita
fieri. Attamen ſic externè ille hypocriſi ſplendebat, ut nemo homo,quem oportet ſe
cundum ea quæ uidet, externa, ſcilicet, iudicare, indignum illum eo munere æſti-
maſſet. Sic quando ij quorum id intereſt,quæ ipſis patere poſſunt,diligẽter ad Pau-
linam regulam exegerint,deinde ſancte Deum precati fuerint, ut eccleſiæ ſuę donet
commodos miniſtros,tamen aliqua diſpenſatione, fucus quiſpiam irrepſerit, ex-
unt ipſi abſq; culpa. Si autem non omnem curam intenderint,accuratiſſimeq; aduigila-
rint,ut tam incomparabili theſauro uerbo Dei, frugi diſpenſatorem, & chariſſimis
Deo animabus,commodum aſſignent paſtorem,nunquid damni quodcunq; acci-
derit iure optimo poſtulabuntur?

Poſtremo ut & id perpendas,docturus diſcipulos Dominus,ſed docturus quæ ad
omnes electos pertinent,deſcendit de monte ad turbas,ſtantes in loco campeſtri: mi-
rum,ut quando aderant,ut Lucas teſtatur,ad audiendum ipſum, licet ſimul ma- D
xima eorum pars ſanitatem corporum quæreret, deſiderio ſuo minime fraudaren-
tur. Tam bonus,ſcilicet,& expoſitus eſt Dominus omnibus,quod expẽſum, fidem
noſtram in bonitatẽ eius merito ſuffulciat, atq; ad inſeruiẽdum ſimiliter proximis,
captandamq; occaſionẽ lucrandi,quos poterimus,accendat.

Orationis huius protreptica ſtatus. Beati pauperes ſpiritu &c. Oratio hęc protreptica eſt, partim et exegematica,ſco-
pum habet, Veram iuſtitiam, quæ Chriſtianorũ eſt, requirere omnimodam ſui ab-
negationem,& ut quis de bonitate cœleſtis patris per omnia ſecurus,ad inſeruien-
dum commodis proximorum totum dedat,nequaquam cõtentus, more Phariſæo-
rum externę tantum uitam ad legis præſcriptum compoſuiſſe: tum leges Dei hanc
ipſam uitam exigere,non externam tantum operum quorundam ſpeciem ut Phari-
ſæis uidebatur. Exordítur autem à ſentẽtijs aliquot,carni ſanè paradoxis;at qua ipſe
eas autoritate proponebat, reddebat per eas haſce turbas iuxtà attentos & beneuo-
los auditores. Mira enim dicebat, ſed hic pollicebatur contineri fœlicitatem. Quid
enim æque inſolens,atq; beatũ dicere qui animo ſit pauper & afflictus? Rurſus quid
optabilius,quã audire eum,qui tam certo oſtendit,quibus rebus euadas beatus?

Primæ itaq; ſententiæ hic ſenſus eſt. Adeſtis ut me audiatis,rara & ſalubria doctu
rum,ea igitur audite. Tanta ſigna quæ uidetis,& uirtus iſta, quæ de me exit ſanatq;
omnes,fidem uobis faciat,me haudquaquã alia traditurum, quàm uobis ſumme ſa-
lutaria. Opere uidetis ſeruatorem uobis aduenìſſe, ne dubitate, uerbis idem agam:
fidite igitur mihi, & uera eſſe quæ loquar, ne ambigite. Aduenit rex noui populi,&
inſtitutor regni cœlorum,in quo ſpiritu, non carne uiuitur, ſpiritalia, non carnalia
bona poſſidentur,ad quæ tamen nemo,niſi qui carnalia poſuerit,poterit peruenire:
ut diuerſa omnino ratio ſit, fœlicitatis regni huius & ſeculi. Iſti cum rerum omniũ,
ad animi ſententiam potiuntur,& ex arbitrio ſuo uiuunt, ſe beatos autumant. Equi-
dem autem beatos pronuntio,qui pauperes ſunt,& ſpiritu quidem,id eſt,qui corde

ſunt

A sunt afflicto & contrito, quibus nihil ex animi sententia cadit: horum est enim regnum cœlorum. Quãto minus enim fœliciter agunt in mundo, tanto aptiores sunt, qui fœlicitatem, quam adfero, amplectantur cœlestem. Dum enim in se, ac rebus omnibus tantum offendunt quod cruciat, qui non exciperẽt me, qui animabus ipsorum polliceor requiem & uitam æternam?

Lucas tantum pauperes posuit, sed indubie intellexit illos, de quibus infra. 11. πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, id est, pauperes percipiunt euangelion, quod utiq; est percipere regnum cœlorum. Qui nanq; euangelion recipit, Christo credit, ut iam habeat uitam æternam, factus filius Dei & hæres. Est autẽ allusum hic ad illud Iesa. 6. Spiritus Dominatoris Domini super me, propterea unxit me Dominus, ad euangelizandũ pauperibus misit me, ad medendum contritis corde, &c. Quòd uero nos pauperes legimus, & Græci in Matthæo & Luca, & hic in Iesaia πτωχοί, Vates ipse in sua lingua habet עניים, id est, mansuetos humiles, & afflictos.

Qui pauperes spiritu, scilicet עניים πτωχοί.

De huius generis pauperibus eadem in Prophetis, præcipue autẽ in psalmis prædicantur, peculiariter tamen Psal. 72. qui peculiariter de regno Christi canit. Vnde uersu secundo: Iudicabit populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Vide quos populum Dei, eosdem uocat pauperes Dei: quos cum Christus iudicat ac regit, certe ipsorum regnum cœlorum est. Mox uersu. 4. Iudicabit pauperes populi, saluabit filios mendici, id est, pauperes in populo & mendicos. Quos cum Christus iudicat, ut saluet, num ipsorum est regnum cœlorum? Et uersu. 12. Quoniam liberabit inopem clamantem, & pauperem, & cui non est adiutor. Et uersu. 13. Benignus erit inopi & mendico, & animas mendicorum saluabit. Vbicunq; in his, pauperem uel pauperes legis, in Hebræo habetur עני uel עניים quòd humiles, oppressos, afflictos & miseros significat, עניים autem quod Iesaias habet in loco citato, quidam
B pro mãsuetis accipiunt, sed eos mansuetos significat, qui plurima inique passi, mansuetudinem tuentur. Omnino enim Vates hac uoce significare eiusmodi uoluit, quales & postea ponit, scilicet, cõtritos corde, captiuos & compeditos, nimirum afflictos, & quibus res aduersæ essent. Vnde Græci πτωχοί, eam uocem reddidere ut dictum est. Et haud scio, an utrunq; quod certe eandem radicem refert, significet afflictum & pauperem, sed qui id ferat mansuete, ac boni consulat, quod tantum electorum est, ut ita ijdem pauperes & mansueti sint עניים & עניים. Inuenias tamen ubi propriè mansuetum, iniuriámque tolerantem, עני significet, ut 4. Mosche. 12. Fuit uir Mosche mitis ualde, præ omnibus homnibus, qui erant super terram.

Hæc fuse adeo annotare uolui, quòd plerisq; multa de pauperibus spiritu philosophati sint, parum ad rem facientia: siue præsentis exordij Christi scopum, siue rationem loquendi scripturæ, atq; locos denisq; unde hæc desumpta sunt, considerés. Summa est, qui in hoc mundo affligũtur, & infœliciter habent, eoq; animo etiã conteruntur & humiliantur, non repugnãt Deo percutienti, & frenum mordent, eos beatos pronuntiat, & esse ipsorum regnum cœlorum testatur. Tales enim quia spiritu afflicto sunt, & deiecto, nec reclamant aut indignantur Deo, uti solent impij dum aduersis exercentur, euãgelium gratiæ, in quo remissio adnũtiatur peccatorum, illico & auidissime amplectuntur. Agnoscunt enim se ob peccata sua sic adfligi. Hi ergo sunt qui ad regnũ Christi pertinent, hos ipse nominatim uocat cum dixit: Veníte ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, &c.

Beati qui lugent, quoniam &c. Beati mites &c. Beati qui esuriunt.) Quæ prima illa sententia, Beati pauperes &c, Dominus docet, eadem uidetur mihi & his tribus docere, nimirũ beatos esse, qui in hoc seculo, secundum carnem habuerint incommodissime, semper afflicti & lugentes, at simul mites sunt, qui omnibus omnia

concedunt: cunctis modis omnibus egeant, & iníque ab hominibus accipiantur, re- C
iectamentum denique & perípsema sint uniuerso mundo, ferant omnia hæc animis haud iníquis. Hi utique recepto euangelio, regni cœlestis ciues euadunt, ac ideo uere consolantur: terram possidebunt, id est, saturabuntur bonis omnibus. Nam credentes euangelio, sciunt se Deo curæ esse, omnia ab ipso in bonum sibi dispensari, ac ita per spiritum paracletum consolantur, ut dicant cum Psal. 94. Pro æstu multarũ cogitationum intra me, consolationes tuæ delectabũt animam meam. Et cum Paulo. 2. Corinth. 1. Sicut abundauerunt afflictiones Christi in nos, & per Christum abundat consolatio nostra.

Qui lugentes אבלים *πενθοῦντες*

Porrò & hæc sentẽtia uidetur ex Iesaia desumpta, ubi de se Christus loquitur: Ad consolandum omnes lugentes misit me. Sunt autem lugentes hi אבלים qui pressi magna calamitate, plangunt & lamentãtur, qui tamen simulatq; Christo fidem habuerint, per eum, gratiam patris promittentem, magnifice consolantur. Ita & qui mi-

Qui mites עניים *πραεῖς.*

tes sunt, id est, mansueti, omnia cedentes & ferentes, recepto Christo centuplum accipiunt, pro omni eo, quod illis ablatum fuerit, & uere terram possident, id est, rebus omnibus, quantum eis satis & utile fuerit, abunde perfruuntur. Hæc uero Christi sententia, ad uerbum desumpta est, ex psal. 37. uer. 11. Et mites hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Paulo supra uer. 9. Expectantes Dominum ipsi hæreditabunt terram.

Qui esurientes & sitientes iustitiam.

Nec aliter habent, & qui esuriunt & sitiunt, qui, scilicet, egent, & egent iustitia, quod noster addidit, Lucas enim habet tantum, qui esuriunt & sitiunt: agnito, scilicet, Christo saturabuntur, siue intelligas illam iustitiæ indigentiam, quòd à nemine possunt, quod iustum & æquum est obtinere, quem sensum hæc sententia Christi, ut illam Lucas extulit, poscere uidetur: siue desiderium propriæ innocentiæ, quo, scilicet, discruciantur, qui iam peccata sua agnorunt, quem sensum recipit, ut est posita à Matthæo. Nam ubi huiusmodi Christi facti sunt, sciunt se habere uindicem, D
qui iudicium facit iniuriam patientibus: ad hæc libenter in mundo pressuram patiuntur, ut in ipso habeant pacem. Deinde cum agnoscunt Christum factum à Deo ipsis iustitiam, & sapientiam, & redemptionem. 1. Corinth. 1. non dubitant eius tandem spiritu & uirtute futurum, ut omnis in eis iniustitia intereat, uiuat uero iustitia & integritas.

Quæ esuries iustitiæ.

Verum cum Lucas indubie eandem Domini sententiam, quam hic Matthæus, memorat, & efferat illam hoc modo: Beati esurientes nunc, quia saturabimini, & paulo pòst de saturis contrariam ponat, prætermissam à nostro: Væ uobis, qui saturati estis, quia esurietis, magis probauero, ut priore sensu quem posui, esuriem sitimq; iustitiæ, quam hic in Matthæo habemus intelligamus. Nimirum pro inopia iuris & æqui, quam & rerum inopia sequi solet, ut ita hæc Christi gnomæ, cum illa psalmographi conueniat, quam psal. 146. legimus: Qui facit iudicium calumniam sustinentibus, dat panem esurientibus &c. Hi sanè beati & à Propheta pronuntiantur, quorum causam, scilicet, uindicari à Domino, & inopiam subleuari affirmat. Prior particula & psal. 103. canitur, posterior, psal. 34. cum contrario legitur, sicut & Lucas Christum locutum memorat. Diuites inopes facti sunt & esurierunt, inquirentibus autem Dominum nullum bonũ deficiet. Similia cecinit et mater Schmuẽlis, ut legimus Iudic. secundo.

Quæ summa priorum. 4. sentẽtiarum.

Ex his iam liquere existimo, Dominum quatuor his sententijs, quibus beatos Dominus pronuntiat, pauperes, lugentes, mites, & esurientes, hoc est, secundũ carnem infœlices, & quorum res accisæ & afflictæ sunt iudicio mundi, suadere uoluisse sui abnegationẽ, carnis mundiq; mortificationẽ, ut, scilicet, præsentibus liberet ualedicere, & ab ipso expectare cœlestia. Nam Luc. 14. ait non posse suum discipulum esse, nisi qui omnibus quę possidet renuntiarit. Vt huc itaq; animaret, quatuor sentẽtijs,

mutatis

A mutatis tamen uerbis pronuntiauit adeo abesse, ut infœlices sint, quibus in hac uita aduersa secundũ carnem omnia cadunt, ut nulli alij beati sint. Diuites enim & præsentibus ex animi sententia perfruentes, qui delitiantur & oblectantur, gaudent & rident, ob tantum rerum successum saturi, scilicet, omnium, quos denique uulgo omnes in pretio habent, & laudibus uehunt, recipiunt bona sua in hac uita, eoque tantum peritura, & hic consolationem suam habent, postea omnium inopes, uereque miseri esurient, lugebunt & plorabunt, uituperati & reiecti à patre & cunctis Angelis & electis eius, quum hic uel soli celebres & nobiles habeãtur. Quis tum neget hos omnium infœlicissimos? Experientur enim quod est, per Iesa. 65. prædictum, ita inquientem: Propterea sic dixit dominator dominus, ecce serui mei comedent & uos esurietis, ecce serui mei bibent, & uos sitietis, ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini. Ecce serui mei exultabunt præ oblectatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.

Non omnes afflicti beati.

Proinde ut non extulit has sententias catholicũs, ita non omnes secundum carnem miseri, sunt fœlices ab ipso pronuntiati, sicut neque infelices, quotquot aliquo successu hic fruuntur, sed ostendit uiam ad solidam fœlicitatem esse, præsenti renuntiasse: & qui minimum terrenæ fœlicitatis degustarunt, eos aptissimos esse euangelij auditores, & tanto fœlicitatis cœlestis capaciores. Denique cum de ijs pauperibus lugentibus, atque esurientibus, qui simul mites sunt, hoc est, æquo animo carnis miseriam perferunt, Dominus ipse loqui se in Matthæo nostro declararit: & in Luca cum ideo dicit, diuites infœlices, quod consolationem suam hic habeant, satis exposuerit, se eos tantum diuites, saturos & ridentes laudatosque in mundo, damnare, qui hæc præsentia sua bona ducunt, & hinc suam consolationem ignari cœlestiũ habent, abunde patet inter huiusmodi beatos pauperes, lugentes & esurientes, & Abraham, & Dauid ac alios sanctos connumeratos fuisse, tametsi ditissimi secundũ

Qui pauperes lugentes &c. beati.

B carnem fuerint, ac uixerint sæpius commodissime: animus illorum nihil ista carnalia morabatur, semper paratus affligi, lugere & esurire, quod & sępe re ipsa illis contigit. Sic liquet impios cum etiam omni genere malorum obruuntur, quæ eis Dominus minatus est, 3. Mosch. 26. & 5. cap. 28 nihil tamen loci inter hos pauperes lugentes & esurientes habere, ferunt enim omnia iniquissime, unde non sunt עניים id est, æquo animo ista tolerãtes, & ad Dei bonitatem suspicientes. Summa tamen est, uenerat pauperibus, humilibus et afflictis regnum cœlorum offerre: istuc ergo & hisce sententijs testari uoluit, & simul in bonam spem erigere afflictos, & deterrere à fiducia rerum præsentium quibus illæ cadebãt ex sententia. Nec aliud per hasce sentẽtias polliceri uoluit, quàm illud quod de se promisit, infra. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c.

Ex his iam patent & quæ Lucas hoc loco scripsit, qui memorat dominũ quatuor iuga sententiarum elocutum esse. Vt enim dixerat beatos pauperes, esurientes, flentes, quique odio essent hominibus, ita subiecisse scribit: Væ diuitibus, uæ saturatis, uæ ridentibus, uæ ab hominibus laudatis. Lucas habuit satis ea posuisse, quibus abnegatio nostri, contemptusque terrenæ prosperitatis, electis cõmendatur, mox ea domini uerba subijcit, quibus dominus perfectionem dilectionis, etiam ad inimicos pertingentis docuit. In his enim duobus, tota nostra iustitia sita est, ut nos ipsos abnegemus, cura nostri Deo commissa: & proximis, etiam quibuslibet, pro uiribus inseruiamus ad salutem. Nihil igitur Lucas necessarium prætermisit: & noster nihil non uehementer utile posuit. Si enim quæ Lucas memorauit, sola haberemus, nihil tamen doctrinæ salutaris deesset: cum autem fusius & explicatius hæc Matthæus nobis scripsit, debemus ea animo gratissimo amplecti, & diligentissimo expendere.

Concordia Matth. et Lu.

Beati

Beati misericordes.

Beati misericordes &c. Beati mundo corde &c. Beati pacifici &c.) Superioribus quatuor sententijs, docuit Christus, ut dixi, quid patiendum & credendũ sit: his iam tribus docet, quid nobis agendum, quibus officijs incumbendũ. Primum officium, benignitatis est & beneficentiæ, ad quam passim scriptura cum promissione uicissitudinis hortatur. Sic. 5. Mosche. 15. postquã Deus multis beneficentiam erga inopes præceperat, subijcit: Nam ideo benedicet tibi dominus Deus tuus in omni opere, & in cunctis ad quæ manum miseris. Sic Psal. 112. Bonus uir qui miseretur & commodat, dispensabit uerba sua in iudicio. Quoniam in æternum non cõmouebitur &c. An non hæc magna misericordia, quæ misericordi hic promittitur? Et Psal. 97. Qui diligitis dominum, odio habete malum, custodit animas benignorum suorum, de manu impiorũ eripiet eos. Itẽ Proue. 16. Benignitate & ueritate redimitur iniquitas. Iesaias quoq; 58. multa in hunc sensum differit, sed ubiq; scripturarũ ista occurrunt. C

Beati mundi corde.

Alterum officiũ est, tueri munditiam cordis, hoc est, simplicitatẽ & integritatem: ne quid aliud corde uolutes, aliud uerbis & externa specie præ te feras, sed ex puro simplicique corde in gloriam Dei, & salutem proximorum instituas omnia, nusquã tua quærens. Huiusmodi certe Deum uidebunt: uti sunt de Germanis Dei cultoribus, qui ascendunt in montem domini, & stant in loco sancto eius. Nam alludi uidetur hic ad Psal. 24. ubi ita legimus: Quis ascendit in montem domini, & quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundus corde, qui non inuanum attollit animam suam &c. accipiet benedictionẽ à domino &c. nihil ergo ad rem, quę de castitate hic multi disputant. Omnimoda requiritur cordis puritas, ut longe absis ab omni hypocrisi & dolo. Sic esse poteris de ueris cultoribus domini, ipsi in ecclesia sanctorum astare, ipsumq; certo cognoscere, id est, uidere.

Sicut Christus dicebat Iudæis: Si quis uoluerit uoluntatem eius facere qui me misit, cognoscet de doctrina, an ex Deo sit: hoc est, qui simplici puroq; corde fuerit, tantum quærens ut se Deo approbet, is donabitur spiritu, quo doctrinã meam, agnoscet esse doctrinam Dei: percq; eam Deum uidebit sibi propitium & patrem. Qui autem suam magis quàm patris uoluntatem facere studet, eoq; impuro corde est, ut carnalis existit, ita nihil Dei nosse poterit, tam abest ut ipsum Deum uisurus sit. D

Qui pacifici.

Vt autem pio satis non est, propensum esse ad benefaciendum miseris, sed sicut cor mundum obtinet, quo Deum uidet, sic rapiatur necesse est ad imaginem eius exprimendam, Deiq; operam, pacem & salutem adferre omnibus, hoc est, esse pacificum. Iam enim filius Dei est, Patrem igitur referat oportet, quod cum studet, ut filius Dei agnoscitur, ita & uocatur. Et haud scio, an non ad prædicationem euangelij hac sententia dominus respexerit: præsertim cum mox de persecutione sui caussa perferenda subijciat, quæ certe ijs solis obtingit, qui euãgelion pacis alijs attulerint. Qui nanq; Deum agnouit, gustauitq; quàm bonus est, is non potest, id non quibuscunq; poterit annuntiare, & conari quemlibet ipsi reconciliari, pacemq; ueram, illum inter & Deum perficere, quo ad eius istuc fuerit.

Hæc uera demum pax est, quam ubiq; literæ Apostolicæ prædicant, quæ cum cõstiterit, habetur facile in externis quoque pax cum quibuslibet. Scimus enim tum omnia ab optimo & amantissimo nostri patre, in nostram salutem dispensari, quibuscunque ad castigandum nos ministris utatur: quare cuncta cum gratiarum actione, per quoscunq; incidant, suscipimus: tam abest, ut cuiquam ulla de caussa succenseremus, tum studemus, ad quod nos spiritus Psal. 34. hortatur: Declina à malo & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. Hoc est, caue quenquam lædas, bene autem mereri de omnibus studе, inquire & solicite da operam, ut uera pax tibi cum omnibus cõstet, quam si ulla ratione possis assequi, nihil occasionis prætereas,

omnia

A omnia illi posthabeas. Sed quãtula quæso pax, imò quæ pacis umbella, si non in domino cõueniat? Ergo ueri pacifici in primis pacem cum Deo hominibus per euangelij prædicationẽ, id est, Christi, qui pax nostra est, prẽconium cõponere curabunt: qua composita facile, ut dixi, ij quibus hæc pax contigerit, pacem habebunt cum omnibus hominibus. Qui ergo hanc pacem conficere dant operam, recte filij Dei uocabuntur, quippe qui Deum, ut frugi filios decet, tam probe referant, omnia tentantes, quò pacẽ cum ipso creatore suo homines habeãt, cuius ipse adeo fuit studiosus, ut filium suum, eius conficiendæ caussa, in mortem pro nobis tradiderit. Recte quadrauit denique hæc sententia Apostolis & discipulis Christi, quos pacis istius legatos missurus erat in omnem terram: ad quos, scilicet, præcipue, licet simul ad turbas, hunc sermonem habuit.

Beati qui persecutionẽ patiuntur, &c. Beati estis, &c.) Recte hæ duæ, proximam sententiam sequuntur: indubitato enim persecutionem à mundo refert, quisquis sta tuere ueram illam cum Deo pacem fuerit annisus. Christum hanc pacem adferentem, homines mundi non solum non audierunt, sed usq; ad mortem propterea persecuti sunt: iam non est seruus maior suo domino: igitur persequentur quoscunque agnouerint pacem hanc serio annuntiare. Sed erigat tum, quòd propter iustitiã ueram regni Dei hanc persecutionem ab illis ferimus: & consoletur, quòd Christus ob id nos beatos pronuntiauit. *Beati qui persec.*

Id quoniam ægre admodum carni sese nimium amanti persuadetur, repetijt eandem sententiam, & amica, uimq; miram hortandi habente apostrophe, uertit sermonem ad ipsos suos discipulos, explicãs per partes hanc persecutionem: Beati, inquit, eritis &c.) Quasi diceret: ad uos hæc potissimum pertinent discipuli mei, uos extrudam ut pacem annuntietis ijs, qui longè sunt, & ijs qui propè: pro quo incomparabili beneficio, uos nihil nisi persecutionem à mundo, hoc est, ijs qui pacis cuius nõ

B dum poterunt esse participes, referetis, sed fidite, ne remoretur id uos, aut deterreat, quò minus ubicunq; poteritis euangelion hoc pacis annuntietis. Tum demũ enim uere beati eritis, quum plurima mei caussa pertuleritis. Quanto enim maiore probabimini aduersitate, tanto præsentius & reuelatius me & Patrem cognoscetis, & hunc uestri amantissimum, id quod æterna uita est. Animose igitur agite, & iam ad bellum hoc uos accingite, non enim leuicula erit ista persecutio. Odient enim uos homines, & à se excludent, probra in uos iacient, & eijcient nomen uestrum tanq; malum: insectabuntur uos, omnemq; rem malam contra uos confingent mentientes: & id propter me, filium hominis qui omnia hæc ante passurus pro uobis aduenì, homo factus. Intrepide igitur munus uestrum obite, & tam nihil ab his frangamini, ut in die illa cum ista experiemini, etiam gaudeatis & exultetis: merces enim ob hæc uestra, quã, scilicet, pater meus pro his rependet sua immensa bonitate, maximi pretij erit: sed in cœlis, in regno spiritus, & regione uitæ, cuius bona in præsenti etiam ita degustabitis, ut sitis in ipsis quoq; tribulationibus gloriaturi: certi has patientiam, patientiam probationem, probationem autem spem parere & augere, istam autem non posse confundere.

Postremo confirmat eos & ab exemplo: Sic enim, inquit, persecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante uos. Quis iam non optet se loco sanctorum Prophetarum haberi? Quis denicq; non gratias agat, si quã ipsi experti sunt, fortẽ experiatur? Hæc summa est, tam eorum quæ Lucas, quàm quæ noster hoc loco domini uerba recenset. Nisi quod diuersam etiam sententiam à domino dictam Lucas memorat, qua deterret ab applausu hominum, inquiens: Væ cum benedixerint uobis omnes homines, secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. Qui nanque ueri Prophetæ sunt, cum Christo testantur, hominum operum esse mala, quare ut ij nequeunt illos non odisse, ita haud possunt non pessima quæq;, & si mentiẽtes, *Sic enim persecuti sunt Prophetas.* *Sententia ex Luca.*

de illis

de illis dicere. Hinc fit, ut indubitatum argumentum sit, eum Christi uerba non do/ C
cere, qui uulgo laudatur ab hominibus. Hoc enim proprium est eorum, qui placen/
tia loquuntur, & ab ijs magistri asciscũtur, quibus aures pruriunt. Dabit quidem o/
peram, & Christi prædicator, ut omnibus placeat, sed in bonum: quod cum reprobi
non admittunt, placere illis non potest. Relíqua omnia satis expositа sunt & clarà,
magisq; donatorem spiritus, qui ea cordibus persuadeat, quàm interpretem, qui sen
sum explanet uerborum, requirunt.

Memores itaq; simus, hæc Christi uerba esse, quæ fallere nequeunt. Si hunc agno
scimus seruatorem nostrum, planè necesse erit, ut pro regno eius, & Euangelio uitę,
ex animo renuntiemus omnibus, parati proferendæ gloriæ eius, salutiq; fratrum, ni
hil non impendere, idq; summa alacritate, ut qui certi simus, cum omnia fuerimus
periclitati, ipsamq; animam posuerimus, tum demum nos uere beatos, ingentem in
cœlis mercedem recepturos. Ipse qui hæc locutus est, suum donet paracletũ, qui ea
animis nostris penitus persuadeat.

Nemo uero simplicior, cum audit mercedem, putet nos cum etiam pro euange/
lio uitam fuderimus, quicquam posse apud Deum mereri, hoc est, facere cui Deus
quicquã debeat. Antea siquidem Dei toti sumus: ipse nos, & bona nostra omnia fin
xit ex nihilo. Ipse operatur in nobis, & ut uelimus & ut operemur. Hactenus tamen
quæ donat immerentibus, mercedẽ scriptura uocat, quòd laborẽ & operã sequãtur.
Sicut pater filiolo dicit: Da gnauiter operã literis, referes egregiã à me mercedẽ, no/
uam, scilicet, uestẽ aut quippiã aliud. Vestis iam hæc merces est, & non est merces.
Quid merces Merces est quia operã sequitur: rursus nõ est merces, quia opera illa, hanc non est as/
secuta, sed cõtigit libero patris dono, nõ tamen nisi opera illa perfecta. Ita merecedẽ
istam, de qua hic Dominus, nemo quidem assequetur nisi fuerit pro Christo passus,
& hac caussa merces uocatur. At quia tamen, si etiam millies mortem oppeteres pro
pter Euãgelion, ne pilũ quidẽ tamen posses mereri à Deo, hoc est, obstringere illũ, ut D
tibi uel tantillum deberet: quoties enim ab ipso uitam acciperes, toties rursus illam
ipsi deberes. Et hac caussa non sunt merces, quæ à Deo nobis contingunt, sed gra/
tuita ipsius dona.

Porrò peculiare est Ebræis שכר id est, mercedis nomen, pro operæ pretio, & o/
ptata, opereq; quæsita utilitate, atq; fructu usurpare, etiam ubi nihil loci est, uel con/
dictioni, uel mercedi, & operis inter se adæquationi. Quintodecimo Geneseos legi/
mus, Dominum Abrahæ dixisse: Ne metuas Abram, ego clypeus tibi, & merces tua
magna admodum. Id nihil aliud est, quàm ego ero tibi defensor, & tuum lucrum,
tuæ opes, tua fœlicitas. Et Iere. 31. in consolatione populi, sub persona Rachelis dici/
tur: Cohibe uocẽ tuã à fletu, & oculos tuos à lachrymis: nam est merces operis tui,
Dicit dominus, & reuertẽtur, subaudi filij tui à terra hostili. Hic ualet hoc, est merces
operis tui idẽ atq;, erit ut uideas te haud frustra genuisse filios, manet adhuc tibi hu/
ius operę tuæ pretiũ. Itẽ Psal. 127. Ecce filij sunt hęreditas à domino, & fructus uẽtris,
merces, subaudi ab eodem. Hoc loco & hæreditas & merces, pro libero Dei dono
accipiuntur: nam canit illic Propheta, ut alia optata, ita & liberos, sola Dei bonitate
nulla nostra cura aut labore contingere. Ex his locis abunde liquet, mercedẽ in scri
pturis uocari, quæcunq; à domino bona percipimus, inde ducta translatione, quòd
merces & magno studio quæritur, & multo desiderio expectatur. Hinc ergo uoluit
spiritus sanctus hac uoce usus indicare, nihil esse nobis æque ambiendum, ut Dei
dona, quæ sibi fidentibus largitur, nihilq; illis esse optabilius. Proinde cum in præ/
sentiarum Seruator dixit, amplam mercedem expectandã in cœlis, ijs qui pro ipsius
nomine persecutionẽ tulissent, dicere uoluit, maximum illos tolerantia crucis pro
ipsius gloria latæ, facturos operæpretiũ, summã percepturos hinc utilitatem.

Ne & hoc, leuiculum licet, præteream, in gratiã eorum qui tropis scripturæ non/
dum

A dum assueti sunt, quod in Matthæo nostro habemus: Et dixerint omne malum uerbum, perinde est: atq; omnem malam rem, aut crimen. Ebraismus enim est.

Hactenus sententijs, & ijs, ut dixi, admodum paradoxis, Christus ad sui abnegationem inuitauit, utq; ualedicto omnibus, bonitati Patris, & nomini ipsius nos consecraremus. In eo uero quòd inuitat magis, quàm præceptis urget, allectat potius uerq; fœlicitatis promissione, quàm deterreat adhuc minis, Euangelistam sese exhibuit ut qui cor peteret, eo quòd nihil non gratuitum Deo probatur, nec salutare aut bonum esse potest.

Quòd sententijs magis quam rationibus egit, demonstrauit suam autoritatem. Ecquis præter oraculũ Regis, quomodo in regno eius fœliciter uiuatur rationem requirat? Rex est, noui huius regni Dei, Christus accepit omnium à Deo Patre testatem. Quid aliud iam ab ipso expectes, quàm ut dignetur ostendere, quibus legibus, quóue pacto regno ipsius possis donari? Ridiculum est, si nos quicquam de salute, citra rationem, eamq; ductam ex uerbis Dei, quippiam statuamus, & non paulo plus rediculum, quàm si in rebus alijs puer aut adolescentulus iudicet in dicẽdo, & quodammodo præcipiat, hoc est, creber sit in sententijs, id quod Quintilianus nõ ferendũ putat. Nã uti sententijs, decet eos, in quibus est autoritas, ut rei pondus etiã persona confirmet, Iam nullus puer est, uel adolescentulus, qui in grauissimis etiam seculi rebus, non plus ueri tenere possit, quàm sapientissimi quiq; in rebus Dei. Spiritus Dei, non hominis est, ut istas cognoscere, ita de eis pronuntiare. Absurdo igitur absurdius, quenquã uel minimũ aliquid in his, sua autoritate statuere. Quod utinam hodie perpenderent multi, & cum Paulo ministros Ecclesiæ, tum seipsos agnoscerent, tum agnosci ab alijs sustinerẽt ac illius iudicio, imò spiritus in ea, offerrẽt iudicanda, quæ reuelata sibi diuinitus putarent. Plus certe solidioris diuinæ cognitionis, & minus haberemus contentionis.

Nostrum non est quicquam pronuntiare

B Quòd deniq; sententias proposuit, tam paradoxas, ut quòd pauperes, & qui persecutionem ferunt adeo, ut nusquam quicquam habeant, beatos esse, & regno diuites cœlorũ pronuntiat, quòd lugentes & calamitosos, miteq;, qui omnibus omnia cedunt, sibiq; nihil faciunt reliqui: item beatos, ueraeq; cõsolationis futuros cõpotes cúmque cedunt omnia, tum demum terram hæreditario possessuros, id est, omniũ rerum Dominos fore, cunctisq; ad satietatem fruituros affirmat, &c. & hac ipsa pronuntiandi insolentia, uoluit erigere animos, ut ita ipso fœlicitatis autore pronunciante, quod non potest non certissimum esse, ad nouam omino uitam, nouamq; fœlicitatis rationem animos attolleremus, despicientes quæ infrà sũt, ista caduca & euanida: Dominus omniũ est qui loquitur, & Rex regni ad quod aspiramus, quæ certe persona, quamlibet paradoxis his, fidem apud nos arrogare, reiq; pondus plenissime confirmare debet.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Vos estis sal terræ.) Iam & ratione suos hortatur, ad perferenda pro regno suo omnia mala, & sectanda quæcunq; cum summa uirtute coniuncta sunt, sed ea ducta à persona quam ipse illis imposuerat, quos, scilicet, selegerat, ut & alios suo regno adducerent. Hunc enim sensum habẽt, quæ dixit: Elegi uos ut uice salis sitis toti terræ, id est, uniuersis hominibus, quos per annuntiatum eis Euangelion reddatis rite sapidos, id est, fide solida imbutos, qua per dilectionem efficaci, sesecq; probe exerente, gustui Dei, & bonorũ omniũ approbentur. Par igitur est, uos ante reliquos hac fide ualere, nidoreq; eius uiuifico quibuslibet adblandiri. Nã hæc si in uobis labasceret essetis ut sal insulsus ac infatuatus. Cui ut nulla re alia sapor iustus restitui potest ita nec ad aliud præterea utilis est, ne quidẽ ut in sterquiliniũ abijciat: eoq; ejicitur foras sparsumq; in uiã, tenquã res nullius momenti, conculcatur à transeuntibus. Sic indubie & uobis usu ueniret si cõtingeret fidei sapore destitui, nõ enim tantũ ad munus

Apostolicum idonei non essetis, sed ne ad aliam quancumq; , quamlibet minutam atque abiectam functionem, quæ ad Christianismum quidem pertineat. Attendite igitur his quæ prædixi , & mihi fortiter fidite omnicq; perfectioni uirtutis studete, ut nõ modo ipsi patris gustui approbemini, sed innumeros quoque alios uerbo uestro ita saliatis, quo & ipsi ad gustum Patris faciant.

Locus Lucæ explicatur

Ad idem commendandũ, eodem simili & alibi usum Dominum, Lucas decimo quarto memorat, nimirũ postquã docuisset omnia relinquenda , crucemq; animose ferendam ijs, qui se uellent sequi. Bonum est sal, inquit: si uero sal infatuatum fuerit &c. & subijcit postea: Qui habet aures audiẽdi audiat: quasi diceret, me sequi res haudquaquam leuicula est, neq; uulgarem requirit animum, fide opus est, quæ à solo Deo pendeat, omnibus alijs renuntiatis. Qui aures habet audiendi, cui hæc percipere datum est, audiat. Haudquaquam satis est, meum discipulum dici, & huic ordini Apostolico esse ascitum. Quãto celsior hic ordo est, & uocatio præstantior, tanto certe si quis fide illi parum respondeat reiectior atq; inanior erit . Sicut sal cum admodum bonum & utile sit, si tamen infatuetur, ad nihil prorsus ualet, ne quidem ut sterquilinio aspergatur.

Marcus uero usum hoc simili Dominũ scribit , cũ de summissione & agnoscendis minimis suis, ac demũ de uitando offendiculo docuisset, & quidẽ his uerbis : Nã omnis, inquit, homo igne salietur, & omnis uictima sale salietur . Bonum est sal, cæterum si sal insulsum fuerit, in quo ipsum condietur? Habete in uobis ipsis salem, & pacifice uiuite inter uos. Quæ uidentur mihi hoc sensu dicta: Monui ne quem offendatis, quòd res sit nocentissima offendiculum, quo impingens, scilicet, à fide in me remoratur, aut certe in uia ad Patris gloriam, hoc est, studio pietatis cadit. Quale offendiculum tam abesse debet, ut cuicq; obijciatis , quòd priusquam ipsi illud patiamini, etiã oculos, manus, & pedes eruatis & resecetis, id est , charissima uobis reijciatis: In quo scio sentiet caro cruciatum . At scitote, ut olim nulla hostia offerebatur absque sale, 3. Mosche, 2. ita oportet omnem hominem, qui Domino offerri debet igne saliri hoc est, satis tribulatione, & aduersitate aduri. Habete igitur fidem firmam , ut nihil uestrũ quæratis, atq; bona Dei uoluntate toti pendeatis: hanc summo studio colite. Vti enim sal res optima, mireq; utilis est , sed qui si factus sit insipidus , nihil queat sapidũ reddere. Ita fides huiusmodi uice salis est in uobis , unde iustus gratusq; sapor toti uitæ uestræ, cunctisq; operibus accedit , quæ si cadat, ut nihil aliud est, quod ipsũ restituat, ita manent & reliqua omnia insulsa, ac nullius usus . Ergo summopere cauete, ne amor uestri, néue ulla alia cupiditas obrepat , & hãc labefactet, omnia enim ab ipsa pendẽt. Habete igitur & diligentissime custodite hũc in uobis metipsis salẽ, & uiuite inter uos ipsos pacifice: nemo alijs se præferat, nemo alios contemnat, imò nemo alios non maximi faciat, seduloq; studeat benemereri de quibuscunq;, offendere uero neminem, utq; gehennam ipsam, offendiculum omne obijcere caueat.

Explica. Mar.

Ex his uerbis Domini, ut ea Marcus extulit, uidemus, cum Dominus ait apud Mat, & Lucam, si sal infatuatus fuerit, in quo salietur? intelligendũ esse , in quo ipsum sal cõdietur? Sic enim Mar. habet, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; in quo ipsum, scilicet, sal condietur? Quod & sequentia apud Matthæum & Lucam indicãt, ad nihil ualet ultra, utpote quod insulsum sit , neque possit reparari . Quanquam & hoc simul uerum est, & ex re ipsa consequitur, quòd nec alia condiri possunt, sale facto insipido. Cum nihil sine salis condimento gratum existat. Hæc pro explicatione locorum Marci & Lucæ, quos adduxi, in quibus idem hoc simile de sale legitur , hic adijcere uolui, ne cui ex eis præsentia quoq; obscurarentur.

Cæterum probe expendendum est, hic discipulos Domini sal terræ uocatos, quod certe esse debent quotquot Christo nomen dederunt. In hoc enim ut & alios lucrentur, in uita hac relinquuntur . Alioqui cum salutem & uitam æternam possi-

deamus

deamus Christi merito, simulatq; Christo uere credidimus, præstiterat nos simulat-
que hanc fidē nacti sumus hinc euocari. Si iam & ipsi absq; fide inueniamur, ad quē
quæso usum seruiemus alijs? Iure omnium reiectissimi habebimur. Oremus ergo se
dulo, ut fidem ueram nobis Dominus donet & adaugeat, quò & alijs ad salutem
prodesse, ac fructus plurimuū, in quod, scilicet, positi sumus, possimus afferre: ne con
tingat nobis quod ijs, qui iam seculis aliquot pro sale terræ habiti fuere, contigisse
uidemus, quos ita Dominus eijcit foras ab hominibus conculcandos, ut nihil sit ip-
sis sicut perditius, ita & contemptius apud omnes bonos & cordatos: imò non apud
hos solum, sed etiam apud eos, quos putant habere sibi addictissimos.

Vos estis lux mundi.) Hæc altera ratio est, qua Christus ad fidei efficaciam, dig-
naq; fide opera studiúmq; uitę nouæ suos hortatur, & ipsa ducta à persona quam
modo sustinebant, ea sic habet: Elegi uos, ut toti orbi luce fidei & pietatis præluceа-
tis: uidete ergo quid à uobis expectetur, utique quod sermone, omniq; uita uestra,
eam in Deum fidem, quæ carnis omnia cotemnat, & procurandæ saluti fratrū, sum
mo studio inuigilet, demonstretis. Quemadmodum enim oppidum in monte sitū,
abscondi non potest, & lucerna in hoc accenditur, ut uersantibus in domo luceat,
ita uos certe latere non poteritis nec debetis, sed tanquam in edito monte urbs posi-
ta, cōspicui eritis toti mundo: date igitur operā, ut in uobis homines uideant, quæ
illis cum salute libeat imitari. Deinde in hoc uos posui, ut ceu lucerna impositа can-
delabro, domesticis meis, qui sunt & erunt, lumine fidei, exerentis se per uera bona
opera, uiam uitæ monstretis. Agite ergo ne tantæ dignationi meæ erga uos, imò pa
tris mei, parum respondere, aut in uacuum tantam gratiam recipere uideamini, sed
incumbite in hoc, carnémq; uestram hactenus mortificate, ut luceat lux uestra corā
hominibus, pateátq; omnib. uos meo spiritu præditos esse, quo allecti & alij uelint
mihi credere, regnóq; meo ciues adscribi, glorificaturi Patrem, non tam meum iam
B quàm uestrum, qui tanta benignitate uisitarit tandem genus humanum, ad cœlestia
bona ipsum prouocans. Huc enim omnia uestra oportet referri, quo patris Dei, iam
Patris uestri, ut bonitas cognoscatur, ita gloria apud mortales amplietur. Quo solū
pacto, & salutis ipsorū negotium recte egeritis, & Patri unice gratificabimini. Hoc
enim potissimum ab hominibus ille requirit, ut ceu membra unius corporis, quisq;
pro alterius salute promouenda sit solicitus, sibi uiuat nemo.

Duplici collatione hic Dominus usus est: altetam de accensa lucerna, ipse absoluit
adijciens ei quod dixerat (uos estis lux mundi, & non accenditur nisi, ut luceat lu-
cerna) Sic ergo luceat lux uestra &c. alteram autem de oppido in monte sito, intel-
ligentiæ auditorum reliquit absoluendam, nimirum, ut intelligerent se à Deo, iam
ceu in celso monte ciuitatem, constitutos, cúmq; non possit in edito posita urbs la-
tere, se quoq; toti mundo fore conspicuos, eóq; officij sui esse, ita cœlestem nouamq;
uitam uiuere, ut eos mortales reliqui, cum salutis ipsorum, diuinæque gloriæ apud
illos incremento suspicerent, & admirarentur.

Quarto Marci & Lucæ. 8. legimus Dominum item simili lucernæ usum, cum de
semine uarie cadente parabolā exposuisset, & declarasset satos in bonam terram es-
se, qui uerbum audiunt, suscipiunt, atque fructum ferunt, mox enim subijcit, Num-
quid lucerna accenditur, ut sub modium aut lectum ponatur? Num potius ut impo
natur candelabro, quo ingredientes uideant lumen? Nō est enim absconditum ali-
quid, quod non manifestetur, neque factum occultum, quod non cognoscatur, sed
ut in lucem edatur. Si quis habet aures audiendi, audiat: uidete igitur quomodo au-
diatis. Ei enim qui habet, dabitur, qui uero non habuerit, & quod uidetur habere,
auferetur ab ipso. Hæc Marcus & Lucas memorant. Videntur uero hunc habere
sensum. Videte quomodo audiatis uerbum, habet enim se, ut semen sparsum in a-
grum, cuius uix quarta pars à terra fertili cōcipitur, & fert fructum, ita sunt perpauci

Loci Marci et Lucæ explicãtur.

qui corde bono uerbum audiũt, fructúmq; edunt. Si ergo uidemini uobis uerbum recte audiuisse, proferte fructus. Certe lucerna non accenditur, nisi ut imposita candelabro luceat, ita qui face uerbi Dei uere illustrantur, etiam luceant alijs oportet. Vt enim prouerbium habet, nihil absconditum, quod non tandem manifestetur, neque fit quicquam occultè, quod quidem recte fit, ut occultum usque maneat, nec cognoscatur, sed ut tandem proferatur in lucem: ita quamlibet secreta sit uerbi in corde perceptio, si uera fuerit, tandem promat se necesse est. Neque enim Deus hoc opus suum, opus tam insigne gloriæ suæ fecerit ut luceat, sed potius ut eo ad salutẽ plurimi inuitentur & adducantur, nomenq; ipsius hoc amplius sanctificetur. Quare audiat hæc, cui id datum est. qui audiendi aures habet, uideatq; quàm sincere uerbum Dei percipiat. Veris hic agitur, non hypocrisi, si uerbum uere habuerit quis, dabitur illi præterea, ut in cognitione Dei proficiat, & bonis operibus abundet: qui minus, ab illo etiam auferetur, quod uidetur habere, nempe factitia illa probitatis persona, ac tandem quicquid sapientiæ, iustitiæ, aut ullius boni habere existimatur. Reuera enim nihil solidi boni, absque uerbo Dei poterit habere. Atque ita apparet Dominum hoc loco ad eandem ferme exhortationem simili illo lucernæ usum, nimirum ut ostenderet, quicunque uere igni spiritus fuerit accensus, eum nõ posse, non per bona opera lucere, í dque quod animo concepit, in salutem alijs proferre. Similiter & alio loco Lucæ. 11. legimus, Christũ hoc eodem simili usum, & ad eundem ferè modum: sed is locus & in Matthæo infra incidet, ibi igitur de eo disseremus.

De similitudine oppidi siti in monte.

Porro suos hic Christus ciuitati in alto collocatæ, & accensæ lucernæ assimilauit, quod secundũ scripturã fecit, quæ utramq; similitudinẽ sanè multis in locis habet: ciuitatis quidem similitudinem, Psalmi passim commemorant, peculiariter autem. 46. 48. 87. 125. 147. Iesaiæ 44. 58. 60. 65. Iere. 31. Iehesk el, 40. Hic certe Propheta memorat se adductum in uisionibus Dei in terram Israël, & suauiter demissum super montem excelsum ualde, super quo sibi uisum sit uelut ędificiũ ciuitatis ab Austro. Hoc Ecclesiæ uere Deo fidentum ędificium est, quod cum Christo fundamento nititur, in celsissimo monte situ est, summaq; cũ admiratione cõspicitur. Qui enim Christo uere fidunt, id est, super ipsum ędificati sunt, ut cœlestium bonorum hæredes se sciunt, ita contemnunt præsentia, opes, delitias, dignitatem, & quæcunq; caro facit maximi, Deo approbare se dant operam, à cuius prouidentia in omnibus pendent, proximis, etiam inimicis inseruire, próq; salute ipsorum mortem oppetere gaudent, omnem aduersitatem & calamitatem, ut à Deo immissam, non æquo tantũ sed etiã grato animo excipiunt: deniq; ita à Deo curãtur, ut nulla omnino uis illos à sancto suo proposito dimouere queat útque uno & eo Paulino uerbo dicam, ciuitatem suã habent in cœlis, & cœlestes se præstant. Qui iã huiusmodi sunt, uere sancta illa & noua Ierusalem sunt ciuitas regis magni, quam fluuius spiritus sancti cum riuis suis lætificat, in cuius medio Deus habitat & glorificatur, quæ in æternum non commouebitur, habens fundamenta sua in montibus sanctis, ut Psalmus. 46. & alij canunt. Quæ omnia sancti cum luculenter præ se ferant, qui possent abscondi, aut latere, & non potius ubicunque sunt innotescere, essecq; admirationi omnibus, ut qui tam diuersam à reliquis filijs Adam uiam ingrediantur. atque adeo inimitabilem illis uitam agant? Atqui tales suos Christus esse requirit, qui inter mortales specimẽ quoddam uitæ cœlestis exhibeant, & Patris gloriam ita adferentes, & reliquorum saluti præeuntes.

Lucem mundi uero, & accensam, ut hominibus luceat lucernam, Christus suos eadem ratione tum uocauit, tum requirit esse. Qui nanq; alijs ad salutem præeunt, eos scriptura lucernã sole uocare. Ita Dauidem iuste & fœliciter regnantem, appellabant lucernam Israël, secundo Schmuel, 21 Vbi iurabant se haud laturos, ut ultra cũ

eis

A eis in pugnã egrederetur, ne extingueret lucerna in Israël, fuerat enim tum admodũ periclitatus Sic de Domino nostro prædictum fuit à Iesaia, futururum ipsum lucẽ gentium. 42, &. 47. nimirum quòd ad uitam æternam illis prælucere deberet, id iam etiam per Apostolos & discipulos suos præstitit, & per Apostolos præclarissime: recte igitur dixit ad illos: Vos estis lux mundi. Ipse uerus Sol iustitiæ, suo illos spiritu, ut omnes electos, uolebat ita accendere, ut uerbo & opere, prælucere ad regnum cœlorum sedentibus in tenebris & umbra mortis possent. Hinc Paulus radios huius lucis explicans, scribit Philippensibus secundo: Omnia facite sine murmurationibus, & dispẽsationibus tales, ut nemo de uobis queri possit, syncericq; filij Dei, irreprehẽsibiles, in medio nationis prauæ ac tortuosæ, inter quos apparetis, tãquã luminaria in mundo, uerbum uitæ sustinentes, &c. Idem facit & ad Ephe. 5. &. 1. The. 5.

Spiritus enim sanctus, spiritus filiorum dei quo mens renouatur, hoc est, ut Deo plene fidat, illustratur, & ut proximũ rite amet, accenditur. Iux illa est, qua à Christo sole iustitiæ, & uera mudi luce, electi donantur, ut & ipsi lux sint in illo, & filij lucis, id est, lucentes, lucémq; aliis præferentes. Qui igitur fructus spiritus, ijdem sunt lucis à Christo donatæ radij. Quod Paulus scribens Ephesijs quinto testatur: Eratis, inquit, quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate, nam fructus spiritus in omni bonitate & iustitia, & ueritate, &c. Vide, ambulare ut filij lucis id est, lucere, pro eo accipit, quod fructus ferre spiritus. Liquet ergo uerborũ Domini, uos estis lux mũdi, &c. hũc esse sensum: Donaui uobis de plenitudine lucis meæ spiritum sanctum, quo illustrati & uos lux facti estis, tenebrarum igitur operibus uadicite, & date operam operibus lucis, hoc est fructibus spiritus cumulatim ferendis. Quare bona opera non lux, sed radij lucis sunt, lux est, spiritus sanctus & mens innouata uti tenebræ sunt iudiciũ carnis, & mens uetustate naturæ nondũ exuta: eoq; quod Dominus dicit, sic luceat lux uestra, perinde est, ac si dixisset, sic proferat

B se spiritus uester suis fructibus, ut homines uidentes, &c.

Spiritus lux, opera bona, radij lucis.

Porro obseruemus singulari hic diligentia, qua ratione Christiani sint ad opera cohortandi. Non ait Christus præceptum est, ut mirabilia Dei omnibus enarretis, ut proximo inseruiatis, ut erga inopes misericordes sitis, cúmq; maledictus sit qui non manserit in omnibus uerbis legis, uidete ut ad hæc uos comparetis &c. Quem admodum hodie sanè ineuangelici Euangelici quidam solent, perpetuo ingemi-nantes, Christus hoc dixit, istuc præcepit, illud egit, istud consuluit, ergo oportet in id modis omnibus incumbere. Quid hi faciunt aliud, quàm uiribus humanis imponunt onus legis importabile Cui illico ratio hominis ignara uirium suarum humeros submittit quidem, neque enim sustinet maledicta esse, at cum illis longe impar sit, ut quæ cordi imperare nequeat, in uanã hypocrisim tandem recidit, suiq; pernicioßissimam admirationem, propterea quòd ægre tandem unum & alterum operum Euangelicorum, ut uocant, extorserit, forte quod iam non iurant, quòd sua in commune fratribus impartiunt, quòd inermes obambulant, quòd in se magistratus prouocant, & id genus alia: hinc fit, ut quo propensißimi omnes sumus, corde adorent opus manuum suarum, missso Christo, extra quem ut nulla bona opera non noxia sunt, ita tam abest, ut satã, quæ isti sic moliuntur, remoretur, ut ea etiã maximopere urgeat, hactenus transfigurans se in angelum lucis, quo à Christo miseros excludat, de quo & supra, in locum illum: Et circumibat totam Galilæam, &c. capite superiori paucis monui, Conciderunt quæ humanæ traditiones sub nomine traditione Ecclesiasticæ bona opera inuexerant, factitia, scilicet, & uana: pugnat ergo nunc hostis ille ueterator ijs quæ Christus cõmendasse creditur. Caueamus ergo nobis, moniti à Domino ipso & suis Apostolis tam diligenter, uerbáq; ipsius atq; exempla, puro oculo intueamur, sic ea amplectentes & referentes, ut sit omnis gloria apud Christum, penes nos nostræ uanitatis plena agnitio, cum perpetuo mortificandi nos stu-

Præpostere ad opera hortantes.

Quomodo se ducantur operarij.

dio,& exprompta seruiendi fratribus sedulitate.

Nemini sanè pio probari potest, fides bonorũ opetum infœcunda,multo minus Christo,qui ut omnia cõsummaret,aduenit.Si itaq; ipse unicus noster magister est, quẽ debemus pro uiribus æmulari,sequamur quoq; eius exemplũ in docendo,præsertim cũ id præcipuũ operum fuerit,quę cum hominibus in carne cõuersus, gessit. Is ergo uolens suos ad opera prouocare,ut dixi, nullã obiecit legem, sed admonuit potius benignitatis & doni Dei. Vos,inquit,estis sal terræ,ex uoluntate Patris,citra ullum uestrũ meritum,elegi uos,ut nõ solum ipsi uiuifica sitis fide prædita, sed ut ad hanc & alios per uerbũ Euangelij adducatis,uidete quanti uos Pater habeat, & cogitate simul,si sal euanescat,neq; restitui posse, neq; ad ullũ usum esse cõmodũ. Hinc certe animi eorũ mouebantur,ut propensissime cuperẽt suæ uocationi, tantęq; Dei erga se dignationi,morũ innocentia,studioq; pietatis proferendæ,respondere, licet id Dominus uerbis haudquaquã expressisset,satis habens,cogitationem huius modi illis mouisse.Eiusdẽ monetæ sunt,& sequentes monitiones: Vos, inquit,estis lux mundi,&c.Cœlesti uos luce perfudi & saluifica,quo & alijs præluceatis:ceu ciuitatem Dei, in altissimo super omnes mortales extuli: moueat hæc tanta patris mei indulgentia,ne cessetis néue torpeatis.Sic luceat lux uestra,ut conspectis bonis operibus uestris, patrẽ quem in uobis præsentem sentiunt, glorificent, animaduertentes quanta se benignitate & indulgentia,hominibus adiunxerit.Ista commemoratione paternæ dignationis,suaq; tam admirandæ beneuolentiæ, deuinciebat sibi mirum in modum corda illorum, & ut officio suo diligentissime incumberent,maximopere accendebat: ut iam nihil prius haberent quàm sic gratificari, scilicet, patri benefi centissimo, à quo tanta se accepisse pensitabant. Qui enim cessare potuissent in ijs, quæ ad gloriam patris,& cœlestis patris,qui ad æternã iam ipsos hæreditatem & cœlestem, destinarat,factura erant? Hunc morem monendi Paulus, Petrus & Ioannes studiose obseruarũt. Nisi enim cor persuasum sit,uti libeat in gratiam Dei, donantis gratis omnia facere quæ officij sunt; Peccatum est, quicquid agitur, nam absq; fide, id & lubenti corde agitur.

Quomodo Christus ad opera prouocet.

Hunc ipsum ergo morem & nos obseruemus, cõmemoratione beneficiorũ Dei, ad pietatis studium prouocantes. Postquam autem animi ad Christum Euangelio erecti sunt,legibus rite urgebimus desides.Nam qui non credunt Deum esse, & sibi quoq; Deum fore,hoc est seruatorẽ, apud hos quid efficias,si perpetuo crepes: Hæc præcepit Deus, ista insunt legi diuinæ.Atqui ubi tam obtinet reuerentia & studium Dei, quæ ex fide in Christũ sola rite obtinere possunt, tum demũ animos percellunt ista:Hæc dicit Dminus,ista præcepit,illa requirit,hæc ni feceris, iræ eius te obnoxiũ facies.Ignauam fidem ne feramus,opera diligenter urgentes:sed ut impetremus uere bona,ad exemplum Domini & Apostolorum,per Euangelij admonitionem,animos accendere,ut ultro illis studeant conemur. Etenim & Mosche, licet rudẽ illum populum formandum accepisset, unde & in urgendo leges, minitandoq; crebrior fuit,nullam tamen seriam admonitionem ad populum habuit, ubi nõ in primis admonuisset beneficiorum Dei, qui ex Aegypto illos multis signis & prodigijs eduxerat,qui terram Chanaan patribus promiserat,& alijs innumeris modis,suam illis bonitatem exhibuerat.Quanto magis id decet nos, noui testamenti ministros, & prædicatores Euangelij? sicq; non mox omnia impetremus, ne despondeamus ob id animum, formatur sensim hic in nobis Christus: non datum est unicuicq;,ut illico in eo grandescat uita Dei; quin longanimitatem Christi,rudes tardosq; discipulos usque non ferentis tantum, sed & fouentis æmulemur. Ad nulla certe peccata conniuendum est,sed neq; ob quæuis fratres abijciendi sunt.Dum Christi cõfessio,studiumq; Christianæ uitæ adest, & absunt illa flagitia, ob quæ cibũ sumere uetat Paulus cum

Qua ratione urgenda opera.

ijs,

A ijs,qui fratres uocantur, instaurandi sunt infirmiores,nō abijciendi, etiāsi in multis peccent. Hanc secundam super re hac digressiunculam, extorserunt mihi ingentes Satanę conatus,quos ad Euangelij Christi syncerítatem fermentandam,hac tempestate,supra quàm unquam futurum credidissem,miris artibus profert.

Postremo ne uel hoc prætereundum,ad quæ Christus bona opera hortetur. Vt uideant,inquit,uestra opera bona.Bona ergo opera in scriptura non uocantur,nisi quibus proximis bene fit,quæ illis commodum aliquod adferunt. Necp enim ulli creaturæ bonitatis appellationem illa aliter tribuit,quàm si ab ea, ad alias utilitas aliqua proficiscatur. Sicut sane ne latine quidem bonum dicitur, nisi quod frugi sit, à quo fructus aliquis percipitur. Ita. 1.Mosche.1. Vidit Deus quæ condidit, & erant ualde bona,id est, plurimum utilia. Et Iesa. peculiariter de bonis operibus nostris sic legimus.Discite bene facere,studete iustitiæ & æquitati, opem ferte uiolenter oppresso, uindicate pupillū,defendite uiduam. Vide quid Dominus iudicet benefacere: Studiosum esse æquitatis,succurrere ijs,quos uis premit iniquorum, curare, ut suo iure non fraudetur pupillus & uidua, id est, omnes auxilij inopes. Nec alia in omnibus Prophetis uideas bona opera,uel censeri uel exigi.Quos imitatus Paulus,ad eundē modum de bonis operibus ubique loquitur. Ad Galatas in fine. Bonum autem facientes ne cessemus, tempore enim suo metemus nō defatigati. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes,maxime uero erga domesticos fidei. Hic quiuis uidet,Apostolo bona opera,esse officia charitatis, quibus iuuatur proximus. Necp aliter de bonis operibus loquitur in fine prioris ad Thimotheū: Vbi ait, præcipe diuitibus in hoc sęculo,ut benefaciant, ut diuites sint in bonis operibus, faciles sint ad impartiendum,libenter communicantes,&c.Hic item clare uidemus, benefacere, & diuites esse bonis operibus, Paulo idem esse atque facile impartire, libentercp communicare.

Quæ bona opera.

B Sed quid opus alijs locis: ex præsenti Domini sermone, facile apparet, bona opera,Domino alia non haberi,quàm quæ commoda adferant, promoueant proximis. Nam summa totius exhortationis est, ut nemini uel irascamur, & si quem offendimus,nihil prius habeamus,quàm illum placare:nullius uxorem uel appetamus,tam abstimus,ab omni periurio & dolo,ut omnis sermo noster sit,est,est,non,non. Vt omni petenti demus,mutuum uolentem accipere non auersemur, raptum non repetamus, de uindicta ne cogitemus quidem, inimicis quoque beneficia præstemus. Vtcp semel dicam, toti nos patris prouidentiæ cōmittentes, totis uiribus in hoc incumbamus, ut bene mereamur de quibuslibet, faciamuscp hominibus ut cupimus ab illis fieri nobis,id,inquit, legem esse & Prophetas. In eo igitur non possunt non sita esse, opera bona uniuersa. Erunt igitur bona opera, radij lucis, qua nos Christus illuminauit, fructuscp spiritus, quem donauit, quibus denique solis recte alijs prælucebimus,quæcumcp fecerimus in rem, & salutem proximorum. Sic utícp Dei lampas in Christo,& Apostolis,ac sanctis,quotquot à condito orbe fuere,luxit.

Quæ Dominus præsenti oratione docet.

Nam Deo,uel diuis quid est,quod boni facias: Nunquid Deum & beatas mētes, aut manes docebis, monebis, pasces, potabis, uestíes, recipies hospitio,alijs ue tuis beneficijs afficies: Iam tibi ipsi, qui temetipsum abnegasti,ac Deo cōsecrasti, nō est, quòd bonū facere, uel possis uel debeas, nisi quantū te usibus proximi seruas, foues ac instruis.Homo homini Deus, id est, benefactor esse proximi poteris & debes: in eo uoluit Deus tuā erga se officiositatē experiri accipereq; perinde, quicquid proximis benefeceris,ac si ipsi fecisses.De his denicp solis nobis mandauit.Siquidē in hoc uno uerbo, diliges proximū tuū sicut te ipsum, inquit, Paulus impletur omnis lex. Proinde siue corpus castiges,siue ores,siue Euangelizes,Deūcp benedicas, aut quicquā aliud facias,si nō id in rē instituatur,pximi,nō est bonū opus,Deus ideo bonum

te reddidit,id est,spiritu suo donans,dedit te salē esse,qui alijs uerum saporē adferas, c
lucē esse,ut aliis hominib.luceas,bonitatēq; tua iuues quos iuuare licebit:si igit corpus castigas, & spiritui subijcis, huc spectare debes, ut spiritus eo in salutē proximi possit tanto cōmodius uti.Si bonū spiritū oras,orare eū debes,quo magis proximo prosis.Si euangelizas Deumq; benedicis,quērere debes ut alij Dei bonitatē agnoscāt.In summa, cū imaginē Dei debeas referre,id est,æternæ illius bonitatis & beneficentiæ, oportet et Deū te,id est,perpetuo bonū ac beneficū esse,idq; erga eos quib. tu possis beneficus esse,ij mortales sūt in hac tecū uita etiamnū degentes et nulli alij.

Hactenus de bonis operibus,quæ cum ignorarunt homines seculi superioris,& hodie ignorant multi, factum est,ut quæ Christo in minimis suis impendi debuerāt insumpta sint,& insumantur in ligna & lapides, maleq; frugi sacrificos atq; monachos,qui stultis,quæ ipsi non habent,bona opera uendunt: ac quod quisq; fecit,sui ipsius caussa, quo persuasus fuit,non tam placiturum se Deo,quàm sibi cœlum meriturum & è purgatorio celerem egressum paraturum,id demum bonum opus fuit, cùm nihil minus esset,nimirum ex quo nulla ad quenquam utilitas rediret, & esset ex amore sui ipsius natum,Hinc redemptæ Missæ & Ecclesiasticorum preces,cantus & hoc genus alia, inter bona opera primas obtinuerunt, inter quæ tamē ne infimū quidem locum habere possunt, ut à quibus proximis nihil commodi possit accedere,ut quæ non intelligant,præterea à malis ferè arboribus proueniant,ut Deus illis etiā grauiter offendatur,deniq; nullo Dei uerbo,eóq; citra fidem suscipiantur.De ijs loquor, quæ contra uerbum Dei instituta sunt, & solius uentris caussa,absque ullo Dei studio magno adeo uenduntur.Qualia permulta prohdolor,si non omnia sunt quæ passim in templis & collegijs, à maiore Ecclesiasticorū parte geruntur.Sed de ijs alibi,satis sit hic indicasse,quæ uere bona opera existunt,quæ, scilicet, ex optimo corde,fideq; illustrato,in rem proximi secundum uerbum Domini, studióq; ipsi gratificandi fiunt,uti sunt docere moneréq; quemlibet,præcipue autē tibi peculiariter d
commendatos,& probatis exemplis ad ea prouocare quæ ad Christum perducunt, deinde externe illis ita conuiuere,sic inseruire,ut tanti illos esse nobis quanti fuisse & esse nos Christo,re ipsa declaremus.Hæc de bonis operibus.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Ne existimetis,quòd uenerim ad dissoluendam legem.) Instat hortando discipulos,ut uocationi suæ respondeant,lucéq; pietatis alijs studiosissime præluceant,idq; tribus rationibus,prima à suo instituto ducta,ad hunc modum, Equidem aduenì,ut omnia consummem & perfectam legis ac Prophetarum obseruantiam statuam,tam abest,ut legem àme quisquam dissoluendam expectet cum ergo Pater uos mihi in discipulos contradidit,uestrum erit,non solum nullam iustitæ remissionem cogitare,sed ad absolutissimam quoque eniti.

Porro quam hic à se suspicionē depellit,qua uidebatur forte nonnullis legem abrogaturus,ex eo ortam puto,quod non sicut Scribæ & Pharisæi,sed tanquam auctoritatem habens,hoc est,non ut interpres,uel Propheta,sed sicut Dominus ipse doceret.Deinde quòd disciplinam pharisaicam hypocriseos ubiq; acusaret,nec sancte a-

Vnde in Christum suspicio destruendæ legis.

deo obseruaret, & cum peccatoribus cōsuetudinem haberet:preterea quòd nec sabbatum,nec sacrificia,nec deniq; templū ita ut Pharisęi superstitiose coleret: nam studebat,ab admiratione externarū rerum, ad cultum solide atq; internæ iustitiæ suos reuocare.Postremo discipuli huius Dominū ut Christum susceperant, mediatorem noui testamenti,fœderis quod non ut prius iciendum erat,sed inscribendū erat cordibus.Cum nouo itaq; sacerdotio, nouo fœdere legis ab eo nouatio expectabatur. Etenim Prophetas sciebant prædixisse,innouāda esse per Christū omnia. Hinc ergo ijs,qui præter externam illā iustitiam,legisq; obseruantiā nullā norant,mirū nō fuit si Christus uisus sit,legē uoluisse destruere. Quemadmodū & hodie usu uenit om-

nibus

nibus,qui iuſtitiam ſpiritus,quæ ex Deo eſt,ſtatuere conantur, & à ceremonijs humanitus inuentis, quibus uulgus hominum, à pſeudoprophetis deceptus, plus nimio fidit,auocant.Sane quanto diligentius quiſque pietatem ſolidam & ſpiritalẽ ſtatuere conatur,tanto carnalibus,qui externa duntaxat ſuſpiciunt,uidebitur profanior,& pietati magis derogare. Id uſu uenit Paulo, qui, licet,pro ſolida pietate nemo magis illo laborarit,tamen paſſim infamabatur,tanquam legis doceret uiolationem.Phariſæorũ itaq; & qui cum illis iuſtitiã cordiũ ignorabãt ſuſpicari de Domino cœperunt,eum uelle legẽ diſſoluere,propterea quòd externæ obſeruationi legis non uidebatur tantum deferre quantum ipſi. Diſcipuli & alij boni, qui credidérant Dominum Chriſtum eſſe,idem ex eo arbitrabantur, quòd ſciebant Chriſti eſſe innouare legẽ & omnia:tũ quòd uidebant eum externis obſeruationibus legis non ita,ut Phariſæi ſolebant,eſſe addictum.

Porro quod hic Dominus dixit: Non ueni ut diſſoluam Legem & Prophetas,ſed ut impleã,ſic accipio: Quæ Lex & Prophetę docent,tam abeſt, ut ſim abrogaturus, ut in hoc uenerim ut omnia tandẽ impleantur, & perficiantur. Quare per doctrinã meam,illa recte demũ explicabo,atq; à tenebris,quas eis phariſæi ſuis traditionibus offuderunt,uindicabo,tum uirtutem meis per ſpiritum omnia perficiendi,quẽ mea ipſis morte merebor, & à patre mittã, ſuppeditabo.Nam nihil omnino eorum quæ per ſeruos ſuis Deus in ſcripturis locutus eſt,poterit infectũ relinqui.Deus ut tantũ ſalutaria præcipit, ita ea quã ſeueriſſime exiget,& exigit dũ hæc uita decurret. præcipue enim hic de doctrina loquitur, eam aſſerit ſe nequaquam refigere aut abrogare,quod per καταλύσαι, id eſt diſſoluere intellígit,ſed ijs quæ docebat ſtabilire & perficere quòd πληρῶσαι,id eſt, implere dixit.Cæterum ſimpliciter λύσαι τὴν νόμον, id eſt,ſoluere legem,eſt eam tranſgredi,Sicut Ioan.7.Dominus ait,nõ ſoluí legem Moſaicã,ubi dabatur circuncíſio in ſabbatho,pro eo,quod eſt nõ transgredi,ſic & mox infrà dicit Dominus:Qui ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis &c, id eſt, tranſgreſſus fuerit. *Quomodo Chriſtus impleat legem.*

Amen quippe dico uobis,donec prætereat cœlum.)Altera ratio eſt,qua ad ſtudiũ uitæ ſanctioris inhortatur,ducta à legis diuinæ immobilitate, Si nanque cœlum & terra citius tranſitura ſunt,quàm à lege quicquam poſſit remitti, ut Chriſtum agnoſcimus propter legis impletionem aduenìſſe,noſtri profecto offitij quoque fuerit illi implendæ,& nos totos impendere. Nobis enim præceptum eſt,quicquid in ſcriptura præcipitur,quare & nobis tandem omne illud neceſſe eſt impleri.Siquidem in lege & prophetis Dominus præſcripſit,quales uelit ſuos habere, eósque tum perficiet,cum eo abducet tandem,ut ei quod propoſuit exemplari reſpondeant,Ecquid aliud fœlicitas eſt,quàm Deum,ut cognouiſſe, ita & quod conſequens eſt toto corde amaſſe,id quod legum omnium caput eſt? Vt ergo conſummatam expectamus fœlicitatem,ita pariter abſolutam oportet ſperemus & in nobis legis impletionem, quæ continget,cum extincta morte,quæ poſtremus hoſtis eſt,Deus fuerit omnia in omnibus.1. Corin.15.Ergo quòd legem tandem impleri nòsque illi reſpondere neceſſe eſt,ita ut ne apiculus quidem prætereatur,uehemens ſanè ratio eſt,ut iam ad illam formare uitam noſtram,pro uiribus annitamur,& ſedulo hic meditemur,quod plene conſecuturos nos in futuro,Dei bonitate confidimus. *Oportet et à nobis legem impleri.*

Da tranſitu cœlorum in morem procellæ, terræq; per ignem ſolutione,aperte 3. Petr.3 prædictum legitur, ut uix æque alibi. Niſi quod in fra.24. Marcus.15. &. Lucæ.21. Dominus dixit, cœlum & terra tranſibunt,uerba autem mea non tranſibunt. Quod mutuatum uidetur ex pſalmo.102. Initio terram fundaſti, & opus manuum tuarum ſunt cœli. Illi peribunt, tu autem permanebis, omnes illi ſicut pannus ueteraſcent, ſicut indumentum mutabis illos, & mutabuntur. Tu autem ipſemet, & anni tui non deficient. Quæ Ieſa.65. de nouis cœlis & noua *De tranſitu cœlorum.*

terra

terra prædicta sunt, uidentur magis de Ecclesiæ innouatione & fœlicitate spiritali, quàm de futuro mundi statu, immutationeq; corporali esse predicta. Ideo autem paucis scriptura istiusmodi res indicat, quod multa nouisse de eis non magnopere faciat ad pietatem hic meditandam. At si fidem in Iesum Christum recte hic didicerimus, ut hic pie, ita illic beate uicturi certe sumus, & experturi fœliciter, quæ hic curiose magis quàm religiose inquireremus. Satis nobis ad pietatem stabiliendam fuerit de hisce mysterijs nouisse, omnem istam rerum quamlibet firmam, ut uidetur, machinam, immutandam tamẽ, solúmque Deum omnis mutationis expertem. Hoc prouocabit, ut ipsi immoto & æterno Deo tanto addicamus nos fide certiore, & ad uerbum ipsius, quod agnoscimus item nulla omnino ratione posse refigi, tanto enixius, comparare nos, freti ipsius spiritu conemur. Plura de his nouisse, si ad salutem nostram momentum aliquod habuisset, scriptura latius ea, ut alia quæ propius ad nos pertinent, explanasset, quandoquidem salutaria uniuersa docet copiosissime.

De futuris scriptura pauca

Tertia ratio.

Quisquis soluerit unum ex mandatis istis minimis.) Hæc tertia ratio est, qua ad studendum enixius pietati hortatur, ab euentu ducta, quòd qui soluerit quamlibet minimam legem, & ita alios docuerit, minimus, hoc est, abiectus & nullius loci in populo Dei qui regnum sunt cœlorum habendus sit, cum contra magnus & præcipuo loco futurus qui & ipse studiose omnem legem impleuerit, & alios implere docuerit. Quis iam ferat in Ecclesia Dei & inter cœli ciues reiectus haberi? Magnum ergo & hoc stimulum habet, ad impellendos nostros animos, quo ad Dei uoluntatem uiuere unice studeamus. Notandum uero, quòd non reijcit eum qui tantum aliquod mandatum soluerit, id est, transgressus fuerit, quis enim est qui non peccet in multis? sed qui ita etiam alios docuerit. In eo aũt seruator ostendit quàm alienum à se duxerit legis docere dissolutionẽ, cuius eum Pharisæi falso insimulabant, quodq; populus & discipuli rudiores forsan ab eo expectabant. Nam cum neminem alium in suo regno, loco aliquo dignaturus sit, qui legem soluendam docuerit, id minime sumet sibi princeps huius regni.

De regno cœlorum dictum est supra quarto, esse sanctorum R. publicam, quam Christus Dominus suo spiritu moderatur. Verum dum hoc regnum, hic est, habet semper hypocritas sibi admixtos, ut una & altera parabola Domini infra. 13. declarat. Quod ergo hic ait: Minimum fore in regno cœlorum eum qui soluerit aliquod mandatum, & soluere docuerit, perinde est, atq; locum habiturũ inter hypocritas, qui scandala regni cœlorum, non ciues existunt, & tandem eiecti, igni tradentur inextinguibili.

Quid minimũ esse in regno cœlorum.

Iam quia hic dicit Dominus, minimum habendum in regno cœlorum, hoc est, hypocritam & reiectitium, qui uel minimum aliquod legis mandatum transgrediatur, & transgredi doceat, & supra dixit, donec cœlum & terra transeat, iota unum, aut apex non transibit de lege, quoad omnia facta fuerint, id est nullo modo fieri posse, ut non omnia legis impleantur, quin cum cœlum & tera immutabuntur, legem tamen implendam in omnibus esse, operæpretium fuerit, de abrogatione legis aliquid dicere, quo certum habeamus, quod uel Iudæis hæc obijcientibus respondeamus. Sunt quidẽ de re hac à multis multa dicta, ergo hic seruiã rudioribus, & quoad licebit, rem hanc simpliciter expediam.

De abrogatione legis

Lex mandatorũ in decretis

Paulus ad Ephesios. 2. scribit, Christum pacem nostram, inimicitiam, quæ inter Iudæos & Gentes erat, in carne sua occidisse, atq; mediantem murum diruisse, dum legem abrogauit mandatorum, in certis decretis sitam, puta huiusmodi: Infantes tuos circuncidito: Suo tempore Domino sistito: Sabbathum sanctificato. Sacrificato: Hoc ne edito Isthuc ne tangito &c. Et ad Romanos. 6. Gal. 5. scribit: Non estis sub lege, sed sub gratia, qui spiritu agimini, Deniq; 1. Timo. 1. Iusto nõ est lex posita. Ex his

&

A & similibus Pauli, ac aliorum locis, uulgo obtinuit hæc sententia: Legem omnem Mosche abrogatam, non ceremoniarum tantum, sed etiam decalogi, ut quæ tantũ Iudæis fuerit data, ut uidetur Paulus testari Rom. 3. Quæcunque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit. Hæc iam ijs quæ hic Dominus locutus est uidẽtur aduersari. Si enim Deus, & Gentium Deus est, & Christus omnium saluator etiam asserit, ne iota quidem à lege posse remitti, oportereq; & minimum quodque mandatum impleri, nisi quis uelit minimum, hoc est, tandem nullum habere in regno cœlorum locum, quomodo est lex abrogata, aut quo pacto sumus lege liberati? Ad hæc minima mandata intellgit, ut satis patet, quæ in Moschе continentur, quæ enim hic subiecit, non noua præcepta sunt, sed præceptorum decalogi explicationes, & primarij mandati de diligendo proximo, series.

Primum ergo dicam, quid legis nomine intelligam, & deinde quibus nos Christus liberos, quibus adhuc addictos uelit habere, postremo loca aliquot scripturæ de his explicabo: sic patebit, inter hæc Christi & Apostoli sui uerba, nihil esse pugnantiæ. Lex Hebraice תורה, id est, Thorah dicitur, ducto nomine à uerbo ירה, quod docuit, erudiuit, formauit significat. Vnde lex scripturæ modo pro doctrina & uitæ institutione recte accipitur. Quare Dominus subinde Prophetas legi adijcit, ut ita apertius declaret, quid per legem intelligat, nimirum doctrinam institutionémq; uitæ, qualem & Prophetæ prodidere. Certum ergo est, quæcunque in lege scripta sunt, huc spectare, ut ad iustitiam eruditus, integer sit homo dei, ad omne bonum opus adparatus. 1. Timothei. 3. Quod utiq; & Dominus innuit, cum post adhortationem, ad lucem bonorum operum, necessitatem implendæ legis, secq; ideo ut eam perficeret, aduenisse, subijcit. Per legem itaq; & Prophetas, intelligimus Dei doctrinam, scripturis sacris cõprehensam, qua ad pie atque salubriter uiuendũ homines instituuntur. Ea in tribus sita est, ut Deo fidamus, ipsum ex animo timeamus & amemus, deinde ut proximum perinde atq; nos ipsos diligamus, tertium ex utroque gignitur, ut continenter ijs, quæ corporis necessitas requirit, & cum decoro utamur: æque in rebus carni aduersis, atq; secundis. Ad primum ergo pertinet, quicquid scriptura habet, de timore, fiducia amoreq; Dei. His adiectæ tamen fuere ueteribus leges sacrificiorum, aliarúmq; ceremoniarum tabernaculi. Ad secundum quicquid de amore proximi. His adiectæ fuerunt Leges Ciuiles. Ad tertium pertinet, quicquid præceptum est, de mundicie, decentiaq; corporum, quibus adiectæ sunt purificationes illæ externæ. Nam ceremoniæ & ritus illi, admonitiones & exhibitiones sunt, cum Dei in nos beneuolentiæ, tum nostri in eum reuerentiæ, atq; in proximum officij. Sanctificationes itaq; & instructionem in se continent, ad obseruandam legem Dei, nõ autem ipsam obseruationem legis, quæ, scilicet, in uiua agentecq; dilectione Dei & proximi sita est.

De nomine legis תורה

Quid lex.

B *Lex tria requirit.*

Et tamen externis sacrificijs, alijsq; tabernaculi ceremonijs non tam coli se Deus, quàm sui cultum, hoc est, solidã, fidem, exerceri ac profiteri ad tempus uoluit. Quod in quinto Moschе libro passim indicatur, apertius aũt explicatur in Prophetis, sed omnium apertissime psalmo. 50. Iesa. 1. Iere. 7. 31. Hos. 6. Iere. 7. ita dicit Dominus: Holocausta uestra consumite cum uictimus uestris, & comedite carnem. Quoniam non sum locutus patribus uestris, neque præcepi eis, in die quo eduxi illos de terra Aegyptiorum, de negotio holocausti & sacrificij: sed id demum est, quod præcepi eis, dicens: Audite uocem meam & uiuetis. Vobis ero in Deũ, & uos mihi in populum, & ambulabitis in omni uia, quam uobis præcipiam, propter quod bene uobis erit. Quod ait, non præcepi patribus uestris de negotio holocausti, & sacrificiorum, sed præcepi ut audirent me &c: satis indicauit, quid in ceremonijs, quas populo statuit, sibi uoluerit, sanè nõ eas per se, sed fidem & sui timorẽ, quorũ illa admonebãt. Ita per tot lotiones corporũ & alias purificationes quas multa & uarias in tertio

Vsus ceremoniarum.

Vsus purificationum.

Vsus ciuilium legum.

Moschе

Moſche inſtitutas legimus, ueram utiq; corporum munditiẽ, quę eſt, iuſta affectuũ C
moderatio, & quidem totius uitæ rerumq; externarũ modus, requiſiuit, non exter-
nos illos ritus, ita & ciuiles leges dedit, ut iuſte et ex equo inter ſe homines uiuerẽt,
ſontes punirentur in exemplum alijs, atque tranquillius uiuerent innocentes illas
iuris formulas per ſe nihil moratus. Tantum quia tum, in externis æque atq; inter-
nis populum per ſuam legem & inſtitutionem, atq; miniſtros eoſdem gubernabat,
etiam externa eis præſcripſit.

Externa non continentur nomine legis

Verum cum nec ceremoniæ, tabernaculi, ad fidem, fideiq; confeſſionem, id eſt, ue-
rum Dei cultum nec quas Moſche dedit formulæ iuris ciuilis ad dilectionem proxi-
mi, tuendamq; æquitatem & R. publicæ tranquillitatem atq; profectum, deniq; nec
externæ illæ purificationes ad uitæ modum corporisq; caſtimoniam per ſe perti-
neant, legis & Prophetarum nomine, id eſt, doctrinæ pietatis, & iuſtitiæ Dei haud-
quaquam continentur, quantum quidem attinet ad externã hominũ ſpeciem. Nam
in citato iam oraculo Dominus aperte teſtatur, ſe de ceremonijs nihil dediſſe præ-
cepti, quæ tamen multis præſcripſerat. Nam fidem, ut ſe audirent, & Deum haberẽt,
indeq; ambularent in uia quam ipſe mandarat, nempe ſtudio dilectionis, ante om-
nia & unice in omnibus mandatis & uerbis ſuis requiſiuit.

Ad tempus tantum, nimirum uſq; ad Chriſtum generalem populi ſui principem,
nouam quæ ex omnibus gentibus conſtituendam R. publicam, ita & externos cul-
tus, ceremonias & iuris formulas, deniq; & priuatæ puritatis tuendæ ritus inſtituit.
Vnde Iere. 31. Ecce ueniunt Dies, dixit Dominus, & feriã cum domo Iehuda fœdus
nouum, non ſicut fœdus quod percuſſi cum patribus illorum, in die quo apprehen-
di manum eorum, ad educendum illos de terra Aegyptiorum, qui irritum fecerunt
fœdus meum, quo eos poſſedi, dixit Dominus. Quoniam hoc fœdus erit, quod feriã
cum domo Iſraël poſteroribus illis diebus, dixit Dominus. Dabo legem meam in in D
timum eorum, & in cor ipſorum ſcribam eam, & ero ipſis in Deum, & ipſi erunt mi
hi in populum. Et nõ docebunt amplius quiſq; proximum ſuũ, & quiſq; fratrem ſuũ,
dicens, cognoſce Dominum, quia uniuerſi cognoſcent me, à paruo inter eos, uſq; ad
magnum, dixit Dominus: quia propitius ero iniquitati eorũ, & peccati eorum non
recordabor. En promiſit pacturum ſe cum electis, non ſecundũ pactum illud quod
iniuerat cum patribus ipſorum, cum quibus tamen æquæ fœdus fidei, ut eſſet Deus
ipſorum, & ipſi illi populus percuſſerat, quod aperte legimus, in libris Moſche: qua-
re ſequitur, ideo nouum & aliud percuſſurum ſe fœdus & pactũ Dominũ recepiſſe,
quòd iam citra præſcriptum ceremoniarum, uel formularũ iuris externi, aut deniq;
rituum puritatem tuendi corporalem, hoc eſt, abſq; legibus rerum, uoluerit illud ſtã
tuere Quapropter ait legem ſuam daturum in intimum eorum, & inſcripturũ eam
in corda eorum, ut uere Deum ipſum & haberent & agnoſcerent, ut non opus eſſet,
cognitionem Dei, alium alij dare, iam omnibus illam in corde poſſidentibus. Non
quod antiquis ſanctis hęc deſiderata ſint nemo ſiquidem diligere Deum ex animo
unquam potuit, cui non contigit iſta legis diuinę in cor inſcriptio: ſed quod hæc res
internæ legis, hoc eſt, ſpiritus Chriſti, eſſet adeo opulente ſanctis communicanda, ut
illis tam anxia pædagogia externæ legis minime opus eſſet, uiderentq; primum
ſpiritum Dei, ueramq; eius cognitionẽ percepiſſe, ijs quæ ueteribus donata ſunt tan
ro interuallo relictis, ut ea cum his donis noui teſtamenti uix queant conferri.

Hinc uero uidere licet, quod ſit proprium ueteris & noui teſtamenti diſcrimen.
Idem eſt utrunque in ſubſtantia, quia eodem in utroque Deus ſpectat, nimirum, ut
ipſe ſit per ſuam bonitatem Deus ſuorum, & illi eius per fidẽ populus. Nec audiendi
ſunt nimiũ ſibi arrogantes quidã, qui quod ſemel dixerũt, quamlibet abſurdũ tueri
ad conculcationẽ uſq; omnis charitatis contendunt, qui affirmant, teſtamentum &

fœdus

A fœdus uetus,pactum esse quod deum inter, promittentem terram Chanaam & terrenam prosperitatem,& populum recipientem se legem externe,id est,ritus & ceremonias tantum obseruaturum,olim percussum est. Quasi,scilicet,Deus unquam cũ hypocrisi fœdus percussisset, & non oneri sit Deo, omnis externa sine interna iustitia,quod ubiq; in Prophetis testatur. Nos scripturam sequamur, & orthodoxa scripta patrum,maxime D.Augustini in omnibus scriptis contra Manichæos.Hinc docemur Deum etiã in fœdere illo,quod percussit cum populo Israël,quando eos eduxit ex Aegypto,requisiuisse ut se audirent, essentq; suus populus ,qui ipsum Deum suum agnoscerent,& ambularent in uia sua, utiq; charitatis erga quoslibet, ut ipse in paulo suprà adducto Ieremiæ oraculo testatus est, id identidem libris Mosche & Prophetis omnibus clamat. Igitur nullum aliud est,ueteris & noui fœderis, uel Testamenti discrimen, quàm quod illud constitutum est donato spiritu puerili,adhibitis, ut promissione commodæ possessionis terræ Chanaan, ita & ceremonijs sacris, iuris formulis , & alijs externis ritibus , cum populo Israël solo:hoc autem nouum donato spiritu adultiore,& sine illis externis tam promissionibus certæ regionis, quàm obseruationibus ceremoniarũ;& est cõstitutum cum omnibus Gentibus oris quibus datum fuerit euangelium Christi amplecti. In hoc nouo fœdere Deus satis habet, promisisse atq; præstitisse se nobis Deum & patrem,hic & in æternum, & à nobis aliud non exigit, quàm ut tanquam patrem & Deum nostrum ipsum agnoscamus & colamus. Vnde nullis nouis legibus illud sancit, sed donat suum spiritum,qui legem datam in intimum nostrum,& in cor nostrũ inscribat,unde ipsum & cognoscimus & amamus,eoq; ad uoluntatem eius uiuimus.

Collatio noui & ueteris Testamenti quam tractat epistola ad Hebræos.8.9.&.10. non est proprie noui Testamenti, quod per Christum constat,& ueteris quod pepigit Deus cum patribus. Nam omnino in substantia utrunq; idem est.Sunt enim & ipsi per Christum seruati. Sed potius est inter ceremonias fœderis cum Ebræorũ populo percussi,umbras,scilicet,ueri testamenti,& fœderis Christi, quod uerum & æternum Dei fœdus est,idem cum omnibus electis,ab initio mundi : licet post Christum sit cum magis reuelatum,tum latius propagatum. *Locus ex epistola Heb.*

B Semper itaq; hoc Deus egit cum suis, hæc unica eius lex & æterna doctrina fuit, manebitq; donec transeat cœlum & terra,hæc lex & Prophetæ,ut ipsum Deum per fidem ueram agnoscamus, quæ mox sese exerat per charitatem, ut pie, iuste & continenter uiuamus in hoc seculo.Præscripta ceremoniarum,religionum,formulæ iuris,alijq; ritus,per se nequaquàm ipsa lex & Prophetę unquam fuerunt habita. Nam de ijs non præcepit,ut ipse testatur,sed ad tempus eas duntaxat ueris præceptis adiecit,dum populum illum in sola terra Chanaan haberet, ac eum etiam externe gubernaret suis scriptis legibus. Quin in eadem lege & Prophetis,tempus statuit & prædixit uenturum,ut non esset illorum usus.Nam hæc sola Deus per se requirit, primum,ut credas ei ,& gloriã eius libere confitearis,cui fidei firmandæ & prouehendæ duas ceremonias præcipue instituit,Baptismum & sacram cœnam.Deinde ut proximum ex animo diligas, commodissimeq; illi conuiuas, atq; Reipublicam ita instituas,ut nocẽtes tollantur,& innocentes tuto uiuant. Huic dilectioni et iustitiæ nulla propria instituta dedit,sed reliquit populos quoslibet suis institutis & legibus : nam in tanta cum sint ingeniorum uarietate, eadem omnibus conducere non poterant.Postremo ut uitam purissime atq; decentissime transigas,quibuscunque & id rationibus præstes, reliquit enim & hanc rem quorumlibet spiritui instituendam . Ita patet, legis & Prophetarum nomine, tantum istam doctrinam innocentiæ & pietatis censeri, neque alia præcepta, uel mandata legis proprie haberi. Nam & in externis illis hanc solam Deus quæsiuit, in sacrificijs fidem, in iudicijs charitatem, in ritibus alijs uitæ decentem modum:quodq; in his tantum externum

fuit, ut opus ipsum, locus, tempus, persona, numerus, qualitas, & aliæ circunstantiæ corporales, quæ omnia & impijs communia fuere, ea Deus nunquã alicuius fecit: tam abest, ut eo loco habuisset, quòd in eis suam constituisset doctrinam & legem. Nunquam igitur accessoria hæc, licet suo tempore obseruanda sanctis fuerint diligenter, legis diuinæ nomine & titulo censa sunt.

Quid ex lege remissum.

Hactenus quid per legem & Prophetas Dominus uoluerit significari. Iam uidendum quibus nos liberarit, quibus ue uoluerit adhuc esse addictos. Accessorijs illis, quę dixi, ceremonijs, tabernaculis, formulis iuris ciuilis, alijsq; externis ritibus reddidit liberos. Quia horam adduxit, in qua ueri adoratores nõ adorent patrem Hierosolymis, ubi templum erat, sacerdotium, ubi solum sacrificia licebat offerre: quare & abrogauit omnem illum ueteris tabernaculi strepitũ, externumq; cultum. Nam addidit, sed in spiritu & in ueritate, hoc est, mente uere Deo credente, eoq; & per dilectionem proximi, & propriæ carnis mortificationem, gloriæq; Domini prædicationem declarante se uere ac gnauiter, Deũ magnifacere, uereq; ut Deum colere.

Qui cultus tantum illorum est, qui Dei spiritu præditi sunt: ubi aũt ille, ibi libertas omnium rerum externarum. 2. Corinth. 3. Eoq; cum adhibent hoc spiritu præditi, in conuentibus suis, quibus conueniunt ad audiendum uerbum Dei, Deumq; benedicendum, aliquas ceremonias, siue eas à Domino nominatim institutas, siue pro cuiusq; ecclesiæ commoditate, dictante spiritu, omnia ad ædificationẽ instituente, per ministros ecclesiarum citra expressum Christi iussum susceptas, libere id facient: & nequaquam illis Deum colere, sed cultum eius per eas in profectũ fidei & charitatis studebunt excitare & testari. Sic rectissime institutam habebunt R. pub. Dei, uerumq; erunt regnum cœlorum, & uiuent inter sese ordine optimo. Et quia ad tranquille uiuendum omnino legibus ciuilibus, usu gladij & animaduersione nocentium, & hodie opus est, ut sunt renatorum qui spiritu aguntur paucissimi, leges datas per Moschen, minime contemnent, sed religiose potius considerabunt, quo Dominus in illis spectarit, quæ potissimum exegerit, & quantum cuiq; genti & populo commodo esse poterit, ex illis rationem R. pub. instituẽdę ac moderandę mutuare studebũt, sed libere omnia & ex spiritu Christi. Quis enim Solon, quis Plato, quis Aristoteles, qui deniq; iurecõsulti aut Cæsares, potuissent dare leges meliores Deo? Et qui non liberet opera manuum Domini & oues pascuæ eius, per ipsius leges moderari? Neq; leue profecto argumentum est multos hodie magistratus nondũ Christi regnum satis agnouisse, licet Christianissimi uelint uideri, quòd legibus tam diuersis à Mosche institutis, suas Respublicas gubernant. In ijs quæ & ipsorum populo maxime conducerent, nempe ut quæ in religionem & aliás peccantur uindicarent seuerius, & oppressorum rationem haberẽt diligentiorem. Sanè qui spiritu Dei agerentur, non possent tam longe alio, quam ille egit olim Mosche, ac alios sui populi probos magistratus, iudicando ferri: haud quaquam in adulteros, & nimis pernicioſos diuini nominis blasphematores, animarum corruptores, & alias Reipatq; innocentiæ pestes, animo essent tam leni: postremo præscribẽt sancti noui testamenti etiã aliquas leges, & instituta iuuentuti suæ, & rudioribus quibus eos adducant ad decentiam uitæ, morumq; compositionem, sed in his omnibus tantum gloriam Domini, & salutem proximorum spectabunt, nihil externum per se. Quicquid igitur non per se, ad fidem, dilectionem, & carnis mortificationem pertinet, mandatum licet ueteri populo fuerit, atque ab illo obseruatum, eo nos liberi sumus. Non enim est fœdus Domini nobiscum adiectis externis præscriptis, ut cum ueteribus percussum: & aduenit tempus, ut spiritu, id est, fide & ueritate, ultro ad Dei gloriam & salutem proximorum proficiscamur, Deumq; colamus: deniq; corpus iam habemus Christum ipsum; quid igitur umbris, quæ hoc corpus præcesserunt, detinemur? Coloss. 2.

At non

A At non ſic lege Domini, quæ uere dicitur, id eſt, doctrina pietatis, per Chriſtum ſoluti, ſed illi recte demum conſecrati ſumus: ut quorum omne ſtudium eſſe debeat, quò in fide erga Deum, mortificatione noſtri, atque proximi dilectione promoueamus. Immo hoc ipſum eſt, fœdus nouum & æternum, nos inter & Deum, ut perſuaſi ipſum propitium eſſe nobis & patrem, uiciſſim enitamur ipſi omnem uitam noſtram approbare. De hac ergo doctrina, cum ait ſe haudquaquam uenisſe ut legem & Prophetas diſſoluat, loquitur. Hanc ſolus impleuit, & quotidie in ſuis implet atque conſummat. Impleuit, cum per ſubiectam legum explanationē, fumo Phariſaicarum interpretationū illam exemit, & ſuo uero & germano ſplendori reſtituit. Impleuit, cum unus illam uita ſua plene expreſſit, factus unicum eius, quod æmulemur uniuerſi, abſolutum exemplum. Impleuit deniq; & implet eam quotidie, cum ſuis ſpiritum quem morte ſua meruit, etiam donat: quo & ipſis ſecundum eam uiuere, & libeat & liceat.

Quæ lex non ſoluitur.

Chriſtus legē impleuit.

Hanc certe legem, ab omnibus impleri oportet, neq; uel apiculus, hoc eſt, quamlibet minimum, ut uideri poſſit præceptum, poterit donec tranſeat cœlum & terra refigi, id eſt, donec ueniat iudicium, ac rerum omnium conſummatio, nihil ex ea remittetur, ſed oportebit impleri omnia, & unumquenq; tandem eò peruenire, ut ſeſe totum exuerit, Deumq; ex toto corde amet, atq; proximum ſicut ſeipſum diligat, hoc eſt conformis ſit imagini Dei, omnis peccati purus. Dominus nanq; cuius uerbum non poteſt mutari, dixit: Diliges Dominū Deum tuum in toto corde tuo, in tota anima tua, & in omni uirtute tua &c. 5. Moſche. 6. Hæc non tam præcepit, quàm etiam prędixit in ſuis futura, quare ita fieri neceſſe eſt. Et tranſibit cœlū & terra, cum uerba hæc tranſire, id eſt, caſſari nunquam poterunt.

Neceſſe eſt legem impleri.

Hæc denique doctrina multis & uariis eſt mandatis explicata, è quibus humaB na ratio aliqua forſan minima exiſtimabit, quale uideri poſſit, quod iam adducto loco ſubiicitur, quod præcepit Dominus, ut uerba ſua quiſque enarret filiis ſuis, ut loquatur de eis cum ſedet domi, ſuæ cum ambulat itinere ſuo, cum reponit ad quietem ſe, cumq; reſurgit: uel ut aliquod minutius adducam: Quinto Moſche. 22. præcipitur, ut inuento nido, ſublatis pullis, ſinas matrem auolare, ut bene tibi ſit, & longo uiuas tempore: item ut ædificans domum circunducas murum tecto (nam plana tecta habebant) ne quis inde decidat. Quæ ſunt, præcepti de diligendo proximo quædam ceu explicationes. Si quis hæc iam & ipſe ſoluat, & doceat ſoluenda, certe dilectionem docebit uiolare proximi, quæ exigit, ut ita rebus præſentibus utare, ut & aliis aliquid relinquas: item ut omne proximo periculum pro tua uiri li ſummoueas: eoq; non poteſt eiuſmodi niſi ſimulatus regni cœlorum ciuis, & ideo poſtremo loco, ac omnium minimus eſſe, & haberi. Legi itaq; Dei, hoc eſt, doctrinæ pietatis, quam in ſuis ſcripturis tradidit, quilibet Chriſtianus ſeſe dedet, illiq; accommodare ſe pro uiribus conabitur: tam abeſt, ut ſolutam optaret, tacco quod Chriſtus ipſam abrogaſſet.

Quæ minima

Diximus iam, quibus Chriſtus nos reddiderit ſolutos, & quibus addixerit, quid abrogarit, quid ue impleuerit. Solutos reddidit ceremonijs, & aliis externis ritibus qui ut neminem reddunt pium, ita per ſe ad legem Dei, nec modo pertinent, neque unquam pertinuerunt. Addixit legi & Prophetis, in quibus quæ ad rationem pietatis attinent, continentur. Abrogauit legem mandatorum in decretis ſitam de rebus externis, ut dictum eſt: legem mandatorum, ſitam in præceptis fidei & dilectionis ſtabiliuit, atque impleuit: cum omnia huc referens, tum ſuis donans ſuo numine animum, cui nihil prius, nihil æque oblectabile ſit, atq; illis totis uiribus ſeſe accommodare.

Iam quædam ſcripturæ loca, quæ diuerſum uidentur ſonare, expendenda & ex-

plicanda sunt. Sunt autem potissimum supra adducta. Nos qui credimus non esse sub lege, Roman. 6. Iusto non esse legem positam. 1. Timoth. Legem augere peccatum, Roman. 7. Esse uirtutem peccati. 1. Corinth. 15. Operari iram, Roman. 4. &c. C

Credentes nõ sunt sub lege.

Hæc omnia de lege uera Dei doctrina, scilicet, pietatis, scripta legimus. Primum, nos non esse sub lege, sed sub gratia, quod Paulus. Roman. 6. dicit, id ipse Galat. 5. explicat, dicens: Si spiritu ducimini non estis sub lege: sub lege nanq; esse, est sola ui legis ad honesta agi atque impelli. Sicut puer à pædagogo agitur & impellitur ad literas, aliaq; honesta, ad quæ animo suo non fertur. Cui iam gratia peccatorũ facta est, & spiritum accepit filiorũ, is ab hoc spiritu ita agitur, ut nihil æque libeat, quam illa uita sua exprimere, quæ lex Dei præcepit. Is ergo pie, iuste, & sobrie uiuet, non quòd lex ita mandet, & pœnã minetur secus uiuenti: sed quia cognita gratia optimi patris, ultro auet totum se ad uoluntatem eius comparare. Quemadmodum ergo spiritum hunc per Christum credentes accipiunt, ita dicuntur per eum à lege liberari, & lege solui. Quemadmodum is, qui metu pædagogi literis incumbebat, cum ipse & ardere iam literas & tenere non minus pædagogo, atq; ultro amplecti honesta cœperit: liber fit cohercitione & metu pædagogi, eo quod ultro iam ad ea fertur, quæ pædagogus exigebat, non autem quòd illis ualedicat. Et hac similitudine pædagogi, Paulus utitur Galat. 3. Recte itaq; ait: Si ducimini spiritu, non estis sub lege: quod perinde est, ac si dixisset, si accepistis spiritum filiorum, qui ultro uos ad omnem pietatem formet & ducat, non est opus uobis pædagogia, id est, formatione & exactione legis, sicut non est opus tibi doctore eius artis, quam absolutius iam ipso doctore tenes; neq; impulsore, si sponte tua præcurras. Hactenus ergo non sunt sub lege credentes, quod domi habent spiritũ, omnia lege perfectius monentem, atq; multo potentius ad ea impellentem: nimirũ qui cor moueat, ut ultro uelint ijs uiuere quæ lex præcipit, id quod lex nequibat. D

Iusto non est lex posita.

Hinc iam facile intelligitur, iusto non esse legem positam, ad quid enim illi ponetur, qui ultro & nouit & uult, quod iustum est & honestum? Iis autem qui hoc magistro spiritu nondum adeo pollent, ut quæ mala sunt satis scirent & odissent, & quæ bona satis nossent & amarẽt, ac sunt ideo iniqui, immorigeri & impij, &c. istis, ut sua mala discant & detestari, uitamq; meliorẽ meditari incipiant, lege opus est: quæ tamen etiam his ipsis frustra datur, si non adsit spiritus Dei animis illam recte inscribens, ut hic Paulus & ad Galat. 3. testatur, legem adferens propter transgressiones additam. Sed dum mali legis metu ab operibus malis cohercentur, corde nihilominus ad malum propensi sunt: ita apud Deum, secundum cor illos æstimantem, eoq; in ueritate, adhuc mali existunt. Non est igitur ex lege iustitia: imò qui ex operibus legis sunt, execrationi existunt obnoxij. Galat. 3. id est, qui nihil præter legem, & suas uires habuerint, ut opera eorum tantum à lege sint extorta, non ultroneo spiritu edita, hi execrationi sunt obnoxij: quia nequeunt omnia quę lex exigit præstare, tales autem ipsa lex testatur execratos esse. Lex uetat ea ad quæ natura propensissima est, scilicet, amorem nostri, & quæ hic quærit: fit igitur ut quanto à pluribus legis metus te arcuerit, ne opere illa perficias, si cor tuum nondum renatum est, tanto ardentius illa appetas. Ita enim natura comparatum est, ut nitamur inuetitum, & cupias negata, ut Poëta naturæ haud ignarus uere scripsit. Iam & concupiscentia peccatum est, à lege damnata. Proinde à lege quidem cognitio est peccati. Roman. 3. sed medela adeo non est, ut etiam peccatum per legem augeatur, Roman. 7. dum concupiscentia, scilicet, malorum, quibus illa interdicit, ob prauitatem naturæ nostræ augetur, atque ita etiam iram operatur, Roma. 4. quia transgressores facit, quod absque illa non essemus, eoq; & diuinæ ultioni reddit obnoxios. Qua de caussa & ministerium mortis uocatur ab eodem. 2. Cor. 3.

Lex non iustificat.

Mortem

A Mortem enim intentat omni transgressori, nec affert tamen homini unde posset eam non transgredi.

Priusquam enim lex nobis cognita fuerit, siue ista scripta, siue ea, quam in cordibus nostris habemus insculptam, peccatum quidem adest, id est, prauus animus, praua q; opera, at peccatum non ita imputatur, Roman. 5. & est ceu mortuum, Roman. 7. hoc est, non urit conscientiã, non condemnat. Veniente autem mandato, reuiuiscit peccatũ, ita ut uideas quid peccatum, ac quàm mortiferum sit, & sentias tamen simul, te in id propensissimum, ac tanto propensiorem, quanto legis metu, ab ipso perpetrando opere te feceris alieniorẽ. Quod facile norunt, quibus aliquando cum libidine pugnatum est. Sic ipse moreris, hoc est, ex lege maledicẽte, mortiq; addicente omnes huiusmodi, mortis sententiam contra te accipis, sentiesq; uerum, quod Paulus. 1. Cor. 15. scribit: uirtus peccati lex. Atq; ita à lege bona & sancta, instituta q; ad uitã, nihil nobis nondũ spiritu uiuificãte donatis, quàm ut peccati cognitio, ita & incrementum, ac consequenter ira Dei nostriq; condemnatio prouenit. Adhuc tamen non est abrogata, neque abrogari potest. Sancta enim est, & præceptum sanctum, & iustum, & bonum. Rom. 7. De qua Paulus Rom. 3. Legem igitur abolemus per fidem, absit, sed legem stabilimus.

Peccatũ sine lege mortuũ.

Hæc autem ad hoc nouisse utile est, in quod & à Paulo conscripta sunt, ut agnoscamus ex lege nequaquam esse iustitiam, id est, nequaquam satis esse, doceri per externam legem de uoluntate Domini, propterea quòd noster animus hinc magis, quæ sua prauitas est, erga ea, quę displicere Domino nouerit, cupiditate mala accendatur, eoq; necessariũ sit, ut ante pestifer hic animi morbus tollatur, id cum lex præstare nequeat, & ex sola gratia Dei, donantis bonum, legisq; amantem spiritum, nobis contingit, consequens est nos ex gratia, & haudquaquã ex lege iustificari.

B Hanc itaque gratiam cum Christus nobis meruerit, ipse unus autor est nostræ iustificationis. Quæ ideo Paulum oportuit multis inculcare, quòd essent qui negarent homines iustificari posse, nisi obseruarent legem, id est, circunciderentur, abstinerent ab immundis, & cætera externa etiam obseruarent: atq; ita iustitiam docerent petendam à lege, quæ non nisi à Christo petenda est. Vt ergo Apostolus à lege ad Christum, à quo uno contingit, ut legi uelimus & possimus satisfacere, reuocaret, comprobauit adeo à lege iustitiam frustra peti, ut etiam iniustitia per eam, iraq; Dei adaugeatur.

Quare Paulus docuit legem augere peccatum & iram.

Quasi diceret: Quid stulti perpetuo ad legem respicitis, ex ea uobis iustitiam petituri? quam illa adeo præstare non potest, ut etiam ea parte, qua non externa ista, ob quæ uos anxij estis, sed ea præcipit, quibus iustitia uera constat, iniustitiam in nobis augeat. Data siquidẽ est propter transgressiones qualitercunq; cohercendas. Id aũt per se tam non pręstitit, ut illã auxerit semper, non sua tamen, sed culpa hominũ semper nitentiũ in uetitũ: summumq; cõmodum, quod ad ullos unquam ex ea redijt, fuit, ut uiderent quæ se decerent, quæq; Deus requireret, ac inde ad orandum bonum ab illo spiritum, ea præstandi, quando sentiebant se suopte ingenio in diuersum impelli, prouocarentur, haberentq; ita incitabulum quoddam, quo & dispicerent sibi, & ut à sola Dei bonitate penderent, salutemq; sibi peterent, impellerentur. Sic & uos legis consideratio huc adducere debet, ut uidentes totos uos peccato perditos, tanto cupidius Christo medico uos concredatis. Alioqui dum illa uetat, ad quæ uos natura estis propensissimi, ut forte metu pœnæ quam simul transgressoribus minatur, opere illa non perpetrabitis, ita tanto ardentiore erga ea animus cupiditate accendetur: ea iam cupiditas peccatum est, noscq; condemnabit, quam sentitis tamen per occasionem legis in uobis augeri. Pernicies ergo à lege, non iustitiam aut uitam, si uos Christi spiritus destituat, miseri referetis. Cur igitur

Quis usus legis.

apud Christum, quem amplexi estis, non permanetis, à quo solo iustitiam recte pe- c
tieritis. Is enim donat spiritum, quo non tantum cognoscetis quid fas, quid neph as,
quid gratum Deo, quid minus, sed etiã accendemini, ut hæc fugere, illa sequi libeat,
intereatq; in uobis concupiscentia mala, uigeat amor honesti.

Tum etiam uidere dabitur, quid sibi uoluerit in lege sua Deus, non certe externa
illa, & infirma atq; egena elemẽta mundi, ceremonias, scilicet, ritusq; de rebus cor-
poralibus: quibus uelut primis pietatis rudimentis, puerilem populi ætatem forma-
re suo tempore uoluit, & eum adsuefacere suum uerbũ, non rationem propriam in
omnibus sequi: sed magis solidam in se fiduciam, & ἀνυπόκριτον dilectionẽ erga pro-
ximos, cum summa uitæ continentia & puritate.

Atq; ita dum fidem in Christum nos docemus, legem nequaquam facimus irri-
tam, sed stabilimus. Roman. 3. Lex itaq; bona est, si quis ea legitime utatur, sciens il-
lud, quòd iusto no est lex posita, sed iniustis & inobsequentibus &c. 1. Timoth. 1. hoc
est, sciat legem peccata tantum indicare, nõ etiam tollere, aut iustos reddere, ac ideo
ijs illam potissimum datam, qui sua scelera nondum agnoscunt, tantumq; absunt,
ut illa deserentes iustitiæ studeant, ut nesciant, quid iustitia sit. Quo igitur utrunq;
discant, & cooperante in animis eorum spiritu sancto, peccata odisse & iustitiã ama
re incipiant, in eoq; lege admonente, & spiritu illo impellente promoueant, præce-
pta legis illis merito traduntur. Proinde cum lex ideo data sit, ut qui iniusti sunt, iu-
sti fiant, debent utiq; iniusti, nõ iusti illa urgeri. Iusti nanq;, hoc est, qui iam aliquod
iustitiæ studium habent, eoq; perfectiorem iustitiæ doctorem quàm lex sit, spiritum
sanctum nacti sunt, haudquaquam scriptæ legis præceptis impellendi sunt, quippe
cum spiritu impulsi currant ultro. Sicut nec iustus Abraham, iustus Isaac, iustus Ia-
cob, & alij huius spiritus patres, illis sunt incitati. Obseruandum siquidem est con-
tra quos Paulus hanc sententiam dixerit, nimirum eos, qui à Christianis quaslibet d
legis ceremonias exigentes, semper legis autoritatẽ obiectabãt. Lex Dei sic habet,
maledictus autem qui legem trasgreditur. Istis per hanc sententiã, iusto non est lex
posita, uoluit Apostolus huiusmodi responsionem dare: Inique facitis quòd ad illa
pietatis elementa reuocare conamini, qui iam in Christo, sic spiritu omnis iustitiæ
absolutissimo doctore, adoleuerunt, ut ultro omnibus rebus externis decentissime
utantur, ac ita præstent quicquid Deus in suis ceremonijs unquam quæsiuit: dein-
de & in eo iniqui estis, quòd litera legis eos urgetis, quibus tamen ea data non est.
Lex docet, uitare mala, & sectari bona, hoc isti, docti per spiritum Christi pridẽ stre-
nue student, nõ recte igitur doctos docere quęritis. Proponite illam potius, iniustis,
immorigeris, & istiusmodi malis obnoxijs: à quibus lex reuocat, & permittite qui
iam ista summe odio habent & toti iustitiæ sese dediderũt, meliore magistro, spiri-
tu Christi, liberos. Attamen dum hactenus noluit urgeri lege Christianos, quate-
nus iusti sunt, consequens simul est, legem quæ omnia bona docet, tam diu etiam
iustis proponendam esse, dum adhuc iustitiæ aliquid in eis desideratur. Sed tamen
spectandum, ut quæ uere iustitiæ sunt, & ad illam propriæ pertinent, eis inculcen-
tur: ea uero sunt, quæ per se ad dilectionem Dei & proximi adducunt, qua omnia le
gis summantur. Isti autem contra quos Paulus hoc loco scripsit, infantilia legis ur-
gebant, nempe externas ceremonias.

*Contra irre-
ligiose de le-
ge loquentes.*

*Quomodo
Mosche intel-
ligendus.*

Hæc cum ita se habeant, uelim nos commenta eorum, qui hodie ad Mosen impie
reuocare homines nituntur sic cõfutare, ut de lege Mose religiose tamen & sentia-
mus & loquamur. Mosche sanè uerbum Domini, non suum, locutus est, iam su-
mus iam & nos Domini: Christus, inquit, si Mosche crederetis, & mihi credere-
tis. Mosche sanè in omnibus docuit, fidere Deo, & proximum diligere, quæ indu-
bie pertinent ad omnes, ergo ad nos quoq; Mosche pertinet. Certo uestiendi ge-

nere

A nere nunc non est opus, dicemus igitur nihil ad nos uestes. Certas quasdam rationes profitendi Dei gloriam, & uiuendi proximis Mosche habet quæ non sunt omnibus usui, sed multo pluribus gloriam Dei in spiritu agnoscere & quærere, proximũ diligere eiq; ex animo studere, docet. Ne igitur dicamus simpliciter Mosche nihil ad nos. At dum illi præposteri Mosche sectatores externa urgent, quæ Deus ad tempus duntaxat, & certis hominibus præcepit recte dicam hæc quidem ad nos non pertinere, non autem legem omnem, uel ipsum Moschen totum. Quæ enim priuatis priuatim Deus præcepit, ea ad illos solos quoque pertinuerunt, ut ad solũ Abraham ire immolatum suum filium, ad solos Israëlitas perdere incolas terræ Canaan, & illam inhabitare, circuncidere suos infantes, & cultum illum seruare tabernaculi: sicut ad solos discipulos Christi, & solum in prima illa profectione ad Euangelizandum pertinebant præcepta, quæ infra decimo legimus, de non gestanda pera, de non ferenda pecunia &c. Sic ut supra dictum est, externa ista non uocantur per se, ne in scriptura quidem, lex Dei, aut Mosche, sed ea hoc nomine cõmendantur, in quibus uera sita pietas est, quæ utique ad uniuersos homines pertinent. At qui hæc cum & in illis ipsis externis, ac temporarijs præceptis, quæ priuilegia rectius quam leges dixeris, simul semper traduntur: ut in præcepto de immolatione litzchak, prompta obedientia, suiq; & suorum abnegatio: In mandata Israëlitis exterminatione idololatrarum, remotio scandalorum, sed secundum uerbum Domini. Erit itaq; pij hominis quod generalis & ad omnes pertinentis pietatis, in huiusmodi priuilegijs, præceptum animaduerterit, sicut in omnibus plurimum existit, ex ijs quæ priuata sunt, uelut nucleum testa eruere atq; amplecti, missis quæ ad priuatos tantum pertinere uiderit, hoc est, officij circunstantias priuatas.

Ex his iam liquere puto, primũ, quid cum hic à Christo, tum alibi in scripturis le- Epilogus.
B gis, Prophetarumq; nomine significetur: utiq; quæcunq; in illis de fide & dilectione, hoc est, solida pietate præcepta & tradita legimus, non autem ceremoniæ, aut ulli ritus per se non facientes ad pietatem. Deinde Christum ut externa hæc abrogasse, ita legem ipsam stabiliuisse atq; implesse, ut hic testatur: tametsi liberarit nos, ut ab exactione eius ita & condemnatione, donato, scilicet, spiritu, quo & ultro ad ea quæ lex præcipit ferimur, & certi pariter sumus tandem, totam quoq; legem in nobis hoc ipso spiritu Christi perficiendam implendamq;: neq; posse nos ab illa cõdemnari, dum per Christum nobis condonatur, quicquid hic in eam peccaueri-mus. Atq; ita puto constare, nos per Christum lege quidem esse liberatos, & solutos sed non alienatos, hoc est, effecisse illum, ut ea quidem nobis neq; molesta sit, neq; condemnet, nos tamen amemus illam, & meditemur in ea die ac nocte. Postremo quomodo intelligenda sint, quæ de lege Paulus sparsim scripsit, ubi probat tum peccatum ab illa augeri, tum nos potius damnari quam iustificari, si Christus ignoretur, eo quòd, scilicet, concupiscentiam iritet, non sanet. Neq; sub lege esse, qui Christi sunt, quòd spiritum habeant, qui legis reddat amicos, non sinat manere seruos & reos. Quæ semel fusius uolui etiam in hoc opere tractare, quòd uideam non paucos in his hærere, quamlibet sint de his multa scripta: tum etiam exortos nouos quosdam ecclesiæ desertores, qui parum religiose de his loqui sibi permittũt.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iustitia &c.) Asseueratio est, qua instat suis ut studeant omnes numeros ueræ pietatis implere: adeo ut euadere conentur meliores optimis, atq; ita cõfirmat, quod præmisit, se nequaq; uenisse, ut legem soluat, sed magis ut impleat, & simul parat transitũ, ad exegesim aliquot legũ Mosche, qui alter status huius orationis existit. Sensum uero hũc habet: Dixi me nõ uenisse,

ut legem ſoluerem, ſed ut implerem, & minimum fore in regno meo, qui ſoluerit C
& ſoluendam docuerit. Id adeo uerum eſt, ut certo affirmem, niſi abundantiorem
& pleniorem iuſtitiam, ea qua ſe ſcribæ & Phariſæi uendítant, qui tamen omnium
iuſtiſſimi in populo habentur, conſecuti fueritis uos, municipatus regni cœlorum
haud unquam fore participes, adeo integram & abſolutam iuſtitiam, & requiro &
doceo, támque falſi ſunt, qui uel apiculum legis ſoluturum me autumant. Legis
cortice illi contenti ſunt, putantq; ſi externo opere contra legem non fecerint, le-
Quæ iuſtitia phariſaica. gem ſe impleuiſſe, atq; ex aſſe iuſtitiam eſſe conſecutos, id quod longe aliter habet:
me ergo audite, legis medullam proferentem, & mea explicatione implentem ac
perficientem, quæ illi ſua diminuerunt, & eneruauerunt. Infra. 15. & 23. de Phari-
ſæorum iuſtitia plura.

Scribæ autẽ erant, quorum omnis opera in lege rite intelligenda, populoq; expla
nanda inſumebatur, & dicebantur סופרים quaſi librarij ab euoluẽdis atq; enarran
dis libris ſacris, qualis Ezra fuit, de quo. 7. legimus והוא סופר מהיר בתורת משה
id eſt, & ipſe ſcriba, uel librarius uelox, id eſt, dexter & ſcitus in lege Moſche. Huius
loci, tempore Chriſti multi in populo erant, ſed nequaquam huius pietatis uel de-
xteritatis. Abſtulerant clauem ſcientiæ, ut alibi illis Dominus opprobrat, ſibi uen-
dicata docendi interpretandiq; legem facultate, & ſuffundentes ſibiipſis & alijs in
lege per ſe lucida tenebras, tam ſe ipſos, quam alios à regno Dei alienabant. Vnde
impoſturas illorum, & falſas legis interpretationes, immo potius deprauationes
Dominus, non uno in loco taxat.

Vnde dicti Phariſæi. De Phariſæis dixi ſupra capite tertio ad illud: Cum uidiſſet autem multos ex Pha
riſæis & Saducæis. Nomen autem his deductum fuit à uerbo פרש quod ſignificat,
interpretatus eſt, uel expoſuit, dictiq; ſunt פורשי pro פורשים id eſt, phorſchai, pro
phorſchim, quaſi expoſitores & legis interpretes, quod poſtea Græci nonnihil im-
mutantes, dixere φαρισαῖοι, id eſt, Phariſæi. Sicut alterius ſectæ Iudæi fuerunt dicti D
Vnde ſaducæi Zaducæi, pro eo quod Ebræi dicunt צריקי pro צריקים id eſt, tradikai pro tradi-
kim, id uero ſignificat iuſtitiarios. Solam enim legem Moſche ad literam ſequeban
tur, ita uiſi ſibi ſeuere iuſtitiam ſectari. Tertij dicebantur עשי pro עשים id eſt, Oſai
pro Oſim, id eſt, operarij. Manibus enim ſibi uictum quærebant. Hoc Græci, & poſt
Vnde Eſſeni. hos nos quoq; Eſſenos uocamus. Tametſi ὅσιος quidam, id eſt, ſanctos uocatos pu-
tent, hinc falſi, quod putarunt uocem græcam eſſe, cum Ebræa ſit.

Hæc ferè deſumpta ſunt ex præfatione Capnionis uiri de lingua ſancta meritiſſi-
mi, in Rabi Ioſeph Hyſſopæum, quem Ebræum Poëtam, inter reliqua præclara mo-
nimenta, quibus non literariã tantum, ſed ſacram etiam rem, haud mediocriter tum
ornauit, latinum fecit.

Audiſtis quod dictum ſit ueteribus. Non occides.) Quemadmodum finis & con
ſummatio legis, adeoq; & germanæ iuſtitiæ dilectio eſt, ita hanc Chriſtus ubique
unice urget, quam deniq; uel ſolam ſuis cum ubiq;, tum iamiam migraturus ex hac
uita per nouum ſuum & unicum pręceptum, cõmendat. Hinc eſt quòd et in præſen
ti, ea præcepta explicanda potiſſimũ deſumit, quæ ad eandẽ propius pertinent. Au-
diſtis ait, dictũ eſſe ueteribus: Rudibus turbis, & ex media plebe delectis diſcipulis,
Vt uulgo iactabãtur, hæc Chriſtus ſuſcepit explicãda et corrigẽda. Dominus loquebatur, ideo magis, ut uulgo iactata apud maiores præcepta Dei ac-
ceperant, q; ut legebantur in ſcripturis explicanda, ueroq; ſenſui illuſtrãda ſuſcepit.
Si Scribis & Phariſæis locutus fuiſſet, exiſtimo potius ſcripturã q; uulgo dicta cita-
ſſet. Sicut ille Legiſperito rogãti qd faceret, ut ęternã uitã poſſideret, dicebat. In lege
quid ſcriptũ eſt: quomodo legis? Et quidẽ illud (quiſquis aũt occiderit, reus erit iu-
dicio) cũ in lege Moſche nõ ſit adiectũ, ſatis indicat, Chriſtũ uoluiſſe hæc præcepta,
ut uulgus recepta ea à ueteribus tenebat, partim explanare, partim corrigere. Cæte-
rum iudiciũ forte intellexerũt, quo de homicida explorabatur, an ſciẽs uel inſciens,

data

A data opera, uel per casum proximũ suũ occidisset. De quo quinto Mosche decímo nono, uel certe per iudicium pœnam intellexere, quod tamen non perinde quadrare uidetur.

At ego dico uobis, quòd quisquis irascitur &c.) Per asseuerationem loquitur, uti decebat eum, qui per miracula iam insignem sibi autoritatem cõparauerat, & è re erat rudis plebeculæ, quæ breuia ista præcepta, quã longas rationes melius percipiebat. Vulgo iam credebatur, satis abesse ab homicidio & transgressione præcepti de non occidendo eum, qui manu neminem peremisset, quod secus habebat. Nam huiusmodi præcepta, partes sunt præcepti, de dilectione proximi, quæ sola in omnibus hũiusmodi mandatis potissimum quæritur. Ea iam irasci fratri qui possit? Si porrò hæc animo exciderit, sicut fratri male uoles, ita potiore tui portione mandatum (Non occides) transgressus es, etiam si manum ne moueas quidem. Vnde Christus talem parem in culpa, ei qui occiderit, facit. Qui autem animi sui iram malumq; motum significatione aliqua uocali protulerit, non iudicio tantum, sed concilio obnoxium esse pronuntiat decerni. At si quis denique opprobrio aliquo maleuolentiam suam prodiderit, uocans fratrem suum fatuum, aut quid huiusmodi, eum addicit geennæ ignis, faciens ita gradus pœnarum, cum gradibus iræ & maleuolentiæ.

Per asseuerationem loquitur ut autoritatem habens & consulens uulgo.

Εἰκῆ, id est temere, Hieronymus asserit in ueteribus exemplaribus non fuisse adiectum. Sed siue additum sit à sciolo quopiã, siue ita ab Euangelista primo scriptũ, parum refert. Nulla siquidem caussa est, ut fratri quis irascatur, ita ut de ira hic Christus loquitur, intelligẽs, scilicet, animi indignationem cum dilectione pugnantem, quam sanè longe abesse oportet ab animo proximum, ut fratrem amplectente, atq; perinde ac seipsum amante.

B Racha, existimo esse interiectionem indignantis animi, nihil præterea significantem, ut constet gradatio ab ira animi, ad significationem uocis inconditæ, neque certum aliquid significantis, mox ad expressum conuitium. Chrysostomus ait, Syriaca lingua, racha perinde esse atque, es tu: Vt irati subinde, quæ commotus animus conuitia suggerit, premere solent, ita tamen ut sono aliquo indignantis animi, paratos se ad conuitiandum prodant Et hoc probabilius dici puto, quàm quòd quidam racha esse idem quod ריק existimant, significare uanum. Expressum enim esset hoc conuitium, ac idem cum eo quod sequitur, si quis dixerit fatuum. Scrupulum tamen parere possit, quòd in ea Syrorum lingua qua scriptæ sunt illæ D. Bibliorum Paraphrases, quas Thargumin uocant, ראך uide te, non es tu, significat. Cum enim illæ non longe à tempore Christi edite sint, uerisimile est eadem lingua & Christum fuisse usum. Nam extra dubium est uulgari tum Iudæorũ, quæ eadem & Syrorum erat, lingua fuisse loquutum. Hinc uideri possit, racha, potius iuxta linguam Syriacã, quæ in Targumin habetur, & Christi tempore in usu Iudæis fuit, interpretandum esse, quàm secundum eam, qua usi Syri fuere ætate Chrysostomi. Tanto siquidem tempore, quantũ inter seculum Christi & Chrysostomi fluxit, constat sæpe totas linguas fuisse mutatas, potuit uero in racha, etiam si interpreteris, uide te, eadem indignatio, quæ in eo, si reddas, tu es, exprimi, sed de his non erit Christianus magnopere solicitus, quanquam satis constet, utcunque racha accipiatur, eo indignationis significantiam tectiorem fuisse, quàm conuitio fatui. Sed leuicula hæc.

Racha.

Geenna dicta est ab בן הינם id est, ualle filij Hinnom, de qua Iehosua. 15. & Ieremiæ. 7. & alibi. Locus fuit prope Ierusalem, in quo extruxerãt Iudæi excelsum nomine Tophet, ubi cremabant suos filios & filias suas igni, contra præceptum Domini. Minabatur ergo illis per Ieremiam Dominus, uenturũ tempus quo excelsum

illud

illud non uocaretur amplius Tophet,& uallis filij Hinnom,sed uallis occisionis,& sepelirent in Tophet, eò quod non esset aliàs locus. Putant uero dictam Tophet à ritu sacrificantium Molec, quem uerisimile est Saturnum fuisse Iudæis, cui cum adolebantur infantes pulsabantur tympana,ne audiretur eiulatus illorum,dum exurerentur תוף enim tympanum dicitur. Porrò quia hoc loci exurebantur infantes, uel quia Tophet hæc in ualle erat quæ dicebatur Gelimom, & erat locus summæ abominationis, supplicium sumendum de impijs in futuro seculo,hoc nomine uocari cœpit. Iesaiah. 30. Parata est Taphtha, id est, geenna, uel cruciatus ille animorum,qui hostes Dei manet,post hanc uitam. Sic & à גיא בן הינם uocari cœpit גיהנם id est, geenna, pro eodem supplicio, idq; uel eadem ratione, qua Tophet,propter puerorum exustionem, uel quòd in hac ualle locus quoq; fuit, in quem cadauera & quæq; abominanda ejiciebantur è Ierusalem. Supplicium enim istud tenebræ illæ sunt exteriores, in quas abijciuntur reprobi, & municipatu regni cœlestis indigni. Dominus itaque qui uulgari tum lingua usus est,geennam (Græci tamen exclusa aspiratione dicunt geennam) pro futuro animarũ tormento usurpauit. Quòd uero subinde uocat geennam ignis,facit propter exaggerandam incredibilem uim cruciatuum, qui impios manet, quos eosdem Iesaias, ignem uocauit inextinguibilem. Et ignis, inquit, eorum non extinguetur. Quod ipsum & Dominus Marci nono adduxit, ubi de geenna loquitur, eoq; quodammodo quid per geennam significet, ipse exposuit. Ita enim bis ait, Bonum est tibi ut claudus,luscus introeas in regnum Dei, potius quàm duos pedes uel oculos habens, mittaris in geennam, in ignem inextinguibilem,ubi uermis illorum non moritur,& ignis non extinguitur. Et si quando geenna, sine additione (ignis) ponitur, accipitur nihilominus pro hac omnium maxima & dirissima afflictione cruciatuq;, qui est, ab æterno isto uermi,atq; igni inextinguibili,quo excruciabuntur, quotquot Christum non fuerint consecuti propitiatorem. c d

Obseruandum præterea quòd cum Mosche temporaria bona passim promiserit pijs, & impijs mala item temporaria minatus sit,uti cum aliàs, tum peculiariter tertio Mosche. 26. & 5. capite. 28. legimus, Christus rex cœlorum,& populi spiritalis,ut pijs bona pollicetur inuisibilia & æterna, ita impijs inuisibiles quoque & æternos minatur cruciatus. Etenim externa ista mala, qui Christi spiritu aguntur, lucro sibi apponunt,scientes tempus appetijsse ut iudicium incipiat à domo Dei,de quo priori Petri quarto. Vnde certe est,quòd sancti noui Testamẽti, plus in hoc seculo quã ueteres affliguntur, nunquam ferè illa prosperitate utentes, qua sæpe usos ueteres scriptura testatur. Immo qui serio Christiani fuerint, persæpe id experiuntur, de quo Paulus scribit. 1. Corinth. 4. Videtur quod Deus ultimos Apostolos nos ostenderit, tanquam morti destinatos. Quoniam spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus &c. Et hæc quidem Christus suis dilectis futura promisit,quare alia mala oportuit, minaretur impijs, nimirum tormenta ignis æterni. Et in nouo quidem Testamento,quærentibus regnum Dei & iustitiam eius, adijciũtur omnia quæ corporis requirit necessitas: & centuplũ, etiam pro persecutionibus recipiũt, qui aliquid Domini caussa reliquerint. Et semper uerum est, timentibus Deum,nihil posse deesse bonorum. At sic tamen res populi sui Christus attemperat,ut cum uulgo ferè pro portione pietatis externam quoque prosperitatem concedat, plures tamen exhibeat, quàm olim, regni sui cœlestes martyres, id est, testes, de felicitate interna atq; futura: qui quòd huius securi sunt, nihil grauantur adire discriminis, subire erumnæ & laboris,ipsum Christum ut digne predicent.

Quare Christiani adfligũtur.

Postremo animaduertendũ,quod suprà de ira dixi,Christum hic non nisi eam irã, quæ cum charitate pugnat, damnare;ita sentiendũ est,& de iræ significatione quæ

uoce

A uoce aliqua fit incondita,ac demum de cõuitio quoq; fatui,aut alio quolibet. Nam & Christum iratum Iudæis legimus Marci tertio,ac sæpe grauiter quoq; conuitiatum: quin Petro dicebat: Abi post me satana, quod paulo plus erat, quàm abi post me fatue. Sed ut hunc ob summam erga ipsum dilectionẽ duriuscule increpuit, ita studio paternæ gloriæ,suis nominibus appellauit Pharisæos, nullo erga utroscp malo affectu motus.Sic pater peccanti filio & irascetur,& conuitium dicet, nec tamen ob id,cum nihil nisi charitas ipsa irascatur & cõuitietur, iudicio,multo minus geenne obnoxius erit.Dilectionis proximi hic Christus caussam agit,quam,scilicet,à falsis Pharisæorum interpretamentis uindicare,suæq; puritati apud suos restituere uoluit. Proinde hac iram, & iræ cum significationes, tum expressiones & opera metiri oportet.

Itaq; si obtuleris munus tuum ad aram,&c.) Vel hinc uides Christũ unum hoc agere, ut dilectionem suo loco inter suos restituat. Adeo alienos ergo ab omni ira, amaroq; affectu,suos esse postulat,ut sentiant alios contra se motos,ante omnia curent eos sibi placatos, studeantq; quo ad ipsorum fuerit, cum omnibus hominibus pacem habere,Rom. 12.Eo uero quòd iubet munus ante aram relinqui,& priusquã illud offeratur fratri reconciliari, declarauit Deo nihil esse gratius concordia gratiaq; fratrum:ut quam malit,præ sacrificijs,iuxta illud Hose. Quoniam benignitas mihi placet,& non sacrificium:& scientia Dei,prę holocausto.Neq; quod ait: Tum ueniens offer munus tuum,aliud uult, quàm reconciliationẽ, sacrificio, quod tum, uigente etiamnum cultu Mosche ,omniũ præstantissimũ habebatur, proponendã. Nobis aũt nullum aliud hostiarum genus relictum est, quã ut nos & nostra omnia, Deo in obsequiũ & cõmodum proximorum addicamus. *Concordia sacrificijs, anteponenda.*

Habeto beneuolentiã cum aduersario tuo cito, &c.) Est exemplum allegoria involutum,quo urget ad reparandam gratiam cum fratre. Sensum hunc habet.Si creditor te in ius uocasset,iamq; cum illo ires ad iudicem, quid quæso cõsultius posses agere, quàm ut ipse mox cum illo conuenires? Nam si iudiciũ uelles experiri,quando debitum inficiari non posses,quid expectares aliud,quam ut pro officio suo te iudex traderet ministro,hic cõijceret in carcerem,è quo profecto egredi nisi omnibus usq; ad extremum quadrantem persolutis haudquaquam liceret? Hæc parabola,sicue exemplum est. Ανταπόδοσις uero,id est,reddítio siue res exempli,quam significare Christus,quàm dicere maluit,sic habet: Si quem offendisti, illius iam debitor es: da ergo similiter operam ut in gratiam cum eo cito redeas, priusquam iudici Deo, qui uindex horum est,tradaris: & eo diligentiorem atq; maturiorem da operam ut illum tibi recõcilies,quò magis horrendũ est,incidere in iudicium Dei, quod indubie erit tibi intolerabile.Atq; ita sicut superiore comparatione,ad quærendã reconciliationem,quæ Deo,omnibus sacrificijs gratior sit,imò sine qua,nullum ille sacrificium habeat gratum, inuitauit, ita hoc simili, ad eam compellit, ostenso periculo in quod te conijcis, si hanc reconciliationem negligas. Nam affirmat nos à iudice Deo nullam omnino condonationẽ expectare posse, si nõ ab eo quem offendimus, gratiam offensę antè impetrare fuerimus solicite anniti.Lucæ duodecimo legimus, Dominum eodem exemplo usum, ad monendum Iudæos, ne suum tempus negligerent.Opprobrauerat enim illis, quòd faciem cœli & terræ nossent probare, non autem probarent,quod tum erat tempus,utiq; uisitationis ipsorum.Ibi mox præsens paradigma allegoricõs subiecit, significans eo quauis in re plus sapere illos, quàm in re salutis ipsorum.Cito utiq; composituros esse cum aduersario, si ab eo in ius traherentur,ne in maius inciderent periculũ apud iudicẽ:negligerent uero cum Deo in gratiã redire,cum iam ille gratiã suam ultro ipsis offerret:nihil expendẽtes,quòd iudicium eius,non sine æterna sui pernicie essent experturi. Atq; hinc apparet, hoc simile,uulgo, uel saltẽ Domino,haud infrequens,ac ferè prouerbij uice fuisse. *Lucæ locus explicatur*

In præ-

In quibus sita sit præsens similitudo.

In præsenti uero domini admonitione, similitudo in eo constat, quemadmodum dixi: Qui debet alicui, satius est, ut is cum ipso suo aduersario rem componat, quàm ut sinat se pertrahi ad iudicem, quòd ab ipso creditore sperare liceat aliquam remissionem, non autem à iudice, qui id quod iuris est pronuntiat, nihil ut creditor remittit. Qui ergo sapit, simulatq; uocatus fuerit ad iudicẽ, omnia posthabet, ut cum aduersario ipse conueniat. Ita qui fratrem offendit, eius iam debitor est, sed ab hoc si offensę gratiam impetret, à Deo quoq; impetrauit, iuxta illud infra. 18. Quæ solueritis, erunt soluta. Si id uero negligit, nullam à iudice Deo ueniam speret, is quod iustum est iudicabit: pœna autem huius iudicij est æternus ignis. Cito igitur, & prius omni alio negotio, debet qui offendit, dare operam & diligentissimã, ut in gratiam cum eo quem offendit, redeat. Cui ille se facilem quoq; præstare debet, in remittendo centum denarios, qui ipse à Deo remissionem sperat decem millium talentorum. Quòd si neglígat, exigentur ab eo & ipsius debita, quibus cum non possit esse soluendo, ipsum se æterno carceri addicet. Ita & offendenti, si reconciliationem negligat omni studio quærere, & offenso si reconciliationem neget, pœna æterni ignis proponitur. Adeo uult Deus nos in summa gratia & charitate esse coniunctos. c

Nihil hic de Purgatorio.

Pluribus hæc, ac bis dixi, quò eximerẽ animis simpliciorum illa commenta, quibus nonnulli hunc locum, quod non animaduerterent paradigma esse inuolutum allegoria, cum illustrare uellent, & sibi & alijs magis obscurarunt. Expende igitur quid dominus uoluerit hoc loco monere, quæq; præmiserit, & facile uidebis, nos loco huic germanum dedisse sensum, à scopo autẽ iecisse longissime, qui carcerem hunc purgatorium fecerunt, in quo etiam minimus quadrans soluendus, id est peccata uenalia sint eluenda. Quod enim de solutione quadrantis additur, ad parabolam debiti pertinet, quod cum sit summum ius, uel, ut uocant, rigidum, significat nobiscum quoq; Deum, iure, non æquo, sed exacto & summo, id est, secundum merita nostra, non suam indulgentiam acturum, nempe nihil remissurum: quod utiq; si faciat, actum de nobis est, neq; ulla expectanda redemptio. Idem uoluit dominus per solutionem nouissimi quadrantis intelligere, in parabola illa quam modo attigi de eo qui conseruo suo noluit paruum debitum denariorum remittere, cum ipse à domino suo impetrasset remissionem decem talentorum. Nam & hic reclusus in carcerem, usq; soluat omnia, emitti non potest. d

Quadrans

Hoc minutulum est, Lucas habet, ἔσχατον λεπτὸν, id est, extremum minutum, pro eo quod noster, extremum quadrantem scripsit. Idem enim quadrans est, quod minutum, nimirum minimus numulus, quarta, scilicet, pars assis, quem teruntiũ uocatũ Ciceroni, Budæus affirmat. Perinde & hoc est, ὁ ἀντίδικος, quem aduersariũ nostri uerterunt, significat eum, qui in iudicio aduersatur, quem nostri subinde accusatorem uocant, qui iudicio reum conuenit. Quod & ipsum, ad parabolam, & uocati in ius debitoris propositam similitudinem, pertinet. Neq; demum hoc prætereundũ, Christum hic, fratris nomine identidem usum: habet enim & hoc momentum aliquod ad suadendam concordiam, quod fœdum utiq; sit, cum fratre non posse gratiam uel retinere, uel scissam, resarcire.

Aduersarius

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Audistis quod dictum sit antiquis: Non committes adulterium.) Hoc alterũ præceptum est, quod Christus explanando suo sensui restituit, errorecq; illi eximit, quo uulgo credebatur, hoc præceptũ nõ plus requirere, cõq; ne quis cum alterius uxore, cõgrederetur. Ait ergo: Ego uero dico uobis, quicunq; aspexerit uxorem alterius, &c. id est, ex cupiditate praua tantum intuitus fuerit, illum iam adulteriũ in corde cum illa cõmisisse. Nam cor iam tum contra dilectionem proximi propensum est, ad uiolandam uxorem illius. Deus autem cum adulterium prohibuit, utiq; tanquam rem malam, & proximo non ferendam, prohibuit: igitur in primis uoluit ab eo, cor alienum

Adulteriũ cor de æstimatur.

A num esse, quod sanè quæq; optima duntaxat debet proximo uelle. Vere itaq; adulter est, qui talis iam corde fuerit.

Obseruandum uero in lege Domini nõ id solum hoc præcepto prohibitum esse, quãuis propriè adulterium significet, uiolationẽ alienæ uxoris, uel eius quę maritũ habet proditam alij pudicitiã, sed quemlibet illicitum usum Veneris. Verbũ enim דבר quo hic Mosche usus est, sicut דבה significat, ut est autor Aben Ezra, ad quemlibet illicitum usum Veneris significandum usurpatur. Porrò illud Dominus de concupiscentia mulieris, ex ultimo decalogi desumpsit, in quo omnis praua concupiscentia prohibetur, & id in uxore proximi ut notiore & crassiore exemplo. Vnde uidetur illud ad cõcupiscendum sic intellexisse: Qui ex praua concupiscentia mulierem modò fuerit intuitus, ut damnasse intelligas, quemlibet aspectũ natum ex concupiscentia, non solum eum qui ad cõcupiscendum & quærendum illicitam uoluptatẽ instituitur. Nam in uoluptate adspiciendi prima se cordis concupiscentia prodit, & hanc Dominus ex decimo præcepto prodere nobis, riteq; considerandum proponere uoluit. At quis huiusmodi prauũ motũ animi perditi cohibeat, quis non citius intuitus sit mulierẽ ex impuro motu cordis, quàm id in se ipse animaduerterit. Hæc igitur Domini interpretatio legis nunquã nobis à mente remoueatur quo uidentes quàm perditi tota natura sumus, ad Christum nostri innouatorem accurramus auidius.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Quòd si oculus dexter obstaculo tibi fuerit.) Videri possit hæc cum superioribus parum cohærere. Negari quidem non potest, Euangelistas nostros miscellanea & rhapsodias factorũ dictorumq; Domini scripsisse, ordine illorum quo gesta fuere, haud ubiq; obseruato, quare frustra sudabit, qui connectere uelit omnia. Mihi tamen uidentur hæc cum superioribus haud inepte sic posse cõiungi. Pronuntiauerat
B adulterij teneri, qui proximi uxorem tantum ad concupiscendum uidisset: contra quod potuisset ipsi ab auditoribus obijci. Isto pacto reos perages adulterij quoslibet. Citius enim quàm quis animaduertat, in amorem et concupiscentiam mulieris animus rapitur. Vt & concupiscat uidendo, & cõcupiscendo uideat: caro siquidem sumus, cui hæc concupiscentia agnata est, quare aliud nequimus. Huiusmodi ergo obiectioni, uelut per præsumptionem respondet. Si oculus tuus dexter &c. quasi diceret: Fugite ergo occasionem, & quo propensiores ad hoc malum uos deprehenditis, tanto diligentius animũ uestrum ab illo seruate. Certe ut inoffensi in uia Dei pergatis, hoc est, ut citra peccati impactionem, nèdum casum, iuxta uerbum Domini uiuendo, & innocentiam ac proximi dilectionẽ tuendo perseueretis, par est, uos omnia cedere, facere & pati. Hæc enim est uita uestra. Proinde moneo, cauete adeo uobis ab omni eo, quod in huiusmodi, aut quodcunq; aliud peccatum pertracturũ uos timetis, ut si id uobis tam charum & necessarium esset, quàm sunt oculi, manus & pedes, imò dexter & potior oculus, manus & pes dexter, resecare tamen & abijcere illa, quantumlibet incommodi aut doloris id inferat, nihil cõtemini. Quidnam esse possit, quo non infinito præstet carere, & uitam consequi æternam, quàm id retinere & abijci in geennam? Hæc planè sibi uolunt parabolica ista, atq; hyperbolica Christi uerba, quæ hoc modo accepta, uidentur cum præmissis satis habere affinitatis, atq; ordinis. Quæ denicq;, si ad hunc modum quàm simplicissime acceperis, & firmitatem & gratiam maiorem habebunt. Necq; opus sanè erit hic glossis, ut quidam aliud per oculum, aliud per manum aut pedem intelligunt. Membra quidem ista, obstaculo ad pietatem ex se non sunt, sed si essent, abijcienda item essent, multo magis igitur abijcienda sunt, improbus conuictus, cultus effœminatior, uerba parum pudica, uagus uisus, aut quæcunq; alia uere obstaculo esse tibi senseris, quo minus amorem erga proximum syncerum, animumq; praua cupiditate liberũ queas usq;

m tueri,

tueri,etiam si necessitate & utilitate, oculis, manibus,& pedibus paria uiderentur.

Quid scandalon.

Hinc uides τὸ σκάνδαλον,id est,offendiculũ uel obstaculum esse, quicquid nos remoratur,uel impingere,aut cadere facit in uia Domini,hoc est, uita Deo digna, nempe in fide & dilectione,in quibus grauissime semper pergendum Christiano est, ut cum Paulo oblitus eorũ,quæ à tergo sunt,ad ea quæ à fronte sunt enitens,iuxta prefixum signum insequatur,ad palmã supernæ uocationis Dei, per Christum Iesum. Sed de scandalo infra.18.plura. Vbi etiam hæc de eruendo offendente oculo, & rescindenda manu &c.Dominus legitur repetijsse, unde conijcio Dominum ista sepe inculcasse,eò quòd nihil sit scandalo nocentius.

Geennã hic absolute posuit,sed ex eo quod paulo suprà dixerat, facile erat intelligere eum,de geenna ignis,id est,cruciatu ignis loqui.

ENARRATIO SECTIONIS, VII.

Dictum est autem,quicunq; repudiauerit uxoxem.) Dixi aliâs,Euãgelistas summatim & per capita quædam & paucula Domini dicta & facta nobis ceu commentario conscripsisse:sic ergo habent & quæ Matthæus nobis ex isto Domini sermone refert.Indubie longa & luculenta oratione Dominus præcipua legis populo exposuit,& falsas Pharisæorũ esse interpretationes adseruit.Itaq; cum tractaret præceptum contra stuprum,& omnem impudicitiam,executus est procul dubio quàm diligentiss.omnia,quibus germanum præcepti intellectum restitueret,& hanc partem legis penitus impleret. Euangelistæ autẽ satis fuit nobis duo modò ex his multis retulisse,sed eiusmodi duo,ut quelibet tenens Deus,ex his reliqua facile ipse sibi adijciat.Exponit enim nobis Dominũ hãc legem sic enarrasse, ut ostenderit, eo uetitam esse quamlibet concupiscentiam, tum eo amore coniugem complectendam esse,ut nulla unquam incessat diuortij uoluntas, reosq; adulterij pronuntiasse, qui concupiscentiã admiserit,uel mulieris non suæ appetendæ,uel suæ repudiandæ. At qui toto corde,tota anima, & totis uiribus, ita ut seruiendum Deo est, ab his duobus malis abhorruerit quid huc desit ad summam castitatem & sanctimoniam? Vtrunq; malum uidebatur illis,leuiculũ,& titillari cupiditate mulieris alienę,& moueri fastidio propriæ,cum itaq; præcipua essent,& quæ facile in se continent, quicquid uel in fidem matrimonij uel in pudicitiam peccari potest, Euãgelista hæc duo satis habuit in commentarium suum hunc referre.

Infra cap.19.Dominus rogatus,de iure repudij,latius respõdit, ibidem ergo latius de eo,& cõfirmatius disseram. Satis sit in præsenti hoc didicisse:Dominum omnem repudij uoluntatem damnare adulterij,sed diuortij,uiri & mulieris inter quos uerũ coniugium est,qui unum hominem uiuere possunt.Quibus enim deest,uel uoluntas uel facultas,præstandi ius coniugij, ij nec uxoris, nec mariti nomen implent: & inter tales uerum coniugium consistere nõ potest, igitur nec fieri diuortium, quod hic Dominus damnat eius,scilicet, mulieris & uiri qui officium coniugis præstare sibi inuicem possunt.Hic Dominus nemini ius nuptiarũ uoluit adimere, quare per quem non steterit,quo minus suo coniuge fruatur,& non est ei datum cœlibi uiuere,cum Paulus dicat,propter fornicationẽ unusquisq; uxorem suam, & unaquæq; maritum suum habeat.1.Corinth.7. illi secundæ nuptiæ, uitio dari haud poterunt. Quanquam enim quantum in repudiante est,ut adulteriũ hic admittatur, attamen neq; repudiata, neq; qui repudiatã citra fraudem in prius cõnubium duxerit, cum reconciliatio ab repudiante impetrari nõ potuit,adulterij tenebitur. Semper nanq; uerum uerbum Domini est. Non est bonum esse homini soli. 1.Mosche.2.& quod ex Paulo iam adduxi,unusquisq; uxorem suam, & unaquæq; maritũ suum habeat. Neq; ulla scriptura probari poterit,Deum à quoquam exigere,ut præstet culpam alienam. Vnde Paulus fideli coniugi, infideli discendente, nuptias alias concedit, cum id tamen diuortiũ acciderit,extra causam fornicationis. Nõ enim uult Deus,

ut quisquam

A ut quisquam ob suam etiam, ne dum alienam culpam cogatur in certo peccandi periculo uiuere, si peccatũ ipse odiat, iustitiamq; amet, qui ut necessitate peccandi nos liberaret, filium suum misit, in quem qui credit, habet uitam æternã, uereq; liber est. Sed de his, ut dixi, infra fusius & certius.

ENARRATIO SECTIONIS, VIII.

Rursum audistis, quòd dictum fuerit antiquis, nõ peierabis &c.) Tertio Mosche. 19. habetur: Nõ iurabis falsum in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus, huic additum fuit per ἀδιαφώτας, id est, secundarios formatores & doctores. Sed persolues Domino, ea quæ iuraueris, significantes Domino iam deberi, quod quis facturum se, per nomen Domini iurasset, & ita aperiebant fenestram, & fallendi proximum, & iurandi temere, si modo nomen Domini non adhiberetur. Omnino enim quod adiecerunt, sed solues domino ea quæ iuraueris, & quod Christus subiicit, uetans & alia iuramenta, quæ non fiebant in nomine domini, subindicare mihi uidentur ἀδιαφώσιν Pharisæorum fuisse, nihil, aut non magnopere referre, si quis per alia, quàm nomen Dei iurans falleret. Christus ergo declarat, ubi Dominus falsum iuramentum uetuit, uoluisse ut optima inter se fide homines agerent, procul omni dolo, fraude & mendacio. Vnde huic non peierabis, in adducto Mosche loco præmissum legitur: Non furabimini & non falletis, & non mentiemini, quisquã proximo suo. Recte igitur ait: Ego aũt dico uobis, ne iuretis omnino &c. sed sit sermo uester, est est, non non. Ita enim fidos inter nos mutuo, & ueritatis studiosos esse addecet, siquidẽ ciues uultis esse regni cœlorum, ut simplex siue affirmatio, siue negatio ad faciendam fidem quacunq; in re, cuiq; satis sit. Nam quicquid præterea adiicitur, ex malo est. Si nanq; ea esset, quæ debebat inter homines mutua dilectio, ut quisq; alteri perinde ac sibi ipsi fideret, nulla prorsus causa esset, quicquã iuramenti, simplici affirmationi uel negationi adiicere.

Ex malo est, quod præter est & non adiicitur.

B Ne itaq; sinite imponi uobis istos legis Dei eneruatores, qui pulchre religioni iuramenti cõsultum putant, si non iuretis per nomen Dei, sed forte per cœlum, terrã, Ierusalẽ, caput uestrũ, aut alia huiusmodi: quasi uero nihil referat temere, & per hæc iurare, aut fallere, quæ per ista iuraueris. Maiora sanè & hæc sunt, quàm ut temere per ea iures, aut peieres. Cœlum utiq; thronus Dei est, terra subsellium pedũ eius, quod Iesaiæ. 66. legitis, quo, scilicet, Deus metaphoricῶs, immensam & incõprehensibilem suam magnitudinem, utcunq; cogitandam hominibus proposuit. Et Ierusalem ciuitas Regis magni est. Nam per eundem uatem 51. Ciuitas sancti uocatur. Porrò Zachar. 8. ita scriptũ est, sic dixit Dominus: Reuersus sum, ad Tzion, & habitabo in medio Ierusalẽ, et uocabitur Ierusalẽ ciuitas ueritatis, & mons Domini exercituum, mons sancti. Magni igitur Regis, hoc est, Regis regum, ac dominatoris dominantium Christi, ciuitas Ierusalem recte dicitur. Sicut utiq; post missionem spiritus sanctus illic regnum Christi gloriose cœpit, ut in actis Apostolicis legitur. Denique ne caput quidem tuum temerario iuramento aut falso adhibebis, quia nõ potes unum pilum album aut nigrum facere. Quasi diceret: Cur abuti uel capite tuo tibi permitteres, qui adeo nullam in ipsum potestatem habes, ut ne unum quidem pilum possis immutare? Ex quo id plane colligitur, nullam omnino creaturam tam paruo nobis estimari debere, ut ipsam uano iuramento polluamus, quare præmisit: At ego dico uobis, ne iuretis omnino. Sed eo quod ait, sed sit sermo uester, est, est, nõ non, hoc est, si quid affirmatis, ita se habeat, si quid negatis, rursum ita habeat (simili loquendi modo Paulus usus est. 2. Corinth. 1.) significauit haud obscure, nihil hoc sermone suo aliud spectasse se, quam ut inter suos ea charitas, fidesq; uigeret, ut nulla omnino causa iurandi esset. Quapropter si quis agat cum ijs, qui ea dilectione præditi non sunt, ut simplici affirmationi aut negationi fidem habeant, possitq; illis iurando fidem facere rei, ad gloriam Dei facientis (nam pro alijs rebus, quę ad glo-

Pro gloria Domini iurandũ est.

riam Dei nullum adferunt momentum ut sibi credatur, pius nihil erit solicitus (ne quaquam peccabit iurando. Nam licet Christus hic dixerit, quod ultra, est, est, & non, non, adiungitur, ex malo esse, ipse tamen quoties amen confirmandi aduerbium adiũgit? Et Paulus quàm sæpe in testem Deum inuocat, quod quid aliud quàm iurare est?

Error anabaptistarum de iuramento.

Hic peruicacia anabaptistarum quorundam nobis, imò Christo, miro furore obstrepit, contendens, cum Christus hic dixerit, omnino nõ iurandum, uetuisse omne iuramentum, quomodolibet & quacunq; caussa fiat. Vnde si quis exigente magistratu, ius iurandum faciat, id impietatis damnant: nolentes animaduertere, quæ iuramenta, nimirum temeraria & ex diffidentia nata, hic Christus prohibuerit. Vtq; impiam sententiam suam confirment, aliam impietatem adijciunt, dicentes: nõ esse ipsorum, ut quicquam iurent se facturos, uel non facturos, eo quòd nihil sit in ipsorum potestate, sed omnia in manu Dei, cui nequeant quicquam abiurare. Qua ratione semel damnant, omnes omnium piorum promissiones & uota, adeoq; & ipsam matrimonij colligationem: eritq; horum sententia, etiam Deus autor impiæ præsumptionis, cuius nimirum auspicio, ueteres tum fœdera percusserunt cum hominibus, tum ipsi domino uota nuncupauerunt. Receperunt enim hi omnes facturos se, quod utiq; in manu ipsorum non erat, magis quàm illis parere magistratui, uel urbe aliqua excedere.

Deus iuramẽtũ semel præcepit, ergo nũquã erit per se peccatum.

Nos missos ergo hos faciamus, languentes circa quæstiones & uerborum pugnas, atq; Christo credamus dicenti, se & patrem unum esse, & patris esse quæcunque locutus est. Atq; quemadmodũ secum Deus pugnare nõ potest, ita neq; credamus Christum, ut malum uetasse, quæ pater non permisit tantum, sed etiam in casu præcepit. Iam. 1. Mos. 22. legimus dominũ mandasse, si quę res deposita apud quempiam perijsset, lateret uero, quis eam uel perdidisset, uel alienasset; ut is apud quem deposita fuisset iureiurando attestaretur, se manum ad rem proximi hauquaquam extendisse, ac dominum susceptum iuramentum eius. Ecce dominus iubet iurare, susciptq; iuramentum, & filius, scilicet, pronuntiabit iuramentum à malo esse, & peccatum? Si sanè adeo res impia est, ut Christianus non sit, qui eam cõmiserit, Deo placere nunquam potuisset.

Sicut itaq; multa alia Christi, ex instituto eius, ac alijs suis uerbis, secus q̃ uoces uidentur sonare, interpretamur, (nam & ipse ut omnes, figuris & tropis usus est) ita non simus & in his præpostere religiosi. Dixit qui non odiat parentes, eum nõ posse suum discipulum esse, hoc nemo tamen aliter intelligit, quam ut parentes nõ præ Christo amet: neq; est quisquam crassus adeo, ut execrari parentes, maleq; ipsis uelle, hic à Christo præceptum putet. Alijs enim scripturis atq; etiam ipsius uerbis, id pugnaret. Prohibuit patrem uocare super terram, quis tamen damnet pueros patrem uocantes, carnalem suum genitorem, modo omnia expectent à patre cœlesti? Ita innumera sunt, quæ secundum consilium Domini & primarium institutũ eius, atq; collatis alijs eius uerbis, intelligimus aliter quàm uerba simpliciter accepta significent. Sic ergo & hic faciamus. A ueteribus discipuli acceperant, satis ex fide cum proximo actum, si quod quis iurasset per Dominum, etiam præstitisset: Christus autem uoluit docere id satis non haberi, sed oportere Christianos, ea inter se fide & dilectione esse, ut nulli omnino iuramẽto apud eos locus relinqueretur, quippe unoquoq; de alio etiam iniurato, optime sentiente & sperante. Ad hæc omnem creaturam esse potiorem, quàm ut per eam licere possit, temere aut falsò iurare. A-

Quæ iuramẽta prohibita.

gnoscimus igitur omnia hic iuramenta prohibita, quæ cum fide & dilectione pugnant, nullamq; adferunt utilitatem, ut sunt, quæ pro rebus caducis & nihili, qualibet occasione homines seculi à se mutuo exigunt & præstant, quæq; nulla caussa in quotidiano sermone, leuissime profundunt. Ex malo enim hæc proficiscuntur,

partim

partim diffidentiæ, partim leuitatis, atq; animi indicia sunt, Deum & quæ Dei sunt non satis admirantis.

Verum quoniam propter malos, qui bonis numero longe plures sunt, hodie non minus quàm olim legibus, usuq; gladij opus est, & Paulus seruire Deo potestatem testatur, si magistratus iuramentū exigat, idq; pro re quam cum Deo præstare possumus, peccabimus certe, nisi id præstiterimus. Necq; dicet pius peccare magistratum exigendo, si R. publica exposcat, nam magistratibus suis, Deus ipse olim iuramentum exigere præcepit. Si igitur exegerit, quod alioqui debemus, quod, scilicet, è Republica fuerit, ut parere ciuilibus legibus, monere Rempu. periculi imminentis, ferre arma ad puniendum sceleratos tutandumq; innocentes, & similia, ut nostrum est, recipere illa nos facturos pro nostra uirili, idq; Deo placet, quid tum peccati fuerit, Deum ita huius appellare testem, quod ex animo illa recipiamus nos facturos? Christus, ut dixi, damnare nec uoluit nec potuit, quod pater instituit. Iam in externa ille Reipub. institutione iurare instituit, quam Christus non immutauit: habens cum solis electis negotium, & cum homine interiore: igitur iuramentū, quod R. publica exigit, & pro rebus exigit, quæ pius facere poterit, Christus nequaquam damnauit, aut prohibuit.

Magistratus iuramentum iure exigit.

Veruntamen ubi magistratus Christianus fuerit, parce sanè iuramēta exiget, propter diuini nominis reuerētiam, iuxtaq; charitatē omnia moderabitur: quanquam ut mixtim malos cum bonis sub se habet, atq; externa tantum eius sit considerare, non poterit iuramenta omnia remittere, necq; certe debet. Insania nanq; esset, absolutiorē conari instituere Remp. atq; Deus ipse instituit. Et boni, qui citra iusiurandū, omnia erāt præstituri fide optima, pro conseruanda tamen iuris iurandi religione, atq; adeo R. publica, cui conseruandæ & Christus ipse detulit (quoniā oportet nos omnibus modis omnibus & benefacere, & adesse, ut accepta beneficia retineant, eisq; cōmode utantur) iusiurandum facere, haudquaquam grauabuntur, certi in gloriā Domini cedere, quicquid ex ipsius imperio, & obedientia constitutæ ab ipso potestatis fecerint, imò etiam per se, ubi in rem id proximi fuerit, ut supra dixi, iurare cum reuerentia Dei, & timore indignum se nō putabunt. Quippe cum iurare opus sit per se nequaquā malum, & Christiani, omni re licita, proximo inseruire. Sic sanctos utriusq; Testamenti iurasse sæpe legis.

Plus nimio de hac re diximus non contentiosis: at Anabaptistis nihil dum satis, quibus ne Christus quidem ipse satisfaceret, nisi spiritu suo, alia in primis corda illis donaret. Quoniam autem ubiq; miro artificio mentes simpliciorum tentant, uolui hæc fusius hic tractare, expertus, scilicet, quibus ipsi armis pugnent, quo fratribus nō perinde in scripturis exercitis uel horum technas minus expertis, cogitationem mouerem, latius de his inquirendi, & munitius contra eos sese instruendi. Fons aūt erroris ipsorum est, quod non agnoscūt, quicquid potuit boni præcipi, abunde esse in lege & Prophetis expressum: Christumq; non uenisse, ut nouam uiuendi rationē præscriberet uerbis, sed daret re ipsa potius exprimere, quam abūde in lege & Prophetis præscripsit, donato in hoc suo spiritu, quem nobis morte sua meruit: putantq; ipsum noua dedisse præcepta, & perfectiora, quasi dilectione Dei ex toto corde &c. perfectius quicquā cogitari possit. Hinc ergo dānant quæ Deus ipse ueteribus præcepit: nec recipiūt deniq; dilectioni proximi, externa omnia subiecta, atq; inde miris & innumeris erroribus sese implicant. Contra quos nemo absolutiorem & expeditiorem πανοπλίαν Paulo suppeditabit, quem, quòd isti contemnunt, has dant contemptus sui pœnas. Cæterū si quæ iuramenta non sint præstanda, & quatenus iuris iurandi religio teneat, infra in. 14. cap. dicemus.

Fons errorū quibus impliciti Anabap.

ENARRATIO SECTIONIS, IX.

Audistis quòd dictum fuerit, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.) Hoc dictum,

ctum, lex Dei est, & legitur. 2. Mosche. 21. ac. 5. cap. 19. Verum ex Christi correctione, haud obscure apparet per ἀνατρώτας, secundarios illos, non doctores, sed depraua- tores, hanc Domini legem eò raptam, quasi liceret ac iustum esset uindictã petere, et acceptam iniuriam retaliare. Quod lex Dei non solum non permittit, sed nomina- tim etiam uetat. Nam in. 3. Mos. 19. ita legimus: Non petas ultionem contra filios populi tui: acceptæ memoriam iniuriæ non retinebis, sed diliges proximum tuum perinde atq; temetipsum. Ego Dominus. Et. 2. Mos. 23. Cum occurreris boui inimici tui, aut asino eius erranti, reducens reduc eum illi. Cum uideris asinum odientis te iacentem sub onere suo, caue derelinquas eum, subleuans subleuabis eum cum illo. En Dominus prohibet ulcisci nos ipsos, indignationẽq; retinere aduersus popu- lares nostros: ac præcipit proximum, quo cum, scilicet, nos agimus, ciuem popula- remq; nostrum quemlibet, etiam nobis inimicum, nosq; odientem, sicut nos ipsos diligere: idq; opere quoq; declarare, ut ne quidem in iumentis ipsius uindictã quæ- rere, aut odij aliquod signum dare nobis permittat, multo minus contra ipsummet, aut eos qui propius quàm iumenta ad ipsum pertinent. Quæso iam qui ita affectus sit, poterit ne oculũ pro oculo, dentẽ pro dẽte, aut ullam deniq; rationẽ uel ultionẽ poscere? Num dilectio feret potius & condonabit omnia?

Omnem iniuriæ memoriã, uindictæq; cupiditatem & Mosche uetuit

Nunquam licuit priuatis se ulcisci.

Ergo neq; ex lege Dei dictum fuit, licere propriam iniuriam ulcisci, sed Phari- sæorum fuit ἀνατροφωσις, neq; est à Christo præsenti sermone mansuetudini, quã lex exi- git, quicquam adiectum: ut etiam haud quaquam uetitum, ne magistratus iniuriam ciuium suorum uindicet, quod, scilicet, lege Dei hic adducta, ut oculus pro oculo, dens pro dente reposceretur, fuerat cautum. Magistratui enim, non ijs, qui læsi erãt, ulciscendam iniuriam Dominus hoc præcepto commendauerat, uti clare. 5. Mos. 19 quem locum hic Christus citauit, legitur. Huius uero & hodie est malos ac nocen- tes sua uindicta uel cohercere, uel prorsus è medio R. publicæ tollere. In hoc enim gerit gladium, ut Paulus, inquit, Rom. 13. & Petrus. 1. cap. 2. Accipiemus igitur hæc Christi uerba, ut cum patris præcepto, quo constitutæ à se potestati scelerum uindi- ctam persancte iniunxit, nihil pugnent. Et profecto si expenderimus quibus uerbis Dominus hic usus sit, tum ad quos illa, & quãdo locutus, ultro offeret se germanus eorum sensus, quo pulchre cõsonabunt, tam ijs quæ antè in lege præcepta sunt, quã alijs Christi, tum uerbis tum factis.

Christus priuatis locutus est.

Primum ergo certum est, hęc omnia dicta peculiariter discipulis, uti Matth. & Lu cas testantur, licet simul auscultantibus turbis, iam discipuli priuati erant, neq; futu- rum erat ut magistratu fungeretur: non possunt igitur quæ ipsis data hic mandata sunt, quoquo modo, ea uel reuocare, uel damnare, quæ ante Dominus magistrati- bus iniunxerat. Vt si princeps priuatis ciuibus gestare in urbe arma prohibeat, ne- mo intelliget eodem ædicto, & constitutis ab ipso præfectis, atq; lictoribus, alijs ue publicis ministris, armis interdictũ. Ad hæc Christi regnum ut non est de hoc mun do, ita nihil eorum, quæ regno mundi necessaria Deus instituerat, uoluit immuta- re, satis habens suos instituisse, ut omnibus rebus optime uterentur, & cœlestis uitæ in mundo imaginem & specimen prę se ferrent. Deinde cum ait: Quisquis impege- rit alapam in dexteram tuam maxillam, item ei qui uult tunicam tuam tollere, &c. non etiam si quis impingat alapam in maxillam proximi, aut proximi uestem uelit tollere, satis indicauit, suorum esse, iniuriæ sibi irrogatæ debere tolerantes esse, non autem iniuriæ quæ infertur proximis: atq; cum dixit: At ego dico uobis ne resistatis malo, exegisse, ne quis malo sibi illato resisteret, non autem uetuisse resistere malo, quod alijs inferretur, præsertim si cui depellendi eius munus iniunctum sit, ut plane iniunctum est, quotquot magistratu fungũtur. Postremo, si tempus consideres, quo Christus hæc suis præcepta dedit, eundem uidebis sensum congruere. Instabat sa- nè, ut uelut oues in medium luporum, in mundum extruderentur, regni cœlorum

Christus spirituale suum regnũ instituit.

Propriæ iniuriæ uindictã prohibuit.

prædica-

A prędicatores,ob quod cum odio futuri essent omnibus hominibus,ac crudelissimã experturi persecutionẽ,summa certe tolerantia opus illis erat. Quapropter ad hanc tolerantiam ipsos Dominus uoluit præparare, quæ utiq; in primis eis erat necessaria, nihil autem propterea ordinatæ à Deo potestati, aut ijs,quos ex suo grege ad id delectos,illa contingeret fungi,quo minus iudicare secundũ leges Dei, gubernando externe commissum populum possent,ademit.

Proinde uerba Christi hæc:At ego dico uobis ne resistatis malo,sed quisquis &c. sic accipio.Ex uerbis legis per ἀυτοφώτας deprauatis, uulgo iam creditur licere,acceptæ iniuriæ petere ultionem, quod tamen ijs qui læsi sunt priuatis lex planè prohibet, licet sumendam magistratui iniungat: at ego dico uobis, uoluntatem patris aliud poscere, nempe ut quisque sibi irrogato malo non resistat, neq; malum malo compensare cogitet: sed absit adeo ab omni uindictæ desiderio, atque eo, ut acceptam iniuriam cupiat retaliare, ut malit nouam accipere, ac in maxillam dexteram percussus, & sinistram obuertere, pertrahentiq; in ius, ut iniuria tunicam auferat, cedere et pallium, ac cum eo qui ad unum milliare adegerit, ire duo, potius quàm referire ferientem,iudicij ue peruersitate,& ab usu iuris diuexanti,atq; spolianti,uicem rependere,aut quauis alia iniuria afficienti,paria referre. Quin eo animo oportet uos esse præditos,ut nemini malum pro malo reddatis:nolitis uosmetipsos ulcisci,nunquam à malo uincamini,sed uincatis potius bono malum,benefaciendo ijs, qui uobis male faciunt. *Verba Christi explicantur.*

Summa itaq; eorum quæ hic Christus præcepit, est,ut simus non solum omnis iniuriæ tolerantes, sed parati etiam iniurias beneficijs compensare,ne dum alieni ab eo,ut illas cuperemus retaliare. Eoq; quod Dominus iussit alteram maxillam obuertere,pallium dimittere, duo milliaria ire,hyperbolæ sunt,quibus huiusmodi,scilicet, tolerantiam commendauit, qua ab ultione petenda adeo abhorreat animus, ut plura etiam ferre non grauetur. Isthuc uel Christi, apud Pontificẽ in faciem percussi exemplum probat. Quem sanè infanda blasphemia sit dicere, non absolutissime præstitisse, quæcunq; præcepit.Iam non solum accepta alapa,alteram maxillam motu corporis nõ obuertit,sed potius iniuste cedentem uerbis corripuit, uerum id ea animi tolerantia,qua utiq; multo alteram ab illo alapã accipere maluisset, quàm acceptã retaliare.Quem animũ abunde etiã declarauit, cum æquanimiter adeo extremos cruciatus pertulit, & cum omnium innocentissimus maledictis incesseretur, maledicta nequaquam regessit: cumq; malis afficeretur, nihil est minatus, sed tradidit uindictam ei qui iudicat iuste. 1.Pet.2. Neque aliter & Paulus sese habuit, percussus in os apud Ananiam pontificem:Percutiet te,inquiebat,Deus,paries dealbate, cum tamen animam pro eo insumere esset paratus. At uero tum optime illi uolebat,neque ullo se facto optabat ulcisci.Atq; idipsum erat,quod præsenti sermone Christus uoluit. *Exemplum Christi.*

Vt ergo nequaquam hic præceptum est externo gestu alapam danti in dexteram maxillam ,alteram obuertere, ita neq; exigitur,ut auferenti tunicam, pallium obijciamus:aut continuo duo milliaria eamus cum eo,qui adegerit ad unum: sed satis erit, ut hæc facere animo uere parati simus,multo potius, quàm quicquam ultionis ob acceptam iniuriam meditari,aut quicquam beneuolentiæ atq; beneficentiæ erga iniuria afficientes remittere.Sic sanè de Christiana tolerantia, & Apostoli, Paulus & Petrus scribunt.Neq; dubitabit quisquam non consummatam eam esse, qui uim Christianissimi non ignorat, scripturæq; sensu non fuerit prorsus destitutus. Si memores essemus, Christũ uulgo loquutum, eoq; uulgari item sermone usum,qui tropis maxime redundat,præcipue metaphoris & hyperbolis:& simul probe teneremus,qui scopus doctrinæ Christi esset, nimirum ut penitus nos exuti, & Deo per ipsum consecrati, omnem uitam in demerendis proximis, quamlibet ingratis & *Animi hic tolerantia,nihil externi præcipitur.*

maleficijs, noſtra beneficia cõpenſantibus, inſumeremus, æqui bonicq; quæcunq; C
uel ipſi regerant, uel alij inferant facientes, certicq; omnia in bonum nobis ab opti-
mo patre immitti: nihil pœnitus in his ſcrupi, nihil obſcuritatis offenderet. Quod
quæſo ad pietatem momentum habeat, alteram maxillam externo geſtu obuerte-
re, atq; ita ad cedendum proximũ iritare? Ita quid gloriam Dei promoueas, ſi duo
milliaria, cum eo, qui te ad unum adigeret ires, ſi exigẽti aureum, dares duos, ac ita
de reliquis? Certe quæ proximo te facere Deus & in ſuam gloriam præcepit, ea, uti-
litate quoq; proximi, & ipſius gloria, oportet metiaris.

Pluribus & hæc tractaui, quàm certe res ipſa per ſe ſatis aperta poſcere uidetur,
Error Anabaptiſtarum ex hoc loco. præſertim cum ab omnibus quoq; ſanctis patribus nõ ſint aliter intellecta: optarim
tamen, ut uel ſic ſimpliciores quoſdam, contra inſidias Anabaptiſtarum ſatis mu-
nierim. Nam ex hoc loco colligunt, Chriſtianum non poſſe magiſtratu fungi, eo
quòd Chriſtiano non liceat reſiſtere malo, id quod proprium magiſtratus officium
eſt, ac ita rurſus peccatum faciunt, quòd tam multis Deus ante præcepit, malos, ſci-
licet, & nocentes è R. publica tollere: & Chriſtũ Dominum aduerſarium patri red-
dunt, qui ut rem malam prohibeat, quod pater tanquam ſalutarem inſtituit. Qui-
Cauillũ Anabaptiſtarum. bus cum reſpondetur, Chriſtũ hoc, ne reſiſtatis malo, ſic intelligi uelle, ne quis ma-
lo ſibi illato reſiſtat, hoc eſt, ne quis ſeipſum ulciſcatur: uerum reſiſtere malo quod
infertur proximo magiſtratum, qui in hoc conſtitutus eſt ut tueatur bonos, & pu-
niat malos, eripiatq; inopes ab ijs, qui illos opprimunt, debere coërcere: atque ob
hoc omnium bonorum ciuium eſſe, magiſtratui parere, ferendo arma & faciendo
quæcunq; alia ad id neceſſaria fuerint, ut magiſtratus ſuo munere rite fungatur, ri-
dent nos miſeri, pro riſu hoc profecto deflendi. Præceptum eſſe inquiunt, ut diliga-
mus proximum perinde ut nos ipſos, nos autem requirere, ut quis proximum pluſ-
Pro proximo arma ferẽda. quã ſeipſum diligat, quippe pro quo debeat arma ferre, maloq; eius reſiſtere, quod
pro ſeipſo facere nequaquam permittitur. Sed neſciunt ſtulti, quæ loquuntur, aut D
de quibus aſſeuerant. Quòd enim Dominus præcepit proximum diligendum, ſicut
quiſque ſeipſum diligit, uoluit ut quo amore nos ipſos natura proſequimur, eo iam
proximum complectamur, nosmetipſos abnegantes, & ipſius erga nos charitati
committentes: ut iam nulla in re quæ noſtra ſunt quæramus, ſed tantum quæ alio-
rum, charitas enim non quærit quæ ſua ſunt. Igitur pro proximo ſolicitudinem nos
gerere, & iniuriam eius propulſare addecet, cum noſtri curam Domino debemus
remittere, & ipſi omnem uindictam contradere. Recte igitur magiſtratus cõmen-
datos ulciſcetur, & ſuorum iniuriam propulſabit, qui ſuam ſi Chriſtianus eſt, Deo
uindicandam committet.

Tum obijciũt, proximum eſſe, & eum qui alterũ læſit, & R. pub. turbat, cum itaq;
& ipſe diligi debeat, non licebat eum puniri aut dare neci. Quaſi uero non ſecundũ
Deum debeant diligi & haberi omnia, cumq; malum ciuem punire aut occidere
ipſe iubeat, nulla ſit omnino cuiuſcunq; creaturæ ratio habenda: quando etiam pa-
rentes, atq; propriam animam propter ipſum odio habere oporteat. Certe Schaul,
quod contra præceptũ Domini Agag regi Amalek pepercerat, & nõ omnia ho-
ſtium perdiderat, fuit à Domino regno deiectus. Non minus peccaſſent filij Le-
ui, ſi Moſche non obtemperaſſent, quando ex Domini mandato iubebat illos ac-
cinctos gladijs tranſire & reuerti à porta caſtrorum, uſque ad portam, & unum-
quemq; occidere fratrem ſuum, amicum & proximum. 1. Moſche. 32. Quid? 5. Mo-
Proximus ſecundũ Deum diligendus. ſche. 21. mandatur parentibus, rebellem ſuum filium offerre lapidandum. Necq; ta-
men uiolabatur ob iſta ius aut præceptum charitatis. Non eſt ſiquidem dilectio pro-
ximi, quæ contra uerbum Dei exhibetur: necq; neglectus dilectionis, ſi cum proxi-
mo iuxta uerbum Dei egeris. Proinde haudquaquam audiendi ſunt, iſti præpoſte-
re miſericordes, qui præſenti Chriſti præcepto contendunt, omni ſcelerũ uindicta,

uſuq;

A usuq; gladij Christianis interdictum. Nam, ut supra ostendimus, hic tantum proprię iniuriæ uindicta prohibita est nō alienæ, quæ quidem à magistratu sumitur, qui iussu Dei debet esse formidini malis. Iudicium Domini iudicat magistratus, ideo non ipse, sed Deus per ipsum malo resistit. Deinde non potuit Christus prohibere, quod tam multis pater præcepit, nempe, sumere de manifeste sceleratis pœnas. Vt enim nos lege ceremoniarum, aliorumq; externorū rituum reddidit solutos, nihil tamen eorum prohibuit, ut si quis propter proximi cōmodum quippiam illorum obseruaret, ob id peccaret: &, scilicet, peccet, qui publica potestate functus animaduertat in sceleratos iuxta legem Domini? cum hodie quoq; Paulus doceat, magistratum gerere gladium, non frustra, sed in uindictam malorum. Præterea istiusmodi externæ ceremoniarum obseruationes, non habent cum fide & dilectione cōnexionem necessariam, ut certe punitio malorū ac nocentium ciuium.

Quæ enim dilectio ad proximos, si quis facultatē habeat, imò iniunctum à Deo munus tuendi bonos à malis ac liberandi, & permittat innocentes & bonos libidini malorū? Si ergo proximos uere diligimus, debemus dare operam, & ut beneficiamus illis, & ut liceat eis beneficijs Dei, ac nostris frui, id sine legibus & coherci-tione malorum, quæ nimirum est, impiorum peruersitas, & multitudo, fieri non potest, propterea omniū Christianorū erit, pro uiribus incumbere, ut suas leges, suosq; magistratus, Respub. habeat, atq; ut illis in omnibus pareatur. Cumq; melior institutio R. pub. ea quam Dominus dedit per Moschen, à nemine inueniri possit, & illa puniri & tolli sontes præcipiat: ueræ ac germanæ charitatis opus erit, secundum illas Dei leges, in sceleratos animaduertere.

Punire malos opus charitatis.

Sed oritur hic quæstio de bello, an liceat Christianis belligerari? De Christianis inter se certū est ut summa uiget dilectio, ita nihil loci relinqui bello. Non affligent, inquit, Dominus per Iesaiam, & non uastabunt in uniuerso monte sancto meo, quia impleta est terra scientia domini. Iesa. 11. Quin etiam si qua Respu. in manibus Christianorum sit, aut si princeps quispiam Christianus fuerit, indubie quantū in eis erit, habebunt pacem etiam cum extraneis à fide, atq; omnibus hominibus, Roman. 12. Eoq; si qui huiusmodi, ab impijs impetātur, atq; id pro re quam cum domino cedere illis poterunt, ut forte propter prouentus aliquos, uectigal, aut aliam externā commoditatem, indubie declarabunt se cœlestium bonorum participes, qui ita præsentia negligant, ut possint pallium cum tunica cedere, ac duo ire milliaria cum eo, qui adegerit ad unum.

An Christianis belligerandum.

Pro opibus Christiani nequaquā bella gerant.

At si deijcere illos magistratu & in totum dominari plebi ipsorum impij tentauerint, quandoquidem certi sunt, diuinitus se super populum Dei cōstitutos pastores, & suæ fidei illum commissum, nisi diuino oracullo, ut per Ieremiam Iudæi iubebantur subijcere se Regi Babyloniorum, huius admoneantur, cedere munus hoc potestatis ipsis creditæ haudquaquā sustinebunt: præsertim si hostes illi uerum Dei cultum extinguere conētur, quales hodie sunt qui regnum Antichristi, ubi Christi regnum parum emerfit, ui restituere annituntur.

Propterea si ab huiusmodi Antichristi propugnatoribus pio alicui principi, uel Reipublicæ propter pietatis qualemcunq; restitutionem bellum indiceretur, non dubitarim equidem his ea consulere, quæ fecisse legimus, pientissimū regem Chizkiah: Contra quem ubi copioso exercitu aduentasset Sancherib Rex Assyriorū, & terram Iehudah deuastaret, excidiumq; urbi Ierusalem minaretur, ille ante omnia Deum à quo Rex factus erat inuocabat, mox pacem, immensa argenti & auri summa, nempe ter centenis talentis argenti, & triginta auri, redimere annisus est, ut non tantum quicquid æris in templo atq; thesauris Regijs erat, exhauriret, uerum etiam laminas, quibus ipse fores tēpli exornauerat, conflare cogeretur. Id uero ideo facere se dignū ducebat, quòd cum ante tributa Assyrio pēsitasset, desciuerat ab illo.

Magistratum Christiani impijs hostibus non cedunt.

Vbi

Exemplum Chizkiah.

Vbi uero id non ſucceſſit, & omnino occupare ſanctã urbem Aſſyrij pararent, inito cum ſuis conſilio, quicquid fontium & riuorum in agro atq; uicina regione erat, tegebat, ne haberet hoſtis copiam aquæ, murum urbis inſtaurabat, ueterem & nouũ circunducebat, turres extruebat, Millo muniebat, iacula atq; clypeos parabat, duces ſuper populum conſtituebat. Tum cõuocatis ad ſe ciuibus corda eorum ad ſperandum auxilium Domini oratione mire pia atq; forti erigebat, declarans hoſtes niti brachio carneo, ſe uero Domino Deo ſuo. Ad hunc modũ diſpoſitis rebus, ſuoq; munere diligenter obito, nihil reliquum habuit, quàm ſupplicibus precibus opem Domini implorare, quas etiam Dominus ſuſcepit, atq; liberationem urbis, & per Ieſaiam Prophetã fuit pollicitus, & mox quoq; mirifice præſtitit per angelum ſuũ, qui una nocte, centena octogínta quinq; millia in exercitu hoſtili perdidit, atq; ita hoſtem compulit propere fœdeq; ad ſuos fugere: ubi paulo pòſt à proprijs filijs necatus, pœnas dedit ſuarum blaſphemiarum atq; arrogantiæ, hæc. Reg. 19. & 2. Chronicorum. 32. legimus.

Imminente bello quod officium pij magiſtratus.

Huiuſmodi ergo conſilium pio Principi atq; Reipub. darem, ut in primis ſe Domino cõmitterent, mox quacunq; ratione, potius quàm armis ſuis pararent pacem: modo nihil cederent quod intereſſet gloriæ Dei. Hac ſcilicet, ratione non poſſent equis rationibus pacẽ ab hoſtibus impetrare, magno animo uterentur ad tutandum ſibi diuinitus commiſſos, quibuſcunq; uti illis Dominus dediſſet, munitionibus, artibus, armis, uiris, uiribus: ſpe omni tamen in Deũ collocata, ab ipſoq; uno auxilium & liberationem expectantes, eaq; cauſſa irremiſſis precibus ipſius bonitatem pulſantes, parati ſimul animam & omnia pro gloria ipſius ponere. Quibus ea agentibus, hoc eſt, munus obeuntibus pij magiſtratus, ciuium planè officium foret, uniuerſos operam ſuam illis, immo tutandæ Reipub. atq; adeo adſerendæ gloriæ Dei, pro uiríli collocare, ac ſimul omnia periclitari, quandoquidem Reſpublica uelut corpus eſt, cuius caput exiſtit princeps, uel magiſtratus, ciues omnes membra inuicem habentur.

Ratio quòd bello reſiſtere impijs liceat.

Porrò ratio huius mei conſilij eſt: Idem noſter Deus eſt, qui Iudæorum fuit, idem eſt fœdus ac teſtamentum quod cum illis atq; nobiſcum percuſſit, niſi quòd illis & ceremonias ritusq; externos uarios adiunxit, quare & uetus fœdus, uel teſtamentũ uocatur, nobis non item, ſed uoluit ab elementis mundi eſſe liberiores. Vti igitur uigente adhuc Republica externa Iſraëlis gratum Deo feciſſet, quicunq; princeps atq; magiſtratus ad prædictũ modum, exemplũ cum Chizkiah, tum Dauidis, atque aliorum regum, qui Deo fuere probati, fuiſſet imitatus: ita nequit quiſquã ei hodie, ſi ſic illud æmuletur, diſplicere. Demonſtratũ enim eſt illud: Ne reſiſtatis malo, priuatis eſſe dictum, & ut quiſq; ſuo malo, quod ſibi irrogatũ fuerit, non reſiſtat, intelligendum & Chriſtum nequaquã uoluiſſe aut potuiſſe damnare, quæ ad conſeruandum ſtatum Reipublicæ Deus præceperat.

Quo animo impij hoſtis bellum, pius princeps & populus excipiet.

Proinde cogitabit princeps ac magiſtratus timens Deum, ſi eo loci res eius ueniant: Domine uoluiſti me eſſe populi iſtius paſtorem, ac ita gubernare ut tu Rex eius agnoſcereris, aduenit impius iſte, cupiens omnia in diuerſum rapere, ſi qua re alia, quàm armis declinare furorem eius poſſem, nihil non facerem ac paterer, citra tamen gloriæ tuæ iacturam: iam tuam gloriam in primis petit, neq; poſſumus ab illo pacem, niſi te negato impetrare, fidi ergo paſtoris officio fungar, animam meam pro populo iſto tuo ponam, & tua ope fretus omnia quæ dediſti, tuo auſpicio experiar citius, quàm ut tuam impiæ illius tyrannidi hæreditatem prodam. Tu modo adſis nobis, & doce manus noſtras ad pugnam & digitos noſtros ad prælium. Tu es Rex meus Deus, manda ſalutem Iacob. In te inimicos noſtros percutiemus, & in nomine tuo conculcabimus inſurgẽtes in nos. Populus ſic cogitabit: Iuſſiſti nos Deus magiſtratui parere, utiq; ad pacem atq; trãquillitatem publicam ſeruandã et tuendam,

A tuendã imperantur,modo arma nobis non pro uxoribus, liberis,atq; fratribus tantum,sed pro tuis quoq; sanctis legibus:adesto ergo nobis,in nomine tuo quæ abs te accepimus,animam & omnia impendemus. Sic animatos & cõparatos, quis dubitet,ut sanctissime & felicissime bellum gesturos.

Quæ hodie bella gerunt ferè pro nulla alia re, quàm ut latissime quisq; imperet, & harpijs suis,ampliorem prædam paret, suscipiuntur, ideo non est mirum, si ea nihil huiusmodi resipiant,sintq; plusquam ethnica,cum autores uideamus,à uerbo & timore Dei tam alienos.

Nostrorum principium bella plus quã ethnica.

Porrò ut præsens rerum status habet, super est & alius scrupus, num principi,uel Reipub. liceat suos defendere contra uim cuiusq;, etiam fungentis potestate superiore. Habent enim huiusmodi ferè omnes super se potestatem regiam. Cum itaque potestati adeo nõ liceat resistere etiam inique prementi,ut citius Christiano obeunda mors sit, quàm constitutæ diuinitus potestati aduersari nollé ue morem gerere, uideri possit,nõ licere,ut inferior potestas,suos armis defendat, contra superiorem. Etenim Dei ordinationi resistit,inquit D.Paulus,qui restiterit potestati. Rursus impium est,pastorum oues sibi creditas cedere lupis, & eum qui munus diuinitus accepit defendendi innocuos,eos permittere libidini impij tyrãni. Hic scrupus sic eximi poterit,si diligenter perpendatur,quantum Christianus potestati debeat. Cum sint uniuersæ ordinatæ à Deo, in confesso est apud omnes hactenus cuiq; potestati oportere deferre omnia,ne quid admittatur aduersus Deum,cõtra quem si quid iubeat potestas,cum D. Petro dicẽdum est:Plus Deo, quàm hominibus obediendum est.Iam quicunq; potestate,meroq;,quod aiunt,imperio pollet,eius fuerit pro uiribus sua parte,tueri contra uim suæ fidei commissos:idq; cum exigat Deus, haud licebit omittere secus iubente potestate superiore, etiam si per illam inferior ius gladij
B accepit. Nam & si superioris interceserit ministerium,dum inferiori gladius tradi-tus est,uerum tamen est,quod D.Paulus scripsit:Nõ esse potestatẽ,nisi à Deo. Quod igitur apud profanos principes ius obtinuisse uidemus, ut inferior præses, superioris imperata hactenus facienda sibi ducat, quatenus illa ex uoluntate proficisci Principis credere potest,& si certus sit,ea cum uoluntate Principis pugnare,prorsus contemnit,& diuersum agit:Istud erga Deũ tanto obseruandũ est diligentius, quãto plura debemus Deo,quàm quisquã Principi mortali. Dei siquidẽ sumus quanti sumus,ut in quo sumus,mouemur & uiuimus.

Proinde ut Christiano moriendũ citius est, quã admittere, quo certus sit Deũ offendi,ita Christianus Princeps, siue Respub. animam potius ponat,q; relinquat suę fidei creditos indefensos:quicquid contra id uel statuat uel moliatur potestas superior,Porrò cũ à nemine Deus plus requirat,quàm præstare donet,licebit, quisq; modum creditæ sibi potestatis consideret: tum etiam,qua in re suis uis inferatur.Est sane quidem uis alia tolerabilior. Hinc si quando Potestas superior, pecuniam duntaxat extorquet,aut alia quapiã in externis rebus iniuria afficit,non illico armis illam propulsare conabitur inferior:& si ne hanc tamen neglectura sit. Verum cum Christianis omnia sita sunt in pietate, ea dum salua eis manet, nihil ferènon & facere & pati prompti sunt. Vt igitur pius Princeps,aut Respub.potestatis inferioris, in quauis iniuria quam intentat superior, prudens cauebit, ne munita tyrannidi uia cum libertate externa,iacturam populus faciat pietatis,ita plurima iniqua, & feret & ferenda suis suadebit:potius quàm arma sumat, saluum modo illi maneat Remp.administrare ex sententia Christi: quin etiam si potestas superior, aperte pietatem petat,qua ui nulla est intolerabilior,omnia tamen prius tentabit, quibus uim illam amoliatur,quàm ut arma sumere in animum inducat.

Fieri quoq; potest,ut tantis sit instructa uiribus potestas superior, & nullis ualeat inferior,ut arma sumere,inferiorem cõtra superiorẽ nihil aliud esset,q; Deũ tentare.

Sic

Sic ſanè ſi res habeat, cohortatis ſuis ad tolerantiam crucis Chriſti, qui poteſtatẽ ge- C
rit, iugulum primum offeret, exemplo ſuo docturus, mori multo potius eſſe, quàm
ferre iugum tyrãni impij, ea imperãtis, quæ aduerſantur iuſſis Chriſti. Verum haud
temere tamẽ animũ deſpondebit, memor perinde Deo eſſe, per multos, aut per pau-
cos uictoriam de hoſtibus referre: ac promiſiſſe ſuis, perpaucos ex eis, fuſuros co-
pias hoſtium ingentes: id quod ſæpiſſime præſtitit, ut ſacra hiſtoria prędicat. Ne aũt
temere, uel audeat, uel tyranno ſe ſuoſq; permittat, ductus ſpiritus Chriſti in primis
Chriſtiano principi orandus eſt. Eo nanq; qui filij Dei ſunt, aguntur, ne ab officio
recedant. Temerarium uideri poterat facinus Matthathiæ Machabęi, at quia ex in-
ſtinctu ſpiritus ſancti ſuſceptum erat, tantum inuenit ſucceſſum. Contra habebatur
fœda timiditas Regem Iehoiacim, ſe & regnum dedere Chaldæis, & digna rege for
titudo quod Zedekias illis reſtitit, at quia illa ex iuſſu Dei ſeſe dedidit, hic aũt con-
tra Dei iuſſum arma ſumpſit, fuit ille ſeruatus, & perijt hic miſere.

Princeps itaq; & Magiſtratus chriſtianus, ut in omnibus ſtudebit, ex uoluntate
Dei, & uiuere, & imperare, munusq; ſuum obire, ita doceri ſe uoluntatem Dei, per-
fancte ſemper ab ipſo precabitur. Deus autem ſic à ſe pendentem, nihil ſinet tentare
inconſultum: arcanum ſiquidem ſuum reuelare ſolet timentibus ipſum, Pſalm. 25.
Hunc ergo, quicunq; pij poteſtate fungũtur, ſancta prece, quicquid inciderit, in pri-
mis conſulere debent: & quemadmodum eorum eſt, Deum diligere ex toto corde,
tota anima, totisq; uiribus: ſic nihil omnino morari eos conuenit, quo minus ſuo
munere ex placito Dei fungantur, pietatemq; apud ſuos, tum promoueant, tum de-
fendant, quicquid ulli mortalium, quanticunq; ſint, contrà præcipiant, aut ui atten-
tent. Hæc utinam perpenderent ij, qui neſcio quas Monarchias ſomniantes, quæ
nunquam fuere, nec optandæ bonis ſunt, eo quòd nemo unus, quæ eſt humanæ ſa-
pientiæ & uirtutis anguſtia, uel unam ciuitatẽ probe ſatis gubernare queat, à pro- D
uehenda, adferendaq; Chriſti religione principes & Reſpublicas, propterea quòd
illi aduerſatur poteſtas ſuperior, deterrent. Profecto qui in unum transferre homi-
nem conatur poteſtatem quam quidem Deus, ut rebus humanis maxime conduce
bat, diſpartitus eſt in plurimos, is ordinationi Dei reſiſtit. D. Paulus ſcripſit: Quæ ue
ro ſunt poteſtates (non dixit, poteſtas) à Deo ordinatæ ſunt. Proinde ſpectandum,
non quæ fuerint olim, nec quæ ab illis qui aliquando fuere de amplitudine imperij
ſtatuta ſunt, ſed quæ modo ſunt poteſtates. Hæ utcunq; emerſerunt, quo iure, qua
iniuria, quia ſunt, à Deo ſunt: nulli igitur earum quicquam derogandum eſt, ſed po
tius monendi, qui illas gerunt, ut eas ex præſcripto Dei gerant, & quiſque ſpartam
quam nactus eſt, pro uirili ſua portione exornet. Nihil quidem foret Monarchia o-
ptabilius, ſi quiſquã eſſet, qui unus poſſet ſapere, pro tam multis, hoc eſt, ſi quis Deo
ſimilis princeps poſſet haberi. Sed quot quæſo ſaltem tolerabiles Monarchas, uel
apud Dei populum fuiſſe legimus? Immo quis unquam Monarcha, non irato Deo,
ac ideo ingenti malo generis humani, Monarchiam inuaſit? Certe adeo non pro-
bat apud mortales Monarchiam Deus, ut etiam eum, qui ſuo iudicio primus à po-
pulo lectus fuit, Schaulem teſtetur ſe dediſſe Regem populo ſuo in ira ſua. Etenim
Moſche & ſi primas in populo tenuerit, nequaquam tamen Monarcha fuit, tot ſibi
ſuccenturiatis iudicibus, & fratre etiam prælato, quorum conſilio, & opera Remp.
Iſraëlis gubernabat, magis omnium miniſter, quàm Princeps. Talis & ſequentium
iudicum poteſtas extitit.

Quapropter quicquid regię poteſtatis ſupereſt, & quantum ſupereſt perſancte co
latur, quia enim eſt à Deo ſic ordinatum eſt: at ſic tamen colatur, ne quid & inferio-
ribus poteſtatibus derogetur: quæ cum ęquę ſint, diuq; fuerint, & ſanè haud exigua
inde commoda homines perceperint, & ipſæ à Deo ordinatæ ſunt: ut nõ minus Dei
ordinationi reſiſtat, qui minuere eas uelit, quàm qui uiolet ſuperiorem. Satis quoq;

hæc

A hæc Dei ordinatio mundo prodita est, dum consentientibus pijs Regibus constitutum pridem sit, ut qui Regia potestate funguntur, ad certas leges se Principibus, & R. publicis suis obstringant, æque ut hi illis: quin antequam in hanc rationem, distributum imperium esset, ut Principes & R. pub. pro sua portione quisq; summã potestatem administrarent, cum Romani Principes, ueri adhuc monarchæ essent: caluerunt tamen hi ipsi, in suis legibus, esse dignam uocem maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, adeò de autoritate iuris suam pendere autoritatẽ, & reuera maius esse, submittere legibus principatum, C. de le. & Con. prin. L. digna uox. Ita ex eodem fonte æquitatis ijdem statuerũt, ne quod rescriptum, aut pragmatica sanctio, ab ipsis quouis modo impetrata, ualeat, si generali iuri uel utilitati publicæ aduersa esse uideatur. C. 51. contra ius. L. omnes. Hinc perspicuum fit, præter sanctam Dei constitutionem, & iurisiurandi religionem etiam ipsas Romanorum principum leges, uiolare illos, qui nescio in quorum pectorum scrinia, cuncta iura, omnemq; potestatẽ includere conantur: totq; principes, partim in hoc munus natos, partim lectos, totq; præclare administratas Respublicas, unius libidini, imò multorum pessimorum adulatorum, quorum hic unus obnoxius est, contradere. Libidinem iure uoco, cupiditatem imperitandi latius quàm à Deo concessum sit, & id contra iusiurandum, ac morem publicum. Nec immerito adulatores appello, eos qui principes huc incitant: non enim ex ueritate, sed ineundæ apud illos gratiæ, & maioris caussa lucri, tanta suis principibus deferunt.

Nec est quod dicunt, à rege permissam potestatem, rursus per regem posse adstringi. Quod enim in salutem reipublicæ cõcessum est, non potest cum pernicie eius reuocari. Memorabilis quoque est sententia Vlpiani de Con. Prin. in Pandectis: In re
B bus nouis constituendis, euidens esse utilitas debet, ut recedat ab eo iure, quod iam diu æquum usum est. Iam sensus communis id agnoscit, quando nemo multis gubernandis sufficere potest, præstare, ut singulis pauci regendi credantur. Sed quid? Plato quouis magistratu indignũ censet, qui illũ ambierit, ideo quòd huiusmodi suã ambitionem publicis commodis uideatur præferre. Quid iam quæso, spectent, quid quærant, qui augustissima regna nacti, excolere negligunt: & proferre tamẽ regnorum pomeria semper queũt, cunctisq; potestatibus extinctis, tam infinitis gentibus soli imperare cupiunt.

Qui igitur ex animo orare didicerit: Pater cœlestis, adueniat regnum tuum, qui spectarit quid scriptura, historiæ, leges Romanæ, ipsa denicq; experientia utile in his doceat, æquum censebit sacrosanctas haberi potestates, quæcunq; sunt: agnoscet singulis quoque munus diuinitus iniunctum esse, ut quæ religionis sunt in primis curent, quæq; illi aduersantur, prima tollant, tam in ceremonijs, quàm doctrina, & uita: indéque non plus pati se per superiorem potestatem absterreri, quàm à reliqua iustitia colenda, ut sicut ad nullius superioris potestatis mandatum, ferat impune inter suos grassari latrones, sicarios, corruptores puellarum, adulteros, fures, & id genus sceleratos, ita multo minus toleret, doceri & geri quæ impia sunt, & religioni ueræ aduersa.

Et si princeps superior hæc armis exigat, & euertere quæ iuxta Dei uerbũ docentur & instituta sunt, conetur, debent illum exponendo quàm simplicissime ueritatis caussam, orandoq; ne à Christo uelit depellere, quos adducere illi eum deceat, à proposito suo impio auocare. Sicq; nihil effecerint, & ille iam nõ principem, sed hostem, & quidem Dei sese exhibet, contraq; ab ipso rite concessa confirmataq; inferioribus principibus, & R. publicis iura grassari quærit: pij principis & magistratus partes erunt, inuocato in primis consilio & auxilio Dei, omnia tentare prius, quam etusce modi hosti Dei, prodere gregem Christi, adeò ut citius animam suam, quàm filios Dei illi cedant. Sunt enim & ipsi in hoc constituti, ut mala à populo Dei depellant,

& quæ bona ac salutaria sunt, defendant. Tum suprema potestate fungi, adeò non eleuat mala, quæ ab illa designantur, ut hoc ipso nulla sint minus ferenda, quia nulla nocentiora. Semper quoque cogitandum, nos Dei, & nullorum hominum esse, eóque nullius ita suspiciendam esse autoritatem, ut Dei uoluntas propterea posthabeatur. Pati iniqua omnia debemus, at facere in nullius gratiã licet. Quid autẽ faciat gerens gladium scelestius, quàm si prodat tyranno pro quibus debet impendere animam?

His si quis obijciat, inde sequi, ut etiam priuatus ui uim quamlibet possit à principe uel magistratu illatam repellere, huic respondendum est, id non sequi, eo quòd non sit priuati munus, uim ullam ui repellere, sed eorum qui diuinitus usum acceperunt gladij: quosq; priuatos tale quid designasse scriptura cum laude memorat, eos simul memorat diuino id instinctu egisse: eóque iam tum non fuisse amplius priuatos, sed functos potestate publica. Ad hæc probe & illud considerandum, quòd etiã principibus necessarium esse dixi, à Deo in singulis rebus orare, ut se doceat, quid se agere uelit: ne plus satis uel audeant, uel cessent, sed cuncta gerant auspicio, fauore, ductuq; Dei, cuius agũt præfectos & municipes. Nõ dubitarim, qui hæc rite perpenderit, agnoscet me nihil prius cupere, quàm ut cunctæ potestates in suo pretio & honore habeantur: & quo quæq; amplior, eò etiam ampliore obseruatione colatur: & unum hoc tantum optare, ne quid diuinæ autoritati derogetur, quæ certe uiolatur, cum uel minima quæ fuerit potestas, ac ideo ab ipso ordinata est, imminuitur.

Adijciam & hoc de potestatibus Ecclesiasticorum, quæ & ipsæ cum sint, utiq; à Deo ordinatæ sunt, quare ne ipsis quidẽ resisti debet, sed monendi sunt, qui illis funguntur, ut rite eis fungantur: quod si uelint præstare, Ecclesiastica certe munera alijs cedant oportebit: aut si animus fuerit his uacare, necesse erit aliorum fidei committant administrandam potestatem. Nemo enim mortalium, quantumlibet sanctus & sapiens, alteri satisfecerit, nedum utriq;. Cum itaq; omnes ferè Ecclesiastici, qui uocantur, imperio intendant externo, reiecta cura Ecclesiarum in alios, Principum & R. publicæ erit dare operam, dum Ecclesiæ hinc negliguntur, ut habeant singulæ, qui uere illis uerbo Dei inseruiant, relicta illis falsò uocatis Episcopis interim potestate, quandoquidem uidemus hanc penes eos esse, eóque ex ordinatione Dei. Hanc autem Ecclesiasticam administrationem ubi male, & contra Deum administrant, superioris potestatis erat, adhibere remedium. Dominus det, ut regnum suum obtineat, sic rite habebunt omnia: cum potiente rerum principe mundi, necesse sit, omnia turbari, & habere miserè. Christiani iudicent.

An liceat Christiano iure agere.

Altera quæstio, quę ex hoc loco nascitur, est: Num liceat Christiano experiri iure. Sanè cum Christianus charitate uiuat, quæ non quærit sua, suijpsius causa pro nulla re cum quoquam, uel apud iudices, uel alias contendet. Deum suum unum iudicem habet, illi committet omnia, ac tanquam ab ipso dispensata, æquo animo accipiet, quæcunq; per homines ei iure uel iniuria cõtigerint. Ideo ei qui uoluerit ipsum in ius trahere, ac tunicam, aut rem aliam quamlibet tollere, permittet illi & pallium, ac aliud quiduis, potius quàm ei litem intendat, aut quouis modo repugnet. Et hanc quidem tum nostri, tum nostrarum rerum omnium abnegationem, ac iniuriæ cuiusuis tolerantiam, docet hic Christus, esse officij & iustitiæ suorum.

In sua causa nemo Christianus litigabit.

Porrò cum infideli deterior est, fidemq;, ut Paulus pronuntiat, abnegauit, qui curam suorum, præsertim domesticorum negligit. 1. Timoth. 5. hæc autem cura exigit, prospicere illis, dareq; operam, ut commode uiuant: tum iudiciaria potestas, peculiari Dei præcepto constituta est, ausim affirmare eum, qui pro suis, contra eos qui iniuria opprimunt proximos suos, iudices inuocarit, aut certe se illis iuris captionibus, suos diuexantibus, patronum in iure obiecerit, præsertim apud iudices, quibus nouit, curę esse iniuria oppressos, atq; inopes uindicare, non tantũ non peccare in præsentem

sentem Christi doctrinam, sed facere, quod charitas postulat, & quod cuiusq; Christiani ita interest, ut si negligeret, reus neglectæ charitatis haberetur. Ait enim Dominus: Ei qui te uelit in ius trahere, & tuam tunicam tollere, esse permittendum & pallium item tuum: non iubet autem res proximi iniqua lite petenti cedere. Tum uti sancta Dei constitutione, si præterea nihil praui affectus admisceatur, quis peccati damnauerit: Eadem enim opera & diuina lex blasphemaretur. Verum longe abesse oportet, ut dixi, omnem prauum affectum, studiumq; uel sua quærendi, uel sese ulciscendi. Denique spectandum, coram quibus iudicibus res agatur, ne damnum & iniuriam tuis conduplices. Etenim ut uulgo hodie iudicia sunt, & magis iuris quàm iustitiæ consultis omnia obnoxia sunt. Perpaucis sanè bonis iudiciaria potestas usui esse potest: quare rarissime etiam à bonis inuocabitur: quippe qui eam, non nisi incommodum proximorum, qui iniuriam patientur, inuocare solent.

Pro proximo Christianus litigabit.

Atqui ut boni suorum caussam iustam uindicare iudicio, si liceat non negligent: ita multo magis R. publicæ, maxime autem Dei, iniuriam, quantum in ipsis fuerit, curabunt per magistratus & cohercendam, & ulciscendam. Iuxta præceptum Domini. 5. Mos. 17. & 21. Si enim iustum est, iniustos & Rempublicam perturbantes puniri, quod, scilicet, tam anxie Dominus mãdauit, iniustum sanè fuerit, iudicium hoc Domini non pro uiribus promouere.

Christianus accusator esse peccantium, in R. P. & Dei gloriam, non grauabitur.

Postremo si qui in re quapiã quid iuris esset, ut crebro fit, ignorarent, essetq; uterq; paratus alteri cedere, neuter uero cedi sibi sustineret, quia iniustus esse nollet: hi si constituti iudicij sententiã audire & sequi uellent, nihil sanè peccarent: quandoquidem nihil prauo habendi studio, cõtra dilectionem committerent. Nam & Paulus, etiam de ijs quæ ad uictum pertinent, iudicia Christianis, modo per fratres exerceantur, permittit. Etenim uel contemptos in Ecclesia, mundi sapientibus uult præferri, in hoc ut inter fratres iudicent. Addit tamen omnino delictum esse, quòd inter se lites haberent, sed ideo quòd iniuriæ non tantum intolerantes essent, uerum etiã autores. In quo satis indicauit, quæ iudicia damnarit: nimirum quibus sese uolebant ulciscj, quæq; non ex ignorantia, sed contemptu iuris apud illos oriebantur.

Christiani etiam in propria caussa iudiciũ adibunt.

Vt tandem uero finiam, Christus hic docet quemlibet iniuriæ sibi irrogatæ debere esse tolerantem, & ultionem ne optare quidem, nedum uel manu propria, uel iudicio de aduersario illam sumere, à proximis autem, R. publica, & Deo, depellere omnem pro uiribus iniuriam, tam armis quàm iudicio, ordine tamen quem Deus in sua lege constituit, obseruato, officium est uere pij ac Christiani hominis. Ad hæc tractanda expatiari, operæpretium putaui, propter parum exercitatos fratres quosdam, ne ab Anabaptistis circunueniantur, ut peccatum existiment, quod officium est charitatis, aut persuaderi sibi sinant ea quæ pater præcepit, filium prohibuisse.

Petenti abs te dato, & cupientem mutuum accipere, &c.) Non tantum malum non ulciscendum, sed etiam bono uincendum docet. In Luca additur: Et ab eo qui aufert tua, ne reposcas. Quibus sententijs Christus ostendit, suorum esse, ut uno uerbo dicã, seipsos & sua, ita habere proximis addicta, ut siue sit gratis, siue mutuo dandum, siue egenus proximus illis aliquid subducat, uel palam etiam auferat, non solum non grauentur, sed gaudeant etiam per sua necessitatem proximi leuari. Vnde in Luca subijcitur, & pro ut uultis ut faciant uobis homines, uos quoq; facite illis similiter. Iam qui eget, quid aliud æque exoptet, atq; ut egestati suæ, siue donando quibus ei opus est, siue credendo mutuum, aut si ipsum contingat quippiam auferre, id à se non reposcendo, succurratur. Debet ergo talem se quisq; egentibus alijs exhibere, quales alios si ipse egeret, sibi esse optaret.

Luc. explicat.

Quòd illud, & ab eo qui aufert tua, &c. intelligã de ablatione rerum, quas extorquet quodammodo egestas, non imperat auaritia impudens, caussa est, quòd de huiusmodi ablatione, quę ui aut malo dolo fit, proxime præmissa loquantur. Ab eo qui

De ablatione hic, quam extorquet egestas.

aufert tibi tunicã, etiam palliũ noli prohibere. Et qui te adegerit, &c. Adhæc, quod subiicitur: Pro ut uultis, ut uobis faciant homines, uidetur in hoc adiectum, ut totum quod præmisit, probet. Nemo enim bonus optaret à se non reposci, quod ui aut fraude proximo abstulisset, ut sanè hoc modo auferre quicquã nollet. At certe si pressus egestate, rem aliquam proximi usurpasset, id profecto condonari sibi non iniuria peteret. Eadẽ uero quæ hic paucis Christus monuit, sunt pluribus in 5. Mosche. 15, ante præcepta. Quorum summa hæc est: Non deerunt pauperes in terra, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo pauperi & misero in terra tua. Vbi id animo fecerit, pro portione paupertatis fratrem iuuabimus, siue prorsus donando, siue dando mutuũ, siue etiam illis nostra usurpantibus permittendo. Omnino enim non debet inter nos, ut ibidẽ præcipitur, agere egenus aut mẽdicus, eò quòd large adeò nobis Dominus benedicat, ut abunde omnibus satis esset, si pauperum inopiam, diuitum non fraudaret malignitas. Sed quæ tandem iniquitas, filios inter se fraudare ijs, quæ immeritis benignissimus pater tam larga copia suppeditat: & recondere alios multa, quibus uti nequeant, alios uero egere uitæ necessarijs? Væ prauitati hominum plusquàm ferinæ.

Porro quod in Luca legimus: Omni autem petenti abs te, perinde est, ac si dixisset, cuilibet, ut unumquemq; egentem tibi Dominus citra tuũ tibi delectum obtulerit, sicut modo de proximo dicemus, ne tantũ ijs, qui rependere queant, dare uelimus, uti de mutuo quoq; dixit, ne solis ijs, qui soluendo sunt, mutuũ demus, quod & peccatores faciunt. Cæterũ nõ uoluit Dominus, ut cuilibet quauis ratione petenti à nobis demus, Alioqui petaces scurræ, & alia nullius frugi mendicabula, cuiusmodi & plærique cucullati mendicantes sunt, omnia auferrent. Neq; certe Paul. 2. Cor. 8. scripsisset: Nõ enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia, sed ut ex æquabilitate in præsenti tempore, uestra copia illorum succurrat inopiæ, &c. Christus siquidem fidos dispensatores, non dissipatores, rerum quas dederit, uult suos esse, qui in omnes quidem pro sua portione benefici sint, præcipue autẽ in domesticos fidei: ita tamẽ, ne domesticorũ carnis cura posthabeatur. Vnde probe animaduertendũ est, quod in Luca mox subiectum legitur: Pro ut uultis ut uobis faciant homines & uos facite illis similiter. Hæc unica erit regula, omnis donationis, mutui, & cessionis. Neque enim nisi insanus Anabaptista peccatũ faciet, si ab eo, qui mea nulla necessitate abstulisset, amicè repeterem, aut etiam negarẽ decoctori mutuum non egenti, nisi forte ut luderet. Absit dolus, & adsit animus paratus facere alijs, ut optarit fieri sibi, orentq; Dominũ ut se ducat, ne qua in re pro sua cupiditate feratur, is facile dabit gratis, et mutuo, & cedet quæcũq; Domino danda & cedenda fuerint uisa, ritecq; ad præsentem Christi se monitionem comparabit.

Male quidam de usura.

Atqui cum de mutuo hic Christus monuerit, non erit intempestiuum, de usura paucula annotare, nam ex uerbis, quæ apud Lucam leguntur, & mox suo, scilicet, loco tractabimus: Mutuũ date, nihil inde sperantes, quidam præposteræ religiosi, multos innocentes contristarunt, quos Deus contristatos noluit: & iniquorum cupiditati uicissim patrocinati sunt, adserentes, scilicet, quamlibet usurã aut fœnus, hoc est, quicquid omnino commodi ob mutuo datam pecuniã creditor recipiat, hic à Christo damnari, eo quòd dicat: Nihil inde sperãtes: atq; eo tandẽ insaniæ prolapsi sunt, ut æque peccare dixerint & scripserint, qui quamlibet usuram, siue impositam prædijs, aut domibus, siue citra hypothecam persoluerent: Cum aperte Christus etiã iniuria à nobis postulata dare præcipiat: & cum iussit dare mutuum, nihil inde sperantes, de sorte, uel, ut uerius uidetur, de repensione similis beneficij, non usura sit locutus: hoc est, uoluerit ut non solum ijs, quos speraremus creditam pecuniam restituturos, ac uicissim siue mutuo, siue alia re nobis uicẽ repensuros, mutuum daremus, quod, scilicet, & Ethnici & peccatores faciunt, sed duceremus satis causæ esse ad

dandum

A dandum mutuum, quòd proximus mutuo egeret, dareq; illi essemus parati, etiã cí-
tra spem creditum recipiendi ipsum, non solum eius usuram. Id clare euincit, quod
præmissum illic legimus: Et si mutuum dederitis his à quibus speratis uos receptu-
ros, quæ gratia uobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant
paria. Quæ in his obsecro mentio fœnoris? Sed cum ait, ut recipiant paria, aperte o-
mnem gratiam, qua debitor mutui beneficium retaliet, significauit.

Missis itaq; tam his seditiosis nugationibus, quàm ijs qui superiori seculo rem hãc
implicarunt, magis quàm explicarũt, quod res est paucis dicam. Vsura siue fœnus,
hoc est, quicquid cõmodi, ex data mutuo pecunia, uel re alia, ad creditorẽ à debitore
supra sortẽ redit, per se nulla lege, phibetur, ut per se non semper cũ iniquitate cõiun
gitur. Iniquitatẽ autem usura coniunctam habet, quando contra id (pro ut uultis ut
uobis faciant homines) exigitur: quo cum si non pugnet, neq; peccatum est. Vnde
in lege 2. Mos. 22. 3. cap. 25. 5. cap. 23. ea nominatim usura prohibetur, quæ fraudi pro-
ximo est, ipsumq; prægrauat. Nam ita dilectio exigit, ut gratis des ei, qui eo habet
opus: si possit esse reddendo, des mutuum, accepturus quidem si creditum restituat,
si minus, boni id consulturus. Neq; enim certa restitutionis spe mutuandum est: ma
gisq; spectandum quo frater egeat, quàm quid possit reddere.

Porro si frater nõ ita egeat, quin possit & creditũ, & crediti fœnus aliquod cũ suo
cõmodo reddere, quis quæso, phibebit illũ gratum esse benefactori, aut hunc oblatã
citra fratris incõmodũ gratiã recipere? Denicq; ut recipere eam licebit, ita & stipulari *Quatenus licita usura.*
non erit iniquũ: modo nullã is qui eam stipulatur proximo fraudẽ meditetur, neq;
usurã inique exigat, imò ne recipiat quidem, si iacturã faciat dando debitor, hoc tan-
tum accipiat & exigat, quod bona fide, & cũ æquitate, uellet à se accipi uel exigi in
simili necessitate deprehensus. Christianus si fueris, & hic proximi amans, docebit
facile qui te agit Domini spiritus, modum in his dilectionis haud excedere.

D Iustinianus imperator, qui admodũ religiosus habitus est, legẽ sanciuit, quæ legi- *Lex Iustiniani de usuris.*
tur in Codice, titulo de Vsuris, ut illustres quocũq; contractu, nõ supra tertiã partem
centesimæ usuræ, qui licite negotiantur bessem centesimæ, in traiectitijs contracti-
bus centesimam: cæteri autem homines dimidiam tantum modo centesimæ possent
stipulari. Centesima autem usura apud ueteres permissa erat, cum pro centum drach
mis, quolibet mense una recipiebatur: ita centeno mense, usura sortem exæquante,
quare & centesima fuit dicta, quanquam & ideo hoc nominis acceperit, quòd pro
centũ numis unus in singulos menses penderetur. Atque ita permisit Iustinianus, ut
creditoribus illustribus, pro centum numis, quotannis tres duntaxat usuræ nomine
penderentur, negotiationem gerentibus, octo, ijs autem, qui fœnus stipulantur si tra
ijciens pro mercibus nauis salua, saluis mercibus redeat, integra centesima, hoc est
12. in singulos menses, singuli: reliquis autem creditoribus, seni.

Hæc ciuilis lex, si ea debitor nõ grauetur, seruari & à Christianis poterit. Nõ enim *Circa fidẽ proximi uti hac lege licebit.*
accipere usurã, ut dictum, sed cum damno fratris accipere, dilectioni pugnat. Si tua
igitur pecunia frater lucretur aliquid, partemq; tibi lucri decidat, Domini benedi-
ctionem percipis, non alienam. Neq; enim in quantitate eius, quod accipis, sed ab
incommodo proximi debitoris, usura æstimanda est.

His nullus uolo auaritiæ patrocinari, neq; phare, qui ex sola infidelitate annuos
prouentus coemunt, & omne incommodum ac damnũ, rei oppignoratæ, apud uen
ditorem prouentuũ, relinquunt. Iterũ dico, is contractus iustus erit, qui non pugna
rit cũ hac lege, pro ut uultis ut uobis homines faciant, &c. & qui nulla diuinæ pro-
missionis diffidentia condicitur. Christiani itaq; prædicatoris, & ueri Euangelistæ
fuerit, cum Paulo nihil scire aut prædicare, quàm unũ Iesum Christum, & hunc cru-
cifixum, quo recepto, non poterit abesse charitas: hac uero qui præditus fuerit, is ne-
quibit perperam, aut dolo cum quoquam agere. Qui ergo fidelis pastor arcere à suis

ſtudebit uſuram inique grauantem, & quamlibet fraudem in proximũ, is Chriſtum diligentiſſime inculcet, tum moneat cum Paulo, imò Chriſto ipſo, ut bonis operibus ſedulo incumbant, neq; quiſquã opprimat ac fraudet fratrẽ in negotio. Reliqua neceſſe eſt, iudicio dilectionis diſpenſanda & exequenda relinquat, apud Chriſtianos quidem, apud alios magiſtratui & legibus, Nam ferendo certas de tam incertis contractibus negotiorũ, quæ inter homines gerũtur, leges, nihil aliud efficiemus, quàm quòd multorum conſcientias fruſtra excarnificabunt, multorum uiciſſim æque fruſtra cõſolabuntur, quandoquidẽ nulla ſecura eſſe poteſt, niſi quæ neſcia ſit fraudis, et conſcia ueræ erga fratres dilectionis. Iudicent Chriſtiani, & iudicent ſecundum ſcripturas, nec dubitarim quin ita habere rem ſint agnituri.

ENARRATIO SECTIONIS X.

Audiſtis quòd dictum ſit: Diliges proximũ tuum, & odio habebis, &c.) Caput legis eſt, præceptũ de diligendo proximum, quod ut ſuo loco reſtitueret Chriſtus, & priores præceptorũ explicationes dedit, & modo ipſum fontẽ demum repurgat, quẽ peſtilentiſſimo rationis cõmento, uelut terra Phariſæi obruerant, uerbo Dei, iubentis diligere proximũ, perinde atq; ſeipſum: & adijcientes de ſuo, inimicũ habendum odio, quod ſcriptura nuſquam meminit. Id quidem legimus præceptum Iſraëli diuinitus fuiſſe, ut 5. Moſ. 7. 20. 23. 24. 25. & paſſim in lege, ut hoſtes Dei gentes idololatras qui in terra Canaan & circa eam habitauerunt, partim occiderent, partim ſubtributi tenerent ſubiectione, partim benigne haberent, ut diuerſa erant illarum gentium merita: nuſquam autẽ uel has uel alias iuſſi ſunt odiſſe, nedũ ita in genere uſpiam præceptũ legimus, odio habere inimicum, cum inimici & ex fratribus quotidie exiſtant,

Odiſſe inimicum nuſquam Iudæis permiſſum.

Cæterum hoc præceptũ, his ipſis uerbis legitur expreſſum. 2. Moſ. 19. Ebra. ſic habet, ראהבת לרעך כמוך, id eſt, diliges proximum, uel ſodalẽ tuum, ſicut te. Significat autem רעה qui proximus recte uertitur, uel ſodalis, quomodolibet coniunctũ: ita ut & de inanimatis, inter ſe iunctis, uel aliquem ordinẽ habentibus, dicatur, ut 1. Moſ. 15. ſcribitur: Abram partitus triennem uaccã, capram & arietem, unam medietatẽ deciſſe è regione proximæ ſuæ, id eſt, alterius medietatis, uocans alteram partem, alterius רעה, id eſt, proximũ. Sic. 1. Moſ. 11. ſp eo, quod nos recte legimus, dixit alius alij, noſtra uerſio habet: dixit alter ad proximũ ſuum. Græca enim habent, καὶ ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ, id eſt, dicebat homo ei qui ſibi prope erat, hoc eſt, proximo ſuo. Ebræi habent ויאמרו איש אל רעהו, id eſt, & dixerunt, quilibet ad proximum ſuũ. Et hæc quidẽ locutio, ubiq; in diuinis literis occurrit. רעה igitur Ebræis ὁ πλησίον Græce & Latine proximus, eſt proprie is, qui tibi qualibet ratione coniunctus fuerit, Ratione cognationis, ſiue aliâs arctioris amicitiæ, ſic Ionadab ille, qui Amenoni filio Dauid conſiliũ dabat de corrumpenda Thamar ſorore Abſcalon, dicitur fuiſſe רעה, id eſt, amicus uel propinquus Amenonis: fuerat enim filius fratris Dauid. 2. Schmu. 13. Ita Chuſai dicitur fuiſſe רעה, id eſt, amicus Dauid, Sodalitatis, Iud. 20. ſodales dati Schimſchoni, מרעיו, dicebantur, id eſt, proximi eius. Iud. 14. Vicinitatis. Moſ. 3. iubebantur Ebræi egreſſuri ex Egypto, quilibet à proximo ſuo & quælibet à proxima ſua, petere uaſa argentea, aurea & ueſtem, ubi idẽ uocabuli רעה legitur. In ſumma, cum quo quicquã tibi neogtij fuerit, qui quauis tibi ratione adiunctus fuerit, eum ſcriptura uocat רעך, proximum tuum. Ita qui inciderat in latrones, ubi conſpectus fuit à ſacerdote atq; Leuita, iam factus fuerat ipſis proximus: ita & Samarita-
no, licet Samaritanus ſolus illum proximum agnouerit, Luc. 10.

Quódq; mireris, & in quo uideri poſſis ſingulari curæ Domino fuiſſe, ut hæc ſumma legis: Diliges proximum tuum ſicut te, quàm puriſſime ad quaslibet gentes perueniret, ſignificanter adeo, Græce, Latine, & Germanice, hæc uox רעה reddita eſt, ut non potuerit ſignificantius, Græcis enim pro ea dicitur, ὁ πλησίον, id eſt, is qui pro-
peſit.

A pe ſit, hoc eſt, ad manũ, qui ad te aliquo modo pertinuerit. Sic enim legunt & Euangeliſtæ & Paulus, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν, id eſt, ut adnumerem uerba: Diliges eum qui prope tibi, ſicut te ipſum, hoc eſt, qui quomodolibet tibi adfuerit, tuáue opera indiguerit. Ita Latini hunc proximum uocant, nimirum eadem ratione ſignificantes eum, qui utcunq; nobis fuerit adiunctus, in quẽ quouis pacto inciderimus, cum quo aliquid nobis commune extiterit. Neq; aliter Germani, Den nechſten appellant, eo planè intellectu quem prouerbio dicunt, Der nechſt, der liebſt. Nõ enim noſtrũ eſt facere, eorum quos diligere debemus delectum, ſed quantũ in nobis eſt, perinde charos habere addecet omnes, at quia dilectio noſtra nõ poteſt niſi ad quoſdam exeri, quis enim benefaceret ijs, quos nõ norit natos, procul à ſe habitantes, aut etiam apud quos habitarit, ſingulis? Ideo iuſſit Deus diligere proximũ, id eſt, quemcunq; quauis ratione Deus tibi adiunxerit, & ut ei benefacias quodammodo obtulerit. Iam adiungit uinculo cognationis & ſanguinis quoſdam, ij domeſtici uocantur: alios uinculo ciuitatis, alios ſodalitatis, alios uicinitatis, alios officij, nonnullos tantum fortuiti cõgreſſus, denicq; pleroſq; neceſſitatis, ut quorum tibi potiſſimũ neceſſitatem ſubleuandam offert, quemadmodum Samaritano uulnerati illius, & Lazari, diuiti epuloni fuit oblata. Vt igitur quemcq; domeſticum, ciuem, uicinum, collegam, ſodalem, comitẽ, aut tantum fortuito incidentem, nactus Chriſtianus fuerit: ita dilectionis officia illi, tum pro ſua portione, tũ pro illius neceſſitate, impigre exhibebit: agnoſcens ſuũ ut filij Dei, eſſe, nihil niſi benefacere, & benefacere ijs, quos Deus obiecerit, non quos ipſe ſibi delegerit: quare pro ratione qua quemcq; illi Dominus obtulerit, & proximũ fecerit: ita ei declarabit ſe amicũ & benefactorẽ, ſiue is uiciſſim amicus ſit, ſiue inimicus. Quales enim proximi erga nos ſeſe habuerint, Dei, non noſtra refert. Vnde etiam eos qui ex profeſſo hoſtes nobis ſunt, ſcriptura tamẽ

B proximos paſſim uocat.

Quàm uarie Deus nobis proximos facit.

Hęc fuſius ideo diſſerui, quod ut per phariſæos priſcos, ita & per noſtros, uocabulum proximi per ſe ſignificationis apertiſſimæ, mire obſcuratũ fuit, atq; ita præceptũ dilectionis, à quo omnia reliqua pendent, eneruatũ. Certe priſci eo quòd adiecerunt (& odio habebis inimicũ tuũ) uerbũ Domini, quo diligere proximũ præcepit, deſtruxerunt, ſiquidẽ ut dictũ eſt, etiam inimicus proximus eſt, imò eo ipſo, quod inimicus eſt, proximus eſſe cõuincitur, quippe qui notus tibi exiſtat, & tecũ cõmune aliqd habeat, cuius, ſcilicet, cauſſa inimicatur. Ita noſtri, angelos, diuos, ac manes, qui adhuc igni purgatorio torrentur, proximos noſtros fecerunt, ut ad demerẽdos illos, & hos iuuandos, corporalibus tamẽ donis & obſequijs, quibus poſtea uſi ſunt, ut uidemus, nos prouocarũt, pręteritis ueris, & ad manũ proximis, qui, ſcilicet, officijs noſtris & poterãt & debuerãt frui. Nos ergo miſſis nugamẽtis hominũ, ſcripturã ſequemur, proximũ intelligẽtes quemlibet, quo cum negotij aliquid nobis Dominus iniecerit, aut quauis ratione adduxerit, cognitũq; fecerit, eumq; ſerio amabimus, operęq; amorẽ eius pro uirili noſtra declarabimus, ita ad legẽ Domini ſyncereiter, nullo humanæ cõmentationis fuco admiſſo, nos cõparaturi, nihil morantes: qualeſcunq; ſe illi, quos Deus nobis proximos ita fecerit, habeãt. Imò ſi inimici fuerint, & nos oderint, tanto propẽſius beneficijs ipſos afficiemus, ſi forte malũ ipſorum, bono uincere, atq; ita incõparabili illos malo, ſcilicet, odio noſtri, poſſimus liberare. Vt enim q̃ germane amici ſunt laborãtibus amicis maiore ſedulitate, q̃ bene habẽtibus inſeruiunt: ita ſtudioſius multo beneficentiæ officijs nobis curandi ſunt, qui odio aliquo aduerſus nos, ipſis planè exitiali malo laborant, quàm qui rectè erga nos animati exiſtũt.

Quis proximus?

Vera dilectio erga inimicos officioſior.

Nequaquam igitur graue erit, ſi filij Dei, atq; ideo tòti ad beneficentiam propenſi ſumus, odientibus nos modis omnibus exhibere beneficos, bene precari deuouentibus nos, dumq; aliud non licet, ſaltem pro ipſis, cum pro uiribus nos calumniantur & inſectantur, hoc eſt, impotentius furunt, orare, ut Dominus mentem illis

donet aliam & sanã. Quid enim aliud faceres, amico ex phreneseos morbo te mirũ in modum execranti, pessimeq; tibi conuitianti, ac quoad posset, te conanti prorsus extinguere? Atqui nulla odio fratris nocentior, eóq; maiore nobis cura & solicitudine curanda phrenesis ac pestis poterit excogitari. In tenebris enim agit letiferis, qui illo tenetur, ac à Deo est longe alieníssimus, 1. Ioan. 2 & 3. Iam diligere uere inimicos oportet, nõ fucate, ut Theologi superioris seculi docuerunt, satis esse, inimicis optare cœlum, & in extrema necessitate, succurrere: absolutissimæ amicitiæ numeros erga illos implere necesse est. Sanè proximi sunt, quare perinde atq; nos ipsos diligemus eos, siquidem fuerimus, quod audimus Christiani: quibus nimirum hæc solis præcepta sunt, ut filijs Dei perfectis. Vnde Christus apud Lucam, amorem inimicorum præcepturus præmisit: Sed uobis dico qui auditis. Nouis nanq; auribus opus est, ut ista integræ dilectionis doctrina percipiatur, quibus qui carent, ista si audiant etiam, nequeunt tamen intelligere.

Odio fratris nihil pestilentius, igitur beneficijs ei potißimum medendum.

Vt sitis filij patris uestri qui est in cœlis.) Vehementissima ad solidam hanc & infinitam beneficentiam exhortatio. Quid enim possit optari diuinius ac beatius, atq; esse filium cœlestis & æterni patris? Iam ultro id nobis, siquidem credimus, ille dedit. Quidnam igitur queat esse difficile aut molestum, quo tam incomparabiliter benigno patri gratificemur? Id uero uel sola hęc proximi dilectio est, quę omnibus, etiam hostibus benefaciat. Hæc una est, qua germanos Dei filios nos comprobabimus, sola hac cœlestem patrem referemus. Quod itaq; odium, quæ tanta possit excogitari iniuria, quæ nos, si ista credimus, queat remorari, quo minus demerendo inimicos patri Deo gratificemur, adoptionem istam cœlestem referamus, hoc est, diuinitatẽ quandã præstemus? Etenim Deus sui similis perseuerat, semper & erga quoslibet beneficus, præsertim in corporalibus istis, solem suum exoriri sinit super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos, id est, quæ ad uitam præsentem pertinent, promiscue omnibus impartit, & hactenus benignus est, ut Lucas habet, erga ingratos quoq;, ac malos. Sic & nos, si adoptionẽ filiorũ uere consecuti sumus, nostri similes, utcunq; mutentur alij, perseuerabimus, hoc est, erga quoslibet benigni: ut nemo sit, cui nobiscum aliquid rei fuerit, qui non benignitatẽ nostrã sentiat: si qui spiritalia beneficia, ut doctrinam, monitionesq; salutis respuant, corporalia saltem, quibusq; uita præsens fouetur à nobis imitantibus benignitatem patris nostri percipiant. Alioqui si dilexerimus eos duntaxat qui nos diligunt, & fratres solũ fuerimus complexi, benefecerimus ijs tantum, qui benefaciunt nobis, neq; mutuũ dederimus, nisi ijs, quos scimus soluendo esse & creditũ reddituros: quid quæso adhuc eximiũ, id est, dignũ nostra uocatione fecimus? qualis nobis gratia habẽda est? quid tandem id beneficij uidetur, quando quidẽ meritorium, & non gratuitum existit? quid præterea mercedis expectabimus, si quidem ab hominibus, paria recipimus?

Tam abest ut manca ista & maligne circũscripta benignitate patrem nostrũ cœlestem digne adhuc retulerimus, nostræq; uocationi & nomini respõderimus, ut insames publicanos atq; qui publicitus peccatores habent, nondũ bonitate uicerimus. Nam diligunt & illi eos, qui se diligũt, cõplectuntur quos inter suos agnoscunt, benefaciunt sibi beneficis, dant mutuũ ijs, quos sperãt futuros soluendo, & uicẽ repensuros. At tanto oportebat nostrã benignitatẽ, istorũ benignitate præcellentiorẽ esse, quanto nos illis, qui caro adhuc sunt, & filij diaboli, præstamus, facti filij & hæredes Dei. Proinde ait: Eritis igit perfecti quemadmodũ pater uester, qui in cœlis est, perfectus est, quod apud Lucã sic legitur: Estote ergo misericordes sicut pater uester misericors est. Etenim de dilectionis perfectione pertingentis ad quoslibet hic Christus locutus fuit: quã, scilicet, æmulandã proposuit, ne, scilicet, cõtenti essent, mutila & imperfecta filiorũ huius seculi benignitate, qui benigni tantũ sunt in eos, à quibus uicẽ sibi sperant rependendam. In alijs enim qui præstaremus nos mortales perfectionẽ Dei?

Quod

Quod uero in Luca legimus, γίνεσθε οἰκτίρμονες, eſtote miſericordes, & hic, ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι. Eritis igitur uos perfecti, exiſtimo perinde eſſe, atq; ſi ſacra lingua dixiſſet, החיון חסידים או הנרגים, id eſt, eritis benigni, uel beneuoli, quanquam magis credi derim hic expreſſum, חסידים quod ſignificat ad cumulate benefaciendum eſſe propenſos, ſingulariq; ſtudio ad copioſe demerendum. Nam qui raro ac egregio beneficio ſe affectũ à Domino uel homine uoluit ſignificare, eum memorat ſcriptura dicere ſolitum, עשה עמדי חסר, id eſt, ut noſtra quidẽ uerſio reddere ſolet: Fecit mecum miſericordiam, quod tamen perinde eſt, atq; affecit me ſingulari beneficio, magnifice ſuam erga me beneuolentiam declarauit, iuuit egregie.

Quid חסידים, id eſt, benefici perfecti uel miſericordes.

Vnde חסיד non probe ſanctus redditur paſſim in Pſalmis. Vt Pſalmo quarto: Mirabilem fecit Dominus ſanctum ſuum. Quoniã defecit ſanctus. 12. Cum ſancto ſanctus eris. 18. His locis & multis aliis legitur, חסיד & erat uertendum, benignus, aut beneficus, uel certe bonus, uti ſunt omnes filij Dei, referentes, ſcilicet, patrem ſuũ beneficum in omnes, etiã ingratos & iniuſtos. Qui iam huiuſmodi ſunt, eos Dominus ſanè mirabiliter ducit: cum enim demereri ſtudent quoslibet, habentur ipſi uiciſſim odio ab omnibus hominibus, multaq; mala pro beneficijs ſuis recipiunt, ſed educit illos Dominus ex malis tandem uniuerſis, ac mirabiliter glorioſos reddit. Horũ parciſſimus in terra prouentus eſt, ideo queritur Pſal. 12. defeciſſe huiuſmodi benignos homines & fidos, quos Pſal. uocat, אמונים. Quadrat denicq; & quod habet Pſalmus 18. Cum benigno, benigne facies, uel cum bono bonus eris, quia miſericordiam conſequuntur miſericordes.

חסיד non re cte functus uertitur.

Ergo perfectos dilectione atque miſericordes, quales hic Chriſtus ſuos eſſe requirit, aliàs in ſcriptura ferè חסידים dicuntur, quos latine recte bonos & benignos, ut dixi, uocaueris, Germanice uero, frumme leut, die der andern frummen gern ſchaffen, qui in hoc potiſſimũ, ut quàm plurimos demereantur, imò omnibus frugi ſint, incumbunt. Tales itaque bonos, benignos, ac frugi quibuslibet, Chriſtus ſuos eſſe non requirit tantum, ſed & eſſe tales donat, ita reſtituens eis collapſam diuinitatis imaginem: attamen ut hanc ſtudioſe repræſentent, dignatur eos continuo per miniſtros ſuos exhortari: ita ut ipſe in præſenti diſcipulos ſuos hortatus eſt, hoc benignitatis ſtudiũ urgens argumentis ſanè efficaciſſimis, ductis à perſona, quam cœleſtis pater ex ineffabili bonitate ſua nobis impoſuit, ut filij ipſius eſſemus: eóque non tantum peccatoribus & Publicanis, ſed quibuſcq; optimis etiam atque laudatiſſimis hominibus, bonitate præſtaremus. Cui iam non liberet huic perſonæ inſeruire? Inſeruiet autem quiſquis abſolutam illam cœleſtis patris in omnes ac effuſam bonitatem, diligendo, & demerendo quoslibet, ſtuduerit imitari & referre.

חסיד bonus Ger. frum.

B

CAPVT SEXTVM.



TTENDITE ne eleemoſynam ueſtram præſtetis coram hominibus, quò ſpectemini ab illis. Alioqui præmium non habetis apud patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Itaq; cum præſtas eleemoſynã, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciũt in conciliabulis, & in uicis, ut glorificentur ab hominibus: Amen dico uobis, habent mercedem ſuam. Cæterum tu cum præſtabis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quod facit dextera tua, ut ſit tua eleemoſyna in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto, ipſe reddet tibi in propatulo.

Sect. 1.

Et cum

Sect.2. Et cum oraueris, non eris quemadmodum Hypocritæ. Nam illi ſolent in c
conciliabulis & in angulis platearum ſtantes orare, quo conſpicui ſint homi-
nibus. Amen dico uobis, quòd habent mercedem ſuam. Tu uero cum oras,
introito in conclaue tuum, & occluſo oſtio tuo, ora patrem tuum qui eſt in oc-
culto, & pater tuus qui uidet in occulto, perſoluet tibi in propatulo. Verum o-
rantes ne ſitis multiloqui ſicut Ethnici. Putant enim fore, ut ob multiloquium
ſuum exaudiantur. Ne igitur efficiamini ſimiles iſtorum. Nouit enim pater ue-
ſter quibus rebus opus ſit uobis, priuſquam petatis ab illo.

Sect.3. Ad hunc ergo modum orate uos: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur
nomẽ tuum. Veniat regnum tuum: fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœ-
lo, ſic etiam in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & remitte
nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne inducas
nos in tentationem, ſed libera nos à malo (quia tuum eſt regnum, & potentia
& gloria, in ſecula ſeculorum) Amen. Proinde ſi remiſeritis hominibus errata
ſua, remittet & uobis pater ueſter cœleſtis. Quòd ſi nõ remiſeritis homini-bus
errata ſua, nec pater ueſter remittet errata ueſtra.

Sect.4. Porro cum ieiunaueritis, ne ſitis ueluti hypocritæ tetrici. Obſcurant enim fa
cies ſuas, quo perſpicuum ſit hominibus ipſos ieiunare. Amen dico uobis, ha-
bent mercedem ſuam: Tu uero cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam
laua, ne conſpicuum ſit hominibus te ieiunare, ſed patri tuo, qui eſt in occulto, d
& pater tuus qui uidet in abdito, reddet tibi in propatulo.

Sect.5. Ne reponatis uobis theſauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi
fures perfodiunt ac furantur. Sed recondite uobis theſauros in cœlo, ubi neq;
erugo, neq; tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, neq; furantur. Nam
ubi fuerit theſaurus ueſter, illic erit & cor ueſtrum.

Sect.6. Lucerna corporis eſt oculus. Si igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum cor-
pus tuum lucidum erit. Quòd ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum
tenebroſum erit. Ergo ſi lumen, quod eſt in te, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ
quantæ?

Sect.7. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim hunc habebit odio, & al-
terum diliget, aut huic adhærebit, & alterũ negliget. Non poteſtis ſeruire Deo
& Mammonæ.

Sect.8. Propterea dico uobis, ne ſitis ſoliciti uitæ ueſtræ, quid eſuri ſitis, aut bibi-
turi, neque corpori ueſtro, quibus indumentis uſuri. Nónne anima pluris eſt,
quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum? Vertite oculos ad uolatilia
cœli, quia non ſerunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & pater ue-
ſter cœleſtis alit illa. Nónne uos longe præcellitis illa? Quis autem ex uobis ſo-
licite cogitando, poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Ac de indu-
mento quid ſoliciti eſtis? Cognoſcite lilia agri quomodo creſcant. Non labo-
rant, neque nent. Attamen dico uobis, ne Solomonẽ quidem in uniuerſa glo-
ria

A tia sua sic amictum fuisse, ut unum ex his. Quod si gramen agri, quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet, ô parum fidentes? Ne sitis igitur soliciti, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus opperiemur? Nam omnia ista gentes exquirunt. Nouit enim pater uester cœlestis, quod opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Ne sitis igitur soliciti in crastinum, nam crastinus dies curam habebit suiipsius. Sufficit sua diei afflictio.

ATtendite ne eleemosinam uestram faciatis, &c.) Superiori capite uindicauit Christus legem, falsis Pharisæorum commentis, præsenti adserit, eorundem hypocrisi, quæ præcipua habebantur religionis opera, eleemosynam scilicet, precationes, & ieiunium. Tum quo ad uere bona opera, nempe officia charitatis reddat propensiores, multis hortatur, ut uitæ curam omnem Deo iam patri nostro, committamus. Eleemosynæ primus locus datus est. Ea iuxta uocabuli rationem, beneficentia est quæ miseris potissimum exhibetur. Nam à uerbo ἐλεεῖν, quod misereri significat, nomen eleemosinæ deducitur. De hac nihil præter præmissa modo, de dando cuiuis petenti, præcipit, ut quæ ex dilectione proximi quam ubiq; inculcat, ultro promanet. Vt autem studio tantum leuandi miseros, & gratificandi Deo illam præstemus, admodum diligenter monet: antithesim faciens inter Pharisæos & suos, quandoquidem prædixerat oportere suorum iustitiam, ea qua sibi placebant Pharisæi, esse abundantiorem.

Quæ hoc capite docentur.

Quid eleemosyna.

Porrò summa eorum quę monet hæc est, Eleemosynam facere uos addecet cumulatissime, quandoquidem uestrum est Deum patrem, bonitate & beneficentia ad hos
B stes usq; pertingente, referre. Videte modo ne coram hominibus, quo spectemini, illam præstetis, id est, nihil aliud benefaciendo inopibus spectate, quàm ut fratres quidem uiuatis, patri autem uestro cœlesti uos approbetis, qui largissime omnia rependet, probe uidens etiam dum mortales latetis, quę fratribus beneficia impenderitis, & rependet cum ingenti uestra gloria coram sanctis uniuersis, quando nimirum à me audietis: Venite benedicti patris mei, &c. de quo infra. 25. Alioqui, si cõspicui hominibus esse quæsierítis, id ut facile cõsequemini, ita mercedem uestrã laudari ab illis, quo nihil inanius, referetis, deinde nihilo meliores eritis Pharisæis, quibus quid possit esse uanius? Omnia enim opera sua faciũt, uti hominibus spectabiles sint, ideo daturi eleemosynam, tubis cani ante se faciunt, quò à multis conspiciantur: qua stulta sua ambitione efficiunt, ut nulla eis apud Deum maneat gratia reliqua.

Tropis hic sermo, nempe uulgaris, plenus est. Præstare eleemosynam in occulto, ut sinistra nesciat, quid dextra faciat, Hyperbole cum Metaphora est, qua nihil aliud docere uoluit, quàm ut nolimus ob beneficentiã hominibus esse admirationi. Mercedis nomine intelligendum est, quod opus sequitur, non quod opere promereris, de quo suprà nonnihil monuimus, super illud: Gaudete & exultate, quia merces uestra magna est in cœlis.

De delectu pauperũ, aliâs disputatur, de qua re extat egregius sermo Ioan. Oecol. Satis habeo monuisse præstandam eleemosynam proximo, id est, ei quem Dominus tibi obtulerit beneficio tuo fouendum. De quo paulò supra plura, ubi quis cuiq; proximus sit, exposui. Certe eorum quos uel cognatione carnis, uel societate fidei, nobis Dominus coniunxit, prima habẽda ratio est, ut ex Paulo Gal. ult. & 1. Tim. 5. docemur: & spectandum, ut aliâs, ita & præstando eleemosynam, ut quàm maxime fratribus prosimus, idq; ad gloriam Dei, quod qui spectarit, eum facile docebit spiritus, quibus maxime commodum sit, eleemosynam præstare.

Et cum

ENARRATIO SECTIONIS II.

Et cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ, &c.) Oratio alterum est, quo maxime occupantur, quos uera tenet religio. Et hanc strenue simulabant pharisæi, ut ex ijs quæ Christus infra 23. ipsis opprobrat, satis liquet. Monet autem suos ut precando, à duobus uitijs uelint alieni esse, uno hypocritarum Pharisæorum, altero Ethnicorum. A priore, humanæ laudis captatione, dehortatur eisdem argumentis, quibus contra eleemosinæ ostentationem usus est, nimirum his: Deus pater uester est, ergo ipsi soli approbrare uos debetis: eóq; orare, ut ipse uos uideat, nõ homines. Deinde cœlestis pater est, ergo par est, ut & uos filij eius cœlestes sitis, quibus omnis terrena commendatio sordeat, nedum uideatur ambienda: tum, ut filij Dei estis, ita decet longissime præstetis Pharisæis hypocritis: illis igitur annitentibus se approbare hominibus, uobis debet curæ esse, ut probemini Deo. Postremo si hominum applausum uenamini, non poterit agnoscere uos sibi inseruire pater, atque ita nulla uobis ab ipso expectanda erit gratia, receptoq; hominum applausu, iam omnem pietatis uestræ mercedem recepistis, qua quid uilius, quidue inanius? Ab altero in orando uitio, quo Ethnici laborant, scilicet, futili uerborum proluuio, auocat duobus argumentis: Vno, quòd ita uerba in precatione prodigere Ethnicorum error est, existimantium ob multiloquium se exaudiri: quod utiq; est indigne de Deo sentire, quasi nostro, scilicet, multiloquio delectetur, à quo æque stulto ac impio errore decet certe alienos esse filios Dei: Altero, erga Deum non esse opus uerbis, ut qui antequam precemur nouerit quæ nobis sint necessaria. Vtroq; hoc uitio plurimi hodie, quiq; soli religiosi uolunt haberi, misere laborant, nam & uerborum inexhausta farragine precantur, & ut hominibus suam deuotionem, quam uocant, cum approbent, tum chare uendant, uel maxime conspici laborant, bis cæci & miseri. Nisi enim confiderent multis uerbis perstrepentes gratum Deo facturos se, atq; cum humana laude, etiam uentris emolumẽta inde sentirent, ut μισόγωνοι & delicatuli sunt, paucissimis sanè precarentur.

Duo ab oratione uitia submouet.

Cæterum eo quòd iubet introire in cõclaue, & occluso ostio orare patrem, nihil aliud dicere uoluit, quàm fugiendam modis omnibus ostentationem: hanc si examino auersatus fueris, & orando uni patri cœlesti approbare te studueris, recte in occluso conclaui orasti, si etiam in maxima hominum frequentia oraueris. Neq; enim nouus mos est in conuentu Ecclesiæ precari, ut probant exempla tam ueterum, Dauidis, Schlomoh, & aliorum, quàm institutio Pauli, quam 1. Corin. 14. & 1. Timot. 2. commendat. Et non solum mos hic non nouus est, sed etiam Christianis dignus. Vt enim in suis conuentibus beneficia Dei potissimum solenniter commemorantur, ita par est, ut omnium animi ad agendas ipsi gratias, atque orandum spiritum pro ipsius arbitrio uiuendi, accendantur.

In conclaui.

Veruntamen cum oratio sit serium & ardens animi cum Deo colloquium, quo tam pro receptis beneficijs ipsi gratias agimus, quam porrò beneficentiam eius oramus, secessum amat, uel maxime. Ita Christum subinde secessisse Euangelistæ commemorant: & Petrus Ioppæ oraturus, in superiorẽ partem ædium ascendebat. Act. 10. Certe ut ingens Dei contemptus est, siue uerba ad ipsum sine mente fundas, hoc est, nequaquam ores, sed orationem cum irrisione Dei simules: siue etiam citra uerba uagis cogitationibus rapiaris ad negotia carnis, ubi institueris colloqui cũ Deo, ita profecto danda opera est, ut quammaxime uacua humanis rebus mens sit, ubi sit septa est ad Deum precatio. Nihil enim debet nobis æque uerendum esse atq; conditor noster Deus, nihil æque ardere nos par est, ac indulgentissimum hunc patrem nostrum: nihil tam optabile nobis haberi conuenit quàm quæ ab illo oranda nobis sunt, bonus nimirum, & rectus spiritus: denique non est, quod ita animum nostrum, ut eius in nos bonitatis memoria, iure rapere debeat, ideo si illico ad alia animus di-

Quid oratio.

Quantũ piaculũ sine mente orare.

labi

A labi poterit,argumentum sanè est,animi parum adhuc Deum cognoscẽtis,eoq; fide nimium infirma præditi. Proinde cum fidem & cognitionem Dei plus nimio obfuscet terrenarũ rerum cogitatio,& illa rebus obuersantibus carnalibus nequeat non obrepere,præstat sanè cum libet orare,ab omnibus,non hominibus tantum,uerum etiam,quoad fieri possit,rebus uniuersis secedere. Quare & Dominus noster,eiusq; exemplo sancti,nocturnum potissimum tempus ad precandum sibi delegerunt. Vt in conuentu ecclesiæ succedat oratio efficit,uerbi Dei depredicatio, & pariter orantium exemplum:dum enim ibi ab omnibus ad Deum secedit̃,frequentia ea ualet ut plenius mens ad Deum subuehatur.

Secessus necessarius ad precandum.

Primum igitur ad digne precandum necessarium fuerit mentem ab omni alia cogitatione auocasse:quod sit cum Deo,non nisi & præsentissimo & ardentissimo animo colloquendum,nisi malis irridendo Deum ipsius iram, quàm orando gratiam referre. Proximum, diligentissime beneficia ipsius, quæ cum uniuerso hominũ genere, tum peculiariter nobis contulit, atq; quotidie confert expendisse:quo accensus,scilicet,animus noster, totũ se in gratiarum actionẽ, laudemq; optimi patris effundat. Tum plena fiducia pro se & aliis ea præcari, quibus quisq; uiderit ad id, ut nomen Domini in nobis sanctificetur opus esse. Postremo sanctis se uotis uoluntati Dei totos nos consecrare & addicere. Ad hunc certe modum uidemus plurimos psalmos cõpositos: & subiecta quoq; à Domino precandi formula,cum præmittit petitionibus,pater noster qui es in cœlis, paucis quidem uerbis, amplissimã tamen diuinæ erga nos dignationis commemorationem continet: qua, scilicet, miseros nos, æternus & cœlestis pater in filios,& hæredes cœlestis uitæ adoptauit,quo profecto, ut nihil diuinius, nihil est beatius, ita in eo uniuersa Dei beneficia abunde comprehensa sunt.

Ipse animus dictator orationis.

Accenso ita animo memoria bonitatis patris, & gratiarum actio,& petitiones ul-
B tro sequuntur,sed ut illam non nisi cor ipsum degustata Dei bonitate recte dictauerit,ita istas nihil cõmode suggerere,quàm probe cognita necessitas poterit. Has uero animus tum non aliter ordinabit, atq; formula Christi præscribit: ut quæ ad gloriam Dei faciunt,in primis precemur,quæ contra,in primis item deprecemur:& secundo demum loco,quæ ad uitam præsentem pertinent. Quanq; quid in his, quæ quotidie nobis accidunt,ac pro quibus benignitas patris pulsanda est, quando etiã plus incumbendum sit gratiarum actioni, quãdo petitionibus, facile animaduertet animus actus diuino spiritu. Hinc nunc potissimũ pro ualetudine, nunc pro depulsione inopiæ, nunc contra hostem domino supplicabit. Ita si maior fuerit sensus beneficiorum,multus erit in gratiarum actione, cuiusmodi plerosq; psalmos compositos uides, ut 9.16.18.ac alios plurimos. Si uero præsentius pressserit necessitas,multus erit in quẽrẽdo & petendo,ut psal.3.5.6.7.cum minime paucis aliis indicant. Sed quid de his uerba prodigo? res spiritalior est precatio uera, quàm ut possit nostris uerbis deliniari,nedum exprimi.

Verum ne hoc præteream,uerbis in oratione locus nullus est,nisi forte ardentior animi affectus in illa insciens quodãmodo erũpat id quod multis sanè accidit, dum uehementibus animus cogitationibus agitatur, ut etiam nemine præsente eadem ore loquatur,quæ cogitat. Ita nisi è corde uerba ebulliant, quæ nimio, scilicet,affectus ardore, nihil loci in precatione habebunt. Est enim oratio colloquiũ cum Deo, qui nullum gratius quàm cordis sermonem audit,uerbis non habet opus. Verborũ tamen usus est,ubi publice precatur,imò precantibus præitur:nam æque precationis atq; alios animi cogitatus atq; affectus,per uerba significare nos hominibus atque exprimere oportet. Sed tum aliorum caussa uerba adhibentur, quibuscum aliter non possumus agere,non nostri uel Dei. Denicq; legere,aut canere etiam apud se solum Christianus cum fructu,cum psalmos,tum alias sanctorum preces poterit,nõ

Quatenus ad orationem uerba.

In publico precantes uerba adhibent.

tam autem ut eadem legendo uel canendo oret, quam ut se affectus, quibus sancti c
arserunt, admoneat, atq; inde & sibi ob teporem suum displiceat, & simul non nihil
ad precandum accendatur.

Cur in eccle/sia psal. & publicæ preces.

In hunc certe finem psalmi & aliæ publicæ preces in ecclesiæ dicuntur, quo populus moneatur, ut sancti Deo fisi sunt, ut opem Dei cum fiducia orauerunt & exorauerunt, utq; totos in gratiarum actionem & laudem Dei sese effuderunt, atq; ita exemplo ipsorum ad similia accendatur. Deinde & quæ aliæ precationes publicæ recitantur, atq; à presbytero pro ecclesiæ necessitate formantur, eadem caussa, nimirum ad excitandos populi animos, ut suam necessitatem agnoscant, atque Deum ut illam reuelet penes se orent, institutæ sunt. Ex his iam utcunque liquere potest, quæ sit ueræ precationis natura, quibus rebus paretur, & quatenus ad eam uerba pertinere possunt: denique ut nihil minus quàm precationes ad Deum sunt, quæ hoc nomine à prepostere relígiosulis, sine spíritu & mente, magno sanè & diu iam diuenditæ sunt.

Quomodo prouocanda oratio.

Neq; obscurum hinc est, esse superstitionem grauem, tempus certum, modumq; & locum orandi singulis præscribere, imò præcipere, ut omittere aliquid noxa habeatur letalis. Quæso cui mortalium in manu erit, alij gaudendi, uel tristandi, uel alijs affectibus ardendi, tempus locum ac modum necessarium statuere, cum ne in ipsius quidem hominis manu sit, affici pro arbitrio? Nam sine ardentissimo animi desiderio, sineq; flagrantissimo spei & gratiarum actionis erga Deum affectu, quid aliud, quàm infanda Dei irrisio est, præsumpta precatio? Quid enim aliud est orare sine desiderio, & gratias agere sine sensu beneficij, quàm gaudere sine gaudio, dolere sine dolore? Quis iam & ipsa spiritalium rerum immittet desideria, quis desideriorum statuet modum, nisi spíritus? Huius igitur solius erit ad orandum mouere, orationisq; modum statuere, quod quicunq; mortalium conatus fuerit, hypocritas inuisos Deo reddet, precatores Deo gratos non reddet. Proinde nos ad orandũ neminem aliter poterimus prouocare, quàm si illi quam diligentissime & luculentissime, & suam necessitatem atq; miseriam, & Dei omnibus petentibus expositã bonitatem & indulgentiam ob oculos posuerimus, si tum adfuerit nomen Christi, & ut ijs quæ ei prædicauimus fidem habeat, effecerit, sicut sentiet iam, quàm miser sit, & quàm maxima necessitate pressus, ita nequibit non ardentissime opem implorare Dei, quem credit benigne adeo miseros audire: utq; multum suam miseriã agnouerit, ita multus quoq; erit in precando.

Ita Paulus & sancti alij, quod suam & aliorum necessitates, inopiamq; gloriæ Dei tam in ipsis quam in alijs semper ante oculos haberent, plurimũ in orationibus fuere. Indeq; est, quod Paulus suos ubiq; tantopere hortatur, ut precationibus instent: nimirum optans, ut in se sæpius descenderent, suos & aliorũ morbos agnoscerent, Dei ineffabilem bonitatem probe pensarent, atq; ita desiderio uitæ nouæ, ac secundum Deum institutæ, magis ac magis flagrarent, hoc est, continuo plus hominẽ exuerent, & Deum induerent. Hoc certe sibi ista uolunt: Precationi instate, uigilantes in ea cum gratiarũ actione, Ro. 12. & Colloss. 4. Indesinenter orate. 1. Thessal. 5. item 4. Philipp. De nulla re solícíti sitis, sed in omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum.

Cur crebro orandum.

Neq; uero istis ad solum perpetuũ illud gloriæ Dei desiderium, quod iuge apud Christianos esse debet, hortatur, quod incõsulti quidã scripturæ Euangelicæ esse, & dici Christianã orationem, docuerunt: imò monet, ut creberrime, & quoties omnino licere possit, à turbis & negotijs hominũ secedamus, statis precationibus incumbentes, quales ipse continuo habebat, Deo cõmendans ecclesiarum & fratrum necessitatem. Propter has utiq; tanto attentiores habendas, & à congressu connubiali, & delitijs ciborum subinde abstinendum, hoc est, ieiunandum erit, cuius memi-

Statæ preces orationes dicuntur.

rit

A nit Paulus.1,Corinth.6. Et infra.17.dicit Christus, genus quoddam Dæmoniorũ nõ eijci nisi ieiunio & oratione, hoc est, intentissima oratione, ad quam quis ieiunando, atq; ab omnibus negotijs carnis se subducendo pararit, ut digne cum uno Deo possit agere. Ita legimus Paulum & Barnabam cum ieiunijs precatos, cum fratres Domino commendarent. Acto.14. Quid? Vbicunq; scriptura orationis meminit, non aliter de ea loquitur, quàm ut est status secessus mente ad Deum: & nunquam uocat hoc nomine,solum illud gloriæ Dei desiderium,quod iugiter in animo sedere,ac primas in omnibus actionibus nostris tenere debet.Id potius amor Dei,timor Dei,quærere dominum,quęrere regnum eius,& id genus nominibus in scripturis appellatur.Oratio enim plus est, serium,scilicet,ut diximus, cum Deo colloquium, quod secluſis alijs negotijs solum habeatur. *Ieiunandum ad precem.*

Quod ut rarum hodie apud eos qui Christi uideri uolunt, habetur, imò à multis quid sit, ita cum Deo colloqui,& suam apud ipsum necessitatẽ deponere, ignoretur, certum argumentum est,peccati sui istos, & simul bonitatis Dei, tenuem adhuc cognitionem esse consecutos: præsertim cum uideant tantum diuini nominis ubiq; contemptũ,tamq; sæuã in Euangelion Christi & eius professores intendi persecutionem,tantaq; passim scelera regnare,& Euangelicissimos quoq; plurima infirmitate circundari.Neq; obscurum præsagium hic stupor est,magnæ ultionis Dei imminentis,quòd mala nostra ipsi adeo non sentimus,gratiamq; iudicis irati,orare & enixissime quidem ,cessamus. *Torpor orandi malũ præsagium.*

Postremo ne cui nomina obscuritatem pariant: Paulus.4.Philippen. loquens de precatione,hæc ponit: προσευχὴν, δέησιν, εὐχαριστίαν, αἰτήματα, ἔντευξιν, id est,precationem,obsecrationem,gratiarum actionem, petitiones,interpellationẽ,inter quæ discrimen aliud non uideo, quàm quòd obsecratio uehementiorem precationem significat,& petitiones simplices expositiones sunt earum rerum, quas potissimum à B Deo oramus:interpellatio uero, cum pro alijs oramus, ita ut quodãmodo aliorum necessitatem, nostram faciamus,neq; aliter pro ea subleuanda oramus, quàm si nos ipsi ea premeremur,quo pacto intercedimus inter Deũ & illos,pro quibus oramus. Vnde & Paulus hac usus est, cum hortatur orare pro alijs hominibus, & magistratibus. Gratiarum actio nota est, quæ quò fidentius & ardentius oretur, nunquam abesse à precatione debet. *De nominibus orationis*

Ebraice oratio subinde appellatur תפלה id est,Thephilah,quod nomen iuxta originem suam, quasi iudicij uel condemnationis deprecationem uidetur significare:sicut תחנה id est, Techinnah, gratiæ precationem & uehementiorem supplicationem, quorum alterum uel utrunq; semper oratio agit: utrunq; autem nomen promiscue pro eo, quod nos orationem, precationem, obsecrationem uocamus,in scriptura passim leges.

Ex his iam abunde patet,quis orandus sit,nimirum solus Deus,pater noster:solus enim potest dare spiritum salutis, quem & nobis & alijs potissimum orare conuenit, ac bona reliqua omnia.Ad hæc nemo ita nobis ut ille fauere poterit,ut qui prium pro nobis filium dederit in mortem: neque quisquam æque esse misericors etiam in nos peccatores. Neq; obscurum est,fide orandum esse, eoq; per Christum cuius solius pro nobis satisfactione freti, Deum exorabilem nobis esse possumus confidere & inuocare patrẽ.Denicq; & pro fratribus orandũ esse liquet,quãdo ipsos perinde ac nos debemus diligere. *Quis.* *Fide orandi.*

De mortuorum sanctorum pro nobis interpellatione,quia scriptura nihil pollicetur,nihil quoq; erimus soliciti,magisq; dabimus operam, ut nos Deum oremus q̃ ut ambiamus diuos qui orent pro nobis,præsertim cũ de statu ipsorũ an nos audire possint, uel secus,nihil certi habeamus. Præsentibus sanctis loqui possumus & scribere, ut pro nobis orent;quod tamen nequaquam ex diffidentia diuinæ exauditio- *Intercessio Sanctorum.*

nis fieri debet, quasi Deus nos propter nostram indignitatem minus audire uelit, si ipsum etiam soli oremus: sed ex ingenti eorum, quæ petimus desiderio, quo, scilicet, optemus uniuersas creaturas idem petere. Nam in omnibus precationibus nostris caput esse debet: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum, quæ sanè ab omnibus petenda sunt. Sic Paulus identidem fratres hortabatur, ut pro se orarent, sed tantum quæ ad gloriam Dei faciebāt: nempe, ut aperiretur cum sibi tum alijs ostium ad prædicandum Euangelion, ut curreret sermo illius, faceretq; fructū, & huiusmodi. Pro mortuis orare, neq; Christus, neq; Apostoli iusserunt, qui tamen nihil salutare tacuerunt: non uideo igitur, qua fide orare pro ipsis possumus, præsertim cum nesciamus, an iuuari nostris precibus queant. Certe de Purgatorio futuri seculi scriptura ne uerbum quidem habet.

Pro mortuis sine fide orantur.

Irrepserunt pridem in ecclesiam hæc duo, ut diuos, quos apud Christum agere credimus, homines priuatim & publicè inuocent, ut pro ipsis intercedant apud dominum, & ut defunctis, de quorū salute perfecta incerti sumus, orent quietē à domino, elargientes ad memorias eorum eleemosynā, idq; præcipue apud sacrā Eucharistiam: postea instituti in hoc psalmi sunt, lectiones, antiphonæ & responsoria, mox & alia adiecta sunt. At in Apostolicis literis, & primæ Ecclesiæ obseruatione nihil huius legitur. Et in utroq; magnū est ueræ fidei periculū: ita ut publicā & ingentem sanè fidei iacturā ex utroq; inuēto fecerimus. Nam uulgo cœperunt meritis sanctorum apud Christū nūc uiuentiū, fidere potius, quàm Christo ipso. Id clarissime multi de se ipsi testantur. Nam impurissimi quiq; hodie patronos sibi deligunt ex diuis, quos ut pro se apud Deū intercedant, orant: ieiunant in profesto illorū, feriantur in festo, ornant idola eorū. Et his se uolunt effecisse, ut diui illi omnē quā ipsi merentur iram Dei ipsis auertant: & Dei benignitatē in omnibus rebus impertiant: sicq; securi de iudicio Dei, in omne genus scelerū incurrunt continuo. Qui cultus diuorum, quo obsecro differt à ueteri Ethnicorū superstitione erga suos Deos? Quæ aūt est hæc diuorum contumelia, quos isti faciunt patronos uitę tam sceleratæ? Illi dum hic uiuerent, scelestos homines ad pœnitentiā uocabant: impœnitentes in nomine Christi ecclesia eijciebant, & nunc, scilicet, in cœlis fouebunt eos, impetrata scelerū, & impunitate, & materia. O miserandā cæcitatem & ignauiam pastorū nostrorum, quos adeo nihil mouit tot iam seculis ista superstitio grauissima, adeo ut pleriq; eā, quum quæstui ipsis esset, promouerint pro uiribus.

Sed dicet aliquis, tollatur hic abusus, & inuocatio sanctorū, ut pro nobis intercedant, non damnetur. Qui hanc rem tanti faciunt, quæ tamen in scripturis nullo ne exemplo quidem cōmendatur, & tantum dedit damnū, hos uelim in se descendere, & seipsos exquirere, cur tanti eis sit istā sanctorum defunctorū quærere intercessionem. Nemo quicquam uelit facere frustra, maxime in religione premit aliqua calamitas, quā peccatis meritus es, nō satis tibi est, quod ait Dominus noster Iesus Christus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos? Item quod de eo Ioannes prædicat: Filioli, si peccauerimus, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christū, & hic est propitiatio pro peccatis nostris? Non sufficit hic patronus, qui pro peccatis tuis mortuus est, ut apud patrem tibi impetret omnia? Si uero sufficit, cur non ad hunc primum confugis? Cumq; nemo diuorū potest ita clementer te audire, ita prompte exaudire, & tam certo conficere tibi apud patrem omnia, ut ipse Dominus, cur non hoc solo patrono contentus es? Quòd præsentes inuocas, ut non tam pro te quàm tecū orent, ex ea affectione ingenij nostri est, qua dum ardemus aliquo affectu, uelimus totū mundū unà sic affici, deinde commendamus fratribus hoc pacto eam rem, pro qua oramus, quæ, scilicet, semper in gloriā Dei facere debet: diuos cum iam sunt extra societatem nostram, nemo ueterum sanctorum, quos nobis scriptura commendat, inuocasse legitur.

Posteriores

A Posteriores fateor ex affectu, quo cupimus omnem creaturam nobiscum petere, quod serio à Deo petendum ducimus, cœperunt etiam ad diuos usq; hunc affectum attollere, grauissime tamen damnarũt, si quis prius sanctos quàm Christum, aut sanctos maiore quàm Christum fiducia: & ideo etiam sanctos inuocaret, quòd diffideret Christũ etiam sine sanctorũ intercessione se auditurũ, & impetraturũ omnia. De quo admodũ religiose præcipit D. Chrysostomus in Homilia de muliere Chananitide, & D. Augustinus, de uera religione, & multis alijs locis. Oremus itaq; in omni necessitate, & semper plena fiducia patrem nostrũ in cœlis per Christũ dominũ, & hæc ipsa fiducia atq; seria oratio eam sentiet bonitatẽ atq; facilitatẽ in patre, & seruatore nostro Iesu Christo, adeo percipiet ab eo, quæ petit, cumulate omnia, ut facile ab omni superstitione erga diuos sit futurus alienissimus.

Defunctorum cura irrepsit ex eo, quòd cum nostri sint, nec nouimus ut habent, & est amor res plena timoris, pro ipso dilectionis ingenio non possumus eis non bene precari à domino. Hoc quicqd est officij, supra modũ quoq; inualuit, & si ipsum nullũ prorsus in omni scriptura uel præceptũ, uel exemplũ habeatur. Precum quidẽ Machabęorum & oblationis habent mentionem, sed eo libro, cuius fides priscis incerta fuit. Et quo puritas fidei & dilectionis synceritas magis inclinauit, hoc istuc officij, sicut & inuocatio Diuorum amplius obtinuit: maxime uero postremis hisce temporibus cum tota Euangelij administratio pœnitus intercidit. Quo nomine merito suspectum pijs utrunq; inuentum est, præsertim cum nullæ aliæ res adeo seruierint & impietati isti immanissimæ, qua humanis meritis peccatorum expiatio tributum est: tum etiam quæstui sacrificulorũ, & malis omnibus, quæ hic quæstus intulit & fouet, atq; istuc studium erga defunctos, quorum alios uolumus nobis placare, alios uero iuuare. Nam uulgo omnis propè spes salutis posita est in intercessione diuorum, & suffragij quæ uocant mortuorum. Quæ hinc iam de purgatorio commenta extiterunt, horrendum est meminisse.

B Sic cum res habeat, Christianus suam salutẽ, & in uita & in morte uni Christo cõmittet, certus abũde huius se præsidio, & in hac, & in futura uita ab omnibus malis tutũ, solidæq; fœlicitatis cõpotẽ fore. Diuos qui hac fide nihil prius habuerũt, studebit sedulo æmulari, nihil dubitans dum Christi fuerit, & hos ipsius fore, sicut totus mundus eorũ est qui Christi sunt. 1. Cor. 3. suã uero beneficentiã exhibebit proximis, & ijs proximis, qui ea frui possunt: hoc est qui hic unà degũt. Nam omnis nostra hic beneficentia consistit in docendo, monendo, hortando, consolando, cibando, potando, uestiendo &c. quibus præsentes in hac uita tantum iuuari possunt. De orationibus quũ illæ nituntur ultronea misericordia Dei, nec habent de defunctis hac uita promissionẽ, quid opis polliceare tibi te orãdo illis allaturũ. Oratio dominica, quæ est forma princeps omniũ nostrarũ precationũ, qua cũ nobis ipsis, tum alijs precamur, quæcunq; petenda à Domino sunt. At hæc uiuos modo respicit. Ita eleemosynæ in gratiam Dei & usum præsentium elargiendæ sunt.

At mouet exemplum ecclesię prisce, nõ creditur in publicã recipi obseruationem ecclesię, quod ratione careat. Hic aũt perpendendum erat, quòd res ecclesiæ nunquã tam bene habuerint, quin labes aliquæ etiã in publicum usum ecclesiæ irrepserint. Id Apostolorum tẽpore accidisse, testis est epistola ad Corinth. prior, & aliæ. Idem patrum memoria euenisse queritur D. Augustinus ad Ianuarium, & alij patres: ut iam posterioribus tẽporibus ecclesia habuerit, legatur D. Bernardus, & considere tur ut hodie habeat ecclesiarum œconomia. Ad hæc quàm longe recessimus ab eo quod sancti prisci detulerunt isti affectui pro defunctis? quàm obruimus omne genus superstitionibus id quod obseruarunt ueteres? Adhæc utcunq; ista obseruatio unquam habuerit, certum tamen est ex omni fide sanctorum cuiuslibet temporis, & ex omni scriptura, impium esse, quicquid ex eo suscipitur, quod non uni Christo

tribuitur,omnis pro peccatis nostris satisfactio,& quicquid à nobis fit,non certa ni C
tens promissione Dei. Perstemus itaq; in ea fide, quæ Christum unum nostrum ad
patrem intercessorẽ agnoscit, quæq; per dilectionẽ proximo fit omnia,& per se con
cident & euanescent superstitiones,cum hæ circa cultum diuorum, & suffragia de/
functorum, tum aliæ omnes. Id largiatur nobis primus pastor & episcopus ani/
marum nostrarum Iesus Christus,Amen.

Vulgi error. Ad hunc modum orate uos:Pater noster qui es in cœlis.) Nota,ad hunc,inquit, modum orate,non hæc uerba,ut stulte uulgus hactenus persuasum fuit, existimans se,cum hæc uerba demurmurasset,egregie orasse.Qui ad eam denicp insaniam pro/ lapsi sunt,ut diuos etiam, hac prece uoluerint demereri, certo numero unicuicp di/ uorum repetitam eam,uice donarq; offerentes. Oratio,ut diximus, mentis,non oris opus est,quare in uerbis nequaquam erit sita: necp quibus oremus uerbis, sed quæ animi petamus affectibus,hic docemur.Primum aũt qua petamus fiducia,uticp qua filij solent orare patrem indulgentissimũ,& filij ad cœlestem hæreditatem regeniti, patrem item cœlestem,qui non solum quocp optimo melior sit, sed etiam hoc abun de in nobis declararit,pro quibus,scilicet,in hanc cœlestem dignitatem filiorũ suo/

Qua fiducia et fratrũ dile ctiõe orandũ. rum adoptandis,unigenitum suum tradiderit in mortem.Hanc tantam benignita/ tem eius,suauissime refricat,breue hoc exordium, imò appellatio sola: Pater noster qui es in cœlis: atcp hoc ipsum fidem impetrandi quiduis, quod modo cœlestes fi/ lios à cœlesti patre orare deceat,mirum in modum erigit & cõfirmat. Denicp quod docet,dicere pater noster,non solum,mutuam fraternitatis dilectionem cõmendat: sine qua,scilicet, nihil Deo potest à nobis gratum fieri, ut superiori cap.Christus te/ status est.Itacp si obtuleris munus tuum &c.Et infra. 18.Sic & pater meus cœlestis fa ciet uobis,si non remiseritis suo quisq; fratri de cordibus uestris,delicta eorum. Sed fiduciæ & charitatis ardentem quandã requirit professionẽ:quæ in omnibus quocp D sanctorũ precibus quas scriptura memorat,leguntur.Deus meus,dicunt, rex meus, spes mea. Sic certe liberi solent orare parentes suos, pater mi, inquiunt, ô mea ma/ ter.Et hic si Dominus unũ aliquem orandi formam docuisset,iussisset indubie dice/ re eum.Pater mi,nunc cum omnes simul rogassent quomodo orarẽt, expressit eam formam,quæ est commoda multis unà orantibus ô noster pater.Etenim obstant no bis peccata nostra, ut cum patrem eum agnoscimus sanctorum,dubitemus tamen uelle eum esse etiam nobis patrem. In primis igitur hanc patris bonitatem nobis cõ mendat,& filialem in nobis erigit fiduciam. Quancp cum Apostolos sic tanquam unà oraturos docuit formam orandi,quæ est simul orantium multorum, cõmenda/ uit & hoc nobis,in isto noster,quod uno spiritu cõmunes preces ad Deum pro com muni omnium salute fundere debemus. Admonent ergo paucula hæc uerba, pri/ mum,Deum uelle esse patrem nostrum, quo quid possit cogitari uel nobis optabi/ lius,uel Dei bonitate decentius? proximum, patrem illum cœlestem esse,qui omni terreno benignior sit.Præterea,nos cœlestis patris filios, cœlestia duntaxat debere quærere.Denicp patrem nostrum omnium, ut quemadmodũ ipsum, qui summum bonum nostrũ existit, cõmunem habemus: ita multo magis omnia alia habeamus communia. Quanquam,ut dixi,cum discipulis in commune sit locutus, eocp non quadrarit docere eos dicere, pater mi,sed noster. Voluit magis affectum fiduciæ fi/ lialis, per nomen hoc (noster) commendare,ut,scilicet,orantes memorarẽt & certi essent,Deum etiam ipsorum uelle patrẽ esse,eoscp non minus,quàm quoslibet san/ ctos alios exauditurum:fraternitatis tamen simul in eo admonuit,quod ita in gene re non unumquencp priuatim orare docuit.

Sanctificetur nomen tuum.) In septem petitiones,uulgo hanc orandi formam di stinguere solent,equidem abunde secasse eam existimo, ac satis lucis intulisse, si in precationem & deprecationem partiar. Precari enim quædam, & rursus quædam depre/

A deprecari,per eam docemur.Precari uero tam ſpiritalia,quàm corporalia.Spiritalia quæ precari Chriſtus docet,ſunt,ut Deus in reformatis nobis ad ſuam uoluntatem regnet & glorificetur.Corporalia,ut donet quibus ad preſentem uitam degendam in diem opus habemus.Deprecari autem tantum ſpiritalia mala,præcipue quidem, hac precandi forma docemur .Ea ſunt remiſſio peccatorum,& cuſtodia à tentatione,ne peccemus, néue diabolo obnoxij reddamur:cui deprecationi tamen corporalium malorum,quibus diabolus electos exercet,deprecatio coniuncta eſt, ſed nõ niſi quatenus ea nobis uere mala, & nocentia fuerint. Non raro enim externa iſta mala mire nobis proſunt,ſed uerbo ad uerbum ſingula explicemus. *Summa precationis Dominicæ.*

Sanctificetur nomen tuum, perinde eſt, atq; da,ut celebris ac glorioſus ſis in terra,ut adorent te uniuerſæ familiæ Gentium,ut ſit nomen tuum glorioſum,& benedictum apud omnes Gentes,de quo.8.Pſal.canitur.Etenim ubi per fidem cognoſci tur Dei nobis tam benigne per Chriſtum expoſita bonitas,tum demum à nobis rite glorificatur,& uere tanquam Deus adoratur, glorioſumq; & magnificum nomen ipſius deprædicatur,id eſt,ſanctificatur. Vnde Ieſaiæ.52.Et nunc quid mihi hic dicit Dominus:Quoniam ablatus eſt populus meus fruſtra,dominatores eius faciunt illum ululare,dicit Dominus,& continuo omni die blaſphematur nomen meũ. Propterea ſciet populus nomen meum , propterea in die hoc, quum ego ipſe uerba facio,en me.Quã pulchri ſunt ſuper montes pedes prædicantis, annuntiantis pacem, &c. Ecce dum populus Domini captiuus ſub iniquis dominatoribus tenetur,& benignitas Dei in eo non magnificatur,impij ſibi omnia arrogãt,& nomen Dei, ſuos ut uidetur deſerentis, blaſphemant, dicentes identidem, ubi eſt Deus eorum? Vbi autem uirtutem ſuam ſaluatricem exerit,redimitq; populum ſuum,quod per Chriſtum præclariſſime præſtitit, & per Euangelion fecit ubiq; annuntiari,nomen eius
B ſanctum & terribile agnoſcitur & prædicatur,ipſeq; in gloria ſua præſens agnoſcitur.Ad hunc ergo modum,ut per Euangelion & cognitionem gratiæ ſuæ,in ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto nomen ſuum, pater glorioſum reddat, docemur hic orare. Idq; multis ſanè Prophetarum oraculis,qui ita futurum prædixerunt: admodũ clarum eſt illud,quod Ieheskel.39.habet:id adſcribere libuit: Et nomen meũ ſanctum notum faciam in medio populi mei Iſraël, & nõ profanabo amplius nomen meum ſanctum:& ſcient Gentes quoniam ego Dominus,ſanctus in Iſraël.Hoc quid aliud eſt:quàm reddam nomen meum glorioſum & auguſtum,cum iam paſſim agnoſcetur,quod ego Dominus ſum, ſaluator populi mei . Cæterum ſanctificari idem eſſe, quod crebre & auguſtum reddi,uel ex eo liquet quod Moſ.2.legitur : Et benedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificauit eum,id eſt,celebrem & ſacrum reddidit.

Adueniat regnum tuum.) Ad priorem petitionem hæc cõmodum ſubiecta eſt. Cuius enim bonitas celebris iam & illuſtris eſt, hoc eſt, nomen ſanctificatum, huic ſtatim omnes ſeſe addicunt,& regnum ſuper ſe deferunt. Ita cum Euangelium fide receptum eſt, illico addicimus & conſecramus nos patri cœleſti per Ieſum Chriſtũ. Regnum autem ſuper nos tamen plane obtinet, dum ſuo nos ſpiritu agit,ut fratribus in gratiam ipſius pro uiribus inſeruiamus. Hanc connexionem ſancti nominis Dei & regni eius,Ieſa.quoq; cum alias,tum.11.& 12.pulchre declarat.Poſtquã enim multis de futuro Dei regno per Chriſtũ uaticinatus eſt,ait.12.Et dicetis in die illa,ſcilicet,regni Chriſti,Cõfiteamini Domino,inuocate nomen eius,nota facite in populis ſtudia eius,in memoriã reducite,qa exaltatũ eſt nomẽ eius,pſallite domino,quia magnificã fecit ſcientiã hanc in omni terra,iubila & exulta habitatrix Tzion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël. Vide cum exaltatur nomen Domini,ſimul etiã eſt in medio noſtri,facit mirabilia ad ſeruandũ nos, hoc eſt,regnat ſuper nos. Ruſus etiã ubi benedictũ hoc Dei regnũ apud nos fuerit reſtitutũ, ac iam per fidẽ Deo *Quid regnũ Dei.*

præsente,quí malís nos omnibus líberet,bonís cũctís cumulatíssime dítet,fruímur: ut præ ípso níhil esse omnía probe agnoscímus, ín ípso autem níhil nobís, quod ad consummatíssimã fœlícitatem pertíneat, desíderarí, ita quíd alíud possemus quàm hæc ípsi confíteri, & tantam ípsíus ín nos bonítatem, ubícp testarí & prædícare,ac omnibus commendare? Quantocp latíus huíus regní pomería, Domíní dígnatione,apud ínfœlíces alíoquí mortales proferrí contíngit,tanto magís necesse est,ut ín laudem eíus & íubílum quendã erumpamus, quotquot gloríam ípsíus quí in medío nostrí regnat,charam habemus?

De regno hoc passím in Psalmís & Prophetís multa præclara legímus. Est enim regnũ íustítiæ atcp æternæ cum líbertatís, tum fœlícitatís:quod Chrístus donec ultímus hostís,mors cõfícíatur, ín electís per spírítum suum adminístrat.In hoc regnũ per fidẽ recipímur:dílectíone,ut germano regní huíus ínsígní, & actu proprío,eíus cíues esse nos, comprobamus. Regnũ est quod ablatum à Iudæís, electís ex Gentíbus,fructum eíus facientíbus concredítũ est,ínfra. 21. Hoc est,ínquã, regnũ cœlorũ, ad quod per Euangelíon ínuítamur, quod prídem mísería nobís appropínquauít. Vtínã uere sic adueníat síngulís,quo líberatí à seruítute peccatí, sub Chrísto Rege nostro líberí & beatí,solída fide & operosa charítate degamus, donec hoc regnum æternί patrís ín nobís prorsus perfícíatur,& sít ípse omnía ín omnibus.1. Cor.15.

Fíat uoluntas tua quemadmodum ín cœlo,sic etíam ín terra.) Vt nomen Domíní magnífícetur,hoc est,ut gloríosa Dei bonítas passím agnoscatur & adoretur,prima petítío fuít:proxíma,ut adueníat regnum eíus, quod,scílícet,consequens est. Agnítæ enim bonítatí eíus, quís se non crederet,ípsumcp Regem per fídem recíperet,ac mallet sub sceptro ípsíus saluífico, líber & beatus agere, quàm Satanæ pernícíoso ímperío míser seruíre? Sed dum negotíum semper nobís hoc molientíbus caro facessít,& ab hac gratíæ líbertate, rursus ín peccatí seruítutem retrahít, ípsa necessítas extorquet consequenter nobís & hanc tertíam petítíonem: Fíat uoluntas tua, &c. Quasí díceremus:Orauímus ut regnum tuum Deus, regnum cœleste, scílícet, adueníat,ut eíecto per Chrístum tuum fortí armato, te unum Regem nostrum adoremus & sequamur: hínc caro nostra nos nímíum uíolenter reuocat & remoratur, da ergo, postquam ín cíues regní tuí, regní cœlorum assúmere nos dignatus es,ut íta ín terra uoluntatí tuæ ex anímo obtemperemus,quemadmodum íllí ín cœlo,ín planè spírítualíbus tuís mentíbus, ín quíbus plene regnas, summa cum uoluptate obtemperatur. Ne sít ergo in nobís tam potens lex illa membrorum, legi tuæ repugnans:facessat uís prauæ cõcupíscentíæ,quæ efficit,ut bonum quod uolumus, facere nequeamus,& faciamus malum quod odímus.Rom.7. Da bonam íllam uoluntatem, ut spontanei & lubentes ad tua mandata per omnía nos comparemus, quod certe Psal.110.de tuís prædíctum est: Populus tuus (canít Vates Chrísto tuo) spontaneas oblatíones offeret,uel,ípse spõtaneus aderit, ín díe uírtutís tuæ,cum sancto decore resplendebís,aderit mane de utero,uelut ros quídam iuuẽtus tua. Nam ubí dies uírtutís & gloríæ Chrísti,reuocato ípso à mortuís,exortus esset,cumcp ípse summus sacerdos noster emísso spírítu sancto, ín sancto decore suo & magnífícentía apparuísset, uere populus eíus, electí Apostolí & alíj, cum seípsos, tum alíos ínnumeros, uelut mundos agnículos, & spontaneam oblatíonem, ípsí consecrandos patrí, adduxere: & mox prodíjt ex utero sanctorum Apostolorum íngens turba, regeneratorum per spírítum iuuentus Chrísti, quí exoríente díe salutís, & írradiante íam luce Euangelíj, ceu ros ín aurora decídens, omnía compleuerunt & fœcundarunt.

Cur orandum ut Dei uoluntas fiat.

Explicatur uersus ex psalmo.110.

Porrò quòd, sícut in cœlo, adíecít,admonens mentes cœlestes promptíssime patrís uoluntatí faciendæ íntentas esse, mutuatũ uídetur,ex Psal.103,ubí canítur:Laudate Deum cũctí exercítus eíus,mínístrí eíus,quí perfícítís placítum eíus. Vt enim

ísti

A isti norunt nihil posse, eò, quòd uoluerit Deus melius esse, ita summa alacritate exequendo illi student. Idem ergo ut nobis quoq; studium contingat, conuenit orare. His ergo constat precatio spiritalium, qua ea duntaxat precamur, quibus gloria Domini in nobis illustratur. Neq; enim poterit nomen ipsius apud nos quidem sanctificari & glorificari, nisi regnet ipse apud nos bono & saluifico suo spiritu, qui ubi apud nos obtinuerit, ad uoluntatẽ patris ita formet, ut nihil prius habeamus, quàm illi parere & omnibus obsecundare, nostram ipsorum uoluntatem continuo crucifigentes. Quur spiritale regnum Dei, ac sanctæ illæ mentes Deo in omnibus morigeræ cœlum uocentur, nonnihil diximus supra cap. 3. super illud: Aperti sunt illi cœli &c. Sequitur petitio corporalium.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.) Hanc dixi petitionem corporalium rerum. Vt enim his quoq; opus habemus, & ea non nisi patris bonitate nobis cõtingũt, ita par est & hæc ab ipso orare. Sunt qui per ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, id est, ut uulgo legitur, panem quotidianum, intelligant cibum animæ, quòd indignum putent nos tam cœlesti oratione petere eum panem, quem à suis parentibus accipiunt & Gentes. Sed cum Christus adiecit (hodie) quasi uictus solicitudinem circunscribens, ne, uidelicet, de crastino solliciti simus, malo cum Chrysostomo per panẽ hunc quotidianum, intelligere cibum, & alia necessaria corporis. Orantes enim spiritalem animæ cibum, potius addere debemus, in æternum, quàm hodie. Neq; non decet nos quamlibet cœlesti hac precatione, uictum corpori necessarium petere, cum cœlestis pater non ducat se indignum, illum nobis suppeditare, imò postulet eius solicitudinem sibi committi. Magna deniq; pietatis portio est, uictum corporis, certa fide à cœlesti patre orare, cum uideamus tam multis solam uentris solicitudinem obstaculo esse, quò minus Christum uere sequantur. Vnde priscos sanctos nequaquam puduit uitæ huius necessaria enixe à Deo petere, uti uel ex precatione Iacob, B 1. Mosche. 28. & Schlumoh. 1. Regum octauo liquet. Nec uerum dicunt illi qui istis S. patribus dicunt ignorata esse spiritualia Dei beneficia. Norũt ea & fruiti eis sunt quia uiderunt diem domini, & in æternum gauisi sunt.

Non indignũ temporalia à Deo orare.

Ergo per ἄρτον τὸν ἐπιούσιον intelligemus uictum, & quibuscunq; uita præsens opus habet. Hæc ut dona Dei sunt, & agentibus in terra necessaria, ita recte à patre nostro cœlesti ea orabimus, agnoscentes nimirum omnia esse à benedictione ipsius, sine qua frustra erit omnis cura & labor noster. Iuxta illud Prouerb. 10 Benedictio domini ipsa ditabit, idq; citra erumnam. Animaduertendum autem, quod Christus docet, orare panem nostrum, & quotidianum, idq; hodie. Per nostrum, resecuit quicquid superfluæ uoluptatis magis, quàm necessariæ fuerit frugalitatis. Noster enim panis est, quo commode & necessario ad pie uiuendum atq; fratribus inseruiendum alimur: non quo ad lasciuiendum, & tam nobis ipsis, quàm alijs pereundum, præter necessitatem luxuriamur. Per quotidianum, parabilem intelligi uoluit, adimens studiũ sumptusq; delitiarũ. Per hodie deniq; sustulit curã crastini, ut huius petitionis hic sensus sit: Ita nos pater condidisti, ut agentibus in carne cibo opus sit, quemadmodũ ergo necessarium illũ corpori fecisti, sic eum benigne suppedita: sed pro necessitatis portione, ut tantum nostro pane, qui nobis, scilicet, ex tua institutione competit, uescamur, & suppedita quotidianũ, parabilem tantum, qui ad manum sit, atq; alendo corpusculo commodus, exquisitas delitias non requirimus: denique hodie eũ nobis suppedita, crastino enim die te rursus orabimus. In diẽ enim nobis uiuendum est, quandoquidem tibi nunquam deest, unde nos alas & abunde de necessarijs nobis prospicias. At uero si quis à pane hoc corporali anagogam ad spiritalem faciat, spiritum, scilicet, quo ad sanctificandum Dei nomen, & ut obtineat apud nos regnum eius, faciendamq; uoluntatem eius uegetemur, cum eo nihil cõtendero, modo ne indignum filijs Dei putet à patre suo, etiam externa hæc quæ ipse promit-

Quid panis quotidianus.

promittere dignatur, oratione petere. Et agnoscat magnum gradum pietatis fe/ c
cisse eum, qui uere nouit, præsentia omnia sola nobis bonitate patris nostri cœle/
stis suppeditari.

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.) Hæc altera huius orationis pars est, qua, scilicet, deprecamur, & tantum quidem mala spi ritalia, ac quibus Deus offenditur: prius uero quæ iam commisimus, mox quæ pe/ riculum est, ut committamus. Sic sanè comparatam esse uitam nostram oportet, ut perpetuo in omnibus dictis & factis nostris ad Dei gloriam, frugem aliquã bonam adferamus proximis: nam diligere Deum, eoq; & mandatũ eius de demerendo pro/ximo implere ex toto corde, tota anima, ac cunctis uiribus, nobis ante omnia præce

Impossibilis peccatorum satisfactio.

ptum est. Hinc iam quiuis facile agnoscit, neminẽ adeo uiuere innocenter, qui non continuo peccet: quia nemo est, qui uel aliquando non friuola, nedum noxia fra/ tribus, & nomen Dei obscurantia, tum dicat, tum faciat, eoq; & cogitet. Quare no/ uis continuo debitis nos ipsos obnoxios reddimus, quibus soluendis prorsus non sumus. Quod enim uel momentum temporis, quo ita ut iure à nobis requiritur, di/ uinæ gloriæ studemus? Tam abest igitur, ut quæ ante contraximus debita, exol/ uamus, ut nullo tempore non noua insuper contrahamus. Eoq; nihil nobis reli/ quum est, quàm ne remitti debita clementer nobis, à patre nostro oremus, & id quidem omni momento.

Et quia indignum ut clementiam à cœlesti patre consequamur, si ipsi in fratres nostros inclementes simus, neq; par sit ut Deus tanta nobis debita remittat, si non ante debitoribus nostris quæ debent nobis, minima certe, & nullius momenti de/ bita, remiserimus omnia. Docet Christus, nostris debitoribus in primis ex animo debita remittere, ac ita demum orare patrem, ut quemadmodum ipsi debitoribus nostris iam remisimus sua debita, ita ipse quoq; uelit remittere nobis nostra. Non enim conditio, sed similitudo hic notata est. Et nota, cum nunquam non in hunc d
modum filijs Dei orandum sit, nunquam eos etiam debitis & peccatis esse liberos. Quorum cum nullam satisfactionem aut remedium aliud, Christus, qui in hoc ue/ nit ut suos peccatis liberaret, docuit, quàm gratiã eorum supplíciter orare, quilibet uidet esse impostu ram, docere per confessionem, & nostra quædam ac aliorum ho/ minũ opera satisfactoria, ut uocantur, siue emptas illas cõdonationes, peccata pos/ se expiari. Deus est, cui soli peccando debitores constituimur: unus igitur ipse quo/ que est, qui bonitate sua debita hæc nostra remittat, oportet, quanquam non absq; satisfactione, sed Christi non nostra, quandoquidem nobis, nunquam pensum no/ strum persoluentibus, impossibile est, uel pro minimo peccato satisfacere: unum itaq; ipsum etiam debitorum remissionem debemus orare, eamq; ab ipso solo expe ctare. Quicquid huius aliunde promissum aut petitum fuerit, inane & nihil sit ne/ cesse est. Quatenus tamen, tam priuatis quos offendimus, quàm ecclesię, cõmissa cõ fitenda, ueniaq; oranda sit, dictũ partim supra est in cap. 3. ubi de confessione tracta/ uimus: partim infra, 18. dicemus. Cuncta tamen frustra erũt, nisi ante omnia peccasse nos Deo, & agnouerimus et uere doluerit: remissionemq; ab ipso, tum orauerimus, tum exorauerimus, tunc demũ uel priuatis quos offendimus, uel ecclesię salubriter fatebimur peccata, & recipi ab ipsis quoq; in gratiam orabimus.

Ab uno Deo condonatio peccatorũ potest impetrari

Et ne inducas nos in tentationem.) Tentatio quam deprecari hic Christus docet, indubie eiusmodi est, cuiusmodi discipulis suis imminebat in monte Oliuarũ, quan do Domino ad mortem usq; perturbato illi dormiebant, unde eos ad uigilandum & orandum hortabatur, dicens: Vigilate & orare ne ueniatis in tentationem. Spi/ ritus quidem promptus est, caro autem infirma, infra. 26. Hæc uero erat, in quam mox inciderunt, præ fidei imbecillitate deserentes & negantes, quem paulo an/ te salutis autorem fuerant confessi, & iurauerant potius cum illo se morituros, quàm

Tentatio duplex.

A quàm in periculo relicturos. Proinde deprecationis huius sensus est: Serua nos pater, ne in eam tentationem ueniamus, qua fide in te nostra indignum aliquid committamus. Tentat nancq, id est, explorat Deus homines uarie. Tentauit Abraham cum iuberet sibi immolare filium, eacq tentatione protulit in lucem, quæ in corde ipsius latebat, fidem certam, & obedientiam pronam. Non aliter tentauit & Iob, tentatq sanctos quoslibet. Tentauit uarijs etiam adflictionibus Israëlitas in deserto, & sic effecit, ut bona pars suam quam corde tenebant, etiam ipsis abscónditam diffidentiam & Dei contemptum, dum identidem contra ipsum murmurarẽt, multisq blasphemijs irritarent, proderent. Inde est, quod illis Moscheh. 8. cap. quinti libri dicebat: Memoria reputabis omnem uiam qua te duxit Dominus Deus tuus per desertum, annis quadraginta, ut affligeret te, & tentaret te, quo sciretur quid in corde tuo esset, obseruares eius mandata, an secus. Declaratum enim fuit, cum nunc fame, nunc siti, nunc alijs necessitatibus adfligerentur, plures eorum nihil adhuc fidei in cordibus haberent, & præcepta Dei nequaquam obseruare, ut à quibus animum omnino alienum obtinerent. Istiusmodi iam tentationem, deprecari nos Christus docet, non priorem, quali sancti omnes tentantur, & sicut aurum igni probantur. De qua Petrus in priore epistola, cap. 1. Virtute Dei custodimini per fidem ad salutem, quæ in hoc parata est, ut patefiat in tempore supremo, in quo exultatis, nunc ad breue tempus afflicti, in uarijs tentationibus, si opus sit, quo exploratio fidei uestræ, multo pretiosior sit auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, &c.

Quod autem docet orare patrem, ne inducat in tentationem, innuit illum quosdam in tentationem inducere, qua impietatem non tam produnt, quàm cõmittunt, id etiam aliàs scriptura testatur. Talis erat, qua obfirmauit & indurauit cor Pharaonis, ne audiret mandatũ suum, & Israël dimitteret. 2. Mosche. 4. & 7. Item Ieschaiæ.

B 6. prædicatori salutis præcipitur diuinitus: Incrassa cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius obtura, ne forte uideat oculis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & reuertatur, & curationem accipiat. Vide, Christo, & cuiq; prædicatori mandat Deus, ut impios, atq à se reiectos planè obcæcet, & in malo stupidos reddat, quod & faciunt dum illis uerbũ Domini annuntiant. Sic profecto Pharaonem Moscheh, Christus Pharisæos, Paulus plurimos Iudæorum & Gentium, prædicando quæ saluti illis fuissent, si sustinuissent ea credula mente amplecti, tantum deteriores, ac penitus in impietate reddiderunt obstinatiores. Idem usuuenit quotidie, quotquot in magna Dei domo uasa iræ sunt, cum uoluntatis Dei admonentur, non solum in malo obfirmantur, sed etiam ut quæ Dei sunt impugnent, efferãtur. Atq ita experiuntur in perniciem sibi cedere, quod cedit in salutem pijs, ac sibi esse in ruinam, quod electis est in resurrectionem, letiferum denicq odorem inde hauriunt, unde filijs Dei uita spirat.

Deus, & qui uerbũ Dei docent, indurant malos.

Quos ergo ita Deus indurat, & quibus mittit, qui suo illos uerbo excæcent, hos utiq in tentationem inducit. Paulus testatur tradi à Deo quosdam in sensum reprobum, Rom. 1. Quid & hoc aliud est, quàm induci ab ipso in tentationem? Necq sanè aliud erat cum à Schaul spiritus Domini recederet, & turbaret illum malus spiritus à Domino. 1. Schmuël. 16. Ita Dauidem in tentationẽ Dominus induxit, cum Israëlí iratus, cor eius incitaret, ut numerari populum præciperet, id quod Satan fecisse scribitur. 1. Chronicorũ. 21. Vt enim Schauli malum spiritum, qui ipsum perturbaret, immisit, & in os Prophetarum Acheab spiritum mendacem, qui eum decipere, dedit: ita hactenus & contra Dauidẽ Satanam misit, qui cor eius incitaret ad populum numerandũ, quod & populo, cui Deus nimirũ iratus erat, male cederet: quę profecto grauis tentatio fuit. Apertis itaq scripturæ testimonijs euincitur, Dominũ inducere in tentationem tam suos, q reiectitios, & in eam tentationem non solum

Deus inducit in tentationẽ.

qua

qua aduersis externis probentur, quæ tentatio peculiaris sanctis est, uerum etiã qua errent, peccent, & malis seipsos ac alios inuoluant. Vnde Iescha. 63. querũtur etiam electi. Quare, inquiunt, seduxisti nos Domine à uijs tuis, & induraſti cor nostrũ, ne timeret te? conuerte propter seruos tuos, & tribus hæreditatis tuæ, &c. Porrò tentatio qua penitus quosdam excæcat & indurat, ea peculiaris est reiectitijs, qui uasa iræ sunt, parati ad interitum, quos Deus fert & profert ad declarandam iram & potentiam suam. Roman. 9

Iudicia Domini in futuro seculo recte cognoscẽtur.

Dura plærisq; hæc uidentur, quòd uidere nequeant, qui conueniat, Deum peccatis irasci & ea punire, & testari tamen de seipso, quòd induret & obfirmet quosdam, ne uerbo suo obtemperent, & ultionẽ suam effugiant. Sed debent hi cogitare, Deũ ratione nostra maiorem esse, ut mirum non sit, si iudicia eius nequeat peruidere: quandoquidem sæpe hominum præcellentium sapientia consilia, absurda & iniusta uidentur, quorum ubi exitus apparuerit, uidemus fuisse consultissima. Ita indubie, ubi in sanctuarium Domini ingressi fuerimus, & Deum uti est, uiderimus, nihil iniqui, nihil absurdi unquam ab ipso designatum agnoscemus. Interim credamus Deum esse, & iustũ esse non dubitabimus: utq; pulcherrimo ordine, & decẽtissime, uniuersam istam mundi machinã gubernat, ita creditu nobis facile erit, & cum hominibus illum æquissime agere. Cum ergo ipse in suis de se literis testatur, se indurare & obcæcare, hoc est, in exitialem tentationẽ inducere quosdam, id tam uerum, quã iustum esse, & credamus & prædicemus.

Fructus huius erit, quòd pij, quibus solis scripturæ datæ sunt in salutẽ, & debent prædicari, bonitatem Dei erga se tanto magis admirabuntur, & amplectentur feruentius, quòd ab illo perpendẽt se ex innumeris adeo mortalibus, cum paucissimis delectos, atq; in eorum numerum adscitos, quos ad bonum emollire, & ad cognoscendum suam uoluntatem illustrare dignatur: cogitare, si Deus indurat nemo poterit emollire, si rursus emollit, nihil poterit indurare, nihil ergo erit in me situm, nihil igitur agam: si peccauero, Dei indurãtis culpa erit, cum ipsi libuerit emolliet me &c. Hæc utiq; cogitatio non erit hominum Deum timentium, quibus solis scripturæ loquuntur. Fides nanq; in Deum, quæ illum iustissimum & optimum agnoscit, istiusmodi cogitationes non sinit obrepere: uerum cum audit Pharaonem indurarum, alios in sensum reprobum datos, magis expauescit: sic tamen ut mox in miri-
ficam quandam gratulationem exardescat, reputans immensam Dei erga se bonitatem, qui se emollire non indurare, illustrare non obcæcare sit dignatus. Reprobi autẽ, non in hoc solo Dei uerbo offenduntur, sed ambulantibus in tenebris offendiculo sunt uniuersa.

Deinde iuxta agnoscendum, & prædicandum est, peccatum esse, iustaq; Dei ultione puniri, quicquid uerbo eius aduersum, uel cogitauerimus uel concupiuerimus, nedum uerbo uel facto designauerimus, quamlibet à nobis nihil nisi peccare possumus, & in tentationem Dominus ipse nos inducit, errareq; facit à uijs suis. Id enim non tantum lex comprehensa literis, sed etiam quæ insculpta est in cordibus nostris, euincit. Ab optimo nanq; conditore conditi, boni esse, atq; ad ipsius nos cõparare uoluntatem iure debemus: quod si negligimus, peccatum certe est, & ab optimo opifice in suo opificio non ferendum. Si ergo rationem huius, quòd Deus indurat, & in sensum reprobũ tradit, & quòd ex hoc reprobo sensu delinquimus nihilominus ulciscitur, inire nequimus, exclamemus cum Paulo: O profunditatẽ diuitiarum, & sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inperuestigabiles uiæ eius &c. Rom. 11. Aeque ignoratur à nobis quî fiat, cum Deũ scriptura testetur operari omnia in omnibus, quòd tamen opera nostra omnia pranitatem habeant coniunctam, si modo nõ sint tota, nihil nisi prauitas. Mysteria hæc sunt, in hoc seculo nequaquã reuelanda: si Deum & nos ipsos cognoscimus, Deo in omnibus

Nostra autem peccata.

omnibus gloriam, nobis uero confusionem adscribemus, cūcta in nobis, quatenus Dei sunt, iusta & sancta, quatenus uero nostra sunt, peccata esse & iniquitatem, tum agnoscemus, tum confitebimur.

Postremo illa: Nolo mortem impĩj, aut morientis, sed magis ut conuertatur & uiuat. Iehezkel 18. Deus uult cunctos homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1. Timoth. 2. & similia, his quæ de induratione memorauimus, haudquaquã pugnant. Indubitata ueritas est, Deum reiecisse quosdam, & illos indurare, atq; excæcare, ut uasa iræ apparata in interitũ, id quod abunde etiam quotidie re ipsa testatur: quare quòd dicit se nolle mortem impĩj & morientis, sed malle ut reuertatur & uiuat, de ijs solis intelligendum est, quos in hoc, ut conuertantur & uiuant delegit, quibus, scilicet, propheta potissimũ loquebatur. Pharaoni enim dixit: In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in tota terra. 2. Moscheh, 9. & Rom. 9. Hunc indurauerat, sicut solet reiectitios quoslibet, ut minime conuerteretur & uiueret, sed obstinatus potius pergeret in impietate sua, & periret: ut in eo ita potentiam suam magnificaret in omni terra. Ad hunc modum & illud intelligendum, quod Paulus ait, uelle Deum cunctos homines saluos fieri, atq; ad agnitionẽ ueritatis uenire. Vtiq; ex omnibus hominum generibus & statibus suos delegit, quos ad ueritatis cognitionem perducet: quos cum certo nos scire nequeamus, debemus promiscue orare pro omnibus, id quod Paulus hoc loco agit, hortatus ut deprecationes fierent pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, &c. Quòd ergo cunctos ait, perinde est ac si dixisset, ex cunctis aliquot: siue nullum est hominum genus, in quo non suos quoq; habeat. Non raro enim (omnes) in scriptura, pro plurimis, uel (quibuslibet) accipitur.

Quomodo intelligendum nolo mortem impij.

Vult cunctos saluari.

De tentationibus itaq;, in quas suos Deus inducit, sic sentiet Christianus. Inducit in tentationem Dominus suos, dum aduersis fidem ipsorum explorat & illustrat: in hanc inducí nos haudquaquam deprecabimur, sed potius cum tentatione huiusmodi probamur, constantiam tentati & solidam fidem orabimus. Inducit etiã nonnunquam in tentationem, dum Satanæ nos aliquatenus permittit, ut ad peccandum detorqueat, in qualem tentationem Dauidem, Petrum, & alios plerosq; electos atque charos suos induxit: de quali illud Pauli intelligitur: Considerans temetipsum, ne & tu tenteris. Gal. 6. Et rursum illud: Vt cognoscerem fidem uestram, ne quo pacto tentasset uos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster. 1. Thes. 3. Itẽ illud Cor. 7. Rursum in unũ cõueniatis ne tentet uos Satanas, propter intemperantiã uestram. Et qui uolunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum. Quanquam autem & in hanc peccati tentationem suos Dominus nõ inducat, nisi in cõmodum ipsorum, ut lapsi, suam infirmitatem postea melius animaduertant, uiuantq; & modestiores, & solicitiores, attamen deprecanda est: siquidem Christus Apostolos suos deprecari eam in monte oliuarum hortabatur, licet sciret patrem eos in illam inducturum, atq; id in salutem ipsorum tandem attemperaturum. Nostrum enim est, nunquam non deprecari, Dei nostri offensam, ut sanè pio animo, Deumq; super omnia amanti, nihil potest accidere grauius, quantumlibet Deus immensa sua bonitate, etiam quamlibet offensam in suam gloriam & bonum cedere nobis efficiat.

Tentatio non deprecanda.

Tentatio deprecanda.

Inducit postremo in tentationem Dominus quosdam, eamq; perpetuam, quos Satanæ prorsus captiuos tradit, in impietate obstinatos: sed qui hœdi, non oues, uasa iræ, non uasa gratiæ, hostes Dei, non filij sunt. In hanc nunquam inducendos nos à Deo, nempe patre nostro, qui nos citra pœnitudinem, numero filiorum suorũ adscripsit, debemus certò confidere: nisi non certa fide illum patrem appellamus. Necq; enim illum uere patrem nostrum credimus esse, si non & in æternum nobis ita perseueraturum confidimus, quod est esse patrem cœlestem: qui eos demum filios agnoscit, quos in hanc sortem ante iacta mundi fundamenta, priusquam quicquam boni

Tentatio credentibus non timenda.

boni aut mali fecissent, delegit quos filio suo saluandos donauit. Cum itaq; è manu Domini rapere nemo queat. Ioan.10. & ipse uenientes ad se nequaquam proijciat. Ioan.6. necesse est, ut qui semel Christi fuerint, nunquã ab ipso alienentur. Cum igitur sit in fide orantis, ut se uerum Dei filium confidat, & Deum sibi in æternum patrem fore credat, abesse oportet metum tentationis huius exitialis, in quam Deus nequaquam inducit, nisi reiectitios, in quibus potentiam suam, non misericordiam statuit declarare.

Ab ea autem, qua quotidie etiam sancti ad peccandum, & indulgentissimum patrem offendendum, rapiuntur, recte nobis metuimus, in hoc mundo agentes: eóque & uigilijs & ieiunijs eam deprecari iubemur, postquam caro nostra nõ infirma tantum ad bonum, sed etiam pertinax incitatrix est ad malum. Diabolus quoq; in morem rugientis leonis circumit, quærens continuo quem deuoret. Contra hanc itaq; est hæc sexta petitio huius orationis. Et ne nos inducas in tentationem, id est, ne permittas Satanæ, ut ad offendendũ te nos seducat, solius Dei est nos à peccato seruare.

Denicq; ne præteream illud Iacobi: Ne quis cum tentatur, dicat se à Deo tentari. Nam Deus ut tentari nõ potest, ita nec ipse quenquam tentat, imò unusquisq; tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Hanc sententiã sic puto intelligendam: Ne quis ita tentationis autorem Deum faciat, ut suam in ipsum culpam transferat, ceu Deo & non ipsi peccanti, debeat peccatum imputari, quod impij facere solent. Cæterum ex hoc loco, & illo. 2. Schmu. 24. de Dauide incitato diuinitus ut populum numeraret, tum Iescha. 6. ac innumeris alijs satis patet, scripturam non uereri Deum facere autorem tentationis, qui electos etiam in tentationem sub inde inducat: & eam qua certe labuntur & peccant. Quanquam peccatum ipsis perpetrantibus, & nequaquam Deo in tentationem inducenti debeat adscribi. Iuste & sancte Deus egit, cum Dauidem in tentationem eam induxit, ut populum præciperet numerari: Dauid autem id præcipiendo grauissime nihilominus peccauit, & dedit pœnas iustissime. Vetus, nec minus uerũ dictum est, opus in peccato, Dei, & bonum esse, rectæ autem rationis defectum, nobis esse tanquam malum. His scriptura addit, etiam hunc defectũ sic à Deo ordinari, ut inde boni aliquid eueniat, ut ne ex eo quidem, quod in hunc defectum rectæ rationis inducit, Deo peccati aliquid adscribi queat.

Sed libera nos à malo.) Hæc particula, nõ est petitio singularis, sed prioris pars. Tentator enim Satanas ideo dicitur, quòd nos tentat & exercet: potissimũ quidem hoc agens, ut à recta in Deum fide nos detorqueat, at si id ei non succedit, quò est in nos odio, gaudet malis externis nos obruere & exercere, uti contra Iob egisse legimus, & sanctos alios. Recte igitur orãtes, ne nos inducas in tentationem, hoc est, ne permittas nos Satanæ, ut ad peccatũ pertrahat, adijcimus, sed libera nos à malo, hoc est, diabolo tẽtatore, ut Chrysostomus probe interpretari uidetur. Circuit enim hic uelut leo rugiens quærens quem deuoret, ut Petrus inquit, sicq; animis malum persuadere non potest, tanto sæuit impotentius in corpora, si uel per corporis cruciatus possit animum à recto depellere. A quo tum demum plene liberi erimus, cum Ierusalem supernæ municipatum plene perceperimus: quando profligatus fuerit omnis gemitus & dolor, neq; audietur ultra uox fletus, & uox clamoris, sed erunt omnia gaudio & exultatione plena, quod futurum passim Iesaia prædixit, & Vates reliqui. Quatenus igitur Satanas uelut tortor noster est, cuius ministerio etiam externe nos Deus exercet, eatenus & corporalium malorum deprecatio, huic ultimæ petitioni inclusa est. Non expressa quidem est, uti precatio bonorum corporis, quia incommoda corporis non sunt per se mala, & adeo deprecanda, sicut uitæ necessaria semper dum hic agimus, bona sunt & precanda: imò in salutem nobis illa cooperantur, ut quibus & si tentamur, probamur tamen, & ad pietatem promouemur: ut

impium

impium esset ea absolute deprecari, quemadmodum dictum iam suprà est. Non ergo docuit nos orare dominus, depelle nobis corporis incommoda, sicut petere docuit, da nobis panem nostrum quotidianum, sed iussit precari, libera nos à malo, id est, à diabolo, qui in hoc mala corporis immittit, ut mētem à Deo alienet. Quod si illi dominus non permiserit, mala iam quæ infligit, mala nobis haud quaquam, sed bona erunt. A quo denique cum pater nos prorsus liberauerit, peccatis penitus solutos, finis quoque erit omnis externæ adflictionis: istud, ut per Christum nobis promissum est, & pie speramus, ita aduenire & contingere tandem nobis, pie quoque oramus.

Quòd uero per malum, hic diabolum tentatorem cum Chrysostomo intelligam, præter articulum τοῦ, in caussa est, quòd per aduersatiuam coniunctionem petitioni isti, Ne inducas nos in tentationem, adiungitur: Sed libera nos à malo. Ex eo sanè patet, idem per utrūque peti, nempe ad hunc sensum. Non permittas nos libidini tentatoris, sed prorsus ab ipso nos libera, ut nihil omnino in nos iuris habeat: quod erit, cum nihil peccati in nobis reliquum fuerit. Ad hæc, diabolus ὁ πονηρὸς, id est, malus, prauus uocatur infra 13. 1. Ioan. 2. Ephes. 6. atque aliis multis locis.

Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula seculorum.) Hæc coronis, siue addita à domino ipso, siue postea adiecta à quopiam fuerit, pia, & secundum scripturam est. Vere orantis enim animus, ita solet in cogitationem diuinæ magnitudinis atque laudem exardescere, qua & sibi ipsi quodammodo impetrandi fiduciam adauget. Videtur igitur hoc sensu, præmissas petitiones excipere. Precati sumus, ut tu in nobis regnes & glorificeris, & à te petentibus quæ etiam ad uitam præsentem pertinent, largiaris: deprecati uero ultionem eorum, quæ quotidie peccamus, atque tentationem, qua ad offendendam tuam maiestatem, malus ille nos continuo solicitat: à quo denique prorsus ut nos liberes, orauimus: iam tuum est regnū, quicquid hic malus in nobis imperij habet, nihil nisi uiolenta, & iniquissima tyrannis est: uindica ergo nos, ut tu rex noster, sicut par est, à nobis uere agnoscaris, & colaris. Tua est potentia, facile igitur tibi erit, quicquid aduersariæ potestatis nobis ad tuam uoluntatē enitentibus negotium exhibuerit, deijcere. Id ad tuam gloriam faciet, quæ cum replere tandem omnem terram debeat, & æternum obtinere, modo ad illustrandā & propagandam illam nos potenter quæso adseras, ac paterne instituas & prouehas, quo ad imaginem & uoluntatem tuam nobis reformatis, peccatisque & malis purgatis atque liberatis, omnia nostra te laudent, prædicent & extollant, Amen.

Proinde si remiseritis hominibus errata sua, &c.) Hinc uides, quod in precatione docuit orare: Remitte nobis debita, sicut nos remittimus, &c. non cōdictionem, sed similitudinem esse. Nihil enim æque à nobis Deus requirit, quàm mutuam dilectionem, ut singuli alij alijs dij simus, hoc est, ut sua imago & bonitas inter nos eluceat: huic iam nihil æque obsistit, atque offensæ, quibus animi alienantur, & à bonitate reuocantur. Ideo potissimum de condonandis erratis proximorum hanc particulam adiecit, imò potius repetijt. Deinde nobis errata non nisi agnoscentibus ea, & cōtrito corde ueniā orantibus, remittuntur. Iam nemo in Deum peccata uere agnouerit, & ex animo neniam ipsum orauerit, qui non sit paratissimus, omnibus omnia condonare, tantum ut & sibi Deus cōdonet: adeò sentit huiusmodi debitum decem millium talentorum, onus importabile, ob cuius remissionē centum denarios summa cum uoluptate remittere cupiet. Postremo idem spiritus, qui peccata nostra nobis ostendit, & ad petendam à Deo ueniam erigit, facile quicquid possit contra fratres indignationis in animo residere, facit prorsus euanescere, & amore potius erga ipsos germano ac omnis offensæ nescio, accendit. Idem Mat. 11.

Quod ergo dominus dicit: Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater uester cœlestis, non sic intelligendum est, quasi remittendo proximis mereamur & nobis ereata nostra remitti à Deo, ut plerique hodie contendunt: sed qui non-

dum ſenſerunt quid peccatum ſit, ne dum quid aut unde peccatorũ remiſſio. Haud enim remittuntur peccatorum debita, niſi remiſſionem eorum ſibi de Dei bonitate certò pollicentibus: hanc uero ſibi nequeunt polliceri, niſi qui iam donati ſunt Dei ſpiritu, quo, ut gratiam peccatorum ſibi à Deo ſperant & orant, ita humiliantur, & dilectione proximi accenduntur, adeò quòd nullius omnino queant iniuriæ recordari, imò prius nihil habeant, quàm non remittere modo proximo irrogatas ſibi iniurias, ſed etiam beneficijs illas compenſare. Merito ijs dixit dominus, remiſſurũ ſe ijs, qui remiſerint proximis: & non remiſſurũ, qui proximis non remiſerint. Illi enim remitti ſibi peccata à Deo poſſunt credere: hi uero minime: illi agnitione peccatorũ ſuorum humiliati ſunt adeò, ut nulla ſe poſſe affici iniuria, extrema ſcilicet meritos, putent: hi etiamnum ſibi ipſis placent, & grauitatem ſuorum peccatorum ignorant: illi guſtarunt dulcedinem gratiæ Dei, ut præ ea nihil iam non & pati & facere ſint parati: hi nullum adhuc eius perceperunt guſtũ, unde perſeuerant amantes ſeipſos, indeq; nequeunt ex animo quidem fratribus offenſas remittere. Notandum ergo, dictum eſſe, condonaturum patrem nobis, ſi nos condonauerimus proximis: propterea quod niſi fratribus ex animo condonemus, ſpiritu Dei prorſus uacamus: ſicq; eo prædicti ſumus, non condonare nequeamus, non autem dictum eſſe, remittendo fratribus, nos mereri, & nobis remitti. Noſtra condonatio certum eſt diuinæ remiſſionis argumentum, cauſſa non eſt. Chriſtus ſiquidẽ eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 1. Ioan: Hæc expendant, quibus negotium eſt cum hoſtibus Chriſti, illis, qui inani eruditionis perſuaſione tumidi, hunc & ſimiles locos diuexant, quo pactam ſcilicet impietatis mercedem emereantur, & approbent ſe ijs, qui lucroſum ſibi putant Chriſtum negari, & humanis meritis miſeras populi animas deludi.

Cõdonant fratribus ſoli credentes, ijſdem ſolis igitur peccata condonantur.

Apud Lucam 11. legimus rogatum dominum à diſcipulis ſuis poſtquam in loco quodam fuiſſet precatus, ut doceret ipſos orare, ſicut Ioannes docuiſſet orare ſuos diſcipulos, atque tum ipſum hanc illis precandi formam præſcripſiſſe. Quod ſi factum fuit, poſtquam præſentem ad ipſos, & turbam ſermonem habuit, uidetur hoc ſenſu eam repetijſſe, ut haberi debeat tanquam confirmatio eius quem hic precandi modum diſcipulis unà cum turbis tradidit. Si uero prius diſcipulos ſeorſim hanc precandi formam docuit, uoluit eam apud turbas repetere, ut eum & alijs commendaret. Vtrum uero fuerit, certe bis hunc orandi modum ſuis tradidit, & forte pluries: quod multum ſanè ſitum in eo eſt, ut ſciamus, quomodo, & quæ precari nos conueniat, ſicut ergo hic modus abſolutiſſimus exiſtit, ita ſatis inculcari Chriſti diſcipulis non potuit.

Lucas explicatus.

Latini codices uariant.

Latina Lucæ exemplaria quædam prætermittunt, quæ in Matth. habentur, nempe noſter qui es in cœlis, fiat uoluntas tua in terra, ſicut in cœlo, & libera nos à malo, quia tuum eſt regnum, &c. Græca exemplaria ſiue ex Matthæo hæc poſtea adiecta ſint, ſiue Lucas ita ſcripſerit, & multi ſint codices Latini, omnia ut Matthæus habent. Si tamen à Luca prætermiſſa illa eſſent, nihil tamen eſſet detractum ſententiæ. Neq; enim Deus, niſi cœleſtis pater, à uere orantibus, & omnium credentium pater agnoſcitur, cum patrem eum ſimpliciter uocãt: cumq; orauerint ſanctificari nomen eius, & aduenire regnum eius, iam etiam orarunt, ut ſua apud nos in terra uoluntas fiat. Denicq; qui orat, ne nos inducas in tentationem, idem orat, & libera nos à malo, à quo tum demum uere liberamur, quando ab illius tentatione ita cuſtodimur, ne nos pertrahat ad peccatum. Coronis iſta, quia tuum eſt regnum, &c. in appellatione patris incluſa eſt. Vera uticq; pietas, ut alibi dictum, de ſententia, non uerbis ſolicita eſt: & hic qua ratione, quibus affectibus, non quibus uerbis orandum ſit, dominus docere ſuſcepit.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Porro cum ieiunaueris, &c.) Non præcepit ieiunium, ut neq; eleemoſynã, aut precationem

precationem, sed sicut hortatus est, dare eleemosynas, atq; precari, tantũ in gratiam
A patris cœlestis, non ad captandam uulgi laudem, sic hortatur ut hac eadem ratione
etiam ieiunemus, idq; argumentis & tropis loquendi ijsdem. Nimirum huiusmodi
Deus ille cœlestis & abscõditus pater esse uester dignatus est, æterna uos hæreditate
beaturus, cui ergo approbare uos magis deceat? Electi estis ut filij Dei sitis, dissimil
limos igitur esse oportet hypocritis, quibus nihil æque inuisum Deo. Deniq; qui lau
dem ambit hominum, ei nihil præterea expectandũ, illa autem quid inanius? Ergo
ieiunandum, ut Deo soli & uideamini & probemini. Porro istud unge caput tuum,
&c. hyperbolica allegoria est, sicut illud nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.
Qui enim unguentis delibuti sunt & loti, nihil minus quàm ieiunare, hoc est, animã
suam affligere uidentur: dissimulationem ergo ieiunij per hæc significauit.

Quid ieiuniũ in scripturis significet.

Porro simul conijcitur, quæ ratio fuerit ieiunij ueterum, quod nequaquam fuit, semel duntaxat in die cibum sumere, & cibum piculentum: sed semel omnes abdi-
care delitias, & luctum quendam, ac iustam corporis castigationem atq; adflictionẽ
suscipere. Vnde ut sic ieiunare uiderentur Pharisæi hypocritæ obscurabant facies
suas, & sese lugentibus atque adfligentibus seipsos similes exhibebãt, cui simulatio-
ni contrarium erat lauari & inungi, ut ex uarijs S. bibliorum locis patet. Ea propter
ieiuniũ quod dominus populo Israëlitico in die reconciliationis, qui decimus erat
mensis septimi, præceperat, non ieiuniũ, sed animi afflictio uel humiliatio uocatur.
Ita enim scribitur. 3. Mosche. 23. In decimo mensis septimi, dies ille reconciliationis
erit, quem festum domino habebitis, animas uestras in ipso affligetis. Et paulò pòst:
Quæcũq; enim anima non fuerit afflicta illo die, excindetur de populo suo. Ieiuniũ
nanq; ut ciborum abstinentiam duntaxat significat, pars huius ieiunij est, quod po-
pulo Israëlitico, indictum fuit, id est, humiliationis & castigationis, atque afflictionis
animæ, hoc est, uitæ corporalis uel hominis externi. Id enim hic anima significat.
B Hoc uel ex illo. 58. Iesaiæ serius cognoscitur: Quare ieiunauimus, & nõ uidisti? Qua
re afflixímus animas nostras, & nõ cognouisti? Quis enim nõ uideat, ieiunauimus,
& afflixímus animas nostras, pro eodem positum?

Ad hæc quæ ieiunia scriptura celebrat, sic se habuerunt, ut nequaquam cibi tan-
tum abstinentia fuerint, sed omnium simul quibus corpus oblectatur & fouetur. Li
bro Iud. 20. leguntur filij Israël cum bis à Beniamitis cæsi fuissent, coram domino fle-
uisse, & ieiunasse usque ad uesperam, & sacrificasse. Simile fuit ieiunium populi in
Mitzpah, quo peccata sua confitebantur & lugebant. 1. Schmu. 7. Ad eundem mo-
dum ieiunarunt ciues Iabes, cum Schaul & filios eius lugerent. 1. Schmu. 31. Pari mo
do & Dauid, atq; qui cum eo uiri erant flentes, & ad uesperam usq; ieiunantes, luge
bant Schaul & Ionathan, atq; populum qui simul interierat. 2. Schmu. 1. Non aliter
ieiunauit & luxit idem puerum, quem primum ex Barschaba sustulerat. Tale ieiu-
nium & Acheab ieiunabat, cum pœnitentiam testaretur propter occisum Naboth.
1. Reg. 21. tale ieiunium tametsi impio præceperat ante Iiezbel, quasi ob dolorẽ blas-
phemiæ, qua Naboth blasphemasset Deum. Ibidem. Ad eum modum & Iehoscho-
phat ieiunium indixit, quando cõtra ipsum Moabitæ & Ammonitę pugnatũ uene-
rant ingẽti multitudine. Eiusdẽ rationis fuit ieiuniũ quod & Ezra iussit iam con-
cessurus in regionẽ Iehudah, Ezra. 8. Itẽ quod Nechemiah biduo ieiunauit, flens, lu
gens, & orans dominũ propter desolationẽ Ierusalem & terrę Iehudah, Nehe. 1. Simi
le & populus postea suscepit indutus saccis, & imposita terra super capita suo, eodẽ
lib. cap. 9. Nec aliud quod Esther per triduum & sibi & Iudæis suis indixit, quando
adire regẽ pro populo suo statuerat. Eadẽ ratio ieiunij fuit, cuius meminit Ierem. 36.
Dan. 9. Ioel. 1. &. 2. Ionah. 3. Zach. 7. &. 8. His ferè locis de ieiunio scriptura meminit,
quæ ideo omnia indicauí, ut studiosus frater, ea loca consulat, & ex ipsis scripturis
discat, quàm longe alia ieiunij ratio sanctis priscis fuerit, quàm hypocritis recentiori

bus, qui iam seculis aliquot insignem luxum ieiunij prætextu, uendiderunt.

Vt uero colligi ex adductis locis potest, caussa ieiunij ueteribus fuit, insignis aliqua calamitas, uel imminens, uel iam accepta, uel seria peccatorum pœnitentia. Ieiunabatur autem per diem unum, raro plures. Indicebant uero illud sacerdotes uel reges, alijue aliqua apud populum autoritate ualentes. Nonnunquam priuata etiam

Quæ ratio ieiunandi apud priscos.

suscipiebatur eiusmodi humiliatio, ubi & priuatum malum aliquos urgebat, quale fuit ieiunium Dauidis pro laborante puero, & Acheab pro nece Naboth. Solum ieiunium quod decimo die mensis septimi, ab uniuerso populo suscipiebatur, & fuit indictum diuinitus, erat enim publica supplicatio. Porro ea humiliatio, siue supplicatio ita habebat, ut, quemadmodum diximus, non à cibo tantum, sed in totum ab omnibus corporis delitijs, quanto tempore ea suscepta erat, abstinerent, luctui toti, fletibus & precationibus indulgentes. Inde plerumq; ut animi afflictionem & dolorem testarentur, scindebant uestes, induebantur saccis, obuinciebant caput, aspergebantur cinere siue puluere, & ingrediebantur incurui. Qualia & Ethnicos dum luctui indulgerent, fecisse scribit Lucianus de luctu.

Ob insignem calamitatem susceptum fuit, & quidem communibus uotis, licet nõ dubitarim, à senioribus atq; sacerdotibus, populum eò inducentibus, Israëlitæ ieiunabant, cum bis fusi & cæsi fuissent à Beniamitis, Iud. 20. Similiter quòd ciues labes, lugentes cæsum regem & populum. 1. Schmu. 31, & alia pleraq;. Ex pœnitẽtia autem peccatorum singulari susceptum fuit ieiunium illud celebre in Mitzpah, ubi totus Israël, autore Schmuel, ad confitendum domino peccata sua, & ueniam orandum conuenerat. Simili caussa ieiunauit & Acheab post occisum Naboth. 1. Reg. 21. Tale certe debuit esse & illud indictum in Lege, ad decimum diem mensis septimi. Quin ex facto Iiezbelis uxoris Acheab, quæ præcipiebat senioribus ciuitatis Naboth, indicere ieiunium, quasi ob blasphemiã Naboth, apparet ob quodlibet insignius peccatum etiam priuatim admissum, solitum fuisse publicum ieiunium celebrari, ne Deus ob unius uel paucorum noxam, toti populo iraseceretur.

Quæ caussa ieiuniorum.

Quòd uero solitum fuerit ieiunia eiusmodi indici, uel ad ea suscipienda populum cohortari per sacerdotes, aut reges, uel aliàs autoritatem apud populum habentes, declarat uerum esse, ieiunium indictum à Schmuele, Iehoschaphat rege, ab Ezra, ab Esther. Vnde & Ioel seniores alloquens aiebat, sanctificate ieiunium, uocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei uestri, Ioel. 1. Et secundo cap. Canite tuba in Zion, sanctificate ieiunium, uocate cœtum, &c. Fuit autẽ sanctificare ieiunium, illud populo indicere.

Quòd autem tempore ieiunij prorsus ab omni cibi, & cunctis delitijs ieiunantes, prisci abstinuerint, ex multis locis fit manifestum. Nam in legali illo ieiunio, affligere animas suas, id est, corpus & uitam illam externam, erat præceptum. Vbiq; etiam fletus & planctus ieiunio, ut ex adductis locis patet, adiungitur. Et indubie cum ad uesperam usq; Israëlitæ, Dauid & alij ieiunasse leguntur, intelligendum est eos, toto die fuisse absque cibo. Nechemiach certe biduum, Esther cum suis Iudæis per totũ triduum, adiunctis etiam noctibus, siue cibo luxerunt & orarunt.

Ab omni cibo abstinuerunt ieiunantes.

Vos autem subinde saccis, discidisse uestes, & puluere aspersisse caput, atque ingressos incuruatos, ex ieiunio Acheab, & Mardeacai, Niniuitarum, & populi reuersi ex Babylone, Neche. nono satis liquet. Hæc externa postea impij citra animi ob peccata dolorem, ueramq; pœnitudinem in ieiunijs suis simulabant, quos ea de caussa Dominus per uates suos, huius hypocriseos identidem obiurgauit. Quale est quod Iesaiæ 58. legimus. Scilicet huiusmodi ieiunium est, quod mihi probetur, & dies quo adfligat homo animam suam, contorquere tanquam uimen caput, amicire sacco, & aspergi puluere, num istuc uocabis ieiunium, & diem gratum Deo? Aeque enim impij, ac pij, inedia, & aliarum abdicatione delitiarum, die ieiunij se ipsos castigabant,

gabant, signaq; alia luctus præ se ferebãt, induti saccis, capite incurui cinereq; aspersi, alieni interim, ut à uera animi pœnitentia, ita & à comite huius, in proximos misericordia & beneficentia, eoq; nihil nisi hypocritæ erant inuisi Deo: unde neque ieiunium ipsorum probari potuit. Ex his puto abunde iam patere cuiusmodi fuerit ieiunium ueterum, qua causſa, quibus autoribus suscipi, quibusq; denicq; conditionibus obseruari solitum fuerit.

Huic haudquaquam dissimile fuisse arbitror, quod obseruatum postea & ab Apostolis, alijsq; noui testamenti sanctis legimus, quippe cum Iudæi fuerint, qui illud in Ecclesiam inuexerunt. Haud dubie tale fuit, quod prophetæ & doctores Antiochiæ supplicantes Deo ieiunarunt, cum eis spiritus sanctus de Paulo & Barnaba in negotium Euangelicon segregandis mandatum dedisset. Acto. decimotertio cap. Item quòd & hi ipsi duo Apostoli ieiunauerunt, quando pro Ecclesijs Antiochiæ, Pisidiæ, Iconij, & Listris, quibus seniores ordinarant, precati sunt, Acto. 14. Nam huiusmodi fuisse, quod Pharisæi, ac discipuli Ioãnis frequentabãt, de quo infra nono cap. sed à quo laudatur Anna illa sancta & religiosa uidua, de qua Lucæ secundo cap. nulli dubiũ est, ut nec de eo cuius dominus infra 17. meminit dicens: Quoddam genus dæmoniorum, non nisi ieiunio & oratione expelli, id est, oratione sanéque intentissima, quæ utique non nisi ieiunio, & ab omnibus delitijs auocato corpore fieri potest. Huius uero monetæ ieiunium haud frequens fuisse sanctis in prima Ecclesia, uel illud, 1. Corinth. septimo cap. probat: Ne fraudetis uos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi. Item illud 2. Corinth. 6. In uigilijs & ieiunijs.

Ieiunia sanctorum noui testamenti.

Hinc natum non dubitarim, quicquid ieiuniorum postea, Ecclesia uel recepit, uel instituit: legibus nemo obstrictus ad ieiunandũ fuit, dum purior ille Christianismus uiguit. Publica ieiunia, communibus uotis fratrum præeuntibus episcopis suscipiebantur, ita & priuatim nemo nisi sua sponte ieiunijs sese dabat. Montanus hæreticus ut suprà in capite quarto de origine quadragesimæ ex Eusebio commemoraui primus ausus fuit, Christianam libertatem ieiuniorum legibus onerare. Vide quem autorem, exactores habeant ieiuniorum. Non sic patres sancti, superioris ac purioris Ecclesiæ, sed si qua necessitas Ecclesiæ incidebat, si uel sæuior illam concutiebat persecutio, uel urebant graviores lapsus fratrum infirmorum, ad supplicationẽ feriam statamq; ac solennem precem, adhibito ieiunio, totiusq; uitæ humiliatione, sanctis hortationibus, populum inducebant: nihil ex imperio, in hæreditatem domini statuentes, neque ullius conscientiam religione ex suis mandatis obstringentes. Et populus quidem, cui cor unum, & anima una in domino erat, qui dolere cum dolentibus didicerat, aliorumq; casus suos ducere, ac uri, si alij offenderentur, ad Episcoporum hortationem, minimo negotio, ex animo supplicationem iustaq; ieiunia, suscipere solebat. Quin ultro ex priuatis causſis, priuata quoque ieiunia singuli patres familiâs domi suæ haud infrequentia exercebant.

Ieiunia Ecclesiæ superioris & purioris.

Verum ex publicis illis ieiunijs, quæ prisci præter ea, quæ ob incidentes causſas suscipiebant, habebant, fuerunt primum in anno terna, postea quaterna, ut ex decreto Calisti. distinctio. 76. patet, unde ortas illas quatuor temporum, quas Angarias. siue ieiunia quatuor temporum uocarunt, non potest obscurum esse, expendenti priscorum monumenta, & quæ in decretis pontificijs de his leguntur. In quibus id nimis supinę ac crassæ oscitantiæ indiciũ est, quòd siue Gratianus, siue quisquam alius rhapsodijs illis assuit, ex Hiero. eõmentarijs, in Zachariam cap. 8. in locũ illum: Ieiunium quarti, ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiuniũ decimi, erit domui Iehudah in gaudium & lætitiam, & in solennitates delicatas, ueritatẽ & pacẽ diligite. Vult enim uideri is consarcinator ex hoc prophetæ uaticinio, ieiunia ista quatuor temporũ, instituta esse. Quasi uero his nostris ieiunijs, cõmune aliquid sit, cũ ijs quæ

Origo ieiuniorum quatuor temporum.

apud Hebræos olim fuerunt obseruata, quorum hoc loco Zacharia meminit. Ad hæc prædicitur per Vatem illũ, fore ut ieiunia ista, hoc est, dies luctus & afflictionis, uertantur in solennitates lætas, in quibus exultarent & delitiarentur, non ut in diebus ieiuniorum solitum erat, plangerent, atq; animas suas affligerent. Hoc tempore Christi impletum fuit, unde certe ex illis Iudæorum ieiunijs, ratio istis nostris frustra petitur. Cæterum quæ etiam Hieron. ibi de ieiunijs illis disserit, præter historiã sunt.

Ieiunia uulgo religiosorũ, nihil minus quàm ieiunia.

Porro undecunq; originem trahant ieiunia, quæcunq; iam multis seculis hoc nomine celebrata sunt prídem, nihil minus fuere quàm ieiunia uera ueris Dei cultoribus digna. Vt enim Deus unus est, idemq; perseuerat, ita eodem ducit agitq; spiritu sanctos omnium temporum, eademq; ab illis probat. Iam ex suprà dictis abunde liquet ieiunium sanctis dignum, quodq; Deus probet, esse seriã carnis castigationem, delitiarumq; omnium abdicationem ad tempus, propter enixius deprecandam Dei clementiam, susceptam.

Quid ieiuniũ Aquinati.

Quid quæso huiuscemodi ieiunationi simile, in celeberrimis etiam & sanctissimorum quidem hominum Rom. Ecclesię ieiunijs? Ea sanè classici scriptores illorum, ut Aquinas & alij definiunt obseruari, si quando semel duntaxat in die cibus sumatur, isq; abstq; carnibus, ouis & lacte, etiamsi ne animus quidem sit, aut castigandi carnẽ, aut apparandi pectus ad pure precandum. Nam aiunt, Ecclesiæ proceres, substantiã actus duntaxat, ita ipsi loquuntur, non etiam intentionem aut finem actus, possunt præcipere. Hinc factum est, ut religiosissimi quiq; toto anno non magis delitientur, sumptuq; ac copia cibi potusq; luxurientur, quam diebus sacræ inediæ dicatis, cum sanctissime ieiunare sese iactant. Id in Quadragesima & Aduentu quẽ uocant, apud illos uidere est. Vino enim meracissimo, quod toto anno ad fouendam miram hanc abstinentiam, reseruant, & cibis, quantitate & illicibilitate duplicatis sese onerant, ut non ad precandum modo, uerum quælibet etiam corporis opera, sint ineptissimi: tantum somno idonei, & in morem porcorũ altilium, saginæ. Et quid facerent aliud, quando didicerunt à primæ autoritatis doctoribus suis, id legitimum demum ieiunium esse, semel duntaxat cibum sumpsisse, quantumcunq; & qualemcumq;, modo pisculentum.

Prima impietas uulgo ieiuniorum.

Iure igitur crassissimis istis hypocritis, hodie simul & ieiunijs ipsorũ à pijs ualedicitur, in quibus nimirum quadruplex impietas committitur. Primum quòd ab hominibus ita indicuntur, ut mortali, quod uocant, peccato, obligent, qui illa soluerint. At sic nemo populum Dei ligare potest absq; certo oraculo Dei. Impie ergo isti religione animos multorum obligant, & trepidare faciunt ubi non est ratio. Et quæ impudentia, cum seruator noster ac omnes sui Apostoli ne unum quidem diem præceperint ieiunare, quibus continentia, carnisq; mortificatio, nõ paulò plus, quàm istis cordi fuit, homines, quos iures iuratos omnis frugalitatis & temperantiæ hostes, tot dies per annum sub pœna æternæ maledictionis, miseræ plebeculæ indicere? Ipsis Iudæis per uniuersum annum unus duntaxat dies ieiunio fuit diuinitus dicatus, & Christianos, quos Christus à præceptionibus externis suo sanguine liberauit, par est, tot ieiuniorum ferijs, quas perpauci tamen obseruant, illaqueantur autem pecca ti religione plurimi, adobruere? O homines, scientia Christi uacuos, quiq; pietatis nullum adhuc gustum perceperunt: alioqui facile agnoscerent, diuinioris magistri esse indicere, ut preces & supplicationes, ita & ieiunia: nimirum eius, qui animo grauitatem scelerum, & iræ Dei cum certa spe gratiæ, planè possit perpendere. His enim probe cognitis, nihil omnino æque liberet, quàm diuinam clementiam precibus propulsare intentissimis, ad quas & uigilare & ieiunare ita iuuaret iam, ut nihil omnino præterea afficeret. Vt ergo homines hortari ad uera ieiunia, & necessitatem eorum indicare possunt, ita ea præcipere non possunt. Non minus quàm tristitiam animi, aut gaudium, aliósue affectus, qui ne nobis ipsis quidem in manu sunt.

Altera

A Altera impietas, quã in præcipiendo sua illa ieiunia pseudochristiani admittunt, est, quod diebus ieiuniorũ, certis cibis interdicunt, quasi Deo gratius sit oppleri uentrem piscibus, quàm carnibus: aut non magis ieiuniũ sit, abstinentia ab omni cibo: quod cum eo produxeris, quod satis est, & quantum ardor precandi in te requisiuerit, siue id ad uesperã usq; sit, siue citra, cũq; poscit corpusculi necessitas ut edas, qui non ferat optimus pater te uti bonis creaturis suis, quas ad uescendum nobis donauit, & quibuslibet. Doctrinam dæmoniorum hic sequuntur. 1. Timoth. 4. Dum ieiunandum est, nihil omnino est edendum: dum edendũ, edere licet quælibet, sed cum gratiarum actione, eoq; & modestia. *Altera uulgo ieiuniorũ impietas.*

Tertia impietas, quæ inest ieiunijs illorum Christum ignorantium, & reliquas omnes superat, est, quòd mereri ieiunando à Deo gratiam, expiariq; peccata persuaserunt, quod utiq; solius Christi est, qui sanguine suo, patris grati, satisfacto pro peccatis nostris, meruit electis omnibus. Ecquid mereatur à principe, qui, ut meritã mortem deprecetur, totum octiduum sine cibo maneat, ac perpetuo illius clementiã precibus extimulet? Num beatum se existimabit, si uitam tantum exorauerit, nec sanè cogitabit, se uel donatam uitam, multo minus aliud quippiam ita ieiunando & supplicando, à principe meruisse? Vere ignorant isti, cum suorum peccatorum immanitatem, tum diuinæ gratiæ amplitudinem, quicunque quauis in re, aut opera sua, uel tantillum meriti somniant. *Tertia impietas.*

Quarta impietas, quæ cæcis illis ieiunia sua contaminat, est, quòd præposteram ieiunandi rationem, & ieiunia uera & fructũ ipsorum penitus profligarunt. Ieiunium enim ut uel natura uocis huius monere eos potuerat, est ab omni cibo, atque delitijs abstinere. Iam ipsi mutant duntaxat delitias, & adeò cibi nihil imminuunt, ut cum ieiunant plus uorent: neq; hoc uulgus facit, sed ut suprà dictũ, id solenne est, omniũ
B religiosissimis. Quorum præclarum exemplum peperit prouerbium talibus sanctis dignum: Vnũ diem ieiunij, trinas parere epulationes largiores. Vbi enim postridie ieiunandum est, uulgo dicitur: Lautius cœnandũ est, imminet ieiunium. In ipso die ieiunij, prandendum est lautius, non enim licebit cœnare. Postridie maturius & largius prandendum est, heri enim ieiunauimus. Proh pudor, quò perduxit nos ignoratio Christi? Ergo plurimis suis ieiunijs quæ deuotæ Christo plebi indicũt, docuerũt tantum superstitiose sese ingurgitare. Tamq; abest, ut ieiunijs illis carnẽ castigent, ut eam magis cibis, & lautioribus quidem, ualdeq; intempestiuis suffarcinatam, faginent & iritent: ac spiritum tam nihil ad precandum promoueant, ut eum prorsus etiam extinguant, tanta uoracitate & delitijs adobrutum. *Quarta impietas.*

Pie itaq; & utiliter missa istorum non ieiunia, sed sub nomine & prætextu ieiuniorum, portentosas eas facimus. Non autem pie in totum à ieiunijs nobis temperabimus, uti hodie non uulgus tantum, sed primores etiam eorum, qui sibi Christum uidentur rursus agnouisse, pessimo exemplo solent. Si enim unquam, certe hac nostra tempestate, necessitas ieiunandi, atq; supplicandi urget plurima. Cum maior & præcipua mortalium pars, Christi religionem sæuius atq; atrocius, quàm ullum scelus, aut nephas, ferro, laqueo, aqua & igni persequitur: bona pars ridet, non pauci dum insyncero animo illi se adiungunt, miserè infamant, ac denig; in pusillo etiam grege, qui uere se illi dedit, plurima quotidie infirmitas, gloriam Christi nostri obfuscat.

Væ nostræ ignauiæ & torpori, qui iram Dei aut non animaduertimus, aut si animaduertimus, adeò nihil inde mouemur. Profecto si ij essemus, qui uideri omnes uolumus, haudquaquam adeò dissimili uiueremus uita, & studio ijs, qui uere id quod nos dicimur, fuere. Et nos nequaq; in uacuũ gratiam Dei recipientes, daremus operã, ut in hoc tẽpore accepto, & salutiferis diebus, indicibili Dei benignitate nobis nõ paulò clarius reductis, quàm ab hinc mille annis fuerint, nos ipsos exhiberemus in *Magna nobis ieiunandi necessitas.*

omnibus

omnibus, ut Dei ministros, sicut in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus: ita & in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in puritate, & cęteris quę Paulus 2. Cor. 6. enumerat. Et apud nos, coniuges subinde, ut à cōgressu connubiali, ita & delitijs alijs sibi temperarent, quo uacarent ieiunijs & precationi. Cuius meminit Paulus 1. Cor. 7. Cumq; multi adeò, & quidem non dissimulandis peccatis, gloriam Euangelij, gloriā Christi, inter nos cōtaminant, utiq; non minus solliciti essemus, lugere huiusmodi, ac pro eis humiliari ieiunando & supplicando, ut tentationem maligni, dominus nō sineret adeò nos prægrauare, quàm hoc studuit Paulus pro Corinthijs qui peccauerant, neque digne pœnituerant, 1. Corint. 5. & 2. Cor. cap. 2. & 12. Hoc ultimo loco, ita scribit: Metuo ne qua fiat, ut ne iterum ubi uenero, humiliet me Deus meus apud uos, & lugeam multos eorum, qui ante peccauerunt, nec egerunt pœnitentiam pro immunditia, libidine, & impudicitia, quam patrarunt. Quæ humiliatio, quisq; luctus nihil aliud fuit quàm ieiunium & ardens pro eis supplicatio. C

Prædicatorum Euangelij igitur erat, plebem peccatorum suorum probe admonere, & ingentem necessitatem supplicandi diligenter inculcare, ut crebro se siue publicis, siue priuatis ieiunijs & supplicationibus, tam pro se, quàm pro alijsederent, & non in tantum offendiculū eorum, qui Christum nondum receperūt, alienì adeò & frigidi essent, ab omnibus & ieiunijs & precibus. Factitia illa ieiunia inuicē, quæ inuexit superstitio, missa fecerunt, & recte quidem, si ex fide, sed cur non repetunt uera & Christiana: Si recepisse nos spiritum ueterum gloriamur, quî fit ut non eadem, quæ in illis, & in nobis efficiat? Bona pars prædicatorum, si in Antichristianos probe desæuierint, aut de non admodum frugi quæstionibus uerba fuderint, tum & fratres durius increpuerint, putant se munere suo egregie functos, ita & plebs hos imitata, postquam insectari aduersarios nostros, & garrire paucula de ijs, quæ minimum ædificant perdidicit, absolute se Christianam autumat. Interim tam parū modestiæ, parum charitatis, parum zeli, aut pro gloria Dei ardoris uspiam apparet: & efficitur, ut horrende propter nos sanctum Dei nomen passim blasphemetur. Cuius indubie, nisi resipuerimus, grauissimas breui pœnas dabimus. D

Falsa ieiunia hodie missa faciunt, & non uera amplectuntur. Morbi prædicatorum & plebis.

Quo pacto uere ieiunandi facultas obtinenda.

Mittant ergo electi, cū Antichristianis, hos quoq; pseudochristianos, & qui Christi redemptionem perceperunt, orent, ut huius spiritus in ipsis quotidie augeatur, quo zelo gloriæ Dei ardeant, agnoscereq; possint & dolere, cum suorum tum aliorum peccatorum grauitatem, ac iuxta suspicere digne & admirari ineffabilem Dei erga nos bonitatem: hoc pacto sanè rite accendentur, tam ad precandum profectum gloriæ Dei, quàm deprecandum, quicquid huic aduersatur: ita abunde quoque ad Christiane ieiunandum, siue priuatim, siue publice permouebuntur. Neq; audient, quod nimis uere modo nobis obijcitur, preces, ieiunia, & alia obseruata hactenus, nos damnare fortiter, ipsos autem interim, neq; precari, neq; ieiunare, uigilare aut laborare: sed delitiari tantum, & curare cuticulam, curiosos insectandis malis aliorū, quibus tamen nihilo meliores simus.

Quis proprius ieiuniorum usus.

Porro ne hoc præteream, usus ueri ac Christiani ieiunij, non est proprie ut domet ur caro, quod uulgo creditum est, licet etiā ad hoc præcipue faciat, sed ut mens possit intentius precationi incumbere, unde semper ferè hæc duo iunguntur, ieiunium & oratio. Neq; inuenies nisi propter supplicationes ad Deum, sanctos ieiunasse. Plerunq; uero nascitur ex ipso luctu & dolore ob peccata. Cum enim terror diuini iudicij plane inuasit & exanimat homines, abdicendo cibum & delitias, quibus uita hæc sustentatur & fouetur, confatentur quid meriti sint, nimirum ut iam nullis bonis Dei fruantur, sed intereant penitus. Itaque quasi præsumendo iudicium domini in eiusmodi abdictione omnium rerum uitæ huius, accedunt ad orandum ueniam, non solum nihil cibi aut potus gustantes, sed ne somnum quidem admittentes, nec

solitas

A solitas uestes,aut lectum usurpantes,in terra iacent,caput puluere, quasi seipsos sepe
lientes,opplent,tantum lachrymantur,plangunt,orant. Ad hunc modum erat ieiu-
nium Niniuitarum, indictum omnibus in urbe uiuentibus: sic ieiunium Esther, atq;
omnium qui olim ex grauiore intentatione iræ diuinæ ieiunium suscipiebant. Illa
cibi frugalitas,atq; temperantia,qua caro in officio retinenda est,in scripturis σωφρο
σύνη,id est,modestia uel sobrietas,non ieiunium dicitur. Ad hoc nunquã hæc remit-
tenda est, cum ieiunia continua esse nequeant. Male igitur docent, qui prædicant
Christianorum ieiunia,esse perpetuam uitæ frugalitatem & temperantiam. Ieiunia
enim peculiare & temporarium aliquid sunt,ut satis ex superioribus patet. Ad tem-
perantiam autem istam perpetuam, passim in scripturis Dominus ipse & Apostoli
nos hortantur. Christus cum aliàs sæpe,tum Lucæ 21. Cauete autem uobis ne quan- *Sobrietas a-*
do grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, &c. Paulus Ro. *pud Christia-*
13. Abijciamus igitur opera tenebrarum,& induamur arma lucis,tanquã in die com *nos perpetua,*
posite ambulemus,non commessationibus & ebrietatibus,&c. Et ad Titum: Sobrie *ieiunia non*
& iuste & pie uiuamus in hoc seculo &c. Ita ubicunq; sobrietatis meminit, aut tem- *item.*
perantiæ,hunc uitæ modum intelligit,quo corpori tantum necessaria indulgemus,
abstinentes à superfluis,& delicatioribus,ne lasciuiat. Hanc itaq; cum Paulo, & nos
sobrietatem,continentiam,temperantiam,modestiam, aut quid huiusmodi, non ie-
iunium uocemus: id enim aliud in scriptura est: ne quod iam usu uenisse multis ui-
demus,ieiunij nomen & rem iuxta amittamus.

Oremus autem iustum in cognitione Christi profectũ, & crebro, ut ad statas pre- *Quomodo re-*
cationes nos dabimus,ita & rite ieiunia celebrabimus. Quorũ modus, pro precum *stitui iusta ie-*
ardore erit. Ista priuatim in domibus nostris primum restituamus, tum ubi ueram *iunia possint.*
Ecclesiam,id est,sanctorum nacti fuerimus cõmunionem, seduli & diligentis mini-
stri erit,occasione incidente, eadem publica quoq; reddere. Nihil quidẽ præcipien-
B do cum intempestiua obstrictione conscientiarum,ut ij, qui Christum ignorunt, ha
ctenus fecerunt,sed ex flagrantia spiritus, monendo & hortando. Quorũ enim cor
& anima una fuerit,illi ijsdem quoq; ubi probe cognouerint, mouebuntur, & pro
cõmuni necessitate, cõmunẽ item supplicationẽ & ieiuniũ suscipere ultro cupient.

Cuius modus ita per prudentes ministros attemperabitur, ut nemo quidẽ ad hy- *Quis modus*
pocrisin adigatur,neq; piorum feruor intercipiatur, Quantulumcunq; tempus, ieiunio *ueri ieiunij.*
& precationi huiusmodi dicabitur, siue dies integer, siue dimidiatus, totum id tem-
poris in sancto conuentu,psallendo,orando,prophetando & hortando transigetur.
Hæc absurda forsan aliqui,& hypocrisi fauentia existimabunt. Iis nihil aliud respon
dero,quàm spiritum sanctum sui non esse dissimilem: operatus est hæc in priscis san
ctis,qui non operaretur eadem & in nobis? Discant quid sit illud: Venient autẽ dies
cum tolletur ab eis sponsus,& tunc ieiunabunt.

Ablatus fuit corpore ab illis sponsus & ieiunarunt. His nos successimus,qui eque, in spiritu debemus uiuere. Quî fit igitur quòd nos ieiunamus? Indubie quòd nõ ita nos,ut illos tenet ardor regni Dei, & studium gloriæ eius, salutisq; fratrum solicitu-
do: quorum scandala nos non satis urunt, ut & profectus non satis animo desidera-
tur. Dominus donet mente nos, qua illos donauit, & eadem uidebuntur esse officij nostri,eademq; iuuabunt,delectabunt,sanctisq; ieiunijs frequenter incumbemus.

Hactenus de ieiunijs differendo digredi libuit, quod illa pseudochristiani supe-
rioris seculi in pestilentissimum abusum conuerterunt, nostri prorsus oblitérarunt, ut plurimi hodie sint,qui cum sibi bis Christiani uideantur,ne cogitent quidem esse ieiunandum. Quorũ torpori & ignauiæ mirum est quàm incõsulta prædicatorum, nõ sanè paucorum, temeritas patrocinata sit, cum ei,quod pessimum,pietatis etiam prætextum induxerunt. Quasi uero omnia stata ieiunia, & solennes supplicationes Iudaica, & indigna Christianis essent,satisq; foret nobis,tantum frugaliter & tempe-

ranter

ranter uiuere. In cauſſa autem eſt, quòd ſolidam fidem in Chriſtum, certamq; noui-
tatis uitæ meditationem, nondum ſatis percepimus. Dominus reuelet nobis imagi-
nem filij ſui plenius, detq; ardens ſtudium, ut ad illã reformemur: iuſtumq; gloriæ
ſuæ zelum, quo rite, tam in nobis quàm alijs, quæ illi aduerſantur, auerſemur: & quę
prædicta ſunt non tantum eſſe uera intelligemus, ſed tuuabit etiam illa opere, & fa-
nè totis uiribus, exprimere.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Status ſequentium in hoc capite.

Ne reponatis uobis theſauros in terra, &c. Idem Lucas 12.) Auocauit præmiſ-
ſa huius capitis parte, à ſtudio applauſus humani, his iam poſterioribus auocat mul-
tis admodum, ijſdemq; mire urgentibus argumentis, à cupiditate habendi, Bonos
enim nos in omnes eſſe conuenit, de quo multa quinto capite: nihil nobis inde quæ-
rendum, ſoli patris gloriæ, qui bonos nos ſuo ſpiritu reddit, ſtudendum. Primum igi-
tur pulchra, eáq; efficaci antitheſi utitur: Ne reponatis, inquit, theſauros in terra, &c.
Quaſi diceret: Si libet reponere theſauros, ſi animus eſt uere diteſcere, & beatis eua-
dere, agite, oſtendam uobis quo pacto id cõſequamini. Non in terra theſauros peri-
turos, & uarijs obnoxios periculis, ſed in cœlo æternum permanſuros, alienos ab o-
mni periculo, uobis recõdite. Quis iam nõ mallet theſauros perpetuos & cœleſtes,
quàm mox interituros & terrenos? Similis hortatio eſt apud Paulum, primo Timo-
thei ultimo. His, inquit, qui diuites ſunt in hoc ſeculo præcipe ne elato ſint animo,
neq; ſpem ponant in diuitijs incertis (quod eſt recondere theſauros in terra, ubi eru-
go & tinea corrumpit, &c.) ſed in Deo uiuente. En hoc eſt theſauros recondere in
cœlo, id eſt, certa ac ſpiritalia bona. In Deo enim uiuente qui ſpem ſuã collocat, con-
fundi nunquam poteſt: utq; ab ipſo, hic affatim præbente, quibus opus eſt, omnia ac
cipiet temporaria, ita in futuro bonis, quæ humanum ſenſum ſuperant, donabitur
perpetuis. Hi theſauri ſunt, quos hortatur nos cœlo recondere. Quos recondimus
maxime erogando egenis, hoc eſt, illis committendo, qui recipiunt nos poſtea in
æterna tabernacula. Nã dicet dominus ijs qui in inopes liberales fuere: Venite bene
dicti patris mei, & poſſidete regnum quod uobis paratũ eſt ab initio. Eſuriui enim et
dediſtis mihi cibum, &c. Vtiq; uolet quiſq; ibi opes ſuas recondere, ubi ſeruandas in
ſuum uſum commodiſſime, & tutò ſeruauerit. Hoc uero nos conſequimur, ſi dona
Dei & patris noſtri cœleſtis per manus pauperũ deferri recondiq; in cœlis, hoc eſt,
in memoria Dei curauerimus. Nam & hic fruemur centuplo, & poſtea regno pleno
patris noſtri.

Locus Pauli 1. Tim. 6.

Quid recondere theſaurũ in cœlo.

Præcipue quidem nobis omnia bona apud Deũ recondimus fide & ſpe in Deum,
quia his Chriſtum fontem omnium bonorum percipimus, tamen per opera miſeri-
cordiæ ex fide facta, Chriſto domino ad ſalutẽ noſtrã perficiendam cooperamur, &
modulo, quẽ donat clementia patris etiã ipſi in Chriſto capite noſtro reponimus no-
bis centuplum hic, & in futuro conſortiũ regni cœleſtis. Id. n. audiemus: Venite be-
nedicti patris mei. &c. Vtcunq; hoc donatum paratumq; ſit, ex bonitate patris &
merito filij, ab initio. Eſt uero hic modus loquendi uulgaris. Ita enim ſi pauper ali-
quis à prædiuite quopiam hæres dictus, ipſum ſtudeat demereri, dicitur: Iſte modo
hæreditatem huius ſibi comparat: & quoties inſignem aliquam gratiam ab eo diui-
te inierit, dicitur: Iam tantam, uel tantam portionem bonorum iſtius, hic ſibi uendi-
cauit, aut repoſuit: cum ille tamen omnia ex mera beneuolentia ſe in hæredem ul-
tro aſciſcentis, accipiat & expectet.

Per opera cœleſtes diuitiæ produntur.

Sic ergo, inquit, in adducto loco Paulus: Vt benefaciant, ut diuites ſint operibus
bonis, ut faciles ſint ad impartiendum, libenter cõmunicantes, recondentes ſibijpſis
bonum fundamentum in futurum, ut accipiant uitam æternam. Quanto enim quis
bonis operibus copioſior euadit, tanto uitæ æternæ percipiendæ plena ac reuelata
poſſeſſione, uicinior eſt: eóque recondunt ſibijpſis bonum fundamentũ, qui diuites

ſtudent

A studeht esse bonis operibus. Quo nanq; plenior in ipsis sese exerit diuinitas, qua ita perfecti, perfectum cœlestem patrem beneficijs in omnes referunt, hoc utiq; certius, id est, reuelatius, sese filios Dei & hæredes agnoscunt, tanto securius in omnibus agentes, lætiusq; Dominum expectantes Et hactenus sunt ipsis bona ipsorum opera, bonum fundamentum in futurum: quibus spes futurorum mire suffulcitur, eo quòd adoptionis Dei certum sunt argumentũ, unde & uita æterna, fide hic tanto plenior ab ipsis percipitur, quãto ita moribus propius ad eam accesserint. Proinde quantum ad Deum, ac ipsam æternæ uitæ possessionem attinet, fide nobis thesauros cœlestes reposuimus iam cum credidimus, fidei, quia Deum & Dei omnia dono accepimus. Quãtum aũt ad nostram perceptionem ac fruitionem, tum ad certam etiam aliorum cognitionẽ attinet, reponimus nobis istos thesauros, dum bonis operibus erga fratres, eos penes nos esse, quodãmodo prodimus: tum enim illis uelut utimur: deniq; cooperantes Domino nos ad eos plene percipiendos quasi aptamus.

Bona opera, bonum fundamentum.

Hæc notent simpliciores, quò habeant quod gratię Dei hostibus respondeant, nõ quidem ad conuertendum illos qui peccant ad mortem, sed ad tutandam aduersus illorum technas, cum suam, tum aliorũ fidem. Cumq; dixerint isti, clara uerba sunt, recondite uobis thesauros in cœlestibus, quod utiq; iuxta Paulum est, abundare bonis operibus, ergo nostris operibus comparare nobis possumus cœlestia. Respondeæque clara uerba sunt: Credite in me & habebitis uitam æternam. Sicut tamen credere in manu nobis non est, sed Dei donum, quod & recentiores Theologi, fatentur, fidem uirtutem infusam uocant, sic & uita æterna. Ad hunc modum etiam recondere nobis thesauros iubet, idq; intelligit, bonis operibus incumbere, quod non illubenter annuo. Sed quemadmodum bona operari, nisi antea boni simus, nõ possumus, & boni esse sine ipsius dono, nequimus: ita cõsequitur, adhuc omnia dona Domini esse, qui operatur in nobis, ut & uelimus & efficiamus, pro bono animi

Iubemur, quæ tamen nõ nisi Dei dono possumus facere.

B proposito, Philippen. secundo. Nihil nostrum fuerit, ex nobis. Domino autẽ utente membris suis & organis facere id dicimur, & modulo nostro facimus quod ille facit in nobis.

Verum ergo manet, fide nobis cœlestes thesauros nos reponere, cum uerbo Domini credentes persuasi sumus, Christum æternam uitam nobis donare: quid enim thesaurorum præterea cogitemus? Operibus tamen bonis, ex fide manantibus eosdem, ut dixi, nobis recondimus, quia ad uitæ æternæ perfruitionem, quam fide iam obtinemus, tanto accedimus propius, quanto pleniores charitate, quæ omniũ consummatio est, euadimus. Operibus sanè absq; fide factis, mors, non uita, aut cœlestis thesaurus reponitur. Fides uero si adest, certo nobis, sed apud Deum & in diuina promissione, iam uita æterna nobis reposita est: non igitur per opera recondi poterit. In nobis tamen, quos ad imaginem filij Dei, hac fide oportet quotidie renouari, id nondum apparet, nondum sentitur, & re ipsa nondum huius nouæ atq; beatæ uitæ perfruitio possidetur. Huc ergo fide exerente sese per dilectionem, itur: & hactenus bonis operibus uita æterna apprehenditur, ut Paulus loquitur, atq; thesauri cœlestes reconduntur. Quia quo diuiniores operibus, eo & beatiores euadimus. Hic nanq; finis nostes est, ut consummata bonitate, optimum patrem nostrũ referamus. Vnde Paulus Ephesijs: Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu, ad opera bona quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Vide ex gratia & per fidẽ salus constat, at nõ ut nihil boni operemur: uerũ conditi per hanc sumus, ad opera bona, sed quæ Deus præparauit. Ita omnia Dei donũ sunt, licet ea, quatenus Dei creatura sumus, operante in nobis domino etiã ipsi paremus. Vt enim scientes & uolentes nos Dominus ducit & agit, ita nõ illibenter scriptura identidem nos agere & operari dicit, quæ agit ex operatur in nobis Dominus.

Nos dicimur agere, quæ agit in nobis Deus.

Nam ubi fuerit thesaurus uester, illic erit & cor.) Alterum argumentum, à proC
uerbiali sententia, quales plurimum semper ueritatis obtinent. Est autem simul intellectio, non enim totum, quod intelligi uoluit, explicauit uerbis. Eplicatur autem hoc modo, Patrē in cœlis inuocatis, à quo & ad cœlestia, hoc est, spiritalia atq; æterna bona estis uocati: in illis igitur esse & uersari debet cor uestrum, nisi tantam optimi patris bonitatem contemnitis, aut non creditis, totos uos illò rapi oportet: iam si in terra thesaurizatis, illic cor & curæ uestræ omnes erunt. Vera enim est sententia, quæ uulgo prouerbij uice iactatur: Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuū. Quid autem infœlicius uobis queat contingere, quàm animis addici, caducis & perituris istius mundi rebus, atque à cœlestibus & externis excidere? A quibus alieni planè sunt, quotquot ea nō uere sitiunt, & prima curant. Esurientes nanq; Deus implet bonis, Et profecto si nihil aliud, hoc unum satis esse debebat, ad eximēdam nobis omnem rerum mundi cupiditatem, quòd animus, qui Deo delectari debebat, æterno bono, uelit nolit, nihili istius seculi rebus, prorsus adligetur, cum primum rei agēdæ studere cœperimus. Quod aūt tormentum simile, quā si homo ita dementaretur, ut sciens humanos cibos salubriores & delicatiores, neq; posset tamen, nisi stercoribus uesci atq; oblectari? Hæc cum superioribus, & apud Lucam legimus duodecimo. Vbi ijsdem ferè argumentis, quibus hic, sed occasione cuiusdam, qui appellauerat ipsum, pro diuidenda hæreditate, contra cupiditatem disputauit.

Summū malū corde terrenis addici.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Lucerna corporis est oculus.) Collatio hæc, & Luc. 11. legitur. Cum enim ea dominus indubie usus sæpius fuerit, satis habuit Lucas eam semel narrasse. Et illic de lucerna, quæ accenditur, non ut abscondatur, sed ut proferatur ad lucendum hominibus meminerat. Verum hic pulchra & patente consequentia, hęc collatio prioribus subiecta est. Hortatus fuit Dominus ut in cœlo nostros thesauros recōdamus, D
ne in terra recondētes thesauros perituros, illis addictos quoq; animos habeamus, simul perituri. Quid iam conuenientius subijci potuisset, quam: Videte ergo ne mentem uestram ad ista terrena & caduca demittatis. Oculorum uice illa uobis est, uti ergo totum corpus in tenebris palpitat, uitiatis his oculis, qui lucerna eius sunt ita luce uitæ prorsus carebitis, acturi in tenebris mortiferis, si mens obfuscetur & insyncera sit, non potens uera bona peruidere. Id quod usu illi euenit, mox atq; terrenis istis ac falsis bonis, sese dederit accumulandis. Nam qui ditescere uolunt, incidunt in tentationē & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quę demergunt hominem in exitium, & interitum, &c. 1. Timoth. 6. Omnia concise, dixit, intellectioniq; auditorum, multa reliquit, quod sic loqui, magnam dicentis præ se ferat autoritatem, & soleat mire audientibus cogitationē mouere, aculeosq; non uanos in mentibus ipsorum relinquere. Quāquam, ut ab initio admonuimus, Euangelistæ non singula dicta & facta Domini conscripserunt, cum instituissent breuem modo nobis cōmentarium edere dictorum & factorū Domini, in quo ea breuiter, & per capita perstringerent, non explicarent fusius. Proinde non dubitarim Dominum istiusmodi doctrinas populo quàm clarissime & copiosissime exposuisse: utcunq; Euangelistæ ex illis breues adeo sententias nobis conscripserunt.

Mēte immersa curis mundi perit omnis cognitio ueritatis.

Per metaphoram oculum pro mente posuit, nam simplicem & prauum facit, quæ mentis sunt, non oculi corporei. Corpus uero pro tota uita & actibus. Id enim corpori, uitiatus oculus est, quod toti uitæ, mens praua. Vt igitur nihil lucis reliquum manet oculo corrupto, ita nihil ueritatis aut sani consilij, omnis uita hominis reliquum habet, deprauata mente. Vnde ait: Ergo si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipse tenebræ quantæ? hoc est, si etiam mens, quæ ad honesta ac salubria omnibus sensibus & affectibus debet prælucere, uice oculi, scilicet, & instar lucernæ habita, tenebræ fuerint, id est, diuinæ bonitatis ignara, indeq; ad quęrenda carnalia

Quid per oculū et corpus.

extiterit

A extiterit detorta, ipsæ tenebræ quãtæ: id est, affectus & sensus naturæ alij, alioqui ad prauitatẽ à puero proni, quãta improbitate erunt perditi, auriga ipsorũ, mente, nihil sani meditante? Huiusmodi autem mens est omnium, terrena diuinis præferentiũ. Ne igitur capiat uos, terrenarum rerum cupiditas, superna potius quærite. Quibus si mens sese dederit, diuino lumine perfusa, omnem uitam ita illustrabit, ut omnia sancta, fœlicia & diuina futura sint. Corpus totum lucidum erit, ut est apud Lucam, nullam habẽs uel partem tenebrarum: uelut si te lampas coruscatione illustret, hoc est, actiones uniuersæ erunt pietate illustres atq; secundæ: & nihil omnino tenebrarum, cupiditatis aut infœlicitatis illis dominabitur. Nam infœliciter cadit, suãq; pœnam semper coniunctam habet, quicquid ex cupiditate agitur: ut contra fœlix & faustum est, quicquid geritur ex sententia Dei, idq; demum uere lucidũ uocatur: lucis enim nomine nõ tam pietas & iustitia, quã successus ac fœlicitas in scripturis significatur. Non est autem intelligendum quod ex pietate agentibus, nihil omnino peccati aut erroris sit adhæsurum, sed quòd nihil horum sit eis dominaturũ, & quòd mali respectu nihil sint acturi. Gloriam aũt Domini in omnibus spectantes, re ipsa etiam lucidi tandem per omnia, ac liberi omni parte tenebrarũ, euadent. Fide & spe iam, nihil nisi lux sunt, iuxta illud: Eratis quondam tenebræ, nunc aũt lux in Domino, Ephe. 5. Hactenus lucidi toti, & nullam habentes partem tenebrarũ, prædicãtur. Hæc confirmant, quod oculũ, id est, mentem simplicem requirit, hoc est, gloriæ Dei simpliciter studiosam, ac nihil aliud spectantem. Huic iam nihil peccati, aut erroris imputabitur: si etiam actibus eius, ista hic se nunquam non admisceant. Deo autem peccata non imputante, quis esse peccata audebit affirmare? Siquidem peccata, Dei offensa sunt. Ad idem facit, quod non nisi oculum πονηρόν, prauum, uersutum ac malum damnat, nimirum mentem sua quærẽtem, etiam si Dei honorem prætexat. Vti Hypocritæ solent, qui cum maxime omnium diuinæ gloriæ studiosi uideri uolunt,

B nihil nisi serui sunt uentris sui, uel nominis, aut certe, quod est creberrimũ, utriusq;. Hi utcunq; lucem externe simulent, sicut mentem prauam habent, ita per omnia tenebræ sunt, impij & miseri. Ad eundem modum & infra. 20. oculus malus accipitur, ubi dicit Paterfamilias uni murmurantiũ, quòd non plus accepisset ijs, qui una hora duntaxat in opere fuerant, an oculus tuus malus est, quòd ego bonus sum? id est, num mea liberalitate & benignitate, animus tuus prauus, ad inuidiam & malignitatem concitatur? Eadem metaphora est, malus oculus, pro animo prauo & maligno. Hæc aũt allegoria, qua oculum pro mente dicunt, inde Ebræis nata est, quod animi habitus se oculis maxime prodit. Solent aũt oculum bonum, pro animo liberali & benefico, malum pro parco & inuidenti dicere. Illius habes exemplũ Prouer. 22. Bonus oculus benedicetur, quia dat de cibo suo pauperi. Huius Prouerb. 23. Ne edas cibum oculi mali, & ne desideres delitias eius. Nam cum dicet tibi, ede & bibe, id erit ipsi tanquam incidens nouacula, & cor eius non erit tecum.

Quid lucidũ.

Quomodo lucidi toti.

ENARRATIO SECTIONIS, VII.

Nemo potest duobus Dominis seruire.) Et hæc prouerbialis sententia est, cõmodum sanè prioribus subiecta, postquam hortatus fuit, adfigẽdum animum in bonis cœlestibus, & dandam operam, ut mens illis simpliciter sit intenta: non studium illorum simulet, uere autẽ terrena quærat, quo pacto ipsa praua & cæca tenebris impietatis, omnia alia pariter perdet. Cogitare enim discipuli ad ista potuerant, quid si simul utraq;, cœlestia & terrena curaremus, nõ ista curaremus, illa autem curare simularemus, oculo malo? Huiusmodi ergo cogitationi, his appositè respondet: Nemo potest duobus Dominis seruire. Quasi diceret: Scitis uulgo celebratũ adagium, neminem posse duobus Dominis seruire, ita uos nequaquã rei aceruandæ & Deo inseruire simul poteritis. Seruire autem intelligitur, animo sese cui seruias, prorsus addicere. Sic sanè qui Deo seruire uolet, & ad ipsius uoluntatem sese cõparare, nulli

Idẽ Luc. 16

minus quàm mammonę poterit esse addictus,imò si opes habeat dominabitur illis, C
dispensans eas ad Gloriam Dei,& fratrum commodum.Ita contrà qui pecuniæ ob-
strictus fuerit, is nequibit seruire Deo. Nam qui uolet seruire Deo, eum necesse est
ut renũtiet omnibus quæ possidet,solamq; ipsius gloriam curet. Illa uero,aut enim
hunc habebit odio,&c. ad similitudinis explicationem dicta sunt:& ideo fuse adeò,
ut id cuius similitudinem explicant,animis auditorum magis insideat.Nempe hoc:
Nõ potestis Deo seruire & mãmonæ.Quare philosophari in uerbis illis,odisse,dili-
gere,adhęrere,negligere,non erit ratio.Sicut & friuolum est,quod quidam solíciti,
ne non uerum sit, Domini dictum:Nemo potest duobus Dominis seruire,addunt,
contrarijs. Quasi uerum ullum par dominorũ inueniri possit, quibus idem seruus,
Seruire quid. ex æquo,& pari studio seruire possit. Seruus enim totus eius est,cui seruit. Quanq;
Prouerbium Dominus,à uulgi moribus mutuatam hanc sententiam, siue prouerbium,in hoc so
à uulgo mu- lum adduxit,ut declararet per similitudinem, impossibile esse, quod plærique omnes
tuatum. frustra conãtur Deo seruire,& diuitijs,eoq; satis habuit,uulgo ita uerum esse,quod
nemo duobus Dominis queat inseruire. Magno uero ecclesiæ redimendum esset,
ut relictis inanibus ac plurimum maiestati doctrinæ Christi derogantibus allego-
rijs & commentis alijs friuolis,simpliciter ac sobrie persequeremur, id,quod Domi
nus dicere & docere uoluit.In quo sanè discendo & docendo, satis superq; quod a-
gamus,quoq; ędificemur,nobis propositũ est.Mammon syriacam uocẽ esse,& diui
tias significare,autor est Diuus Hieronymus. Luc.16.eadem leguntur.

ENARRATIO SECTIONIS, VIII.

Propterea dico uobis,ne sitis solíciti animę uestrę,&c.)Nimirũ quia thesauriza-
re in terra, terrenis ac perituris rebus, cor quoq; adfigit,atq; cæcat, quo totius uitæ
oculo corrupto nihil manet in omni uita lucidum & sanum. Neq; fieri potest, ut si-
mul iam Deo intentus animus sit & studeat, qui opibus conquirendis sese dedide-
rit.Ob hæc sanè recte monet, ne solíciti simus animæ nostræ, quid edamus, &c.Et D
eo simul,alij cogitationi obuiat, qua cogitare quispiam possit:Non est animus the-
saurizare,neq; prauum oculum habere,cumulandis diuitijs,scilicet,deditum, cum
gloriæ Dei studium simulet.Sed nec seruire mammonæ, hoc est, penitus me cõge-
rendæ pecuniæ addicere uolo.Interim cibo tamen opus est, & uestimentis, horum
Quid soli- si me solícitudo tenet,quid quæso iniqui,aut impij? Huic respondet:Propterea dico
citudo. uobis ne sitis solíciti. Quasi diceret,etiam si pro necessarijs duntaxat solícitudinem
admiseritis, illico & cadit fides in Deum, & detrahitur mens à cœlestibus. μεριμνᾶν
enim,id est,solícitos esse & anxios pro uictu & rebus alijs,quamlibet necessarijs cer
to arguit, tum fide in Deum destitui, tum terrenis rebus nimium esse animo addi-
ctum. Qui nanque Deo fidit, nouit nihil sibi necessarium unquam defore, neque
uolet illis, uel plus,uel diutius frui, quàm sit bona patris uoluntas: proinde,ut labo-
rabit quidem quo suo pane uescatur, ac etiam tribuat necessitatem patienti, ita so-
licitudinem anxiam,scilicet,ac diffidentem,& terrenis penitus inseruientem,in ani
mum haudquaquam admittet.

Nónne anima pluris est,&c.) Intellectio est,intelligi autem uoluit, si Deus no-
bis ultro & immerentibus,uitam & corpus largitus est,nequaquam negaturum ci-
bum & uestimenta,quę multo minoris sunt. Mox exemplum subijcit. Considerate,
inquit,uolatilia cœli, uolens persuadere, quando nos illis multo pluris sumus, &
Deus illorum conditor,noster etiam pater est, ne dubitaremus, nos quoq; ipsi plus
curæ esse,quam illa:eoq; cum pascat illa,& quidem citra omnem ipsorum laborem
nequaquam passurum nos penuria adfligi, præsertim ex uoluntate ipsius labori no
stro intentos. Posthæc obiecta uanitate nostræ solícitudinis,ab ea dehortatur. Quis
inquit,solícite cogitando,potest addere staturæ suæ,unum cubitum? Quasi diceret,
Quid frustra uos cura discruciatis. Patris non uestrum est, ut dare staturæ modum,

ita

A ita & ueſtimẽtum. Alioqui intendite omnem ſolicitudinem, & uel cubito uno uos ipſos maiores reddite. Agnoſcite igitur bonitatem & benignam prouidentiam cœleſtis patris ueſtri, qui nihil non egregie perficit, ut dedit hanc corpori menſuram, ita inueſtitos haudquaquã relinquet. Conſiderate lilia agri, quæ cras reciſa in clibanum proijciuntur, ea pater ueſter ita ueſtit, & ornat tile gramen, ut omnis ſplendor Solomonis æquiparari illorum decori non poſſit, ſicut ars naturã nunquã aſſequitur, & ueſter pater, & cœleſtis, id eſt optimus pater, uos filios ſuos, ſcilicet, linet algere? ô parum fidentes, & prouidentiæ optimi patris nimis incurij.

Animæ nomine, & ſi uim illam ſcriptura ſoleat ſignificare, qua uegetamur & ſentimus, nonnunquam tamen & pro uentre illud uſurpat, ut Ieſ. 5. Propterea dilatauit infernus נפשׁ id eſt, uentrem ſuum, & diſtendit os ſuum, abſq; modo. Item apud eundem Vatem capite. 19. in ſimili ſomniantis ſe edere, cuius cum euigilarit, anima id eſt, uenter uacuus eſt.

Ne ſitis igitur ſolliciti, dicentes: Quid edemus, &c.) Exprimit naturam ſolicitudinis, quæ huiuſmodi cogitationibus, ceu continuis æſtibus quibuſdam, hominem exagitat. Quid edemus, quid bibemus, &c. ſemper timorem ſuggerens, ne iſta aliquando deſint. Quæ licet animi trepidatio, per ſe ſit admodum graue tormentum, eoq; uehementer fugienda: debet tamen inuiſa nobis eſſe, & eo nomine, quod prorſus Ethnica eſt, & hominum Deum ignorantiũ, qui cum meliora ac ueriora bona ignorant, iſta potiſſimum inquirunt. His profecto in filios Dei adoptati diſſimiliſmi eſſe debemus, & quem patrem noſtrum confitemur, non dubitare, ut noſſe, quibus opus habemus, ita affatim quoq; ea ſuppeditaturum. Sic & à perſona noſtra, qui de Gentibus in filios Dei electi ſumus, & ab ineffabili Dei bonitate, ductis argumentis, hortatur hic ut ſolicitudinem uanam iſtam mittamus, & patris cœleſtis bo-
B nitati, nos animoſe committamus. Habet aũt peculiarem energiam, quod ait: Nouit pater ueſter cœleſtis, quòd opus habeatis his omnibus, & non potius pater ueſter cœleſtis dabit hæc omnia. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: Deum patrem appellatis, non igitur poteſtis dubitare uos illi curæ eſſe, & eum propenſum, ut neceſſaria nobis omnia ſuppeditet, idq; etiam poſſe: iam hortor ergo, ut ſimul agnoſcatis, neque latere ipſum, quibus uobis opus eſt. Quando itaq; poteſt omnia, & propenſiſſimus eſt ad uos iuuandos, nouit deniq; quæ uobis neceſſaria ſunt, quid quæſo ipſius uos prouidentiæ cõmittentes, deſideretis? Huic ergo optimo patri, omnium curam indulgentiſſime gerenti, & ueſtri curam atq; ſolicitudinem remittite: ueſtram interim curam ac ſolicitudinem in id intendentes, ad quod ille uos delegit. Nimirum ut primum, id eſt, ante omne omnia quæratis regnum & iuſtitiam eius, hoc eſt, operam detis, ut bonitatem ipſius quamplurimi uobiſcum uere agnoſcant, ſedulo colant, ſancteq; adorẽt, fide in eum, & dilectione erga proximos ſolidam iuſtitiam ſectantes. Hoc munus ueſtrum eſt, in hoc uocati & cõſtituti eſtis: id igitur curate, huc ueſtras curas omnes conferte. Quæ uobis neceſſaria fuerint, ea non ueſtra, ſed ſola ipſius cura parari poſſunt, & neceſſe habent: ne igitur libeat fruſtra, & cum patris ueſtri offenſa, iſtis conquirendis ſolicitudinem impendere. Eius benignitate, incumbentibus uobis ueſtro officio, adijcientur hæc omnia. In diem igitur uiuite, & omnem in poſterum curam à uobis profligate: ſatis habentes, curaſſe die quolibet, quæ illo die Dominus curanda obiecerit. Nam ut diffidens de ſucceſſu ſolicitudo ponenda eſt, ita labor & cura qua penſum ſuum rite quiſque perſoluat, munuſq; ſuum recte obeat, ponenda non eſt. Labore enim noſtro, panem noſtrum comparare addecet, iuxta illud. 1. Moſche tertio: In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo: & Epheſijs quarto, Qui furabatur iam non furetur, ſed operetur manibus, ut habeat quod impertiat opus habenti. Noſtri ergo ſolicitudo mittẽda eſt, aliorum ſuſcipien-

Quærere regnum Dei.

da. Iniuncto operi incumbendum, operis pretium autem ac emolumentum, com- C
mendandum prouidentiæ patris.

Quia itaq; laborandum est, & operis cura habenda, ait: Crastinus dies curam habebit sui ipsius, sufficit diei afflictio sua, quod perinde est, ac si dixisset: Pater uoluit ut laborando uitæ necessaria quæratis, ac quisq; studeat utili aliquo officio fratribus operas suas collocare, ne otiosus non suum panem edat. Huius ergo uos solicitudo teneat, & sit ea uobis satis, uti sanè abunde exercebit, si gnauiter uestro muneri uolueritis inseruire. Crastini igitur, id est, posteri temporis curā ponite, nihil solliciti, quem fructum labores uestri uobis adferant. Tantum in præsens quæ facienda uobis incumbunt, curate, & sinite crastinum diem sui ipsius curam habere, id est, cras rursum, iis, quæ Dominus curanda obtulerit, incumbite, & superuacanea cura, uos ipsos ne discrutietis. Sufficit afflictio & labor, quem Dominus cuilibet tempore immittet suum. Summa est, ne pro uitæ necessariis, aliter aut plus soliciti simus, quàm nobis Dominus iniunxerit, qui nihil nisi laborē, & utilia proximis opera, et quolibet tempore sua, iniunxit, fructum qui inde ad nos redeat, uult suæ pro nobis solicitudini, cōmittamus. Cæterum sicut quærere regnum & iustitiam Dei, in primis debemus, hoc est, ut in nobis et aliis, Deus et pater agnoscatur, ut fide solida charitateq; officiosa uiuamus, ita hanc gloriæ ipsius solicitudinem & studium, ponere nunquam oportet, sed quotidie augere potius, sicut in Paulo huius præclarissimum exemplum habemus.

Laborandum

Luc. explic.

Miram in hac oratione emphasim habet, quòd Deum patrem nostrū, & cœlestem identidem appellat. Quē enim non mouerit, ut sui curam Deo cōmittat, & assumat ipse uicissim sibi, curā gloriæ Dei, hoc, quòd pater noster esse dignatur & cœlestis, qui ad cœlestia & æterna bona uocauit, eum certe nihil huc mouebit aliud.

De regno Dei, quod alias regnum cœlorum uocatur, quo in nobis Deus suo spiritu regnat, & iustitia Dei, qua & ipse nos iustos, & reddit & agnoscit, fide, scilicet, in se, & dilectione erga proximum, dictum suprà est, capite tertio, super illud: Pœniteat uos, appropinquauit enim regnum cœlorū. Lucas duodecimo hæc omnia conscripsit, pauculis adiectis. Vbi enim memorasset Dominum detrectasse inter fratres diuidere hereditatem, indubie, quòd is qui illud eum orasset, non regnum Dei, sed terrena quærebat, & eum cupiditatis suæ ministrum facere conabatur, qui præco & largitor erat regni cœlorum, adiecit ista. Videte & cauete ab auaritia, quia nō quo quis abundat, uita eius est, ex his quæ possidet. Mox quoq; subiecisse parabolam de diuite, propter paratas opes elato, & quietem cum delitijs sibi ipsi pollicente, cui Deus dixit: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, id est, hac nocte, uita ipsa à te auferetur, tam abest, ut ijs quæ parasti, fruaris, immo nescis etiam, cui illa cessura sint. Et addidit: Sic habet qui recondit sibi, nec est erga Deum diues: hoc est, cum minime sperat, uita præsens simul cum rebus aufertur: cumq; præterea nihil eiusmodi habeat, prorsus infœlix & deploratus recta petit geennam. Qui autem diues erga Deum est, hoc est, certa fide, illum sibi patrem esse credit, qui & noscat quibus opus sit, & uelit largissime quoque omnia suppeditare, ei sanè boni nihil unquam deerit. D

Luc. explic.

Reliqua Lucas, ferè cum nostro eadem habet, nisi quod coruos nominatim ponit, quos Deus pascit, ubi nos hic uolatilia cœli, in genere legimus. Fortasse respexit Dominus ad illud Psal. 147. Qui operit cœlum nubibus, qui præparat terræ pluuiā, qui facit germinare montes herbam, dat iumento panem suum, filijs corui clamantibus. Nam quædam coruorum species est, qui pullos suos excluſos negligūt, quos Deus implumes, & omni creaturæ ope destitutos singulari miraculo enutrit, ut quidam arbitrantur rore, ut alij, enatis in nido uermiculis. Sunt qui credant prorsus absq; cibo sustentari. Nisi forte hoc de coruis sit ideo à uate positum, quòd corui lo-

Coruorū pulli miraculo pascuntur.

cis

A cis,ſterilioribus nidificant,ubi non ſit ſatis cibi pluribus.Dicunt enim duos tantum ſimul unam regionem incolere,& pullos ſuos cum iam poteſtas uolandi eſt, nido eijcere, deinde regione tota. Hæc enim Ariſtoteles libro de Animalibus nono,capite 31.de Coruis ſcribit.

In fine adijcit:Sint lumbi ueſtri præcincti, & lucernæ accenſæ &c. auocans eos à cura rerũ præſentis uitæ ſuperuacanea,quod omni momento expectamus nos aliò, & ad meliora uocandos. Sicut enim ſeruuli expectantes Dominũ ſuũ reuerſurũ à nuptijs,miſſa omni alia ſolicitudine inuigilãt diligentiſſime, ut uenienti & pulſanti confeſtim aperiãt.Sic & nos decet, ad abitum hinc cum Domino eſſe paratiſſimos: id quod per præcinctos lumbos,& accenſas lucernas,ſignificauit.Sic enim ſe parãt noctu ambulaturi.Friuola enim eſt philoſophia,qua quidam de lumbis & lucernis per ſe philoſophantur.Similitudo enim duntaxat mutuata eſt à uulgari more noctu ad iter ſe parantiũ,qua monere Dominus uoluit, ne nos cura rerũ præſentiũ grauaremus,ſed expediti potius expectaremus, quãdo hinc nos euocaret, ad lõge beatiores opes & delitias. Eadem ferè quæ hic, alio loco & occaſione,contra cupiditatem diſputaſſe Dominum Lucas cõmemorat.Inde apparet eum hæc ſubinde monuiſſe, quæ quiſq; Euangeliſtarum in loco ex ſua narratione commodo expoſuit. Fuerunt autem hæc diligenter conſcribenda, eò quòd quibus perſuaſum fuerit, uitam ſuam Deo curæ eſſe, ei tota pietas perſuaſa ſit.

CAPVT SEPTIMVM.

NOLITE condemnare, ne condemnemini. Quo enim iu- Sect.1.
dicio iudicatis,eo iudicabitur de uobis;& qua menſura me-
B timini,ea metientur uobis alij. Cur autem uides feſtucam,
quæ eſt in oculo fratris tui,trabem autem, quæ eſt in oculo
tuo non animaduertis? An quomodo dicis fratri tuo, ſine
eximam feſtucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo?
Hypocrita,eijce prius trabẽ ex oculo tuo, & tum perſpicies,
ut eximas feſtucam ex oculo fratris tui.

Ne detis quod ſanctum eſt canibus, ne proieceritis margaritas ueſtras an- Sect.2.
te porcos, ne quando hi conculcent eas pedibus ſuis, & illi uerſi in uos, lacerent uos.

Petite & dabitur uobis, Quærite & inuenietis. Pulſate & aperietur uobis. Sect.3.
Quiſquis enim petit,accipit,& quicunq; quærit,inuenit, & pulſanti aperietur. An quiſquam eſt ueſtrum homo,qui ſi filius eius petierit panem,lapidem daturus ſit illi? Aut ſi piſcem petierit,num ſerpentem porriget illi? Si uos igitur cum ſitis mali, noſtis dona bona dare filijs ueſtris, quanto magis Pater ueſter qui eſt in cœlis,dabit bona,ſi poſtuletis ab ipſo?

Omnia igitur quæcunq; uolueritis, ut faciant uobis homines,ſic & uos fa- Sect.4.
cite illis.Hæc enim eſt Lex & Prophetæ.

Introite per arctam portam,quoniã lata eſt porta,& ſpatioſa uia,quæ abdu Sect.5.
cit in exitium,multiq; ſunt qui ingrediuntur per illam. Quoniam anguſta eſt porta & ſtricta uia,quæ abducit ad uitam,& pauci ſunt,qui inueniunt illam.

Cauete uero uobis à Pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouiSect.6.
um, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A fructibus ipſorum agnoſcetis eos.

Nunquid colligunt de ſpinis uuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bo C
na fructus bonos facit. Putris autẽ arbor fructus malos facit. Non poteſt ar/
bor bona fructus malos facere, neq; arbor putris fructus bonos facere. Omnis
arbor quæ nõ facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur: igitur ex
fructibus ipſorum agnoſcetis eos.

Sect. 7. Non quiſquis dicit mihi, Domine domine, introibit in regnum cœlorum,
ſed qui fecerit uoluntatem Patris mei qui in cœlis eſt. Multi dicent mihi in die
illo: Domine domine, nónne per nomen tuũ prophetauimus, & per nomen
Pſal. 6. tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus?
Ac tum confitebor illis: Nunquam noui uos. Diſcedite à me qui operamini
iniquitatem.

Sect. 8. Omnis enim qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, adſimilabo illum
uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit imber,
& uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non
eſt proſtrata, fundata enim fuerat ſuper petram. Et omnis qui audit à me ſer/
mones hos, & non facit eos, adſimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domum
ſuam ſuper arenam, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uen
ti, & impegerunt in domũ illam, & deiecta eſt, & fuit ruina illius magna. Et fa/
ctum eſt ut cum finiſſet Ieſus ſermones hos, obſtupuerũt turbæ ſuper doctri/
na illius. Docebat enim eos uelut habens autoritatẽ, & non ſicuti Scribæ.

QVI certam & expeditã dictorum, & factorum Domini, ut ea Euange/ D
liſtæ conſcripſerunt uolet intelligentiã habere, eum neceſſe eſt probe
meminiſſe, illos nihil aliud ſpectaſſe, quàm ut ex paucis quę de Chriſto
narrant, doctrinæ & uitæ ipſius imaginem aliquam nobis proponerẽt,
ex qua illum eſſe Chriſtum & ſeruatorem agnoſceremus, & ante ocu/
los, quæ uita digna Deo ſit, haberemus. Ideo nequaquã adnumerare uerba ipſius,
aut ſuo ordine ſingula recenſere, curæ illis fuit: breuiter annotaſſe quædam, ex qui/
bus cõijcere reliqua poſſet, quicunq; ſpiritum Dei, & ſcripturarum uel aliquam co/
gnitionem haberet, contenti fuere. Hinc non dubito, in oratione iſta bene longa,
Chriſtũ fuſius & explicatius multa dixiſſe, ac plæraq; alio etiã ordine, quàm Euan/
geliſtæ conſcripſerunt: ſimul eadem ſæpe aliâs quoq; docuiſſe, imò iſtiuſmodi ubi/
cunq; docendum ei fuit, quãdo in illis ſumma pietatis ſita eſt, inculcaſſe. Quare qui
ſingula connectere, & ex ordine hic obſeruato, aliorum Euangeliſtarum narratio/
nes æſtimare, aut digerere laboret, is ultro ſibi tenebras offundet, atque implicabit
tanto magis ſeſe, quanto plus explicare fuerit anniſus. Quod hic iterum monere uo
lui, quòd omnino caput hoc. 7. miſcellanea contineat, & quæ multo alio ordine, a/
lijſq; etiam uerbis apud Lucam legantur.

Canon Euan/ geliſtas intel/ ligendi.

Habent tamen ad ſuperiora nõ omnino nullum ordinem: Ab initio teſtatus Do/
minus fuit, ſe non ueniſſe ut legem aboleret, ſed impleret, eoq; ſuorum iuſtitiam o/
portere iuſtiſſimorum etiam iuſtitia conſummatiorem eſſe, hac cauſſa mox quæ/
dam Dei præcepta, propius ad dilectionem, quæ legis ſumma eſt, pertinentia, pha/
riſaicis repurgata commentis, ſuo germano ſenſui reſtituit atque explicauit, decla
rato, quàm late pateat, quamq; ſynceram eſſe oporteat dilectionem proximi. Tum
6. cap. ad ſynceritatem eleemoſynæ, precationis & ieiunij, condemnato fuco Pha/
riſęorũ hypocritarũ, cohortatus eſt. Vtq; ea animo ſyncerita obtineri queat, multis

contra

contra cupiditatem, matrem hypocriseos, & omnis mali disputauit. Nam soli Deo sese approbare is haud poterit, qui non ab ipso uno per omnia pependerit. Iam hoc capite.7. monet de iudicio temerario, quo sanctiores nonnunquam præ alijs peccare solent, de religione sacra promendi, de precandi studio, & impetrandi facilitate: tum præcepta omnia uelut consummans pronuntiat legem & Prophetas esse, ita facere hominibus, ut quisq; illos facere sibi optet. Mox hortatur ingredi per arctam portã, cauere sibi à Pseudoprophetis, fidei ueritatẽ per bona opera probare, alioqui nullum nos locum inter suos habituros, &c.

Quæ ratio cohortationis Apostolicæ.

Habent autem ad hunc modum, ferè adhortationes Apostolicæ omnes. Etenim omnium scripta quæ quidem ad nos uenerunt, hortantur nos ad sedulam dilectionem, quæ fratrum morbos, cum tolerare possit, tum curare studeat, ut uerbum Dei rite secetur, ut predicationibus instetur, ut domita carne, ad ardua Dei mandata enitatur, praua doctrina caueatur, nomini & externæ confessioni nõ fidatur, sed bonis operibus potius indefesse studeatur.

Luc. explic.

Nolite iudicare, ne iudicemini.) Apud Lucam hæc ita legimus: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condẽnabimini. Remittite & remittetur uobis. Date & dabitur uobis, &c. Ingenio enim hominũ inter reliqua uitia penitissime insitum est, in alienis peccatis curiosum esse, alienaq; facta iudicare, ut cum seipsis uere iusti & laudati esse nequeant, aliorum saltem collatione, non nullam probitatis umbram sibi concilient. A quo sanè morbo uere Christianus dupli ci nomine abhorret, cum quòd ob sua peccata ita animo affligitur, atq; ut scripturæ uerbo utar, conteritur, ut peccantibus alijs facile misereri queat, indignari nequeat, tum quòd agnoscit se proximi conseruum, non iudicem, eumq; ut Paulus Roman. 14. ait, communi Domino siue stare, siue cadere, quanquam ne cadat, & si cecidit, ut rursus ipsum erigat, tam pro ipsius dilectione, quàm cõmunis Domini studio diligenter aduigilet. Vt uero Christianus à pestilẽti illa curiositate, aliena peccata inquirendi, excutiendi atq; iudicandi, prohibetur & agnitione suę ipsius infirmitatis, & religione erga communem iudicem Christum, tum etiam proximi dilectione, ita multo minus poterit, ex eisdem caussis, fratrum facta, aut ipsos fratres, cõdemnare; præsertim cum de animo, à quo omnis probitas pendet, cognoscere non sit hominis. 1. Corinth. 4.

Quid iudicare.

Iudicare ergo quod hic Christus uetat, est aliena dicta uel facta, non ut emendes, sed ut notes, denigratoq; proximo, tibi uel probitatis opinionem, uel praui animi oblectationem concilies, explorare & censere. Oritur uero ex praua quadam curiositate, & habet ferè comites inuidentiam atq; animi peruersitatem, ex alienis peccatis uoluptatem percipientis. Condemnare autem est contra eos, quos ita iniquo animo iudicaris, pronũtiare. Hoc impium est, istuc hæreticum, illud ex ambitione, hoc ex auaritia factum: isti Christum ex animo nunquã norunt, hypocrisis est, quicquid agunt & loquuntur. Et quoniam cum iudicium exercetur, non solum facta explorantur, sed etiam tandem uel laudantur uel damnantur, ac mos scripturæ, non infrequens est, per iudicare, damnare intelligere, ut in illo: Princeps mundi iam iudicatus est. Matthæus satis habuit, priorem duntaxat sententiam posuisse: Nolite iudicare, ne iudicemini. Lucas uero ut magis hæc explicaret, adiecit & alteram: Nolite condemnare &c.

Per minatam talionem ab iniquo iudicio reuocat.

Quod uero Dominus ab iniquo & prauo hoc iudicio eo potissimum auocat, ne & nos quoque illud experiamur, in caussa fuisse existimo, quòd natura mire inuisa res omnibus sit, sua ab alijs uestigari odiose, ac sinistre arbitrari. Commodum igitur monuit, ut sicut ab alijs permolestum est, nostra inamice, ac citra candorem accipi, nedum improbe dijudicari, ita uicissim in æstimandis censendisq; que alienis, æquitatem & candorem non posthaberemus. Qui enim uel aliquam

æquitatis

æquitatis portiunculam etiamnum retinet eum, à prauo & odioso iudicio uitæ alienæ, utiq; absterreat, cogitasse, quàm graue & inuisum sibi sit, se & sua ad hunc modum iudicari.

Candide iudicantes experiuntur qui iudicent ipsos sine candore.

Porrò hoc quòd Christus hic ait: Ne iudicemini: & apud Lucam: Et non iudicabimini, tum rursum hic: Quo enim iudicio iudicabitis, eo iudicabitur de uobis, & qua mensura &c. nemo ita accipiat, si ipse candide de fratribus & factis ipsorum sentiat, & à iudicandis illis, nedum condemnandis in totum abstineat, quod præterea non sit iniquius iudicium sibi à quoquam expectandum. Quis enim ab iniquo iudicio unquam fuit alienior Christo, & quis tamen id æque passus est ab alijs? Sed Dominus rudibus & uulgaribus locutus id obiecit, quod uulgo ac ferè fieri solet. Omnino enim qui candide facta aliorum interpretãtur, apud plurimos uicem merentur, licet non omnes. Ita contra qui omniũ censores se faciunt, & citra æquitatẽ, ij planè & aliorum iudicijs iniquioribus sese reddunt obnoxios. Quibus cum nihil molestius feramus natura, debemus sanè illis alios nequaquam grauare: sed si quid peccatum fuerit, ad condonandũ esse faciles: quod sic futurũ sit, ut & nobis peccantibus, uenia detur. Repudiãda ergo monet quæ charitati aduersantur, & amplectenda, quæ ex ipsa promanant, quale est remittere, dare, & benefacere. His qui studuerit, ei uicissim dabitur & benefiet, idq; cumulatissime. Quod per mensurã bonam, confertam, concussam & exundantem intellexit.

Vulgares sententiæ.

Sunt etenim hæ sentẽtiæ, è uulgi sermone mutuatæ, quibus Dominus hortari ad id uoluit, quod paulò infra subijcit, ut omnia quæcunq; uoluerimus ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis. Tum monere, ita comparatum esse diuinitus, ut quales ipsi in alios fuerimus, tales alios experiamur erga nos. Iuxta illud Prouerb. 11 Bona eueniunt bona consectantibus: mala accidunt mala quærentibus. Non quòd nulli malam gratiam sint relaturi, sibi benefacientibus, sed quòd diuina bonitate futurum sit, ut quantumlibet ingrati existant, quos beneficijs affeceris, beneficentia tamen tua, suo fructu nunquam defraudetur, alijs horum uicem obeuntibus. Hinc est illud centuplum, etiam in hac uita, quod percipiunt, qui propter Christum aliquid reliquerint. Et illud: Quidam largiuntur, & tamen ditescunt: quidam parci quanq; magnas opes habuerint, subinde pauperiores fiũt. Qui liberaliter benedicit, impinguatur, qui inebriat, inebriatur. Prouer. 11. Item, qui pauperi dat, is non egebit. Prouerb. 28. Sic qui contra maleuoli sunt in alios, iniqui & molesti alienæ uitæ æstimatores ac censores, difficiles & iniuriæ memores, beneficentiæ uero negligentes, effi cit Dominus ut alios quoq; tales sibi sentiant, ut sæpe successu rerum frui uideãtur. Et hoc est quod hic ait: Quo enĩ iudicio iudicatis, iudicabitur de uobis: & qua mensura metimini, ea metientur uobis alij. Quod posterius, prouerbij uice & ab Ethnicis scriptoribus iactatum est, ut meminit Erasmus in Chiliadibus. Boni tamen nihil nisi bona remetiuntur, siue bona siue mala, alij ipsis admensi fuerint, quod arbor bona, non nisi fructus bonos proferat. Vicem malorum rependendam Domino committunt. Apud Marcum quarto legimus, in alium sensum Dominum hoc prouerbio usum: Qua mensura &cæt. Nempe ad significandum ijs, qui ex audito uerbo Dei, fructum attulissent, plus spiritus adijciendum. Ei enim qui habet, dabitur &cætera.

Gratia gratiam parit, ut iniuriam iniuria.

Porrò ad hunc locum, de prauo fratrum iudicio pertinent, quæcunq; in curiositatem alienæ uitæ, malam suspitionem, atq; obtrectationem scriptura habet: omnia enim hæc, sub iudicij & condemnationis fratrum nomine à Christo damnata sunt, ut & dilectioni aduersantur, cuius hic negotium agit. Atque ideo hic minime damnatur, quicquid iudicij charitas exercet, dum fratrum morbos inquirit, & arbitratur, sed ut sanet, dum doctrinam excutit, ut quod uerum est sequatur, sequendumq; alijs suadeat, uitandum uero, quod deprehenderit secus habere, dum denicq;

Quod iudiciũ charitatis

iudicio

A iudicio suo quosdam ecclesia proscribit, & uitandos pronuntiat, quandoquidem in his omnibus duntaxat glora Dei, & fratrum salus quæritur. A solo nanq; iudicio, quo malum proximo quæritur, quod iure pius deprecetur, Christus hic suos dehortatur, id quod totus sermonis contextus, & subiecta clarius probant, quàm ut dubitari queat. Quanquam si cui liberet uerba diuexare, ut Logomachi nostri solent, haberet sanè hic clara & aperta uerba, quibus angustiata, id est, contentiosa conscientia inhærens, omne iudicium, alienæ cum doctrinæ, tum uitæ & morũ, à Christo prohibitũ, non minus probabiliter, adde etiã pie damnaret, atq; hodie quidã cœlũ et terram permiscent, quo dãnent iuris iurandi usum & alia sua cõmenta retineant.

Cur autem uides festucam quæ est. Idem Lucas. 5.) Eadem Lucas. 6. habet. Declarant uero hæc, de cuiusmodi iudicio Dominus hic loquatur, nimirum quo quidam domi tot malis adobruti, ut in se suam mentem reflectere reformident, in explorandis ac dijudicandis peccatis aliorum sese oblectant, & conscientiam interim suam, ne proprijs malis excarnificetur, fallunt. De his scribit Plutarchus libello de Curiositate interprete Erasmo. Atqui nonnulli, inquit, propriã uitam uelut in amœnissimum spectaculum non sustinent intueri, neq; rationem uelut lucem ad sese deflectere, ac circunducere. Verum animus omni genere malorum scatens, horrens ac metuens quæ sunt intus, exilit foras, uagatur circa aliena, nutriens ac sagināns animi uitium. Est enim hoc iudicium potissimum eorum, qui ab omni iustitia alieni sunt: quandoquidem nemo, qui uel sua peccata recte agnoscat, uel Dei maiestatem rite suspiciat, aut denicq; fratres syncere diligat, illud exercere possit. Hypocritarum est, qui cum foris omnimodam sanctitatem simulant, intus pleni sunt omni iniquitate. Ii acti à Satana, ad cuius uoluptatem capti sunt, nullos æque odiunt, ac uere bonos, & gloriæ Dei deditos, uti Pharisæi Christũ oderunt, eoq; in illis, ut gra-

Eorum qui ab omni iustitia alieni sunt, est hoc malum.

B uia scelera deprehendere non possunt, ita uel ficta eis impingunt, aut quæ minime peccata sunt, in eis condemnant. Quemadmodum Pharisæi in Christo damnabant, quòd sabbato benefaceret, & in discipulis eius, quòd illotis manibus cibũ caperent, quodq; non crebris ieiunijs fictam sanctimoniam, ut ipsi, uenditarent. Atque huius generis festuculæ sunt, quas hypocritæ illi eruere solent ex oculis sancto-

Ex charitate monere alios, quibus ipse laboret, hic nequaquã prohibet.

rum, cum oculi ipsorũ, trabibus deploratæ impietatis, exĩstant perfossi. Istiusmodi ergo impios hypocritas, & iniquissimos censores innocẽtium, hac allegoria Christus perstrinxit, & nequaquã eos qui ex syncera charitate fratribus etiam in minutioribus peccatis monitores se insinuant, quibus forsan & ipsi, aut certe alijs non minoribus laborant. Non enim isti se iustificare, & illos condemnare, sed se pariter ac illos quoad fieri potest, peccatis purgare, annituntur.

Hodie festucas alijs eruere, ipsi trabibus pressi, conantur, qui coniugia damnant Ecclesiasticorum, ipsi nullo libidinis genere non infande sudantes: qui uiolari uota inuenta humanitus, & legi Dei pugnantia quiritantur, ipsi interim Deo omnia peierantes: qui conculcari carnis macerationẽ uociferantur, quod Christiani promiscue utuntur cibis quibuslibet, ipsi interim nullis lautitijs, & quidem sumptuosissimis non deditissimi. Iis similes sese faciunt, quibuscunq; uoluptati est, mores alienos obtrectare, & in aliorum uitijs uidere acutum, disputareq; inamice. Hoc malo dici non potest, quantum laborent Catabaptistæ, qui quòd crassiora illa carnis opera, luxum uestium, commessationes licentiores, ludos, & id genus alia, utcunq; à se abdicarunt, omnem se iustitiam nactos arbitrati, neminem præ se non damnant, uociferantes, nihil uspiam esse Christianismi, si quos conspexerint paulo uestiri lautius, conuiuari hilarius, aut quid aliud carni indulgere, non animaduertentes se multo laborare grauioribus, mirabili amore sui, æmulatione & inuidẽtia intolerabili, quodq; ipsissimum Satanam refert, inplacabili odio in omnes Euangelij Christi professores, unde nihil prius habent, quàm illos proscindere, & quo ad licet, quos-

Nostri seculi hypocritæ.

quoſcunq; ab eorum communione auocare, blaſphemantes omnia falſa eos & ex Satana loqui, cum nihil niſi credere Deo, & benefacere proximis doceant. Has iſti trabes in propriis oculis non conſiderant, etiam quòd carni ſuæ nihil non indulgent; quanquam crucem perpetuo iactent, & interim nullam quamlibet minutam feſtucam in oculis aliorum non cernunt. Et certe uel ex hoc ſolo poterat eorum ſpiritus abunde cognoſci: nam ubi ſpiritus Chriſti obtinuerit, ut uere Deus cognoſcitur, ita propria impietas non ignoratur, ac ideo nequit illic peruerſa iſta in uita aliorum curioſitas, iudicandiq; temeritas locum habere, qua quicunq; laborant, quamlibet uideantur innocentes, uere ea impietate domi grauantur, ut ei collatum, feſtuca ſit, quicquid accuſant in aliis. Cęterum, ut dixi, medendi animo, fratrum morbos uel explorare, uel attrectare dilectionis eſt, & zeli Dei: modo uideat quiſq;, & qua poterit diligentia, ne ſit calumniandi morbus, quod ſibi medendi ſtudium uidetur: & cum autoritatis tum opinionis ſanctioris, occulta quædam ambitio, quod exiſtimat zelum Dei. Eoq; niſi tu ſummo timore & æqua fratrum commiſeratione, nec; minore animi ſummiſſione, curanda illorũ peccata, & nequaquã uel propalanda, uel exacerbanda ſuſcipias, ſuſpectum tibi ſit, quod moliris. Aeque autem ſuſpectum nobis eſſe debet: ſi quando uere fratrem laborare ſcimus, & tamen ne fermentetur fortaſſe nonnihil noſtra familiaritas, amicæ monitionis curã adhibere negligimus. Sed unus ſpiritus patris eſt, qui in his & modum ſeruare, & fructum facere, tum docebit tum donabit. Alia de trabe & feſtuca, philoſophari, otioſum erit. Morbũ cul-

Verbum Dei non prophanandum.

pandi alios, ſua maiore impietate interim neglecta, hoc eſt, quod hic damnare Dominus uoluit.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Ne detis quod ſanctum canibus.) Allegoria eſt, qua prohibet Dominus ſanctum doctrinæ uitæ, & margaritum uerbi Dei prædicare impugnatoribus & contemptoribus. Qua autem cõſequentia ſubiecta ſint ſuperioribus, non planè uideo, facileq; perſuadeor, hic aliqua ab Euangeliſta eſſe prætermiſſa, ad quæ iſta reſponderunt, & ex quibus etiam lucem aliquam potuiſſent habere. Nec; tamen etiam hic obſcurũ eſt, quid ſibi Dominus uoluerit, nẽpe, ut dixi, ne illos uerbo Dei admoneamus aut doceamus, quos uidemus, ea uel impietate detineri, ut inde magis ſint, & uerbum blaſphematuri, & nos perſecuturi: uel certe cœno uoluptatum adeo immerſos, ut ſint omnia contemptum & irriſuri. Etenim ſanctum eſt Dei uerbum, & margaritũ, præ quo omnia negligi, imò abiici debent. Idiam impioruri, uel blaſphemiis uel cõtemptui exponere, quiuis uidet, D. maieſtati derogare, & non eſſe theſaurum hunc incomparabilem digne æſtimantis. Porrò fieri poteſt, quòd Dominus poſt damnatam hypocritarum & iniquam meliorum ſe reprehenſionẽ, de admonendis tamen, ſed ex ſyncero amore, iis qui ſubinde delinquunt aliquid præceperit: & tum de iis, quos monendo tantum deteriores reddas, præſentia monuiſſe, ſicuti tenentur à Satana captiui quidam, adeo, ut nequeant auditam ueritatem, non aut atrociter impugnare, aut inſigniter cõtemnere. Verum hic mouere poſſit ſimpliciores, quòd tam Chriſtus ipſe, quàm Apoſtoli, obſtinatis Iudæis, uere canibus, de ſacris myſteriis nõ ſemel uerba feciſſe leguntur, unde ſanè illi furore maiore perciti, conuerſi dilacerare ipſos conati ſunt. Sed ſi quis loca iſta diligenter perpẽderit, in Ioanne plures ſunt, item infra. 23. &c. Act. 7. ubi ad Stephani orationem adeo accenſi fuere, ut mox corriperent ipſum, urbeq; eiectum lapidarent, is inueniet Chriſtum & Apoſtolos quæ

Ad conteſtationẽ coram obſtinatis etiã uerbum promendum.

propoſuerunt ſacri Euãgelij coram iſtis canibus & porcis id feciſſe, partim propter conteſtationem impietatis reproborum, partim propter electos, impiis illis uel permixtos, uel, ad præſentes corroborandos & monendos. Satis nanq; teſtari non pauca ſcripturæ loca uidentur, diuinitus conſtitutum, ut omnibus antequam iudicentur, ueritas aperte & clare adeo proponatur, quod mens nihil contra poſſit, ac

tum

tum qui agnitam reiecerint, peccatum ſuum implere, & plene demum condemnationi ſeſe facere obnoxios, quod & ipſum peccatum in ſpiritum ſanctum, & ut Ioannes uocat, peccatum ad mortem eſt. Huc certe facere inter cætera uidetur illud Ioan. 15. Si non ueniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum nō haberent. Vtiq; cum omnis uita noſtra peccatum ſit, etiam ſi Chriſtus Iudæis iſtis nihil locutus fuiſſet, adhuc peccatum habuiſſent, ſed non completum, non ad mortem: nondum enim ſatis de ueritate fuerant edocti. Sic Act. 17. Deus nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubiq; reſipiſcant, eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarum cum iuſtitia. Siue igitur prædicatione, ſiue ratione alia, Deus curabit unumquemq; etiam reprobum, priuſquam eum iudicet, de ueritate ſatis edoceri.

Deus neminē iudicat, niſi ueritatem antè ſatis edoctum.

Sic itaque ad illuſtrandam gloriam ſuam, ſæpe per infirmos & humiles ſuos, potentes & ſuperbos mundi confundit, dum ſpiritu ſuo efficit, ut illi his magna libertate ſuam impietatem oſtendant, & ueritate animoſiſſimè atteſtētur. Quod utiq; ſicut ſpiritus diuini & ueritatis inuictam potentiam declarat, & reddit illuſtrem, ita robora imbecillium fide, ſalutem quoque promouet. Quemadmodum ex libertate Pauli Romæ declarata, plures, ut ipſe teſtatur, uberius auſi fuere impauide ſermonē loqui. Ergo pius, cui digne æſtimatur uerbi Dei pretium, quiq; nouit iniuriam uerbo fieri, cum abſq; incremento gloriæ Dei tractatur, ſpectabit diligēter, quandocunque prētioſiſſimum uerbi Dei margaritum, ſiue docēdo, ſiue monendo proferre uolet, ſi id momentum aliquod habiturum ſit, ad ſalutem proximorum & gloriam Dei ampliandam. Is iam non porcis & canibus, ſed Deo, atq; electis, licet nonnunquam coram canibus & porcis, ſancta Dei uerba proferet. Si ſecus appareat, impugnaturis ipſum canibus, aut contempturis porcis, haud proferet: ſic Chriſtum nunc Phariſæis, aliiſq; ueritatis hoſtibus Iudæis tanquàm canibus, tum Herodi & Pilato tanquàm porcis, myſteria ſua promere noluiſſe legimus: ac rurſus cum locus poſcebat, & gloriæ patris referebat, ad conteſtationem impietatis illorum, uerbum Dei inuitis etiam illis fuit atteſtatus liberrime. At uero quando & quibus, cum incremento gloriæ Dei, ſanctum uerbi eius, promas uel cōdas, nemo recte te, niſi patris ſpiritus, quem & loqui in te oportet, docebit. Quem eo ardentius quiſq;, cum uerbum domini promendum eſt, ab optimo patre orabit, quo incomparabilis uerbi Dei dignitatem plenius agnouerit.

Sanctum Chriſtus dixit ad eum modum, quo dicata Deo, & ſanctorum tantum uſui deputata, in lege ſancta dicebantur, quæ nimirum prophanis uſibus adaptare nephas erat, qualis tabernaculi ſupellex habebatur. Verba itaque Dei, cibus electorum, qui ſacerdotes domino ſunt, Ieſaiæ 61. ſanctum hic uocantur eo, quòd ad prophanos & Dei ſpiritu uacuos nequaquam pertineant. Margaritum eadem, & infra 13. uocauit, nempe propter inæſtimabile preciū eorū. Verba enim ſunt uitæ æternæ.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Petite & dabitur uobis: quærite & inuenietis: &c. Idē Lucas 11.) Eadem habet Lucas 11. quibus Dominus uoluit ad inſtantiam & perſeuerantiam precandi prouocare. Haud uero apparet, quàm ad ſuperiora ordinis rationem habeant, niſi, cum de uerbi Dei dignitate, diſpenſandiq; eius difficultate memorauerit, nunc ad orandum inſtanter bonum ſpiritum, uoluerit hortari, ſine quo ſcilicet, nō poterimus ſacra Dei non prophanare. De precatione ſuprà ad longum, cap. 6. differuimus. Hic ardens, inſtans & pertinax deſiderium, ſentētijs è uulgi ſermonibus mutuatis, commendat, quaſi diceret: uulgo iactari auditis, petite & accipietis, &c. Nō enim niſi petentibus dari ſolet, & quærentes duntaxat inueniunt, neq; intromittuntur in ædes, niſi qui oſtium pulſarint: ita cum ter maxima ſint, nimirum illuſtratio gloriæ Dei, regnū Dei, uita æterna, quæ à Deo orare uos conuenit, par ſanè eſt, ut illa nequaquam frigide

petatis,neq; quæratis segniter,aut pulsetis remisse.Hoc est,ut uno uerbo dicam,ora re debetis,uotis multo ardentissimis.

An quisquam est uestrum homo,qui si filius eius,&c. Idem Lucas.11.) Ab exemplo minori, imò ferè contrario ad orandum cum spe exorandi hortatur. Apud Luc. 11.eadem legimus,nisi quod tertium ille adiecit: Aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium:Et pro eo, quod hic habemus: quanto magis pater uester dabit bona, &c.habet ille:Quanto magis dabit spiritum sanctum poscentibus se:Explicatur uero altero alterum.Quæ enim bona illa sunt nobis oranda, nisi uita Deo digna, hoc est, ut sanctificetur in nobis nomen Dei,adueniat regnum Dei, &c. Ista iam accipimus,ubi spiritum Dei sanctum accipimus, qui ad quærendam in omnibus gloriam Dei,sanctecq; uiuendum nos renouat & instaurat.Notandum autē probe, quod ait: Vos cum sitis mali.Natura enim uniuersi mortales,mali sunt,id est, tantū ad amandos seipsos,& sibijpsi benefaciendum propensi. Bonus enim est, qui alijs bonus fuerit,unde Seruator dixit:Solum Deum bonū esse, quia unus est, qui nihil sibi, omnia alijs & quærat & faciat.

Fiducia impetrandi.

Cum ergo ualeat tantum affectus ille uulgo patribus erga suos liberos à Deo insitus,ut quamlibet malos compellat tamen, ad beneuolentiam atque benesicentiam liberis suis exhibendam,quanto magis à cœlesti patre Deo,à quo ille beneuolentiæ affectus proficiscitur,omnis beneficētia expectanda est:Ergo tantum ardenti,fideti,& instanti prece opus est,ut ab optimo hoc patre nostro uera,id est,cœlestia ac spiritalia bona, spiritum filiorum, per quem uere filij & hæredes ipsius constituimur, impetremus.

Præterea & alio simili ad fiduciam precandi cohortatum Dominum, Lucas inibi commemorat,nimirum de eo, qui noctu amicum improbitate orandi tandem expugnat,ut surgens det sibi panes mutuo.Quo uoluit monere ut cogitemus,si instantia precandi,etiam malum hominē tandem exorat, multo magis impetrabit ea omnia, à patre optimo.Non dissimile simile & 18.apud eundem legimus, de Vidua, quæ licet iniquum iudicem,& neq; Deum neq; homines metuentem,improbitate precandi tandem tamen ad iudicium faciendum sibi expugnauit. Vbi ita subiecit: Audite quid iudex iniquus dicat,Deus autem non faciet uindictam electorum suorum,clamantium ad se,die ac nocte,etiam cum longanimis fuerit super illis:id est,lento gradu ad sumendam uindictam de affligentibus ipsos accedat:Dico uobis, quòd faciet uindictam illorum cito.His omnibus,ut abunde patet,docemur orare sedulo,ardenter,& perseueranter,nec defatigari,ut Lucas ait.18.quo pacto orantes,nō poterimus non exorare Deum patrem nostrum optimum,omnia.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Omnia igitur quæcunq; uolueritis ut uobis, &c. Idem Lucæ 6.) Infert hæc, ad omnia superiora, illa uelut consummans. Clara & aperta doctrina est,utinam esset æque omnibus persuasa.Notandum autem diligenter,Legis & prophetarum nomine,intelligi omnem doctrinam Dei,diuinis literis cōprehensam,de quo suprà cap.5. in illud (Non ueni ut soluerem legem,&c.) Iam ista doctrina absoluit hominem penitus,instructumq; reddit ad omne opus bonum.2.Timot.3. Igitur quicquid omnino à nobis bonorum operum fieri potest, fieri hominibus oportet, non Deo, beatis mentibus aut manibus.Tum necesse est,esse opera eiusmodi,qualia & nobis uolumus fieri,nempe,ad præsentem uitam pertinentia, ut docere, monere,consulere,pascere,uestire,& hoc genus alia:De quibus supra capite quinto,super illud (Vt uideant opera uestra bona) Ita enim hic ait Christus: Omnia igitur, quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines,sic & uos facite illis:Hæc enim est lex & prophetæ. Omnino etenim hominis Dei consummatio in dilectione sita est, ut & Paulus docet, Rom.13,& Gal.5.Sui similes nanq; uult nos esse pater noster cœlestis, hoc est, perfecta,

a ctu, ſicut ipſe, ad quoslibet bonitate præſtare, de quo ſuprà 5. in fine. Iam in hac uita, non poſſumus niſi ad agentes hic pariter nobiſcum bonitatem exercere, quare Lex & prophetæ, doctrina Dei abſolutiſſima, aliò nō ſpectat, nihil aliud requirit, neq; eſt ad aliud nobis data, quàm ut ea dilectione præſtemus, quò hominibus, ut quoſcq; nobis Deus adiunxerit, & proximos fecerit, de quo multa ſuprà 5. in illud (Diliges proximum tuum) ita faciamus, ſic erga illos nos exhibeamus, ut natura optamus illos nobis facere, ſeſeq; exhibere. Quicquid ſanè de fidēdo Deo ſcripturæ docent, in hoc docent, ut nos per illam noſtri cura exutos, & perſuaſos, nihil unquam boni nobis, quibus iam Deus ſe patrem exhibet defuturum, proximorum uſibus quanti ſumus, addicat, per dilectionē iam deprompturos, quā fide bonitatē à Deo hauſerimus. Ita quæ de frugalitate uiuēdi, caſtigandaq; carne in ſcripturis præcipiuntur, in hoc præcipiuntur, ut impedimenta bonitatis huiuſce, quæ à carne, hoc eſt, philautia ſunt, removeantur, idoneiſcq; ad inſeruiendū proximis moribus inſtituamur. Hinc eſt illud 1. Cor. 13. Fides, ſpes, charitas, maior his charitas: hæc enim reliquarū conſummatio eſt, & excidentibus illis permanet in æternū. In ſumma omnia eò tendunt, ut Dei in nobis imago reſtituatur, ea eſt, ut perfecti ſimus beneficentia erga proximos, ut ipſe pater noſter cœleſtis perfecta bonitate eſt erga uniuerſos. Quæcunq; igitur à nobis fiunt, non habentia momentum aliquod, aut rationem, ut inde proximus commoditatem aliquā ſentiat, qualia innumera ſanè ſunt, quæ religioſuli quidam, cum fecerunt ipſi, tum præceperunt alijs, ea nec bona cenſeri poſſunt, neq; à Deo tradita.

Quis omnis ſcripturæ ſcopus.

Lucæ, 6. huic ſententiæ, Quæ uultis ut facient uobis homines, ſubijcit: Omni autem exigenti abs te tribue, & ab eo qui aufert tua, ne repoſcas, qua uti q; Chriſtus, ue lut ſummare uoluit, quotquot præmiſerat de dilectione præcepta, ea quoque quæ ſublimiſſima uidentur. Si enim eo animo quis præditus ſit, ut proximo ſynceriter bene uelit, non ſecus atq; ſibijpſi, & cupiat iam in omnibus illi ita facere, ut ab illo ſibi b fieri poſſit cum æquitate optare, is profecto alienus adeò erit ab ultione petenda, etiā læſus, tam pronus ad ferendum & cedendū omnia, ut nullo negotio inimicos etiam uere diligat, percutienti in unam maxillam, obuertat alteram, cedat tunicā cum pallio, tribuat omni exigēti ſua, nulla cum indignatione, aut relata iniuria ea repoſcat, hoc eſt, donet & condonet omnia. Talem uti q; cuperet uir bonus experiri alienum, ut egenti ſibi ſubueniret, & ſi forſan iniuria illum affeciſſet, condonaret.

Luc. explicat.

Omnem perfectionē continet hoc: Omnia igitur. &c.

Quòd hic enim quidā obijciunt, porci magis margaritum hoc conculcantes pedibus, q; homines ſubmiſſis ac reuerētibus animis hæc, ut uerba Dei ſuſpiciētes: Optaret quiuis, ut otioſum ſe alij paſcerent, ſuppeditarent gratis quæcunq; ad luxū etiam attineāt, &c. Quis autē paria alijs faciat, aut facere etiā debeat? Hęc præuaricatio eſt, non quærentiū ueritatē obiectio. Primum non uellent certe iſti à ſe alios iſta iniqua petere, lege ergo hac, non petent & ipſi ea ab alijs. Quorū autē quis opus habeat ad uitā, iuſte petet: & iniuriā à ſe alicui illa tam compenſari ſibi, qui ſaltem uelit ea in poſterū ſibi temperare, ſine iniuria deprecabitur: eadē igitur & alijs dabit atq; exorari ſe patietur. Si etiam aduerſarius ſine ſpe reſipiſcentiæ lædat, attamen ulciſci ſeſe bonus nō poterit: quia bonus eſt, & niſi beneficia proferre non poteſt, ad hæc ſeſe Deo totum cōmiſit. Denicq; cum nemo poſſit non improbare, ſi alius ſuūpſius iudex eſſe, ſuamq; cauſſam ipſe uindicare uellet, à quocunq; læſus ſit, ita & ipſe omnia citius ferret & cedet, etiam ſi continuo lædatur, idq; citra ſpem reſipiſcentiæ, quàm ut ſibijpſi iudex ſit, & ſuā de quoquā ipſe iniuriā ulciſcatur. Ita erit omnis & beneuolentiæ & tolerantię cōſummatiſſima regula, ut ſicut alios facere nobis optamus, nos illis faciamus ſimiliter. Sic ſi affecti fuerimus, nihil erit officij, tam ad animū, quàm ad corpus pertinens, quod impendere proximis, ſi liceat, grauemur: neq; rurſus ullū genus iniuriæ, quod ab illis queat irrogari, quod non æquanimiter feramus, omnino bonitate iam, quantū hęc uita tulerit, perfecti, uti cœleſtis pater noſter perfectus eſt. Etenim

Nihil iniqui ex hac regula ſequitur.

cum illa,petenti à te tribue, &,ab eo qui tua aufert,illa ne reposcas,officia sint charitatis,& præstanda ideo sunt, quia proximo prosunt, nemo Christianus dubitauerit ea præstanda esse bono uiro & petenda,nec enim hic præcipitur ut quæuis quolibet modo omnibus dentur & remittãtur, sed q̃bus ex uera charitate proximus iuuetur.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Introite per arctã portam, quoniã lata, &c. Idem Luc.13.) Recte post præceptam dilectionẽ,ac officiositatẽ erga proximos, tam modis omnibus absolutã, eoq; planè arduam & rarã,hanc arctæ portæ,ac uiæ strictæ,quam pauci inueniunt & terunt, similitudinẽ subiecit, hortatus,ut contendamus potius per arctã hanc portam & strictam uiã ingredi,ducentẽ siquidem ad uitã,quàm portã latam, & uiam spatiosam,uiuentes,scilicet,ex carnis sententia,quandoquidem hac recta gehenna adeatur. Commodum uero arctæ portæ,& strictæ uiæ, uitã tam perfectæ dilectioni proximorũ deditam adsimilẽ fecit, nam exigit ea,omnimodam nostri ipsorũ abnegationẽ,& fiduciam in prouidentiã Dei, solidã;ut prorsus iam nihil nostri, sed tantũ quæ saluti sint proximis,& Deo gloriæ,quæramus. Hoc quàm sit rarũ inter homines, ac carni planè impossibile,quilibet apud semetipsum plus satis experitur. Verum cum hæc una ad uitam,porta & uia est,quamlibet arcta & stricta,contendendũ est tamen, ut illam ingrediamur,sicut apud Luc.dominus ait,13. hoc est, contra cupiditatem est fortiter pugnandũ,& ad synceram adeò dilectionẽ continuo enitendum,orandumq;,ut bono suo spiritu optimus pater,conatum & uires suppeditet.

Quatenus difficilia & facilia Dei mandata.

Quod autem his obiici solet,id quod dominus infra 11,ait, iugum suum commodum & onus leue.Et Ioan.5.in Epistola sua:Mandata eius grauia nõ sunt,nihil cum his pugnat,per se sanè ut nihil æquius, ita sanè nihil facilius, quàm alijs ita facere, ut uelis tibi fieri,præsertim, si certus sis tibi deum omnia affatim suppeditaturum, imò ut in Prouerbijs est, Deo te fœnerari, quicquid benefeceris proximo, & quidẽ fœnore centuplo,præter æternam uitam,ut infra 10.Qui enim difficile foret, inseruire proximo,si quis persuasus sit,Deum uicissim ita prospecturum sibi,ut centuplum,imò incomparabiliter utiliora & præstantiora, ac deniq; æternã uitam, certò recepturus sit?Ergo iugum & onus,hoc est,mandata Christi, & facillima & commodissima sunt. Nam poscit aliud nihil quàm ut se quis suæ fluxæ & inani curæ exemptum, benignissimæ Dei prouidentiæ committat beandũ,certus illum sibi per Christum placatum,plusquam paternæ prospecturum: tum ut proximis in gratiã optimi patris inseruiat in tuto cumulo recepturus quicqd in eos insumpserit. Vnde cũ Ioannes dixisset,præcepta eius grauia non sunt, subiecit: Quoniam omne quod natũ est ex Deo, uincit mundum,& hæc est uictoria quæ uincit mundum,fides nostra. Quo satis declarauit, quibus Dei præcepta & quatenus facilia sunt, nimirũ natis ex Deo & credentibus.At carni,hoc est,naturæ ueteri,ut illam ab Adam accepimus,quæ ut expers spiritus est,ita tantum seipsam amare,suaq; cura potest niti, sunt profecto grauissima,difficillima,molestissima,& incommodissima, imò impossibilia. Hanc uero perductam naturã cum pauciss imis, electis, scilicet, solis,datur exuere,admodũ pauci per portam uiamq; hanc,certe arctam & strictam ingrediuntur,hoc est perfecta illa dilectione,uiuũt quæ non est,nisi penitus abnegati, Deoq; fortissime fidentis animi.Et quia perpetuum sanctis,cum carne,quæ sua sunt ubiq; quærente prælium est, illaq; nunquam non facessit eis negotium, ut quæ uolunt facere nequeant, faciant uero quæ nolunt, Roma.7. & Gala. quinto, ideo etiam sancti hanc uitæ portam & uiam, quamlibet per se & spiritui, satis lata & spatiosa sit, plus nimio arctam & strictam subinde sentiunt, quare illa magna sanè contentione & labore, ingredientes, subinde cum Paulo clamant.Miseros nos homines, quis nos eripiat ex hoc corpore morti obnoxio?Rom.7.Luc.13.eadem legis responsa roganti,an pauci essent, qui salutem consequantur.

ENAR-

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Cauete uero uobis à pseudoprophetis,&c.) Non minus cõmodum, & hoc præmissæ pietatis summæ subnectitur, ut nãq; in ea, æterna uita & salus sita est,regnũq; Dei, continuo si ita uiuatur,fœliciter propagetur, ita omnia cõtrà Satanas attentat, subornatq; quoscunq; potest pseudoprophetas,id est,qui salutaria docturos se pollicentur,in eoq; & prophetæ personam,& ouillam uestem præ se ferãt, uerum aliud non agant,quàm ut ab ista arcta porta,strictaq; uia,ad uitam ducente,id est,uita, quę ex uera in Deum fide,per dilectionẽ, sedulo proximis inseruiente cõstat, abducant. Quos cum contra regnũ Christi ad stabiliendã suam tyrannidẽ ille emittere soleat, uero simile est,tũ mittere & crebriores,& nocentiores, quando potentius uiget hæc doctrina uitæ.Quare reducta doctrina salutis, recte munit contra doctrinã perditionis. Omnium autem pseudoprophetarum, imò magistrorum Satanæ, unus in falsa ipsorum doctrina scopus est, ut à fiducia in bonitatem, Dei, ad inania creaturarum auxilia, animos hominũ deducãt,& ab utilibus proximo,id est,dilectionis operibus ad inutilia & cupiditatis opera, quibus quæ sua sunt, homines quærant, detorqueant. Vtrunq; prophetas, pseudoprophetis, & ijs qui ipsorum imposturas sequebantur,obiecisse legimus: id uero perpetuò illos solere, quicunq; tantum animaduerterit,ipse ex fructibus eorum,ut dominus hic ait,facile agnoscat. Mendacio & uanitate docent niti:mendacium & uanitatẽ docẽt operari. Vt de nostris loquar. Quid insanius fuit,quàm salutẽ petere,à ceremonijs & alijs operibus eorum hominũ,qui uita sua apertissime probarunt,se nihil boni posse facere,adeò putres & malæ arbores? Quid rursus æque demens, quàm præcipua bona opera existimare, horũ hominum numerũ augere, aras illis extruere & ornare, statuas & parietes pretiose uestire non algentes:& uarijs ornamentis redimire nihil sentientes: lucernas illis die incendere non uidentibus, spargere flores nihil olfacientibus, occinere & obmodulari organa non audientibus? Sic ueterũ furori quid possit excogitari portentosius? qui præterito Deo uiuo,qui præsentiam suã illis tam luculenter declararat,Molec quem Latini Saturnum uocant,& idolis alijs potius fidebant, ijsq; suos filios & filias, igni offerebãt cremandos? De quibus dictum illud Ierem.16. fuit: Certe mendacium posse derunt patres nostri,uanitatẽ,in quibus nihil utile.Ita & idola,mendaciũ Iescha.44. uocantur.In summa,mendacium & uanitas est,quicquid nõ ex certa in Deum fide, & syncera ad proximum dilectione proficiscitur.Huiusmodi autem sunt, quæcunq; pseudoprophetæ docent,quia & nullo uerbo Dei nituntur, ut fidere possis Deo haberi grata,& nullam proximo adferunt utilitatem, ut esse bona opera comprobaren tur: interim tamen stultis persuadentur, tanquam primi apud Deũ meriti, & omniũ optima atque utilissima habeantur. Huius farinæ erat, quòd pharisæi filijs suis persuaserant, templo multa etiam parentibus neglectis, offerre, idq; non alio nomine, quàm quòd mire gratum illud Deo,& parentibus quoq; utile esset, cum tamen non minus esset inuisum Deo,quàm parentibus sentiebatur inutile:unde & seuere impo sturam illorum Christus redarguit,infra 15,Nõ alio ingenio,uel studio fuere,& cum quibus Paulo negotium erat, urgentibus circuncisionem & alia legis statuta, iam cognito Christo.Huiusmodi sunt omnes omnium seculorum pseudoprophetæ, qui ut à ueteratore spiritu,malis artibus exercitatissimo immittuntur,ita nunquam non mire illicibili specie irrepunt,præ se ferẽtes,docturos se, quæ in primis sint salutaria: quæ illæ ouium uestes sunt, quibus lupinam rapacitatem contegunt: quare monen te Christo magistro nostro,iuxta sapientissimo & nostri amantissimo, debemus nobis haud uulgari diligentia cauere, siquidem persuasum habemus, synceram Dei cognitionem,esse uitam æternam. Thesaurus ingens,hostis uersutissimus, & ad insidiandum mille artibus instructus, si non uigilantissime cauemus nobis, planè arguit,pretium thesauri huius,nobis parum adhuc perspectum.

Quòd ueritate uigẽte multæ sint pseudoprophetarum insidiæ.

Ingenium & studium pseudoprophetarum.

A fructibus ipsorum agnoscetis eos,&c.) Fructus utiq; sunt,quę hõmines ex se, uelut arbores suos fructus proferunt,tam dicto quàm facto.Ea,utcunq; simulent pietatem,& impietatem dissimulent pseudoprophetæ,indicio de illis erunt,ac testabuntur tandem qui sint,& quid quærant.Cumq; iam dominus testatus sit, legem & prophetas esse,omnia alijs facere,quæ sibi quisq; fieri optat, ad hunc ceu lydium lapidẽ, quæ illi auri nomine offerunt,exigenda sunt,& à spiritalibus,ueritatemq; serio quærentibus,facile fucus deprehendetur. Vt omnia namq; simulent & dissimulent,syn-

A quibus fructibus pseudo prophetæ deprehendẽtur.

ceram dilectionem, qui nihil sui, & tantum quæ aliorum sunt, quærant, simulare diutius nequeunt,cupiditatemq; tandem prodent suam,& φιλαυτίαν. Nequit enim arbor mala bonos ferre fructus.In primis autem expẽdenda doctrina est, unde plus, scilicet,ueneni timendum.Si ea cum hac summa legis & prophetarum conuenit,sana est,& amplectenda.Sin,insana & fugienda.Nequibit autem cum illa conuenire, & ad sola ea opera impellere, quibus consulatur proximo, quicunq; non antea res suas in tuto collocarit.Ita enim natura quisq; sibijpsi amicus est,ut aliorum inseruire commodis totus nequeat, nisi rationes suas ante composuerit. Necesse ergo erit ut per Christum, de patris gratia & cura certus ante sit, quisquis proximorum utilitati sese totum debeat impendere.Eóq; hoc feliciter,sine illo,nemo docebit. Qui itaque docuerit,propriam salutem & fœlicitatem soli gratiæ Dei, per Christum nobis partæ committere,& pro omni uirili,nostris operibus seruire proximo,is uerus prophe ta est,neq; poterit constanter hæc & perseueranter docere, quicunq; fuerit hypocrita,aut falsus propheta.Nihil enim hinc rationibus suis consuleret, quas posthabere, utpote uera fide uacans,haudquaquam potest.

Iam percurrat quis,omnium pseudoprophetarum, quotquot ab initio fuisse scripturæ & historiæ aliæ cõmemorant doctrinam, & deprehendet,hos per omnia,ab illa syncerítate doctrinæ non deflexisse tantum, uerum etiam insana figmenta pro illa subdidisse,uti iam suprà attigimus.Deinde ut Deum ignorant, ita miris cupiditatibus laborant huiusmodi,unde uita quoq; ac moribus,nominis sitim,autoritatis et magisterij ambitionem,uentris studiũ, odium ueritatis, & eorum qui illam adserũt, non obscure prodent. Has enimuero dotes pseudoprophetis tribui in diuinis literis legimus. Vt Rom.16.1.Cor.4.2.Cor.11.Gal.4.& 5.Philip.3.4.1.Tim.4.Tit.1.Nusquã autem plenius describuntur,atq; 2.Tim.5.2.Pet.2. Auaritiæ, supercilij, ambitionis, doli ac inuidentiæ,ubiq; ferè notantur,etiam apud prophetas,ut Iehez.34. Amos 6. Micha.3.Quoniam autem auaritia,& crassius & inuisum magis, quàm pleraq; alia, uitium est,strenue illud dissimulant,supercilium autẽ & fastidium aliorũ, non ęque. Ita uideas hodie Anabaptistas, cũ alienissimi uelint uideri à studio uentris, licet otij sectatio etiam hic illos prodat, arrogantia tamen & libido damnandi præ se alios facile indicat,quo spiritu ferantur.Certius tamen doctrina illorum de eis testatur, qua baptismum,non iurare, etiam legitima iuramenta,seueritatem intempestiuam oris, ac minuta alia ita urgẽt,ut neq; fidei,neq; solidę dilectionis tanta apud eos ratio habeatur.Potissimum autem eo,Christo dissimiles, deprehenduntur, doctrina & uita, quod infirmis alijs,nullum concedant in regno cœlorum locum.

Summa est,qui diligenter perpenderit, illam demũ doctrinã Christiano dignam, qua fides in Christũ auctior, & dilectio erga proximos officiosior redditur, illi haud magno negotio,pseudoprophetarum impostura patebunt, lupinamq; rapacitatem, ouillis uestibus tectam,tam à doctrinæ,quàm uitæ fructibus facile deprehendet. Spiritus enim patris,quem eiusmodi sedulo orat,imponi ipsi non sinet. Tantum qui pereunt,& reprobi ueritatẽ repudiãt,obnoxij illis impostoribus planè fiunt: ut 2.Thes. 2.& 2.Pet.2.spiritus testatur: interim tamen & electi nonnunquam ad tempus ab eis quoq; irretiuntur,uti Galatis euenit:præsertim, si minus uigilanter sibi caueant, & non instanter orauerint, se in tentationem non induci. Ergo cum hoc nostro seculo non

A non paulò clarius, quàm ante multis seculis, lampas ueritatis nobis diuina bonitate restituta sit, eoq; insidias impostorũ potentius uigere, etiam experiamur, ualeat apud nos præsens magistri nostri præmonitio, quam ut summe necessariã, Apostoli sub/ inde repetierunt, ut ferè nullam Epistolam scripserint, in qua non grauiter monue/ rint, ne hominum cõmentis fermentari pateremur nobis Euangelij syncerítatẽ. Nul lius magni nominis uanus splendor, neq; illicibilis species contemptus morũ com/ munium nos fascinet, ut quicquam amplectamur, quod nõ apertissime & ad gloriã Christi, & dilectionẽ proximi faciat: sicut certe non faciunt, nec Anabaptistarum do gmata, nec aliorum de uarijs cõmentis, à fide Christi alienis, quorũ totius hoc secu/ lo prouentus est, dira & plusquàm sophistica contentio.

Qui nostro sæculo obseruandi.

Lucas 6. hanc eandem arboris parabolam commemorat, prætermisso quod de ca uendis falsis prophetis, hic noster inseruit, sed ita deducit eam, ut huc propríe faciat. Ita enim habet: Vnaquæq; arbor ex fructu suo cognoscitur. Neq; enim è spinis colli gunt ficus, neq; è tubo uindemiant uuã. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui, profert bonum, & malus homo ex malo thesauro cordis sui, profert malũ. Ex abun/ dantia enim cordis, loquitur os eius. Hæc postrema, noster quoq; infra 12. ponit. Vo lunt autem sibi: Sicut arbor à fructu, ita pseudopropheta à uerbis & doctrina sua, si quis animaduertat, cognoscetur. Vt nanq; arbor mala non potest fructus bonos fer re, nemo enim è rubo uuas colligit, quemadmodum etiam bona arbor non fert fru/ ctus malos, sic malus & impius homo, ex impietate cordis sui, bona & salubria lo/ qui nõ poterit, & bonus ac pius, ex cordis sui pietate, praua & impia haadquaquam docebit. Ea propter pseudopropheta, praua docens, tandem deprehendetur. Vtcũq; enim dissimulet, ex abundantia cordis, quemadmodum in prouerbio est, demum lo quetur, atque impietatẽ suam prodet, ut qui uolet, ab illo sibi facile caueat. Hic apud B nostrum adijcitur: Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ, exciditur, & in ignem conijcitur, qua parabola, simul cũ superioribus è uulgi sermonibus desumpta, signi/ ficauit, impostores tandẽ & hypocritas istiusmodi exterminandos, & in gehennam abijciendos. Quod idem & Ioannes Baptista Iudæis hypocritis minatus fuit, suprà 3.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Non quisquis dicit mihi: Domine domine.) Non abs re, postquam Christus mo nuit de hypocritis, qui culpando alios sanctitatis sibi opinionem uenantur, atq; pseu doprophetis, qui dum salutis doctrinam afferre se simulant, nihil nisi errores, sed sibi lucrosos, ferunt, atq; ita lupinam rapacitatem, qua obnoxios sibi, quos docere susci/ piunt, facere conantur, ouilla ueste, simulato, scilicet, studio utilitatis ipsorum, conte gunt, pergit his, & quæ sequuntur, inanem hypocrisim, fidemq; simulatã damnare quorumlibet, & declarare quàm apud se nihil nisi uera uiuaq; fides ualeat, eo simul prouocet ad studium pietatis & ad fidei sedulũ ac gnauum exercitiũ, quasi diceret: Quod de pseudoprophetis dixi, eos tandem nequaquam latituros, cum mali sint, & tanquam malas arbores, à quibus bonus fructus non possit expectari, denicq; excin/ dendos, idẽ usu ueniet quotquot sine bonorũ operũ fructibus è meo grege esse sese iactauerint: & hypocritæ, ac malæ, infrugiferæq; arbores, fuerint. Vt enim arbor bo na, semper bonis fructibus destitui nequit, ita certe qui animo pius fuerit, cordeq; ue re crediderit, atq; ideo iustus & bonus fuerit, is fructibus bonorum operũ haud qua quam destituet. Quare cuicũq; hi fructus absunt, neq; fidẽ is aut pietatẽ corde obti/ net ullã, neq; Christo uere unquã credidit, aut inter discipulos Christi, adnumeratus fuit. Sed sunt omnia quę agit & loquit, qbus Christi esse se simulat, nihil nisi mera hy pocrisis & fucus. Atq; de his ait: Nõ quisqs dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnũ cœlorum, hoc est, è numero erit meorum discipulorum, mihiq; credentium: nam multi erunt hypocritæ, qui me ore confitebuntur, corde autẽ negabunt, sed qui

Qui sine bonis operibus est, neq; Christi est.

fecerit uoluntatem patris mei cœleſtis, id eſt, qui comparare ſe ad uoluntatem patris ex animo ſtuduerit, is regni cœlorum particeps erit.

Eſt nanq; hoc facere, quod identidem & in Moſcheh legimus, exercere ſe ad uoluntatẽ domini, ac ijs quæ dominus mandauit magno ſtudio incumbere, etiã ſi perficere omnia nequeas, & omnibus operibus tuis, quod ille pictor ſolebat, ſubſcribendum tibi ſit, faciebat, non, fecit. Nã ut faciamus ſua præcepta, non etiam perficiamus in hac quidẽ uita, Deus exigit. Vnde in lege, ferè ait, ſicut. 5. Moſ. 6. Audi, & cuſtodi, uel obſerua ad faciendũ. Nouit enim iſte peccatrice carne grauatos omnia implere, & peccati prorſus puros eſſe nos haud poſſe. Vnde eſt illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus, peccatũ non habemus, nos ipſos fallimus. Et idem tamen dicit, paulò ſuprà: Si dixerimus quòd ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & ueritatẽ non facimus. Et infra 3. Omnis qui natus ex Deo peccatũ non cõmittit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quòd ex Deo natus eſt. Vere igitur Chriſtianus, ut non peccat, ita facit uoluntatem patris. Iam ita non peccat, & peccare, ambulareq; in tenebris nõ poteſt, ut tamen, ſi ſe dicat peccatũ nullũ habere, fallat ſemetipſum, & mendacij arguat Deũ. Hactenus igitur peccare pius non poterit, quòd ex animo iniquitati & peccatis nequit eſſe deditus, ita ut impij ſolent: ſed legi Dei mente uſq; condelectabitur, eò quòd ſemen Dei, uerbum ipſius & ſpiritus filiorũ apud illũ maneant, natusq; ex Deo ſit: ſimul tamen, quoniã in carne ſua boni nihil habet, cõmittit pleraq;, quæ odit, uereq; peccata ſunt: at quoniã illis ſecundum interiorem hominem nõ delectatur, animoq; Chriſto addictus eſt, imaginiq; ipſius reſpondere ante omnia cupit, nec dubitat deniq; Chriſti merito, omnia ſibi condonanda, atq; ad imaginem illam ſe peruenturũ, nihil quoq; dãnationis ei erit, quamlibet peccatori, manenti nimirum in Chriſto, Rom. 8. Deus ſiquidem peccata illi non imputabit, quare neq; peccata erunt. Vti debita nõ ſunt, quæ creditor remiſit, etiam ſi ea uere contraxeris, neq; perſolueris tamen.

Quid facere uoluntatẽ patris.

Chriſtianus non peccat, et tamen habet peccatum.

Proinde quicunq; Chriſti uere fuerit, is ut nõ poterit peccare, hoc eſt, peccatis animo deditus eſſe & ſtudere, quod, ſcilicet, ſolum Deus imputat & peccatũ habet, ita neceſſe eſt uoluntati eius pro uiribus ſtudeat, neq; quicquam prius habeat, quã ad uerbum ipſius, totum ſe comparaſſe. Interim tamen obrepent à carne non pauca, ut nunquam quidem illi non orandum ſit: Remitte nobis debita noſtra: uerum merito Chriſti, in quo omnem ille fiduciam collocat, omnia ut condonabuntur, ita peccata non erunt. Qui itaq; uoluntatem patris non fecerit, hoc eſt, faciendæ non ex animo ſtuduerit, aliud enim facere, nõ eſt uitæ huius, is neq; patrem, neq; Chriſtum nouit, non eſt natus ex Deo, ac ſpiritu filiorum Dei etiamnũ caret, eoq; & fucus erit, quam libet Chriſto: Domine, domine, acclamet. Corde nanq; ipſum dominum nondum agnouit, quo illum dominum uocare nemo poteſt, niſi ex uera fide.

Qui Chriſti ſunt, patris uoluntati ante omnia ſtudent.

Quòd hunc locũ Euangeliomaſtiges iactant, tanquam põdus adijciat operibus, falſumq; conuincat, ſola fide abſq; operibus nos ſaluari, facíunt, quod ferè ubiq; ſolent, nempe declarant ſe neſcire quid loquantur, aut de quibus affirmẽt. Damnatur enim hoc loco hypocriſis, quæ ſine corde Chriſtum dominũ appellat, non fides. Hypocriſis enim ſterilis eſt bonorũ operum, nulloq; eſt ſtudio faciendæ uoluntatis paternæ: fides autem ut paternæ uoluntati deditiſſima eſt, ita bonorũ operum eſt feraciſſima. Quid enim aliud quàm patris uoluntatẽ facere optet, qui eam nouerit optimam: id quod omnis uera fide præditus certò perdidicit: Recte igitur illi colligunt, à ſalute alienum eſſe, qui uoluntatem non ſtudent facere patris: fidem autẽ, ſine hoc ſtudio eſſe poſſe uiro falſo putant. Sed de fide mox, capite ſequenti.

Male hoc loco contra fidẽ abutuntur.

Lucas ſententiam hanc ſic retulit: Quid autem uocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Eſt enim eadem ipſius, & patris uoluntas, quæq; ille dicit, Patris uerba ſunt.

ENAR-

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Multi dicent mihi in illo die: Domine domine, nónne, &c. Graui cõminatione ab hypocrisi deterret, suosq; ad studium pietatis incitat. Dies ille in quo repulsurum se hypocritas affirmat, dies iudicij est. Apud Lucam parabola quadam conditionem eius exposuit, postquam fuerat hortatus, ut per angustam portam ingredi contenderemus. Cum autem, inquit, surrexerit paterfamilias, & clauserit ostium, & cœperitis foris stare & pulsare ostium, dicentes: Domine domine aperi nobis. Et respondens dicet uobis: Nescio uos unde sitis, &c. quasi diceret: Sicut paterfamilias receptis nocte in ædes, qui è familia sua sunt, demum surgit, ostium obfirmat, ac neminem postea pulsantem intromittit, ut qui neminem alium ad familiam pertinere suam agnoscat, sic & conditio regni mei, ubi finis præsentis uitæ aduenerit, habebit. In morem patrisfamilias, meos omnes qui in hac uita syncera mihi fide dediderunt, mecum habebo, cumq; & alij quibus contemptui fui, quiq; se meos simulare, quàm esse maluerunt, admitti petierint, tum sentientes iam demũ se non bonis, sed umbris bonorum huius sæculi planè delusos, ut alienis à mea familia, aditus ad nos haudquaquam patebit, ostio uitæ, illis in æternum obserato. Quibus pulsantibus, id est, nimis sero à me uera bona petentibus, respondebo: Nescio uos unde sitis, nihil uobis mecũ unquam fuit, ad meam familiam nequaquã pertinetis. Et hac quidẽ similitudine aliás quoq;, ut infrà in nostro Euangelista, 25. & Luc. 12. dominus ex parte aliqua usus est, hortãs pariter ad uigilandum, utq; solida & officiosa fide, pietati studeamus, quo se uenienti parati simus ad nuptias & quietem uitæ æternæ sequi, ut qui aduentum suum uigilantes expectauerimus. Significans alioqui usu uenturum nobis, quod ijs, qui ueniente patrefamiliâs aut sponso, imparati foris relinquuntur, & occluso ostio nequicquam postea pulsantes, penitus ignorantur.

Status & ratio futuri seculi post iudicium.

Dies itaq; ille, de quo hic monet Christus, tempus illud est, cum hypocritæ uerè demum, uanitatem studiorum suorum agnoscẽtes, serio tandẽ Christi esse cupient, sed frustra, audientq; se prorsus ab illo ignorari, quem solide ipsi quoq; cognoscere, nunquam antea quæsierant. Tum sentient miseri etiã quòd nomine Christi prophetarunt, dæmonia eiecerunt, aliasq; uirtutes præstiterunt, quando syncera fide per dilectionem officiosa caruerunt, penitus nullius ad salutem sibi momenti esse. Id dominus significare per hoc uoluit, quòd ipsos, ut apud Lucam legimus, inducit, hæc, postquam pulsantes clausum ostium responsum acceperunt, se ab illo nesciri, obijcientes tanquam argumenta, cur ad regnum ipsius attineant, unde ait: Tunc incipietis dicere: Edimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Ad quæ utique & hæc in Matthæo nostro pertinẽt: Nónne in nomine tuo prophetauimus, &c. Ac tunc inquit hic, confitebor illis: nunquã noui uos, uel ut Lucas habet: Dico uobis, nescio uos unde sitis. Hic nanq; dialogismus aliud nihil erit, quàm certa demũ agnitio hypocriseos, qua hypocritæ sentient tandem, sibi nihil cum Christo cõmune esse, quãlibet in externis istis, inter familiares eius, ac regni ipsius primores fuerint habiti.

In nomine Christi prophetare, idem est, atq; uirtute & numine Christi propheta- *Nomine meo.*
re. Omnino enim orationes istæ, per nomẽ tuum, uel in nomine tuo, aut propter nomen tuum, & huiusmodi, eum sensum habent Ebræis, à quibus ueniunt, quem illæ nostræ, nuperæ tamen: oro tuam maiestatem, tuam reuerentiam, maiestati, præstantiæ uel reuerentiæ tuæ placeat, &c. Vt enim his nihil plus dicitur, quàm si diceretur: oro te, & tibi placeat, nisi quòd hoc modo simul honorare uidemur eum, cui, uel de quo, ad hunc modũ loquimur, ita cum Christus dicit patri: Manifestaui nomen tuũ, perinde est, ac si dixisset, Manifestaui te. Ita cum identidem in scripturis dicitur: Libera nos propter nomen tuũ, idem est, ac si diceretur: Libera nos propter temetipsum. Sic quod 2. Mos. dicebat dominus Pharaoni: In hoc statui te, ut uirtutem meam declararem, & propterea narrabitur nomen meũ, in omni terra, haud plus fuit, quàm si

dixisset,

dixíſſet,propterea ego prædicabor in omni terra. Vnde quod hic alij dicunt, nónne in nomine tuo prophetauimus,idem eſt,ac nónne per te, tuo nomine & uirtute prophetauimus,&c. Leuiculum hoc eſt,ſed expertus ſum, ſæpe nonnihil exercitatis haſce locutiones nequaquam fuiſſe ſatis planas & luculentas:neq; clare ſatis eos populo potuiſſe reddere. In quorum gratiam hæc uolui ſemel annotare. C

Quid prophetare.

Quid prophetare ſit,latius uolente domino infra in 11.ca. dicã. Satis nobis hic ſit, accipere hanc uocẽ, ut Paulus ea uti uidet 1.Cor. 14. nẽpe pro diſſerere ex peculiari afflatu ſpiritus Chriſti de myſterijs Dei,ad profectũ pietatis in auditoribus. Sic enim Paulus ait:Prophetans hominibus loquit ædificationẽ, & cohortationẽ, & conſolationẽ,id eſt,loquendo uerbũ Dei,uel ædificat, dum quæ fidei ſunt,docet, uel cohortatur,ut pergãt,qui in domino cœperũt:uel cõſolatur,ne frangãtur,quos crux domini durius premit. Hinc ergo liquet,ſpiritu Chriſti hypocritas quoſdã,in initio Eccleſiæ,myſteria regni Dei docuiſſe, dæmonia eieciſſe, aliasq; uirtutes perfeciſſe. Inter quos certe Iudas,Demas ac alij plerique fuerunt,quos Paulus à ueritate aberraſſe queritur. De Iuda infra 10.legimus,quod è uumero duodecim fuit, qbus accerſitis Chriſtus poteſtatẽ dedit eijciendi ſpiritus immũdos,& ſanandi omnẽ languorẽ, & morbum,prædicareq; Euangelion cõmiſit, Quodq; tum Iudæ hypocritæ ac,pditori ſuo fecit,dubiũ non eſt,quin initio Eccleſiæ idem multis alijs quoq; fecerit, ut plerique ſolida fide uacui,ſpiritu domini tamen hactenus donati fuerint, ſicut olim Saul ad prophetandum & regnandũ,donatus ſpiritu domini erat, ut Euangelion uellent & poſſent prædicare,myſteriaq; regni Dei cõmodum docere, atq; iuxta multis eam doctrinam miraculis & ſignis,quæ tum operari largius dominus dabat,confirmare.

Spiritus prophetandi & miracula faciendi,datur etiam impijs.

Vnde initio legis & Euangelij frequentia miraculorum.

Vt enim legẽ ſuam Deus innumeris portentis Iudæis cõmendauit, ita & Euangelion & Iudæis & gentibus cõmendare uoluit:utq; frequentia miraculorũ illis, poſtquam in terrã ſanctam uenerunt:paulatim remiſſa fuit, ita etiã Eccleſia poſtquam in bona orbis parte Euangeliõ innotuit, uirtutes edendi miracula, habere cœpit rariores: quæ etiã magis adeò ad celebritatẽ Euangelij, quam ad fidẽ credentiũ faciebãt. & potius ad inquirendũ de Euangelio animos hominũ excitabant, quàm illi fidẽ arrogabant. Multi enim innumera miracula uiderant, qui credere tamen nõ potuere. Vnde illud cõfirmare ſermonẽ Apoſtolicũ per ſequentia ſigna, Mar. ult. aliud non fuit,quàm ſermonẽ Apoſtolorum celebrem & admirabilẽ reddere,ut tanquam diuinus,ad ſe mundũ pelliceret. Vt ergo ſatis celebre Euangeliõ per miracula euaſit,dominus nõ abs re miracula in ſuis operari cœpit rariora. Quo nomine,ne nobis diſpliceamus,tanquã domino parum accepti, uoluit cõmemorari nobis, tam non eximiũ eſſe hoc donũ,ut impijs etiã hypocritis olim illud dederit:& Ioanni, quo nõ è mulieribus maior natus,non dederit. Nam hic nullum ſignum fecit,Ioan.10. D

Quare miracula ceſſarint.

Hic præterea duo nobis diligenter notanda ſunt:prius,quod prophetæ, & uirtute eijciendi dæmonia,ſanandiq; quemlibet morbũ,prædicti,hypocritæ tamen & à Chriſto alieni eſſe poſſunt. Quod unumquemq; ſanè mouere debeat, non quidem ut timeat à Chriſto alienus eſſe,aut unquã fore: iam enim ſi id timeret,ab ipſo excidiſſet, illum ſuum æternum ſaluatorem dubitans, quod fides uera,ſcilicet,ferre nequit,ſed ut ob nullam ſanè dotem,quantumuis præcellentem, ſibi placeat, uno ſpiritus teſtimonio,in corde ſuo confidens, à ſola Dei gratia in omnibus pendeat. Tum ſi quos alios prophetiæ dono præſtare præter cæteros dominus dederit, nequaquam propterea citra iudicium, quæ eiuſmodi docuerint amplectatur, quaſi uero omnia quæ dixerint, oracula ſint, neque labi uſpiam poſſint. Nam uel hinc diſcimus non labi modo tales poſſe, uerumetiam in totum à Chriſto eſſe alienos, ac nihil niſi hypocritas, Chriſto inter ſuos nunquam habitos. Deus profecto hanc ſuam gloriam, quòd ueritatem in omnibus loquitur,ut nulli hominum hactenus conceſſit, ita concedet nunquam. Adhuc poſt tam graues & luculentas præmonitiones, libet tamen

Poſſunt à Chriſto alieni eſſe Prophetæ illuſtres miraculis.

multis

A multis adorare homines, præcp unico eocp cœlesti magistro Christo sectari mortales, eósque qui fructibus longe alio se, quàm Christi spiritu adflati haud obscure demonstrant: quis enim nõ queritur de perditissimis moribus totius Papalis ordinis? Tamen horum iudicio uerbum Dei & fidem suam permittunt tot reges & populi. Quid hi facturi essent, si haberent, qui non prophetandi tantum dono, sed etiam facultate pellendi dæmones, curandicp morbos quoslibet pollerent? Quæ putas maneret præ oraculis talium, scripturæ autoritas reliqua? Profecto ut sese hominibus, qui tamen multo adhuc infra illam præcellentiam existunt, addicunt hodie neque pauci, necp uulgari, ut sibi uidentur, iudicij facultate præstantes, si eiusmodi potentia spiritus eminerẽt aliqui, perfacile illis esset, figere & refigere, sursum ac deorsum mi- *In præposterè admirantes mortales.*
scere omnia, præsertim apud istiusmodi tam præpostere admirabundos. Si nancp ex his, quæ hac tempestate iudicant, coniecturam fecero, non dubitarim quin nihil ò- mnino possent eiusmodi fingere tam absurdũ, nihil ab omni ueritate tantopere alienum, quod credulis istis nõ persuaderẽt, esse ipsissima uerba Christi, indubitata oracula spiritus sancti. Sed missis istis Midis, ac Pythagoræ, quàm Christi scholæ aptioribus discipulis, cum omnis homo mendax sit, & solus Deus uerax, id quod quotidianis exemplis, uerum magno R. Pub. Christianæ incõmodo experimur, solis diuinis scripturis hunc honorem habeamus, ut quæ præscribunt, simplici fide & absque iudicio amplectamur, quæ uero homines statuerint, quantumlibet sancti, aut docti appareant, meminerimus, autores non hallucinari tantum, sed & fallere posse: quandoquidem prophetæ miraculis quoque illustres, à Christo tamen prorsus ignorantur: itacp ijs quæ isti statuũt, semper posse admixta esse falsa & noxia multa, eocp probemus omnia, ut uere bona tantũ teneamus. 1. Thes. 5. dijudicemus quoslibet, quò spiritum Christi solum sequamur, Ioan. 4. ad quod, scilicet, diligenter adeò, & dominus ipse, & Apostoli eius inhortati sunt.

B Alterum hic perpendendũ est, quod ex illo: Nunquã noui uos, id est, inter meos agnoui, clare docemur, qui aliquando à Christo possunt excidere, eos Christi nunquam fuisse, eocp nunquam uere credidisse, aut fuisse pios, nunquam spiritum filiorum fuisse nactos, sed omnia illorum nihil nisi hypocrisim esse, quantumlibet sancti & pietate præstabiles, ad tempus sese fingant, quos enim Christus diligit, in finem usqp diligit, & quos pater illi dat, necp ipse abijcit, Ioan. 6. necp rapere de manu eius quisquam potest, Ioan. 10. Ideo & si cadant huiusmodi, excidunt tamen nunquam. Electi enim sunt ad uitam, quam Dei electionem, nulla potest creatura reddere irritam. Siquidem ut secundum electionem propositum Dei maneat, non ex operibus, sed ex uocante, non solum eligit suos priusquam nati sint, ac boni aut mali quicquã fecerint. Rom. 9. sed etiam antequam iacerentur fundamenta orbis à constitutione mundi, Ephes. 1. Vnde & de Apostolis Ioan. 17. Dominus dicebat: Non pro mundo rogo, sed pro ijs rogo quos dedisti mihi, quia tui sunt, id est, electi abs te ad uitã. Proinde ut Christo nunquam noti sunt reprobi, ita nunquã ignoti electi, quantumuis in illis pietatis species aliqua adblandiatur, & in his inuisa impietatis sæpe forma conspiciatur. Eocp & hi sicut prædestinati & uocati sunt, sic tandem ad imaginem Christi reformabuntur, Rom. 8. & illi detracta persõna filiorum Dei factitia, sui similes apparebunt, iuxta hoc quod à se audituros hic testatur. *Qui Christi uere sunt, semper illius manent.*

Discedite à me operarij iniquitatis.) Hoc desumptum putant ex Psal. 6. uersu nono, qui ita habet: Discedite à me omnes operarij iniquitatis, quoniam audiuit dominus uocẽ fletus mei. Quòd operarij iniquitatis reddidit, ubi est פעלי און illud Græci legunt, ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. Vnde Latini dicere solent, operantes iniquitatem. Idcp, ut mihi quidem uidetur, admodum commode & proprie. Vt enim significatio huius dicti ex uarijs scripturæ locis, in quibus illius usus est, qui tamen crebriores in Iob, Psalmis, Prouerbijs atque Prophetis, quàm historicis sacrorum Bibliorum libris

libris occurrunt,conijci potest,omnino significat,praue, inique & maleuole agẽtes, quos Germanice dicimus,Die ubel oder unrecht thund. Quidam uertunt illud molestiam,Germanice Muhe.Sed omnino plus sonat. Nam ferè ubicq impijs, malitiosis, fraudulentis, uiris sanguinum,hi פעלי און,id est,iniquitatem cõmittentes, componuntur.Iam ut crebræ sint in scripturis geminationes, quod identidem alijs uerbis,eadem sententia repetatur,nemo qui uel paululũ in scripturis uersatus est,ignorat. Vnde cum Psal.28. legimus. Ne trahas me cum impijs, & cum operantibus iniquitatem.Et Psal.36. Verba oris eius iniquitas & fraus.Rursus Psal.92.Dum germinabunt impij sicut fœnum, & florescent omnes operãtes iniquitatem. Item Psal. 101. In matutinis perimam omnes impios terræ, ut exterminem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatẽ: abunde uidetur patere,eosdem dici operantes iniquitatem,qui impij sunt, et iniquitatem,cum impietate,fraude,& malitia certe cognationem habere,eandemq animi prauitatem per eam significari. Vtsi Germanice reddendum mihi און esset,per boes,ubel oder unrecht,satis plene reddi crediderim. Omnino enim animi prauitatem, qua boni sanicq nihil agere libet, & nostra tantum cum iniuria aliorum quærimus,proprie significare uidetur, quam κακόηθειαν Græcis, nobis uocabulum iniquitatis,si recte accipias, satis exprimit. Huiusmodi uero cum sint hypocritæ uniuersi,utcunq id dissimulent,ideo audient olim, horrendam istam sententiam:Discedite à me uos iniqui & praui,qui boni nihil, quantumlibet simulaueritis, unquam egistis, aut agere cum mali essetis & peruersi potuistis. Non enim astabunt furentes procacia corã oculis eius,odit omnes operantes iniquitatẽ.Psal.5. Conueniunt uero hæc, cum illis infra.25. Discedite à me maledicti in ignem æternum,&c.Esuriui enim & non dedistis mihi cibum,&c. Vt planè idem est,agere iniquitatem,& posthabere dilectionẽ. Vbi nanq fide uera cor destituitur, nihil rectũ, aut sanum iudicare,uel agere potest:cum ad malum, omnes cogitationes atq consilia eius propensa sunt à puero.1.Moscheh.8.

Quid operantes iniquitatẽ.

Discedite.

Lucæ uerba excutiuntur.

In Luca 13.adijciiur:Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraham, & Isaac,& Iacob,& omnes prophetas in regno Dei, uos autẽ expelli foras. Et uenient ab oriente &,&c.Quo uero Dominus magis his,mala quæ hypocritas manent, explicat,hoc potentius ab hypocrisi deterret,& ad ueritatis studiũ impellit. Fletu summum dolorem,stridore dentium summum horrorem significat, quę mala illis ex eo augebuntur,quòd uidebunt sanctos qui solidæ pietati studuerũt, Dei bonitate frui, se uero ab ea repelli.Neque solos quidem Israëlitas,secundum carnem quidem, sed uenientes etiam ab oriente atque occidente Ethnicos. Ita primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.Id quod horrende hypocritas, qui hic primas in omnibus sibi uendicarunt,excruciabit. Precemur ergo spiritum ueritatis, qui ab omni nos hypocrisi abducat longissime, qua uticq nihil æque inuisum Deo esse potest, qui adoratores, scilicet,requirit,qui se in spiritu & ueritate adorent.

ENARRATIO SECTIONIS VIII.

Omnis enim qui audit ex me sermones hos.&c.Idem Lucas 6.) Expositio est superioris contra hypocrisim sententiæ,per parabolam ac contrarium propositã:quod ideo factum est, ut tanto magis agnosceretur & detestabilis haberetur uanitas atq stultitia eorũ, qui sine fide, pietatisq uigilanti studio, Christi nomine sese iactitant. Neque uero est ratio,ut quid domus,petra,imber,flumina, uenti significent singulatim exquiramus: non enim ut singula suas haberent significantias, proposita sunt. Vnum hoc uoluit monere Christus, eos qui sibi confessione oris tantum nomen dederunt,& audiunt quidem sermones suos,sed id absq solida fide cordis,qua faciendis simul suis sermonibus ex animo studerent, stulte & insane agere,quòd hæc ipsorum hypocrisis & uana religio, tandẽ ingenti ipsorũ malo, detegenda & euanitura sit. Sicut nimiũ imprudenter egerit, qui domũ super harenã extruat, quæ simulatq uel

Vanitas hypocritarum.

A uel paululum ui aquæ & uentorũ pulsatur, corruit tota, magnaq; sui ruina, damnũ dat multo maximum. Ita Hypocritarum fiducia, uanis & nihili rebus nixa, subuertetur tandem subito, si non ante tentationibus impulsa uitæ huius, certe tum, ubi audierint: Discedite à me operarij iniquitatis, idq; æterno ipsorũ exitio: cum ueri Christi discipuli, qui non audiunt tantum, sed faciunt etiam, quæ ipse iusserit, eò quòd certa sint prædicti fide, in æternum non commouebuntur, sed audient: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum &c. Ideoq; similes sunt prudenti uiro, qui domũ suam super Petram fundat, quam nulla queat uis tempestatis deijcere. Spes nanque horum & fiducia, ipso Christo, per spiritum filiorũ solide nixa, confundi nõ potest, & ne inferorũ quidẽ portæ, hoc est, uis omnis & potestas Satanæ, contra eam quicquam potest, quantamlibet tempestatem excitet, & flumina uentosq; tentationum immittat. Fortior siquidem est, qui in ipsis agit, quàm qui dominatur in mundo. 1. Ioan. 4. Et Psal. 125. canit: Qui confidunt in Domino, non nutabunt, sed in æternũ sedebunt, sicut mons Tzion.

Proinde recte hæc intellexerit, qui agnouerit à Christo, ueram fidem obtinẽtem, uiro prudenti, fucatam uero, imprudenti assimilari: & in eo quidem, quòd ille domum suam extruit ut firma consistat, hic, ut paulo post ruitura. Quo significare uoluit, spes uere credentium, & spiritus in corde suo testimonio nitentium, firmas esse, nec unquam posse confundi: hypocritarum autem fidem simulantium, non possi- dentium, & uel sua, uel aliorum stulta opinione, pro testimonio spiritus in corde fi- dentium, uanas esse, & æterna confusione mox subuertendas. Oremus igitur sedulo spiritum filiorum augeri nobis, qui impellat & accendat, ut gnauissime faciendis iussis Domini incumbamus, quò alacri fiducia in uia Domini curramus, & quã minimum nobis cum Hypocritis & Christi irrisoribus, commune sit. Etenim Deus est maior corde nostro & nouit omnia. Si igitur nos cor nostrum reprehenderit, quan- B tumlibet alijs hominibus probemur, multo magis reprehendet nos Deus. Si autem cor nostrum nos non reprehendit, quod nimirum sentimus & experimur, apud nos Dei spiritum, huc inclinantẽ, ut ad uoluntatẽ Domini uitam cõparare nostram, ante omnia in uotis sit. Fiduciam habemus erga Deũ, inquit, Ioan. Et quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniã præcepta eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. 1. Ioan. 3. De custodire & facere mandata iam paulo supra dixi, esse idem, scilicet, atq; studere ex animo, ut illis uita nostra respondeat. Luc. 6. habes hãc duplicem parabolam, uerbis ferè ijsdem.

Fugienda hypocrisis.

ENARRATIO SECTIONIS, IX.

Et factum est, cum finisset Iesus sermones hos, obstupuerunt turbæ &c.) Hoc de Domino Marc. 1. Lucas. 4. pariter memorant. Vnicus magister cœlestis datus mundo erat, cuius spiritu afflati, & Prophetæ ab initio locuti fuerant, non igitur mirum si magna cum autoritate uerba ipse fecerit, eoq; declararit se esse, cui pater omnis carnis potestatem dederit, ut quotquot dederit ei, det illis uitam æternam. Ioan. 17. Scribæ interpretum duntaxat munere fungebantur: ad hoc spiritu nullo, hypocritæ nimirum, docebant. Atq; hoc erat, quod turbæ stupebant, uidentes & sentientes illum & in docendo potestatẽ maiorem præ se ferre: & energiam quoq; exerere potentiorem, quam doctores ipsorum consueuerant.

Potestatem, & si Christo inferiorem, mirificam tamen habent, quotquot spiritu Dei pollent, præsertim si ad docendum alios sint diuinitus delegati. De qua potestate data in ædificationem sibi, non in destructionem, multa & mira Paulus. 2. Cor. 10. prædicat, meminit eius &. 13. in eadem Epistola. Nempe se posse instructum, scilicet, spiritalibus armis, & potentibus Deo, consilia et omnem celsitudinem extollentem se aduersus cognitionem Dei, demoliri, & captiuam ducere, ad obediendum Christo, omnem cogitationem, & in promptu habere uindictam, aduersus omnem in-

Quæ spiritalis potestas.

obedientiam. Quæ profecto ἡ ἐξουσία, id est, autoritas & potestas spiritus, quia apud nos, qui Euangelion postliminio recepisse nobis uidemur, rara, aut nulla fermè apparet, atq; ideo nostra cum uerba, tum facta frigent, & iacent, certum proh dolor, argumentum est, per parum nos spiritus quoq; Christi adhuc consecutos esse. Nequit enim ille sui dissimilis esse, & non eadē ubi ubi fuerit ad ędificationē audere & perficere. Eoq; plurimum uerendum, multos hodie concionatores esse Euāgelij, per paucos aūt Christi in Euangelio ministros, quòd potentiam spiritus Christi & autoritatem, tam paucis contigisse uideamus. Hinc ergo fit, ut sicut Prophetæ sunt, ita & populus est, utriq; in uerbis situm omnem Christianismū habentes, cum nequaquā in sermone, sed in uirtute regnum Dei consistat. 1. Corinth. 4. Magna igitur necessitas orandi ab optimo patre bonū spiritum nobis immittat, ut uerba factaq; nostra, præcipue autem eorum, quos ad regendum Ecclesiam Dei, spiritus sanctus constituit Episcopos, energian & uirtutem spiritus, cum autoritate & dignitate, qua Christi gloria adseratur, habeant: quo fœliciter ædificare pietatem, & demoliri queant omnem impietatem, nec uituperetur ministerium ipsorum, neq; habeantur contemptui & ipsi, quod certe & Christi gloriam obscurat, & offendit pusillos, salutemq; multorum remoratur.

Hinc sanè fuit, quòd Paulus diligenter adeo præcepit, ut à contemptu se uerbi ministri uindicent. Quare Timotheo. 1. Timothei. 4. scripsit: Nemo tuam iuuentutem contemnat, sed esto forma fidelium, in sermone, in cōuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate, &c. His simul & in autoritate debere uerbi ministros esse, & quibus illa comparanda sit, docet. Neq; enim ab ulla alia re, quàm potentia spiritus, fideiq; amplitudine, & dexteritate, fœliciter proximis uiam uitæ sternentis, peteenda erit. Idem ferè & Tito scripsit: Hæc loquere & hortare, & argue cum omni præcipiendi studio. Nemo te despiciat. A quibus nanq; Deus recte timetur & amatur, qui non summo in pretio haberent eius ministros, negotium ipsius bona cum fide agentes? Quos utiq; qui suscipit, ipsum suscipit: qui contēnit, ipsum cōtemnit. Quēadmodum igitur prædicatori curæ esse debet summæ, ut Dei uerbum plurimi fiat, ita danda ei simul opera est, ut ipse quoq; nequaquā despiciatur. Sed id minime sua caussa, uerum tantum, ut suum pondus Dei mandata quæ perfert, habeant. Estq; ut dixi, hæc autoritas, non aliunde comparanda, quàm à uitæ innocentia, fidei uiuacitate, uirtute spiritus, studioq; gloriæ Dei propagandæ flagranti.

Quā necessaria & unde petenda prædicatoribus autoritas.

Tales donet huic nostro seculo Dominus qui amplam sanè Euangelij sui cognitionem donauit, & indubie rectius habebunt Ecclesiæ, Euangeliq; negotium melius audiet, ac multo & suauior & potentior à nobis uitæ odor spargetur, sanctęq; ac saluificæ multis admirationi in gloriam Dei erimus, qui nunc sordemus & iure sordemus multi, dum sub tam splendidis titulis, nihil in nobis apparet ueræ pietatis nomine admirandū, dignum ue spiritu Euāgelico. Sed precibus pijs atq; ardētibus, magis quàm querimonijs, huic malo occuretur quibus utinam libeat, qui Christo nomen dedimus, uigilantius aliquanto & feruentius incumbere.

CAPVT OCTAVVM.

Sect. 1.

CVM descendisset autem de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, & ecce leprosus accedens, adorauit eum, dicens: Domine, si uelis, potes me mundare, protensaq; manu tetigit illum Iesus, dicens: Volo, mundus esto, ac protinus mundata fuit illius lepra. Et dicit illi Iesus: Vide ne cui dixeris, sed abi, ostende teipsum Sacerdoti, & offer munus, quod iussit offerri Moses in testimonium ipsis.

Porrò

A Porrò cùm ingreſſus fuiſſet Ieſus Capernaum, adijt eum Centurio, obſe- Sect.2.
crans eum & dicens: Domine, famulus meus decumbit domi paralyticus, ac grauiter diſcruciatur. Et dicit illi Ieſus: Ego cum uenero, medebor illi. Et re-
ſpondens Centurio, dixit: Domine, non ſum idoneus, ut tectum meum ſub-
eas, imò tantum dic uerbum, & ſanabitur famulus meus. Nam & ego ſum ho
mo alterius poteſtati ſubditus, & habeo ſub me milites, & dico huic uade, &
uadit, & alteri ueni, & uenit, & ſeruo meo, fac hoc & facit. Hæc autem cum au-
diſſet Ieſus, admiratus eſt, & ait ſequentibus ſe: Amen dico uobis, ne in Iſraël
quidem tantam fidem repperi. Dico autem uobis, quòd multi ab oriẽte & oc-
cidente uenturi ſunt, & accumbent cum Abraham & Iſaac, & Iacob in regno
cœlorum, filij uero regni eijcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus &
ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Abi, & quemadmodum credis, ita
fiat tibi, & ſanatus eſt famulus eius in hora illa.

Et cum ueniſſet Ieſus in domum Petri, uidit ſocrum illius in lecto decum- Sect.3.
bentem, & febricitantem, tetigitq; manum illius, & reliquit illam febris, & ſur-
rexit, ac miniſtrauit illis.

Cum autem appetiſſet ueſpera, adduxerunt illi dæmoniacos multos, & eie- Sect.4.
cit ſpiritus uerbo, omnesq; male habentes ſanauit, ut impleretur quod dictũ
erat per Eſaiam Prophetam, cum ait: Hic infirmitates noſtras ſuſcepit, & mor-
bos portauit. Cum uidiſſet autẽ Ieſus turbas multas circum ſeſe, iuſſit ut abi-
B rent in ulteriorem ripam.

Et cum adiſſet, unus Scriba dixit ei: Præceptor, ſequar te quocunq; abieris. Sect.5.
Et dicit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius homi-
nis non habet ubi caput reclinet.

Alius de numero diſcipulorum ſuorum dixit ei: Domine, permitte mihi Sect.6.
prius ut abeam, & ſepeliam patrem meum. At Ieſus dixit illi: Sequere me, & ſi-
ne ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.

Et cum eſſet ingreſſus nauim, ſecuti ſunt eũ diſcipuli ſui, & ecce motus ma- Sect.7.
gnus factus eſt in mari, adeo ut nauis operiretur à fluctibus, ipſe uero dormie
bat. Et accedentes diſcipuli, excitauerunt illũ dicentes: Domine, ſerua nos, pe-
rimus. Et dicit illis: Quid timidi eſtis, exigua prædíti fiducia? Tũc excitatus in-
crepauit uẽtos & mare, & facta eſt trãquillitas magna. Homines uero admi-
rabantur, dicẽtes: Qualis hic eſt, quia uenti quoq; & mare obediunt illi.

Et cum ueniſſet ad ulteriorem ripam in regionem Gergeſenorum, occur- Sect.8.
rerunt ei duo dæmoniaci è monumentis egreſſi: erant autem ſæui ſupra mo-
dum, adeo ut nemo poſſet tranſire per uiam illam. Et ecce uociferabantur, di-
centes. Quid rei nobis tecum eſt Ieſu fili Dei? ueniſti huc ad cruciandum nos
ante tempus? Erat autem procul ab illis grex porcorum multorum paſcens.
Dæmones uero rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos, permitte nobis ut de-
migremus in gregem porcorum. Et ait illis: Abite. Illi uero egreſſi abierunt
in gregem porcorum. Et ecce ferebatur totus grex porcorum per præceps in

mare, perierunt in aquis. Porrò qui pascebant aufugerunt, & digressi in ci- c
uitatem, renuntiauerunt omnia, & quid accidisset dæmoniacis. Et ecce tota ci-
uitas exiuit in occursum Iesu. Et cum uidissent illum, rogabant ut decederet
à finibus suis.

VM descendisset autem de monte.) Supra initio quinti capitis, & col
latione eorum, quæ hic noster, Marcus & Lucas scripserunt, ostendi-
mus, Dominum, ubi turbis circumfusus fuisset, ascendisse in montem,
inibiq; precatũ per noctem: orto die legisse Apostolos, mox de monte
descendisse in locum campestrẽ, orationemq; istam bene longam, quã
per tria capita Matthæus conscripsit, illic habuisse: hunc autem descensum, ut aliàs
alia, à Matth. præteritũ esse. Quod ergo hic scribit: Cum descendisset de monte, me-
morat, quod supra præteriuerat. Nec intelligendum est, finita oratione, primum de-
scendisse, clare enim Lucas testatur illam in loco campestri, postquam de monte Ie-
sus descendisset, habitam. Eoq; uerba hæc nostri, ita accipienda sunt: Cum descen-
disset autem de mõte, scilicet, priusquam orationem haberet, ad discipulos quidem
peculiariter id tamen, ut circumfusus ipsi in loco campestri populus, doctrinã suam
simul perciperet. Et cũ iam uellet, absoluta oratione, aliò migrare, secutæ sunt eum
turbæ, pendentes iam ab ore eius, stupefactæ, scilicet, ob doctrinã, quam tantà cum
autoritate tradiderat. Petebat autem Dominus hoc itinere Capernaum. Ita enim
Lucæ, 8. legimus: Cum autem consummasset omnia uerba sua audiente populo, in-
trauit Capernaum. Notãda uero hic uis uerbi Dei cum autoritate prædicati, quòd
post Dominum tot turbas traxerit, inter quas & si multi fuerint, id, quod petrosa
aut senticosa terra iacto semini, indubie tamen adferunt simul, qui bonæ terræ simi-
les, uerbum optimo corde receperunt, fructumq; postea suo tempore attulerint d
copiosum. Vbi itaque frigide adeo sanctissimum uerbum Dei docetur, cumq; tota
prædicatoris uita clamat, ne ipsum quidem illi satis credere, quid mirum si perpau-
cos, aut nullos attrahat?

Concordia cũ Luca & histo riæ ordo.

Vis uerbi di- gne prædicati

Et ecce leprosus accedens adorauit eum.) Hoc miraculum Marcus & Lucas pa-
riter narrant, ille primo cap. hic. 5. Lucas memorat id in quadam ciuitate accidisse.
Marcus scribit, proxime ante hoc, prædicasse Dominum in synagogis in tota Gali-
læa, & dæmonia eiecisse, testatumq; in hoc se missum. Non absimile igitur uero est,
Dominum cum repeteret Capernaum, à loco, in quo superiorẽ orationem habuit,
in uia ad aliquod oppidum diuertisse, ac inibi hunc leprosum sanitati restituisse.
Omnino tamẽ diuerso adeo ordine, à Marco & Luca factum hoc narratur, ut aliud
ab illis, & aliud à nostro, narrari quis putet. Et rursus eisdem adeo id uerbis & cir-
cunstantijs describũt, ut idem narrari ab omnibus tribus, nihil dubij sit. Sed de tem
pore ac loco factorum Christi, imitati Euangelistas, ne solliciti nimium simus: ipsa
potius qualia fuerint, qualemq; Christũ prædicent, expendamus. Nemini enim uel
parum in Euãgelistis exercito, ignoratur, illos narrando factorum ordinem nequa-
quam obseruasse. Commodum aũt Dominus, à prædicatione uerbi, ad miraculum
sese recepit, quo maiorem uerbis suis admirationem & fidem arrogaret. Hic nanq;
miraculorum usus, ut ad suscipienda, atq; admiranda Dei uerba, animi hominũ ex-
citentur, neq; ad alia seruiunt, quæ uera fuerint.

Idem Mar. 1. & Luc. 4.

Quando mi- raculũ factũ.

Ad ea uero quæ supra cap. 2. de adoratione dicta sunt, facit, quod hic noster habet,
προσεκύνει αὐτῷ, id est, adorabat eum, Marcus habet, γονυπετῶν αὐτῷ, id est, accidens
ei ad genua, Lucas uero, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, id est, cadens in faciem. Hinc nan-
que ergo colligitur, accidere ad genua, aut in faciem, incuruare se & prosternere,
reuerentiæ exhibendæ supplicandiq; caussa, id esse, quod Ebræis השתחוה uel
שחה dicitur, cum adorare Latinis plus significet, immo aliud ferè, quod animi po-
tius

Adorare.

A tius sit, quam corporis de quo suprà plura.

Præterea insigne fidei, ac rite precantis exemplum hic nobis leprosus exhibet. Primum, Christi uirtutem audiuit, & uere credidit, nihil dubitans, sicut ipsi confitetur, posse illum, se sanare: tum fore etiam ut uelit. Quia enim orauit, spem huius habuit. Quòd uero magno cum ardore, animóque plane supplici, procidens in faciem orauit, eo declarauit se probe agnoscere, minime id sui meriti, sed solus gratiæ Domini esse. *Cuiusmodi leprosi oratio.*

Sic docet orare spiritus sanctus. Ille hūc leprosum, simul atq; Iesum uidisset, quod Lucas commemorat, huc rapuit & accēdit, ut illico in faciem caderet, atq; certa fide sanitatem ab ipso oraret. Irrisio nanq; Dei est, si quid ipsum ores quod exoraturum te non certo confidas. Quapropter Christus ea duntaxat orare docuit, in forma illa precandi, quam supra tractauimus, quæ pius nequeat dubitare se exoraturum: nimirum illustrationem gloriæ Dei, uitæ necessaria, peccatorum remissionem, & à Diabolo eiusq; tentationibus liberationem. Priuata siquidem, quale fuit huius leprosi sanatio, nemo absolute orare debet, nisi certus sit, ea impetrata, ad gloriam Dei factura: quod ubi sic se habeat, nemo nisi spiritus in corde potest docere. Quare in omnibus precationibus pro rebus externis, pius addet: ueruntamen non mea, sed tua pater uoluntas fiat: si ad gloriam tuam facturum noueris, sana me, pelle hoc aut illud malum: & nequaquam absolute libera, sana, quòd nesciat, an quod petit, uere bonum sit, & ad Dei gloriam, cui se totum dedidit, propagandā seruiat. Hinc est, quod Paulus Roman. 8. scripsit, ignorare nos quid & quomodo orandum nobis sit, eoq; spiritum indicibilibus gemitibus pro nobis intercedere ad Deum. Sunt enim dum afflīguntur sancti, arcana quædam in ipsis uota & occulti quidā ad Deum gemitus, qui a Dei in nobis spiritu proueniunt, id petentes, quod ad Dei gloriam, in uarijs illis casibus, quibus exercemur quolibet tempore, facturum ipse spiritus agnouerit. *Locus Pauli Ro. 8. explic.*

B Aguntur nanq; qui filij Dei sunt, spiritu Dei, non iam humana ratione. Quicquid autem ita spiritus in nobis orat, sæpenumero nō uerbis modo, sed ne certis quidem cogitationibus nobis explicabile est, scrutator tamen cordiū Deus, facile agnoscit illud & audit, quia secundum Deum, hoc est, ad Dei uoluntatem spiritus ille orat.

Si ergo huc spiritus impellat, ac uelut incogitantem rapiat, ut certa fiducia exorādi quid externi, uel tibi uel alijs ores, sicut leprosus hic sibijpsi orauit sanitatem, & sicut Apostoli multis alijs, uel sanitatem uel uitam, uel dona certa spiritus sancti orarunt, indubie exorabis, quicquid id fuerit, quia fide orabis indubia. Credenti aūt omnia possibilia, Mar. 12. Spiritus autem hoc opus erit, qui ita ut illos, ad orandum te fide nihil hæsitante, impellat, ut ne quidem cogitatiuncula aliqua alia obrepat, non modo, ne non impetres, sed ne quidem, de ulla re alia, quàm ut preceris tantum, atque accipias, quod fueris precatus. Sic certe orasse hunc leprosum Lucas describit. Cumq; uidisset, inquit, Iesum, prostratus in faciem rogauit, &c. Ita enim uidetur cō specto Iesu cogitasse. En illum Iesum, omnium saluatorem, qui omnem curat languorem & morbum, bene res habet, & te tua lepra liberabit, tantum tui admonitus: precabor ergo ipsum, & indubie salutem referam. Ac ita aliud ne cogitarit quidem, quàm ut oraret, & exoraret, sibi à lepra mundationem. Sic sese habebit, quæcunq; ex Dei spiritu profecta fuerit, pro re aliqua externa precatio, ne de orādo quidem deliberabitur, nedū de exorādo aliquid hęsitabitur, sed spiritus certus, ut orare se quæ Deo grata sunt, ita & exoraturū illa, rapiet & impellet ita te ad precandū, ut aliud ne cogitare quidē possis. Vnde si deliberare, uel de orando uel exorādo poteris, iam certo nō ista spiritus precatio est, neq; pius tum absolute id, quicquid fuerit, orabit. Nihil enim sustinet aut uelle aut orare, nisi quod certissime ad gloriā Dei faciat, quare quacunq; de re id exploratū non habuerit, absolute eam nullus petet sed adijciet: Si ita Domino fuerit probatū, & ad ipsius gloriā momentū aliq̄d habuerit. *Oratio opus spiritus ad quam incogitantes rapit.*

Vnde precandi ſtudium & ſummiſſio.

Sed dices, ſi certus adeo impetraturũ ſe hic leproſus fuit, & debet dubitatio locum in precatione nullum habere, ad quid ergo ille orauit tam ſupplíciter, procidens in terram, dicens: Si uelis, potes, &c. qualis ſanè ſubmiſſio, prædicandíq; ardor in omnibus omnium ſanctorũ precibus eſſe ſolet. Maxima eſt ſanè in ſanctorum precibus ſubmiſſio, plurimus ardor, at hic non ex eo proficiſcitur, quòd illi de exorando quid addubitent, & ita ſupplicãdo ac blandiendo ſperent poſſe forte prouocari Dominum, ut faciat, quòd ſua uoluntate non erat facturus, nemo enim orans Dominũ exorabit, niſi indubitato credat accepturũ ſe quod orauerit; prouenit ergo iſta tam ardens imploratio opis diuinæ, quæ in ſanctorum precibus exiſtit, ex accurata propríq; ipſorũ indignitatis, & ſuper omnia eminentis diuinæ maieſtatis perpenſione, denícq; etiã ex digna æſtimatione doni Dei quod petunt. Quicquid igitur uere Chriſtiani orauerint, his quatuor oratio eorum nitetur. Primum ſpiritu, ad orandum impellentur. Proximum, per hunc certi erunt, id quod oraturi ſunt, intereſſe gloriæ Dei. Tertium, per eundem ſpiritum perſuaſi, non dubitabunt exoraturos ſe, quod orauerint. Quartum, impulſi eodem ſpiritu, ex perpenſione ſuæ humilitatis, & diuinæ maieſtatis, precabũtur & ſupplíciſſime & obnixiſſime, quamlibet certi ſint Deũ ultro daturum, quod precantur, nequaquam id precaturi, niſi dare id Deo crederẽt multo gratiſſimum eſſe.

Quatuor habebunt pie precantes.

Poſtremo notandum, quàm paucis uerbis hic orauerit, quàm multo autem affectu, de qua re ſupra in cap. 6. de precatione.

Protenſaq; manu tetigit illum.) Marcus addit, Ieſus autem miſertus &c. Miſericordiæ nanq; ſummæq; bonitatis Chriſti documenta, quibus ad ſe allícere populũ uolebat, huiuſmodi beneficia erant: debentq; commemorata, fidem in ipſum in nobis augere. Quem enim ſe leproſo, ex fide oranti præſtitit, hunc ſe & nobis ſimili fide orantibus præſtabit.

Cur manu tetigerit immũdum.

Quòd uero protenſa manu leproſum Dominus tetigit immundum, ad cuius contactum nõ minus ſanè contaminabatur homo, quàm ſi tetigiſſet ſanie fluentem, docuit charitatem pluris ſibi eſſe, quam ritus iſtos externos; quin externa illa omnia charitatis imperio ſubeſſe, uti & de ſabbatho, cuius obſeruatio ſanctiſſime erat præcepta, facto & uerbo docuit, propter hominem omnia huiuſmodi eſſe inſtituta, non hominem propter illa. Tangere itaque immundum nulla cauſſa, iniuria erat aliorum, cum quibus erat agendum, cum propter contagionem, tum propter naturæ horrorem, ac etiam puritatis obſeruãdæ publícitus neglectum. Proinde nemo pius & ſanctus id admiſiſſet: ſed tabernaculo Domini deferens, ſtuduiſſet animo & corpore, quammundiſſime uiuere: at quoniam ſumma ſanctitas ac puritas eſt, Dei perfectionem, dilectione erga miſeros retuliſſe, ſi quem contactu & conuíctu ſuo iuuare ſancti potuiſſent, deferentes uiuo Dei tabernaculo ac Deo ipſi omnis puritatis autori, in ſummis corporis ſordibus inſeruire proximo, quàm corporis munditiem tueri maluiſſent, etiamnum lege Moſcheh uigente. Hæc uero ut ueteres acti à ſpiritu Chriſti ita obſeruarunt, ſic mirum non eſt, Chriſtum ipſum, ſummum charitatis plantatorem & uindicem idem præſtitiſſe. Ad hoc enim ut proximum demereamur, & quam plurimum, omnia referenda & attemperanda ſunt, finis ſiquidem legis dilectio. Non ergo à Deo erit, illa uel ſanctitas, uel ſanctitatis obſeruatio, ſiue in hominibus, qualem religioſuli illi quidam iactant, aut etiam in rebus cuiuſmodi uulgus Eccleſiaſticorum omnes etiam opes ſuas habet, non ſolum quæ ua ſa ſacra dixere, ob quam proximorum neceſſitati non ſuccurritur, & pro uiribus inſeruitur. Chriſtus omnium mundiſſimus, immundiſſimum leproſum, etiam contra legem, ut uidebatur, tangit, dum tangendo poſſet iuuare. Ita nemo poterit ea ſanctitate pollere, ut non profaniſſimo cuiq; inſeruire nihilominus debeat, ſi ſua ille opera indigeat.

Cæterum

A Cæterum iuxta animaduertitur, Christum plærosq; contactu simul ac uerbis curasse, plærosq; solo uerbo, sicut puerum Centurionis, de quo mox subijcit. Illud fecisse arbitror, quò carnis suæ pretium & utilitatem declararet, cuius solius immolatione salus omnibus reparata est, ut nemo nisi manducata carne & hausto sanguine ipsius possit uitam æternam consequi, Ioan. 6. Hoc autem, ut carnis præsentiam non crederemus usque necessariam, sed uerbo suo, etiam carne absente ipsum æque omnia posse. Nam & si salus nostra non nisi per carnem Christi potuerit perfici, nõ est tamen necesse aut utile, eam semper habere præsentem carnaliter. Vnde dicebat: Expedit uobis ut ego uadam. Ne quid igitur detractum nobis, quod salutis nostræ interesset, putaremus, postquã carne à nobis Christus secessit, agens etiamnum in carne, subinde uerbo solo eiecit Dæmonia, curauit morbos et suscitauit mortuos, atq; ita luculenter declarauit omnem sibi potestatẽ traditam, uerboq; se omnia posse, eoq; cum receperit, ad finem usq; seculi, nobiscum se futurum, spiritu suo utiq; & uirtute, nihil omnino fore, quod ipsi fidẽtes desideremus, si id salutis nostræ referat, quamlibet carne nobis absens sit.

Cur contactu Christus quosdam curarit, quosdam solo uerbo.

Vide ne cui dixeris. Marci. 1. Lucæ. 4.) Et infra nono duobus cæcis, quos uisum donauerat, interminatum legimus, ut uiderent, ne quis id resciret. Marci autẽ quinto mandasse ei quem Dæmonijs liberarat, ut domũ & suos repeteret, illisq; annuntiaret, quanta sibi Dominus fecisset, quod & fecit per decapolim ipsum prædicans. Dixi supra cap. 7. miracula, quæ initio Euangelij coruscarunt, ceu classicum fuisse, quo ad regnum cœlorum, audiendumq; Euãgelion, mundus fuerit excitatus. Iam tempus illud Christi, quod in carne nobiscum egit, fuit ceu diluculum diei salutis, mox per manifestam Euangelij prædicationem, ceu iustum iubaris aduentum, orituræ, iamq; uelut rutilante aurora, radios suos iubar hoc sensim proferebat. Atque

Cur Christus sua beneficia taceri alijs, a lijs prædicare præceperit.

B hinc fuit, quòd Christus se tot miraculis, & sermonibus quoq; tanta autoritate habitis, admirabilem & suspiciendum exhiberet, ut audire et sectari eum summo studio homines quærerent. Attamen quoniam pater uoluit, pati ipsum, ac ita demum in gloriam ingredi suam: serui ante formam gestare, quàm omnium principis maiestate fulgeret, atq; hominum prius similitudinẽ prę se ferre, quàm in Dei forma, clare reluceret, conueniebat, ut sicut prædicatione Apostolica nondum debuit Christus palàm renuntiari, ita nec inclarescceret miraculis: præsertim cum non magnus inde pietatis fructus expectaretur: hacq; caussa, Dominus cum alijs, tum huic lepro so collatum ipsi beneficiũ prædicare interdixit. Vbi nanq; contempto Christi mandato maxime factum hoc inuulgauit, multaq; prædicauit, nullum alium fructum secit, quàm ut turbis hominum, corporum magis quàm animorum salutem quærentium, aut certe curiositate tantum uidendi miracula, nouaq; audiendi accurrentiũ Dominus adobrueretur, neq; posset iam palam ciuitatem ingredi, sed cogebatur foris manere in locis desertis, ut meminit Marcus. Satis iam miraculis alijs Christus celebris factus erat, abundeq; ad eum citi erant, quos sitis aliqua doctrinę cœlestis tenebat, si etiam hic ipsius iussui, quam præpostero suo studio obsecundare, quod par erat, maluisset. Vtcunq; autem leprosus hic indubie peccauit, qui Christo Domino & in se adeo benefico non paruit, Dominus tamen id peccati ut omnia mala nostra in bonum conuertit. Neque enim absque fructu tunc fuit, ille ad eum hominum concursus.

Hunc intempestiuum prædicatorem referunt hodie, qui nullam rationẽ habent, ubi & quando sementem uerbi Dei faciant, & quibus mysteria regni Dei exponãt, dummodo quod ipsi de Euangelio agnouisse sibi uidentur, quammaxime inuulgauerint: nihil morati, si canibus etiam obijciant sanctum, & porcis spargant margarita, aut si solidum cibum pueris, & lac prouectioribus proponant. Qui deniq; nõ missi prædicant, hoc est, quos nullus ardor gloriæ Dei, sed sua duntaxat libido ad

Præposterum leprosi studiũ imitantur intempestiue et non missi prædicantes.

prædicãdum impellit. Fieri etiam potuit, ut hic leprosus, & cæci illi duo, ac alij, quibus facta sibi beneficia prædicare Dominus interdixit, indignioris fortasse uitæ fuerint, quàm ut idonei essent ad prædicandũ Dei regnũ. Vt enim Paulus, non quemlibet, etiam pium uult deligi in Episcopũ, ita & Christus noluit per quoslibet annuntiari facta sua: sicut & illum qui dicebat: Præceptor, sequar te, quocũcq; abieris, quodammodo à se reiecit, de quo paulo infrà.

Ex proprijs affectibus cultum Dei metientes.

Præterea similes huic præpostere grato sunt, qui obsequia Dei, non ex uerbo ipsius, sed suo affectu potius metiuntur. Nam hic satis non habuit, propalasse contra iussum Christi, quod sibi factum erat beneficium, sed multa prẽterea alia nequaquã ad hoc munus delegatus, prædicare cœpit, ita uisus fortasse sibi magnam se à Christo gratiam initurũ. Sic nanq; de eo Marcus scribit: At ille egressus cœpit prædicare multa, & diuulgare sermonẽ. Ipse forsan ambitiosior ita optasset celebrari, si quid benefecisset. Nam quæ stulti mortales ignari bonorum, sibi quærunt, eadem offerre & Deo solent, aurum, gemmas, purpurã, amplas basilicas, superbas aras, suaueolentia thura, dulces cantus, & id genus alia, quæ carni, scilicet, uoluptatem adferũt: quæ aũt Deum uere delectant, innocentiam, fidem & dilectionem negligunt. Quę insania tam crassa est, ut Ethnicus Poëta incessendam sibi duxerit. O curuæ (inquit) in terras animæ & cœlestiũ inanes. Quid iuuat hoc, templis nostros immittere mores: Et bona Dijs ex hac scelerata ducere pulpa? Non recte igitur fecisse hunc leprosum prædicando, quod tacere Christus præceperat, nemo dubitet, quandoquidem rectum esse non potuit, quòd Dominus serio prohibuit. Neq; enim audiendi sunt, qui aiunt Christũ modestiæ caussa prohibuisse prędicari, quod tamen prædicari uoluerit. Ista siue urbanitas, siue simulatio potius, hypocritarum est, non Christi. Porrò ut hunc & alios plærosq; exhibitas sibi uirtutes tacere uoluit, ita alios eas uoluit prædicare. Nam omnino latere noluit, quòd aurora esset diei, quæ ex ipsius manifesta prædicatione paulo post, erat plene mundo irradiatura. Hinc & discipulos prædicatum adueniisse regnũ Dei amandauit, & illum liberatũ dæmonijs, atq; alios nõnullos facta sua deprædicare etiam iussit. Vnde & hodie, qui uolet digne Deo, & cum fructu, facta Dei prædicare uel alijs etiam gratificari, nihil pro sua cupiditate agat, sed cõmittat se Dei spiritui, qui tum & illic, cum & ubi ipse uoluerit, beneficia Dei prædicare doceat, agereq; quod optimo Patri uere gratum habeatur. Nemo siquidem, nisi ipsius spiritus, quæ grata habeat, nobis indicauerit.

Christus legẽ publicam diligenter obseruat.

Sed abi & ostende te ipsum sacerdoti. (Mar. 1. Luc. 4.) Exposi pridem sunt, qui hoc Christi dicto, necessitatem confessionis secretariæ fundare conati sunt, quasi uero iidem essent nostri Presbyteri, qui legis sacerdotes: & ostendere, confiteri singula peccata, & lepra, peccatũ. Id quidẽ ex hoc loco recte colligitur, ministeriũ Ecclesiæ magni faciendũ esse, & per id ligari, atq; solui oportere, qui sint in cœlis ligati solutiq; habendi. Hoc enim Dominus in Ecclesia ita instituit, ut olim illud iudiciũ leprę. At ex eo posse construi, ut singula Christiani sacerdoti peccata enarrent, ni uelint æternum perire, id uero quiuis uidet, quàm nulla ratione affirmatur. Neq; id ullus sanctorum patrũ ex hoc loco collegit, cum pie et solide hic monuerint de disciplina ecclesiæ confessioneq; peccatorũ, & solutionis beneficio, quæ ultro, & ex uera pœnitentia suscipiuntur: uti de confessione diffuse disputauimus, cap. 3.

Postremo Christi hic religionẽ summissionẽq; miremur, qui sanctis adhuc ceremonijs Moscheh, quod nouũ & spiritale fœdus nondũ esset, sanguine ipsius confirmatũ, et eò, ut uulgaretur palàm, perductũ, tantopere detulerit. Quo monemur, ut et nos receptis legibus, & moribus obscundemus, quantũ cum Deo fieri potest, etiam si à nobis nulla eius sit necessitas. Lex nanq; erat, ut de mundatis leprosis sacerdotes iudicarent, sicq; uere mundatos deprehenderẽt, Domino sisterent, atq; ex oblatis per eos sacrificiũ facerent, cum reliquis ceremonijs, quæ. 3. Mos. 14. præscriptæ legũtur.

Quod

A Quod uero Dominus ait, in teſtimonium illis, non aliter accipiendum puto, quã ſi dixiſſet, in legem uel ius illis. Siquidem legem teſtimonium uocari, uel ex 119. Pſalmo abunde liquet. Vnde uerborũ Domini ſenſus hic eſt: Et ſi uere mundus ſis, neq; opus ſit quòd te homo mundũ approbet, uolo tamen, ut quæ Moſcheh ex iuſſu Dei illis, nimirum ſacerdotibus & toti populo in teſtimonium, hoc eſt, legem & ius ſtatuit, ſancta habeas: ideo abi, oſtende te ſacerdoti, ut te mundum iudicet: & ſtatutum munus offer, unde partem illi ſuam habeant, ita neq; autoritatis, neq; commodi iacturam ex meo beneficio facturi. *In teſtimonium illis.*

Neq; enim hoc in teſtimonium, contra illos erat, nam quod Moſche præceperat, ſacerdotem obſeruabant, neq; etiã iſta huius leproſi exhibitio atq; oblatio, teſtimonium contra illos erat, prohibuit enim Dominus, ne cui quod factum erat, diceret. In teſtimonium contra eos fuiſſet, quòd Moſcheh de mundatione leproſorum præcepit, ſi id fuiſſent trãſgreſſi. Sic & leproſi huius exhibitio, ſi per eam uoluiſſet Dominus factum ſuum ſacerdotibus prædicari. Iam autem huic leproſo ubi eum ſanaſſet præcepit, ne uerbum quidem de hoc miraculo efferret, uel ad ſacerdotes iſtos, uel ad alios. Dicebat enim: uide ne cui dixeris, ſed abi oſtende te ſacerdoti & offer munus &c. Neq; enim licebit oſtendere ſacerdoti, interpretari, pro indicare illi, à quo ſanitatem hic acceperit. Proinde malo, hoc loco, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, id eſt, teſtimonium ipſis, ſimpliciter accipere, ut idem ſit quod ſecundum ius illis conſtitutum, & legitimam obſeruationẽ, quam uolo dum medium parietem demolitus mea morte fuero, religioſe obſeruari.

Hic forſan quiſpiam dubitabit, quando nos ceremoniis, externiſq; ritibus liberi ſumus, & omnia iuxta nouum Chriſti mandatum, ut inuicem diligamus, attemperare debemus, ſi etiam nobis liceat leproſos ita è cõuictu hominum eijcere, uti mos B publicus obtinet, & lex Moſcheh lib. 3. cap. 13. præcipit. Supra cap. 5. ubi de ui legis, quid eius ſtabilitum, quid abrogatum nobis ſit, diſſeruimus, indicauimus omnes ceremonias cultus Dei ad fidem, formulas iuris ciuilis ad dilectionem, ritus purificandi corpora, ad morum puritatem decentiamq; pertinuiſſe, ac quicquid externũ in eis per ſe ad fidem, dilectionem, decentemq; uitæ modum non attinet, abrogatũ eſſe, fidem autem ipſam, dilectionem, uitæq; modeſtiam & decorem minime: ita neq; ea, quæ licet externa ſint, habent tamen nonnunquam cum illis, fide, dilectione, & modeſtia connexionem quandam, adeo, ut ſi hæc præterires, illa uiolares, uti certe habet, ſeptimum diem ſanctificare, ac pleraq; alia. Quæ ergo huiuſmodi fuerint, quamlibet externa ſint, quatenus cum illis, in quibus uere pietas ſita eſt, cõiuncta fuerint, pijs omnino obſeruanda ſunt. *An excludendi publico leproſi.* *Externa legis quatenus ſeruanda.*

Iam cum contagioſus morbus ſit lepra, & plurium ſalutem, paucorum delitijs, charitas longe præferat, certe cum charitate connexionem habebit, leproſos è publico eijcere: non ut negligantur, ſed ut citra damnum curentur aliorum. Vt enim cibo & potu, ita & rebus alijs, diuinitus in hoc ordinatis, tum uita, tum ualetudo, quo proximis inſeruias, conſeruanda ſunt. Si enim iniurium eſt, & cum dilectione pugnat, opera tua proximum deſtituere, multo magis & iniurium & dilectioni publicæ ſemper erit, teipſo toto illum fraudare, ne unquam poſſit quidem tuis obſequijs frui. Quãdo itaq; Dominus ipſe, quo nemo uel æquior, uel dilectionis ſeuerior exactor, lepram, fugiendum publicitus malum iudicauit, præcepitq; ſuis, quibus nihil præcepit, non peculiariter ad dilectionem faciens, ut ſeorſim leprorſum habitare facerent, tentaremus Dominum, & in fratres reliquos iniurij eſſemus, ſi leproſis promiſcuam cum reliquis hominibus conuerſationem permitteremus. Recte igitur & ſecundum dilectionem agitur, quod leproſi è publico ſecluduntur, ſi modo ita eis ſimul prouidetur, ne qua uitæ neceſſaria deſiderent. *Charitas eſt publico ſemouere leproſos*

Sed

An leproſo miniſtrãdum à coniuge & liberis.

Sed rurſus dubitare quis poſſit, cum miniſtrandũ leproſo ſit, cuius hoc potiſſimũ C fuerit. Etenim nemo ita propinquus leproſo fuerit, atq; uxor & liberi, & leproſæ uiciſſim, maritus & liberi: caro enim uiri uxor, & uxoris caput maritus, tum liberi, caro ſunt de carnibus illorum, & os de oſſibus illorum. De his admodũ præſtaret, magiſtratum cui externa huiuſmodi prouidenda incumbũt, cauere. Etſi enim ſpiritus agit, qui ſunt filij Dei, attamen ſi uel legibus uel edictis magiſtratus hæc moderaretur, non tantum ſancti minore aliorum offendiculo, officia ſua facerent, ſed & ipſis eſſent omnia expeditiora, certum uerbum Dei, quo parere iuſſit magiſtratui, ſequẽtibus. Quemadmodum aũt pius magiſtratus, de his leges ferendo, in conſilio ſemper habiturus eſſet dilectionem, qua plurium ſanè ſalutem, paucorum delitijs, ac uiuendi non neceſſariæ cõmoditati præferret: ita etiam ſancti ſe habebunt, ubi ille officio ſuo defuerit. Nemo ſiquidẽ ſibi, ſed Reipublicæ & natus eſt & debet uiuere. Si igitur maritus leproſus ſit, habeat autem ſanam uxorem atq; liberos, ſi tum publicæ utilitatis rationẽ habere uterq; uoluerint, maritus ne petet quidem cum uxore & liberis uiuere, atq; in periculum pariter illos inducere, ne & ipſi Reip. pereant: uxor uero liberis potius Reipub. educandis adhærebit, quàm ut maritum iam inutilem Reipub. ſequatur, deſtituens liberos, aut in periculum adducens, qui uſui eſſe multis poſſent: tum & ſeipſam publico uſui ſubducens. Dabunt igitur operã Chriſtiani, ut leproſo habitanti iuxta legem Domini ſeorſim, & ſolitario, neceſſaria miniſteria non deſint, uel per cognatas uiduas, aut alios in quibus Respub. quàm minimã iacturam faciat. Eodẽ modo habebitur uxor leproſa à ſano marito. Niſi forte & abſq; liberis uterq; coniugũ eſſet, neq; idonei procreãdis: ſic enim rebus habentibus opinor coniugalis dilectio alterum ut alteri ipſe miniſtret, impellet.

Altero coniugum leproſo, alter ſanus liberis potius, quã leproſo miniſtrabit.

Porrò de coniugio alterius coniugum qui ſanus publico relictus eſt, iterum optandum eſſet ſtatuere magiſtratum: & id ſtatuere, quod cum priuatæ, tum publicæ ſalutis & honeſtatis referret. Sanè ſi par eſt relicto leproſo alterum ſe Reipublicæ D & liberis ſeruare, congredi non debebit cum leproſo: quando ergo uel huius uel aliorum, aut utrorumq; retulerit ad id ut & caſte, & proximo utiliter uiuat, eum qui ſanus eſt, ad ſecundas nuptias concedere, & pie hic illas petet, & pie magiſtratus eas ei permittet. Hic ſpectandum potiſſimum, quo uitæ genere & honeſtius, & fructuoſius quis uiuat Reipublicæ, & proximis ſuis: & ne quid det malæ libidini aut ulli affectui carnis. Quod qui curarit, illi facile impedita quæq; Deus expedita reddet: abſit tantum prauus oculus, & adſit certa in Dei bonitatem fiducia. Leproſo ſatis prouiſum puto, ſi neceſſarium uitæ miniſterium habeat. Gignendis liberis inceptus eſt, & percuſſus à Domino ut ſolitarius uiuat. Erit ergo pius, uel impius: ſi pius, facile exorabit à Deo, ut ſortem ſuam æquo perferat animo: ſi impius, nihil de illo attinet ad Eccleſiam. Verum quoniam non omnis lepra incurabilis eſt, etiam in hoc caſu differendo ſecundas nuptias qui Chriſtianus fuerit, dilectionis edicta ſequetur. Quanquam ut hodie uulgo iudicantur leproſi, morbus raro curabilis eſt. Nam nec lepra proprie eſt, ſed elephantiaſis. Lepra enim, ut Io. Manardus ille medicorum hoc ſeculo facile princeps ſcribit lib. 6. Epiſtolarum, Epiſtola. 11. & ex Galeno probat, Lepra uitium cutis eſt leuiculum, adeo ſcabiei ſimile, ut uix ab ea diſcernatur, quum elephantia carnem quandoq; depaſcatur, & ad oſſa uſq; ingrediatur. De eadem re habet quædam etiam in Epiſtola. 1. lib. ſecundi, ubi & D. Auguſtinum adducit, affirmantem lepram coloris uitium eſſe, non ualetudinis aut integritatis ſenſuum atq; membrorũ. Cum itaq; nunc ij tantum iudicentur leproſi, & à conſortio hominum excludantur, quos tenet morbus elephantus, nec excluduntur antequã hic morbus penitus inualuit, & factus eſt incurabilis: uiderint qua ratiõe nitãtur, qui talem, tamq; contagioſum morbum, eumq; incurabilem, non agnoſcunt cauſſam eſſe poſſe ſecludendi à reliquorum conſortio, qui eo tenentur: eosq; qui ſani ſunt,

Secundæ nuptiæ licere poſſunt ei, cuius cõiunx incidit in leprã.

A ni sunt, istis non addicendi cum iniuria Reipub. & eorum quoq;, qui eis addicuntur, maxime cum Dominus misericordia & dilectio ipsa, ob multo leuius malum, quale lepra est communione reliquorum homines excluserit.

Nihil enim est quod turbulenti quidam homines dicunt, hanc legem ceremoniã fuisse. Dominus enim nullas ceremonias populo suo præscripsit, quæ non consentiunt cum lege charitatis & singularẽ habeant utilitatem, qui ea in lege sua illis tradidit, quæ consummatissima sapientia sunt. Nullæ religionis ceremoniæ sunt, quas Dominus instituit, quæ non certa ratione, diuinæ bonitatis admonuerint, indeq; fidem populi, & totius pietatis studiũ inflãmarint. Ita nullæ ciuiles, quæ non facerent ad tuendã inter homines æquitatẽ & humanitatem. Sic nullas quoq; de corporum purítate rradidit, quę non per se etiam & ad sanitatẽ corporis tuendã, & uitæ decentiam ualerent. Deinde magna impietas est, tribuere Deo, tradidisse ceremonias, quę lędant charitatẽ, cum finis legis charitas sit, & charitate lex omnis impleatur. Quòd iam Christũ dicunt leprosum tetigisse, indeq; inferunt & nos illos non debere declarare, cogitent quòd Dominus simul sanauit hunc leprosum, & non fuisse tactum temerarium, quem lex uetat, sed saluificum, quem lex poscit. Simonem leprosum omnes ita dictum existimant, quòd fuerit, non esset tum leprosus. Sed fac tum quoq; fuisse leprosum, haud tamen licebit ex eo facto Domini singulari, impium facere, quod ipse in lege sua ante præcepit. Summa autem ratio in his est, magistratibus in hisce rebus ius est cõstituere: ij cum iuxta legem Dei cõstituerunt, nõ constituerunt impie, ergo Christianorum est illis in his parêre: maxime quum malum id, ob quod nostri magistratus consortio sanorũ excludunt, sit multo grauius, quàm id propter quod lex Mose excludit, & plane incurabile.

Summa est. De rebus tam incertis, atq; uarie accidentibus certæ leges aut consiB lia dari nequeũt, eoq; ante omnia optandũ est, ut Dominus donet magistratus se timentes, & suæ legis curiosos, ij è re nata facile in his & alijs statuent, quò & priuatorum & publica salus promoueatur. Dum id impetrare nõ licet, proximum est, ut quisq; agnoscat sese Dei esse quouis in casu, eoq; oportere, ut ex Dei, non sua uoluntate uiuat, & fructum proximis uita sua adferat: is quicquid inciderit, hoc amplectetur quod propius ad huiusmodi institutũ facturũ sperauerit: nẽpe ut innocenter & fructuose alijs, præsertim ijs, quos ei Dominus proximos fecerit, uiuat. Perpẽdet suas uires & dotes, perpendet proximorũ necessitatem, tum quid publicæ & honestatis, & utilitatis intersit non negliget. In primis aũt orabit Domini spiritum, ne quid ex sententia carnis agat, sed neq; cõmunicare cum timentibus Deum de rebus huiusmodi posthabebit. Sic indubie dabit illi Dominus id sequi, quod cũ sibi, tum alijs, & honestius & salubrius fuerit, quacunq; in re. Secretum enim Domini timentibus eum, & fœdus eius, ut faciat illos cognoscere, Psal. 25. Spiritu Dei ducuntur, qui sunt filij Dei Rom. 8. Et supra. 7. Petite & accipietis &c.

Extat Pontificis Romani rescriptum, in Decretalibus Epistolis, Titulo de coniugio leprosorum, quo cauetur, ut uxores uiros, & uiri uxores qui in lepræ inciderint morbum sequantur, & eis coniugali affectione ministrẽt. Ratio adijcitur, quòd sint una caro: & insequenti rescripto alia, quòd uxor non nisi fornicationis caussa dimittenda sit. Verum hic non consideratum est, quid sanis liberis parentes, & Reipublicæ sani ciues debeant. Tum quòd ij uiri & uxores, qui officijs horum nominum pares sunt, eadem caro sunt: & quòd uiro ea uxor quæ uxorem queat & uelit agere, non nisi ob fornicationem repudianda est. Quis enim nesciat, qui uiri & uxoris nomine possint censeri? Ad hæc satis patet, ei qui nolit contendere, Christum cum dimittit adulteriũ, non nisi temerarias caussas repudij uoluisse adimere, ac uetare eam abijcere, qua quis uxore uti possit. Alioqui peccasset Paulus, qui discedente infideli, fideli

Rescriptum R. Pont. ordini charitatis aduersum.

fideli coniugi secundas admittit nuptias, ubi etiam ob fornicationem repudium nõ C
interceſſit. Et ipſi pontificij ob impotentiam & ſæuitiam matrimonia ita diſſoluunt, ut coniugale miniſterium neuter alteri debeat.

Poſtremo homo non repudiat leproſum, ſed Deus, qui ita canit. 5. Moſche. 13. Le-
proſis in quo hic morbus fuerit, ueſtes conſciſſæ erunt, & caput detectum, & labia
obuelata, & plane immundus uocabitur. Omnibus diebus quibus in eo malũ hæ-
rebit, immundus plane erit, habitabit ſeorſum; extra caſtra erit habitatio eius. Hæc
lex, ut dixi, quatenus cum dilectione proximi connexionem habet, ut habere ſuprà
oſtendi, ſanè nobis obſeruanda eſt, tanq́ in præcepto dilectionis & nobis data: quæ
adhuc magis obſtringit, quod & à noſtro magiſtratu recipitur, noſtrũ enĩ eſt omni
humano ſtatuto parere. 1. Petri. 2. Illa quidẽ, quòd ſciſſis ueſtibus & detecto capite le-
proſus agat, quia cũ charitate nõ plus cõnexa ſunt, q́ quatenus indicia leproſi erãt,
quò cõmodius declinaretur, nobis obſeruatu neceſſaria nõ ſunt, ſi alijs notis ſeſe le-
proſi prodant. Excludere autem, ut dixi, & ſeorſim habitare leproſos, omnino præ-
cepto dilectionis annexum eſſe cognoſcitur; quare qui ob lepram ejicitur è publi-
co, ſeruatis Reipublicæ coniuge & liberis, is non ab homine repudiatur, ſed à Deo
coniugio eximitur.

Si quis autem calumnietur, ſic & ob alias ægritudines aut morbos poſſe diſſol-
ui coniugia, quòd forte alter coniugum huic nomini nequeat reſpondere. Reſpon-
deo per nos nulli uel libidini uel iniquitati feneſtra aperitur, quod non ſtudio inno
centiæ atq́ dilectionis erga proximum, hoc eſt, ex uoluntate Dei à quoquam ſuſci-
pitur, iam damnatum à nobis eſto. Iam qui uitam Deo dignam quærit, ne lepra qui-
dem accidente temere quicquã aut præpropere, ut dixi, de nuptijs aget, taceo ſi alia
incidat ægritudo. Ad hæc de alijs morbis non ita cautum eſt diuinitus, ut de hoc.
Tum in rarís caſibus neceſſe eſt ſpiritũ magiſtrũ audire. De huiuſmodi ergo priuſq́ D
accidant, quid poſſit certũ ſtatui? Indubie, qui unum hoc curabit, ut ſancte & utili-
ter uiuat, idq́ ijs, quibus Dominus ſe adiunxerit, ille nihil uel indecorũ, uel iniquũ,
ſiue lepra, ſiue alijs malis, laborante ſuo cõpari, admittet unquam.

Ob nullum alium morbũ ita ut ob lepram proximus uitandus

Quę de coniuge ac liberis ſeruandis Reipub. & alijs proximis, relicto leproſo, cui
tamen ſatis prouiſum ſit, diſſerui, in hoc tantum diſſerui, ut declararem charitati ne-
quaquam pugnare, imò ex officio eius eſſe, ſecludere leproſos: tum à familiaribus,
coniuge ac liberis illos cohabitatione & quotidianis miniſterijs, ſi aliunde illis pro
neceſſitate ſatis prouiſum ſit, poſſe deſeri: denicq́ in caſu, etiam ſanam coniugem, fe-
cundas petere nuptias, neq́ oportere libidinem leproſi cui ſatis prouiſum ſit, præfer
re ſaluti & cõmoditati Reipublicæ. Sed tum tantum, quum ſecundũ charitatem a-
getur, & affectus carnis hic nihil ſtatuet, ſed ſtudio Dei omnia gerentur, quo pacto
nihil poterit peccari in ius matrimonij, aut contra Domini, de eius perpetuitate ſen
tentiam, de qua tamen, infra decimo nono plura.

In his denicq́ omnibus, ut ſuprà memini, pius receptis legibus, quantum omnino
illi cum Deo licuerit, ſeſe attemperabit: licebit aũt, quicquid non coget, offendere
Deum, quale eſt, ſi indulgentia & priuilegijs magiſtratuum in his utatur: uti neceſ-
ſitate cogẽte illi pleriſq́ in locis à iure publico, huiuſcemodi caſibus implicitis quę-
dam remittunt, ad quædam conniuent. At iuſtum ius, cum offendiculo aliorum, &
inobedientia magiſtratuum Chriſtianus concedi ſibi qui pius eſt, haud poſtulabit,
modo ea ſibi permiſſa habeant, quibus ſine innocenter & ſancte uiuere nequit, ni-
hil moratus, ſi uel contemptior paulo, uel quo ad rem, incommodius uiuere opor-
teat. Iudicent de his ſpiritales.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Lucæ. 7. Porrò cum ingreſſus fuiſſet Capernaum, adijt eum Centurio &c.) Nam in itine-
re quo finita oratione Capernaum petebat, leproſum ſanaſſe uidetur, uti ſupra dixi.

Lucas

A Lucas eandem hiſtoriam deſcripſit.7. & narrat Centurionem indignum ſeſe exiſtimaſſe,qui Ieſum ipſe adiret,eoq; ſeniores Iudæorum miſiſſe ad ipſum oratũ,ut ſuum puerum paralyticum & uehementer diſcruciatum,ut uero Lucas habet,iam agentẽ animam, ſanaret. Vnde quod hic noſter ait: Centurionem Chriſtum adiiſſe, & pro ſeruo ſuo paralytico oraſſe, intelligendum eſt factum per ſeniores Iudæorũ quos ad illum Centurio amandarat legatos. Ita & ſequentia: Domine,non ſum dignus, &c. non per ſe Chriſto,ſed per amicos, quos domino nõ longe iam à domo ſua exiſtenti miſerat obuiam,dixit. Mox nanq; dominus cum legatis illis Iudæis iuerat. Sic enim Lucas ſcribit:Et cum iam nõ longe abeſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens ei:Domine,noli uexari. Non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres, quapropter nec meipſum ſum dignum arbitratus,ut uenirem ad te,ſed dic uerbo,& ſanabitur puer meus. Nam & ego ſum homo,&c. *Matth. & Lucas conciliantur.*

Notandus hic primum,ordo,quem hic noſter obſeruauit,prius miraculum deſcripſit quo ſanatus fuit Iudæus,fide ſanè mediocri præditus: mox beneficium deſcribit exhibitum Ethnico,eiq; & dilectione & fide multo præſtantiore. Nam ille ſibi ſanitatem quærebat,hic ſeruo: ille coram exiſtentem credidit poſſe ſe ſanare, hic etiã abſentis uerbo hoc tribuit: ille ex animi ſubmiſſione in faciem procidens inſigni profecto modeſtia orauit: Si uelis,potes me mundare, hic adhuc ſubmiſſius egit, indignũ ſeſe ducens, qui uel ipſe dominũ appellaret, aut ad ſe uenire ſuſtineret. His ſanè adumbratum fuit regnum Dei,Iudæis primum ex promiſſione offerendum, ſuosq; ex illis,licet pauciſſimos,ciues habiturum: ſed mox multo cumulatiore cũ fructu tranſferendum ad Gentes,de quo & ipſe dominus horum occaſione mox monuit.

Multo ergo præclarius in hoc Ethnico pietatis atq; animi Dei ſpiritu formati exemplum nobis propoſitum eſt. Dilectio & eximia humanitas eius in eo notantur, B quòd ſeruulũ adeò charum habuit,maloq; eius fuit tãtopere motus. Omnino enim qui Dei ſunt,ut dominum ſe habere in cœlis agnoſcunt, ita ſumma æquitate & humanitate ſeruos ſuos pertractant,de quo Paulus monet,Epheſ.6.& Coloſ.4. Submiſſio præcipua,quòd neq; adire ipſe dominũ, neq; eum in ſuas admittere ædes fuit auſus. Denicq; fides incomparabilis, in eo, quòd non dubitarit uerbo potuiſſe dominũ ſuo ſeruulo ſanitatem,quamlibet uicino morti, imò iam animam agenti, reſtituere, habẽtem, ſcilicet, imperio ſuo,morbos & ſanitates, uitam ac mortem longe plus parentia,quàm ipſe ſuos uel milites uel ſeruos. Etenim argumentum ducebat à minori. Nam ego,inquiebat,homo alterius poteſtati ſubditus,&c. quaſi diciſſet: Ego poteſtate nihil tibi conferendus ſum,id eſt,ut qui adhuc alterius ſim poteſtati ſubditus, cum tu in manu habeas omnia, uerbo tamen apud meos ſubditos cuncta efficio, milites iuſſa mea capeſſunt, imperata facere ſeruus nõ detrectat, quanto plus tu uerbo, quodcunq; uolueris præſtabis in rebus omnibus, morbos abigens, ſanitatem reſtituens,arcens mortem,uitam conſeruans.

Porro hinc ſimul animaduertendum, quàm omnia ſint uocantis Dei,& nihil operantis hominis, omnia domini miſerentis & ſpiritu ſuo benigne edocentis, ac nihil hominis currentis aut uolentis. Quis enim non plurimum Dei bonitatem miretur, ſi perpendat,quàm parum hic Centurio homo Ethnicus atque ob militiam reliquis hominibus adhuc profanior, de Ieſu audierit, & quàm multa crediderit? Humiliet igitur ſeſe diuinæ maieſtati omnis caro, quam niſi ipſe ſola ſua bonitate ad uitam re uocet,perire neceſſe eſt: cuius gratuitum donum eſt,quicquid uſpiam boni fuerit. *Pietas ſolius Dei donum.*

Operæpretium uero eſt uidere & quid exempli exhibuerit hic & ſeniores Iudæorum,quos iſte Centurio ad Chriſtum miſit legatos, ſe Ethnicũ ducens impuriorem, quàm qui deberet cum Iudæorum tam eximio propheta uerba communicare. Scribit enim Lucas, eos ſtudioſe dominum oraſſe,ſed his uerbis: Dignus eſt, ut hæc illi præſtes,diligit enim gentem noſtrã, & ſynagogã ipſe ædificauit nobis. O ſupercilium

Arrogantia Iudæorum.

Phariſaicum,& intolerabilem arrogantiam. Ergo qui uos diligit, & ſynagogas extruit, dignus eſt cui Chriſtus benefaciat? Cur non potius, quia timet Deum, credit uerbo eius, quod amore & ſtudio gentis & religionis noſtræ declarauit? Planè ſimilis oratio hæc fuit precationibus Cœnobitarum, qui uel ſolos ſuos benefactores, & ſuorum ordinum ſtudioſos,cum ſuis precibus,tum diuinis beneficijs,dignos exiſtimant ſtulti,& prædicant impudentes, quacunq; illi impietate & improbitate ſordeant. Quàm diſſimilis uero erat horum orationi animus Centurionis, qui ob iſta omnia ne aſpectu quidem Ieſu dignum ſe arbitrabatur.Nota tamen ex his ipſis,quæ de illo Iudæi prædicant,quàm non nupera fuerit hominis pietas. Iudæos agnouerat gentem Dei.Deiq; eloquia illis credita,eoq; amabat illos,& beneficijs ſuis demereri ſtudebat.Quippe actus eodem ſpiritu,quo Cornelius ille,de quo in Actis, ad ſuas eleemoſynas & preces impulſus fuit. Neq; enim poteſt ſe non exerere apud electos ſpiritus Dei,quacunq; adhuc laborent,uel ignorantia,uel infirmitate.

Exemplũ bonitatis Chriſti.

Verum ante omnia hic Chriſti,propter quem omnia ſcripta ſunt, exemplum perpendendum.Incomparabilis,ſcilicet,& bonitatis & ſummiſſionis. Et ſi enim Ethnicus eſſet, cuius negotium agebatur, & eſſent legati bis inepti oratores, præſertim apud Chriſtum, ut oratio ipſorum ſatis probat, tamen illico non tantum exorari ſeruo ſanitatem paſſus eſt,dicebat enim:Ego cum uenero medebor illi,ut hic noſter habet,ſed etiam inuiſere Ethnici ſeruulum ultro uolebat. Nam ita ſcribit Lucas: Ieſus autem ibat cum illis.Quid queat fingi,& benignius & facilius? Quis ab hoc nõ ſperet omnia? Quis denicq; in hunc credens, hanc pariter benignitatem & ſubmiſſionem,non cupiat æmulari?

Hæc autem cum audiſſet Ieſus admiratus eſt,&c.) Admiratio hæc hominis Chriſti fuit,ſtupẽtis ad tam præclarum diuinæ bonitatis miraculũ, quo homini Ethnico & militi,tantum fidei donatum fuerat,ut in omni populo Iſraëlis,tantundem haudquaquam reperiſſet. Antea in ſola ferè Iudæa Deus notus, nunc homini per omnia prophano,Deus amplius cognoſcitur, quàm ſemel Iudæis uniuerſis. Res ſanè noua & inſolens,dignaq; admiratione ſumma.Quam ut ſimul mirarentur turbæ ſequentes,ac imitari cuperent,teſtatus illis fuit:Amen dico uobis,ne in Iſraël quidẽ tantum fidei reperi.Ita facit dominus ex nouiſſimis primos,& ex primis nouiſſimos.

Porro quoniã hoc uerbo,fidei naturam, pleniſſime in propoſito huius Centurionis exemplo cognoſcendam dominus ob oculos nobis collocauit, libet de fide diſſerendo,aliquantulũ expatiari.Ita enim uulgo cognitio fidei, opera Antichriſti obſcurata fuit,ut ne hodie quidem multis,iſq; nequaquam ſcripturarum inſcientibus, ea ſatis reſtituta uideatur.Adeò de illa uerba facientes, ſcripturaq; de illa loca enarrantes,male ſibi identidem conſtant. Cumq; multa uerba fecerint,agnoſcas eos magis ſentire quid fides ſit,quàm explicare poſſe: quippe impeditos cum ſcripturæ quibuſdam,tum aliorũ ſermonibus quos nondũ habent planè perſpectos. Nomẽ itaq; diuinæ huius,ac diuinos reddẽtis uirtutis,Ebræũ eſt אמונה,deductũ à uerbo,אמן, quod certificatũ eſt,ſignificat,unde & האמין,id eſt,credidit, aut certo perſuaſus eſt, uenit, Græci πίστις,hanc uirtutẽ uocãt,nomine à uerbo πέπεισμαι,id eſt,perſuaſus ſum,deducto,quo & אמונה,interdũ reddũt, ut 1.Sehmu.26.dicente Dauid ad Schaul,Reddat dominus utriq; pro ſua iuſtitia & fide: ubi nos fide legimus, Hebræi habent ſuum אמונה,Græci πίστις,idq; locis multis alijs,ut Pſal.33.Ierem.5.7.Haba.2.&c.

Nomen fidei, apud Ebræos & Græcos.

Noſtri ergo cum non haberent ita ut Græci, commodum uerbo credendi reſpondens nomen,appellauerunt hanc uirtutem, fidem. Tametſi Latinis fides aliud ſignificet,nempe autore Cice.lib.de Officijs primo, dictorum, conuentorumq; conſtantiam & ueritatem, quæ iuſtitiæ qua cum proximis recte uiuitur, fundamentum eſt: ita appellata,ut eidem Ciceroni uidetur,quia fiat, quod dictum eſt. Vnde bona fide agere eum dicimus,qui citra ullum figmentũ, uere atq; diligenter agit, quod agendum

Quid fides Latinis.

A dum ſuſcepit. Hinc Laurentius Vallenſis, non ſui modo ſeculi miraculum, ſiue accuratam eruditionem ſpectes, ſiue excuſſum iudicium, ſiue animi denique incomparabilem conſtantiam, quibus in adferenda omne genus ueritate, etiam ſacra polluit, rectius hanc uirtutem, perſuaſionẽ uocari cenſet: cui ſubſcribit immortale decus, Gallarum. G. Budæus in annotationibus in Pandectas Iuris Ciuilis, hanc rationem addens, quòd πίστις, Græcis, à uerbo πίστωσιμαι, id eſt, perſuaſus ſum, dicatur.

Hæc uero appellatio non ſolum naturam uirtutis, de qua agimus, plenius quàm quodcũque aliud nomen, exprimit, ut mox illam definituri, declarabimus, uerũ etiam Ebrææ nomenclaturæ, egregie reſpondet אמונה, enim à uerbo אמן, id eſt, firmatũ, aut certificatum eſt, ueniens, proprie ſignificat certitudinem, aut firmitatem. Vnde de manibus Moſcheh confirmatis, cum ſuffulcirent eas Aharon & Chur dicitur 2. Moſcheh 17. Et erant manus eius, אמונה, id eſt, certitudo, uel firmitas, uſque ad occaſum ſolis, hoc eſt, certæ erant atque firmæ. Vnde Græci hoc ita redditum legunt, καὶ ἐγένοντο αἱ χεῖρες μωϋσεως ἐστηριγμέναι, &c. id eſt, & manus Moyſis firmatæ ſunt. Sic quod Pfal. 33. legimus: Quoniã rectum uerbũ domini, & omnia opera eius באמונה, id eſt, in ueritate, ueluti Græci legunt, ἐν πίστει, expreſſius reddemus, legentes: Et omnia opera eius certa, ac ſtabilia. *Perſuaſio idem quod* אמונה

Hinc cum ueritas, ſit conſtans ac immota eius, quod uerbo uel facto promiſeris, ac præſtiteris exhibitio, iuſtaque præſtatio, plurimis in locis per ueritatem, præcipue in Pſalmis אמונה non inepte reddi ſolet, & cum bonitate coniungi. Vt Pſal. 38. Domine uſque ad cœlos bonitas tua, & uſque ad nubes ueritas tua. Pſal. 88. Nunquid narrabitur in ſepulchro bonitas tua, ueritas tua in perditione? Sic & Pſal. 89. 92. 98. & multis aliis locis. Significat autem, fixam illam certitudinem & conſtantiã, quam Deus in promiſſis ſuis præſtat, ut latine fides recte uerteretur. Cũ enim Pſalmi de Deo bonitatem & ueritatem, uel iuſtitiam & ueritatem coniunctim ita prædicant, Deum benigne, iuſte, & fide optima nobiſcum agere canunt. Ad hunc modum & ab hominibus, iuſtitiam & ueritatem, id eſt, אמונה ſcriptura requirit, hoc eſt, ut iuſte & bona fide agãt cum proximis. Qui id faciunt, אמוניים & חסידים uel צדיקים, id eſt, iuſti uel benigni, & fideles dicũtur, ut Pſal. 12. & aliis ſcripturæ locis legitur. Hinc Dauid perſequenti ſe Schauli dicebat: Dominus reddet unicuique pro ſua iuſtitia, & ueritate, id eſt, fide. In his omnibus locis, ubi ueritatẽ poſui, eſt Ebræis, אמונה, ex quibus abunde liquet, certitudinem aliquam ac firmitatem ſignificare.

Vt igitur cum quis ſpiritu ſancto doctus uerbis Dei certã habet fidem, firmiterque illa credit, planè habet ſententiæ firmitatem, & conſtantem animi certitudinem, ita & hanc, Ebræi אמונה, & Græci eadem πίστιν uocarunt: quorum ſanè commodæ atque appoſitæ appellationi, ſi ut eſt reſpondere uolumus, nullo id alio ſignificantius uocabulo, quàm pſuaſionis præſtabimus. De nulla enim re animus certus, cõfirmatusque ſententia eſſe poteſt, quàm dum plene de illa perſuaſus eſt. Vbi ergo mens, per ſpiritum Dei de uerbis Domini perſuaſa, quod planè neceſſe eſt præcedere, ſi credere in Deum & pie uiuere quis debeat, ut perfectam ſanè ſententiæ certitudinem firmitatemque obtinet, ita recte dicemus ſic diuinitus perſuaſum hominem, eſſe præditum, אמונה, πίστει, & perſuaſione. Ergo fidei uocabulo, publico nos uſui accõmodantes, ad hanc ſignificandam uirtutem utemur, non ut latinis illa ſignificat, ſed pro perſuaſione, qua per ſpiritum ſanctum, animi electorum de diuinis rebus perſuadẽtur. Hęc de nomine huius uirtutis diſſerere libuit propterea, quòd ei qui alterum docere uolet quæ ipſe tenet, ut Galenus in Methodo ſua ait, uti nominibus pro rebus opus ſit: & in his claritas quaſi meta ſpectanda ſit. Siquidem in hoc nomine (fides) nonnulla obſcuritas ineſt, quæ pleriſque cum de ea diſſerendum eſſet, negotiũ exhibuit, quam puto perpendenti hæc, facile depellendam eſſe.

Iam ergo quid ipſa hæc ſacra perſuaſio recte uocata, ſit, paucis exponam, idque ex

præsenti Centurionis exemplo, quod clarissime naturã eius exprimit, quippe quum fide omnes Israëlitas præcelluisse à domino ipso prædicatus sit. Hic ergo primum audiuit de Iesu, ut memorat Lucas, indubie, ut uerba eius plena fiduciæ in illum declarant, quòd unctus domini, & orbis saluator esset, qui uitæ ac mortis, & omnium plenam potestatẽ haberet, uel uerbo potens efficere quiduis: hoc Euangelion Iesu Christi mox spiritus sanctus, quia animalis homo nihil horum percipit, animo eius persuasit, ut hęc uerissima esse nihil prorsus addubitaret. Sic ex audito Euangelio, fides, id est, sacra huiusmodi de Christo persuasio, hoc est, πίστις & אמונה, in animo illius prouenit. Quæ cum certa firmaq; esset, nempe à spiritu sancto (quem tanto oportet persuadere homine efficacius, quanto ipse homine plus in mentes potest, potest autem omnia, ipsarum scilicet fictor) effecit, & ut tantopere dominum reuereretur, indignum sese ducens qui in conspectum illius ueniret, aut ipsum in domum suam reciperet, & ut plena tamen fiducia impetrandi ab ipso seruulo suo salutem oratum ad ipsum mitteret, paratus simul indubie, si quicquam in gratiam eius potuisset, id studiosissime præstare. Nam agit omnino quisq; pro sententia animi sui, & ut est mente persuasus. Animi iudicium, affectus quoq; & uires hominis sequuntur.

Eandem persuasionis sanctæ, siue fidei naturam, uidere est & in patre Abraham credentium, quem credidisse scriptura reputatumq; id illi ad iustitiam fuisse, prædicat. Sic Mos. de ipso scribit. 1. Mosch. 15. Et eduxit eum foras, dixitq; : Suspice quæso cœlos, & numera stellas, siquidẽ possis illas numerare, & dixit ei: sic erit semen tuũ. En auditus uerbi Dei, certæq; promissionis, ceu Euangelij: Non enim nisi ex auditu fides, quod credi non possit nisi auditis uerbis: & persuaderi nequeat, quod non sit animo antea propositum. Sequitur. 1. Mosch. 15. Credidit autem domino & reputatum id ei fuit ad iustitiam. Vnde uero credidit, quando caro & sanguis nihil huiusmodi percipiunt? Sanè spiritus Dei, id quod audierat, uerba Dei esse, eoq; indubitatæ ueritatis, menti illius prorsus persuaserat. Quem honorem, cum posset Deo habere, ut de promissis illius nihil addubitaret, hoc ipsi pro iustitia imputatũ est. Hæc enim summa nostri perfectio est, cũ datur nobis bene sentire de Deo, persuasis, ipsum nobis propitium esse & fauere. Hinc nanq;, ut fonte omnis boni, dilectio proximi, ac quicquid uirtutum est, certò promanat.

Ratio fidei Abrahæ.

Ad hunc ipsum modum, hæc Abrahæ persuasio, siue fides, à Paulo 4. Roma. celebratur: Præter spem, inquit, spe credidit, se patrem futurum multarum gentiũ, iuxta id quod dictum ei erat: Sic erit semen tuum. Nequaquã enim persuasione infirmus factus, neq; suum ipsius corpus iam emortuum, natus centũ annos, neq; emortuam uuluam Saræ considerauit, de promissione Dei, non dijudicauit, ex diffidentia, sed persuasione coroboratus dedit gloriam Deo, plene persuasus potentem esse Deum ut faceret quę promisisset. Quapropter imputatum id ei fuit ad iustitiam. His apertissime profecto Apostolus docet, quam Abrahæ fidem scriptura prædicat, certã illam animi eius fuisse persuasionem, qua diuinitus persuasus, promissionem sibi factam, utcunq; natura repugnaret, indubitatam credidit.

Locus Habakuk.

Non aliter describitur fides beataq; illa persuasio, Habakuk secundo. Vnde celebre illud dictum: Iustus fide sua uiuet, desumptũ est. Nam præmittitur promissio Dei illis, de liberatione populi Israëlis primum per Cyrum, Christi typum, inchoanda, paulò post per Christum perficienda. Iussus enim fuerat Vates scribere uisionem, & in tabulas explanare ut cursim, & facile posset legi. Et sequitur: Quoniam adhuc uisum ad statutum tempus aderit, & demum proferet sese, neq; fallet. Si differat, expecta ipsum, quoniam ueniens ueniet, neq; cessabit. En præfractis contemptoribus erit animus suus perturbatus atq; implicitus. Iustus uero in fide sua uiuet. Hic, ut uides, mox ad credendum illi Vates hortatur, quod promissum, certò esset futurum: tum qui præfracti atq; occæcati adeò sunt, ut fidem promissioni habere nequeant, ijs ani-

mi

A mi perturbationem,& cõfusionem minatur. Iustis autem & credulis summam consolationem, hoc est, uitam æternam. Vere enim uita est, & beata quidem, ubi animus indubitato persuasus est propitium & benignum se Deum habere,qui sit se tandem malis omnibus liberaturus.Nihil siquidem est, quod tum in gratiam Dei facere & pati non sit paratissimus.Diuino nanq; spiritu est animus huiusmodi perfusus, eoq; in omnibus ita agitur, ut nihil aliud ei in uotis sit quàm Deum patrem pro uiribus referre.

Ex his iam abunde liquere existimo, quid nam sit uirtus ista uere diuina, quæ Ebræis אמונה, Græcis πιστις,Latinis persuasio, uulgo fides dicitur. Est enim constans firmaq; animi per spiritum sanctum de Dei bonitate atq; promissis persuasio, qua is ut uerbis eius certam fidem habet, ita & de eius erga se bonitate omnia sibi indubitato pollicetur,tum demerendo quoslibet,tam ipsi gratificari,quàm referre hoc bonitatis studio impensissime studet.Hæc definitio confirmat id quod Epistola ad Hebræos undecimo habet:Est, scribitur illic, Fides earum rerum quæ sperãtur substantia,argumentum eorum quæ non uidentur. Vtiq; quæ à domino speramus, liberationem ab omni malo,& uitam æternam,hac ipsa,de qua agimus,persuasione spiritus Dei,qua uerbis ipsius credimus,nititur, & subsistit: idq; ideo, quòd eas ipsas res quas speramus atq; ideo non uidemus, qualibet ratione atque experimento certius animo ostendit,ac præsentes statuit. Hinc ergo uoluntati domini nos nequaquam subducimus, ut autor illius Epistolæ, sub finem decimi capitis ante adductam fidei definitionem, Græcorum tamen editionẽ secutus differit, hoc est (nam sensus cum Hebræis conuenit) præfracti & superbi promissiones eius non contemnimus, sed persuasione illarum iusti uiuimus, nihil omnino de ipsius erga nos bonitate addubitantes. *Definitio fidei.*

B Hæc qui perpenderit,ei obscura esse nequibunt,quæ de fide passim scriptura prædicat.Et quidem illud,quo mundus tantopere offenditur,fide sola, nos iustificari & saluari sine operibus nostris, quod Paulus, imò scriptura tota ubiq; inculcat, multo clarissimum habebit.Etenim in Paulo quarto Romanorum, & Psalmo trigesimo secundo,clare spiritus testatur,eum demum iustum & beatum haberi, cui Deus peccatum non imputauerit,cui suam ultrò, cum in nobis nihil boni sit, iustitiam donauerit.Hæc iam nullo nostro opere licet promereri,cum à puero ad malum duntaxat omnia nostra propẽsa sint,ipseq; in omnibus,sua nos gratia preueniat necesse sit.Ergo tantum recipiendo ipsius bonitatem,& peccatis liberamur,& iusti ac beati reddimur,filij deniq; & hæredes Dei constituimur. Ipsius siquidem donum est, nostra salus,non ex operibus,Ephesios secundo.Iam hæc diuinæ bonitatis receptio fides est, certa illa,per spiritum Dei,de diuina huiusmodi nobis exposita bonitate, persuasio. Vnde Paulus in iam citato loco ait: Gratia seruati estis, per fidem, illud perinde est ac si dixisset:Gratiæ Dei,non uestrum opus est,salus uestra: cõsecuti autẽ estis hanc, dum firma animi persuasione eam donatam uobis agnouistis. *Fides sola iustificat.*

Hoc est,quod & Paulus Rom.3.scribit: Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei.Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem interueniente ipsius sanguine,ad ostensionem iustitiæ suę,propter remissionem præteritorum peccatorum,quæ Deus tolerauit,ad ostendendam iustitiam suam, in præsenti tempore, in hoc ut ipse iustus,& iustificans eum qui est ex fide Iesu. Vide,meritum quo salumur omne Christi est:eius enim redemptio est,ipse recõciliator,eius necesse fuit sanguis ut interueniret.A nobis nihil nisi peccatum est,quo omnes gloria Dei,uera,sci licet pietate caremus,eoq; quantum ad nos attinet,omnino, gratis, per solam gratiã Dei iustificamur, sed per fidem, dum, scilicet, Deus sua gratia, & Christi sui merito atq; satisfactione donat nobis hanc de sua erga nos bonitate persuasionem & fiduciam indubitatam, qua certi sumus, quòd peccata ille nobis condonare, iustos nos *Locus ad Romanos 5.*

reddere uelit. Ex qua etiam persuasione, hoc est, fide, uera atq; solida iustitia cõtinuo sequitur. Vnde Apostolus ait: Ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionẽ præteritorum peccatorum. Nam omnem præteritam impietatem, qua mundus obrutus fuit, ita remisit, ut electos suos tempore Euangelij mirifica uirtute ab omni iniustitia adseruerit, donato eis spiritu & animo ueræ pietatis studioso, ut ita iustus in ipsis & iustificans appareret, in eis, inquam, qui ex fide Iesu essent, hoc est, persuasi, ipsum saluatorem suum & uitam esse.

Qui credit in me, habet uitã æternam.

Vnde ipse Ioannis sexto & aliâs ait: Qui credit in me habet uitam æternam. Cui clarissimo seruatoris nostri testimonio mirum est quî ita audeat Sophistarum impudentia obstrepere. Siquidem habet uitam æternam, qui in Christum credit, certe fide iustus & beatus est, idq; sine operibus, nam fidem ante omnia opera adesse oportet, sine qua nec homo operans, neq; opera possunt Deo probari. Vbi autem illa adest, testatur dominus ipse haberi iam uitam æternam. Vbi tum opera, quibus illa sit promerita? Sed ita solet impietas, dummodo sua cõmenta tueatur, Christũ & Deum mendacij arguere nihil ueretur. Caussa autẽ erroris horũ est, quòd neq; quid fides, neq; quid charitas, neq; quid bona opera dicantur, aut sint, imò ne suas quidem ipsorum uoces intelligant. Fidem etenim definiunt certum assensum articulorũ fidei, & omniũ quæ scriptura habet: & affirmant simul, hunc posse esse absq; dilectione Dei, bonisq; operibus. Cum contra sensum communẽ sit, certo assensu fidem habere ijs, quæ de Deo scriptura prædicat, nempe ipsum unum omnia bona & esse & largiri, et eum tamen non amare, totumq; se illi non cõmittere. Quis etenim nõ metuat, quem certò nouit omnem habere potestatẽ? Quis de uerbis illius aliquid addubitet, quem certò nouit ueracissimum? Quis hunc non admiretur & amet, quem indubitato nouit optimum? Quis illum non sequatur, quem scit saluberrima consulere?

Quid fides Sophistis.

Vnde factitium quoddam assensus certi simulacrum, certum illi assensum & fidẽ falsò uocant. Sunt nanq; in quouis homine, quædam licet pertenues religionis & probitatis uelut reliquiæ, ex quibus cum accedunt, quæ uulgo de Deo iactantur, & quotidie prædicantur, formatur in animis impiorum quædam fluxa tamen & euanida de Deo ac pietate opinio: tam abest autẽ ut certa sit illa animi persuasio, uerusq; assensus, ac constans de ijs sententia, ut scriptura uere dicat: Dixit impius in corde suo, non est Deus: quicquid somniorum de Deo illius animo obuersetur, & uerborum in ore eius perstrepat. Sequitur enim quisq; opere, cui animo assensit: carnis cupiditates impij sectantur, illasq; certo animo sectandas decernunt: illis ergo non uerbis Dei, assensum præbent.

Simulacrum fidei, fides est Sophistarum.

Vnde & pij dum peccant, non ex fide, id est, certa persuasione, de Dei uerbis, sed pro carnis iudicio agunt. Verum hoc à reprobis differunt, quòd idipsum, quod faciunt malum, oderunt, & quàm primum ab eo resiliunt, quippe recte persuasi de Deo & eius bonitate, unde mente legi ipsius cõdelectantur, malumq; carnis detestantur. Impij autem malum quod agunt, amant, ac nisi sibi à Deo, uel hominibus timerent ultionem, optarent illi perpetuò inhærere. Ergo qui uere assentit scripturæ, hoc est, credit Dei uerbo, à spiritu sancto, scilicet, persuasus, nequit profecto Deum non quam credit amplecti, admirari, amare, eiq; pro uiribus studere. Ac quicqd electi peccant, inde uenit, quòd sanctæ isti persuasioni aliquid adhuc apud illos deest. Ratio siquidem ignara Dei uoluntatis, pro carnis cupiditatibus perpetuò iudicat. Vnde si mens, Dei imbuta spiritu, non uigilantissime intendat, priusquam expendatur bonũ sit an malũ quod caro cupit, Deo gratum an secus, in illud inconsulta ruit, auertente ita aciem eius ui cupiditatis. Verum dum illico ad se reuersi sancti, quod egerũt ipsi quoq; ex animo detestantur, ueniam Deũ orant & exorãt: desinit quasi ipsis iam peccatum esse quod peccauerunt tamen: iuxta illud Ioan. Qui natus est ex Deo nõ peccat, &c. Qui uero peccato usq; oblectantur, neq; auersantur illud nisi ob pœnã quã inde

Discrimẽ electorum et reproborum in peccando.

Vnde peccatũ in electis.

A inde sibi timent, ij nihil omnino persuasionis siue fidei in Deum habent: figmentum & somnium est, quicquid de ea uel cogitant uel loquuntur, si id conferas ueræ fidei. Alioqui quoniam omnino quędam etiam isti Deo credũt, hactenus illuminante eos spiritu Dei, à quo omne uerum est & reuelatur, scriptura dicit subinde eos credere, et fidem habere, sed temporariam, ut infrà 13. in expositione parabolæ de semine iacto in terram petream. Hoc autem credere atque hæc fides, non sunt in eo gradu, quo filios Dei faciunt, aut de quibus scriptura loquitur, cum fidei iustificationẽ & uitam æternam adscribit.

Fides informis & acquisita, utrumq; figmentum fidei.

Qui credunt in Christum, filij Dei sunt, ex Deo nati, Ioannis primo, neq; possunt, ut Theologi recẽtiores loquuntur fidem habere informem, hoc est, fidem quæ sit sine charitate. Nemo est qui uel de mediocri alicuius erga se beneuolentia persuasus sit, qui illum possit non redamare, & scilicet, possibile erit quenquam Deum credere fictorem suum, bonicq; omnis largitorem, & ipsum non amare atq; suspicere? Sed ut dixi figmentum rationis humanæ, & mendax fidei simulacrum, isti fidem, certumq; animi assensum uocant. Vera utiq; fides, certaq; de Dei erga nos bonitate persuasio, illico ex se eius quoq; summum amorem ac reuerentiã gignit, studiumq; omnium quæ Deo probantur, & odium eorum, quæ ille detestatur. Hinc Paulus Galat. 5. Fidem per dilectionem operantem prædicat. Nequit enim, ut dixi, recte de Deo persuasus, ipsum non amare, cumq; amat, nequit ipsius uoluntati non studere: cum uero illi studet, & ipsius spiritu ad placita ipsius rapitur, necesse sanè est, ut proximos diligat, hoc est, omnem legem eius impleat. Sic nihil poterit pietatis deesse illi, cui datũ fuerit uere uerbis Dei assentire: quamq; illi informem fidem uocant, non fides, sed fidei umbra, & falsum rationis commentum erit ex uulgi sermonibus, atq; reliquijs illis ueritatis, quę rationi utcunq; adhuc insunt, collectum, spiritu Dei hactenus illustrante eos, ut tandem ipsi se cogantur cõdemnare, quòd scilicet auersati sunt dominum, quem tamen agnouerant. Neque aliud est fides, quàm illi fidem acquisitam appellant, quam ex rerum conditione & gubernatione, ac reliquò illo mentis nimis obscuro lumine, homines sibi acquirunt: quicquid enim hoc fidei est, quicquid assensus aut persuasionis, id totum est euanidum, & ad monendum solidè animum, quo se Christo addicat, omnino inefficax.

Quòd autem obijciunt, illud 1. Cor. 13. Si habeam omnẽ fidem, adeò ut & montes transferam, charitatem autem nõ habeam, nihil sum, produnt rursum, se neq; uerba Pauli, neq; quid sit uel fides uel charitas intelligere. Nequaquã enim hic Paulus docet, fidem posse absq; charitate esse, sed charitatis summam potius cõmendat necessitatem, sine qua nihil sint omnia, etiam dona spiritus sancti præstantissima, ut sunt, hominem loqui linguis angelorũ, nosce mysteria uniuersa, & tenere omnẽ scientiam: facultates suas omnes facile effundere pauperibus, corpus denicq; suũ tradere ut comburatur. Hæc sanè in prima Ecclesia cõtingebant quibusdam, in quibus tamen uera dilectio non satis obtinebat. Vnde his ipsis donis ad turbandam sanctam societatem Ecclesiæ abutebantur: quod malum, scilicet, Paulus tribus istis capitibus 12. 13. & 14. prioris ad Corinth. corrigere instituit. Simile quiddam uides in multis Catabaptistis, qui mira & portentosa cum faciunt tum patiuntur, qui tamen iura ueræ dilectionis penitus ignorant. Voluit ergo Paulus hic ostẽdere quàm nihil prosint absq; charitate dona illa mirifica spiritus sancti, quæ tamẽ in Ecclesia uigebant, inter quæ erat & fides, donum magna miracula edendi in nomine Christi: quæ ipsa quoq; sine dilectione obesse potuit habenti, non prodesse. Huc siquidem cuncta Dei præcepta & dona spectant, ut per dilectionem perfectus homo Dei, Deum bonitate referat, quod opus dilectionis est. Quo si non perueniatur, omnia nullius momenti sunt: finis siquidem legis charitas, & in hoc uno uerbo: Diliges Deum tuum ex toto corde, omnis lex impletur.

Ad hæc Apostolum nequaquã huius sententiæ fuisse, ut fidem putarit posse absq; dilectione ueraq; pietate haberi, uel illud abunde probat, quod ait: Nihil se esse si omnem habeat sine dilectione fidem. Necq; enim potest nihil esse homo uera fide præditus. Natus siquidem ex Deo, & Dei hæres est, iustificatus atque saluatus, quisquis fidem habet, ut cum adducta loca, tum omnis scriptura, testantur Non igitur potest nihil esse. Rectius igitur cum Iacobo, mortuam sine operibus fidem, quam fidem dixissent. Omnino enim ut mortuus homo, homo, ita sine dilectione fides, fides est: illud cadauer est humana tantum figura infœliciter præditũ, ita hæc falsa fidei umbra existit, præter uerba inania, nihil diuinæ cognitionis certo & cõstanter obtinens. De qua & istos loqui sinamus, & loquamur nos cũ Christo, Apostolis & omni scriptura de fide, quæ sit certa de uerbis Dei per spiritũ sanctũ persuasio: quæ quem animũ occupauerit, eum per omnia ad Dei uoluntatem formabit, & adsunt illico, timor & amor Dei, studiumq; ardens gloriæ ipsius, cum spontanea ac seria fratrũ dilectione. Natus enim ex Deo, Dei itẽ spiritu animatur, & ad ea quæ grata sunt Deo, adigitur.

Fides mortua.

Ergo liquet hac in re aduersarios nostros, necq; quid fides dicatur, neque quid hic Paulus, locutus sit, intellexisse. Quod & in eo apparet, quòd dilectionẽ proximi, de qua hic solum Paulus agit, ut satis declarant, quæ illi officia adscribit, pro suo illo habitu accipiunt, quem in uoluntate constituunt, & charitatem uocant, qua Deum ut summum bonum affirmant diligi, & propter Deum proximum. Atqui nõ facile inuenias, ubi ἡ ἀγάπη, id est, dilectio aliter quàm pro amore proximi accipiatur. Cæterum illa Dei admiratio & reuerentia, studiumq; uoluntatis eius, quam Latine certe charitatem erga Deum non paulò honestius, & plenius quàm amorem, uel dilectionem uocaueris, in scripturis, non raro fidei nomine, nonnunquam timoris, in Apostolicis literis etiam cultus uel seruitutis Dei appellatione exprimitur. Deniq; si germanũ scripturæ usum sequi libet, haud multo aliud nobis significabit: Diliges Deũ ex toto corde, &c. quàm credes in Deum ex toto corde. Credere nanq; Deo, atq; de ipsius bonitate solide esse persuasum, quî posset absq; summa & ardentissima erga ipsum charitate esse? Nequit sanè animus quenquam sibi arbitrari, beneuolũ & insigniter iuuare potentem, ac illum non eximie amare atq; suspicere. Proinde hoc ordine pietas restituitur & iustificatio.

Quid dilectio Dei.

Primum omnium est, esse à Deo electum. Proximum, ut mittat Deus qui Euangelium annuntient, & Dei bonitatem uerbis commendent, ut Paulus Rom. 10. docet. Tertium, ut spiritus cordibus electorum persuadeat, quo indubitatam eis fidem habeant, Deum agnoscentes per Christum sibi peccata omnia condonare, filios habere & hæredes, quos æterna sit iustitia ornaturus. Hæc tamen persuasio, ut & Euangelij prædicatio, non quolibet, sed à Deo definito tempore electis contingit: necq; contingit illico perfectissima, sed modo, quẽ pater optimus statuit. Simul atq; uero persuasio hæc animum obtinuit, & timor & amor Dei cum summa admiratione & reuerentia iuxta adsunt: & adsunt pro modo persuasionis, tanto nimirum intentiora, quanto plenior fuerit persuasio. Sic tum animus Deo plenus & ad imaginem Dei restitutus ultro studet Deum in omnibus referre, summa uitæ innocẽtia, puritate, mansuetudine, dilectione sedula & studiosissima beneficentia erga quoslibet, peculiariter tamen erga eiusdem pietatis consortes. Hæc omnia agit & præstat unus idemq; spiritus, qui persuasa Dei bonitate, ita filios Dei affectu & opere reddit. Sic patere liquido puto, q̃d, siue fides, siue sancta ista persuasio, sit atq; efficiat: ac unde & per quẽ cõtingat: cui, scilicet, nostri iustificatio, salus & uita æterna in scripturis tribuit. Etenim donũ est, fauoris & beneuolentię Dei, opus spiritus sancti, qua de Dei erga se æterna bonitate per Christum, homo nihil addubitat, eoq; ut gloriæ Dei, ita salutis omniũ redditur studiosissimus, ac tanquã filius Dei, Deũ in omnibus referre satagit.

Ordo iustificationis.

Atq; hi demum sunt, qui uere in Deum & in Christum credunt, hoc est, omnibus

Dei

A Dei & Christi uerbis certam ac indubitatam habent fidem: eoq; penitus à Deo & Christo Domino nostro pendent. Id enim scripturæ usu, tam in Deum, quàm in seruos eius credere significat. Vnde 2. Mosch. 14. legimus: Et uidit Israël manum domini magnam, quam contra Aegyptios exeruit. Et timuit populus dominum, & crediderunt in dominum, & in Moscheh seruum eius. Quid hoc in dominũ & Moscheh credere aliud fuit, quàm quòd persuasi fuere, dominũ Deũ & Moscheh seruũ ipsius esse, ueraq;, quæ ille promiserat, hic nuntiauerat: Qua utiq; persuasione adducti, præceptis Dei & Mosche auscultabant: sed pro modo persuasionis huiusce. Quibus illa uere per spiritũ sanctum contigerat, usq; dicto Mosche audientes fuere: quibus uero in præsens tantum, uiso tam insigni miraculo, ratio attonita magis reddita fuerat, quàm persuasa, ij simul atq; aduersa acciderunt, unde præsentẽ diuinitatem ratio colligere nequibat, non minus contra Deum & Moscheh murmurabant, quàm antea, non enim crediderant ac timuerant, aspectu filiorũ Dei persuasi. Sic & 19. eiusdem libri. Et dixit Dominus ad Moscheh: Ecce ego uenio ad te, in caligine nubis, quò audiat populus uerba mea ad te, & etiam in te credant perpetuò. Vt enim in superiore loco, בְּמֹשֶׁה, id est, in Moscheh, ita hic legit בְּךָ, id est, in te. Quod sanè, ut dixi, aliud non erat, quàm Moscheh in omnibus fidẽ habere. Sic ergo & quod in Apostolicis literis, in Deum & in Christũ credere legimus, accipiendum, pro eo quod est, certò omnibus Dei & Christi uerbis credere. Qui enim uerbis Dei omnibus certã habet fidem, is Deum sicuti ipse sese optimũ & beneuolentissimum patrem prædicat, ita indubie amplectetur eum & adorabit. Quiq; Christi uerbis certã habet fidẽ, & ipsum seruatorẽ, qualem suis se uerbis nobis offert, obuio corde suscipiet, & sequentur quicunq; uere fidei ac spiritus fructus sunt. Vnde firmũ non est, quod uulgo docet credere in Deũ, & credere Deo, tam diuersa esse, nec posse licere in hominẽ credere, etiã si D. Augustꝰ quoq; hanc distinctionẽ finiat. Imperitia linguæ sanctæ, non hoc tantũ B loco, caliginẽ offudit. Hactenus de nomine & natura fidei, quæ licet, significantius persuasio latine diceretur, utar tamẽ & ipse, postquàm adeò obtinuit, uocabulo hoc uulgari, sed significatione, qua usum eius esse in scripturis ostendimus.

Quid in Deũ & Christum credere.

Dico autem uobis quòd multi ab oriente, &c. Vide domino ipso declarante, hoc tantæ fidei in Ethnicorum præludium fuisse regni Dei ad gentes mox transferendi, atq; illarum religionis & fidei ceu specimen quoddam. In hoc siquidem Christus, qui est hodie, heri & in secula, semel tandem in carnem uenit, ut morte sua pro peccatis electorum semel satisfaceret, & imperio suo nouo, ac beato, cognitionem patris reuelatiorem ad uniuersas terræ nationes propagaret, quæ perpaucis duntaxat ludæis, multo paucioribus uero Ethnicis, ad id usq; temporis, contigerat.

Ad quid aduẽtus Christi in carnem.

Atq; hoc est, quod fore aduentu Christi Vates sancti potissimum prædixerunt, neque uspiam illi, quod Anabaptistæ contendunt, perfectioris legis externæ quidẽ traditionem, aut datæ, perfectiorem explanationem, tanquam peculiare suum munus tribuunt. Apud Ieschaeiah & Vates alios, hic locus de reiectione gentis Iudaicæ, et uocatione gentium frequenter occurrit. Præcipue Iesch. 10. 56. 65. 66. Hosch. 1. Malac. 1. Psal. 22. 25. 89. ac innumeris locis alijs. Atq; ij Iudei reiecticij filij regni hic uocantur, quòd nati essent ex ijs, quibus regnum Dei peculiariter fuerat promissum, cum ex semis terræ domino, per Euangelion Gentes erant adducendæ, de quo & Paul. Ro. 9. æstimati filij essent diaboli, quotquot non credunt. Ioan. 8. Quibus reiectis, ab extre 10. 11. Mal. 1. Hęc uero insignis illa domini gloria est, quæ à morte Christi erat in omni terra propalanda, plato ad gentes quoq; quàm late orbis patet Euangelio ueraq; fide, unde nomen domini ubiq; sanctũ & celebre haberetur, & quàm plurimi sese bonitati ipsius, certa fiducia consecrarent. Quod cum tantũ Deo beneficiũ uisum fuit, ut illud per tot prophetarum uaticinia promittere & celebrare, longe antequã præstandũ esset, dignũ duxerit, necesse profecto est, eos Dei spiritu uacuos esse, quibus

non

non pariter id ſummæ admirationi fuerit, dignumq; propter quod omnia poſthabeant, ferant & faciant. Nihil enim omnino eſt, de quo gloriari quis recte poſſit, quàm ſola Dei cognitio, qua nimirum æternum uiuitur: iam hanc miſeris gentibus nobis, qui tot ſeculis nihil ſupra carnem uel ſuſpicari potuimus, donatam, idq; non ex promiſſione patribus facta, ſed mera Dei gratia & benignitate, ſi hoc non ſumme admirabimur, ſi non permoueat, ut Deo tam benigno nobis, nos totos conſecremus, certum argumentum fuerit, nihil adhuc boni huius nos guſtaſſe, neq; his fidē habere.

Status ſanctorum & reproborum.

Notandum hic uero, quam ſortem electorum, & quam reproborum faciat, illi accumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum, hi eiicientur in externas tenebras: De regno cœlorum, dixi nonnulla ſuprà cap. 5. ſuper illud: Appropinquauit regnum cœlorum. Et utiq; ubi Dei ſpiritu uiuitur, & certa uitæ æternæ habetur poſſeſſio, quod hic per fidem incipit, conſummabitur illic, quando peccato & malis omnibus liberi, Deum uidebimus ſicuti eſt. Hic ſinus eſt Abrahæ, in quo acquieſcit Lazarus: hic paradiſus, in quem cōfitens latro receptus eſt. Accūbitur in hoc regno, & ſuper menſam Chriſti editur ac bibitur, Luc. 22. quòd ſit in eo bonorum omnium, cum ſumma ſecuritate perfruitio. Sic contra & externæ tenebræ hic incipiunt, dum cæcas cupiditates ſequi, & per has in innumera mala demergi neceſſe eſt, quotquot fide carent. Verum fletus, & ſtridor dentiū, id eſt, dolor & horror, recte tum illis ſentientur, quando hac uita defuncti, præſentes uoluptates iam non ſentient. Atq; hæc gehenna eſt, id eſt, cruciatus extremus, de quo ſuprà in idem 5. cap.

Poſſe eſſe ſtatum poſt hāc uitam proficiendi.

Medium ſcriptura nihil ſtatuit, quare nec nos aliquid ſtatuere poſſumus, relicto purgatorio quibus illud lucroſum fuit. Quanquam ut in hac uita, ſancti dum perficiuntur, purgantur, ita forſan etiam poſt hanc uitam, poſſit purgandi atq; proficiendi ſtatus aliquis eſſe ſanctis, noſtrum tamen nihil huius licet affirmare, quandoquidem ſcriptura nihil affirmat, imò ne meminit quidem: quod argumento firmo ſatis pijs eſt, ſcire id, ſi etiam maxime tale aliquid eſſet, ad noſtram ſalutem nihil intereſſe. Præſentē uitam ſcriptura potius docet pie uiuere, quod ſi perdidicerimus, quicquid futuræ uitæ eſt, ſumma cum fœlicitate cognoſcemus. Interea igitur curemus, quæ apud nos.

Commenta de purgatorio fugienda.

Hinc autem nihil impoſturæ eorum, qui perſuaſum purgatorium, quo uis Pactolo lucroſius ſibi reddiderunt, conceditur. Nam ſi etiam eſſet ſtatus manifeſtus, quo perficerentur ac purgarentur, nihil tamen nobis illic negotij demandatū eſt, neque quibus illis opē feramus oſtenſum, aut promiſſum aliquid. Plura ergo Chriſtianus non recipiet, quàm qui credunt eos habere uitam æternā, quandocunq; illa perficiatur: ſiue mox à morte corporis, tota animabus cōtingat, ſiue etiam illic ſit adhuc proficiendi, & perficiendi locus. Qui uero non credunt, eos iam externis tenebris adiudicatos eſſe, quæ & ipſis, tum & illic, quando, & ubi, Domino uiſum fuerit commplebuntur. Si plura noſſe operæpretium cuiquam fuerit, reuelabit id illi Dominus. Vtinam quę apertiſſima, & ad uitam præſentem inſtituendam, ſcriptura docet, recte cognoſcere poſſemus, nulla iactura iſtiuſmodi futura ignoraremus. Vt autem friuole per carcerem in quem iudex debitorem conijcit, cuius propter ſimilitudinē Dominus ſuprà. 5. meminit, purgatorium illi intelligi uolunt, ita æque nullum robur habet, quod de igne ex 1. Cor. 3. opera hominū probante, adducūt. In hac enim uita ille ignis opera noſtra ſi ex fide ſint, an ſecus, probat, quotieſcūq; adflictione nos Dominus uiſitat, in qua ſola digna Deo doctrina, & quæ ex ſolida fide ſuſcepta ſunt, conſtant, reliqua euaneſcūt illico, ſed ſi Chriſtus fundamētum poſitum eſt, & nititur eo homo, nihil damni ſentiet, uerum ut aurum, igne probatum, melius habebit. Quia nihil dānationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, imò cooperantur eis ad bonū omnia, Rom. 8. Qui autem fundamento caret Chriſti, id eſt, non ſummam ſalutis, in unum ipſum conſtituerit, ille cum nihil niſi fœnum, ſtipulam & lignum habeat, perit igne Domini, quantus eſt. Sic locum hunc & ueteres enarrant.

Locus 1. Cor. 3. non de purgatorio.

Et dixit

A Et dixit Iesus Centurioni, Abi, & quemadmodum credis. Luc. 7.) Sic & alijs plerisq; respondit. Notatur uero ex hoc uerbo, uis ueræ fidei, quæ nimirũ, omnia à Deo impetrat. Vt nanq; suprà dixi, non orat, nisi de quo certa est facturũ illud ad gloriam Dei. Igitur non potest nõ impetrare quòd oraverit. Iuxta illud: Et hæc est fiducia nostra, quam habemus apud eum, quòd si quid petierimus secundũ uoluntatem eius, audit nos. 1. Ioan. 5. Et Christus, quicquid petieritis nomine meo, hoc est, per me, ego faciam. Adeò omnia nobis in eo sita sunt, ut de Christo probe persuasi, omnia nobis polliceamur, plura sanè facturo, quàm audeamus petere.

Nota autem Centurioni huic à fide, quæ substantia totius pietatis est, tantopere laudato, Christum nequaquam præcepisse, ut munere suo, licet militia esset, decederet, ut neque Petrus suo Cornelio. Nam Centuriones singulis centurijs, aliquando pluribus præfecti erant, ut est autor Vegetius de re militari. 1. Sic & Ioannes uerus Euangelij prædicator militibus præcepit, ut contenti essent stipendijs suis, nec q uim cuiquam inferrent, non iussit militiam relinquere, utiq; iussurus, si cum pietate illa per se pugnaret. Etenim ut magistratu & legibus, ita & militibus ad pacẽ publicam tutandam opus est, quare si qui Reipub, iustoq; magistratui fide bona militent, modo cætera Christiani sint, ob militiã huiusmodi ab Ecclesia arcendi nõ sunt. De quo plura suprà cap. 5. super illud: ne resistatis malo.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Et cum uenisset Iesus in domũ Petri, uidit socrum, &c. Mar. 1. & Luc. 4.) Mar. 1. & Luc. 4. hoc idem miraculum narrant, sed quod dominus fecerit, cum in synagoga Capernaí insigni cum autoritate docuisset, atq; inibi testimonio dæmoniaci esse sanctus Dei fuisset proditus, acclamante illi dæmonio: Ah quid rei nobis tecum est Iesu Nazarene: ueneristi ad perdendum nos. Noui te qui sis, nimirũ ille sanctus Dei. Quod
B dæmonium cum expulisset, stupebant omnes maiorem in modum, & diuulgabatur fama eius in omnem regionem Galilææ finitimam. De testimonio hoc dæmonij, & cur id Christus compescuerit, paulò infra erit dicendi locus. Hic obseruandus mos Domini, qui ferè semper cũ miraculo aliquo magnificentius inclaruisset, turbis se subducere solitus fuit. Cõtentus nimirum erat benefecisse, nolebat simul attonitæ atq; carnali adhuc turbæ se frustra uisendũ admirandumq; præbere: præsertim cum tempus adhuc esset serui formam circunferendi. Monemur eo, ut & nos benemereri potius, quàm bene audire studeamus.

Mos Domini à turbis secedendi.

Porro quòd in domum Petri, è synagoga se recepit, indicat Petro illic fuisse domũ, Domino uero minime, quanquã habitare illic fuerit solitus, ut suprà 4. Voluit enim nihil habere, & tamen omnia possidere, atq; ita hoc sui exemplo nos docere, ut prouidentiæ paternæ omnia cõmitteremus, id duntaxat, & sedulo curantes, quod ipse iniunxisset. Notatur etiam Apostolos non ita omnia dereliquisse, ut illis postea non fuissent usi: & quasi derelicta semel omnia sua habuissent, reliquerunt enim sua, ut illis curandis, facti Christi peculiares discipuli, & perpetui comites, nõ ut antea essent addicti, pendentes, scilicet, per omnia ab ore Christi. Nihilominus quoties res poscebat, & per munus ad quod uocati erant, licebat, suis potius rebus quam alienis utebantur. Hinc uerisimile fit, cum Dominus cœpisset Capernaí habitare, hoc est, frequentius illic, quàm alibi diuersari, ut & Petrus ex Bethsaidã domicilio eòdem transtulerit, quò curam suorum, quantum per Dominum illi licere potuit cõmodius gereret. Ad eundem sanè modum omnibus sua derelinquẽda sunt, ut uocationi domini & uoluntati totos sese tradãt, in primis quidem quæ ad illam pertinent curantes, sic tamen, ut & suis potius quàm alienis rebus utantur, suosq;, quantum domini uocatio permiserit, non negligant. Vtrunq; enim illud primariæ & generalis uocationis est, cuius lex etiam in corda nostra inscripta est.

Vt Apostoli sua dereliquerint.

Marcus & Lucas habent, Dominum admonitum per præsentes & rogatum pro

febricitante

febricitante Petri socru. In quo exemplũ est dilectionis, alieno malo, ut proprio indolentis. Mouemur item, & sanctos flagella domini experiri, sed id tam in gloriam patris, quàm ipsorum salutem. Apprehensa manu erexit eam, increpitamq; febrim depulit, uerbis adiungens contactum suum, ut quemadmodũ suprà dictum moneret, à uerbo suo salutem, sed non nisi per sacrificium carnis suæ, expectandam.

Diuina in Christo potentia in eo notatur, quòd scribitur febrim increpasse, sicut & paulò infrà, cum narratur increpasse mare. In Psal. cum Vates uirtute Dei stratos hostes canit, increpitos dicere solet, significans, Deum nullo negotio, nempe sola increpationis uocula quamlibet formidabiles hostium copias conficere. Idem increpatione domini siccum mare rubrum canit, Psal. 106. גער scriptura dicit, quod nos hisce in locis increpare.

Historia de sanata socru Petri ex Matth. Mar. et Luc.

Sanata Petri socrus mox ministrauit eis, id est, quæ ad cibum, & reliquum corporis ministerium attinebant, curauit. In quo nota, omnia domini in hominibus opera huiusmodi esse, ut inde ad proximos utilitas aliqua redeat. Ergo spiritus domini nõ est, qui homines à publico subducit, ut sua curantes, nullis alijs usu existant. Notatur etiam familiæ Christi tenuitas, ut quibus opus fuerit ministram ab æstu febrium reuocare. Adeò omnis sumptuosior apparatus, & famulitium copiosum illic aberat.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Cum autem appetisset uespera adduxerunt illi dæmoniacos multos, &c.) Marcus habet: Et ciuitas tota congregata erat ad ostium, id quod post tot miracula eius consequens erat. Eiecit ergo dæmones uerbo, ut scribit noster: Et impositis manibus singulis, ut testatur Lucas, sanauit omnes, dæmonia denicq; exeuntia non sinebat loqui, scribit Marcus, eò quòd ipsum nossent. Nam ut Lucas memorat: Exibant dæmonia à multis clamantia ac dicentia: Tu es Christus ille filius Dei. Notatur uero in hisce hominibus præposterum studium sui, qui corporum sanitatem tam auide à domino quærẽtes, uerba uitæ interim quæ fundebat nihil sitiebant. In Domino autem mira illa benignitas exosculanda est, quòd is nihilominus omnes curauit, & dum spiritalium non essent capaces, corporalibus beneficijs affecit. Quod magno & solatio nobis, & documento esse debet. Vt enim hic discimus, quàm benignus & misericors est, atq; eo fides nostra in ipsum roboratur, ita si uere ipsius sumus, ad similem misericordiam, & benignitatẽ, ipsius nos spiritus pariter impellet. Ex eo uero, quòd tam facilis fuit ad sanandum malehabentes quoslibet, docemur, multo facilioriẽ esse, ut sanet morbos animæ, id ab ipso petentibus. Id Matthæus noster indicauit, cum uaticinium Iesch. 53. huc adduxit: Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit. Etenim hic locus proprie de infirmitatibus morbisq; animi, quibus nos morte sua Christus liberauit, loquitur, 1. Pet. 2. Sed cum Christus curans ita morbos quoslibet, idq; mirifica & gratuita bonitate, declarauit se eum esse, qui credentes in se ab omni malo esset liberaturus. Non abs re ergo Matth. tum impletum hoc Ieschaeah uaticinium testatur, cum mirificum adeò se dominus in depellendis morbis exhiberet. Cæterum de impletione uel uaticiniorum, uel aliorum scripturæ locorum, dictũ suprà est, capite secundo, super illud: Vt impleretur qnod dictum est per prophetam: Ex Aegypto uocaui filium meum. De testimonio dæmoniorum, mox dicam. Notetur hoc loco Canon hic catholicus per corporalem Christi benignitatem, spiritalem, & per corporea beneficia, spiritalia esse & cogitanda & speranda.

Christi beneficia corporalia spiritalium fiduciam confirmant.

Cum uidisset autem Iesus turbas multas, &c.) Marcus narrat Dominum mane multa adhuc nocte, surrexisse, & egressum abijsse in locum desertũ, atq; inibi orasse. Mox eòdem concessisse Simonem, & qui cum illo erant, atq; indicasse, quæri ipsum à turbis, tum uero respondisse: Eamus in proximos uicos, uti & ibi prædicem, in hoc enim egressus sum. Lucas præter hæc memorat turbas uoluisse Iesum detinere, tum illis dixisse: Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei. Nam in hoc missus

A missus sum. Et prædicabat, inquit, in synagogis Galilææ. Traiectionem uero in ulteriorem ripam, hoc est, in terram Gergesenorum, uel Gadarenorum, quam noster hoc loco memorat, Marcus & Lucas, alio narrant. Verum ita, ut quo tempore facta sit, certo non indicent, eoq; cũ à nostro, quæ iam & Mar. 4. & Luc. 8. de secessu Christi in desertum, & prosecutione turbę, ac prædicatione eius per Galilæam, recensui, præterita sint, uidetur mihi Dominus postridie, cum ad præcedentem uesperam ita Dæmoniacis & morbidis obrutus fuisset, congregata ad ostium domus tota ciuitate, multa adhuc nocte Capernao egressum, & desertum pro more suo oraturum petijsse: cumq; illo & turbæ uenissent, atque detinere illum uellent, migrasse ad alia Galilææ loca, atq; illis quoq; regnũ Dei prædicasse: ac tum demum quę hic Matth. recenset, facta esse, quippe iussisse Christum, utiq; suos, ut abirent in ulteriorem ripam, hoc est, traijcerent lacum Genesar, &c. Neque enim ait noster Christum illico ubi sanasset tot male habentes Capernaí, traiecisse. Sed, cum uidisset, inquit, Iesus turbas, nimirum die quodam alio, ut ex Luca apparet, & ad uesperam, ut in Marco legimus.

Concordia Mat. Marci & Lucæ.

Porrò de secessu ad orandum, partim differui suprà. 6. ubi locum de precatione tractaui, partim differam infra cap. 14. Quòd detineri à turbis noluit, in caussa fuit, ut & iam supra dictum est, primum, quòd nollet carnalibus uice spectaculi haberi sine alio fructu, deinde quòd nondũ esset tempus gloriæ eius, denicq; quòd aliud posceret munus, quod obibat. Minister & Apostolus fuit circuncisionis, Rom. 15. hoc est, Iudæorũ. Legationis igitur atq; ministerij sui munus uolebat, ut par erat, obire diligenter, atq; ideo ubicq; terræ Iudæorũ Euangelion regni annuntiare. De qua prædicatione, quæ sola in Ecclesia audiri debet, dixi supra capite quarto super illud: Et circumibat totam Galilæam prædicans Euangelion regni Dei.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

B Et cum audisset unus scriba, &c.) Lucas nono idem recenset, & scribit ambulante Domino cum suis in uia hunc ipsum ita alloquutum: Sequar te quocunq; ieris. Vnde coniectura superior roboratur, Dominum Capernao egressum, non illico traiecisse, sed aliquot dies, in citeriore Galilææ regione prædicasse, atq; interea quę hic noster, & Lucas nono scripta reliquerũt, accidisse. Porrò satis apparet, hunc scribam ineptum fuisse ut comes Christi esset, regnicq; cœlestis prædicator, ac omnino temporale aliquid spectasse. Qui enim alias ad uerba scribæ offerentis se Christo sectatorẽ quocunq; abiret quadrasset Christi responsio, affirmantis, sibi nihil loci esse, quo abire posset? Putabat forsan hic Scriba tandem Christum secundum carnem regnum inuasurum, clarum iam tot miraculis, turbisq; tam admirabilem, cupiebatq; regni illius consors fieri. Quam cogitationem obrepsisse animo scribæ mirum non fuit, cum ea discipulis per tot apertas Domini de morte sua & supplicio prædictiones euelli non potuerit. Cõmodum ergo Dominus hanc carnis spem & cupiditatẽ hoc responso: Vulpes foueas habent, &c. retulit. Quasi diceret: Adeò abest ut apud me regnum aut opes carnis expectes, ut bestijs terræ, ac uolucribus cœli pauperior sim, non habens nimirum, quo caput reclinem, cum uulpes foueas suas habeant, & uolucres nidos. Vide ergo quid dicas, sequar te quocunq; ieris. In terra non est uspiam locus, quo eam, quem ue petam, in illo cõmode habiturus. Ad crucem potius propero, atq; inde ad inferos, unde uirtute patris reuocatus, in nouam uitam, & regnum cœlorum conscendã, tracturus eò, qui me per mortẽ ac crucẽ fuerint secuti.

Scriba terrena spectabat.

Vulpes foueas

Filium hominis se schemate scripturæ admodum frequenti identidem appellat, & ferè cum sese deijcit, suamq; humilitatem prædicat. Est autem omnino id, quod Paulus ait, in similitudine hominũ factus, id est, perinde ac quisq; è uulgo hominũ, uerus nimirum homo, & nihilo plus apud mundum quidem, quàm quisq; ex infima plebe. Hebræis enim בן אדם id est, filius Adam, uel hominis nihil aliud sonat,

Quid filius hominis, & cur dictus.

quàm homo. Hominem autem uocari in ſcriptura, humilitatis eſt, quòd omnis homo mendacium ſit & uanitas. Neq; uero conſiſtit, quod quidam cõmenti ſunt, filiũ hominis Ieſum dictum, quòd tantum unius hominis, ſcilicet, Mariæ filius eſſet. Maſculinus enim articulus ubiq; præmittitur τὸ non τοῦ. Ad hæc cum ſeſe filium hominis uel Adam, hoc eſt, uere hominem, & plebeium hominẽ prædicat, mire ſuam nobis, iuxta & humilitatẽ & bonitatem cõmendat, qui noſtræ ſalutis cauſſa eò uſq; demiſerit ſeſe, ut nihil niſi homo haberetur, ac homo infimo quoq; inferior uere eſſe uoluerit. Cum prædicari ipſum ſolius uirginis filium, magis glorioſum eſſet, neque fidem noſtram perinde erigeret. Expendamus autẽ & nos, quæ huic Scribæ reſpondit. Si Chriſtum ſequi uolumus, nihil omnino terreni quæramus oportet: nam regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, ſeruitus eſt ei & humillima in mundo. Præterea ut Dominus omniũ uere dixit, non eſſe ſibi ubi caput reclinet, ita nec nos quicquam proprium facere nobis debemus, omnibus utentes, tanquam non uteremur. Vtiq; optima hæc Chriſti conditio fuit: uæ ergo ei qui aliam quæſierit. Mira certe Domini & ſuorum tenuitas fuit, & nunquam ſatis admiranda demiſſio: quòd nihil domicilij habuerit, cũ huius ferè prima apud homines cura ſit, ad hæc apud Iudæos perſancte hæreditates cuſtodiri, ſolitum. Vnde Naboth illi tanta religio erat, ut ne Regi quidem ſuũ hortum uendere, quem hæreditate acceperat, auderet, malebatq; ſeſe in capitis periculum adducere, ſecundo Regum. 21. Non peccant autem ob hãc Domini tenuitatem, ij, qui domos & alia iure poſſident, dona enim Dei ſunt, & Dominus poſſidere ea non prohibuit. Porrò animare hæc nos Domini paupertas, ad id debet, quod præcepit, nimirum, ut animo præſentibus rebus, ſi quas poſſidere Dominus dedit, nequaq; addicamur, & cum emimus etiam, ſimus tanquã non poſſideamus, & utamur tanquam non uteremur, in priore ad Corinth. 7. Nunquam caruit domo Chriſtus, cum ei opus eſſet, & ſi nullam haberet propriam, ita neq; nos, cum opus fuerit, carebimus, ſiue domo, ſiue re alia quauis: & ſi uel ipſi quoq; nihil horum habuerimus, uel propter ipſum quæ habemus, animo renuntiauerimus, & in periculum adduxerimus. Hoc perſuaſum habere, eoq; libero ab omnibus animo tantum gloriæ Domini ſtudere ſi datum nobis fuerit, recte exemplum Chriſti præſens fuerimus imitati, neq; opus erit more Cœnobitarum eiurare quæ poſſideas, ut prætextu eleemoſynæ poſtea plus accipias.

Admiranda Domini tenuitas.

Quomodo imitanda hæc Domini paupertas.

C

D

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Alius de numero diſcipulorũ ſuorum dixit ei: Domine permitte &c.) Lucas ſcribit huic à Domino dictum: Sequere me, & tum eum reſpondiſſe: Domine permitte mihi, &c. Cui rurſus dixit Dominus: Sequere me, et ſine ut mortui ſepeliãt mortuos ſuos. Apud Lucam additur: Tu uero uade, & annuntia regnum Dei. Hinc uero cõfirmatur, quod ſupra capite quarto de ſequendo Dominũ, uel ueniẽdo poſt ipſum, diſſerui, nimirum ire poſt Chriſtum, & ipſum ſequi, ut Apoſtolos uocauit, iuſſitq; ſe ſequi, & poſt ſe uenire, perinde eſſe, atq; comites eius eſſe, ſectariq; perpetuo. Hic enim uidemus, quod hunc noluerit redire domum, ſed iuſſit adhærere ſibi, atq; ire ad prædicandum regnum Dei, quod munus tum Chriſtus obibat, & ad idem Apoſtolos atq; diſcipulos, præſertim, quos ſimul circunducebat, habere comites & cooperarios uolebat. Hic uero rurſus nota Dominũ translationibus identidem uſum. Nunquid clara apertaq; uerba: Mortui ſine ſepeliant mortuos ſuos? Quis neſciat item, quid ſepelire, quid mortui ſignificet? Sed quis item, non contentioſus ſaltem intelligit Chriſtum mortuos uocaſſe, qui fide in ſe eſſent deſtituti? Ipſe enim uita eſt. Nequaquam autem ob hoc exemplum, aut peccatum eſt, ſi uiui, hoc eſt, credentes, mortuos ad aliud non uocati ſepeliant. Neq; enim debent omnes abire relictis rebus alijs, annuntiatum regnum Dei, ſed qui ad id uocantur. Pius ſiquidem ſeſe conſecras

Quid ſequi.

A consecrat Deo, & ex charitate uiuit, facitq; quæcunq; sua uocatio, qualis qualis sit, fert & poscit, semper paratus cum Abraham è sua terra egredi, & cum Apostolis, parentes & omnia derelinquere. Si itaq; uocetur ad annuntiandũ regnum Dei, nõ poterit curare mortuos, neq; ministrare mensis, si minus, hæc & minutiora adhuc charitatis officia, haudquaquam detrectabit.

Lucas addit tertium, qui dicebat Domino: Sequar te Domine, sed permitte mihi prius, ut dicam uale iis, qui sunt domi meæ, cui respondit Dominus: Nemo qui manu sua, admota aratro respexerit à tergo aptus est regno Dei. Optabat siquidem hic Dominum sequi, sed tenebat tamen simul aliquod eum adhuc suorum desiderium, iam necesse est abnegatis omnibus totum sese Christo dedere, eum, qui ipso uelit saluatore frui, & sub ipso Rege cœlorum merere. Ait igitur huic: Nemo qui manu sua, &c. quasi diceret: Non oportet ita ad ea quæ à tergo esse debent, respicere. Ego uia, ueritas & uita sum: si igitur mihi dedisti nomen, opus aggressus es, quod te totum poscit, à quo si respicias ad negotia carnis, perinde facis, atq; si manum ad aratrum admouisses, & interim respectares Dominum, aut ad res alias. Sic respiciendo quid quæso possis arare? Tantundem igitur tu in regno Dei promouebis, animo deuinctus tuis domesticis, & cura ad illos identidem respectans. Curam nanq; habere illorũ, est animo ad illos quos oportebat iam tibi à tergo esse, respicere. Igitur regno Dei ineptus es, quippe quod totum hominem postulet, neque ferat quamlibet aliam curam. Nam regno Dei ut in eo sint, uel etiam prædicent, apti haudquaquam sunt, qui fœlicitatem huius regni ignorant: ignorant autem, quotquot non possunt semel omnibus præ illo ualedicere. Regnum enim est iustitiæ & gratiæ, regnum spiritus uiuificantis & sanctificantis nos, regnũ uitæ æternæ, & beatitudinis consummatæ, de quo suprà &c. ubi de regno cœlorum, & Dei
B actum est. Nequaquam autem aratrum hic uita monastica, sed uita cœlestis est, uita Deo digna. Huic qui sese dediderit, ad uerũ aratrum manum admouit, ineptumq; sese regno Dei facit, si respectet: hoc est, animo ad alia quærẽda sese reflectat. Regnũ siquidem Dei, Deiq; iustitia debent curari, & ante omnia & sola. Reliqua Domino curæ erunt, qui ea adijciet affatim, suprà sexto.

ENARRATIO SECTIONIS, VII.

Et cum esset ingressus nauim, secuti sunt eum discipuli eius, &c. Idem Marci. 4. & Lucæ. 8.) Marcus scribit: Et dimissa turba, assumunt eum, ita ut erat in naui, sed & aliæ nauiculæ erant cum illo. Lucas uero: Cæterum nauigantibus illis obdormiuit, & ingruit procella. Noster habet: Et ecce motus magnus factus est in mari, adeo ut operiretur à fluctibus, Marcus & Lucas addunt, impletã etiam fuisse irruentibus undis. Et erat ipse, scribit Marcus, in puppi, super ceruical dormiens. Vide uero ut & hic Christus figura sese hominẽ exhibuerit, dormiẽs super ceruical, utq; humani nihil à se, præter solum peccatum, alienum habuerit. Quid ergo neget nobis, qui usq; adeo nobiscum cõmunia habere omnia dignatus fuit?

Sed operæpretium est hic uidere quo pacto Deus sanctos suos soleat tẽtare. Nam tentationis natura hic graphice depicta est. Tempestatem immittit sæuam, neq; hoc contentus operiri etiam fluctibus nauim, impleri sinit: ad hæc summe periclitantes uidetur prorsus negligere: illis enim iam extrema expectantibus, secure ipse strauus in puppi dormit. Sic sanè probantur sancti, ut non solum suprà quàm uideantur sibi ferre posse, affligantur, sed simul ita se Deus erga illos, etiã cum iam actum de eis uidetur, exhibet, ut nullam eorum rationem habere existimetur. At non sinit tamen spiritus, utcunq; deplorata omnia uideantur, sanctos animum despondere. Ita uideas hic discipulos, & si nihil certius morte expectarent, nequaquam tamen omnem prorsus spem abiecisse. Dominum excitant, opemq; orant: sed ut uideas

Quòd suos tẽtet Dominus.

ſumma anguſtia trepidantes, perpuſillũ habere fiduciæ reliquũ. Præceptor, præceptor, inquiũt, ut Lucas habet, perimus. Et ut Marc. memorat: Nõ eſt tibi curæ quòd perimus? Quid hic dominus? tentare ſuos dominus, perire nõ uolebat. E ueſtigio ut excitatus fuit, uentũ increpauit, & mari, ut eſt apud Marcũ dixit: Tace, obmutesce. Ibi mox conquieuit uentus, & facta eſt tranquillitas magna. Magnus paulo antè motus, nunc rurſus magna tranquillitas. Ita pro modo afflictionis, modus eſſe conſolationis ſolet, Pſalmo. 94. & in poſteriore Corinthiorum primo. Mox autem pariter increpauit, illorum diffidentiam: Vbi, inquit, eſt fides ueſtra? Lucas: Quid timidi eſtis adeó? Qui fit, ut non habeatis fiduciam? In hoc enim tentantur ſancti & explorantur, ut & Deus & ipſi ſibi ſimul melius innoteſcant, quo quàm ſint nihil ipſi, & quàm bonus Deus, agnoſcentes, de ſe ipſis ſentiant tanto modeſtius, de Dei uero erga ſe bonitate tanto auguſtius. Ita Dominus cum tentatione exitum iuxta & fructum facit. Omnino enim fidei imbecillitas fuit, quòd ita trepidabant diſcipuli. Quòd Dominum excitauerunt atq; opem implorarunt, nulla dignum reprehenſione fuiſſet, ſed quòd anxij adeo trepidarunt, conſternatiq; penitus, ceu actum de ſe eſſet, clamarunt, hoc demũ fidei in ipſis infirmitatẽ arguit. Nondum autem prorſus collapſam fuiſſe eam, id ſimul commonſtrat, quòd opem à Domino orarunt, nequaquã oraturi illã, niſi aliqua ipſis fuiſſet ſpes reliqua. Sic per omnia cõmoueri atque trepidare ſolent ſancti, ubi ſerio tentãtur, id quod tot Pſalmi ſatis ſuperq; canũt, neq; tamen ſpe ac fiducia in Dominũ penitus excidere, ideo ſentiunt ſemper in tempore quoq; domini præſentiã, unde fides ipſorũ in Deum incrementũ ſumit, atq; in de quicquid hominem Dei decet.

Natura uerorum miraculorum.

Porrò uiſo hoc miraculo, homines (nam ut Marcus ſcribit, & aliæ nauiculæ erãt cum illo) admirabantur, ut Marcus ait, timuerunt etiam timore magno, dicebantq; inter ſeſe: Quis nam hic eſt, quia & uentus & mare obediunt ei? Hic animaduertendum, quid efficiant miracula uera, ſemper enim per illa potentia Dei et Chriſti illuſtratur, ut pij uideant quam tuto ſeſe illi committant, habenti, ſcilicet, potestatem omnium, quantoq; timore & reuerentia, ut Deum ipſum ſuſpicere, atque adorare debeant. Hoc ipſum nanque præſenti facto Chriſtus ſuis utiq; uoluit perſuadere. Ergo illa miracula quibus diuos pro dijs adorandos male conciliati quidam prædicant, unde nullius frugi uentres aluntur & ditantur, ea neceſſe eſt, eſſe uel Satanæ præſtigias, de quibus infra. 14. &. 2. Theſſalon. 2. uel certe impoſtorum hominum uana commenta, & hoc eſſe ſubinde deprehenduntur: quanquam non deſint etiam mendacia, ſigna & portenta ijs, qui dilectionem reiecerunt ueritatis, 2. Theſſalon. 2.

ENARRATIO SECTIONIS, VIII.

Concordia Matth. Mar. & Lucæ.

Et cum ueniſſent in ulteriorem ripam, in regionem Gergeſſenorum. Idem Marci. 5. & Lucæ. 8.) Marcus & Lucas habent, Gadarenorum. Ita enim ea regio, translacum Geneſar, & contra Galilæam, ut Lucas ſcribit, ſita, ab oppido Gadara, cuius multa apud Ioſephum mentio, nomen accepit. In ea regione, ut autor Hieronymus eſt, fuit oppidũ Gergeſſa. Ad cuius forſan agrum hoc traiectu Dominus applicuit, eoq; ſcriptum eſt à Matthæo, ueniſſe dominum in regionem Gergeſſenorum. Ergo ubi de naui egreſſus eſſet ad terram, ut Marcus & Lucas memorant, illico occurrerunt ei duo dæmoniaci. Marcus & Lucas unius tantum meminerunt, quod in altero eorum æque atq; in ambobus Chriſti uirtutem potuerint deſcribere. Neque enim de ijs, quos dominus ſanauit, ſed de domino ſanante, hiſtoriam ſcribere ſuſceperunt, ut uirtus ipſius, non numerus eorum, qui adiuti ab ipſo fuere innoteſceret & celebraretur. Hi dæmoniaci ſæui ſupra modum erãt, ut nemo poſſet per uiam illam tranſire. Marcus & Lucas de altero narrant, quòd in montibus & ſepulchris habitarit, neq; ullis catenis aut cõpedibus potuerit conſtringi, prorſus indomabilis, quòd

A quòd semper die ac nocte in montibus & in monumentis fuerit, clamans & concidens seipsum lapidibus. Hic ubi eminus, ut Marcus scribit, Iesum uidit, cucurrit & adorauit eum, & clamans uoce magna, dixit: Quid mihi tecum est, Iesu fili Dei altissime? Adiuro te per Deum, ne me torqueas, dicebat enim illi: Exi immunde spiritus ab homine. Interrogatus uero à Domino, quod nomen haberet, respondit spiritus: Legio mihi nomen est, quia multi sumus, & deprecabatur eum multũ ne se mitteret extra regionem. Lucas habet in abyssum. Deprecabantur autem eum omnes dæmones, ut sibi in porcos, qui in monte illic pascebantur, numero ferè duo millia, ingrediundi potestatem faceret. Quod cum eis Iesus permisisset, ingressi illi in porcos egerunt eos præcipites in mare.

Hic locus esset de dæmonum natura, uirtute & operibus differendi, si scripturæ fusius atq; luculentius de his tradidissent. Cum autem scriptura, nihil non luculentissime & fusissime doceat, quod nos ut Deo gratos, ita saluos reddere possit, perfectum enim reddit, atq; ad omne opus bonum hominem Dei instruit. 2. Timoth. 3. necesse est exploratiorem de dæmonibus cognitionem, ad nostram salutem, gloriamq; Dei, in nobis illustrandam, nihil referre: Cui uero momentum aliquod, ad suam, uel aliorum quibus ministrare debet, salutem habuerit plura & certiora de eis nouisse, illi Dominus quantum huius satis erit, benigne reuelabit. Primum igitur mõnendi uidemur, ne de his, aut similibus locis curiosius perueſtigemus, quando inde non apparet, quo meliores reddamur. Meditemur autem potius in ijs Domini mandatis, quæ nobis data sunt, ut nostram secundum illa uitam instituamus. Satis erit de dęmonibus nouisse Christũ dominũ nostrum, eos deuicisse, ne nos perdant: insidiari quidẽ illos nobis, ut ad peccatũ pertrahant, sed nobis minime præualituros si uigilanti fide illis restiterimus.

De Dæmonibus præterquã scripturæ tradidit non esse ueſtigandum.

B De conditione & lapsu dæmonum, cum & esse dæmones, & malos esse scriptura multis adeo locis testetur, satis constare pio potest, etiam si neutrum, ut plærag; alia scriptura fusius explicet. Veruntamen sicut & in alijs locis controuersis feci atque Christiano faciendum puto, sic & de hoc, sententiam meam simpliciter & candide proponam, indicatis scripturæ locis ex quibus eam collegisse mihi uideor: Ecclesia sanctorum de ea iudicet.

Primum ergo, ut dixi, quòd sint tam mali, qui ferè dæmones uocantur, quàm boni Angeli, ex eo agnoscendũ est, quòd esse utrosq; scriptura passim memorat. Quomodo autem & quando conditi sint, certo affirmare equidem haud possum: quandoquidem uideam Moscheh uisibilium dũtaxat rerum creationẽ descripsisse: quod utiq; nõ solum rudi populo cui ea primum scripsit, sed & nobis ad cognoscendam æternam Dei potentiam atq; diuinitatem satis superq; esse potest. Qui enim huc usque diuinæ cognitionis peruenerit, ut maiestatem Dei quæ in creatione & conseruatione rerum uisibiliũ eluxit & elucet perpetuo, rite cognouerit, illi quicquid præterea cognitu utile esse queat Dominus facile reuelabit. Quod enim quidam cœlorum nomine, cum scribitur: In principio creauit Deus cœlos & terram, naturã spiritalem intelligi uolunt, eadẽ facilitate reijcitur, atq; probatur. Nostrum autem est certa docere, nempe, ut sermones Dei, qui si quacunque in re nobis defuerint, certum est, eius rei cognitionem, ad salutem nostram, gloriamq; Dei in nobis restituendam in præsenti, non pertinere. Idem necesse est, & de lapsu, uel ortu malorum Angelorum respondere. Esse nanq; malos angelos, qui ad impietatem conantur homines pertrahere, sicq; id non succedat, aliàs tamen lædere in corpore uel rebus, scriptura abunde testatur. Ex quibus planè fuit Satan ille, qui Dauidem concitauit, ut numeraret populum, primo Paralip. 21. Qui item Hiob exagitauit. Hi sunt principatus illi, Potestates & mundi domini, rectores tenebrarum seculi huius, spiritales astutiæ in cœlestibus, de quibus Paulus Ephesijs sexto & quorũ ad Colossenses

Locus de Dæmonibus ad Epheſ. 6. explicatus.

quoq; secũdo meminit, cum ait: Expoliatosq; principatus & potestates ostẽtauit palàm, triumphans de illis per semetipsum. Hic ille malignus est, à quo nos liberari petimus docti à Christo, cum precamur: Sed libera nos à malo. Idẽ aduersarius ille est diabolus, qui tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret, prima Petri tertio. Hic denicq; Satanas est, qui identidem in Angelum lucis sese transfigurat, secundo Corinthiorũ undecimo. Hi angeli mali sunt, per quos immissiones plagarum immisit Aegyptijs, Psalmo. 78. Horum quoq; fuit cõmentum, quo per serpẽtem primis nostris parentibus impositum est.

Nomina Dæmonum & unde.

Ex his & alijs compluribus locis aperte satis colligitur, esse malos quosdam spiritus, qui saluti hominum insidiantur, quibusq; dominus tum ad tentandum probandumq; suos, tum ad puniendum reprobos utitur. Qui nunc singulari numero Satanæ, uel diaboli nomine, nunc plurali appellatione dæmonum, malorum Angelorum, aut principum tenebrarum significantur. Est etenim omnium malorum spirituum idem nocendi propositum, & uis quædam, quorum ministerio Deus ita exercet sua iudicia, sicut ministerio bonorum Angelorum, prospicit ijs, qui ad hæreditatem destinati sunt salutis, ad Hebræos primo. Atq; ideo, ut nunc simpliciter Angelus domini, quisquis ille sit, dicitur, nunc Angeli: ita & Satanas, uel diabolus, quandoq; dicitur singulariter, nonnunquam diaboli uel dæmones in plurali. De nomine autem Satanæ, quod aduersarium significat, & diaboli, quod criminatorem, dictum supra est capite quarto. Dæmones uero uocantur quasi δαήμονες, id est, periti ac rerum scij, autore Platone in Cratylo, quem & Lactantius secutus est libro secundo. Vocantur autem ferè dæmones, aut dæmonia cum mentes hominum perturbant. Vnde quos ista infestant, dæmoniaci dicuntur, id est, acti à dæmonibus. Veteres græca uoce eos ἐνεργουμένους appellabant. Dæmones etiam Paulo appellantur, quũ ex idolis ludificant hominum superstitionem, primo Corinthiorũ decimo. Satan denicq; dicitur genus hoc malorũ spirituũ, cum & corpus infestãt, ut in Hiob & in muliercula contracta, quam narrat Lucas spiritũ infirmitatis, annis decem & octo habuisse, de qua Christus dicebat, alligatam fuisse à Satana.

Bona, per Angelos bonos, mala per malos.

Etenim sic mihi uidetur res habere: Deus operatur suo uerbo & spiritu, id est, uirtute & potentia omnia in omnibus, utitur tamen in externis præcipue, ministerio Angelorum: si quid sit quod ad salutem faciat electorum, bonorum: sic Angelum dedit Israëli ducem, secundo Moscheh decimo quarto. Sic portant Angeli sanctos in manibus, ne ad lapidem offendant pedem, Psalmo. 91. Si quid uero iræ sit & ultionis, malorum. Sic plagæ Aegyptiorum immissiones dicuntur per Angelos malos, & malus spiritus agitabat Schaul. 1. Schmuël. decimosexto. Existimo ergo, quicquid menti, aut corpori accidit aduersi, id esse immissionem per Angelos malos, & ministerio immitti dæmonum siue Satanæ. In uulgaribus autem morbis ac malis, uulgaria item habere nomina, ea autem quæ insolentiora sunt, & hominis naturam uidentur excedere, ut insaniæ morbi, atræq; bilis agitationes, dæmonibus ferè attribui, atq; dæmonia uocari. Adeo miri nanq; effectus motæ atræ bilis deprehendi solent, ut quod illiterati nonnunquam latine loquuntur, quod futura prædicunt, aut alias abstrusa & secreta resciunt, ut magni medici quoq;, Serapio, Auicenna, ac alij, malum dæmonem autorem illorum faciant, asserantq; ita melancholiam opera mali dæmonis exagitari.

Lunaticus idẽ Dæmoniacus.

Lunaticum siquidem morbum, dæmonium appellatum in Matthæo legimus, infra. 17. Nam patrem filij lunatici ita dixisse domino narrant: Domine miserere filij mei, quia lunaticus est; & mox memorat expulsum à puero dæmonium. Quo satis significatur, morbi eius dæmonem fuisse autorem, uere tamen fuisse, iuxta & Lunaticum & dæmoniacum. Nam haud firmum existimo quod Hieronymus in. 4. capite Matth. scripsit, qui lunatici dicuntur à domino sanati, non uere fuisse, sed creditos

creditos lunaticos, ob fallaciam dæmonum, qui obseruantes lunaria tempora creaturam infamare cupierint, ut in creatorẽ blasphemiæ redundarent. Lunaticos similiciter Euangelista illic, cum dæmoniacis, & alijs pressis morbis enumerat. Similiciter igitur eo laborasse illos morbo, de quo ibidem nonnihil diximus, malo intelligere, qui tamen ijdẽ dęmoniaci etiã dici queant, quod is morbus mali dęmonis ministerio, ut & alij immittatur, præsertim cum & mulierculæ contractio, de qua Lucas, Satanæ opus à domino ipso affirmetur. Morbi igitur quorum caussæ proximæ patent, ab illis ferè, aut etiam locis quæ afficiunt, aut certe aliunde nomina accipiunt, quorum autem caussæ proximæ non ita patent, & habent effectus paullo insolentiores, ut Melancholiæ maniæue species, ij semper ferè dæmonibus adscribuntur, & laborantes illis, dæmoniaci appellantur. Si uero morbi, qui ad hos proxime accedunt, ut sacer comitialisue, syderalis, aut lunaticus morbus, nunc à dæmonibus, nunc ab accidentibus, uel caussis appellationem accipiunt. Hinc cum is de quo hic agitur, impotenter adeo fureret, legionem dæmonum scribitur habuisse.

Dæmones quacunq; demum re nocere studeant.

Proinde liquet, dæmonum studium & opus esse, ut hominibus noceant, si nequeant pietati, persuadendo quæ impia sunt, saltem animo, corpori, aut rebus incommodent. Animo, cum in furorem agunt, quod dæmoniaci experiuntur: corpori, dum alijs illud morbis excarnificant. Vt Iob fecerunt, & quotidie faciunt multis: apparet autem potissimum in ijs, qui à maleficis mulieribus dicuntur lædi. Quod demum & rebus calamitatem inferant, idem Iob & multi alij subitis & inopinatis casibus ad pauperiem redacti, exemplo sunt. Nequeunt tamen in his, uel pilo plus quàm optimus pater noster Deus decreuerit, & illis permiserit, nocumenti inferre, aut damni dare. Hæc de malis Angelis, dæmonibus, diabolo, uel Satana, eorúmque operibus & nominibus ex scripturis habeo, quæ sentiam, fratres iudicent.

De casu Dæmonum nihil certi.

De casu ipsorum, quamlibet certa Theologi superioris seculi statuerint, quod equidem respondeam, nihil habeo, nisi quod cum malos scriptura testetur cecidisse à primo suo statu nequeã ambigere. Nam quod ex Ieschaiah. 14. etiam prisci Theologi de casu Luciferi filij diluculi adducunt, apertius de Rege Babyloniorũ dictum est, quàm ut possit alio detorqueri. Neq; minus aperte in Regem Tyri cõpetit quod ad idem traxere ueteres. Iechez. 28. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia &c. Deniq; quod Christus dixit Lucæ. 10. Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, satis liquet de casu eius, qui per Euangelion factus est, esse dictum. Nam respondit hoc Christus discipulis cum gaudio reuersis atq; gloriantibus, quod ipsis etiam dæmonia subijcerentur. Et addidit: Ecce do uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quòd spiritus uobis subijciũtur, sed gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Ex his admodum patet, Christum, istud, uidebam Satanam &c. de eo dixisse, quòd regno suo ille iam esset deturbandus, cuius præludia erant, quòd etiam à discipulis per nomen domini dæmonia eijciebantur. Cum itaque Satan esset imperio mundi certo & iamiam deturbandus, id loquens scripturæ more iam factum esse adserebat, dicens: Videbã Satanam cadentem &c. Quasi diceret non mirum si uobis spiritus subijciantur mali, iam uidebam Satanam aduersariam illam potestatem de cœlo cadere, hoc est deturbari è sublimi atq; exui sua potestate: fortior enim superueni, qui robustum alioqui armatum illum, deuincam & exarmem.

Loca de casu Satanæ adducti solita.

Virtus inimici.

Notandum autem est, in his Christi uerbis, cum dixisset: Ecce do uobis potestatẽ calcandi super serpentes & scorpiones, adiecisse & super omnem uirtutẽ inimici, & nihil nocebit uobis. Significare enim hic haud obscure uidetur, id quod supra dixi,

omnia aduersa,nobiscꝫ nocẽtia,opera esse Satanæ,atcꝫ per dæmonũ ministeria inferri.Ita serpẽtes & scorpiones,& quicquid inimicũ nobis est,aut nocere potest,uirtus inimici, hoc est,Satanæ,principatuscꝫ tenebrarũ dicuntur.

Dæmonũ malitiam Dei bonitas moderatur.

Sed tandem reuertamur ad nostram historiam.Legio dæmonum inuaserat hunc de quo in præsenti est narratio. Facultas eis facta fuerat, huius mentem perturbandi,agebant ergo illum,ut supra modum fureret.Attamen quanquam in deserta nudum agerent, utcꝫ sese lapidibus cõcideret efficerent,uita tamen eius salua permansit.In quo animaduertendum eos,non supra quàm dominus statuerit,licet plurimũ uellent posse nocere.Agnouerunt autem illico Christum,ut & aliâs.Mira enim intelligendi facultate præditi sunt. Vnde & dæmones, quasi δαίμονες, id est,scientes dicuntur. Vtcunꝫ autem animaduerterent, esse ipsum sanctum Dei filium & unctum regem sanctorũ,non potuerũt tamen illi sese subijcere, prauitate sua, ut & impijs hominibus usu uenit,transuersum acti.Ficta enim erat,& caussa infamãdi Christi instituta ista dæmonum adoratio.

Frustra Christum Dæ. nouerunt.

Quapropter illos Christus compescebat,sibicꝫ ferre testimonium prohibebat. Alioqui sanè malitia Pharisæorum, dæmonum ipsum habere & per uirtutem principis dæmoniorum dæmonia eijcere calumniabatur. Nihil igitur uolebat cum dæmonibus habere commune, ipsorumcꝫ testimonium, quamuis uerum, reijciebat. Quo uticꝫ declarauit, quàm inuisum sibi sit eorum quocꝫ hominum testimonium, qui item ut dæmones, fallaci animo ipsum prædicant. Id est, quod & psal.50. canit. Impio autẽ dixit Deus, quid tibi, ut enarres statuta mea &c. Vnde & Paulus ideo potissimum inculpatum per omnia Episcopum requirit,ne uerbum Dei blasphemaretur, aut certe contemneretur. Quodcꝫ ad Philippenses Paulus scripsit se gaudere, quòd Christus prædicaretur, etiam per contentionem, ex immenso desiderio Christi gloriæ scripsit, quam illustrari uel quocunꝫ modo, ut optabat, ita non potuit non gaudere cum uideret contingere, licet si ipsi in manu fuisset, longe alios prædicatores Christi substituisset. Ad hæc non ita infamabatur Euangelion, licet per occasionem, & non syncero corde illi ipsum prædicarent, atcꝫ infamatum futisset,si Christus passus fuisset præcones sui esse dæmones,qui malis tantum rebus delectantur, nec alias laudare solent. Monemur ergo hic dare operam, ut Christo nõ nisi sanctissimi atcꝫ integerrimi testimonium ferant,hoc est,Euangelion prædicent: nihilominus & ipsi gauisuri, si etiam aliâs illud celebre fiat, quod & ipsum Dei bona uoluntate, uel erga audientes,fieri necesse sit: tum non potest statim ueritati aduersari, qui ipsam palam prædicarit.Monemur præterea, ut & nos mundi ac malorum laudem non moremur,satis habẽtes si detur Deo probari & bonis.Solus enim uere commendatus est,quem cõmendat Deus.2.Corinth.11. D

Certis locis addicũtur Dæmones.

Porrò quod orant dæmones, ne Christus iubeat eos abire in abyssum, Marcus habet, extra regionem,uidetur indicare, ipsos certis locis addici. In aëre sanè agere eos, illud Ephesijs secundo probat: Iuxta principem ambulastis, cui est potestas aëris, qui est spiritus nunc agens in filijs contumacibus. Et sexto: Spiritales astutiæ in cœlestibus,id est, in aëre. Ad deserta illos nonnunquã relegari, experiẽtia conuincitur. Certe domos nonnunquam infestare eos, & pro defunctorum animabus se iactare, experientia etiam satis comprobat. Qua sanè fallacia non parum superstitionis obtruserunt simplicioribus, cum missas, tum alia hominum commenta efferendo. Atqui abyssus, quæ alioqui aquæ profunditatem, uel potius aquam fundo carentem significat, Ebraice תהום uocatur, hic pro inferno uidetur accipi, quo diabolum relegandum, & Apocalypsis testatur capite uicesimo, hoc est, quic quid id demum uel loci, uel conditionis est, quod mortuis in scripturis attribuitur, de quo infra plura.

Quòd

A Quod igitur orarunt Dæmones, sese non detrudi in abyssum, perinde mihi uidetur, atq; se ex hoc orbe non depelli, quò nocendi hominibus facultas ipsis non adimeretur. Quanquam ut in deserta, ita ueri simile est & in abyssos aquarum illos relegari, quod & ipsum experientia comprobat. Vnde enim quis tantam excitari tempestatem, moto lacu Lucernate, quantam certo accolæ prædicant, nisi ab inhabitante Dæmone credat? Siquidem constiterit, quicquid incommodum hominibus accidit, immissiones esse Angelorum malorum, tum autem potissimum opera Dæmonum uocari, cum aliæ causſæ non apparent, quod utrunq; facile constaturum arbitror, quibuscunq; secundum scripturam de his iudicare libuerit. Inficiari non poterit, tempestates, aliaq; cum maris, tum aquarum aliarum pericula, atque occultiores pestes, machinamenta esse Dæmonum, qui ibi denique habitare, ubi potissimũ lædunt, non ab re dicuntur. Ergo ire in abyssum deprecantur, quo in hoc orbe permanentes plus negotiorum facessere queant hominibus, eoq; dum iam nec mentem, nec corpus infestare horum, quos tam sæue diuexarant, Dominus permitteret, orant sibi potestatem fieri ingrediendi porcos, ut uel hac parte hominibus illis incommodarent. Ita priusquam in corpus Iob potestatem accepisset Satanas, facultates eius disperdidit.

Omnes pestes opera Satanæ

Petunt Dæmones porcos.

Mirum autem uideri possit, cur Christus permiserit dæmonibus inuadere & perdere porcos, saluatorem enim in omnibus sese gessit. Equidẽ haud scio, an hi Gadareni ex Gentibus fuerint, quas Rex Assyriorum, capta Samaria in ditionem Regũ Samariæ traduxerat, quæ Gẽtes ut. 2. Reg. 17. legimus partim Dei leges & ritus amplexi fuerant, partim secundũ patrios mores uiuere uolebant. Siue uero ex his Gẽtibus, siue germani Iudæi fuerint, non debebant uesci carne porcina, quandoquidẽ lex Moscheh recepta illis id uetabat. Iure ergo pœnas contemptæ legis Dei dederunt amittendo porcos, quos contra uerbum Dei aluerant. Sed si etiam hac in re nihil peccassent, grauiora tamen meruerat illorum impietas, quam de se manifestã fecerunt repellentes ob leuiculam adeo iacturã porcorum, saluatorem orbis. Homi-

Cur Christus perdiderit porcos.

B nem uidebant iam sæuis spiritibus Christi uirtute liberatũ, cuius salus debebat illis omnibus porcis esse clarior, id tamen nõ tam acceptabilem Christũ eis reddere potuit, quã reddebat inuisum iactura porcorum. Malebant porcis quàm autore salutis omnifariæ esse beati, idq; non unus & alter è uulgo, sed tota ciuitas atq; uicinia. Nã tota ciuitas, inquit Matthæus, & ex agris undiq; exierant in occursum Iesu, cumq; audissent & uidissent miraculum, orare tamen incipiebant illum ut discederet à finibus suis, timẽtes, scilicet, ne & alios dæmonibus ad hunc modum liberaret. Adeo nulla erant erga suos charitate, qui agitari illos dæmonibus & perdi, quàm porcos malebant. Denique desiderio cœlestium rerum adeo uacabant, ut sibi ipsis quoq; possessionem pecoris, potius quàm doctorem & largitorem uitæ æternæ optarent. Quid non meruisset ultionis, tam stupida & fera auaritia? Typum ergo hi Gadareni gerunt, omnium qui terrena curant, qui diuitiarum cupiditate occæcantur: ñ ut indigni sunt opibus cœlestibus, ita illas etiam ultro oblatas auersantur, & quam libet sæuos dæmones, quàm Iesum Christum autorem salutis ferre malunt. Vnde recte testatus Christus est, suum discipulum fieri non posse, nisi qui renuntiauerit ante omnibus, Lucæ. 14.

Notandum etiã, ut per Christũ Gadareni iure afflicti fuere, ita & per Christi membra, pios ac bonos cum Angelos, tum homines, iudicia Dei subinde seueriter exerceri contra malos, quãlibet sint sancti illi amantes omniũ, ac benemereri de quibus libet studeant. Deũ etenim habent omnibus chariorem, unde gloriæ ipsius nihil nõ posthabent: quanq; omnia ita attemperent, ut etiam cum sæuire uidentur, appareat eos nihil prius salute illorum habere, quos castigant.

Per bonos etiam affligi mali solent.

Præterea & hoc animaduertendum, Christum Gadarenorũ precibus annuisse, & ab in-

ab indignis se discessisse. Nam docuerat, porcis margaritas uerbi Dei non spargendas esse, supra. 7. & discipulis præceperat, ubi non fuissent recepti, nihil prædicarẽt, infra. 10. Par erat igitur, ut & ipse contemptores istos porcos, & repellentes à se euangelij thesaurum ualere sineret. Nihilominus Domini mira etiam in hos quamlibet ingratos benignitas in eo notanda est, quòd quem sanauerat, orantem id licet, in comitatum suum non admisit, sed iussit redire in domum suam, atq; ad suos, illisq; annuntiare, quanta sibi Dominus fecisset, & misertus sui fuisset, quod ille quoq; fecit: abiens enim prædicauit per totam ciuitatem atq; decapolim, ut Marcus ait, quanta sibi fecisset Iesus. Vnde & illi admodum mirabantur, atq; indubie, aliqui Christo crediderunt. Si repulsus Dominus à Gadarenis illos quidem ut meruerant in præsens ipse deseruit, quoniam autem nondum desponderi eorum salus potuit, reliquit eis Apostolum se illis paulo gratiorem. Quin & ipse illos reuisit, ut est apud Marcum. 7. Per medios nanq; fines decapoleos reuersum à finibus Tyri & Sydonis iter illum fecisse memorat. Et haud scio, an non ex hac regione fuerit, & surdus ac mutus ille, quem ibidem Euãgelista scribit à Domino sanatũ: cuius miraculi caussa homines illi Christum passim prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui. Nam in Decapoli & Gadarenorum regio sita est, ut ex Marco, in historia dæmoniaci de quo agimus, notatur. Monemur autem hoc Domini exemplo ne mox desperemus, si qui Euangelion à nobis prædicatum non illico recipiant: sed ut tentemus potius omnia, tam per alios quàm per nos, ut uel aliquos lucremur, experturi indubie et nos id fructũ tandem aliquem allaturum. Non enim eadem est credendi omnibus hora constituta. De eo, quòd hunc liberatũ dæmonibus Christus acceptum beneficium prædicare iussit, & leproso ac alijs interdixit, dictum suprà est, ubi sanati historiam tractauimus.

Non illico de fructu prædicationis desperandum.

D

CAPVT NONVM.

Sect. 1.

ET ingressus nauem, traiecit ac uenit in suam ciuitatem. Et ecce adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem. Cunq; uidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo esto, fili, remittuntur tibi peccata tua. Ecce quidam è Scribis dicebant intra sese: hic blasphemat. Et cum uidisset Iesus cogitationes illorũ, dixit: Quare uos cogitatis mala in cordibus uestris? Vtrum enim est facilius dicere, remittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis quòd potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domũ tuam. Et ille surrexit, abijtq; domũ suam. Turbæ uero quæ uiderant, admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

Sect. 2.

Et præteriens Iesus illinc, uidit hominem desidentẽ ad telonium, Matthæũ nomine, dicitq; ei: Sequere me. Atq; is surgens, secutus est eum. Et factum est, ut Iesus accumberet in illius ædibus, & ecce multi Publicani & peccatores qui uenerant, simul accubuerunt cum Iesu & discipulis illius. Cumq; id uidissent Pharisæi, dixerunt discipulis eius: Cur cum Publicanis & peccatoribus sumit cibum Præceptor uester? At Iesus ubi audiuit, dixit illis: Non opus habent ij qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Quin potius ite & discite quid

Osee. 6.

A quid sit illud: Misericordiam uolo,& non sacrificium. Non enim ueni ad uocandum iustos,sed peccatores ad pœnitentiam.

Tunc adeunt eum discipuli Ioannis,dicentes: Quã ob causſam nos & Pharisæi ieiunamus plærunq;,discipuli uero tui nõ ieiunant? Et dixit illis Iesus: Nũ possunt filij sponsi lugere, quã diu cũ illis est sponsus? Venient aũt dies cum tolletur ab eis sponsus,& tunc ieiunabunt. Nullus immittit assumentum panni rudis in uestę ueteri. Aufert enim suplementũ illius à uestimento, & peior ruptura fit. Neq; mittunt uinum nouum in utres ueteres, alioqui rumpuntur utres,& uinum effunditur,& utres pereunt. Sed mittunt uinum nouum in utres nouos,& utraq; simul seruantur. *Sect.3.*

Hæc cum illis loqueretur,ecce primas quidã uenit, & adorauit eum dicens: Filia mea modo defuncta est, sed ueni & impone manum tuam super illam, ac uiuet. Et surgens Iesus secutus est eum,ac discipuli illius. Et ecce mulier quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim annos,accedens à tergo tetigit fimbriam uestimenti illius, dixerat enim intra sese: Si tantum tetigero uestimentum illius ero salua. At Iesus conuersus,ut uidit illam,dixit: Confide filia,fides tua saluam te fecit. Et salua facta fuit mulier à tempore illo. *Sect.4.*

Et cum uenisſet Iesus in ædes primatis, uidisſetq; tibicines, & turbam tumultuantem,dicit illis: Secedite,non enim mortua est adolescentula, sed dormit,Et deridebant illum. Cum autem fuisſet eiecta turba, introgressus tenuit B manum illius,& surrexit adolescentula. Et emanauit rumor hic in totam terram illam. *Sect.5.*

Et cum discederet illinc Iesus,secuti sunt illum duo cæci,clamantes ac dicentes: Miserere nostri fili Dauid. At cum uenisſet in ædes, adierunt illum cæci,& dicit illis Iesus, Creditis me hoc posſe facere? Dicunt illi, Credimus Domine. Tunc tetigit oculos illorũ dicens,iuxta fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt illorum oculi. Et interminatus est illis Iesus,dicens: Videte ne quis sciat. At illi cum abisſent, diuulgarunt famam illius in tota terra illa. *Sect.6.*

Illis autem egredientibus,ecce adduxerũt illi hominem mutum dæmoniacum,& eiecto dæmonio locutus est mutus. Et admiratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit sic in Israël. At Pharisæi dicebant: per principem dæmoniorum eiicit Dæmonia. *Sect.7.*

Et circumibat Iesus ciuitates omnes ac uicos,docens in synagogis illorum, prædicãs Euangelium regni, & sanans omnem morbum & omnem languorem in populo. *Sect.8.*

Cum uidisſet autem turbas,affectu misericordiæ tactus est erga illas,quòd essent destituti ac dispersi,uelut oues non habentes pastorẽ. Tunc dicit discipulis suis: Ipsa quidem messis copiosa,cæterum operarij pauci. Rogate igitur Dominum messis,ut extrudat operarios in messem suam. *Sect.9.*

Et

C

TIngressus nauem traiecit &c. Marci.5.Luc.8.) Repulsus à Gadarenis,repetijt Capernaum,ea enim sua ciuitas hic à Matthæo dicta uidetur. Vtcunq; tamen sua diceretur, quòd frequentius illic habitaret, de quo supra capite quarto,non tamen habuit in ea uel tantũ proprij quo caput suũ reclinaret,de quo iam capite octauo. Datum nanq; huic urbi fuerat præ alijs Christi præsentia & doctrina exaltari, cui incomparabili Domini benignitatis beneficio cum pergeret ingrata esse, cæcitate & omni genere calamitatum detracta postea est usq; ad inferos, de quo infra.11. Nota simul,licet Christus Apostolus circũcisionis esset,ita ut à Patre statutum erat, & fungeretur munere suo quàm diligentissime,ut passim in oppidis & uicis Israëlis prædicaret, neq; uni loco perpetuo immoraretur,de quo supra in capite octauo, ex Mar.1.& Luc.4.attamen suam ciuitatem,in qua habitaret frequentius, Capernaum habuit. Ita ne Apostolo quidem,nedum Episcopo perpetuo uagandum est. Neq; argumentum certum erit ueri prædicatoris,nusquam uel paululum consistere,aut uel ad tempus aliquantula quiete frui, ferriq; à mundo, ut Satanas ad infamandam indubitatam Christi doctrinam,opera Anabaptistarum persuadere multis hodie conatur. Nam & Paulus, præ alijs Apostolis sursum ac deorsum perpetuo iactatus, sedit tamen Corinthi annum & menses sex.Act.18.Et Ephesi biennio,Act.19.Si nanq; nusquam,uel aliquantulo tempore ferretur Christus annuntiari,nullis sanè locis Episcopos Apostoli potuissent præficere,& Ecclesias ordinare.Sed cõmenta hæc sunt Satanæ,uerbum uitæ conãtis infamare.Alioqui quam diu uel Ierusalẽ, ubi Dominus crucifixus erat, Ecclesia & Apostoli hæserunt:Non ergo externa persecutione uel perpetuo exilio, sed spiritu Christi,scripturaq; testimonio,doctrina prædicatorũ probanda est.

Non est semper uagandũ contra Anabaptistas.

Et ecce adduxerunt illi Paralyticum Mar.2.Luc.5.) Marcus & Lucas alio historiæ suæ loco ista narrant,sed ita ut ex ipsorũ narratione nihil pugnantiæ sit, cum ordine quem Matthæus hic obseruauit:qui ita præsens miraculum describit,ut intelligas factum,cum à Gadarenis,Capernaũ Dominus repetijsset.A quo traiectu proximum Marcus & Lucas narrant,quòd Dominus in sanatione filiæ principis Synagogæ designauit,quod noster paulo infra,in præsenti tamen capite descripsit. Ergo ordinem nostri sequendo,ubi Christus indignos se Gadarenos in præsens reliquisset,atq; rursum traiecisset,conuenit multa turba,& erat circa mare,ut Mar.scribit.5. Ea multitudo redeuntem Dominum excepit,nam omnes expectabant eum,Luc.8. Ita uideas Christum nunquam à negotio Euangelico uacasse. Gadarenos quidem reliquit,quoniam ultro eum orabãt,ut à se discederet:sed illico recepit se ad eos,qui auide ipsum expectabant,ut nimirum esurientes uitæ cibo pasceret. Quin ne ingratos quidem illos,in totum deseruit,relicto eis Apostolo,quẽ Dæmonibus liberauerat. Iam & in hac turba, ad mare etiam antequam oppidum ingrederetur indubie sui similis extitit,uerbo & opere iuuit,qui ope eius indigebãt.Quo docemur,et nos in hoc semper esse, quo pluribus commodemus, & uerbum sitientibus illud potissimum prædicemus.

D

Ergo postquam Capernaum fuisset ingressus, essecq; ipsum in domo percrebuisset,conuenerunt multi,ut ne loca quidem circa ianuam illos caperent.Mar.2.Nam conuenerant ad eum præter alios,& Pharisæi legisq; doctores,ex omni castello Galilææ,& Iudææ,& Ierusalem,quos docebat & sanabat omnes.Luc.5.Tum aduenerunt qui Paralyticum à quatuor uiris portatum apponerent, quærentes illi sanitatẽ: cumq; ad conspectum Christi uenire non possent,conscenso tecto domus illud perfoderunt, & egrotũ suum funibus demiserunt in medium ante Dominũ,iacentem in grabbato.Quorum cum fidem Dominus uidisset,Paralytico dicebat:Fili remittantur tibi peccata tua.Hæc uidetur series historiæ.

Primum ita notandum, cuius modo quoq; admonui, Dominum perpetuo fuisse in negotio

A in negotio salutis humanæ procurandæ: quod sicut fidē in ipsum roborat, ita accendere nos debet ad æmulationem: quem ij soli demū referunt, qui semper ijs student, quæ hominibus possunt esse saluti. Deinde animaduertendum ardens eorum qui laborantem apportabant iuuandi illius studium: quod nimirum prodiderunt, tectum ædium facile adeò nudantes & perfodientes. Sic sanè si pro salute fratrum æterna singuli essemus solicīti, ut hi pro recuperanda suo paralytico tantum corporali, quanto minus esset malorum morum, & plus pietatis atq; iustitiæ? Modo nec pro nobis nec pro alijs, ut sancte & beate uiuamus, satis solicīti sumus.

Præterea peculiariter perpendenda illorum baiulorū paralytici fides, quæ & dominum permouit ut uotis ipsorum annueret. Hoc enim factum eorum satis superq; comprobat, ipsos certissime fuisse de Christo persuasos, quòd suo ægroto & posset et uellet sanitatem restituere, alioqui adeò enixe, ut eum in conspectum Iesu ponerent, haudquaquam laborassent. Admodū clare uero patet hinc, quid fides prosit aliena. Vtiq; huic paralytico sanitatem impetrauit. Nam omnes tres Euāgelistæ ita memorant. Vt uidit fidem istorum, dixit paralytico, &c. Quod quid aliud est, quàm motus fide illorum adeò certa & sedula, sanitatem contulit laboranti? Etenim ut suprà cap. 8. ubi de fide Centurionis, ac in totum de fidei natura egimus, ostendimus, fidem nihil orare, nisi quod Deo dare gratum sit, quod, scilicet, ad gloriā eius faciat. Viuit enim qui credit non sibi sed Deo, eoq; sunt credenti fideq; oranti possibilia omnia. Marc. 12. Hi ergo amici huius paralytici cum audissent de uirtute atque benignitate domini nostri Iesu, quod ipsorum Euangelion & uerbi auditus fuit, persuasi per spiritum sanctū fuere, id non modo ut audierant, habere, uerum indubie se quoq; eius bonitatis in ægroto suo participes fore, si modo illum dominus uidisset. Hinc ita laborarunt, ut eum ante oculos Deum ponerent. Vtq; per spiritum sanctum huc acti

B fuere, ita nihil addubitarunt, donatam suo paralytico sanitatem ad gloriam Dei facturam. Etenim ut dictum suprà est, ubi animus certus non est, rem quā cupit, ad gloriam Dei pertinere, haudquaquam potest eam absolute ex fide petere, sed addit: Si ita Deus tibi placeat, si quid ad tuam gloriam interfit. Et hactenus certe quod cupit impetrat: non cupit enim nisi quod ad gloriam Dei faciat.

Vnde miracula quæ sancti fecerunt, sanitate quibusdam impetrata, & horum paralyticum apportantium factum, eiusdem monetæ est. Petrus Aeneæ sanitatem oraturus animo intus doctus spiritu, non dubitabat sanitatem eam ad gloriam Dei aliquid interesse, eoq; absolute procul omni dubitatione orabat, & illico exorabat. Ita istorum qui hunc domino intulerunt paralyticum non minus certa petitio, quam facto tamen magis quàm uerbis domino significabant, fuit: eoq; quod petebant, impetrarunt. Proinde alienæ fidei omnia possibilia sunt: nihil non impetrat, quod saltem à Deo orarit, siue ad animæ, siue ad corporis salutem pertineat. At ut iam dictum, fides, nihil nisi secundum uoluntatem Dei orat. Etsi enim pro omnibus ut ad agnitionem ueritatis perueniant pius credensq; animus oret, semper tamen adiectam electionis Dei conditionem habet, ut nollet quenquam conuerti, nisi quem conuertendum dominus destinarit. Diligit nāq; Deum ex toto corde, & super omnia. Sic itaq; uere dicitur saluari quosdam aliena fide, si recte intelligas. Impetrant enim pleriq; fide sua orantes alijs salutem, uti Paulo impetrasse quidam putant Stephanum, ut ex persecutore fieret Apostolus. Nemo autem aliena fide saluatur, ut ipse fide careat. Hoc enim perinde esset, atq; doctum aliquem esse, aliena scientia. Doctus quidē fieri aliena scientia quis potest, at esse non nisi sua ipsius potest. Ita saluari quis potest aliena fide, id est, salutis fieri particeps: at saluus esse nemo nisi sua propria fide potest, uel pleniore Dei cognitione, quę fidei succedit in futura uita. Salus enim & uita iusti est fides ipsa, hoc est, certa futuræ salutis & uitæ persuasio: qua interea iustus uiuit,

Miracula huic facto similia.

Quidam aliena fide saluantur.

Saluus esse nemo nisi sua fide potest.

accepto arrabone ſpiritus, qui ad iuſtitiam inclinat, quæ ſpiritus primitiæ dicuntur, Haba. 2.

Infantes baptizari fide parentum.

Quòd igitur quidam dicunt, infantes baptizari ex fide parentum & Eccleſiæ, recte & pie dicunt. Nam cum ipſi domini ſunt, cupiunt ei & ſuos conſecrare: hac ergo fide ſuos pueros ad baptiſmum offerunt, ut in Eccleſiam Chriſti recipiantur, & à fratribus tanquam commembra amentur, erudiantur, corripiantur, & ad gloriam Dei educentur. Horum itaq; fidem Eccleſia reſpicit, & ſanctos habet eorũ liberos, & domino eos ſanctificat, quòd in cõmunionẽ Chriſti eos recipit per baptiſmũ. Hac communione ſuo modo fruuntur, tum demum uere beati futuri, cum ipſi quoq; cognitionem Dei in Chriſto domino uiuã fuerint conſecuti. Vita æterna enim eſt cognoſcere Deum, Ioan. 17. quare hanc accipiant neceſſe eſt, & fœdus bonæ conſcientiæ erga Deum obtineant, priori Petri 3. unde ſalui & beati exiſtant. Quid uero cognitionis Dei infantes habeãt, dicetur infrà 19. Cæterum quæ præter hæc, quis de baptiſmo requirat, legat ea ſuprà, cap. 3. De fide iam cap. 8. diſſeruimus.

Notet ergo Chriſtianus baptizatos pueros recipi in Eccleſiam, hoc eſt, communionem Chriſti, & ſocietatem uitæ nouæ, quam uiuimus in Chriſto, & uiuit ille in nobis, ad quã nos ei precibus, uerbo, & ſacris ſymbolis miniſtramus. Ad hanc communionem exhibendam neceſſe non eſt fidem confiteri, cum dominus ipſe eam infantibus citra huiuſmodi confeſſionem exhibuerit, & exhibere ueteres uoluerit circuncciſione.

Morbi ob peccata ueniunt.

Bono animo eſto, fili remittantur, Marci 2. & Lucæ 5.) Hoc perinde eſt, atq; ſint tibi peccata remiſſa, ut remittentis non optantis tantum remitti peccata uerba intelligamus, alioqui nulla fuiſſet occaſio Phariſæis blaſphemiæ dominum inſimulandi. Duo uero hic notanda ſunt, prius peccatorum mercedem eſſe, morbos. Nam quod Chriſtus de cæco nato dixit, neq; ipſum, neq; parentes eius peccaſſe ut cæcus naſceretur, in hoc dixit, ut oſtenderet cæcitatem eius præcipue ſeruire debuiſſe illuſtrandæ gloriæ Dei, non quòd etiam illa cæcitas, non ob peccata eſſet immiſſa. Siquidem tota ſcriptura prædicat, morbos & alia incommoda peccatorum cauſſa immitti, peculiariter uero 3. Moſcch. 26. & 5. capite. 38. Hinc & Chriſtus illi, quẽ apud piſcinam in probatica ſanauerat, dicebat: Ecce ſanus factus es, ne poſthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Ioannis. 5. Et Paulus 1. Corinth. 11. ob contemptum cœnæ Chriſti laboraſſe apud eos multos, ac quoſdam fuiſſe mortuos teſtatur. Proinde hoc ſenſu dixiſſe iſtuc dominum accipio: Laboraſti hactenus, morbo hoc peccata tua Deo puniente, ſed confide, peccata tua tibi iam condono, eoq; & pœnã peccatorũ uolo facere, nempe, morbum.

Alterum hic animaduertendum eſt, quòd Chriſtus his potiſſimum uerbis ſanitatem paralytico polliceri uoluit, non tam ideo, ut doceret ob peccata morbos immitti, quàm ut ſimul phariſæis occaſionem obmurmurandi, atq; inde, ſibiipſi, de ſua poteſtate apertius differendi daret. Vbiq; ferè uideas Chriſtum, & παρρησιαζόμενον, & obſcurius coram phariſæis atq; legiſperitis locutum, indubie, ut, quemadmodum ipſe infrà 13. ait: Videntes non uiderent, &c. Quanquàm uerba ita propemodum temperarit, ut natura ſua curioſiores ueritatis redderent, ſi non leua illis mens fuiſſet. Sed reprobis oportet noxia eſſe omnia, etiam quæ maxime ſunt ſalutaria, de his plura ſuprà capite ſexto ſuper illud: Ne nos inducas in tentationem, & infrà. 13.

Obſcurius loquitur Phariſæis.

Et ecce quidam è Scribis dicebant intra ſe, &c. Marci. 2. Lucæ. 5.) Araneo fel eſt, quod api mel, ita nihil tam ſalutare, uel fieri uel dici poteſt, quod malis non ut malũ iudicetur, ita & malum ſentiatur. Aderat turba multa plebis, ea præſentem in tanto miraculo Deum glorificabant, Scribæ & Phariſæi inueniebant, quod culparent. Sic fiunt primi nouiſſimi, & profert fructus ſuos arbor quælibet. Atqui utcunq; mali hi Phariſæi fuerint, non paulò tamen noſtris cordatiores, & iudicij ſanioris extiterunt, quia

A quia Dei solius esse peccata remittere agnouerunt, ut de illis Marcus & Luc. testatur, cum nostri sibi etiam id quamlibet scelerati tribuant, magnoq; uendãt. Iactant quidem se illi peccata in nomine domini non suo remittere, at dum adeò nullam rationem ueræ resipiscentiæ habent, & id sibi satis ducunt, ad quamlibet à peccatis absolutionem, & quarũlibet iniuriarum, etiam æris alieni condonationem, si ipsis homines numerent, re ipsa testantur se suo nomine atq; auspicio peccatorum remissionem facere. Quod hoc magis impium est, quòd ad hanc impiam fraudẽ & blasphemiam, sanctissimas claues Ecclesiæ & Christi autoritatem præcupiunt, quam hac sua peruersione quantum in ipsis est penitus deiciunt & submouent. Ergo blasphemia reuera fuisset, si homo Iesus ex se, paralytico, quæ in Deum peccarat, uoluisset remittere: sed ille præter hoc quòd Deus erat, etiam ut homo peccata remittendi potestatem habuit, summus sacerdos noster, & spiritu Dei plenus. Nihil enim ex se uel loquebat, uel agebat, patris erãt dicta et facta eius uniuersa, Ioã. 5. Vnde recte dicebat:

Quare uos cogitatis mala in cordibus, Mar. 2. Luc. 5.) Nõ enim dixerat, Ego remitto tibi peccata in Deum, sed remittantur, id est, sint tibi remissa, quæ etiã prophetæ & sancti cuiuslibet ex spiritu Dei loquentis & remissionẽ peccatorũ annuntiantis uerba esse poterant. Maleuolentiæ igitur erat, blasphemiæ insimulare dominum in quo adeò nihil uidebant quod non ad Dei gloriam faceret. Discamus ergo nos, omnia in meliorem partem interpretari, id enim beneuolentiæ atq; charitatis est, eorumq; qui ipsi, quæ uera atq; sancta sunt, sectantur. Nam ij potissimũ aliena insectantur uitia, qui ipsi sua negligunt, eoq; in uitijs plane demersi sunt.

Vtrum enim facilius, dicere remittuntur tibi, &c. Mar. 2. Luc. 5.) Quasi diceret ex operibus meis discere debebatis, me Dei spiritu plenum, atq; ex eo loqui & agere omnia, ac nihil minus quàm blasphemare. Videtis uerbo me deploratis morbis laborantibus sanitatem restituere, quod utiq; opus Dei est, cur non & in eo dicitis me

B blasphemare, & Dei gloriam impie mihi arrogare? Vtrum iam facilius putatis, ista efficacia dicere, surge & ambula, an remittuntur tibi peccata? profecto utrunq; eiusdem uirtutis & spiritus uerbum est. Atq; ut hoc credatis: illius en uobis efficaciã exhibeo, uerbo hunc paralyticum sanum adeò reddens, ut ipse suum lectum auferens integra ualetudine sit à nobis in domum suam abiturus. Vtiq; miracula hæc Iesum Christum esse commonstrarunt, id est, saluatorem, qui saluat populum suum à peccatis, à quibus erat ut Satan tantũ in homines ualeret & omne genus morbos immitteret. Vnus est mediator Dei & hominum, ipsi electi omnes à patre donati sunt, quibus patris gratiam sua morte restituit, tum donat spiritu, ut id credant, & gratiã hanc percipiant. Sic filius etiam hominis potestatẽ habet, ac etiam tum in terra agens in forma serui habuit, peccata remittendi, eò quòd eandem cum patre mentem, in illa quoque humilitate obtineret, atq; animorum purificator suo spiritu esset, Christus nunc hodie, heri & in secula.

Perinde est uerbo restituere sanitatem, & peccata remittere.

Differt itaq; potestas peccata remittendi, quam Christus habet, ab ea quam sancti ab ipso accipiunt, in eo, quòd ipse non tantum ut sancti ex spiritu & uerbo Dei, remissa à Deo peccata credentibus pronuntiat, & eo ut ministri Christi etiã remittũt, uerum etiam morte sua illa expiat, & spiritum, donũ placati patris, atq; remissionis peccatorum pignus, summus Pontifex & Rex noster donat: ut ita non tam præterita peccata remittat, quàm in perpetuum omnibus peccatis purget & liberet. Hæc ita perpendamus, ut toti ab ipso, qui solus à peccatis nos saluabit, pendeamus, mirantes cum turbis, & glorificantes Deum, qui talem potestatẽ dedit hominibus. Nimirum ei, qui est frater noster nostri sanè amantissimus, quiq; fratribus per omnia similis & tentatus indeq; misericors sit, atq; tentatis succurrere pronus, Heb. 2. qui nõ tam morbos, quàm morborum caussas, peccata, uerbo suo pellat, filiosq; Dei saluos & beatos reddat, quotquot ipsi crediderint, quibus etiam ipsis, hanc potestatẽ remittendi

Quæ Christi & quæ sanctorum peccata remittendi potestas.

peccata communicat,dum utitur illis in hoc ministris. Hic præterea iterũ uides fructum miraculorum quæ uera existunt.

Et præteriens Iesus illinc uidit hominem,Mar.2,Luc.5.) Marcus scribit dominũ rursus egressum ad mare,secutamq; omnẽ turbam quam & docuerit. Adeò nunquã docendi munus cum esset opportunitas intermisit. Præteriens uero uidit hominem desidentem ad Teloniũ Matthæum nomine: Marcus scribit Leui Alphæi nominatum. Vulgare enim illis fuit binomines & trinomines esse. Quod autem noster uulgatiore apud fratres nomine sese hic uocauit, satis ostendit,sibi animũ fuisse, Christi & erga se benignitatem tanto insignius prædicandi:eoq; uoluisse simul nos animare,ut cõmissorum gratiã ab hoc clementissimo domino, quãlibet peccatores, certò speremus,uel in ipso uidentes,adeò illũ peccatores non auersari,ut ex eis,etiam gratiæ suæ Apostolos,& quidẽ præcipuos,ac deniq; insignes Euangelistas fecerit. Moneamur ergo hoc exemplo,quæ dominus nobis benefacit in Ecclesia magna,ac ubicunq; fructũ aliquẽ inde speramus,studiose confiteri & prædicare. Quid uero muneris publicanorũ, & cur infame fuerit,suprà cap.3. ubi quæ Lucas præcepta publicanis & militibus data memorat,tractauimus. Item quòd sequere me, perinde sit, atq; esto comes meus,sectare me,nimirum ad annuntiandum regnum Dei,dictum est suprà cap.4.ubi uocatio Petri & Andreæ tractata est.

Porro animaduertendum hic,quomodo Apostoli omnia reliquerunt,& dominũ secuti sunt,de quo nonnihil & in cap.8. super illud: Et cum uenisset Iesus in domum Petri. Nam Lucas hic ita scribit. Iesus ut Leui uidit desidentem ad Telonium, ait ei: Sequere me,atq; is relictis omnibus,surgens secutus est eum. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua,&c. Si illico surgens,secutus Christũ est, atq; sua omnia reliquit,unde mox ei domus,unde sumptus magni conuiuij? Ergo ueritas huius habet adhunc modũ,ut patefieret cum uirtus Christi uocantis,qui ubi uocat, nemo potest non sequi,tum natura fidei,uocantem dominum audientis,quę moram omnem ignorat,Matthæus simul atq; uocatus fuit,illico surrexit,atq; Christum comitari cœpit,relictis quidem rebus suis omnibus,at non abiectis: in præsens quod optimum erat amplexus,non despondens tamen in posterũ, cum id sua ferret uocatio, eorum quæ dominus dederat cõmodum usum. Eoq; ubi Christus eo loci hæreret, essetq; sibi per susceptũ munus sectandi dominũ integrum,domũ suam repetijt, eq; facultatibus suis domino conuiuũ, & magnum quidẽ instruxit,non spectans luxum aut delitias,sed si quos suæ sortis homines eidem domino adiungeret. Sic & Petrus non solum obuersante adhuc in Galilæa domino domũ suam Capernaum habuit, nauim atq; alia,eisq; usus fuit,quæ tamen omnia reliquerat,de quo suprà capit. 8. sed etiam post domini resurrectionem,ut Ioan.21. Imò quàm diu, per munus Apostolicum illi potuit licere. Idem & alij Apostoli fecere. Cur enim sua quæ illis dominus dederat abiecissent,& usi fuissent alienis? Monachorum nostrorum, non Apostolorum, hoc est. Hi enim ut scriptis docuerunt, ita indubie uita sua comprobarunt,Deo placere, suo unumquenquam pane uesci,non alieno,de quo Paulus Ephes.4.& 1. Thessal.5. Eoq; dum per sationem spiritalium non impediebantur Christus & Apostoli, non solum utebantur ijs quæ illis Deus dederat externis bonis, sed etiam labore suo ea quærebant. Sic Paulus cum Euangelij prædicandi munere fungeretur manibus nihilominus operabatur,dumq; die per Euangelij prædicationem id non liceret, nocti operi incumbebat,quod ad Thessalonicenses in utraq; de se testatur.

Quomodo Mat. reliquit omnia.

Abijcere propria & uti alienis non Apostolorum, sed Monachorum est.

Proinde ut omniũ Christianorũ est sua relinquere, ita cum Matthæus hic,tum alij Apostoli sua reliquerunt,nimirum, ut ab omnibus auocatũ animum suum, ad munus diuinitus iniunctum applicarent, sicq; per illud liceret, suis potius quàm alienis rebus,uterentur: quas & labore manuum sibi comparare dabãt operam, ita tamen, ut iniuncto muneri,neutiquam deessent. Quod ubi illos totos uendicabat, non dubitabant

A bitabant metere temporalia, qui ſide optima ſerebant ſpiritalia. Ergo non ſolũ abiice re quæ iam dominus dedit, uerum etiam ceſſare à quærendis, quibus ſi tu non egeas aliis tamen ſuccurras, niſi forte quem eò uocationis ſuæ neceſſitas adigeret, Apoſtolicum non eſt, atq; à Chriſtiana paupertate omnino alienũ. Scopus omniũ piorum unus hic eſt, ut gloriæ Dei pro ſua quiſq; portione & uocatione ſtudeat: hoc ergo cogitabunt, huc omnes curas ſuas cõferent Chriſtiani: ſicq; ex eo res ſuas, uel negligere, uel deſerere coganẽ, æquiſſimo id facient animo: ſi minus, utentur illis, imò & quoti die cõquirere labore ſuo non ceſſabunt: haud plane ut diteſcãt, aut delitientur, ſed ut tribuant neceſſitatẽ patienti. Nunc igitur rerũ ſuarum curã in totum negligent, cum id intererit ad gloriã Dei, nunc repetent, rurſus ſi quando res poſcit uitã ſimul cum rebus p domini gloria ponent. Domini enim gloriæ, nõ ſibi, aut ulli creaturæ uiuũt.

Facultates per ſe abiicere nõ eſt Chriſtianum.

Cumq; id uidiſſent Phariſæi dixerũt diſcipulis, &c. Mar. 2. Luc. 5.) Memorabile ſanè, & quod omne ſupercilium deiicere debeat, Phariſæos & Scribas (nam Marc. & Luc. ſcribas phariſæis coniungunt) hoc eſt, qui cum ſcientia ſcripturarum, uitæ religionem coniunxiſſe uidebãtur, eoq; nomine populo inſigniores erant, domino præ omnibus aliis obtrectaſſe ſemper, & optima quæq; dicta & facta eius damnaſſe. Sed hoc proprium humanæ iuſtitiæ ingenium eſt, ut cum ipſa nihil niſi fucus ſit, omnia tamen præ ſe contemnat & iudicet. Vide autem ut pariter timida ſit: Dominũ coràm monere miſeri non audebant, nimirum conſcij ſuæ maleuolentiæ apud diſcipulos ſæuiebant, dominumq; proſcindebant. Nam apud Lucam legimus, murmuraſſe aduerſus diſcipulos, atq; dixiſſe: Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis: Quod aliud non eſt, quàm quod & apud Matthæum & Marcũ legimus, de domino illos queſtos fuiſſe. Communis nanq; culpa erat: Dominũ tamen calumniabantur, ut eius culpæ autorem. Vnde ſi uero innocentiæ zelo moti fuiſſent, Do-

Ingenium humanæ iuſtitiæ omnia præ ſe damnare.

B minum ipſum monuiſſent. Sed obtrectare bono, non corrigere malum ſolet hypocriſis, contrà charitas corrigit malum, & bonum prouehit.

At Ieſus ubi audiuit, dixit illis: Non habent opus, &c. Mar. 2. Luc. 5.) Vt blande uero tam maleuolis reſpondet obtrectatoribus. Hinc ergo ab ipſo diſcamus, primũ manſuetudinem, deinde quatenus cum peccatoribus congrediendum ſit. Nimirum quatenus congreſſu noſtro morbis illorum licebit mederi. Idem nãq; ſcopus pio eſt, & cum peccatoribus congrediendi, & eos uitandi, nempe ut peccatores & mali eſſe deſinant. Si huc cõgreſſus faciat, pius in eo ſedulus erit: ſi uitatio, & hanc ſtrenue ac ſeuere obſeruabit. Sanabiles peccatores utiq; debent moneri. Vnde 2. Theſſ. 3. Paulus: Quòd ſi quis non obedit ſermoni noſtro, per Epiſtolã hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore ſuffundatur, neq; uelut inimicũ habeatis, ſed admonete ut fratrem. Vide ut fratrem moneri uult, cum quo tamẽ uetat haberi conſortium. Iam ſi ut frater monendus eſt, humanius etiam ipſi nonnunquam congredi neceſſe eſt. Si hoc deniq; præſtandum ei, qui Apoſtolico ſermoni, ut à peccato reſipiſceret, acquieſcere noluit, quanto magis iis peccatoribus, qui nihil adhuc moniti fuere: Quales erant hi cum quibus Chriſtus cibum ſumpſit. Proinde congredi cum peccatoribus, & cibum cum ipſis ſumere, per ſe malum non eſt. Fit autẽ malum, ſi inde approbari à te ſua peccata illi putent, aut certe cõniuere te ad illa uideant, aut deniq; contagio ſuo te uel alios inficiant. Atq; hac demum cauſſa Paulus præcipit, ne cibũ Chriſtiani cum iis ſumant, qui cum fratres appellantur, ſcortatores aut auari, aut ſimulachrorum cultores, aut conuitiatores, aut ebrioſi, aut rapaces fuerint. Nam præmiſit excommunicationem eius, qui patris uxorem habuerat, quẽ præterea ipſe uirtute ſpiritus, qua pollebat in ultionem impietatis & ſcelerum, Satanæ tradiderat in corpore adfligendum, eiusq; duas potiſſimum cauſſas reddit: prior, ut caro, id eſt, carnis petulantia interiret & ſpiritus ſaluus fieret: in quo utilitatẽ ſpectauit eius, quẽ Satanæ tradebat. Sic & 2. Theſſ. 3. ideo uetat cum immorigeris habere commercium

Quatenus uitandi peccatores.

ut pudore ſuffundatur. Nã dum cõſuetudine ſua iſtos boni fratres dignantur, aut ſi bi placent in peccatis, aut certe nõ tantopere diſplicẽt, ſeriuſcꝫ reſipiſcunt. Vbi autẽ uident ſe à bonis reijci, & non agnoſci è grege Chriſti eſſe, ſi tum deplorati non ſunt, ſanè permouentur ad pœnitentiam, pudore ſuffuſi. Huc amplius promouentur, ſi accedat & corporalis correptio: eam Paulus in inceſto exhibuit ui ſpiritus & miraculo, Eccleſia poſtea exhibuit eam uarijs caſtigationibus corporis, quas indicebat, ut ieiunare, in terra dormire, & alia id genus. Altera cauſſa ibidem reddita eſt, ne paulum fermenti, totã conſperſionem fermentaret, hoc eſt, ne inceſtuoſus ille ſuo contagio alios quoꝫ corrumperet, de his plura infrà 18.

Quomodo peccatoribus cõuiuendum.

Chriſtus ergo, qui non modo ipſe peccatorũ contagio corrumpi nõ potuit, ſed & facile alios ſeruare ab eo potuit, idcꝫ ex officio ſuo ut medicus, ſcilicet, animorũ fecit, quòd cum publicanis & peccatoribus cibũ ſumpſit. Ita enim cũ illis egit, ut nihil minus illi quàm in peccatis ſuis, ex ipſius conuictu confirmari potuerint: cꝫ in eo totus ſemper fuit, ut peccatis homines liberaret. Nihil uitijs illorum arriſit, nihil connixit, ſed reſipiſcẽtiæ commodũ admonuit. Sic qui peccatoribus cõuerſaretur, Chriſtũ referret, tã abeſt, ut peccaret. Sed plericꝫ noſtri ordinis ueriti faciẽ peccatorũ, nũc potentiæ cauſſa, nunc amicitiæ, nũc proprij cõmodi, cũ illis cõuiuunt. Si nõ peccatis ipſorũ adblandiuntur, ſaltẽ cõniuent, necꝫ admonẽt, gratiã ita illorũ malã, Dei gratię ſimul & illorũ ſaluti præferẽtes. Quod ſanè ſi ſolide uel Chriſtum, uel illos amarent, facere haud poſſent. Dominus reſtituat Eccleſię renatę hoc ſeculo libertatẽ ſimul & candorem fratres admonendi, alioqui nõ uideo quos ſit hæc noſtra uinea domino ſuo fructus reddítura. Necꝫ enim charitas illa erit, quæ uulgi amicitia, hac in re inferior deprehendetur. Mire uero cõſolari debet, quòd ſe medicũ Chriſtus & peccatorũ profitetur. Nã ait: Non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã. Etenim in terra iuſti nulli ſunt, quãdo declinauerũt omnes, unde cũ ſaluator aduenijſſet, cũ laborantibus & pditis negotiũ illi eſſe oportuit. Ad hæc qui uere iuſti erant, ut in hac uita haberi poſſunt, nẽpe per fidẽ iuſtificati, qualis Simeon erat, & tũ quoꝫ nõ omnino nulli, illi iam ad reſipiſcentiam uocati erant, nec opus erat illos nunc primũ uocare. Sed quia, ut ſuprà cap. 8. dixi, hic, in præcipuis fructibus aduentus Chriſti in carnẽ fuit, ut omni carni ſalus Dei cõmunicaretur, atcꝫ ex eo tẽpore iuſtitia Dei per Euãgelion ad omnes ꝓpagaretur: ꝓinde recte dixit, ſui muneris eſſe, potiſſimum cum ijs rem habere, qui ad id uſque temporis de domino nihil audierant, abalienati à Republica Dei.

Iuſti non erãt uocandi.

Scite uero remiſit eos ad locum Hoſea. 6. Nam illic legimus, primũ queri prophetã cum fide omnẽ ſimul humanitatẽ atcꝫ beneuolentiã in populo Iſraël interijſſe, mox uero ſuo more electos conſolari, & uaticinari per Chriſtũ breui ut fidẽ, ita & charitatẽ ueram reſtituendã. Bonitas, inquit, ueſtra ſicut nubes matutina, & ſicut ros mane cadens, proficiet. Quo ſignificare uoluit eos, poſtquam uerã nacti fidem eſſent, ſimul in omnes quoꝫ fore beneficos: atcꝫ orbẽ, cum doctrina, tum exemplis uitæ ſanctioris, ſicut ros agrũ ſolet, fœcundaturos. Hæc Chriſti tempore impleri incepérunt, quo ut aderat regnũ Dei, ita miſſis ceremoniarũ umbris, ſumma ubicꝫ mutuæ dilectionis omnia cõſummantis ueritas obtinere debeat, qua ſola recte Deũ referimus. Cõmodum itacꝫ Iudæis in externis iſtis plus æquo curioſis, & ſolidæ iuſtitiæ plus nimio negligentibus, dixit: Quin potius ite & diſcite, quid ſit illud: Bonitatẽ uolo, & non ſacrificium, &c. quaſi diceret: Quid peccatores hos adeò contemnitis, ipſis multo ſceleſtiores: quid ſumendo cibũ cum his putatis adeò cõtaminari ſanctimoniam? Externæ uſcꝫ ſanctitati ſtudetis, miſſam facientes quæ ſola ſanctitas eſt, internam mirum fidẽ, quæ per dilectionẽ efficax ſit. Præſtiterat, ut legẽ quam tantopere iactatis, tandẽ propius inſpiceretis, & quodnam tempus modo uobis aduenerit, perpenderetis. Aduenit nancꝫ hora ut uerus Iſraël, non externis ceremonijs atcꝫ ſanctitate ſeſe uenditet, ſed ſicut nubes matutina & ros mane cadens fœcundat arua, ita ipſe humanum

A manum genus, uera misericordia & beneuolentia perfundāt. Iamq; demū electi uere legē, mentemq; domini cognoscent, qui misericordiā semper præ sacrificijs, hoc est, uerum studiū benemerendi de quibuslibet, quo sancti seipsos Deo hostiā offerūt, præ uictimis pecudū uoluit atq; probauit: & scientiam Dei, nimirū solidam fidē huc impellentē nunquā nō omnibus holocaustis pluris fecit. Hoc si intelligeretis, haud quaquam benignitas hæc mea, qua demittens me ad sordes horum peccatorū, ipsos studeo ad mentē meliorem reuocare, tantopere uos offenderet, quæ patri sanè Deo gratissima hostia est. Si igitē sapitis, mittite supercilium hoc uestrū, & libidinem damnandi quiduis: atq; eidem studio misericordię atq; benignitatis uos addicite, quo solo uos patri estis approbaturi. Quòd misericordiā hic legimus. Eb, est חסך, id est, effusa quædā benignitas, & sedulū studiū benefaciendi, quo utiq; dominus flagrare sese declarauit, ita adiungens se his peccatoribus, quo uel aliquos ipsorū lucraretur. Porro peccatores, qui hic publicanis coniunguntur, puto homines fuisse uitæ profanioris, qui à pharisęis, uelut excōmunicati habebantur: qbus publicanos Ethnicorū tyrannidi inseruientes pares impietate reputabāt: de quibus tamē plura suprà cap. 5.

Misericordia.

Peccatores.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Tunc adeunt eum discipuli Ioan. Mar. 2. Luc. 5.) Vide ut illico externa ista religionis opera supercilium adducant, cum & Ioannis discipuli eò quòd his studerent, mox ad iudicandum condemnandumq; alios cum pharisæis conspirarint. Nam ita Marcus scribit: Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabāt, ueniuntq; & dicunt illi, &c. Graculus graculo sese adiunxerat. Lucas hanc expostulationē pharisæis tribuit, qui indubie eius fuere autores: obijciebant autem Ioannis discipulos, nō se sobrios, quo caussam Christi uel autoritate Ioannis degrauarēt. Quasi ita opprobrantes: Singularem præ te fers sanctimoniam, & uitæ perfectioris doctrinam uideris ferere,

B quid fit igitur, ut non tantum uos peccatorum conuictu profanetis, uerū etiam à propijs religionis operibus, ieiunijs & precibus, quibus sedulo nos incumbimus, adeò uobis temperetis? Nam Lucas adhunc modum querelam ipsorum descripsit: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & pharisæorum, tui uero edunt & bibunt? Nunquid uero hi hypocritas nostri quoq; seculi pulchre expresserunt? Nihil siquidem sanctum hypocritis, nisi quod à cōmuni uitæ usu longissime abhorret. Habet quidem & solida pietas sua ieiunia suasq; preces, at nihil minus ostentat: neq; habet ea in precipuis bonis operibus, sed parat se tantū hisce studijs ad uere bona opera, hoc est, quibus proximis proxime & cumulatissime consulat. Vult nanq; Deus, ut præ sacrificijs, ita & præ ieiunijs ac precibus beneficentiā, quam solam, hypocritæ assequi nequeunt.

Et dixit illis Iesus: Num possunt filij sponsi lugere, &c. Mar. 2. Luc. 5.) Hic nota ieiunium luctū quendā esse, uti de eo disseruimus suprà cap. 6. Significauit ergo Christus se ceu sponsum, discipulos ceu selectiores suos sodales, & amicos esse, qui secum uelut in nuptijs uersarentur, ut Marci uerba habēt, proinde decere, ut in præsenti gauderent, non lugerent. Luctus autē quidā, ieiunij est. Paulò post uero se sponsum ab illis auferendū esse, hoc est, carnalē suam illis præsentiā subducendā, tum eos multa aduersa experturos, indeq; luctū & ieiunia cum precibus, sibijpsis in tempore indicturos. Esse ergo omnino ab initio rudes illos molliter tractādos, & grandioribus operibus teneros adhuc, non grauandos. Vbi postea renouati plene essent, ipsos nihil eorū quę uere nouos ac sanctos homines deceret, omissuros. Id quod strenue præstiterūt, quod cū Acta Apost. tū Epistolæ ipsorū, satis declarāt. Notandus uero hic ordo iustificationis, quo primum Dei spiritu electos necesse est renouari, tum sua sponte illi bonis operibus incumbunt. Sunt præterea, ieiunium & preces præcipue operā spiritus, adeò ut frustra omnino sint si præcipiantur, & non etiam propria cuiusq; sponte suscipiantur, uti suprà 6. ubi de ijs ex professo tractatū est, abunde ostēdimus.

Non requiredā illico summa, à rudibus Christi.

Cæterum de coonubio, Christũ inter & Ecclesiã, Ephes. 5. Paulus disserit. Hoc Christus in carne agens, ceu festo quodã nuptiarũ auspicatus fuit, eoq; tẽpote uoluit suos tractare mollius. Ita enim hosce discipulos circunduxit, ut nulla ferè molestia afficerentur: qui ipso sublato pressuram in mundo perpetuò experti sunt. Docemur ergo hic, ut nos quoq; ab ijs qui Christo nomen dederunt non illico summa quæq; requiramus. Pugnatq; uehementer cũ hoc Christi exemplo illa uere pharisaica seueritas Anabaptistarũ, q̃ initiatis Christo, ne risum quidẽ mediocrẽ admitrũt. Deniq; suauitas domini, et in hoc responso admodum urbano pulchre elucet, eam libeat imitari.

Nullus immittit assumentum panni rudis, &c. Mar. 2. Luc. 5.) Duobus similibus probat austerioribus pietatis præceptis, non esse onerandos neophytos, neq; requirenda spiritalia, nisi à spiritalibus. Prioris similitudinis, & si sensus satis clarus sit, uerba tamen subobscura uidentur. Sed ex Luca, qui ea clarius alijs uidetur retulisse, facile intelligi possunt. Ita enim habet sensus prioris: Nemo immissurã uestimenti noui immittit in uestimentũ uetus: si secus, & nouũ scindit & ueteri nõ quadrat immissura noui. Secundũ hæc ergo quæ Matthæus habet: Nemo uero immittit immissuram panni rudis in uestimentũ uetus, tollit enim plenitudinẽ eius à uestimẽto, & peior fit scissura, sic puto accipiẽda esse, ut quod ait, tollit enim plenitudinẽ eius à uestimento, perinde sit, atq; deformat uestimentũ uetus: ut idẽ sit cũ eo quod Luc. habet, & ueteri nõ quadrat immissura noui. Et quod noster ait: Et peior fit scissura, ídem intelligo esse cũ eo, quod Luc. scripsit: Et nouũ scindit. Perdit enim huiusmodi id quod de nouo excindit: & uetus tamẽ deformat magis, tollitq; plenitudinẽ, hoc est, perfectionẽ eius: ita ut duplicẽ, noui & ueteris uestimẽti iacturã faciat. Eundẽ sensum & Marci uerba habent. Nemo immissurã panni rudis insuit uestimento ueteri, si uero secus, nouũ tollit plenitudinem eius, scilicet ueteris, & peior fit scissura. Id est nouũ, nempe quod ex nouo excisum fuerit, tollit plenitudinẽ, id est, formã atq; decorẽ ueteris, & interim peior fit scissura, hoc est, cũ iactura noui panni. Porro sensus, non minus quàm posterioris clarus est. Vt enim qui immittit uinũ nouũ in utres ueteres ruptis illis cũ uini, tum utrium iacturã facit, sic intelligitur, & eũ qui ex nouo panno, uel ex nouo uestimento excindit, quod assuat ueteri, utrũq; perdere, hoc deformando, illud conscindendo. His iam similẽ intelligi uult eũ, qui ueteribus adhuc & nondũ renatis hominibus, ea opera præcipiat, quæ noui duntaxat & renati homines possunt præstare: is sanè ueteres illos homines inde adeò nõ reddet meliores, ut eos arrogantiores tantum hypocritas efficiat, id est, pharisæis similes: tũ & doctrinæ & sanctorũ quæ præcipit operum iacturã faciet, nam & doctrina hinc infamabitur, & nõ nisi adulterata ficta q; opera referet. Sic autem sunt hæc spiritus exercitia, ieiunare & precari, ut tantũ eximie spiritales ad ea idonei sint. Si illis ergo ornare suos, rudes etiamnũ & parũ spiritales, Christus uoluisset, nihil aliud effecisset, q̃ ex ipsis insolentiores hypocritas, & hęc ipsa opera adulterasset. Nã nihil nisi simulatũ illis præceptis suis extorsisset. In Luca adijcitur: Et nemo qui biberit uetus, statim uult nouum, dicit enim, uetus melius est. Qua similitudine significauit doctrinã uere spiritalẽ, nõ posse persuaderi nondũ spiritu renatis, carnalia carnalibus magis placere. Ex his omnibus notandũ, ieiunare & precari, spiritaliora esse opera, q̃ ut mox ab initio susceptæ religionis requiri queant, aut unq̃ etiã extorqueri præceptis. Vltro à spiritu sancto, pueniant oportet, unde ne Christus quidem uspiã illa præcepit, uti & suprà, ubi de ipsis egimus, indicatũ est.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Hæc cum illis loqueretur, ecce primas quidã uenit, &c. Mar. 5. Luc. 8.) Hoc factũ, Marcus & Luc. narrant à domino designatũ, cũ à Gadarenis rursus traiecisset. Nos uero quid dominus tũ dixit, tum fecit potius quàm quando, & quo ordine perpendamus. Quod ergo ad præsentẽ historiã attinet, hic primas Iairus nomine ut Mar. & Luc. memorant, princeps synagogæ erat. Quo animaduertas, quàm uere de Centurione

A rione dominus dixerit: Tantam se in Israël fidem non inuenisse. Is enim ne in ædes suas Christus ueniret deprecabatur, tantum uerbũ dicere orabat, quo suo puero sanitatem restitueret: hic non tantum ut in domum suam dominus descendat, orat, sed etiam ut manus filiæ imponat, adeò non agnoscebat, quod Centurio, uerbo ipsum omnia posse. Tanto illustrior autẽ fit Christi facilitas & benignitas, qui hanc imbecillitatẽ fidei huius licet principis synagogæ nihil moratus, illico surrexerit, cũq; eo abierit. Hæc tanta domini facultas moneat, & nihil frustra ab ipso orari posse quod quidẽ orantibus bonũ sit, & decere nos, qui Christi esse uolumus, ut pari facilitate exorabiles omnibus simus. Leuiculũ hoc, Matthæus narrat, patrẽ dixisse: modo defuncta est, & Marcus: in extremis est, Lucas uero: moriebatur. Agebat enim animam filia, ueneratq; ad extrema, id augebat affectus patris, filiam, & adeò puellã, duodenem, uidelicet, unice amantis, & dicebat: modo defuncta est. Nã natura luctuosior adultæ uirginis mors est. Vnde Iuuenalis Saty. 15. Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ uirginis occurrit.

Et ecce mulier quæ sanguinis profluuio Mar. 5. & Luc. 8.) Mitto allegoriã, & si omnino simile quiddã cum muliere quæ frustra in medicos sua profuderat, habeant, quotquot aliunde salutem, quàm à Christo petunt. Non solũ operã enim & impensas perdunt, sed enim semper peius habent. Fides huius mulieris nobis potius notanda est, quæ tantã esse Christo uirtutẽ persuasa fuit, ut uel tactu fimbriæ eius, sanitatẽ recepturam se non dubitarit. Non quòd fimbriæ uirtutẽ aliquã ineſſe, sed quòd Christum crederet adeò per omnia saluificũ, ut uel hactenus ipsi appropinquasse, salutem sibi allaturum certa confideret. Vnde & Christus fidei ipsi testimoniũ perhibuit, dicens: Filia, fides tua te seruauit, uade in pace, & esto sana à flagello tuo. De fide satis suprà 8. Vbi etiam circa historiam sanati leprosi de eo nonnihil dictum est, quòd quidam contactu Christi, quidã solo uerbo eius sanati fuere. In Mar. & Luca legimus:

B Dominum in semetipso sensisse ubi fimbriam hæc mulier tetigisset, uirtutẽ ex se profluisse (nam simulatq; fimbriam retigisset, constiterat illi profluuiũ) atq; conuersum rogasse, quis sua uestimenta tetigisset: tum respondisse discipulos, eum ita à turba premi, ipso autem circunspiciente, ut uideret, quæ se tetigisset, timentem & trementem hanc mulierculam ultro aduenisse, & omnem ueritatem fuisse confessam. Quæ indubie dominus fecit, ut huius fides, cũ alijs exemplo, tum huic primati synagogæ solatio esset. Omnis nanq; uita & salus in hoc uno sita est, ut de Christo persuasi simus, ab ipso omnia petenda esse, & nihil quod ad salutem faciat, ab eo frustra peti, siquidẽ credas accepturũ te quod petieris. Porro quòd tanto tempore morbo illo flagellata fuit, & frustra in medicos omnia insumpsit, clariorẽ reddit potentiã Christi, docetq; ipsum esse, qui iuuare & possit & uelit, ubi cessauerit omnis uis creaturarũ.

Quòd autẽ quidã hinc usum damnant medicinæ, nõ sanius agunt, quàm si etiam cibo interdicerent. Cibus enim magni morbi nempe famis, remedium est. Adducũt autem locum 2. Chron. 16. de Asa, quem scriptura, ut iactant, propter usum medicinæ reprehendit, cum reuera non ob medicinam, sed quòd dominũ non quæsierit, illum reprehendat. Ita enim scribitur: Et Asa in infirmitate sua non quærebat dominũ, sed medicos. Certe quòd domino medicos prætulit culpatur, nunquã culpandus, si spe in dominum in primis collocata, & medicorum postea opera, tanquam Dei beneficio fuisset usus. Indubie si tam inuisa res Deo esset, uti medicis, in lege sua haudquaquam statuisset, ut qui proximũ suũ percussisset, mercedẽ medici persolueret. 2. Mos. 21. Neq; etiam omnium plantarum & animalium cognitionem, quæ præcipua medicæ artis portio est, tanquam eximiũ donum Schlomoh regi, & cõtulisset, & in ipso prædicasset, 1. Reg. 4. Recte itaq; Sirach scriptum reliquit: Altissimus creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit ab illa. Doctrina dæmoniorũ est impium pronuntiare, si quis bona Dei creatura utatur. Pius ergo correptus morbo, ut agnoscet

Contrà usum medicinæ dãnantes.

scet sese à domino corripi, ne cum mundo condemnetur. 1. Cor. 11. ita ad percutientẽ C
se patrem in primis conuertetur, peccatũ suum illi cõfitebitur, ueniãq; orabit, sicq; ad
ipsius gloriã faciat, quo proximis suis inseruire possit cõmodius, & sanitatẽ precabi-
tur. Tum in nomine ipsius, quæ ad medelã corporũ nostrorũ condidit, cum gratiarũ
actione utetur, omni tamen fiducia in bonitatẽ patris percutientis, qui idem rursus
sanat, collocata. Sic cõparans se, nunc uidebit dominũ ministerio rerũ medicarum,
ualetudinem sibi cõmodum restituere, ut ita & in creaturis patris sui bonitatẽ effu-
sam agnoscat, nunc frustra illis utetur, ut uideat Deũ suam medicinis uirtutẽ haud-
quaquam alligasse. Summa est, proximo nos addecet uiuere, ergo illi ualetudinẽ no
stram debemus & cõseruare integrã, & restituere collapsam, quo ad id nostrũ fuerit,
& Dei auxilio, concessum fuerit, siue id exhibeat insolitis remedijs, siue secus. Nam
quibus medicorũ opera nõ potest contingere, ut certe gentes aliquæ etiã apud Ger-
manos rarissimũ medicinæ usum habent, ijs non minus à domino corporũ salus spe-
randa est, cum in rem eorũ fuerit, atq; si meris Aesculapijs uterentur. Sed cum dono
Dei, & medici & medicinæ adsunt, uti illis, peccatũ facere, haud alterius spiritus cõ-
mentum est, quàm eius, qui cibis à Deo conditis interdicit, qui magistratũ uult abo-
litũ, qui ne cõtra bestias qdem se defendere permittit: nimirũ eius, qui Anabaptistas,
& alios operum Dei infamatores exagitat, Deiq; bonitatẽ blasphemat. Quòd hæc
mulier ubi tetigisset fimbriam Christi, sanata fuit, & dominus confessæ beneficium
ad ædificationẽ turbæ, sanitatẽ cõfirmauit, iussitq; cum pace abire, hæc declarant ef-
ficaciam fidei, ualentis omnia, & summam animi tranquillitatem adducentis.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Et cum uenisset Iesus in ædes primatis, &c. Mar. 2. Luc. 8.) Marcus & Lucas me-
morant, domino loquente, uenisse è domo principis synagogæ, qui filiã eius narra-
bant iam mortuã, & hortabantur magistrũ non frustra uexare: dominũ uero contrà D
consolatum illũ fuisse ac iussisse confidere tantũ, filiam suã fore saluã. In quo imago
quædã proposita est tentationis, qua suos Deus subinde probat. Afflicti enim illico
ad percutientẽ se conuertuntur, auxiliũq; eius orant, & in animo mox consolantur,
ut non dubitent sese exorasse, quod orarũt. Solet ferè Deus fortunam suorum ita at-
temperare, ut rationi uideatur auxiliũ eius defuturum. Sed mox sua consolatione il-
los confirmat, quo suam imbecillitatẽ, simul & Dei bonitatẽ plenius cognoscant, se-
seq; magis ac magis abnegent, & Deo confidentius cõmittant. In hoc enim omnis
nostra & pietas & salus sita est. Ita uides ergo hunc synagogæ principem, simulatq;
adflictus fuit suprà quã humanis ipsi uiribus posset succurri, Christum adijt, remediũ
orauit, & quæ illius facilitas fuit, extẽplo impetrauit. Sed ut fides eius amplius pro-
baretur, tristi adeò nuntio rursus mentẽ eius pulsari oportuit, sed noluit tamẽ illum
misericors dominus deijci: illico ergo sua illũ cõsolatione erigebat, hortatus, ut mis-
so timore tantũ crederet, se præstiturũ, quod præstare se receperat, utcũq; id naturæ
repugnaret. Fidem nanq; à solo Dei uerbo, & nulla naturæ aut uirium eius conside-
ratione pendere necesse est. Contra spem enim illa sperat. Equidem non dubitarim,
& mori & mortuam nuntiari hanc puellam hac caussa oportuisse, ut uiderent illi ho
mines, nihil impossibile, quod Christus promisisset, utq; omnia ab ipso petenda sint,
& certò speranda.

Ratio tentationis & qua fides probatur.

Vidisset q; tibicines, & turbam tumultuantem, &c. Marc. 5. Luc. 8.) Si quẽ dele-
ctat legere quàm absurda in luctu mortuorũ passim gentes admittere solitæ olim fue
rint, legat Lucianum de luctu. Quanq; non minus ridicula hodie apud Italos fieri ij
narrant, qui apud illos sunt diuersati. Certe mediocris luctus cum amici aut necessa-
rij hinc migrant, uitio uerti nõ debet, quando & sancti patres suos mortuos luxerũt.
Sed & Christus horũ luctum licet adhibitis tibicinibus admodum ridiculum, non
tam damnare quàm compescere uisus est, affirmans filiã dormire, nõ esse mortuam:

quasi

quasi diceret, quasi mortua sit lugetis hanc, ac mortua non est: mittite igitur luctum uestrum & tumultum. Impendio certe Iosephũ suum pater Iaacob luxit, cum discerptum à bestia putaret: uicissim mortuum ipsum filius magnifico & sumptuoso luctu prosecutus est. Natura enim mors, ut quæ cum peccati nostri, tum iræ Dei admonet, luctuosa est: & eorum quos charos habemus desiderium, non potest non esse molestum. Neq; enim Deus ἀπάθειαν à suis requirit, de qua Stoici disputarunt, habuerũt nunquam. Spiritu diuina percipiuntur, qui & animam sanè ad illa pertrahit, uerum tamen modo qui præsenti uitæ competit, in qua adhuc & sensus urget iudicium, illud affectus sequuntur. Hinc cum nihil æque atq; mortem natura horreat, nõ potest non moueri, cum illa rapit quæ chara habemus: taceo, quòd desiderium ipsorũ per se quoq; adfligit, præsertim si frugi fuere, & ad propagandam Dei gloriam idonei, qui nobis eripiuntur.

Sic Paulus scribit Philip. de Epaphrodito. Et certe fuit infirmus, ita ut esset uicinus morti, sed Deus est misertus illius, at nõ illius tantum, sed mei, ne dolorem haberem super dolorẽ. Hinc Paulus fatetur, si Epaphroditus mortuus fuisset, sibi dolorẽ super dolorem id fuisse allaturũ. Vnde hoc, nisi quia & amabat illum, & Ecclesiæ agnoscebat utilem? Ergo dolendo Dei uoluntati fuisset aduersarius? Minime. Dolor hic naturæ fuisset sentientis incõmodum Ecclesiæ præsens. Spiritus tamen credens ratione alia, eaq; sibi incognita, mortẽ eam, ad Dei gloriã facturã, ita dixisset: Domine, dolet mihi fratris huius mors: quia expertus sum illum tuæ gloriæ studiosum, & fratribus utilẽ, cruciat ergo me huius mors amici, absit autem procul, ut pugnare tuæ uoluntati uelim. Quod animus nouit, sentitq; melius, in id ruit, id cupit, & ablatum dolet: tua iudicia, quibus omnia optime dispensas, non perinde habet cognita, Vtilitatem siquidẽ quam dominus ex morte huius fratris producere potuisset, animus Pauli nõ illico sensisset, sensisset autem Ecclesiæ ex morte Epaphroditi incommoda: ita non potuisset non dolere. At non citra consolationem, quam spiritus mox suppeditasset, reputans Deum omnia optime disponere, etiã si nobis secus uideatur. Sic & Christus mortem suam horruit & doluit, natura ipsius malũ mortis sentiente atq; horrente. Vnde orabat: Pater si possibile est, transfer à me calicem istum. Hæc uerba naturæ erant deprecantis, quod malum sentiebat. Sed incontinenti addebat: sed non mea, uerum tua uoluntas fiat. Hæc uerba spiritus fuere, sublimius sese efferentis, & diuina propius cõspicientis. Cui & tota sese natura eius æquo animo subdidit, & si sensum, affectumq; suum interim proderet. Summa itaq; de luctu mortuorum esto.

Exemplum Christi.

Dolere mortem fratrum & necessariorum naturæ & charitatis erit, fidei autem ne doleamus supra modum. Consolationẽ enim habemus, qua gentes carent, nostros mortuos in domino uiuere, & corpora eorum per Christũ restituenda esse. 1. Thes. 4. Peccatum est, sua contra gloriam Dei quærere. Lugens autẽ mortuos malo alterius condolet, doletq; cum dolentibus, quod charitatis est, gloriæq; Dei adeò non aduersatur, ut eam etiam illustret. Nam exerente se in nobis solida charitate, Deus unice in nobis glorificatur. Cui non doleat fames & sitis, fatigatio corporis, ac alia, quæ tamen Dei uoluntate adsunt, quandocunq; adsunt, ac simul ad gloriã ipsius ut omnia faciunt? Sed natura ut condita est, ita se habet, neq; peccatum reputatur. Spiritus siquidem electos ita regit, ut doleant quidem, sed & dolorem boni consulant, neque quicquam contra Deum eius doloris causſa admittant. Sic dolor de mortuis à Deo naturæ insitus si æquo animo feratur, & eius causſa indigne nihil fiat, denique supra modum illi non indulgeatur, ne alij offendantur dolore nimio, spem resurrectionis negari quodammodo arbitrantes, uerti uitio nemini potest.

Dolere mortuos non est peccatum.

Verum ut spiritus Christi omnem simulationem odit, neq; fert indecorũ aliquid, ita aberunt à Christianis omnia illa figmenta atq; indecori gestus, quibus Ethnici maiorẽ q̃ habeant dolorẽ mentientes, insanientibus quàm lugentibus similiores sese faciunt.

faciunt. Neq; locum apud illos habebit superba sumptuosaq; pompa funebris: nam pauperibus mallent impendere si quid ipsorum necessitati redundet: multo minus illa mortuorum, quæ uocant suffragia, quæ gentem rasam opibus & potentia, supra summos reges, euexit: nihil enim de ijs Christus, ut suprà de oratione meminí, præcepit. Veteres accuratius sepulturã sibi dispoſuere, atq; pro facultatibus suis satis sumptuose atque magnifice suos sepelierunt, ut in Abraham & Ioseph exempla patent, quod factum puto, ut eo cum posteris suis, tum gentibus, fidem resurrectionis testarentur. Ad hæc tempus illud umbræ fuit, unde non mirum, si externa illis paulò pluris facta sint. Christiani omnia grauissime & decentissime curabunt, magisq; libera uoce, quàm splendido sepulturæ sumptu fidem suam testabuntur, tum opes suas, in minimos Christi, atq; pauperes, quos semper secum habent, mallent insumere, quàm in superuacaneam curam, uel cadauerum, uel sepulchri. Attamẽ in sepeliendis suis, quos habent organa & membra Christi, honestam ac decẽtem sanctos curã non negligent. Nam & in hanc partẽ peccant iam multi, qui suos mortuos non aliter abijciunt, atq; cadauera canum.

Quomodo lugebunt & sepelient Christiani.

Secedite, non enim mortua est adolescentula, Marc. 5. Luc. 8.) Scriptura mortem identidem somnum appellat, idq; deflexione quadã, siue molliore metaphora, sicut duce natura in omnibus linguis uides ea quæ uel nimiũ sordent, uel horrori sunt, aut pudori, periphrasi, aut alio, non suo nomine appellari. Non enim ut quidam adserunt, sola mors sanctorum, quæ reuera omnus quidam est, cum ad uitam illi resurgant, somnus uocari solet, sed etiam impiorum, qui ut resurgunt quidem, resurgunt ad iudicium, nõ ad uitam. Aeque enim de impijs regibus scriptum legimus: Obdormiuit cum patribus suis, atque de pijs. Hic tamen uidetur Christus, peculiariter hac oratione significasse, filiam tum mortuam, mox resuscitandam, ut re ipsa uideri potuerit dormire. Quod autem derisum Christum ob hoc uerbum Euangelistæ scribunt, non dubito factum, ut miraculum Christi clarius fieret, qui eam in uitam reduxit, quæ tam certo obierat diem suum, ut rideretur Christus, quòd dormire illam dixisset. Friuolas enim allegorias odi, detrahunt enim pondus doctrinæ sanctæ.

Mors somnus uocatur.

Cum autẽ fuisset eiecta turba, Mar. 5. Luc. 8.) Marcus & Lucas memorant Christum cum ad puellam uellet ingredi assumpsisse secum, Petrum, Iacobum & Ioannẽ fratrem Iacobi, cum puellæ parentibus, ac præterea admisisse neminem, ingressum uero, apprehendisse puellæ manum, atq; clamasse: Talitha cumi, quod est, filia surge. Quæ reuerso in ipsam spiritu, mox surrexerit & ambulauerit. Tum dominum iussisse illi dari cibum, stupefactis uero parentibus stupore magno, præcepisse uehementer, ne cui dicerent, quod factum erat, ne quisquam id resciret. Matthæus autem noster scribit nihilominus emanasse rumorem hunc, in totam illam terram. Quod clamauit, uti & cum Lazarum excitabat fecit, uidetur uoluisse significare cum potentiam mortis, omnium creaturarum uiribus maiorem, tum uirtutem uerbi sui illa adhuc superiorem. Solus nanq; Christus mortem uincere potuit, idq; nequaquam opera leuicula, quando morte sibi mors uincenda fuerit. Cuius præterea uictoriæ participes non fiunt, nisi quibus fortissime uerbũ suum acclamarit, & spiritu eos afflarit: potenti adeò, ut omnino alij homines euadant, seipsos ac omnia exuentes.

Cur clamauit.

Marcus uerba ipsa domini recensет: Talitha cumi, quorum alterum, nempe cumi, Germane Ebræum est, & surge significat. Thalitha Chaldæum est, uel Syriacum, & significat puellam, qua uoce usus est Thargum, hoc est Chaldæa paraphrasis libri Esther cap. 2. Videtur autem Marcus peculiariter delectatus fuisse, in sua lingua uerba domini, quibus miraculi aliquid operatus est, referre. Nam & septimo ubi narrat sanationem surdi & muti, scribit dominum illi dixisse: Ephphata, quod est aperire, qua uoce illi aures & os fuere reserata. Voces sanè humiles, & è medio uulgi sermone desumptæ, à Christo autem dictæ, tantam uirtutem habuerunt. Hoc forte, ut perpenderemus,

Talitha cumi.

A penderemus, illas hic Euangelista uoluit adscribere. Toti enim in eo fuere Euangelistæ, ut Christi uirtutẽ & potentiam nobis magnifice cõmendarent. Vnde non est, quòd putes Euangelistam uerbis Ebraicè prolatis, peculiarẽ uirtutẽ inesse, uoluisse significare: Christi, non uerborum præco est.

Porrò mirari quis possit cur paucos adeo testes resuscitationi huius puellę uoluerit adesse, tum ijsdem uehementer præceperit, ne cui dicerent, cum paulo antè, non satis habuisset, mulierculam profluuio sanguinis fide sua liberatã in sinu gaudere, gratamq; esse, sed effecerit, ut acceptũ donum palàm coram omni turba confiteretur. Ad hæc filiũ uiduæ de quo Luc. 7. præsente tota turba ad uitã reuocauerit, sic & Lazarũ palàm euocauerit è sepulchro. De eo quòd dominus nũc per quosdam prædicari sua facta, uoluit, nunc & per quosdã minime, diximus nõnihil suprà cap. 8. circa historiam leprosi. Quibus, quod ad præsentem historiã attinet, hoc habeo, quod adijciam: Mihi uidetur hæc puella prima fuisse, quam à morte in uitã Christus reuocauerit, eoq; dominũ uoluisse tanquã insolentius factum, primum à paucis atq; certis duntaxat testibus conspici. Sicut enim successu tẽporis magis ac magis sese reuelauit, ita & in discipulis suis ordinem obseruauit, ut quibusdam maturius, quibusdã serius, suam ueritatem manifestarit: in omnibus spectans, ut eo ordine, eo tempore, eo loco, atq; ijs ministris, gloriam Patris reuelaret, quemadmodũ à patre fuerat destinatum. Sic pastoribus reuelauit, quod nõ summos sacerdotes modo, uerũ etiã alios sanctos celauit. Sic primũ Iudæis solis uoluit prædicari regnũ Dei, ut infra sequenti mox cap. legimus, postea inuulgari illud per uniuersum orbem. Et turbis loquebatur in parabolis, discipulis explicabat mysteria. Atq; inter hos ipsos deniq;, delectum habuit, neq; enim hoc solum loco istos tres alijs prætulit: indubie, quia ad maiora illis statuerat uti. Videre iam Christũ dominum mortis, erat præcipuũ quod de

B ipso sciri poterat, unde tanquam insignius mysterium uoluit id primũ, ut & de alijs quibusdam fecit, paucis, ijsq; selectis reuelari. Quæ omnia perpensa ad hoc faciunt, ut agnoscamus Christi cognitionẽ rem sacratissimam esse, ac non nisi pro bonitate optimi patris cõmunicari: id debet nobis huc ualere ut humiliemus nos, atq; à sola ipsius bonitate petamus nos doceri, & petamus obnixe. Quod uero factũ hoc emanarit, tum & fama eius præclare sparsa est, quamlibet Christus taceri factũ hoc præciperet, ut & supra de leproso fecit, id monet prouerbij illius quo Christus non illibenter usus est, nihil esse occultum, quod non reueletur: docet autem nos ut magis benefacere, quàm audire studeamus. Nam si quid benefecerimus, id per se satis etiã nobis tegentibus propalabitur. Nos tamen nihil debemus uelle propalatum, nisi pro domini uoluntate & gloria. Facile sciebat dominus famam huius sui facti spargendam, per certos tamen et oculatos testes id fieri noluit, quoniam id patri per hos factũ hoc uulgari nõdũ placebat. Sicut procul dubio tũ satis ad gloriã Dei erat, uulgi dũtaxat rumoribus ipsum iactari: suo tẽpore & illud & alia domini facinora prophetis testes prædicarent. In omnibus his itaq; animaduertitur, Deum certũ ordinem & temporis & loci, & ministrorum, atq; auditorũ, in reuelanda sui cognitione obseruare. Ne quid ergo huius à nobis ipsis petamus, aut à tempore, loco, uel personis ullis ueritatem pendere, ut hodie multi faciunt, putemus. Reuelat Deus, quando, qui, bus & quantum ipse uoluerit, nulli sese tempori, loco, aut personis addicens. Quare erroris plena argumenta sunt, hoc est creditum tam diu, hoc tenuerunt patres tam sancti, hoc Romæ, istud Parisijs receptum est, &c. Sed quæcunq; audieris, & à quocunq; & quandocunq;, proba, & ad fidei analogiam exige, ora ad hæc bonum spiritum Deum, & ipse docebit quantum tibi satis ad salutem in omnibus fuerit. Tantum maiorum placita, Ecclesiæ consensum, sanctorũ præiudicia ne contemnas, & sine præmissa certis. prece ad Deũ, & religiosissime consultis scripturis, & consyderato fini legis Christo domino, & nouo eius præcepto uere dilectionis, nihil de

Certa ratione & ordine ueritas reuelatur.

religione iudices: ne ue illico spiritum dominũ interpreteris, si magno feraris impe- C
tu, & si quid tibi plurimũ probetur. Carnis spiritus, in spiritum Dei se mirifice trans-
formare solet. In his cum timore & tremore uersandũ est, & ita fugiendũ ne homini
bus credas pro Deo, ut tamen nullum etiam hominum repudies per quem te institu-
uit docere Deus.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Et cum discederet illinc Iesus, &c. Matth. solus.) Vide omnem Christi uitam ho-
minum necessitatibus releuandis impensam: quia Deus uult misericordiam & be-
nignitatem, non sacrificia, aut quicquã aliud. Cœci isti filium Dauid appellant, quæ
erat propria Christi periphrasis, ex quo colligitur uulgo dominũ pro Christo tum
habitum. Expectabat enim Gens tota, in id tempus Christum, unde & de Ioanne o-
pinionem conceperat eum Christũ esse, Luc. 3. Quo uideas, quàm inexcusabilis fue-
rit obstinatio Pharisæorũ, qui tempus uisitationis suæ tot signis & indicijs admoni-
ti noluerunt cognoscere. Patitur autem dominus post se clamare cæcos istos donec
in domũ ueniſſet, quo & desiderium ipsorũ accẽderet, & probationẽ ipsorum fidem
nobis in exemplũ proponeret. Rogat eos si credant, ipsisq; affirmãtibus se credere,
tangit oculos illorum, & ait: Iuxta fidẽ uestram fiet uobis. Hoc rursus dominus nos
docet, solida fide à se omnia petenda esse neq; quicquã frustra credentes à se petitu-
ros. Nam hi nihil petunt nisi de quo per spiritũ sanctũ certi sunt, ipsum ad gloriã Dei
facturum, de quo supra 8. ubi de fide ad longum tractauimus.

Interminatus uero & istis fuit, ne quis quod beneficiũ accepissent, resciret. Indu-
bie quòd uel factũ hoc in præsens prædicari, gloriam Dei non promouisset: aut cer-
te prædicatum per istos, uel, ut uerisimilius uidetur, utrunq;. Nemo ergo temere in-
gerat sese ad prædicandã gloriam Dei, sed mitti se expectet, hoc est, inijci occasionẽ
sibi diuinitus. Patris enim est, ut iam habebimus, in messem suam operarios extru- D
dere. Vnde quòd isti cæci, contra præceptũ Christi famam ipsius diuulgarunt, in to
ta terra illa, Christianus non probauerit, quamlibet id ad gloriam Christi uideatur
fecisse. Qui enim uere Christianus est, is nouit haudquaquã solitũ ludere & aliud
uelle fieri quàm diceret, aut etiam Christum quæ uere bona sunt unquam uetuisse.
Quòd aũt nihilominus per inobedientiã illorum nomen Christi illustratũ fuit, idq;
in bonum aliquibus cessit, id diuinæ bonitati, nostra etiam alia mala in bonum uer-
tenti, non cæcorũ istorum inobediẽtiæ adscribi debet. Sic Paulus gaudebat, uel per
occasionẽ Christum prædicari, nunquã tanmen laudauit eos, qui id faciebant: neq;
certe si sibi in manu fuisset, eos prædicare Christũ permisisset: substituisset alios illis
magis idoneos, de his plura suprà cap. 8.

Cæci male fe cerunt prædi cando Chri- stum.

ENARRATIO SECTIONIS, VII.

Illis autem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem, Matth. solus.) Infrà
duodecimo omnino simile habebimus, ubi admonebimus, quorum uidebitur cir-
ca hæc nos admonendos esse. Cæterum notandum, ut nunquam dominus à bene-
faciendo uocauerit, quo discere debemus, quæ sit uita Deo digna, & quid liceat à
tam benefico Iesu sperare.

ENARRATIO SECTIONIS, VIII.

Et circumibat Iesus ciuitates omnes, &c. Matth. solus.) Eadem ferè uerbotim, su-
prà cap. 4. sub finem habuimus & explicauimus.

ENARRATIO SECTIONIS, IX.

Cum uidisset aũt turbas, affectu misericordiæ, &c. Mar. 6.) Vbiq; incomparabi-
lem erga miseros affectum prodit, quo confidẽtius ipsum saluatorem amplecti, eiq;
nos cõmittere oportet. Nota aũt, etsi certe patris uoluntas esset, ut homines tum de-
stituti adeò & misere dispersi essent, id tamen Christo doluit, neq; in eo, patri est ad-
uersatus. Hominem enim egit, humanum autẽ erat compati laborantibus: neq; hu-
manum

A manum tantum, sed & charitatis, eoq; à Deo præceptũ. In omni etenim uita pij, primatum obtinet studiũ uoluntatis gloriæq; Dei. Sed hic nobis ordo glorię Dei promouendæ præscriptus est, ut optemus & curemus quoslibet homines, nisi peccato in spiritũ sanctũ aperte sese declarent uasa iræ, ad cognitionẽ ueritatis peruenire. Si id iam debemus unice cupere, necesse est dolere nobis, cum ipsum uidemus impediri. Sic fleuit Christus super Ierusalem, excidio diuinitus destinatam. Nostrum est charitatis ductum sequi eoq; affectibus ferri, ut per salutẽ hominum, gloria Dei in terra illustretur, donec aperte aliud sibi placere Deus demonstrarit, uti in Pharaone, ac alijs reprobis multis declarauit. Neque enim ut & suprà dixi, probatur Deo ἀπάθεια, sed uiuis potius atq; ardentibus uult nos affectibus rapi, sed ad suam gloriam, & secundum suũ uerbum, ac deniq; pro naturæ nostræ modulo, hoc est, ut omnes nostræ uires & affectus suum quidem officium faciant, & huc omnes ferãtur. Nota prętera, nihil æque miserũ esse, atq; doctrina uitæ destitui, quapropter si Christi in nobis affectus esset, æque hodie misericordia moueremur, uidentes uniuersos ferè mortales esse destitutos & dispersos, uelut oues non habentes pastorẽ, dum doctrina Christi pura passim carent, unde necesse est unumquenq; ad suas cupiditates deflectere, atq; ita in pernicíem suam dispergi. Hinc preces sedulæ & ardentes, cum omni studio regni Christi hominibus cõmendandi apud nos haberi debebãt, quod Christus hic monet ut pater cœlestis tãdẽ idoneos operarios in messem suã ableget. *Nihil æque miserum atq; uerbo Dei carere.*

Tunc dicit discipulis suis: Ipsa quidẽ messis copiosa, Idem Luc. 10.) Messem copiosam per allegoriam dixit multã turbã ad audiendũ uerbũ Dei pronã. Operarios, qui uerbo ceu falce ex mundo homines demessos, in horreũ, id est, Dei Ecclesiã reconderẽt. Satis aũt indicauit supra humanã uirtutẽ esse huiusmodi messores in hãc messem ablegare, cũ monuit, orare dominũ messis, utiq; patrem, ut ipse operarios in
B messem suam extrudat. Vnde Paulus de hac ipsa re loquens. 2. Corinth. 3. ait: Fiduciam aũt huiusmodi habemus per Christum erga Deum, non quòd idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquam tanq; ex nobis ipsis, sed quicquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamenti, &c. loquitur aũt de ministerio suo erga Corinthios, quos fecerat prædicatione sua, Epistolam Christi, spiritu in cordibus scriptam, hoc est, uere Christianos. Operatur enim Deus omnia in omnibus suo spiritu. 1. Cor. 12. Apparet ergo satis hæc necessitas ipsum orandi, ut suo spiritu prædicatores, sine quo nulli esse possunt, efficiat, & in orbem extrudat. Recte itaq; Roman. 10. Paulus dicit: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? quasi diceret: Non est possibile, ut quisquam Euangelion annuntiet, nisi à Deo in hoc destinetur. Nihil itaq; tale potest quisquã, sine Dei impulsu, uel cogitare, ut iam ex Paulo ad Corinthios adduximus.

Vtcunq; igitur Christus prædicetur, ex syncero gloriæ Dei studio, uel per occasionem, donum, opus, & missio Dei erit. Etenim malis quoq; subinde spiritus datur, ut Dei gloriæ in ijs inseruiant, quæ planè naturæ captum superant, sicut Schaulem Regẽ, spiritus domini afflauit, & hypocritæ illi de quibus suprà. 7. in nomine Christi, non nisi eodem Dei spiritu afflati, prophetarunt. Proinde missus ad prædicandũ diuinitus fuerit, cuicunq; animus, facultas, locus atq; successus Euangelij prædicandi fuerit: quacunq; deniq; occasione id ipse faciat, quaq; fini. Venientes enim & sua sponte currentes, quos dominus nõ misit, sunt qui uisionẽ cordis sui, & humana cõmenta loquuntur, nõ uerbũ domini. Cæterũ qui per occasionẽ, & alio, quàm gloriæ Dei respectu, prædicauerit, is ut fide uacans Dei uoluntati non studet, ita audiet olim, cum alijs Hypocritis: Discedite à me operarij iniquitatis: amen dico uobis, nescio uos, nihilominus quatenus Euangelion pure prædicauerit, hactenus à Deo missus est. *Nemo prædicet nisi missus*

Qui aũt sibi aliter conscij non sunt, quàm quòd ex animo gloriã Dei promotam

cupiunt, etiam si sua opera, non solũ uoto ad docendi munus perueniant, dum pu/ c
rum Dei uerbũ ad ædificationẽ prædicant, uocatos se & missos à domino non dubi
tent. Quapropter inconsulta est illa quorundã sententia: Nemo fructificat uerbo, ni/
si qui sine suo uoto uocatur ad docendũ. Apostolus testatur bonum opus desidera/
re, qui Episcopatũ desiderat: ergo malum desiderare nõ potest, qui officium deside/
rat docendi. Debet sanè quisq; proximis illis potissimũ officijs seruire, ad quæ uide/
rit sese diuina bonitate factũ aptiorem, si cui iam dono Dei contingit facultas docen
di monendiq; eorum, quæ pietatis sunt, atq; scripturas explicandi, neq; possit re alia
æque fratribus cõmodare, cur quęso non debeat operã suam fratribus offerre, & pie
ambire locũ illos demerendi, si cætera absit oculus prauus? Modeste tamen ambiet,
quia cum ex sententia Dei uiuere instituerit, nolet uspiã uel uerbũ fundere, nisi ubi
uisum domino sit. Non tam ambiet igitur docendi locum, q̃ tentabit si uisum domi
no sit, ut ministrũ ipsius agat. Sicq; successerit tum, ut iam & locus sit docendi, sicut a/
nimus atq; facultas erat, haudquaq̃ dubitabit se & missum et uocatũ diuinitus. Et si
subtimeat, siue in ambiendo, siue fungendo docendi munere sinistrum oculum con
currisse aut concurrere, & carnem in negotio Christi, sua uisq; spectare & quærere,
orabit dominũ, ut hac et qualibet se cupiditate liberet, donetq; synceriſſimo animo,
negotium suum gerere, addens: Dimitte nobis debita nostra: in opere aũt Christum
prædicandi, dum facultas & locus fuerit, nec ostenderit dominus, misso qui magis
idoneus sit, uel alia ratione, se eiusmodi munere prædicãdi dimittere, haud quaquã
suo ipse arbitrio eo munere decedet. Neq; enim suus est, nec se ipse in id muneris po
tuit addicere. Si nanq; quis Deo non probetur ad id ut ipsum annuntiet, neq; locũ
illi, neq; facultatẽ concedet. Sicut spiritus non permittebat Paulũ & Barnabã loqui
sermonem in Asia, & in Bithyniã abire prohibebat, Act. 16. Quin ne Romam quidẽ
uenire, id cum sæpe proposuisset, uenire Paulo fuit concessum, Rom. 1. p

Summa itaq; est, si animus tibi & facultas adest Christũ pure prædicandi, operam
tuam fratribus, sicubi appareat te illis posse cõmodare, modeste offerre, non tantum
pie potes, sed debes etiã: quandoquidẽ quisq; proximos demereri debet, quo pluri/
mum officio poterit. Si tum successerit, & fratres te admiserint, ne dubita te uocatũ,
ut ad utilitatem illorũ labores in sermone & doctrina. Huic muneri tantum gnaui/
ter & summa diligentia incumbe. Sed sicut in conuentu Ecclesiæ, cum alicui ex se/
dentibus quid reuelatur, prior tacere debet. 1. Cor. 14. ita si possint ꝝ fratres habere,
qui illis in docẽdi munere inseruiat, te ad illud magis idoneum, spiritus gloriæ Dei
studiosus, facile docebit, ut illi, qui potentius gloriam, quàm tu potest promouere,
locum cedas, aut cõsortem adsciscas, pro ut è re fratrũ, & gloriæ Dei esse agnoueris.
Ita agens secure potes temporalia ab ijs metere, quibus spiritalia semínas: spectare
tantum & quærere ea non debes. Sed si te Satanas cupiditate, aut suspicione cupi/
ditatis illorũ tentet, ut dum in officio es docendi, à docendo reuocet, aut certe in eo
opere frãgat & remissiorẽ faciat, caue illi cedas. Bonum est quod agis, dumq; adest
animus, facultas & locus id agendi, missus & uocatus à Deo es: huius uocationi &
obediẽtiæ, hac te uersutia hostis ille omnis boni conatur subducere. Tu potius ora
Patrẽ: ne nos inducas in tentationẽ, sed libera à diabolo. Vbi nanq; dolet, quicquid
te infestat cupiditatis, iam non dominabitur tibi, neq; imputabitur: multo minus
quod bonũ est, inficere ita poterit, ut illud tibi deserendũ sit. Imò si omnino mala am
bitione, quis docendi prouinciã sibi quæsisset, ut ferè omnes paulo antè ad Parro/
chias irrepserunt, contingeret aũt interea eum resipiscere, atq; Christũ cum cogno/
scere, tum moueri ad prædicãdum ipsum fideliter & dextrè, is locũ in quo est haud/
quaquã debet deserere. Benefacere enim, malum aut fugiendũ esse non potest, nec
ob præcedens quidẽ peccatum. Hæc de missione atq; uocatione ad prædicandum
Dei uerbum, ad consolandũ quosdã pusillanimes, ob temere dicta quorundam fru/
stra

Potẽtiori spiritu, is qui minus potest, cedet.

A stra trepidantes, differere uolui, iudicent Christiani: profecto qui Christum amat, si quid potest ad promouendū ipsius gloriam, locum pie id faciendi ambire non uerebitur: tantum uideat ut synceriter quærat dominū, & uere odiat quicquid præterea se cupiditatis ingesserit, quoq; infirmiorem se quis deprehēderit, hoc agat cautius, & incumbat precibus ardentius. Non deserendo locum Deo seruiendi placere Deo potes, sed si te illi accōmodare omni studio annitaris. Qui temere adeo uocationes mutant, ñ haud satis agnoscere uidentur Deum omnia dispensare optime, & nos non esse in nostro, sed in iure illius.

CAPVT DECIMVM.



T accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos, ut eiicerent eos, & sanarent quemuis morbum & quemuis languorem. *Sect. 1.*

Porrò duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui uocatur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus filius Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus & & Bartholomæus, Thomas & Matthæus, qui fuerat publicanus, Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus, cognomento Thaddæus, Simon Cananæus & Iudas Iscariotes, qui & prodidit illum. *Sect. 2.*

Hos numero duodecim, emisit Iesus, quibus præceperat, dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues peditas domus Israël, Profecti aūt prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia eiicite, gratuito accepistis, gratuito date. Ne possideatis aurū, B neq; argentū, neq; æs in crumenis uestris, neq; peram ad iter, neq; binas tunicas, neq; calceamenta, neq; uirgam. Nam dignus est operarius cibo suo. Sed in quācunq; ciuitatē aut uicum fueritis ingressi, exquirite quis in ea sit dignus, atq; illic manete donec exeatis. Cum aūt intrabitis domū, salutate illam, & si quidem fuerit domus digna, ueniat pax uestra super illā, sin minus fuerit digna, pax uestra ad uos reuertatur. Et quicunq; non exceperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes ex ædibus, aut ciuitate illa, excutite puluerem pedū uestrorum. Amen dico uobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorū atq; Gomorthorum in die iudicij, quàm ciuitati illi. *Sect. 3.*

Ecce ego emitto uos, uelut oues in medio luporū. Estote igitur prudentes, ueluti serpētes, & simplices, sicut colūbæ. Cauete aūt ab illis hominibus: tradēt enim uos in cōcilia, & in conciliabulis suis flagris cædent uos, quin & ad Principes ac Reges ducemini propter me in testimoniū ipsis ac Gentibus. At cū tradiderint uos, ne sitis soliciti quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus Patris uestri qui loquitur in uobis. Tradet aūt frater fratrē in mortem, & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos, & eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meū. Verū qui sustinuerit usq; ad finē, hic saluus fiet. Cum aūt persecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliā. Amen enim dico uobis, non perambulaueritis omnes ciuitates Israëliticas, quin iam *Sect. 4.*

uenerit filius hominis. Nó eſt diſcipulus ſupra præceptorẽ, neq; ſeruus ſupra c dominũ ſuum. Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut præceptor ipſius, & ut ſeruus ſit ſicut dominus ipſius. Si ipſum Patrẽfamiliâs uocauerũt Beelzebub, quanto magis domeſticos illius? Ne igitur metuatis eos. Nihil enim eſt tectum, quod nó ſit retegendũ, & nihil occultum, quin futurum ſit ut ſciatur. Quod dico nobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis.

Sect. 5. Et ne metuatis uobis ab his qui occidunt corpus, animã aũt non poſſunt occidere, ſed metuite magis illũ, qui poteſt & animã & corpus perdere in geennam. Nónne duo paſſerculi minuto aſſe ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram ſine patre ueſtro. Veſtri uero etiã pili capitis omnes numerati ſunt. Ne igitur metuatis, uos pluris eſtis, quàm multi paſſerculi.

Sect. 6. Omnis igitur qui confitebitur me corã hominibus, cõfitebor & ego illũ coram patre meo, qui eſt in cœlis. Porrò quiſquis negauerit me corã hominibus, negabo eum & ego corã Patre meo, qui eſt in cœlis. Ne arbitremini quòd uenerim, ad mittendũ pacem in terrã. Non ueni ut mitterem pacẽ, ſed gladium. Nam ueni ut diſſidere faciã hominẽ aduerſus patrẽ ſuum, & filiam aduerſus matrẽ ſuã, & ſponſam aduerſus ſocrũ ſuã, & inimici hominis erunt ĩj, qui ſunt domeſtici ipſius. Qui amauerit patrẽ aut matrẽ ſupra me, non eſt me dignus: & qui amauerit filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucẽ ſuam ac ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenerit animã ſuã, perditurus eſt eam: & qui perdiderit animã ſuã mea cauſſa, inueniet eam. Qui d recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui miſit me.

Sect. 7. Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet. Et qui recipit iuſtum, in nomine iuſti, mercedẽ iuſti accipiet. Et quicunq; ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ tantum nomine diſcipuli, Amen dico uobis, non perditurus eſt mercedem ſuam.

IT accerſitis duodecim diſcipulis ſuis, &c. Mar. 6. Luc. 9.) A quarto huc uſq; capite Euangeliſta pleraq; quæ Chriſtus ipſe docuit & geſſit commemorauit, in hoc decimo narrat & quæ per electos ſuos Apoſtolos prædicari & geri fecit, ſpecimen edens ſui ſpiritus, quo Eccleſiæ perpetuo præſens eam cum doctrina, tum operibus ſalutiferis, nunquam deſtitui patitur. Quia uero domino uiſum ut legem, ita & Euangelion orbi magnificis ſignis commendaret, de quo ſupra capite quarto ſuper illud: Et curans omnem morbum, dedit his Apoſtolis ſuis, uirtutem pellendi & dæmonia, & morbos quoſlibet. Nam & in his Apoſtolis ſuis ſaluatorem, qui ut ab omni Satanæ poteſtate, ita & à corporis incommodis uniuerſis liberet ſibi credentes, uoluit ſeſe declarare. Porrò de electione, numero & nominibus duodecim, dixi ſupra fuſe capite. 5. non multum ab initio.

Euangelium primũ Iudæis erat prædicandum.

Hos numero duodecim emiſit Ieſus quibus præceperat. Matth. ſolus.) Hoc, quod dominus Apoſtolis prohibuit abire in uiam Gentium, Matthæus ſolus memorat. Voluit uero Euangelion adnuntiari Iudeis priuſquam Gentibus, aut Samaritanis, qui ĩdem Gentes erant, licet legem Moſeh recepiſſent, quam integre tamen nõ obſeruabãt. 2. Reg. 17. quia Iudæi filij regni erãt, ad quos peculiariter facta fuerat Euangelij promiſſio. His ergo primum oportebat prædicari regnũ Dei: ſed mox cum ſe

illo

A illo indignos feciſſent, transferri ipſum ad Gentes debuit, ut Act. 13. Paulus & Barnabas Iudæis ipſis teſtati ſunt. Quibus etiam locum Ieſcha. 49. hunc ordinẽ prædicentem obiecerunt: Et nunc dixit dominus, formans me ab utero ſeruum ſibi, ut reducam Iaacob ad ipſum, & Iſraël non congregabitur, &c. Ac rurſus: Leuiculum ne ſit, quia tu mihi fuiſti ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & deſerta Iſraél ut reducas. At dedi etiam te in lucẽ Gentium, ut ſis ſalus mea, uſq; ad terminũ terræ. Sed quidẽ non hoc tantum loco, uerum paſſim ſcriptura hoc prædixit, Iudæis ſuum unctũ primum offerendum, atq; ab ipſis contemptum, principem & caput deinde Gentium conſtituendum: demum tamen & Iudæos ad illum reuocandos eſſe. In eo uero animaduertendum, Deum ex arcano ſuo conſilio, & nullis hominũ meritis delectũ habere eorum, quos uerbi ſui participes reddat. Quod ſi perſuaſum omnibus eſſet, argumenta à tempore & perſonis ducta, tanti non haberentur, eſſetq; apud multos & plus ueritatis & minus errorum. Nullis enim unquam mortalibus plus promiſſum fuit, quàm Iudæis, nulli plures ſanctos & prophetas habuerunt: reiecti tamen tandẽ fuere adeò, ut modo ſtupidiores ad omnem ueritatẽ orbis non habeat. Si ergo ſtultũ eſſet, ita arguere: Iudæorũ populus fuit peculiariter à Deo electus, Prophetas præ omnibus Gentibus mundi habuit, uolo credere igitur ut ipſi: at multo ſtultius eſt, quod quidam uolũt hodie credere ut Romani, alij ut ueteres quorum tamen fidem ignorant. Nam utinam ueterum fidem admitterent. Credendum eſt, ut Deus loquitur, non ut homo, qui ex ſe nihil niſi mendacium eſt, credit atq; recipit. Cæterum de reiectione Iudæorũ, & electione Gentiũ, & ſupra octauo quædã, ſuper illud: Dico uobis, quòd multi ab oriente, & cętera. Oues perditas domus Iſraël uocauit, electos ex Iudæis, Dei cognitione adhuc deſtitutos. Quòd electi erant, oues uocauit, quòd ignari adhuc Dei, oues perditas. Sic Ioannis decimo ait: Et alias oues habeo, quę nõ

B ſunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere &c. Habet oues, quæ tamen non ſunt de ſuo ouili, quas eſt adducturus. Hoc quid aliud eſt, quàm & alios electos ad uitam habeo, ex Gentibus, ſcilicet, qui quòd patrẽ & me adhuc ignorant, nondum uocati: non ſunt ex Eccleſia eorũ, qui me modo receperunt Iudæorũ: adducam aũt illos, miſſo & ipſis Euangelio, quod & recipiẽt, uocem meã audituri. Ex quibus iterum oſtenditur, ex Dei electione, miſſione prædicatorũ & uocatione, omnia ſalutis pẽdere: quod perpẽdamus, ne quid ſibi caro arroget, & ut donati uerbo Dei, id ſumma cum gratiarũ actione recipiamus, incomparabile donum.

Salus non annũtiatur, niſi ad hoc ordinatis.

Profecti autem prædicate dicentes: Appropinquauit &c. Luc. 9.) Lucas ſimpliciter habet: Et miſit illos, ut prædicarent regnum Dei, & ſanarent infirmos. Noſter etiam prædicationem explicat, memorans mandaſſe illis dominum, ut prædicarẽt, ſicut cum Ioan. tum ipſe prædicarat: Appropinquauit regnum cœlorum. Quod ſimiliter mandatum dedit, & ſeptuaginta alijs diſcipulis ſuis, quos ante faciem ſuam in loca, ad quæ uenturus erat, premittebat, de quibus Lucas. 10. Adiuncta autem & altera particula fuit: Reſipiſcite, ut ex Marco patet, qui de Apoſtolis ita ſcribit capite ſexto: Et egreſſi prædicabant ut reſipiſcerent &c. Vnde ſatis patet, dominum uoluiſſe ſuos ad eundem modum Euangelicam prædicationem auſpicari atq; perducere, quo Ioannes & ipſe eam auſpicati erant. Iamiam reſipiſcendũ, ſcilicet, quia appropinquaſſet regnum cœlorum. Hæc autem ſumma duntaxat, & caput prædicationis, Ioan. Chriſti, & Apoſtolorum fuit: quod diligenter animaduertendum, ne quis putet eos, iſta ſola uerba: Appropinquauit regnum cœlorum, reſipiſcite, prædicaſſe. Verum de his ipſis uerbis, & ſumma Euangelicæ doctrinæ, quam complectuntur, ſuprà capite. 3. ubi prædicata à Ioanne, & rurſus. 4. ubi à Chriſto repetita commemorantur, fuſe ſatis diſſerui. Quòd iuſſit ſimul cum prædicatione regni Dei ſanare infirmos, leproſos mundare, mortuos ſuſcitare, dæmonia eijcere, ad hoc fecit, quod iam dixi, & ut magnificis portentis hæc doctrina uitæ orbi commenda-

Prædicatio Apoſtolorũ.

retur, non minus insigniter quàm lex fuerat commendata Iudæis, & ut simul declararetur regnum Christi, animabus pariter atq; corporibus salutem adferre. Sed de utroq; fusius capite quarto. C

Marcus memorat Apostolos unxisse oleo multos ægros, & sanasse. Vnctione enim olei ita usi fuere, ut luto illo ex sputo Christus, dum uisum restitueret cæco nato. Hinc extremam unctionem quidam comprobare nituntur, quod æque firmiter tentant, ac si illinire lutum ex sputo uelint sacramentum facere, aut ægrotis manus imponere, dæmonibus imperare, & innumera huiusmodi. Cur non potius isti Apostolos sanando ægrotos, quàm frustra ungendo malunt referre, nisi quòd smalunitmiæ sanctorum in omnibus, quàm ueri esse imitatores? Similes pueris, qui Reges et Regũ cum imperia, tum alia grauia facta, ridicule repręsentant. Sed ubi ueritas missa est, istiusmodi somnijs necesse est homines occupari. Simile est, quod Suffraganei in ordinandos suos insufflant, addentes: Accipite spiritum &c. Eiusmodi sanè momenti spiritum dantes, cuius illi ungendo largiuntur sanitatem. Sic ergo res habet: Aegrotos Apostoli simplici duntaxat oleo illinebant, & uirtute spiritus sanabant, quod in hoc confecta unguenta non poterant, sicut & Christus atq; ueteres externis quibusdã gestibus, uirtutem spiritus exhibuerunt.

Qualis unctio Apostolorum.

Perinde nanq; hæc Apostolorum unctio fuit, atq; Eliah super mortuum puerum expansio, atq; admensio. 1. Regum. 17. Deinde Elischa similiter. 2. Reg. 4. Item farinæ aspersio in cocturam cucurbitarum syluestriũ, qua Elischa eam condulcoratã comestioni reddidit idoneam. Nec alterius rationis fuit, salis in male sanam aquam iniectio, qua idem aquam illam sanam reddidit & potabilem. Ad eundem usum seruiebat impositio super ægrotos sudariorum ac semicinctorum Pauli, Act. 19. Num demens, quid autem esset, qui externa hęc omnia, sine istorum uirorum spiritu uelit ęmulari? Sic profecto parum sanum uideri possit, quod sacrifici sola unctione olei se Apostolorum imitatores, & rem sacram facere iactant, adeò nihil habentes uirtutis sanandi morbos, ut etiam ne uelle quidem uideantur. Quippe qui hanc suã unctionem tum demum exhibeant, cum de uita ægroti desperatum est. Quasi iniuria unctioni illi fieret, si unctus huius uitę actionibus membra sua rursus accõmodet. Vnde quibusdam, cum uncti ualetudinem recuperant, religio est intra aliquot dies terram nudis pedibus contingere. D

Quòd Iacobi scriptum ad tuendum usum suum, magnifice adducunt, principio cum ratione reijcitur, eo quod Epistola hæc ea autoritate non sit, ut in rebus tanti momenti aliquid sola probet. Deinde haud plus unctioni olei illud scriptum tribuit, quàm hec Apostolorum agnoscitur habuisse, nimirum per se nihil: sed oratione fideli monet, infirmo ualetudinem commodam à domino impetrare, Iacob. 5. Hæc autem in unctionem istam, quæ uulgo fit fiducia uenialia peccata tollendi ex opere operato, ut loquuntur, & quoslibet similes ritus, ita dicta uolo, ut tamen minime damnem, si qui ut ueteres sancti patres aliquid huiusmodi ceremoniarum ex uera in Christum fide ad commonefaciendum tantum gratiæ Christi usurpent, ut si qui salutem ægrotis à domino orantes, ungerent eos, ad commonefaciendum illos, dominum si ei credant, eos unguento spiritus sui sic uncturum, ut aut morbo leuentur, aut certam ex ipso etiam morbo salutem percepturi sint. Ita si inungatur qui hoc munere fungi debet, quo magis de unctione spiritussancti solicitus sit, eamq; fortius speret si uocationi suæ bona fide inseruiat, nihil inerit huic ceremoniæ quod impietatis damnes. Sic ueteres istis ritibus usi fuere. Postea autem omnia impietati addicta sunt, quę impietas modis omnibus fugiẽda est, & interim quibus prisci pie usi sunt minime per se dãnãda sunt. In usurpãdo tamẽ ea maxima adhibẽda cautio est, ne cõfessos abusus uel retineamus uel reuocemus. Sed spiritus sanctus trementes ad sermones suos, & se sedulo inuocantes nunquam deseret.

Gratis

A Gratis autẽ uoluit Christus Apostolos ista beneficia hominibus impertire, quia & ipsis gratis ea contigerant. Quæ sanè sententia monere debet, ne quacunq; in re, qua proximos iuuamus, nobis aliquid quæramus. Quid enim non gratuita Dei bonitate ante accepimus? Cur igitur aliena beneficia uẽderemus? Dei sunt, ergo Deo, non nobis debẽt fœnerari. Huic aũt, nõ dico liberalitati, sed iustitiæ pugnat omnis mortalium uita, non solum auaritia Ecclesiasticorum.

Ne possideatis aurum, neq; argentũ &c. Mar. 6. & Luc. 9. & 10.) Cum omni Christiano cura uitæ præsentis tota optimo patri cõmendanda sit, tum potissimũ id necessarium est ei, qui debet regnum Dei, uelut dux aliorum Christianorũ annuntiare. Quàm ægre aũt id possit animus hominis, nemo est qui nesciat. Christus igitur non uerbo tantum, sed & facto atq; experimento quodã, hanc securitatẽ, & in Deũ patrem fiduciam, ut plæraq; alia uolens suos Apostolos docere, commeatu, uiatico, armis atq; omni adeo instrumento uiatorio, nudos & destitutos, ad prædicandum Euangelion in præsens amandauit, non permittens illis gestare secum quicquã auri, argenti, aut æris, non peram uiatoriam, in qua cõmeatum portassent, non panem, non binas uestes, ut sordidatis alteris, alteras induissent, non calceamenta, ut quibus usi fuissent attritis ijs quæ in pedibus tum habebant, non denicq; uirgam, qua se defensassent. Nam uirgam ad itinerandum duntaxat idoneam, nõ etiam sese defendendum, item sandalia quibus in præsens calcearentur, admisit, ut Mar. 6. legimus, sed bina uestimenta, & portare secum calceamenta, quibus quæ tum gestabant in pedibus mutassent, prohibuit: sic & defensoriam uirgam. Nulla enim re instructos præter præsentem & domesticum usum abire uoluit, per omnia prorsus à prouidentia patris pendentes. Vnde addidit: Nam dignus est operarius cibo suo, quasi diceret: Patri operabimini, patri igitur curæ erit, ut non modo tutos uos ab omni hostili
B infectatione seruet, sed etiam uitæ necessaria abunde suppeditet, ut nullo uobis uel commeatu, uel armis opus fuerit. Et planè affatim adeò illis tum suppeditauit omnia, ut re ipsa didicerint, nihil sibi unquam defuturum boni, cum etiam ceu oues in medios lupos, post Christi carnalem discessum, ob omnibus non deserti tantum, sed & odio habiti, in uniuersum mundum, ad prædicandum Euangelion fuissent dispersi.

Hinc supplicium iam petens Dominus, illos rogabat, Luc. 22. Quando misi uos sine sacculo, & pera, & calceamentis, num quid defuit uobis? Et respondentibus illis: Nihil, addidit: Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram, & qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Ex quibus uerbis manifestum fit, discipulos in hac peregrinatione commodissime egisse, ita ut nihil omnino eis defuerit: licet nulla re ad iter faciendum commoda instructi, ad prædicandum fuissent amandati. Nam commodissimam illam uiuendi rationem, qua in profectione ea usi fuerant, Christus opponebat acerbissimæ, quæ imminebat ipso supplicium adeunte, persecutioni. Quare sacculum & peram si quis haberet, atq; gladium iubebat tollere, sicq; gladius deesset, emere iubebat, & quidem si aliàs non liceret, distiendita tunica, quæ, scilicet, omnia, si quis impendentis tempestatis rationem habere uoluisset, necessaria duxisset. Neque tamen per hæc aliud Christus significare uoluit, quàm multo acerbissimam persecutionem imminere, qua non solum rebus necessarijs spoliare illos aduersarij essent conaturi, ut uideri posset opus ipsis esse, & sacculo pecuniæ, & pera uiatoria, qua panis gestaretur, sed eam etiam uim intentaturi, ut tanta gladij necessitas apparitura esset, quòd consultum quis arbitraretur, etiam uestibus distractis, arma sibi comparare. Nequaquam uoluit tamen Dominus uel uictus, uel defensionis curam suis restituere, quam diligenter adeo ante docuerat patri committere.

Figuratus sermo est, cuiusmodi cũ alias sæpe, tum eo tẽporis peculiariter usus fuit.

Habet

Habet uero hunc ſenſum: Ante hac cum me ceu ſponſum carne præſentem uobis habuiſtis, ita molliter & commode indulgentia patris uixiſtis, ut nihil omnino unquam uobis defuerit, nō ſolum lateri meo hærentibus, uerum etiam cum ſine omni uiatico, deſtitutos armis & commeatu, ad prædicandum uos ablegaueram: poſthac uero multo alia ratione uiuetis, ei, ſcilicet, perſecutioni obnoxij, ut ſummā quis putet neceſſitatem, & ſacculum & peram, ſi quis modo habeat, ſecum auferendi, tum & gladium imprimis, qui ſi deſit, præſtare ut ueſte diuēdita ſibi gladium paret. Auferar enim iam à uobis, & in me primo diriſſima deſignari uidebitis. Sed memento eandem fore patri potentiā quæ hactenus fuit: perindeq; aduerſa omnia, in bonum uobis uerſurum, & in medijs malis ſeruaturum, atq; aduerſa ac mala amolitu-

Quomodo ſacculus tollendus.

rum, id quod huc uſq; experti eſtis.

Allegoriam gladij, qua uerbum Dei quidam per illum intelligi uolunt, firmam eſſe non uideo, quare miſſam facio. Demum ne hoc præteream, uerba hæc amphibologicōs poſita ſunt, ut bifariam intelligi poſſint: uno modo, iuſſiſſe Chriſtum ſacculum ac peram tollere, ut pro eis gladius emeretur, ſicq; ea deeſſent, tunicā in eum uſum diuendere. Altero quòd dixerit: Iam tēpus eſſe quòd ſacculus ac pera ſumenda ſint, non ut antea relinquenda: ſimiliter & gladius, qui ſi cui deſit, citius ueſtem diuendendam, quàm carendum gladio, cum antea ne uirga quidem qua ſe quis defendiſſet, opus fuiſſet. Mihi poſterior interpretatio probatur, quia certum eſſe puto, Chriſtum his uerbis ſignificare potiſſimum uoluiſſe diuerſitatē, huius imminentis temporis, turbulēti & aduerſi, ab illo ſuperiore, quo affatim bona ſuppeditata, & mala omnia excluſa fuerant.

Temporaria fuere iſta mādata.

Præterea notandū, hæc data Apoſtolis mādata temporaria fuiſſe. Omnino enim ſpecimen quoddam paternæ prouidentię illis uoluit oſtendere, quo animoſiores in poſterum, etiā ſi quando nihil adeſſet eorum, quibus uitæ præſenti opus eſt, & contra immínerent omnia aduerſa & hoſtilia, munus Euangelicum obirent. Igitur in præſenti profectione omnia ut iuſſi erant præſtiterunt, poſtea autem ubi deerat Domini iuſſio, non ita. Sed cui pecunia erat, cui binę ueſtes, aut etiam calceamenta portare ea ſecum, ſi quando uſus poſtulabat, tam non uerebatur, quàm pręſtare ſciebat, ſuis uti, quàm alios grauare. Etenim dominum ipſum habere uiderant, qui portarent quæ mittebantur, Ioan. 12. In præſenti uoluit eos non plus inſtructos, quàm ſi eſſent domi ſuæ, ire peregre & prædicare regnum Dei, aduerſante & inuito Satana, in præſenti ergo ita ſe geſſerunt. Poſtea uoluit ut uterētur quidem ijs, quæ pater dediſſet, ſed omnem tamen ſui curam atq; ſolicitudinem quicquid adeſſet, uel deeſſet, Patri cōmitterent: tum igitur & ad hunc modum ipſi obtemperarunt. Et hactenus hæc præcepta ad nos quoq; pertinēt, ut diſcamus omnem uitæ prouiſionem & defenſionem, patri certa fide committere, ipſi uero interim regnum & iuſtitiam ipſius, quiſq; pro ſuo munere, ſuaq; uirili, quærere.

Et hic canon certiſſimus eſt intelligendi quæcunq; dominus priuatis præcepit: ut quę externis circunſtantijs addicta ſunt, relinquamus ijs, quibus fuere præcepta, nos uero amplectamur, quicquid in eis de uniuerſali pietatis ratione, fide, ſcilicet, & dilectione, precipitur. Sic circunciſio temporarium quidē præceptum fuit, attamen Dei, igitur aliquid ſalutare in ſeſe continens: qua cauſſa & ad nos aliquatenus pertineat oportet. Reſeces ergo quicquid externum eſt, & cum illa uniuerſali quam dixi pietatis ratione, non neceſſario coniunctum, idq; relinquas Iudæis, quibus priuatim illud quicquid eſt præceptum fuit: quicquid autem fidei atq; charitatis deprehenderis id ſeruato. Iam quod externa caro præputij octauo die circuncidebatur, utiq; externum erat, & pietati per ſe non cōnexum, cum Abraham anteaquam circunciderētur, iuſtus ac pius fuerit. Hæc ergo relinquito Iudæis. Sed quòd is, qui circuncidebatur, uelut Deo cōſecrabatur, & ſignum fœderis Dei ad publicā gratiæ

Dei

A Dei conteſtationẽ recipiebat,hoc fidei erat. Quòd præterea ſigno illo in populum Dei pueri aſſumebantur,ut ad ſalutem erudirentur,id charitatis fuit. Hæc igitur ti/bi quoq; præcepta accipito,niſi eccleſiæ miniſterio peccatis ſoluare,neq; apud Deũ in cœlis,te ſolui poſſe certo tibi perſuadeas. Ad hæc baptiſmatis humilitatẽ ne con/temnas: & quacunq; in re, quamlibet ea dura uel abſurda tibi uideatur, parere Dei uerbo memẽto:gloriam eius, quacunq; deniq; re opportunum fuerit, fortiter adſe/ras & confiteariſ:deniq; & tuos liberos gregi Chriſti adiungere,& ad uitam illo di gnam erudire ne negligas. Sic de ſabbatho. Quod ſeptimo die,illa quę à Iudęis ob/ſeruatur numeratione, ab omni opere ſeruili uacandum erat, præceptum legis ex/ternum fuit,ſolis Iudæis, quibus datum extitit,obſeruandum. At beneficia Dei me/morare, & gratias pro eis agere, quod ſimul religio ſabbathi continebat, fidei erat: & remittere operas familiæ, qualibet ſeptimana die uno,charitatis. Hæc ergo & ad nos pertinent,illa Iudæis recte relinquuntur.

Quid nucleus in circunciſione.

Quid ſpirituale in ſabbatho.

Ad hunc modum ex omnibus Dei præceptis nucleus ueræ pietatis erui debet,re/licta teſta rerum externarum. Quę ut temporariæ ſunt,ita certis ſemper hominibus, & certo tempore ac loco præcepta ſunt, non in uniuerſum omnibus:uerum quoniã Dei nihilominus præcepta ſunt, nunquã uacant doctrina fidei & charitatis, ſi quis animaduertat. Sic in præſenti, quòd Chriſtus ſuis Apoſtolis prohibuit, concedere ad Gentes & Samaritanos,temporarium præceptũ fuit, priuatim diſcipulis datum, & quidem in hac tantum profectione. Nam à reſurrectione dicebat eis: Eritis mihi teſtes & in Samaria,& uſq; ad extremũ terræ,&,prędicate Euangelium omni creaturæ,docete omnes Gentes. Nihilominus in eo fidei obediẽtia incluſa fuit, ne quos niſi ſecundum Dei uoluntatem & uerbum quiſq; amet,aut beneficijs afficiat. Tum & charitas, ne præteritis domeſticis, quos Deus fecit proximos, fruſtra laboretur apud alienos. Nemo enim plus prodeſſe poteſt,quàm dominus dederit. Adde & re

Quatenus præſentia ad nos.

B uerentiam uerbi non promendi,niſi ad id diuinitus ordinatis. Mandatum præterea illis fuit,ne quid uel commeatus,uel armorum ſecum ferrent,hactenus tẽporarium & hoc fuit,& ſolos Apoſtolos & illa quidẽ ſola profectione conſtrinxit. At poſtha/bere cum uictus,tum defenſionis curam et ſolum regnum Dei quęrere,& iuſtitiam eius,id fidei & charitatis eſt,atq; intereſt omnium.

Summa igitur horum eſt: Quicquid ſcriptura præceptorum Dei cõtinet, quoniã à Deo profecta ſunt, neceſſe eſt ad pietatem erudiant: hactenus nihil in ea legitur, quod non interſit Chriſtianorũ omnium. Sed iuxta cum ab elementis mundi Chriſtus nos liberarit,nihil in eis obſeruatu neceſſarium eſſe poteſt,niſi quod fidei fuerit & charitatis. Hæc enim ſola habemus præcepta,iuxta illud.1.Ioan.3. Et hoc eſt præ/ceptum eius, ut credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo. Proinde quicquid Dei præceptis,tam in Euangelicis literis, quàm lege & Prophe/tis,externarum circunſtantiarum annexum eſt,ut eſt locus,tempus,perſona,nume/rus,ordo,& hoc genus alia,id ad eum modum,quem in exemplis paulo antè addu/ctis oſtendimus ,reſecandũ eſt,ijſq; quibus peculiariter ea mandata ſunt,relinquen dum,ac quod tum reliquum fuerit fidei & charitatis, quæ in nullo quamlibet mi/nutulo & externo præcepto Dei, etiã præter ſpiritalem figurationẽ præteritæ ſunt, id ut propríe Dei præceptum,& ad nos omnes pertinens, prona mente cunctis am/plectendum eſt. Nihil etenim aliud poteſt à nobis Deus requirere, quàm ut melio/res,& ipſi euadamus ſimiles: id fide & charitate ſola, ac nulla re externa præſtatur: has igitur in omni doctrina & præceptis, ac nihil externum ſpectauit, ut de ſe ſatis ſuperq;,non per Apoſtolos modo,uerum & Prophetas teſtatus eſt, de quo non pau ca & ſuprà,ubi de legis impletione diſſeruimus cap.5. Vtinam poſſent aũt hæc tan/dem fratribus plene perſuaderi,quàm multum cum uera pietas promoueretur,tum cauſſæ inanium contentionum tollerentur.

Omnia Dei præcepta ad nos aliquatenus pertinẽt.

Eſt

Est præter enumerata præcepta, apud Luc.10.& hoc: Et neminẽ per uiam saluta- C
ueritis. Quo hyperbolico sermone dominus sedulitatẽ & celeritatẽ in iniuncto ope
re cõmendauit. Istuc hactenus et ad nos pertinet, ut nullas nec ipsi moras nectamus,
neq; necti nobis sinamus, quo minus Dei gloriã, quoad fieri potest, celerrime et gna
uissime propagemus. Nihil sanè nobis æque cordi & curæ esse debet.

Sed in quancunq; ciuitatẽ aut uicum fueritis ingressi. Mar.6.Luc.9.&.10.) Præ/
sumptio est. Occurrit enim ei quod obijcere discipuli potuissent, dicentes: Nudos
omnium rerum extrudis ad ignotos, addens, operarium cibo suo dignum. Vtcun/
que autem digni cibo fuerimus, operaturi in messe patris, quis illũ nobis ministra/
bit? Huic cogitationi ergo respondet: Volo ut nulla re instructiores, quam hic mo/
do agitis, abeatis prædicatum regnũ Dei: id curate, nemo lædet uos, & nihil uobis
deerit. Est enim, ut prouerbio iactatur, operarius dignus cibo suo uel mercede, ut Lu
cas habet. Patri operabimini, pater cibũ uobis suppeditabit, sine uestra opera: quia
indignum est minutis istis rebus occupari prædicatores regni cœlorũ; sed in quan/
cunq; ciuitatem aut uicum fueritis ingressi, exquirite quis in ea sit dignus, & quan/
cunq; domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Etsi ibi fuerit filius pa/
cis, hoc est, Paterfamilias dignus pace Euãgelica, requiescet super illum pax uestra,
quã affertis: utq; is uerbum uestrũ auidissime recipiet, ita uos eius uerbis ministros
obuijs ulnis excipiet, nihilq; grauabitur omnia, quibus opus uobis fuerit, submini/
strare. Quis enim uitam sibi æternam annuntiantibus, & participem se reddentibus
regni cœlorũ, non cupidissime offerat omnia? Quẽ ergo filiũ pacis, & dignũ euan/
gelio nacti fueritis, in eius domo manete, donec omnino eum locum mutare tẽpus
fuerit: & edite ac bibite quæ ab illis uobis dabũtur. Idq; libere & absq; pudore. Nõ
enim aliena, sed uestram mercedem, ac debitũ uobis sumetis cibum. Sanabitis enim
illorum infirmos, & quod multo præstabilius, annuntiabitis eis appropinquasse re/ D
gnum cœlorum, & doctrinæ cœlestis reddetis participes, hoc est, thesauro ditabitis,
& margaritum donabitis, tanti pretij, ut diuendere omnia debeant, & illud sibi cõ/
parare, nedum uos pascere. Ne igitur de domo in domum transite, tanquã indigne
grauaretis, si apud quos hæseritis diutius: spiritalia, quæ illis seretis, nullis eorũ tem/
poralibus, quæ ab ipsis metetis, possunt compensari.

Sin aũt ibi filius pacis atq; Euangelio dignus non fuerit, ad uos pax uestra, quam
illis obtulistis, Deum ac omnia cum eis habituri cõmunia, reuertatur. Mittite illos,
& uestrũ uobis Euangelion habetote, erunt nihilominus qui uos recipient, ample/
xiq; quã affertis pacem, per fiduciã in propitium & benignum Deum, cuius uobi/
scum filij esse uolent, ita uos tractabunt, ut eorum quibus fuerit opus, nihil omnino
sitis desideraturi. Sed ut isti ingrati uideant, quantam domini gratiã à se reiecerint,
uestra pace, id est, societate regni cœlorum, repulsa, exeuntes de domo, uel ciuitate
illorum, quicunq; uos non receperint, atq; uestros sermones, qui doctrinã uitæ con
tinent, non audierint, excutite puluerem pedum uestrorũ, in testimoniũ aduersus il
los. Egressi ergo in plateas eius loci, dicite: Etiam puluerẽ, qui adhæsit nobis de do/
mo, uel ciuitate uestra extergimus in uos, testãtes, quod adeò nihil uestrũ uolumus,
ut ne puluerẽ quidẽ, qui adhæsit pedibus nostris sustineamus auferre. Reijcitis salu
tem uestram & uitam æternam, nihil igitur nobis cõmune uobiscum erit, id hac pul
ueris excussione uobis testatũ uolumus, cum eo, quod scire debetis, appropinquas/
se in uos regnum Dei. Adfuit Euangelion gratiæ uobis, oblatus est seruator, qui in
carne iam præsens est. Quem dum suscipere miseri recusatis, transferetur hoc Dei
regnum ad Gentes, eæ cupidissime amplectentur, quem uos modo auersamini. Ob
quam profecto ingratitudinẽ & impietatem, manebit uos in die iudicij, multo gra/
uior ac durior ultio, quam Sodomitas & Gomorrhitas.

Haud scio uero, an his uerbis Iudæorum Euãgelion auersantium pœnam, quam
in futuro

in futuro seculo daturi erant, cum ultione Sodomorum cõtulerit, quam & Sodomitæ ipsi expectant, an excidium eorum quod in hoc seculo experti sunt, cum exterminio, quo hi pridem per sulphur atq; ignem de cœlo pluentia sublati sunt. Apud Mat thæum siquidem legitur: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrheorum in die iudicij, quàm ciuitati illi. Iam terra hæc pridem igne de cœlo exusta est, neq; in futuro rursus exuretur. Adhæc futuri seculi pœna animorum potissimum est, & per fletum ac stridorem dentium à Christo describitur. Expendat igitur secum lector, an non ferant uerba ista Christi hunc sensum: In die iudicij quod uos manet, cum per Romanos ultionem de uobis pater sumet, ita adfligemini & cruciabimini, ut uastatio Sodomorũ uestro excidio collata, futura sit tolerabilior. Nam hi subito igne exusti & aboliti fuere, uos lentis & indicibilibus cruciatibus conficiemini. Etenim & aliàs Dominus cum istis suum iudicium minatur, hoc excidium prædicit, sicut etiam eo, ut sensibili malo, & cuius sibi imaginem in animo statuere poterant, plus mouebantur. Ad hæc quoties scriptura ab exemplo Sodomorum terret, quod frequenter facit, ad ea certe respicit, quæ passi fuere, non quæ sunt passuri in futuro. Quanquam etiam in futuro, tolerabilius his Iudæis habituros Sodomitas recte creditur, cum non ita patenter, neq; tantis signis ad resipiscentiam fuerint uocati, ut hi Iudæi. Hæc sunt quæ Christus hactenus discipulis ad prędicandum Euangelion primum delegatis mandauit, ut ea quidem apud Mar. 6. & Lucam 9. ac 10. leguntur.

Tolerabilius Sodomis.

In quibus tria animaduertenda sunt. Primum, delectũ habendum eorum, ad quos cum Christiani quilibet, tum potissimum Euangelistæ diuertant, cũ quibus uiuant. Positi enim sunt, ut fructum adferant, dispiciendum ergo illis ubi possint, nõ minus quàm agricolis, quam terram aratro proscindant, bonoq; semine serant. Apud reprobos, canes & porcos, uerbum ne promendum quidem est: quare Christiani taliũ hospitium & humanitatem ferre nequeunt, nisi quantum necessitas cõpulerit. Ipsis tamen quamlibet malis, necessaria bona, quia & hostes amant, haud grauatim ministrant. Atq; hoc est, quod ait pacem frustra oblatam ad offerentes debere reuerti, ne, scilicet, cum illis communionem, quæ pacis hic nomine significatur, habeant. Alterum quòd hic notandum, est, libere utendum esse ijs, quibus Euangelion annuntiatur, quod æquum sit temporalia metere ab illis, quibus quis serit spiritalia. Sua libertate tamen, uere gloriæ Christi amans, cum Paulo subinde cum id ædificare possit, non utetur. Qui locus 1. Corinth. 9. & 1. Timot. 5. satis fuse tractatur. Vtiq; qui cognitionem Christi recte æstimat, illum nullius sumptus, aut operę pigebit, quo quàm officiosissime inseruiat illam communicantibus. Vnde Galatis testatur Paulus, quòd se suscepissent uelut angelum Dei, uelut Christum Iesum, quòd si fieri potuisset, oculos suos effossos sibi dedissent. Videmus siquidem quanto in pretio sint, qui opinione tantum pollent, quòd mederi queant corporibus, & uitam hanc tot modis miseram, uel paulò reddere tolerabiliorem, uel diuturniorem: quãto pluris iam fiant merito medici animarum, qui ea remedia afferunt, unde & uita præsens fœliciter uiuitur, & æterna mox atq; numeris omnibus beata, cõmutatur. Id quod uere præstant, qui Euangelion bona fide annuntiant. Hinc Paulus Gal. 5. Communicet autem, qui catechizatur sermone, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Quod profecto Euangelij pretium agnoscenti facillimum est, non minus, quàm ei, qui thesaurum in agro inuenit, pro eo agro emendo, auctionẽ facere omnis possessionis suæ. Hac sanè causa, egere non possunt, qui Euangelion annuntiant. Vt enim semper aliqui sunt qui illud digne æstimant, ita nunquam deerunt qui prædicatori non sint administraturi, quorum illi fuerit opus, si tantum adesset fides, atq; animus necessarijs contentus. Quin hoc beneuolentiæ studio plures adhuc impostores abusi sunt, etiam ab initio, ut ex Epistolis ad Corinthios scriptis satis liquet, quàm illud ueri prædicatores desiderarint. Vę autem omnibus qui & nomine Christi, & beneficentia fratrum abutun-

Delectus habendus eorũ, ad quos diuertas.

Quid pacem reuerti.

Prædicantibus deberi uictum.

tur. Tertium quod hic discendũ, quod utinam probe perpendatur, est ultio quæ manet contemptores Euangelij. Hæc utinã Germania hodie sibi quoq; dicta putet, cui tantum gratiæ illuxit, quanquam pauciſſimi sunt qui illud digne excipiant. Vere et nobis regnum Dei appropinquauit, si cum Iudæis illud recipere noluerimus, experiemur quod ipsi experti sunt, inexplicabilem malorum Iliada.

Pœna contemptorũ uerbi.

Minutulum est, quod apud Lucam merces dicitur, id apud Matthæum cibum dici, sed hinc uideas, quàm large mercedis nomine scriptura utatur, de quo & suprà 5. super illud: Gaudete & exultate, quia merces uestra, &c. Item quod dominus apud Lucam dixit: Nolite transire de domo in domum, eo haudquaquam prohibuisse hospitium mutare, sed potius per id uoluisse plenam illis facere potestatem, rebus uten di eorum ad quos diuertissent: ut non necesse haberent subinde hospitium mutare, quasi plus æquo grauarent, apud quos continuo manerent.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Ecce ego emitto uos, uelut oues in medio luporum, Luc. 10.) His tam difficultatẽ legationis obeundæ declarat, munitq; contra uim aduersariam: dilabitur autem oratione, more prophetarum, ultra præsens tempus, & primam istam legationem, quam ipso agente etiamnum in carne obierunt. Nam de periculis uerba facit, quæ adierũt, postquam Apostoli orbis, ab ipso petente cœlos, fuerunt designati. Prima nanq; (ut dixi, profectio, non absq; periculo modo, sed & multa cum commoditate fuit, ut nihil omnino desiderarint, ut ex Luca 22. loco suprà adducto, satis patet: tum ex gaudio septuaginta discipulorum, qui & ipsi prædicatum ablegati fuerant, cum reuersi gloriarentur, sibi subiecta fuisse dæmonia, nihil quererentur persecutionis. Ait ergo: Ecce ego emitto uos uelut oues, &c. quasi diceret: Securos uos quidem omnium uolo abire in messem Euangelicam, quare hac prima legatione iubeo uos nullo ufatorio instrumento abire, ut experti hac uice, patris pro uobis curã, porro agatis tanto confidentius. Nam & si securos uos esse usq; oporteat, quo omnis cura uestra, prædicando Euangelio impendatur, & licet indulgentissimus pater semper omnia, quibus opus uobis fuerit suppeditaturus sit abũde, uos tamẽ nihilominus, ingentia pericula adibitis. Quorum uolo præmonere, non ut animi uobis concidant, sed ut magis confirmentur: uel inde, quòd cogitabitis, qui in prima hac legatione omnia pericula arcere dignatus est, ne quod incideret, eundem omnino, ex omnibus periculis cum inciderint cumulo erepturum. Deinde mea erga uos charitas suadebit, bonum credere, quodcũq; demum fuerit, in quod ego uos misero. Prædico ergo, quòd ego, ego inquam, cui tanti estis, ut pro uobis moriturus sim, uos emitto, uelut oues in mediũ luporum. Quod periculum præsentius, quàm ouibus adest, constitutis in medio luporum: Ita extrema imminere uobis uidebitis: sed quî hæc possum prædicere, quiq; uos mihi charos adeò, ut animam meam pro uobis positurus sim, huc detrudo, idem uos haudquaquam deseram, grandeq; miraculum efficiam, ut nõ solum à lupis uos non lædamini, uerumetiam multos ex eis adducturi eò sitis, ut abiecta lupina ferita te, agni uobiscum reddantur.

Sed interim tamen quoniam lupos esse homines pronuntio, quibus cũ uobis negotium erit, opus est prudentia, qua ita inter illos uersemini, ut negotio uestro nusquam desitis, & rursum ea simplicitate, ut omni dolo malo uacetis, non cretizantes, contra Cretenses. Estote ergo prudentes sicut serpentes, quibus nihil inter animantes astutius. 1. Mos. 3. & simplices sicut columbæ, quo animali nihil est candidius, quodq; simplicius suis rebus incumbat, nulli natum struere dolos, aut insidiari. Nota non hic tantum Christum suos ouibus adsimulasse. Ouibus ad prospiciendũ sibi, nihil & stultius & imbecillius, unde prouerbium: Ouilli mores. Rursum alijs, nempe hominibus nihil commodius, quòd in ouibus usui sint omnia: Denicq; animal est prorsus inerme, atq; iniuriæ omnium expositũ, sic per omnia sese habent Christiani, sibi

Christiani ouibus similes.

A sibi prospicere nequeunt, neq; uolũt, cõmittentes sese simplicissime pastori suo Christo, tum uerba & facta eorũ cuncta ad frugem spectant ferendam proximis: charitate enim uiuunt, quæ sui nihil quærit, studetq; duntaxat cõmodis aliorũ: postremo iniuriam neq; inferre, neq; referre possunt, uindictã omnem Domino relinquentes. Præterea diligenter notandũ, homines non renatos, qui non sunt oues, lupos à Christo uocari, indubie propter ferũ studium proprij cõmodi, cuius caussa, nullã iura æquitatis, aut humanitatis, non uiolant. Porro illud: Estote ergo prudentes, &c. Nihil aliud est, quàm agite circũspecte & caute omnia, postquã in medio luporũ agitis, ne quid peccetis, & incõmodi aliquid accipiatis, sed ita tamen callidi & prudẽtes sitis, ut præter iniuriam aliorum, præter aduersum charitati studium uestri, omnem prudentiam uestram huc simpliciter intendentes, ut plurimis prositis, communicato Euangelio. Hoc negotiũ uestrum, hæc cura esto, unde cõmoda multis, incommoda, quantũ ad uos attinet, nulli prouenient. Atq; hoc est, quod Paulus Ephesijs scripsit: Videte igitur quomodo circũspecte ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionem quòd dies mali sint, propterea ne sitis imprudẽtes, sed intelligentes quæ sit uoluntas Domini. Ex quibus uerbis satis patet, quæ illa serpentina Christianis digna prudentia sit, nimirum, qua ita à malis hominibus sibi cauent, alijsq; Satanæ insidijs, ne quo pacto præter uoluntatem & gloriã Dei aliquid admittant, & ut regnũ Dei nequicquam illis repugnantibus in salutem multorum promoueatur.

Prudentibus uerbi dispensatio cõmittenda.

Ex quo liquet & illud, quantum errent ij, qui quosuis muneri predicandi Euangelij uolunt preficere, cum Dominus suos iubeat Apostolos serpentibus astutia similes esse, quod sanè multis negatũ est. Cõtra hos & in cap. 4. aliquid dixi. Etsi enim Deus agere omnia uelit, uult tamen ad pleraq; & nobis uti, suamq; & per nos gloriam manifestare: ad quam omnes uires nostras intẽdere debemus: igitur & mẽtem, ac quic
B quid denicq; dono ipsius cõtigit industriæ. Christus uult suos serpentina astutia prædítos esse, non igitur stupidos, & rerum imperitos. Quid quæso Paulo sancta astutia uersatilius, & Christus ipse quàm circunspecte egit omnia? Vnde gloriam Dei illi produnt, quicunq; non omnem curam, & solicitudinẽ intendunt, ut non modo inculpate ipsi uiuant, sed & ut Euangelion apud alios quoq; quàm latissime propagetur. Quidam enim hodie, ubi cõcionem habuere, munere suo satis functi sibi uidentur, reliqua securi, cum in morem fidi ac seduli imperatoris, dies noctesq; præfectũ plebi Dei oportebat circunspicere, solicite occasionem captare, nihil intentatum relinquere, quo dolo, quáue uirtute, captas à Satana mentes, Christo adsereret, regnicq; Dei pomeria proferret. Sic Paulus gloriatur astu se Corinthios circumuenisse, et Domino fuisse lucratos. Certe præpostera res est, filios huius seculi, pernicioſa sua negotia tanta circunspectione & industria obire, & Christianos negotium uitæ æternæ curare tam socorditer & supine.

Cauete autem ab hominibus, &c. Mar. 13. Luc. 21.) Hi lupi illi sunt, in quorũ medium emittuntur oues Christi, à quibus ut iam dictum est, hactenus cauendum est, ne uel insidijs, uel ui sua ad malũ nos pertrahãt. Modis enim omnibus, ijs qui Christi sunt, aduersantẽ, acti, scilicet, à Satana Christi hoste, Christiani siquidẽ p uiribus, acti nimirum spiritu Christi, pietatem promouent, illi contra hanc impugnant, & impie tatem propugnant. Hacq; caussa mouentur & reges atq; principes contra pietatem, quam, si saperent, deberent pro uiribus plantare, cum nihil sit æque tolerans iugi, patiensq; iniuriæ, nihil magis morigerum, atq; ad conseruandum statum Reipub. idoneum. Cedit enim, fert, & facit omnia pietas. Hoc qui perpenderit, satis mirari præposterа hodie principum consilia haud poterit. A malis sacrificis in ordinem redacti sunt, res eorũ accisæ sunt, & quotidie magis arroduntur: cumq; ab eis sacrificí ferè omnia acceperint, abutuntur tamen illis maxime in eorũ depressionẽ. Contrà Christiani qui ueri sunt, principibus per omnia obtẽperant, adigentibus ad unũ milliare

Quatenus ab hominibus cauendum.

parati sunt ire duo, dare nihil recusant ad idem alios quoq; hortantur, sedulo pro salute principũ orant: adhuc tamẽ p illis Reipublicæ pestibus, cõtra innocuos & frugi homines, hoc est, pro lupis nocentissimis, contra ouiculas omnibus utiles, ita bona pars principum sæuit, ut contra nulla scelera, nulla flagitia æque. Nec possunt metũ obijcere seditionis, nihil æque enim isti quos persequuntur oderunt. Sed esto. Si enim sunt à quibus seditionẽ iure metuãt, puniant qui huius aliquid præ se tulerint: quos autẽ uident & sentiunt nihil nisi ut Christi gloriã, ita & Reipublicæ salutẽ atq; magistratus obedientiã quærere, cur non in tuto relinquunt? Sed uideas quanto quisque plenius Christũ expresserit, & innocentius uitam instituerit, tanto digniorem esse, in quem exempla edantur. Vnde hæ furiæ? Sanè à principe mundi, cui nihil est æque inuisum atq; pietas. Quos captiuos ergo tenet ad suam uoluntatẽ, in sanctos Christi concitat, tenet autem quotquot non sunt per Christũ renati, & oues facti, quorũ sanè ingens turba est, cum pauci electi sunt. Nota autem quod ait: ducendos ad principes & reges propter se, in testimonium ipsis ac gentibus. Vt nanq; inexcusabiles miseri fiant, & simul à gloria spiritus Dei, tam potenter in infirmis uasculis agentis, confundantur, prædicare & ipsis ueritatem oportet, libereq; coram eis illã confiteri. De quo suprà capite septimo, super illud: Nolite sanctum dare canibus, plura.

Cur potissime sæuiatur inter Christianos.

In testimoniũ ipsis.

At cum tradiderint uos, ne sitis solliciti. Mar. 13. Luc. 12. & 21.) Præmonitis de magnitudine periculorum, quæ imminebant, nunc ostendit, cuius ope, ea superaturi sint, salutem autem & uictoriam promittit, nõ qua uita ipsorum in tuto sit, sed qua inuicta stet, atque triumphet gloria Euangelij. Sicut Christianis hæc, quàm illa longe charior est, neque potest illis de uita male agi, cum Euangelij gloria recte asseritur. Inuenitur siquidem, ut paulò post Christus monet, cum Euangelio perditur. Spiritũ ergo patris pollicetur adfuturum, & ueritati patrocinaturum inuicte. Nam Lucæ 21. ubi eadem Dominum monuisse suos narrat, ita legimus: Habete igitur fixum in cordibus uestris, non esse præmeditandam defensionem, nam ipse dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neq; resistere omnes, qui aduersabuntur uobis. Nota autem quod ait: Ne sitis soliciti, quomodo aut quid loquamini, quo uerbo & Lucas 12. ubi eadem memorat, usus est. Nequaquam enim uoluit Dominus, quamlibet de defendenda ueritate cogitationem, aut etiam meditationem, uetare, sed solicitam tantum, anxiam & trepidantem. Nam pius dies noctesq; in lege Dei meditatur, non tantum ut ipse eam uita exprimat, sed etiam ut alijs eandem cõmendet. Vnde recte subiecit: Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, &c. quasi diceret: Caussa non est uestra, unde neq; patrocinium uestrum erit, quare neq; uos pro defensione solicitos esse conuenit. Caussa patris est, patronus spiritus sanctus qui in uobis loquitur, is nulla anxia uestra cura, uel studio eloquentior redetur. Mittite ergo inanem solicitudinem, tantum fidele illi organon uos exhibete. Quod studentes, toto certe animo, in eo eritis, sicut aliâs, ita & in defensione Euangelij, ne quid præter gloriam ipsius admittatis: sed id absq; trepidante solicitudine, certi spiritum sanctum sibi, in sua caussa non defuturum. Idem sanè sibi uolunt & quę in Marco legimus: Cum autem duxerint uos tradentes, ne præcogitetis quid dicturi sitis, neq; meditemini, sed quicquid datum fuerit in illa hora, hoc loquamini. Securos nanq; Dominus defensionis suos reddere uoluit, non negligentes: solicitudinem diffidentem eximere eis quæsiuit, non meditationem ueritatis fidelem. Quid enim si quis pro Euangelio responsurus, nequeat aliud cogitare, num peccauerit contra hęc Christi mandata? Absit. Qui nanq; peccatum sit, cogitare quod bonum est? Præstiterit denicq; hæc sancta, quam uanum aliquid animo uoluere. Tantum pro Euangelio responsurus suis cogitationibus non nitatur, & spiritus facundiam adfore non dubitet: cæterum ut spiritum orare tamen debet, ita animum ad plectrũ spiritus, per eundem spiritum formare, pia præmeditatione, officij est.

Christiani, Euangelion uitæ præferunt.

Hæc

A Hæc probe animaduertenda sunt, nam quidam & ex hoc loco ignauiæ suæ & torporis patrocinium frustra petunt, ab omni lectione, diligentiq; studio scripturarum sibi temperantes, cum tamen Ecclesiastæ esse uelint. Securos nanq; suos in periculo his, non stertentes in otio, reddere Dominus uoluit. Spiritus qui loqui in nobis dignatur, idem & cogitare, & meditari solet. Nihil enim horum caro, aut ratio potest. Præterea facit hic simul locus contra eos, qui in rebus Dei, humanis uiribus aliquid tribuunt. Spiritus est qui loquitur, idem & intelligit atq; iudicat sacra, prima Corinthiorum secundo. Deniq; & hic locus non sine hyperbole, præsertim apud Marcum positus, monet, in quæ monstra Domini uerba adducturi sint, nullum illis admittentes tropum. *Contra ignauos.*

Tradet autem frater fratrem in mortem, &c. Mar. 13. Luc. 21.) Magis explicat periculum, quo probe & præmoneat & præmuniat. Nihil enim in mundo illis tutum esse poterit, qui Euangelion uolent propagare, ne à fratribus quidem, filijs aut parentibus. Stat enim uerbum Christi, infrà 12: Qui non est mecũ contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Satanas cum omni regno suo, irreconciliabile bellum gerit aduersus Christum & regnum eius, cui furori nulla naturæ iura ualent obsistere. Captiui enim impij sunt ad uoluntatem eius, in manu ergo illi est, fratres in fratres, filios in parentes, & rursus parentes in filios, ac deniq; quoslibet in quoslibet concitare. Nemo itaq; qui Christi esse se credit, miretur, si nullo suo merito odio multorũ flagret, ac eorum etiam, quos uel sanguine coniunctos, uel aliàs peculiariter amicos, aut etiam beneficijs deuinctos habuit. Micah. septimo hæc uerba ferè leguntur, unde quidam putant ea Dominũ mutuatũ esse, sed illic calamitas populi Ebraí describitur, qui eo relapsus erat, ut simultatibus, odijs, & inimicitijs, dolis & insidijs, se mutuo conficeret, haberet scissa, dissecta & dispersa omnia, nec ulla fœdera uel iura sancta. Hic autem Christus prædicit suos, ab alijs ista passuros. Subiecit enim: Et eritis odio omnibus hominibus, quo satis significauit ad suos hęc pertinere. At infrà cũ dicit: Nolite putare quòd uenerim pacem missurus, oraculũ hoc Micha adduxit, & malorum inter se seditione & turbis prędixit. Nec dissimile uerí uidetur, fuisse sermonem prouerbialem, quo maximum animorum dissidiũ, atq; exitialem discordiam significare soliti sint. Probe autem animaduertendum, quod ait: Eritis odio omnibus propter nomen meum, id est, mea causa. Ex quo iam æstima, humanam sapientiam & iustitiam, tum uires liberi arbitrij. Quos enim quibuslibet flagitijs contaminatos, amare tamen possunt, eò quòd domestici aut aliàs amici existant, eos, cum ab omni malo recedunt, & ipsam Dei iustitiam in Christo cum amplectũtur ipsi, tum hortantur alios, ut eam amplecti uelint, eo possunt odio prosequi, ut nullam nec sanguinis, nec humanitatis rationem habeant, nullum ius aut fœdus sanctũ. Nota autem, Christianorũ esse, ut ita uiuant, ita quoslibet demereantur, cedant & ferant omnia, quòd solus Christus, causa sit odij & persecutionis, quam sustinent. Leuiculum hoc. Dixit omnibus, nõ omnibus hominibus, ut habent exemplaria Latina, quare philosophia illa ab hominibus, id est, nondũ in filios Dei renatis, odio haberi Christianos, licet per se uera sit, non tamen præsenti loco nititur. Neq; enim additũ est (hominibus) in exemplaribus Græcis. Dominus uoluit prædicere suos, à pluribus odio habendos, id est, malis omnibus, quorũ omnia plena sunt, quandoquidẽ pauci existunt electi. *Vnde odium quo Christiani laborant.*

Verum qui sustinuerit, usq; in finem, infrà 24.) Hæc consolatio, salutisq; promissio, quantalibet pericula fuerint, si modo fides adsit, abunde animos potest erigere. Etenim qui tantum usque ad finem sustinuerit, Domino suo tutelam committens, is tandem saluus fiet, quamlibet in mortem traditus, & morte affectus, atq; odio habitus sit ab omnibus. Sustinendo, non repugnando salus hæc aditur. Quam ô si crederetur esse promissionem Dei, eóque infallibilem, Fide hic, non interpretatione opus.

Sed præter hanc ſalutis in fine adfuturæ promiſſionem, etiam fugam concedit: Si perſecuti, inquit, uos fuerint, in ciuitate hac, fugite in aliam. De fuga in perſecutione ſuprà capite quarto, ſuper illud: Cum audiſſet autem Ieſus quòd Ioannes traditus eſſet. Chriſtiani ut gloriæ Dei uiuunt, loquuntur, atq; agunt omnia, ità etiam Chriſtũ & Apoſtolos ſecuti, in tempore tam fugient, quàm cõſiſtent, ducente illos ſpiritu patris. Chriſtus autem hic non tam fugam periculorum ſuis præcepit, quàm feſtinantẽ ex ciuitatibus indignis uerbo, ad eas, quæ dignæ illo eſſent, migrationem, licet ut uere fratribus illos, ad horam uſq; à patre conſtitutam, ita etiam fugere nonnunquã pericula uelit, ſiquidem hoc medio ſeruare eos pater ſtatuerit. Quòd autẽ Chriſtus illis uerbis: Cum uos perſecuti fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam, iuſſerit nõ tam fugere perſecutionem in hac urbe illos prementem, quàm præpropere ſe recipere in aliam, uerbo magis dignam, ſequentia uerba eius indicant: Amen enim dico uobis, nõ perambulaueritis omnes ciuitates Iſraëliticas, donec ueniat filius hominis. Nam iſta hoc ſenſu uidentur prioribus ſubiecta. Si quí Euangelion pacis, quod offertis nõ ſuſtinuerint ſuſcipere, ſed perſecuti uos fuerint, cito illos deſerite, theſauro ueſtro indignos, ſed ſic ut quàm primùm ad alios cõcedatis, quò plurimum fructus afferatis: ſemper enim erit, quo prædicatum abire licebit. Nam uel paucas Iſraëliticas urbes, ad quas inpræſentiarum uos ablego, non poteritis prædicando omnes percurrere, regniq; cœlorum per Euangelion participes reddere, quod eſt eas perficere (Nam τελέσητε legitur) donec filius hominis ueniat, ne dum urbes gentiũ, ad quas à reſurrectione mea uos amandabo. Vnde ſemper erit, quo cõcedatis Euangelion prædicaturi, quamlibet multis locis pellamini. Nihil itaq; contamini, nullas neclite moras, ſi quí indigni uerbo uitæ ſeſe fecerint, uosq; à ſe repulerint, eueſtigio alió properate. Satis erit & ſuper quod agatis, ſi etiam uſq; dum glorioſus orbem iudicaturus, redieró, durare poſſetis. Et profecto, ut ex parte cæcitas Iſraëli accidit, Rom. 11. Apoſtoli ciuitates Iſraëlis non perfecerunt ad Chriſtum conuerſas, donec funditus ferè uniuerſæ iuerunt exciſæ, & quem filium hominis, ſed ſaluatorem contempſerant, expertæ fuerunt filium Dei, ſed ultorem. Nam de aduentu ſuo, quo per Euangelion in orbe regnare cœpit, hoc, cum ait Donec ueniat filius hominis, intellexit. Nam hoc Chriſti aduentu inclareſcente, uaſtata per Romanos Iudæorum regio fuit.

De fuga.

Non tam fugere quàm aliò migrare Chriſtus præcepit.

Myſteriũ conuerſionis gentis Iudaicæ.

De myſterio conuertendi olim Iſraëlis totius, dum aduenerit plenitudo gentium, cuius uno uerbo Paulus, Rom. 11. meminit, multa autem in prophetis uidetur haberi mentio, altioribus ſpiritibus, tractare permitto. Si nos interim, uere Chriſtum poterimus amplecti, & inter electos ex gentibus cenſeri, nihil eſt quod præterea deſideremus. Suo tempore nos & alia docebit, prophetias tamẽ nemo contemnat, ſiquidem ab analogia fidei non abludant. Omnino enim uidentur ſcripta prophetarum, magna huic genti polliceri. Quapropter omnino benignius nobis Iudæi tractandi erant, & quæ Paulus Rom. 11. monet, probe nobis perpendenda, ut & nos illos inimicos pateremur propter Euangelion, contra autem nobis nihilominus dilecti haberentur, ſecundum electionem propter patres.

Non eſt diſcipulus ſupra præceptorem, Luc. 6. Ioan. 13. & Ioan. 15.) Hortatur iam, ut demandatã prouinciam Euangelij prædicandi gnauiter & animoſe obeant, contemptis omnibus periculis, quæ ſanè maxima impendebant. Et primum confirmat eos ab exemplo ſui, qui magiſter & Dominus ipſorum ab impijs grauiſſimam ſanè perſecutionẽ ferebat, extremum quoq; paulò pòſt ſupplicium ab illis laturus, quodq; omnium maxime moleſtum eſſe oportuit, quæ ex Deo ad ſalutem hominum, ac quidem Iudæorum potiſſimum, nempe populi ſelectioris, loquebatur & agebat, illi dæmoniorum uirtuti adſcribebant, ipſum uocantes Beelzehub, & habere dæmonium. Cum itaq; ipſe præceptor, Dominus & paterfamiliás ipſorum, hæc partim experiebatur, partim adhuc experturus erat, recte diſcipulis, ſeruis, atq; domeſticis ſuis, dixit:

A xit. Ne igitur metuatis eos. Ratio autem huius ex eo intelligitur quod præmiſit, ſufficit diſcipulo, ut ſit ſicut præceptor ipſius, &c. quaſi diceret: uulgo creditur & dicitur, ſatis bene agi cum diſcipulo & ſeruo, ſi habeatur ſicut ſuus præceptor & dominus: quandoquidem multis, ne huc quidem, ne dum ultra peruenire conceditur. Credite ergo, ſi cõtingat uos haberi, ut equidem habitus ſum & habebor, nihil adhuc mali uobis accidiſſe. Conſiderate me, dilectum patri filium, cui indubie & bene uult & benefacit: ita tamen me exercet per malos, ſed hoc pacto, ut dum illi putant me lædere, promoueant meam fœlicitatem. Idem uobis uſu ueniet, ubi perſeueraueritis eſſe mei diſcipuli, propter nomen meum ab illis perſecutionem ſuſtinebitis.

Illud: Non eſt diſcipulus, &c. uulgi prouerbium fuit, quod & aliàs, atq; in alium uſum, uſurpauit. Vt Lucæ 6. ubi dehortatur à calumniandi ſtudio, & libidine aliena reprehendendi, faciens eos, qui hoc malo laborant, ſimiles cæcis, alios cæcos conantibus ducere. Ex quo ducatu aliud expectari non poteſt, quàm ut utriq; incidant in foueam. Ibi ſubijcit: Nõ eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſicut magiſter ipſius. Hoc eſt, quis diſcipulus ſit perfectior ſuo magiſtro? Iam cæcus magiſter eſt, quicunq; ſibi iuſtus uidetur, & eo fretus alios, non docendo, aut amicè monendo, ſed iudicando & calumniando reprehendit & corrigit. Quales igitur reddet eos, quibus ſe doctorem, monitorem & ducem cõſtituerit? Nihil ſanè niſi cæcos. Perfectus enim eſt quicunq; magiſtrum ſuum diſcipulus fuerit aſſecutus. *Non eſt diſcipulus, Luc. 6.*

Ioannis decimotertio, uſus eodem prouerbio Chriſtus eſt, hortans ad ſui imitationem, in officijs mutuæ charitatis & modeſtiæ. Ita uideas, libenter uulgaribus ſermonibus Dominum uſum, agentem potiſſimum hoc, ut pietatem rudibus animis perſuaderet.

Beelzebub hic legitur, immutato ultimo elemẽto, ut ferè ſit, cum in aliam linguã
B nomina transferuntur. Cæterum Ebraice dicitur בעל זבוב, Baal Zebub, id eſt magiſter uel dominus muſcæ. Fuit autem idolum Aekron urbis Philiſtinorum. 2. Regum 1. Malum autem dæmonem Iudæi ita appellabant, ut ſuprà 9. & infrà 12. patet, cum Chriſtum calumniabantur, in uirtute Beelzebub principis dæmoniorum eijcere dæmonia. *Beelzebub.*

Perpendat autem pia hic mens, primum quid noſtri cauſſa Chriſtus pertulerit, ipſa iuſtitia et ſanctitas. Quid ergo nobis neget, quẽ deſerat, pro quibus tanta perferre uoluit? Deinde ſi ipſe, tam male audijt, quo nihil fingi potuit inculpatius, nihil eſſe mirum, neq; nobis debere graue uideri, cum & nos falsò infamamur. Poſtremo, quàm bellum ſit iudicium rationis, quidue ualeat ſapientiſſimorum ac ſanctiſſimorũ quoque hominum exiſtimatio, cum Chriſtus in quo nihil non diuinum apparuit, corda tiſſimis atq; omnium ſapientiſſimis atq; optimis, Beelzebub haberi potuerit, aut ſi animis illorum is non fuit habitus, falsò & contra ipſorum conſcientiam, hoc nomine ab ipſis infamari. Eant nunc, qui uolent, & putent nihil boni poſſe damnari à magnis, prudentibus & ſanctis, ut externa ſe quidem ſpecie uendicant.

Nihil enim tectum quod non ſit retegendum, Mar. 4. & Luc. 8. & 12.) Et hoc prouerbium eſt, quo & aliàs alia ratione Dominus uſus fuit, nimirum Mar. 4. Luc. 8. De quo ſuprà cap. 5. in illud, Vos eſtis lux mundi. Hic autem hoc ſenſu adduxit: Vulgo dicitur nihil tectum eſſe, quod non tandem retegatur, ita & mea doctrina atq; Euangelion regni habebit: hoc cum modo occultum ſit, propalandũ erit, & quidem per uos, qui in luce & ſuper tecta, hoc eſt, quàm maxime palàm prædicare orbi debetis; quæcunq; in tenebris & in aurem, id eſt, quantũlibet ſecreto à me dicta percepiſtis; Id quidem non ſine ſæuiſſima à mundo perſecutione facietis: ſed iuſſi uos illos nihil metuere, quòd nihil plus in uos illis, quàm in me licere poſſit, me autem adeò lædere nequeũt, ut gloriã meã ſuo furore promoueant. Sufficiat igitur uobis, ſi ad hunc modũ pater uobis diſcipulis meis res attẽperet, uti mihi attẽperat ueſtro magiſtro, neq;

dubitate,si mei modo discipuli perseueretis, idem uos commodi ab impiorũ sæuitia percepturos.Lucæ.12.utitur prouerbio hoc:Nihil opertum,&c.ad dehortandum ab hypocrisi,quòd tandem retegatur,quicquid ad tempus simulatio texerit.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Altera ratio. Addo nunc,quod uos confirmare debeat aliud:Delecti estis à patre in hoc, ut hæc mea mundo adhuc occulta passim inuulgetis, id quidẽ mundus feret molestè adeò, ut nihil molestius,neq; omittet quicquã, quo uos prorsus è medio tollat, hæc futura ingenue uobis prædico, sed uidete quid sit facto opus. Pater uult ut Euangelion publicitus annuntietis,mũdo quamlibet inuito,mundus autẽ nihil feret minus. Si iam nihilominus patri uolueritis morẽ gerere,ut par est, & è re uestra,uitã adducetis uestram in periculum ineuitabile.Sin hoc reformidantes, mandatũ patris contemptseritis,non uitam modo hanc carnis,sed animæ quoq; adducetis in geennã. Si itaq; me audire uultis, moneo & hortor,ut homines malos ne metuatis, q̃bus nihil plus permitti in uos potest,quàm ut corpus forte occidãt, quod alioqui deponendũ est, ut ad immortalitatem perueniatis, patrem potius obseruabitis, qui iratus animã simul & corpus potest deijcere in geennam.Hæc Paulus sensit,cum 1.Corinth.9.scriberet: Etenim si Euangelizem non est quod glorier.Necessitas enim mihi incumbit. Væ autẽ mihi est,nisi Euangelizem. Nam si uolens hoc faciam, præmium habeo:sin minus dispensatio commissa est mihi.De geennan suprà capite quinto.

Tertia ratio. Nónne duo passerculi,minuto asse;Luc.12.) Tertia ratio, qua Apostolos contra mundi persecutionem munit, quòd nihil possit illis sine uoluntate optimi patris accidere,quandoquidem uiles auiculæ nõ cadant in terram sine patre illorum. Habet autem emphasim illud:Sine patre uestro,quasi diceret: Pater uester est, non passerculorum,qui possit igitur minorem uobis, quàm passerculis curam impendere? Pilos uestros numeratos tenet,neq; tantillum sine ipsius uoluntate uobis poterit accidere. Quæ autem uoluntate patris uestri, quo nemo melior, nemo in uestram salutẽ propẽsior est,acciderint,sanè mala esse uobis haud quibũt.Ne igitur metuatis, sed firmo celsoq; animo iniunctum munus obite. Miram autem hic locus consolationem habet,si eum fide quis perpendat,omnia dispẽsantur à Deo, sine cuius prouidentia, ne uel tantillum,ulla in re quãlibet minuta, accidere potest. Is iam dignatur pater esse, omnium in se credentium, & pater bonitate incomparabili, quid iam queat incidere,non optabile,nedum ferendum? Vnde Paulus Rom. 8. Scimus autẽ,quòd ijs qui diligunt Deum,omnia simul adiumento sunt in bonum.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Quarta ratio Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, Mar.8. Luc. 9.& 12.) Quarta ratio,qua ad prædicandum intrepide Euangelion suos animat.Nihil sanè optabilius, quàm coram patre cœlesti agnosci & commendari à filio. Debemus igitur & nos illum uicissim agnoscere & prædicare coram hominibus, quantumlibet id carni uideatur periculosum. Quòd si uero nos eius, atque sermonum ipsius puduerit, idq; in generatione hac peccatrice & adultera,quod est ipsum negare, pudebit eum quoq; nostri,atq; negabit esse suos,ubi uenerit in gloriã patris sui, cum angelis sanctis.Et quidem iure optimo,utpote, qui pluris fecerimus mortales, nihil nisi peccatores,& à creatore suo adulteros,quàm eum, qui nostri tamen caussa mortem oppetere dignatus est,qui Deus & iudex noster est. Illud apud Marc. In generatione hac peccatrice & adultera, quanquã peculiariter in gentem Iudæorũ cõpetierit, ut quibus primum Euangelion annuntiari oporteret,& quibus in lege & prophetis idem identidẽ obiectum fuerit,in omnes tamen impios simul quadrat,quare noster simpliciter,coram hominibus posuit.Habet autem miram uim ad persuadendũ,ut Christũ libere corã mũdo cõfiteamur ista contentio, qua patrẽ & sanctos angelos cõponit cũ hoibus,ijsq; peccatoribus,& impietate adulteris, tum se maiestate patris glorioſum nobis

A nobis etiamnum mortalibus. Quid enim magni est, si etiam Christum confiteamur, & prædicemus coram mortalibus, ijsq; malis, quantula quæso hæc ipsi gloria est? At si ipse nos coram patre suo & angelis confessus fuerit, suosq; agnouerit, erimus æternum beati. Rursum si Christus coram peruersis hominibus nullus etiam laudetur, nihilo minor erit: at si nos ille neget coram patre, actum de nobis est in sempiternum. Hæc profecto fide perpensa, nihil non audere pro gloria Christi compellent. Cæterum quòd coram peccatrice & adultera generatione se confiteri exigit, nõ pugnat cum illo suprà cap. 7. ubi uetuit, canibus proijcere sanctum. Electis enim uult se prædicari ad salutem, sed coram malis, ut illi impietatis suæ conuincantur. De quo suprà eodem loco.

Ne arbitremini quòd uenerim ad mittendum pacem, &c. Luc. 12.) Præsumptio est. Etenim mirificam pacem, rerumq; tranquillitatem in regno Christi futurã, apud prophetas legi audierant, ut uel illud est Ieschaiæ. 9. pacis eius non erit finis. Et 11. Habitabit lupus cum agno, &c. Pauloq; post; Non adiligent, nec perdent, in uniuerso monte meo, id est, regno meo, quia terra plena erit scientia qua Dominus cognoscitur, sicut cum mare inundat. His iam ac similibus de Christo uaticinijs, parum sanè respondebant, quæ hic Christus prædixit, suos omnibus fore odio, & filios à parentibus, ac uicissim parentes à filijs tradendos in mortem, & huiusmodi. Occurrit ergo cogitationi discipulorũ, pacem externam expectantium. Ne putetis quòd uenerim ad mittendum pacem in terram. Notandum autem quòd in terram ait: terrenã enim pacem omnium inter se mortalium, cum bona pars mala sit, adducturum Christum ne prophetæ quidem prædixerunt. Sed in monte sancto Domini in Ierusalẽ, hoc est, inter electos, & scientia Domini donatos, pacem futurã uaticinati sunt. Nam quod uates ait: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, &c. non intelexit, ut quidam putant, malos ita cohabitaturos bonis, sed nullam nocendi uim fore

Pax Christi non terrena.

B reliquam. In Christo habetur pax, sed à credentibus, & pax quæ exuperat omnẽ sensum, Philip. 4. in mundo electi, pressuram experiuntur. Sed immutato hoc mundo, percipietur pacis cõsummatio, quæ hic speratur. Quoniam ergo ad hanc pacis reuelatam possessionẽ, per aduersorum tolerantiã perueniri oportet, ut antea Dei uirtus in infirmitate glorioſa appareat, prædicit Christus quæ primum sui sint in mundo aduersa experturi, ne quam carnis sibi fœlicitatem ab ipso pollicerentur.

Diligentius uero hæc consideranti, uidetur hic Christus, non tam quæ sui à reprobis, quàm quæ reprobi inter sese, præcipue uero obstinati Iudæi, illucescente suo regno essent passuri, prædixisse. Vt ad hunc sensum hæc sint adducta: Ne frangat uos, cum uos mundus persequetur, neq; putate modo instare tempus, ut uos Iudæi omni rerum tranquillitate perfruamini, multo aliter eueniet. Adsum quidem, ut quicunq; iugum meum tulerint, requiem inueniant animabus suis: at terra & gens hæc, propter impietatem suã, adeò aliena erit ab omni pace, ut nunquam sit æque in ea tumultuatum, atq; modo futurũ est. Domestici hominis, hostes cuiusq; erunt, rumpentur omnia naturæ fœdera, nihil tutũ erit à ui & insidijs, atq; omnino implebitur uaticinium Micah. Perierunt benigni de terra, & æqui inter homines non sunt, uniuersi insidiantur sanguini, quisq; fratrem suum uenatur ad necẽ, &c. Perdite igitur adeò & calamitose habentibus rebus gentis huius, sanctæ hactenus & electæ, ne uelitis uos externa quidem fœlicitate frui, & aduersa fugere, quandoquidem omnino hac tempestate omnibus adflictio & calamitas imminet. Bene uobiscum agi putate, qui aliis, sed propter suam impietatem, quorum ideo calamitatẽ geenna excipiet. Atq; ita similis mihi quidem uidetur his Domini uerbis inclusa cõsolatio, qualẽ Iirmeiah Baruch ex ore Domini annũtiabat. 45. Sic inquiebat, dicit Dominus: Ecce quos ædifica ui, ipse excindo, & quos plantaui, ipse euello, totã nimirũ hanc terrã. Et tu quæris tibi

Mala terræ Iudæorum uidetur hic prædixisse.

grandia

grandia, ne quæras, nam ecce adduco calamitatẽ ſuper omnem carnẽ, & dabo tibi uitam tuam uice prædæ, ad quæcunq; loca perueneris. Cur præſentia ſic accipienda putem, ratio eſt, quòd Chriſtus omnino Micah teſtimoniũ uidetur adduxiſſe, id autem aperto apertius loquitur de conflictatione impiorũ inter ſe. Ad hæc uerba ipſa hic Chriſti, plane ad impios pertinent, cum ait: Veni ut diſſidere faciam hominẽ aduerſus patrẽ ſuum, &c. Pij enim & ſi ferant, ut à ſe diſſideant alij, atq; contra ſe inſurgant, ipſi tamen bono malũ perpetuò uincunt, neq; inſurgunt aduerſus quenquam, quantũ in ipſis eſt, pacem habentes cum omnibus hominibus. Impij pios in mortem tradent, ut ſuprà prædixit, pij autẽ pro illis etiã anathema eſſe cum Paulo exoptant.

At uero ſi hæc de malis intelligamus, quos Chriſtus prædixerit ſe perturbaturũ, atq; contra ſeipſos mutuo concitaturum, uidetur pugnare illi Ioan. 3. Nõ enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus per ipſum. Verum hoc loco Ioannis præcipuum Chriſti erga hominũ genus, quod mundum uocat officium, quod eſt ſaluare eos à peccatis, & ſpiritu ſancto donare, prædicatur, quod & uel ſolum agens hic in carne curauit: in præſenti autem, Dominus prædixit, quomodo ſuus aduẽtus, terræ Iudæorũ primum, deinde & aliis nonnullis ceſſurus ſit, indubie ad internitionem, ſed poſt glorificationẽ eius. Cum enim in ruinam multorum eſſet poſitus, prædixit hic, hoc potiſſimum terram Iudæorum experturam, ſicut ſanè id experta eſt uaſtata eiuſmodi excidio, cui ſimile & æque horrendum, nullæ hiſtoriæ memorant. Si cui autem magis probetur prior enarratio, quòd Chriſtus his uerbis Apoſtolis prædixerit, quid à domeſticis paſſuri eſſent ſuis, huic fauere uidentur, quæ ſubiecit: Non eſſe ſe dignos, qui patrem aut matrem, filium aut
Locus Lucæ. filiam præ ſe dilexerint. Porro Lucas his præmiſiſſe Dominum quædam memorat, nimirum hæc: Veni ut ignem in terram mitterem, & quàm uellem iam eſſe accenſum. Oportet uero me baptizari baptiſmo: & ut coartor, donec perficiatur? Ignem hunc Euangelij prædicationem intelligo, ad quæ ſecutura erant quæ ſuprà iam prædixit: illum igitur ignem optabat accenſum, id eſt, regnum ſuum iam orbem inuaſiſſe. Verum baptiſmo mortis, de quo & infrà 20. antea baptizari ipſum oportuit, id non potuit plane præcognitum hominem Chriſtum non adfligere: inde ergo fuit, ut coartari ſe diceret.

Qui amauerit patrem aut matrem ſupra me. Luc. 9. 14.) Recte hæc omnibus ſuperioribus ſubiecit. Siquidem expectandum diſcipulis erat, ut à parentibus & filijs in mortem traderentur propter Chriſtum, utq; ij qui Chriſtum non recepiſſent, ſe inuicem quoq; omnibus malis eſſent inſectaturi, hinc cõſequens erat quod inimicitiam horum, propter Chriſtum ſuſcipere oporteret, ac eos in extremis malis deſerere: huic autem naturæ affectus repugnat, ideo in loco Dominus monet opus eſſe omnimoda ſui, atq; rerum omnium abnegatione. Hoc uero eſt illud odium, de quo Lucæ 14. Si quis uenit ad me, nec odit patrem ſuum, &c. nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Idem enim hic quoq; uerbis mitioribus, adfirmauit. Qui enim Chriſtum præ omnibus diligit, is quoq; poſthabitis rebus omnibus, gloriam ipſius unice promotam ſtudebit, quo pacto ſimul animam quidem ſuam, nedum res alias, in periculum adducet certiſſimum, & haud raro chariſſimorũ illi capitalis ſuſcipienda erit inimicitia. Iſta autem oportet Chriſto addictum ſuſq; deq; habere. Vnde qui id non poterit, habuerit q; quicquam Domino charius, is neq; diſcipulus eius eſſe poterit: quia Euangelio promouendo ſtudere non poterit ut oportet. Cæterum quantum cum Chriſto licuerit, domeſticos adeò deſerere, aut odiſſe non licet, ut infideli deterior ſit, qui illos non ſumma charitate complecteretur. 1. Timoth. 5. Cõmodum autẽ ſubijcit, qui non accipit crucẽ ſuã ac ſequitur me, non eſt me dignus. Nequit nanq; abſq; cruce & perſecutione prædicari in mundo regnũ Dei, quapropter nihil certius cruce manet eũ, qui ſerio uolet Chriſtum ſequi illud prædicando, mundoq; teſtimonium ferendo,

quòd

A quòd opera eius mala sunt. Ioan. 7. Ad idem facit, quòd sequit. Qui inuenerit animã suam, hoc est, qui uitæ suæ rationẽ habuerit, noluerítq; in periculũ eam propter me adducere, is sanè perdet eã, quia à me manet alienus, qui solus seruare eã potis sum. Etenim qui per Christũ uitã suam perdiderit, ductã in certũ Euangelij caussa periculum, is ut Christi manibus ipsam cõmendauerit, ita uere illã inueniet, id est, solida cũ fœlicitate possidebit. Idem infrà 16. & Luc. 9. 14. 17. Crux cuiusq; propria, est quicquid Euangelij caussa unicuiq; ferendum Dominus dispensarit, non eæ molestiæ aut castigationes, quas quis pro suo arbitrio deliget, ut Monachi.

Animã quæ inuenitur perditur.

Quæ cuiq; sua crux.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Qui recipit uos, me recipit, &c. Mar. 9. Luc. 10. Ioan. cap. 19. Hæc rursus consolatio est. Quasi diceret: quantumlibet mundo odío futuri sitis, atq; omnium reiectamentum habendi, tanti tamen mihi, patri atq; electis omnibus futuri estis, ut qui uos receperit, & uerbis uestris habens fidem, & uobis beneficia impendens; me recepturus sit, atq; adeò nõ solum me, sed & patrem qui me misit, quicq; contrà uos reiecerit, me & patrem eadem opera sit reiecturus. Iam esse electos aliquot, dubitare non potestis, ij ergo uos suscipient, atq; ita habebũt ut præter, fidem; quam uerbis uestris tanquã meis habebunt, quam in primis uos quęretis, sitis ipsi gloriaturi in media etiam persecutione, centuplum uos recepisse, quicquid propter me dimiseritis, siue parentes, siue uxores, siue liberos, siue substantiam, aut quicquid id demum fuerit de quo infrà 19. Ad idẽ pertinet quod sequitur: Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, &c. Hoc est, qui Dei prophetam, uel iustum hoc nomine, quòd Dei propheta ac iustus sit recipiet, iam hac beneficentia ista illi se quodãmodo æquauerit, ut pari loco cum propheta ac iusto illo apud Deum habeatur. Iuxta illud 2. Corint. 8. ubi Paulus Corinthios hortatur, ut ex ipsorum abundantia sanctis Ierusalem communicarent, dicens: Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia, B sed ut ex æquabilitate in præsenti tempore, uestra copia illorum succurrat inopiæ, & illorum copia, uestræ succurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas. Hoc dictum Chrysosto/mus sic intelligit, quasi significare Paulus uoluerit, sicut Corinthij copia sua rerum temporalium, fratrum Hierosolymis inopiæ succurrerent, ita horum copiam spiritalium rerum, gratiæ & fauoris Dei, succursuram esse inopiæ illorum, ut æquabilitas iam inter eos fieret, tam in diuitijs spiritalibus quàm temporalibus.

Qui uos recipit, me recipit.

Prophetæ mercedem accipit.

Siue autem Paulus de hac mutua æquabilitate spiritalium & corporalium rerum locutus sit, siue tantum corporalium, satis tamen patere potest, eum qui prophetam uel iustum hoc nomine susceperit, prophetæ ac iusti mercedem accepturum, nam fidem certe in uerbum Dei, quod hi adserunt, habere se, quicunq; illos receperit, declarat & fidem per dilectionem efficacem, quod beneficẽtia eius erga hos testatur. Iam fide & dilectione omnis à Deo merces, hoc est, gratia & benignitas percipitur, quæ facultates sunt spiritus, ijs cum æquatus prophetæ iusto aut discipulo fuerit, illosq; suscipit, uere mercedẽ ipsorũ recipere dicitur. Dona etenim prophetę ac alia per se, uerę mercedis feracia nõ sunt, ut suprà. 7. Dominus satis testatus est, ubi prophetis quibusdã dicturũ se minatus est: Amen dico uobis, nunq; noui uos. Fide apud Deũ sumus, & ab ipso percipimus, qcquid egregij uel esse apud eũ, uel percipere ab eo potest. Christũ certe cõmunem habent mercedẽ omnes pij, quicquid inter se donis differant: quid iam sit, quo suscipiens prophetam, propheta ipso inferior existat? Sic qui uel potum aquæ frigidæ, uni ex pusillis, hoc est, contemptissimis Christi dederit, nomine discipuli, mercedem nõ amittet. Nã qui discipuli nomine cuiquã benefacit, magistro ipsi benefacit, studiũq; suum, erga illũ declarat, ipsumq; uere possidebit, ac demũ audiet ab eo: Sitiui & dedisti mihi potum, &c. Veni & accipe regnũ paratum tibi ab exordio mũdi, infrà 25. Quæ modo Christo ipso, & possessione regni Dei amplior merces uel excogitari possit, quæ pphetæ, iusto, uel discipulo, præ excipiẽtibus illos

illos optima fide,& hoc nomine,quòd Domini sunt,competere queat? Haud scio tamen,hoc dictum Domini expendens diligentius, an non eo Dominus intellexerit, benefacientem prophetæ,iusto,discipulo,se iam participem reddere eorum, quæ isti salubriter uel docent, uel faciunt. Qui etenim operantem alit, ut operæ eius, ita & mercedis quam ille meretur,partem sibi iure uendicat. Mercedem autem accipit,ut & Paulus 1.Corinth.3.ubi de plantante,& rigante scribit, quemlibet pro suo labore, mercedem quoq; percepturum. Gratuitam siquidem Dei repensionē, mercedis nomine intellexit.Ista uero,nomine prophetæ,iusti,discipuli,perinde esse,atq; hac causa,quòd quis Domini propheta,iustus atq; discipulus sit,declarat præter alia luculenter illud Marci 9.qui quod postremo hic loco ponitur,sic extulit: Quisquis enim adbibendum dederit uobis calicem aquæ,nomine meo, quòd sitis Christi, amen dico uobis,nequaquam perditurus est mercedem suam.Nam sui causa neque propheta, neq; iustus,aut discipulus suscipiendus est, sed propter Christum. Cui ut pij omnes sese totos consecrarunt,ita in ipsius gratiam agunt omnia.

Mar.explicatus.

Memorabilis uero hic locus est,quo monemur,& quàti nos Christo simus, quod fidem profecto in ipsum nostram haud parum debeat cōfirmare: tum quanti uiciſsim nobis haberi conueniat eos qui quocūq; modo Christi fuerint, quod iure accendat charitatem. Vtiq; si Christum uere agnouimus, nihil prius ducemus, quàm illū demereri:scientes ergo ex ipsius oracul o nos tum demum ipsum demereri,quum benefacere operam dederimus ijs qui eius sunt,& inter hos etiam omnium minimis.

Quidam ecclesiastica dignitate,ut sibi uidentur, præcellentes, hæc ad se pertinere putant,contendentes,Christum audiri atq; recipi, cum ipsi audiuntur & recipiūtur; etiam si nihil sani loquantur uel statuant, Christum sperni,si ipsorum cōmenta quis non adoret.Sed isti nimium se fallunt, cum neq; discipuli Christi sint,neq; prophetę, aut iusti nomine ueniant, de quibus hæc solis dicta sunt. Abnegent isti semetipsos, & Christum sublata sua cruce sequantur,nihil loquantur aut agant,nisi ex spiritu patris,& audient atq; excipient eos pij,Christi nomine.Sin sua quærere usq;, atq; docere pergunt,sciant se alienos esse,quorum uocem oues Christi audire nequeunt,Ioannis decimo.

Qui uos audit me audit, de Apostolos Christi duntaxat dictum.

Lucas præter ablegationem duodecim, amandasse Christū, & septuaginta alios memorat,quos binos miserit ante faciem suam,in omnem ciuitatem & locum,quo erat ipse uenturus.His eadem mandata dedit, ut nihil uideatur ijs quæ dicta sunt addiſciendum.Notandum autem,quid potissimum Christus in terra operis, cum per se, tum per suos curarit, nimirum nihil ante inuulgationem Euangelij, & prædicationem gratiæ Dei.Nam si ea recipiatur,uita æterna recepta est,& sine ea, nihil non noxium esse poterit. Primum itaque Christianis dignissimum opus fuerit, dare operā, uerbo & uita,quò latissime gratia facta per Iesum Christum diuulgetur.

Lucas explicatus.

CAPVT VNDECIMVM.

Sect.1.



T FACTVM est, cum finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc,ut doceret & prædicaret in ciuitatibus illorum. Ioannes autem cum audisset in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis, dixit illi: Tu es ille qui uenturus est, an alterum expectamus? Et respondens Iesus dixit illis:Ite & renuntiate Ioanni ea quæ auditis & uidetis.Cæci uisum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt,& mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuntium,Et beatus est quisquis non fuerit offensus per me.

Euntibus

A Euntibus autem illis, cœpit Iesus dicere turbis de Ioanne: Quid existis in deserțum ut uideretis? Num arundinem, quæ agitatur à uento? Âge, quid existis ut uideretis? Num hominem mollibus uestibus amictum? Ecce qui mollia gestant, in domibus Regũ sunt. At quid existis uidere? Num Prophetam? Certè dico uobis & excellentiorem propheta. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparaturus est uiam tuã ante te. Amen dico uobis, non exortus fuit inter eos qui nascuntur è mulieribus, maior Ioanne baptista. Attamen is, qui minor est in regno cœlorum, maior illo est. Sect. 2.

Porrò à diebus Ioannis baptistæ, usq; ad hunc diem regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Nam omnes Prophetæ, & ipsa Lex usq; ad Ioannem prophetauerunt. Et si uultis recipere, ipse est Helias ille qui uenturus erat. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Sect. 3.

Sed cui assimilabo generationem hanc? Similis est pueris, qui sedent in foris & acclamant sodalibus suis, ac dicunt: Tibia cecinimus uobis, & non saltastis, lugubria cecinimus uobis, & nõ planxistis. Venit enim Ioannes, nec edẽs, nec bibens, & aiunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibẽs, & dicunt: En hominem comedonem, & uini potorem, publicanis amicum ac peccatoribus, & iustificata est sapientia à filiis suis. Sect. 4.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus editæ fuerant plurimæ uir- Sect. 5.
B tutes ipsius, quòd scelerum eas non pœnituisset. Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaidan, quoniam si in urbe Tyri, aut Sidonis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco & cinere scelerum suorũ pœnitentiam egissent. Attamẽ dico uobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij quã uobis. Et tu Capernaum, quæ æs usq; ad cœlum exaltata, usq; ad inferos detraheris, quoniam si in Sodomis editæ fuissent uirtutes, quæ editæ sunt in te, mansissent usq; ad hodiernum diem. Veruntamen dico uobis, quòd Sodomis tolerabilius erit in die iudicij, quàm tibi.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Gratias ago tibi Pater Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certe Pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem quisquam nouit, nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quòd mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris. Iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est. Sect. 6.

IT factum est cum finem fecisset Iesus mandãdi &c.) Egressi à domino Apostoli circumibant Euangelizantes & curantes ubiq;. Luc. 9. interea noluit & ipse à suo munere uacare, multum dissimilis nostris uulgo Episcopis, qui ne per Apostolos quidẽ Euangelizare, curareq; miseram plebem dignantur. Rursum uero uidemus, docendi opere Christum potissimum referri, & summo beneficio homines affici. A fide enim omnis sa-

A lus,

lus,hæc autem ex auditu prædicati uerbi,Roman.10.

Ioannes autem cum audiſſet in carcere facta Chriſti Luc.7.) Lucas ſcribit Chriſtum,ante à mortuis filium uiduæ in porta ciuitatis Naim in uitam reuocaſſe, præſente turba hominum copioſa. Vnde timor illos homines acceperat,& glorificabāt Deum, dicentes:Propheta magnus ſurrexit inter nos,& Deus uiſitauit plebem ſuā. Necꝙ enim alio poteſt Deus luculentius ſuum erga homines fauorem declarare,ꝙm mittendo illis Prophetas ſuos, qui ſui cognitione illos erudiant. Ergo exijt hic rumor in uniuerſam Iudæam de domino,& omnem finitimam regionem.Nuntiauerunтꝙ Ioanni ſui diſcipuli de his omnibus.Sic facta domini in carcere Ioannes percepit,ut noſter ait. Hinc conuocatos duos ex diſcipulis ſuis, miſit ad Ieſum, qui ſuo illum nomine rogarent, an ipſe eſſet, qui uenturus expectabatur Chriſtus, an eſſet adhuc alius expectandus.De hac Ioannis quæſtione multi multa diſputarunt:ueriſimilior eorum ſentētia eſt,qui cenſent,non ſua cauſſa Ioannem, ſed diſcipulorum, qui ægre ab ſe,ad Chriſtum concedebant,ſciſcitatum dominum, duos hos diſcipulos amandaſſe. Ipſe nanque dominum ſatis certo, Chriſtum eſſe,& agnouerat ipſe, & alijs prædicauerat,de quo ſuprà cap.3.in illud:At Ioannes prohibebat illum.Moneмur ergo hic,ut ad unum magiſtrum noſtrum cœleſtem,dominum Ieſum Chriſtum cunctos ablegemus:ne quis ſibi quenquam diſcipulum uel adducat,uel addici ſinat.Miniſtros huius magiſtri unici,agnoſci ſeſe uolunt cum Paulo.1.Corint.4. quotquot ueritatem docent:pſeudo enim Apoſtolorum eſt ſe ipſos magiſtros facere,& poſt ſe diſcipulos trahere,Act.20.

In ſcitētia pietatis unius Chriſti diſcipulos eſſe oportet.

Et reſpondens Ieſus dixit illis:Ite & renuntiate, Ioan.&c.Luc.7.) Lucas ſcribit, Chriſtum in eadē hora,multos curaſſe à morbis ac plagis,& ſpiritibus malis, & cæcis multis donaſſe uiſum,atꝙ tum dixiſſe nuntijs Ioannis: Euntes renuntiate Ioanni,quæ uidiſtis & audiſtis,quod cæci uident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt,mortui reſurgunt,annuntiatur pauperibus Euāgelion, & beatus qui non fuerit in me offenſus.Iam uel ex hoc Chriſti reſponſo,patet Ioannē non ſua,ſed diſcipulorum cauſſa,dominum,ſi Chriſtus eſſet,rogaſſe,factis nanꝙ ipſe maluit reſpondere,quàm uerbis,quia diſcipulis Ioannis,non uerba ſed facta,deſiderabantur. Indubie quod de Ieſu turbis tam diligenter teſtatus fuerat, ſuis diſcipulis Ioannes haud quaꝙ tacuerat:ſed quia externā ſpeciem, quæ in Ioanne propter uitæ auſteritatem,quàm in Chriſto cōmuni ratione uiuendi cōtento, auguſtior erat,mens diſcipulorum uſꝙ morabatur,necꝙ inducere in animū poterant, tanto Ieſum ſuo præceptore præſtantiorē eſſe,miſit illos ad Ieſum,poſtꝙ ipſi iam famam eius mirari cœpiſſent,ut facta illius ipſi uiderent,atꝙ iam in externis quoꝙ ſe, qui ſignum nullum ſe cerat,Ioan.10.diuiniorē illum agnoſcerent. Hæc igitur ſpiritu agnoſcens Chriſtus, ſigna ipſis uidentibus multa edidit, eaꝙ Ioanni iuſſit renuntiare,quorū ſciebat teſtimonio illū,ſuos diſcipulos in fide erga ſe,melius corroboraturum.

Alluſiſſe aūt ſimul uidetur,hoc facto,& reſponſo,ad illud Ieſcha. 61. Spiritus dominatoris domini,ſuper me,propterea unxit dominus me,ad prædicandum pauperibus miſit me, ad obligandū uulnera contritis corde, ad promulgandum captiuis remiſſionē,& concluſis apertionem carceris. Ad promulgandū annum acceptū domino,& diem quo ſuos uindicet Deus noſter,quo conſoletur omnes lugentes,&c. Pauperibus ſanè,qui idem humiles,& afflicti dici poſſunt, quos moles iam ſuorum peccatorū premit,de quibus ſuprà.5.in illud:Beati pauperes &c.Euangelion gratię Dei annuntiabatur.Tum erat dominus,eſſeꝙ ſe magnifice declarabat,qui credentes ſibi omnibus iuxta malis, quæ Vates per contritionem cordis, captiuitatem & concluſionem carceris cōprehendit,liberaturus aduenijſſet.Nam ideo in conſpectu nuntiorum Ioannis multos à morbis & plagis ac ſpiritibus malis liberabat,atꝙ cęcis multis uiſum donabat. Vt ita uerba ſimul atꝙ facta illa, cum uaticinijs Prophetarum

A tarum componentes, Christum esse ipsum possent agnoscere, quicunq; aliquo ueritatis studio tenebātur. Est præterea &.35. uaticinium apud eundem Prophetam: Dicite trepidātibus animo, confortamini, ne timeatis, ecce Deus uester uindex aderit, retributor Deus uester, ipse aderit & saluabit uos, Tunc uisitabuntur oculi cæcorū, & aures surdorum aperiētur. Tunc saliet sicut ceruus, qui claudicabat, & exultabit lingua muti, quoniam erumpent in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Quam quam uero hoc uaticinio magnifica quædā & læta rerum immutatio, & apud eos, qui deplorati habebantur prædicta sit, eius tamen cum in præsenti uelut specimen Christus exhiberet, corporalem multis adeò salutem restituens, non minus hic locus, cum præsentia miracula faceret, impletus intelligi potuit, & ipse Christus agnosci, quàm supra Matthæus scripsit, impletum illud Ieschaiæ: Hic infirmitates nostras suscepit, cum multorum morbos curaret, atq; depellendo morbos corporis, animorum quoq; se saluatorem declararet: sicq; & ex hoc loco, perpensis simul operibus eius, Christus esse, poterat agnosci, & ad hæc præcipue discipulos remittebat, uti & Iudæis illorum testimoniū identidem obiecit, Ioan. 6. &. 10. Sic ergo & nos uirtute operum, non nudis uerbis, Christi esse nos, demonstrare oportebat.

Porrò quòd ait: Beatus, quisquis non fuerit offensus in me, proprie ad discipulos Ioannis dixit: Offensi enim erant humilitate conuersationis domini, quod non seorsim ab hominibus illa uitæ seueritate uiueret, sicut ipsorum magister, adhæc nullo alio, præter illa miracula, uitæ splendore insigni esset. Cum autem in ipso uno salus sita sit, habeatq; uitam ęternā qui ei crediderit, æternū uero damnatus sit, qui ei non crediderit, bene ait: beatus, qui nō fuerit offensus in me, id est, qui nulla in me re abhorruerit, ac ceu repellitur, ne mihi ut seruatori fidem habeat, seseq; mihi committat. Humilitas nanq; eius multos sanè repulit, non paucos etiam, quòd ab externa legis obseruantia ad interna reuocaret: uerum eos duntaxat, quibus à patre positus fuit in ruinam. Hodie multi quoq; in eo, eisdem de caussis offenduntur, quòd nimiam, scilicet, in suis humilitatem exhibet, quam mundi arrogantia non potest non fastidire: deinde quòd damnat præter se omnia, uti & præter ipsum nihil boni aut sancti existit: id rursus amantes sui ipsorum homines ita offendit, ut nihil æque damnent & execrentur atq; Christum & quicquid Christi fuerit, ter quater miseri. Deniq; & cruce, quę illū semper in hac uita comitatur, plurimi ab ipso alienantur, qui hic perdere animā suam timentes, Christum repudiant: atq; ita iacturam uitæ faciunt æternam. Vere igitur beati existunt, quos nihil omnino offenderit, quò minus plena se fide Christo consecrent, seruatorem suum adorantes.

Beatus quisquis nō fuerit scandalizatus

B

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Euntibus autem illis, cœpit Iesus dicere turbis de Ioan. (Luc. 7.) Ioanni uicissim Christus testimoniū perhibuit, ut uerbo Patris quod ille prædicauerat, pondus adijceret, & turbas impœnitentiæ, atq; socordiæ suæ admoneret. Videtur enim hunc sensum habere hic Christi de Ioanne sermo. En præter & ante me insignem habuistis prædicatorem resipiscētiæ, hunc Ioannem, ad quem magnis turbis in desertum usq; profecti estis. Sed adeo nihil inde meliores facti estis, ut haud appareat, qua demum caussa illum adieritis. Habetis illum arundini, uento agitatæ similem, ut nihil certum aut firmum dixerit? Contemnitis siquidem strenue, quæ ille monuit, nempe securim ad arborem positam, atq; mox, si distulerit fructus bonos ferre, excindendam. Non est arundo Ioannes, testor uobis, nihil mutabile dixit, fixa Dei sententia est, certo euentura, utcunq; uobis illa modo floccifit. Sed quid? fortasse uisus est uobis delicatulus, quippe mollibus uestitus, à quo debueritis mollia & carnem uestrā titillantia, audire? Certe alius apparuit, si nihil aliud, certe uel uestis illa ex pilis camelorum contexta, monere uos debuerat, mascula & fortia esse, quæ doceret, uti planè sunt, & quidē adeo, ut omnem etiam humanā uirtutem superēt. Quippe totius uitę

Ioannes nihil minus quā arundo et mollis aulicus.

renouationē,quæ ſola dignos reſipiſcentię fructus tulerit,ille præcepit.Certa igitur & uirilia,nihil nutans aut molle,ab illo audiuiſtis quidē,ſed quid obſecro in uobis præſtiterunt?Prophetā audire uobis uiſi eſtis,& recte quidē,imò pluſquā Prophetā, qui clarius ac præſentius ſalutē uobis indicarit,quā quotquot ante illum Prophetæ fuere.Eſt nanq; de quo ſcriptū eſt:Ecce ego mitto nuntium meum ante faciē tuam, qui præparaturus eſt uiam tuā ante te.Sed quo eſtis facti emendatiores?

Excellētior uero Ioānes reliquis Prophetis in eo fuit, quòd alij Prophetæ de Chriſto diu poſt futuro prædixerūt, hic ſubingredienti etiam uiam muniuit,populo ad pœnitentiam reuocato,eiq; præſentiam illius atteſtato. Expreſſimum nanq; Euangelion prædicauit,ut ſuprà cap.3. dum ſermones ipſius excuſſimus,indicatum eſt. Quòd ergo Chriſtum orbis ſeruatorem Ioannes prædicauit reliquis Prophetis plenius & expreſſius,hoc fuit omnibus præſtantior,ac ſupra quàm Propheta:quare ad probandum ipſum ſupra Prophetam eſſe, Chriſtus illud Maleaci adduxit, quo,id quod Ioannes præſtitit, prædictum fuit, nimirum quod apertiore, quàm quiſquam Vatum alius, Euangelij prædicatione Chriſto uiā ad populū Iſraēl ſternere debuerit.Certe Prophetarum dignitas & precellentia Prophetiæ pretio æſtimatur,quare cum nullius prophetia potior fuerit ea quam attulit Ioannes, iure Chriſtus Ioannem præſtantiſſimū omniū pronuntiauit.Tantus aūt cum eſſet,cumq; magni quoque ipſis turbis haberetur,non aliter tamen uerba eius acceperāt, quàm ſi futilis nugator, atq; arundini inconſtantia ac incertitudine ſimilis fuiſſet,qui nihil firmi aut certi docuiſſet.Habēt nanq; ſubamarā & exprobrātem ironiam illę priores duę interrogationes.Significare enim per eas uoluit,nihil eſſe diſſimilius arundini,quàm Ioannem,& bis abſurdum mollia ab ipſo expectare, quem & ueſtitus & uictus, ſeuerum pœnitentię prædicatorē teſtabantur:Prophetæ potius omnia ſimilia habuiſſe, uti ſanè pluſquam Propheta erat: ſed licet illi non alio nomine ipſum adiiſſent, quàm Prophetæ,eum tamen animum factis proderent,qui Ioannem arundini ſimilem habeat,qui diuerſum omnino ab eo quod docuerat cenſuiſſet ſequendum, & mollem præ ſe aulicum tuliſſet,qui nihil duri ſuadere poſſet. Adeo corrupte adhuc & ſine omni pœnitentia uiuebant.

Porrò locus ille Maleaci.3.adductus hic eſt paulo aliter atq; Ebręa habent,ac etiā uulgata Græcorum editio,cui cum Ebræis hic conuenit,ſed ita tamen,ut hæc Chriſti uerba,locum iſtum uelut enarrent. Ebræi ergo legunt adhuc modum:Ecce mitto angelum meum,& repurgabit uiam coram me, & continuo ueniet ad templum ſuum dominator,quem uos requiritis,& angelus teſtamenti quem uos deſideratis, ecce aduenit,dicit dominus exercituum.Cum itaq; uates prędixerit,dominū miſſurum Angelum qui uiam repurgaret,& tum uenturum Chriſtum,nihil à ueritate Ebræa alienū eſt quod dominus citat: mitto Angelum meum,ante faciem tuā. Cum enim illico poſt Ioannem hunc nuntium Chriſtus adfuerit, prædicans Euangelion regni,& ſaluatorem ſeſe uarijs ſignis demonſtrans,certe ante faciem Chriſti fuit ille miſſus. Deinde quia Chriſtus uia illa aduenire debuit, quam Ioannes uenerat repurgaturus,nihil diuerſum eſt ab Ebræis qui legunt corā me,quod uerba Chriſti habent:qui præparaturus eſt uiā tuam ante te.Eadē enim uia patris & Chriſti eſt, qua & ipſe ad nos,& nos ad ipſum imus,uera noſtri humiliatio, & reſipiſcentia cum ſolida fide.Hanc deniq; et corā patre & filio ille parauit,dum ita ut utriq; probabatur, populum inſtituere,idoneumq;,ut Chriſtum,& in ipſo patrem ſuſciperet,formaret. Mar.1. hoc teſtimoniū Malea. eiſdem uerbis legitur: ueriſimile itaq; eſt illud ſic in uulgatis tum Græcis exemplaribus,fuiſſe lectū,quæ Matth.Mar.& Lucas imitari, quàm nouitate rudiores forſan offendere maluerunt,præſertim cum ſententiæ Prophetæ,nihil deperiret.Suprà cap.3.ſtatim ab initio de his plura.

Locus Ioan.1 Ecce mitto angelum.

Solet hic & de eo diſputari,quòd Ioannes ſe Prophetā & Eliah negauerit, Ioan.1. cum

A cum Christus tamen utrunq; illum esse hic pronũtiet. Sed negauit illic se Eliah carne esse, & Prophetã aliquem ex ijs qui antè uixerant. An enim horum aliquis esset illi rogabant. Expressit autem quid esset, quo simul & Eliah se, & plusquam Prophetam esse, sed spiritu, abunde declarauit. Nec reiecit Eliah aut Prophetæ nomen, nisi quatenus his nominibus, ut ea Pharisæi intelligebant, officium suum non satis & proprie, exprimeretur.

Amen dico uobis, non fuit exortus inter eos, qui nascuntur è mulieribus, Luc. 7.) Volens Christus Iudæis opprobrare cor impœnitẽs, & uerbi Dei, quomodocunq; offerretur, cõtemptum, Ioannem primum insigni laude euexit, ac plusquã Prophetam esse testatus est. Quo nomine licet illum consuluissent, atq; tanquam Dei uerba ab ipso audituri in desertum ad eum abijssent, uita tamen eorũ tetabatur, haud plus ponderis doctrinam illius apud eos habere, quàm si arundine incertior fuisset, eamq; mollitiem & ignauiam præ se ferret, quæ deceat mollem & delicatulum aulicum, nec seuerum se pœnitentiæ prædicatorem, atq; exactorem exhibuisset. Iam quamlibet magnus Prophetiæ dignitate Ioannes fuisset, Christus & apostoli eius Euangelion Ioanne adhuc clarius ac potentius prædicarent, contẽnere omnia pergebant, eoq; id referebant quod puerorum habebat cantio: Cecinimus uobis tibia &c. Ait ergo dominus, non esse inter natos è mulieribus maiorem Ioanne Prophetam, quod nominatim in Luca adiectum est. Agitur enim hic de prophetiæ potissima dignitate, quo inexcusatius Iudæorũ obstinatio argueretur, qui omnium præcellentissimos Prophetas contempsissent. Apud Deum siquidem, & omne recte iudicium, is maior est, qui melior: melior à quo cumulatior ad plures prouenit utilitas. Iam, ut nullum est præstantius bonum quàm Dei cognitio, quia uita æterna est: ita non potest magis diuinum beneficium cuiquam præstari, quàm si Deum nosse doceatur. Præstant ergo omnibus ueri Prophetæ, quòd omnium diuinissimo beneficio homines afficiant. Vnde si etiam absolute, natis ex mulieribus maiorem Ioannem pronuntiasset, ut apud Matthæum fecisse uidetur, uerum nihilominus pronuntiasset. Sed quòd Ioannem Prophetis reliquis uniuersis prætulit, dictum quoq; paulo antè est, ideo recte fecisse, quòd Ioannes explicatiorem & pleniorem prophetiam, nimirum ipsissimum Euangelion prædicauerat. In Christo siquidẽ Deus uere demum cognoscitur, hunc nullus ante Ioannem prædicauerat expressius.

Maior quã melior.

B Hinc iam liquet, quomodo hoc maximo omniũ, qui, scilicet, ante ipsum prophetarunt, Vate maior adhuc sit, qui in regno Dei, quod idẽ cœlorũ uocatur, minor est. Minimus enim quisq; Apostolorũ, aut etiã illorũ septuaginta, quos ante faciẽ suam dominus miserat prędicatũ Euangelion, explicatius adhuc Ioanne gratiã Christi, et potentius etiã, adiectis tantis miraculis, prædicabat, prædicaturiq; eam, ea ui paulo post erãt, ut totus orbis, eius cognitione illustraretur. Vt ergo Christi cognitionem meliorẽ orbi annuntiabãt, præstantiore homines beneficio afficiebant, eoq; ut meliores, ita & maiores erãt. Minores aũt in regno cœlorũ hic ij intelligũtur, qui quod credunt loquũtur, nõ hypocritæ, sine fide Dei uerba sonantes, aut etiã deprauantes, qui supra. 5. minimi in regno cœlorũ, eo quòd sint nullius in eo loci aut momẽti, uocantur. Huiusmodi enim cum Ioanne cõferri nõ potuerũt, nedũ illi præferri. Sed ex ijs qui uera fide, iam in regno cœlorũ, hoc est, noua ista Dei Ecclesia, quæ tum Euangelio colligi incipiebat, Prophetæ erant, gratiã Dei annuntiantes, nemo tã abiectus erat, qui nõ maior Ioãne esset, quia plenius & potẽtius illo Christũ docebat, & multo perfectius adhuc docturus erat. Sed quid Iudæi? Vt Ioannẽ contempserant, ita & Christum ipsum, ac regni eius Prophetas uniuersos. Audiebant quidẽ illos, at ne pilo quidem meliores inde reddebantur, quia uerbo Dei fidem nullam habent.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Porrò à diebus Ioannis Baptistæ usq; ad hunc diem, &c. Luc. 16.) Quarto iam hic

arguitur Iudæorum impœnitentia, ab aliorum exemplo. Primũ enim arguerat eam dominus à ſtudio ipſorum erga Ioannem, quem ut Prophetam, ac nequaq; tanquã arundinem, aut mollibus ueſtitum adierant, nec tamen ei habuerant fidem: deinde à dignitate ac diuinitate prophetiæ Ioannis, quam uſq; tamen contemnebant: tum à præſtãtia prophetiæ ſuiipſius & ſuorum, adhuc ampliore, quam etiam perſequebantur: iam hic quarto arguit pertinacem iſtam Iudæorũ impœnitentiã, à fide ſtudioq; promiſcui populi, atq; eorum, qui cupidiſſime in regnum cœlorum irrumpẽbant, quos illi interim execrabantur. Nam quòd hic ait: à diebus Ioannis, &c. perinde eſt atq; ſi dixiſſet, ab eo, quòd Ioannes pœnitẽtiam prædicare cœpit, uſq; in hunc diem, mægno uidetis impetu, turbas ad oblatam ſibi gratiam, & diu adeo expectati Chriſti Eccleſiam ſeſe conuertere, ac ceu ui irrumpere, & certe uiolenti rapiunt illud, id eſt, qui regni cupiditate adeo flagrãt, ut uitã & omnia poſthabeãt, modo participes ſint Euangelij, & ciues regni cœlorum. Vos autem ſusq; decq; iſta facitis, ut oblatam gratiam contẽnentes, ita ardens hoc populi ſtudium irridentes. Vnde Lucæ. 7. poſt illud: attamen qui minor eſt in regno Dei, &c. continuo ſubiectum legimus: Et omnis populus audiens, & Publicani iuſtificarunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis, Phariſæi autem & Legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt aduerſus ſemetipſos, non baptizati ab eo. Hic ergo populus & hi publicani, qui poſthabitis omnibus, ſummo ardore uerbum Dei, primum per Ioãnem, poſtea & per Chriſtum atq; diſcipulos eius receperũt, iuſtificantes Deum, id eſt, cum ingenua peccatorum confeſſione, tum auidiſſima nec minus grata gratiæ oblatæ ſuſceptione, iuſtum & iuſtificantem Deum tum agnoſcẽtes, tum prædicantes, uiolenti illi ſunt, qui uim in regnum cœlorum faciunt, ac ui ipſum rapiunt. An nõ uero ui rapere, uideatur, pro quo capitis periculum quis adeat? Significatur uero his, theſaurũ Euangelij non cõtingere, niſi ijs qui ſummo & flagrantiſſimo ipſum deſiderio quæſierint, proq; eo nihil nõ periclitari, & amittere ament. Quæ Euangelij æſtimatio, & parabolis illis infrà. 13. de theſauro, & margarito commendatur.

Lucas.

Ioãnes præ lege et Prophetis audiendus

Nam omnes Prophetæ & ipſa lex uſq; ad Ioannem. Luc. 17.) Quinto arguit Iudæorum ſocordiam, ab eo, quod quę ſola iam orbi à Deo uitæ doctrina donata erat, nollent agnoſcere, in perniciem ſibiipſis conſilium Dei, & ſaluberrimã prophetiam negligentes. Habent aũt hæc Chriſti uerba hunc ſenſum: Stultus ac maledictus uobis populus, ô uere bis ſtulti & maledicti Phariſæi, uiſitationem domini agnouit, quæq; modo à bonitate Patris hominibus doctrina donata eſt, intellexit, ideoq; tanquã illam auiditate amplectitur, tantaq; ui irrumpit, uobis fruſtra lege & Prophetis, quę & ipſa nec intelligitis, nec ſequi libet, confidentibus. Vſq; ad Ioannem nanque lex & Prophetæ prophetarunt, id eſt, doctrina lege & Prophetis contenta, ſola uiguit, prædicariq; debuit. Ab eo aũt, quòd Ioannes Prophetis omnibus maior, quia prædicator gratiæ clarior, prædicare cœpit, alia, & multo diuinior lux exorta eſt, ad quam collatũ, quicquid claritatis Lex & Prophetæ habent, umbra magis quàm lux cenſenda eſt. Et ſi uultis recipere, ipſe eſt Helias ille qui uenturus erat, quem qui non audierint, anathemate à domino percutientur. Non debebat igitur ſermo eius tantopere uobis contemni.

De hoc Maleac. ita uaticinatus legitur: Ecce ego mitto uobis Eliah Prophetam, antequam ueniat dies domini magnus & terribilis, & conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte ueniam, & percutiam terram anathemate. Dies hic domini magnus & terribilis, tempus Euangelij eſt glorioſum, & ob diuinam præſentiam mirificam adeò & claram, cum timore & tremore ſuſpiciendum, hoc antequam increbreſceret miſſus eſt hic Ioannes ſpiritu & uirtute Eliah, qui incredibili, ſcilicet, ſeueritate & incomparabili autoritate, impietatem infectãs, maiores & minores, inter ſe cõmuni reſipiſcentiæ ſtudio, atq; Euangelij illuceſcẽtis fide,

A fide conglutinaret, ne gratia hac Dei contempta, iram eius anathemate percussi, inaudito, scilicet, exterminio destinati experirentur. Quod in impietate persistentes, miseri demum experti sunt, de his plura capite tertio mox ab initio. Tempus itaq; erat, ut pro lege & Prophetis, huic alteri Eliah auscultarent, qui quæ lex & Prophetæ continent luculentius & spiritu potentiore iam explicabat, annuntians præterea aduenisse modo regnum Dei, regnum gratiæ & salutis. Hoc ergo populus & publicani senserant, quare ceu ui irrumpebant, Pharisæi supercilioſi, nihil minus, eoq; omnia contemnebant.

Hac causſa Christus adijciebat, quod exclamare solitus fuit quoties singularem animaduersionem requireret. Qui habet aures ad audiendum audiat; quasi diceret: Adest tempus uisitationis uestræ, offertur uobis regnum Dei, & uita æterna, habetis illum Eliah qui restituere omnia aduenit, sed contemnuntur uobis omnia, aures desunt quæ Euangelion exaudiant, ut ei credentes, ab imminenti terræ huic, ac breui affuturo anathemate et exterminio seruaremini. Cuicunq; igitur inter uos aures obturatæ non sunt, qui ueritatem potest percipere, intendat animũ his quæ Ioannes docuit, quæ ego ac mei discipuli plenius explicamus. Hactenus lex & Prophetæ audiendi fuerunt, modo nobis auscultandum est, non aliud, aut diuersum à lege & Prophetis annuntiantibus, sed quę in illis habentur plenius explicãtibus, & præsentiorem Dei gratiam Euangelizantibus. Vnde Lucas decimo sexto: Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum Dei annuntiatur, & quiuis in illud uim facit. Quod perinde est: Hactenus prædicata sunt uobis mãdata legis, & monitiones Prophetarum, quorum ceu pædagogia institui uos oportuit: at nunc, ab eo quòd Ioannes prædicare cœpit, annuntiatur regnum Dei, aduenisse, scilicet, Christum, à quo sit remissio peccatorum certo petenda, & spiritus solidæ iustitiæ, neq; id

2 iam solis Iudęis, sed uniuersis hominibus passim in spiritu & ueritate adorabitur Pater, & filij regni, nullis nisi dilectionis operibus occupabuntur. Huic Euangelio regni Dei oportebat uos primos posthabitis omnibus auscultare, sicut populus & publicani faciunt, qui modo omni carnis discrimine contempto, in illud uim faciunt. Adhuc tamen uos Pharisæi, cum uestris sectatoribus consilium Dei, aduersus uosmetipsos spernitis. Cæterum de legis stabilitione, atq; abrogatione plura suprà cap. 5. in illud: Non ueni soluere legem: de prædicatione uero, atq; Euangelio regni plura cap. 3. ubi Ioannis prædicatio tractata est.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Sed cui assimilabo generationem hanc, Luc. 7.) Commodum, postquam diligenter adeo duritiei & impœnitentiæ Iudæos admonuisset, si qui forsan inter eos sanabiles adhuc, tempus uisitationis suæ potuissent agnoscere, ad deplorationem eorũ, quibus omnia frustra occinebantur, descendit, opprobrans eis inuictam animi obstinationẽ, qui quomodocunq; uerbo Dei tentarẽtur, in impietate tamen perseuerabant, neque id solum, uerum inueniebant simul, quo ueritatem & gratiam Dei blasphemarent. Venerat Ioannes, seuerus resipiscentiæ prædicator, utq; eam citius persuaderet, ipse omnium rudissime & durissime corpus suum habuit, ignorans adeo quicquid est delitiarum, ut hic dominus dicat, eum nec edisse, nec bibisse, id est, cibo & potu, quo uulgo homines uiuunt, non esse usum, de quo suprà capite tertio in illud, In deserto Iudææ. Hanc uitæ seueritatem cum uiderent ferè modũ hominum excedere, dæmonio adscripserant. Successerat Christus ipse, qui ut recreare uolebat, omnes laborantes, & oneratos, & peccatoribus potissimum semedicum exhibere ita uulgari modo uiuebat omnibus sese attemperans, quò uel aliquos lucraretur. Quod & ipsum uitio dederunt, calumniantes eum, tanquam comedonem, uini potorem, peccatorum & publicanorum amicum. De quo suprà capite nono. Sic non solum à neutro Euangelion recipere sustinuerunt, sed

Ingenium reproborũ cum uerbo Dei tentantur.

etiam utrunq; falso calumniati sunt, probantes se canes esse, quibus frustra sanctum obijciatur, ac in quos illa puerorum cantio competat: Tibia cecinimus uobis, & nõ saltastis, lugubria cecinimus uobis, & non planxistis, neq; enim blando & gaudij pleno Euãgelio, quod Christus prædicabat, tum amico, & illicibili eius cõuictu, ad suscipiendum ipsum pellici, neq; seria ad resipiscendum Ioannis adhortatione, tum graui mortificandæ carnis exemplo quod præferebat, ut sibi displicerent permoueri poterãt. Graphice uero in his ingenium reproborum, cum uerbo Dei tentantur, depictum licet contemplari.

Iustificata est sapientia.

Et iustificata est sapientia à filijs suis. Luc. 7.) Lucas addit omnibus. Et uidetur mihi quidem huius sensus esse: utcunq; uos superciliosi Iudæi in perditionem uestram Euangelion & sapientiam Dei cõtemnitis, iustificata tamen est, hoc est, ut uera Dei sapientia suscepta, & obseruata ab filijs suis omnibus, ut quotquot illius participes sint, à Patre existant electi. Neq; enim in scripturis legitur, iustificare aliter acceptũ, quàm pro iusto censere & laudare, sicut paulo antè ex Luca adductũ fuit, quod Publicani iustificauerunt Deũ. Neq; etiam filios sapientiæ nisi bonos dici inuenias.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, Luc. 10.) Huc ibat, & ad hunc finem omnia superiora dicta sunt, ut his oppidis in quibus plurimas uirtutes ediderat, illa autẽ scelerum suorum minime pœnituerat, incredulitatem opprobraret. Sunt autem Chorazin, Bethsaida & Capernaum oppida lacui Genesari adiacentia. In ea enim Galilææ portione, dominus frequentius egit, de quo suprà. 4. cap. Mirum autem uideri possit iudicium domini, quod ait: Si in Tyro ac Sidone eæ uirtutes editæ fuissent, quæ Chorazin & Bethsaidan, olim insigniter pœnituissent. Etsi Sodomis facta signa, quæ Capernaum, usq; in præsens mansissent. Cogitare quis possit, cur ergo nõ illis potius urbibus prædicauit, & signa illa sua exhibuit? Verum expendendũ est, quod & aliás monui, dominum uulgo uulgariter locutum, eoq; cum uellet istis oppidis, insignem impœnitentiã opprobrare, prætulit eos animi obstinatione ijs, quos omnium habebant deploratissimos. Quales utiq; Tyrij & Sidonij illis erant, præterquã quòd Gentes sine Deo, etiam ob maris commoditates, & cõmerciorum multorum contagionem, moribus peculiariter corruptis & nequam. Iam Sodomorum flagitijs, uel ob inauditam illam ultionem nihil habebatur detestabilius. His itaq; quantumlibet perditis, deteriores pronuntiauit istos, quibus tantis iam miraculis frustra diu adeò prædicauerat. Atq; uel hoc solum uoluit persuasum esse ijs, qui sanabiles inter eos etiamnum erant, quò resipiscerent, alijs uero induratis, quò essent inexcusabiles. Idem pręstabit & à nobis diligenter perpendi, quippe eos, quibus regnum Dei peculiari uirtute annuntiatum fuerit, si non resipiscãt, peius habituros quàm Sodomæ ac quiq; deploratissimi. De eo autem, quid qui olim perierũt, facturi fuissent, si eis ita fuisset prædicatum, uestigare curiosius, nihil ad nos, cum quod præterijt, reduci iterum nequeat, & in ea re, nos nihil præstare possimus. In hoc magis incumbendum nobis, ne nos atq; alij, quibus in præsens Euangelion prædicatur, obstinatis istis similes simus. Sicut autem superuacaneum fuerit disputare multis quid illi facturi fuissent si Euangelion prædicari ipsis contigisset, ita impium est colligere hinc, in manu hominum esse, prædicato Euangelio habere fidem, uel secus. Quandoquidem dominus non dixit, uel Tyrios & Sidonios pœnitentiã fuisse acturos, uel Sodomas adhuc staturos, sua uittute, ubiq; autem in scripturis testatur, homines ex sese, nihil posse nisi peccare. Sed, ut dixi, satis ex hoc loco didicerimus, si persuasum nobis teneamus, quibuslibet peccatoribus ac sceleratis, grauius puniendos eos, ut & grauius peccant, qui oblatam sibi per Euangelion gratiam Dei reiecerint. Tum si reprobi sint, nulla uel prædicationis diuina energia, uel prędicatoris irreprehẽnsa sanctitate, uel quamlibet insolenti miraculorũ splendore, ad cre-

Quatenus hic Christi sermo perpendẽdus.

Quæ hinc discenda.

A ad credendum posse permoueri, quando Christus ipse, in quo hæc omnia summa fuere, frustra istis licet tam diu, prædicarit. Denicp non continuo bene habituros, quibus palàm & paulo magnificentius Euangelion fuerit annuntiatum, cum Capernaum, quanto pre aliis, ob Christi glorioſum adeò municipatum & frequentem præsentiam, celsius fuit, ad cœlos usqp, ut Christus ait, exaltatum, tãto infra alios postea, ultione fuit deiectum, detractũ nimirum ad inferos, id est, cæcitate & calamitate, infra quoscp abiectissimos. Idem multis aliis urbibus euenit. Viderint quibus hodie præ aliis Euangelion illuxit. Christus semper in resurrectionẽ & ruinã multorũ, iuxtà ponitur. Cuius arcani consilij rationẽ, pius nemo uestigabit, sed aget potius gratias domino, Christũ sibi in resurrectionẽ, & non ruinã positum. Porrò sedere in cilicio ac cinere, mos fuit serio pœnitentiũ, atqp peccata lugentiũ, & ritus denicp uetri ieiunij, ut de Niniuitis legitur, de quo suprà cap. 7. Illud denicp, tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quàm tibi, explicatum suprà est cap. 10.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Gratias ago &c. Luc. 10.) Lucas memorat, hæc dominum dixisse, cum reuersi septuaginta discipuli gloriarentur sibi demonia dicto fuisse audientia, uel ergo non semel, ut plane dissimile ueri non est, ista est locutus, uel circa idem tempus, etiam fatum suum, istis ingratis urbibus prædixit. Specimen autem exhibuit hic Christus animi, aduentum regni Dei, gloriæcp ipsius illustrationem, ardentissime desiderantis, tum electos ad hanc unice deamantis. Vbi enim secũ reputasset, quanto bono, sanè æterna uita, & Iudæi illi priuati essent, dum Euangelio non possent credere, & sui illi uiles ac rudes discipuli ditati, quibus, scilicet, datum erat, illi non solum credere, sed simul fœliciter ipsum quocp propagare, ut

B uerus homo fuit, & affectibus uiuis, sed ad gloriam Dei comparatis, exilijt præ lætitia ac gestijt animus eius, erumpens illico in gratias erga patrem, gloriam suã mirifice adeo sed secundũ prophetarum uaticinia prouehentem. Vnde Lucas habet. In eadem hora exultauit spiritu Iesus. Confiteor ait, tibi domine cœli & terræ. Hoc *Confiteor.* Ebraismus est, pro eo quod est, gratias ago uel prædico te. Cum enim Eb. יהד alias quando confessus est, significet aliquando laudauit uel prædicauit, Græci constanter illud pro ὁμολογεῖσθαι, id est, confiteri reddiderunt, unde aliquot scripturæ locis, non nihil obscuritatis rudioribus offusum est.

Sed quid? Laudat Christus tantus humani generis amator patrem, quòd cognitionem sui, quæ æterna uita est, aliquibus absconderit? Etiam hoc, quia iusto optimocp Dei iudicio ita comparatum fuerat, sed magis adeo, quod ingentem illũ thesaurum, quo superbi sapientes ac prudentes, multis alias ditati, ex æquissima Dei dispensatione carere debebant, rudibus, humilibus, ac pauperculis suis donasset: & peculiariter impleri ita patris uoluntatem, qua nihil potest melius excogitari exultabat. Vnde subijcit: certe pater, sic fuit bona uoluntas coram te. Hinc in psalmis, tanta sanctis uoluptas & gratiæ, ob uindictam malorum, quos ut uincere uoluntatem domini optauerant, ita uictricem summo cum gaudio glorificabant. Neque pugnat hoc dilectioni, quæ secundum Deum habet omnia. Videtur quoque dominus ex tristitia, atque animi perturbatione, quæ eum ex consideratione tam inuictæ impœnitentiæ suæ Gentis & patriæ percelluerat, sese attulisse in considerationem iudiciorum patris, quæ nunquam non iusta laudandáque sunt, indéque in hanc tam lætam confessionem paternæ uoluntatis atque iustitiæ erupisse, discusso interim dolore, quem immensa illa suorum dilectio ex consideratione presiore perditionis eorum hauserat. Hæc nanque dilectio sicut nihil quàm salutem quærit ijs quos amat, ita non potest non excruciari animaduertens eorum perditionem, quicquid huius dominus constituerit. Sunt autem ista, Domine cœli & terræ

Laudat patrẽ Christus quòd quosdã excæcet.

terræ, & repetita uox patris, indicia animi, sancta uoluptate perfusi, diuinaq; quadã C
lætitia gestientis, tum Dei potentiam & maiestatem digne admirantis. Hos affe-
ctus Paulus non ignorauit, & norunt quibuscunq; gloria Dei uere chara est. Qui
enim nihil æque, atque sanctificari nomen domini optat, is etiam summa lætitia
exultet necesse est, cum uoti compos sanctificari illud uidet. Hinc tantum gaudij
& gratiarum actionis apud Paulum, ex profectu fratrum, & rursus dolor & crucia-
tus intolerabilis, ex ipsorum scandalo & casu. O utinam & nos serio precari posse-
mus, pater sanctificetur nomen tuum, & haud uulgari hanc Christi exultationem
uoluptate perpenderemus.

Omnia mihi tradita sunt à patre meo &c. Luc. 10. Ioan. 1. 13.) Quasi diceret: Cur nõ
gratias tibi pater magnifice agerẽ, cum omnia mihi in manus tradideris, & per me
dispensari cuncta uolueris. Delegi ex tua mihi uoluntate, contemptos & simplices
hos, trado tui illis cognitionem, & amplectuntur: amando ut eam alijs quoq; com
municent, & succedit. Incomparabilis est gloria qua me glorificas, & incognitam
adhuc mundo maiestatem, quam apud te habui, priusquã mundus hic fieret. Ioan.
17. modo profers. Nemo est, qui plane norit, qui sim, nisi tu solus pater, neq; te nouit
quisq; præter me, tua diuinitas nulli esse cognita penitus, imò nulla eius portio po-
terit, nisi per me. Meum est dare spiritum, quo tu in me, & ego in te cognoscar. De
quo Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse
enarrauit. Maior nanq; Deus est, quàm ut possit humana mente comprehendi, & ut
Deus uere cognosci. Tum enim ut Deum uere illum cognoscimus, quando ut sum-
mum bonum, etiam nobis, in quo adeo desiderabilia uniuersa nobis exposita sint,
ut præter ipsum nihil omnino possimus optare, agnoscimus. Huc iam nisi creda-
mus peccata nobis condonasse, peruenire haud licet, & condonasse sine Christo,
quandoquidẽ Deus iustus est, credere non possumus. Hæc uero omnia, suo nos spi- D
ritu Christus docet, quare ipso enarrante discendum est, quicquid cognitionis Dei,
nos consequi destinatum fuerit. Ista tum mundo patefieri incipiebant, atq; ita dies
salutis oriebatur, & annus acceptus illẽ sese aperiebat, hinc illa domini exultatio &
gratiæ. Ioan. 17. eadẽ multis prædicat, quomodo electi sibi à patre traditi sint, ut ipse
uitam æternam, nimirum sui & patris cognitionem illis donet. Animaduertat hæc
qui poterit, profecto qui ea agnouerit, nec sua nec ullius creaturæ sapiẽtia, uel iusti-
tia fidet, sed uni Christo per fidem sese dedet.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis &c.) Recte ad se inuitat, postq;
omnia à patre tradita accepit & cognitionem patris solus donat. Quid enim habe-
mus, si æternam uitã non habemus? hanc iam si solus Christus suis donat, dementes
sunt, quotquot non pronis animis, ad ipsum benigne adeo inuitantẽ accurrunt. Vo
cat aũt nominatim, laborantes & oneratos, qui iam peccata sua sentiunt, & paupe-
res spiritu existũt, quòd nõ alij, quid Christus sit agnoscere queãt. Satisfactio enim
est pro peccatis, mediator & intercessor eorũ, qui iratũ Deũ timent. Hæc ut deplora-
ti illi, qui peccati sensum amiserunt ac etiã hypocritæ, qui alijs medelis frustra fidũt,
suis, scilicet, atq; aliorũ operibus, prorsus ignorant, ita nec Christũ cognoscere pos-
sunt, aut ad illum sese recipere. De pauperibus spiritu, qui ĩdẽ sunt onerati & labo-
rantes, quos ad se Christus uocat, plura supra cap. 5. Ego, inquit, refocillabo uos. Si-
mulatq; enim ille sui cognitione donauerit, ut per ipsum nõ dubitemus peccata no-
bis à patre cõdonari, atq; in filios & hęredes ab ipso nos assumptos, qd est quod prę-
terea queat nos angere? Quid omnino mali accidat, qd boni desideretur, Deũ iam
patrem habentibus per Christũ, & quidẽ fauentissimũ? Certi sunt, quotquot hac fi-
de prædita sunt, omnia in bonũ sibi cooperari. Ro. 8. nulla igitur possunt affici ulla
ex re molestia. Incredibile quidẽ illis tormentũ est peccatũ, quod repugnantẽ legi
Dei, in mẽbris suis, legẽ ferre hic cogũtur, sed quoties hinc laborãt, & onus sentiũt,
ad Chri-

A ad Christum accurrunt, atq; non remissionem solum eorum quæ commiserunt ab ipso sibi impetratam agnoscunt, uerum etiam spe roborantur, ipsius beneficio paulo post futurum, ut à corpore hoc morti obnoxio, ac omni prauo affectu prorsus liberentur, plene ad imaginem ipsius restituti. Hinc utcunq; laborauerint, atq; onerati extiterint, mirifice & abunde refocillantur, animiq; pacem & tranquillitatem referunt. Hæc est pax illa omnem sensum exuperans, quam in se suis Christus promisit, utcunq; in mundo coangustarentur, de qua Rom. 5. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per dominum nostrum Iesum Christum, per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hãc, in qua stamus & gloriamur, sub spe gloriæ Dei. Nec id solum &c. Multus sane est Paulus in pace hac prædicanda, uti & proprium ea Christi opus, & beneficium existit. Gustus enim quidam est uitæ æternæ, atq; salutis, per ipsum nobis restitutæ. *Vnde animi refocillatio.*

Tollite iugum meum super uos & discite à me &c.) Quid iugum & onus suum intelligat ipse satis declarat, cum subijcit: Discite à me, quæ enim docet, onus quodam & iugum sunt carni, ac cum ipsi quis sese fide dediderit, sentit spiritu quem ab ipso percipit nihil illis esse cõmodius, nihil portatu facilius. Quo autem hoc ut discere ab ipso & ipsius esse discipulos liberet prouocaret, subiecit: Quia mitis sum & corde humili, hoc est, nihil est me demissius, nihil est æque cuiuis magis expositum una mea cura est uestra salus, hic nihil arrogans, nihil prefractum uobis metuendũ: ne ergo pigeat mihi uos discipulos addicere. Vulgo hic locus exponitur, quasi hoc ipsum, quòd mitis & humilis ipse erat, à se disci uoluerit. Quanquam autem id præcipue à se disci postulet, uidetur tamen probabilius cum ait, discite à me, postulasse ut in uniuersum doctrinam ipsius, quam suum onus & iugum uocauit, amplecteremur, facti ipsius discipuli in omnibus, & tum hanc subiecisse rationẽ, se mitem

B & corde humili esse, hoc est, humanissimum & omnium imbecillitati expositum, quicq; ideo nihil non saluificum, & ideo maxime suaue & commodum, spiritui sanè, preciperet & doceret. Satis enim omnia hæc indicant, huc eum nos inuitasse, ut omni eius doctrinæ nos addiceremus. Cui qui sese addicunt ipsi quoq; similiter mites & humiles euadunt: & hi soli requiem animabus suis inueniũt. Cum enim nulla omnino res sit, quæ animum hominum exagitare & tranquillum reddere possit, nisi solus Deus, quod ipsa experientia probat, & Deum ij demum uere percipiunt, qui omnia alia posuerint, unde & beatos pauperes spiritu pronuntiauit, quòd ipsorum sit regnum cœlorum, quòd, scilicet, nulli alij Euangelio credere possunt, uere dixit requiem animabus suis inuenturos, qui iugum suum super se tulerint, atq; ab se didicerint, hoc est, ipsius facti fuerint discipuli eoq; uere mãsueti, & pauperes spiritu. Nam ut hi missis rebus caducis atq; perituris, Euangelio uere credunt atq; per illud gratiæ Dei in Christo Iesu ac æternæ uitæ securi sunt, ita solidam animorum pacem, ac requietem obtinẽt, spe nimirum salui & beati. Hinc recte subijcit: iugum enim meum bonum, & onus meum leue est. Iugum quidem & onus est, sese abnegare, sed carni, cum sancti autem spiritu uiuant, eoq; sciant Dei patris erga se cura & amore, quibus beantur, propriam curam & amorem, quibus non nisi perire possunt, commutasse, & pro omnibus quæ Dei caussa relinquunt, centuplum in hoc quoque seculo, & æternam insuper uitam recepturos, tum denique & momentaneam leuitatem afflictionis nostræ, mire supra modum, æternum pondus gloriæ parere, secundo Corinthiorum quarto, non possunt non optimum, commodissimum, atque amabile iugum hoc, onúsque portatu & leuissimum & optatissimum iudicare. De quo plura supra capite septimo in illud: Introite per arctam portam &cæt. *Requiem animab.* *Iugum bonũ.*

Recepi supra me in hoc capite de prophetia nõnihil dicturũ, uel ea occasione, q̃d Ioannes plus quã Propheta esse à domino prædicetur. Prophetia igitur, ut de noĩe

ordiar

ordiar,Ebraice dicitur נביא quod ut ex uarijs locis ſcripturæ intellígi poteſt, ſignificat hominem diuinũ, Deiq́ interpretem. Primo Moſcheh.20.legimus dominum dixiſſe Aebimelec de Abraham: Nunc ergo redde uiro uxorẽ, quoniam Propheta eſt,& orabit pro te,& uiues.Ex his uerbis ſubapparere uidetur,hominem Deo charum,cum quo Deus loqueretur,Prophetam in ſcripturis uocari. Talis enim Abraham erat,Deinde.2.Moſcheh.7.ita Moſcheh loquitur dominus: Vide,dedi te Deũ Pharaoni,& Aharon frater tuus,erit propheta tuus.Hic quid Propheta niſi interpretem ſignificat? Præterea.4.Moſcheh.12.ſic loquitur dominus: Si quis erit inter uos Propheta,ego dominus in uiſione illi apparebo,in ſomnis loquar ad eum. Non ſic ſeruus meus Moſcheh, qui ex omni domo mea, ueritate atque certitudine præſtat. Ore ad os loquor ad eum,& aperta uiſione,non in ænigmatis & ſimilitudine dominum contemplabitur.Ex his rurſum patet: Prophetam dici,diuiniloquum, qui uel uiſione aliqua, uel in ſomnis, uel oraculo obſcuriore, uel apertiore apparitione & colloquio, uti Moſcheh cõtigit,diuina percipit,ut ad alios ea deinde proferat,quod quid aliud eſt,quàm Dei eſſe interpretem? Non aliter agnitus fuit Schmuel eſſe cõfirmatus,ut eſſet Propheta domini. Inuulgatũ enim erat,dominum ipſi,& per eum loqui,ut Eli iudicium ſuum per eum prædixerat. 1.Schmuel.3. Sed in eodem lib.ca. 10.&.19.de choris Prophetarum legimus, ad quos cum Schaul ueniſſet, inſiluit in eum ſpiritus Dei & prophetauit pariter,factus uir alius.Et.19.ſcribitur,ueſtes deposuiſſe,& nudum concidiſſe,per diem & per noctem.In libris Regum quoq́ præſertim ſecundo,prioribus aliquot capitibus,quibus de Aeliſcha memoratur,crebra fit mentio filiorum prophetarũ.Ii uidẽtur ergo fuiſſe uiri religioſiores, qui certis temporibus decantandis Pſalmis, & precando Deo, tum docendo atq́ excutiendo legem domini,præ alijs fuerint occupati.Singulari tum adflatu ſpiritus interdũ arripiebãtur, unde ille qui ad ungendum Ieſum uenerat,per conuiciũ arreptitius à proceribus dicebatur.Etenim Schmuel.10.cap. prioris libri ſui ita Schauli prædicebat: Cum ueneris in ciuitatẽ, illic obuiam ueniet tibi grex Prophetarum, deſcendentiũ de colle,& ante eos pſalterium & tympanũ,& cimbalum,& cithara, & ipſi prophetabunt. Quod prophetare puto nihil aliud fuiſſe,quàm hymnis Deum celebrare,populumq́ ad pietatem prouocare.Sed ita ut appareret tamen in eo certa uis ſpiritus. Quibus cum ſeſe Schaul ſubito adiungeret, atque pariter prophetaret, quod ante hac non fuerat ſolitus, uis ſpiritus domini, qui ipſum inuaſerat, declarata fuit. Nam licet ſpiritu Domini omnia in omnibus fiant, peculiariter tamen inſilitio aut correptio, uel opus ſpiritus dicitur, quum quid præter conſuetum ordinem, ab illo in homine deſignatur,

Haud crediderim uero illis Prophetis omnibus facultatem adfuiſſe,uel prædicendi futura,uel recondita alia, & diuiniora enarrandi, & ſi ſemper aliquos tales inter illos fuiſſe non abnuerim. Nam peculiariter Gens hæc,dono prophetiæ,ut haberet ſemper,qui de diuina uoluntate reſponderent,inſignis extitit, iuxta promiſſionem domini.5.Moſche.18. Vbi & ſi potiſſimum Chriſtus promiſſus fuerit, tamen conſideranti uerba illic diligenter, ſatis patebit, etiam de quolibet propheta, qui populo de domini uoluntate reſponderet,factã eſſe promiſſionem.Nam interdicit illic Moſcheh cum in promiſſam terram ueniſſent, cõſulere diuinos,& ſubijcit: Prophetam de medio tui,& de fratribus tuis,ſicut me, excitabit tibi dominus Deus tuus, illum audietis,ſicut omnino à domino Deo tuo petijſti in Choreb &c.quaſi diceret: Non à diuinis,ſed à domini Prophetis,de uolũtate illius rogabitis. Et ne cauſſam habeatis,diuinos conſulẽdi, excitabit uobis dominus ſemper de medio ueſtri prophetas, à quibus de ſententia ipſius poſſitis rogare. Quorum uoci,qui inobediens fuerit,is ut uerbi mei contemptor pœnas dabit. Attamen,quoniam & falſi prophetæ ſurgẽt, ueſtrum erit diſpicere,qui à me miſſi fuerint,et qui à ſe ipſis uenerint,id in eo deprehendetis,

Iudæi ſemper habuere prophetas.

A hendetis,si quid nõ eueniat, quod qui prophetam sese iactarit, euenturum prædixit. Hæc summa est promissionis Domini,in loco adducto,secundum quam semper ferè prophetas suos populus ille habuit usq; ad Christum. Vnde Psal.74.tanquam de suprema calamitate queritur:Signa nostra non uidemus,nõ est amplius propheta,nullus nobis cognoscens reliquus.De Christo ergo, præcipue illa promissio fuit, ut Petrus eam in Act.adducit,at non solo,sed & de prophetis,quotquot à Domino, à Moscheh usq; ad Christum Iudæi habuerunt. Iudicent de his, qui locum hunc,simplici & diligenti consideratione uolent expendere.

Locus 5. Mos. 18. de prophe ta.

Nemo uero clamet hinc gloriæ Christi aliquid detrahi, aut quòd Iudæis secundũ carnem per hæc minimum concedatur. Prophetiæ de Christo, spiritu non litera & persuadentur & creduntur.Quotquot contentiosi sunt,canes sunt, quibus ne debes quidem sanctum legis & prophetarum obijcere.Sanè præstat omnino mittere Iudæos,quàm urgere ijs,quæ ipsi probabiliter possunt eludere.Suprà 1.cap.in illud:Porro totum hoc factum est,dixi frustra cum Iudeis de Christo, aut ullis prophetijs agi:nisi in primis persuadeantur esse peccatores,atq; resipiscentia indigere, id uerum spiritales agnoscent.

Spiritu,non litera conuincendi incredu li.

Sed ut ad institutum redeam,quantum conijci potest ex uarijs scripturæ locis, propheta uidetur proprie significare hominem, diuinarum rerum per afflatum spiritus Dei,præ alijs scientem,quiq; de uoluntate Domini alios queat edocere. Inde autem ut fit, deductum hoc nomen est, & ad quoslibet diuinis rebus peculiariter deditos: imò quicunq; afflati spiritu insolentius loquebantur, prophetare dicebantur. Sic de Schaul 1.Schmuel.18. legimus & inuasit spiritus Dei malus Schaul, & prophetabat in medio domus.Quid hoc prophetare fuit, quam insolentia loqui, ut enthusiasmo acti solent:Vnde & qui bono Dei spiritu afflati,de diuinis rebus differebant, carnalibus hominibus,insani habebantur.Sic de eo,quem Aelisca ad ungendum in regem B Iehu miserat,dicebant qui cum Iehu erant:Cuius caussa uenit hic insanus, siue arreptitius ad te?Sic & Paulum insanire Festus putabat,diuina differentem.Insanũ enim caro iudicat quicquid suum captum excesserit.

Vt uarie prophetare accipiatur.

Prophetia itaq; uera & sancta,de qua hic potissimum agimus, facultas quędam uidetur,Dei consilia & placita plenius ac certius cum cognoscendi,tum enarrandi ad Ecclesiæ profectũ, instinctu afflatuq; diuini spiritus aliquibus facta.Huius pars quædam est,pręsensio ac prædictio futurorum,aut etiam reconditorum.Pars,& quidem, diuinior,de Deo,ac pietate dexterius differendi facultas. Quanquam perraro inuenias prophetæ nomine insignitos,quibus nõ esset simul datũ,præsentire prędicereq; futura, aut certe enuntiare occultiora,q; ut humano ingenio essent cognitu possibilia. Vti erat,quod Schmuel Schauli dicebat,quid quæreret:& Aelischa,suo Gechazi,quid à Næaman Syro accepisset:tum Christus Nathanaëli, ubi fuisset cum à Philippo uocaretur. Vnde nota ueri prophetæ.5. Moscheh.18. hæc diuinitus data fuit,si eueniisset quod prædixisset. Quanquam eodem libro 13.& altera adiecta fuerit, nempe si non ab uno Deo colendo auocaret. Nam fieri posse, ut uolente Domino populum suũ tentare,eueniat,quod etiam pseudopropheta prædixisset.Hinc de Schmuele,puer Schaul uolens illum probare,uerum prophetam dicebat: Est uir Dei in ciuitate hac,hic uir insignis est,quicquid dixerit, certò euenit. Huc sanè & Paulus uidet respexisse,cum ait: Quòd si omnes prophetetis, ingrediatur autẽ incredulus aut indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt,atq; ita procidens in faciem adorabit Deum, renuntians quod reuera in uobis sit.Quid hoc est,coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt:nisi quòd prophetæ ex spiritus instinctu, occulta cordis illius proferunt, quod cum humanitus nemo possit incredulus uel indoctus, certo argumento agnoscit Deum in illis agere & loqui.

Quid prophetia.

B Iam

Iam huiusmodi multos Domini uates, qui uel per uisiones, uel per somnia, uel per afflatum atq; instinctum spiritus aliás, de uoluntate Dei in rebus uarijs, atq; etiã hominum actibus, pleraq; humanum captum excedentia, identidem & cognoscere & loqui potuerunt, populus Israëliticus semper fere habuit. Sed nec primori Ecclesiæ defuerunt. Eiusmodi enim erant prophetæ illi & doctores in Ecclesia Antiochiæ, quibus Deum peculiariter colentibus & ieiunantibus, spiritus sanctus dicebat: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod accersiui eos, Acto. 13. Talis erat Agabus, qui prædixerat famem magnam futuram, Acto. 11. & Pauli uincula, 21. Petrus item, hoc uaticinij genus exhibuit, cum dolum proderet Ananiæ & Saphyræ. Quanquam autem non facile, ut dixi, prophetæ nomine quisquam in scripturis quidem celebretur, qui præsensione ac prædictione futurorum, uel cognitione atq; renuntiatione occultorum non ualuerit, tamen præcipuum prophetarum munus semper fuit, ex instinctu spiritus atq; reuelatione ad pietatẽ instituere. Vnde 1. Cor. 14. Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Tales etiam fuere, quotquot prophetas insigniores scriptura celebrat, ut Moscheh, Schmuel, Eliah, Elischa, Ieschaiah, Iirmeiah atq; cæteri.

Quid doctrina à prophetia, & doctores à prophetis.

A doctoribus autem prophetæ differunt, quòd doctores quæ per scientiam consecuti sunt quæ & ipsa tamen donum spiritus est, quandoquidem omnia in omnibus operatur, 1. Cor. 12. Ecclesiæ tradent: Prophetæ, quæ per reuelationem. Id præter locum quarti Mos. 12. suprà adductum, atq; exempla omnium prophetarum, quos scriptura celebrat, & illud probat, 1. Cor. 14. Nũc autem fratres si ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero, nisi uobis loquar, aut per reuelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam. Nam reuelationẽ non dubitarim cum prophetia, sicut scientiam cum doctrina esse à Paulo coniunctam, ut sicut reuelatione percipitur, quod per prophetiam alijs differitur, ita scientia teneatur, quod communicatur alijs per doctrinam. Quis enim loquatur alijs, per reuelationem uel scientiam? Reuelatione igitur percipitur diuinitus citra humanam institutionẽ, sicut per scientiam humanitus, licet non absq; opera spiritus, quod alijs postea tradatur. Eoq; Paulus qui Euangelion suum, neq; ab homine accepit, neq; didicit, sed per reuelationem Iesu Christi illud consecutus fuit, perpetua quadam prophetia, non doctrina prædicauit, Galat. 1. Cæterum & 1. Corint. 12. & Ephes. 4. Paulus alios prophetas, & alios doctores facit. Illic scribit: Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primũ Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates, &c. Hic: Et idem dedit alios quidem Apostolos, alios uero prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores ac doctores, &c. Vbiq; prophetas eos dicit, qui per instinctum & afflatum Dei docentur quæ doceant, quæq; ad ædificationem Ecclesiæ loquantur. Doctores uero qui eruditi sunt per homines, & humano more ex sanctis libris, licet id non absq; dono & facultate spiritus, sine quo nulla omnino ratione sacra percipi possunt. Atq; hinc iam liquet, præsentem Ecclesiam, ut de doctoribus per spiritum Dei formatis gloriari possit, de prophetis certe non posse, quos si non omnino nullos, certe perpaucos, eosq; nimis obscuros habet.

Quomodo Io. propheta & plus quàm propheta fuerit, & tamen se prophetam negarit.

Ex his iam facile intelligitur, quomodo Ioannes propheta, & plus quàm propheta fuerit. Omnia enim sua per reuelationem habuit, plenus spiritu à puero, eaq; ad summam ædificationem fuit prolocutus, deinde & latentem tum Christum, mundo prodidit, atq; numeros ita omnes prophetæ impleuit. Eoq;, quòd negauit se prophetam Iudæis, id non tantum fecisse uidetur, ut significaret, cuiusmodi propheta esset, magisq; proprium suum illis titulum profiteretur, quod scilicet ad negotium quod tum agebat, cum prædicandæ pœnitentiæ, tum Christi manifestandi, haud parum faciebat, sed magis adeò, quòd Iudæi illi persuasi παλιγγενεσίαν, rogassent, nũ aliquis ex prioribus prophetis, in hanc rursus uitam redijsset? Sicut & de Christo uulgo putabant,

A tabant,alij Eliam ipsum esse,alij Ieremiam, alij alium quempiam ex prophetis priori
bus arbitrati. Sic enim & Herodes existimabat Iesum, Ioannem esse à mortuis reuo=
catum. Omnino nanq; prophetæ nomẽ Ioannes supra quàm satis impleuit, neq; ne=
gare se potuit tantus ueritatis præco quod erat. Eoq; mihi quidem non sit dubium,
illos rogasse, si Eliah prior ille Thesbites in carne redisset,aut quispiam alius ex pro=
phetis seculi superioris,quod utrumq; recte esse se negauit. Quòd autem plus quàm
prophetam illum Dominus prædicauit,factum est,propter incomparabilem prophe
tiæ eius lucem, quæ utiq; ipsissimum Euangelion fuit. Sicut nanq; Paulus prophetã
dicit maiorem esse eo, qui loquitur linguis, eò quòd ædificet propheta etiam alios,
hic uero qui aliena lingua loquitur,sibi tantũ & Deo loquatur. Linguis enim loqui
eos intelligit,qui ex spiritus dono multis linguis, & ignotis in præsentia Ecclesiæ o=
rabant uel psallebant. Sic Christus Ioannem maiorem pronuntiauit prophetis alijs,
quòd præ alijs Ecclesiam ædificarit, Euangelion æternę uitę palàm iam annuntians:
cũ apud prophetas superiores multa obscura & ænigmatica fuerint, & Christi præ=
dicatio admodum tecta.

Plura iam quàm par sit uideri possim de prophetia disseruisse,sed ut illa plus quàm
rara,proh dolor,esse cœpit,ut & alia illa spiritus dona, uereor ut pauciora æquo ple=
risq; de ea dixerim. Experientia debebat de hac pronuntiare, cum iam necesse sit, ex
uarijs scripturæ locis subodorari, quidnam ea fuerit. Nam & alia dona satis plene
haudquaquam citra præsentem eorum usum possunt depingi. Sed horum donorũ
frequentia statim cum Apostolis finem accepit, ut D. Chrysost. multis in locis testa=
tur,sicut alij sancti patres. Cum enim tã receptũ in orbe Euangeliũ fuit, uoluit Deus
solita docendi persuadendiq; ratione Ecclesiam suam ædificare. Miracula enim ista
maxime propter infideles ad Euangelij inquisitionem excitandã Dominus coruisca
re fecerat. Qui enim Domino uere credunt sic securi esse debent de eius prouidẽtia,
B ut futurorũ præscientiam minime quærant. Reliqua dona studiũ in Domino pro cu
iusq; uocatione sarcire potest: siue enim linguis, siue facultate sanandi, siue arte gu=
bernandi,potestate in malos animaduertendi, aut alio quopiã munere opus sit, spiri
tus id aliunde etiam solita uia, & studio suorum perficere potest. Proinde donorum
omniũ quæ miracula erant, iactura ferri potest,si modo excellentiorem illam,etiam
donis potioribus, uiam charitatis, quæ facessentibus linguis, scientia & prophetijs
perennabit,gnauiter ingrederemur. Sic spiritus Domini ex scripturis,& per scientiã
nihilominus omnia,quæ ad salutem opus essent,doceret, adesseteq; etiam si quando
opus esset prophetia,facultas ueræ & salutaris diuinationis. Non dubitarim tamen,
apud aliquos,quanquam paucos,& etiamnum obscuros, iustam quoq; prophetan=
di facultatem,tum & dona & pleraq; alia reperiri.

De ea uero parte prophetiæ, quæ per omnia secula, & apud quaslibet identidem
sese exeruit,tum gentes per insomnia,tum per portenta, tum per instinctum quendã
& afflatum diuinum, deniq; de impostoris,& fallacijs in his,tam hominũ quàm dæ=
monum, præstiterit legere Marci Tullij libros de diuinatione, nihil enim neglige
dum,quod Domini donum esse liquido constat. Eximia autẽ Dei dona esse tot egre
gios libros,quibus multa adeò rerum,hoc est, operum Domini cognitio continetur
qui dubitat, is paruam indubie rationẽ habet prouidentiæ Dei: sine cuius singulari
beneficio haud factũ est, quòd hi libri per tot secula, et infinitos casus seruati, ad nos
usq; peruenere. Annotandũ & hoc est,cum Dominus dona illa quæ in prima Eccle=
sia portentosa existebant, in hunc usum largitus est, ut orbis istis signis & miraculis
ad Euangelium excitaretur,ac ideo ea post Apostolorum tempora, præsertim tanta
frequentia elargiri desijt,cum tamen Ecclesiam haberet eximiã, ac martyrum quoq;
sanguine florentẽ,neminẽ posse colligere nunc nondũ ueram Euangelij adminis̃tra
tionẽ exortã esse, eò quòd ista nondum signa coruscant. Id quod quidam male con=

fulentes profectui Euangelico & instaurationi Ecclesiarũ colligere uolunt. Puritas ipsa doctrinæ certissimo argumento est, nos uero Euangelio donatos esse, si tantum donaretur illi nos maiore studio uiuere. Vere enim Satanæ cõmentũ pernicioſum hoc est, Dominum illis miraculis Ecclesiam suam semper ornare. Eo enim & damnatur Ecclesia omnis quæ ab Apostolis fuit, & nullam unquam habebũt ij, qui tale uolunt expectare. De isto enim ornatu Ecclesię suæ per illa dona, nulla extat promissio. Quæ in prophetis de his sunt, impletæ sunt.

CAPVT DVODECIMVM.

Sect. 1. IN ILLO tempore ibat Iesus sabbatis per segetes, discipuli uero illius esuriebant, & cœperunt uellere spicas, & comedere. At pharisæi cum uidissent, dixerunt illi: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato. Ille uero dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse, & ij qui erant cum illo: Quomodo ingressus sit in domũ Dei, & panes propositionis ederit, quos ipsi non licebat edere, neq; his qui cum illo erant, nisi sacerdotibus solis? Aut nõ legistis in lege, quòd sabbatis sacerdotes in templo sabbatum prophanabant, & crimine uacãt? Dico autẽ uobis, quòd templo maior est hoc in loco. Quòd si sciretis quid sit, misericordiam uolo & non sacrificium, nequaquam condemnassetis insontes. Nam Dominus est & sabbati filius hominis.

Sect. 2. At progressus illinc, uenit in synagogam illorum, & ecce homo erat manum habens aridã, & interrogabant illum, dicentes: Licét ne sabbatis curare? ut accusarent eum. At ille dixit eis: Quis erit ex uobis homo, qui habebit ouẽ unam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nónne apprehendet illam & eriget? Quanto igitur præstantior est homo boue? Licet igitur sabbatis beneficio afficere. Tunc dicit homini: Extende manum tuam, & is extendit, ac restituta est sanitati, sicut altera.

Sect. 3. Porrò pharisæi egressi, cœperunt consilium aduersus eum, quomodo illum perderent. At Iesus ubi nouisset, secessit illinc secutæq; sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos omnes, & interminatus est illis ne se facerent manifestũ, ut compleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam, qui ait: Ecce filius meus, quem elegi dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea. Ponã spiritum meum super illum, & iudicium gentibus annuntiabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet quisquam in plateis uocem eius, arundinem comminutam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad uictoriam iudicium, & in nomine illius gentes sperabunt.

Sect. 4. Tunc adductus est ad eum qui dæmonio agitabatur, cæcus ac mutus, & sanauit illum, ita, ut cæcus ac mutus & loqueretur & cerneret. Et obstupuerunt omnes turbæ, dicebantq;: Num hic est ille filius Dauid? At pharisæi cum audissent, dicebant: Hic non eiicit dæmonia nisi præsidio Beelzebub principis dæmoniorum.

Sect. 5. Iesus autem cum sciret cogitationes illorum, dixit illis: Omne regnum, diui-

sum

A sum aduersus sese desolatur, & omnis ciuitas aut domus diuisa aduersus se ipsam non stabit. Et si satanas satanã eiicit aduersus seipsum diuisus est. Quomodo igitur stabit regnum illius? Etsi ego præsidio Beelzebub eiicio dæmonia, filij uestri cuius præsidio eiiciunt? Propterea ipsi iudicabũt de uobis. Quòd si spiritu Dei ego eiicio dæmonia, ergo peruenit ad uos regnum Dei. Alioqui quomodo potest aliquis intrare domum potentis & uasa illius diripere, nisi prius uinxerit potentem, & tunc domum illius diripiet. Qui non est mecũ, aduersum me est, & qui non congregat mecum, spargit.

Propterea dico uobis: Omne peccatum & cõuitium remittetur hominibus, Sect. 6.
at conuitium in spiritum non remittetur hominibus. Et quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis remittetur illi. Qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum non remittetur ei, neq; in præsenti seculo, neq; in futuro.

Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem uitiosam & fructum illius uitiosum: nam è fructu arbor agnoscitur. Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Siquidem ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo è bono thesauro cordis expromit bona, & malus homo ex malo thesauro depromit mala. Sed dico uobis quòd de quocunq; uerbo otioso quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicij, nam ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis. Sect. 7.

Tunc interrogauerunt eum quidam è scribis ac pharisæis, dicentes: Præceptor, uolumus ex te signum uidere. At ille respondens, dixit illis: Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi nisi signum Ionæ prophetæ. Quemadmodum enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quòd ipsi resipuerint ad prædicationem Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas est hoc loco. Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam quòd uenerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Solomonis. Et ecce plus quàm Solomon est in hoc loco. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine perambulat per arentia loca, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam unde exiui, & cum uenerit, reperit eam uacantem, & scopis purgatam atq; ornatam. Tunc abit & adiungit sibi septem alios spiritus sceleratiores se, & ingressus inhabitat illic, & fiunt postrema hominis illius peiora primis. Sic erit & generationi huic peruersæ. Sect. 8. Ionæ 2. Ionæ 3. 3. Reg. 10. 2. Para. 9.

Cum autem adhuc loqueretur turbis, ecce mater & fratres eius stabant foris, quærentes ei loqui. Dixit autem illi quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui. At ille respondens, dixit ei qui sibi renuntiauerat: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et protensa manu sua in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit uoluntatem patris mei qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror, & mater est. Sect. 9.

IN illo tempore ibat Iesus sabbathis, &c. Mar. 2. Luc. 6 Tametsi miscel 6
lanea Euangelistæ scripserint, & neq; omnia Christi gesta, neq; suo sem
per ordine omnia memorarint, hoc tamẽ curæ illis fuisse liquido patet,
ut ea potissimum memorarent, eoq; ordine ut tam uita quàm doctrina
Christi abunde cognosci posset: qui nimirum unicus scriptionis eorum
scopus fuit. Hactenus ergo Matthæus narrauit: ex quibus luce clarius apparet, Chri
stum uenisse ut peccatis & malis omnibus liberaret sibi credentes: quàm solidam à
suis iustitiam requirat, tum eis donet: quòd nihil prius habuerit, quàm saluatorẽ sese
exhibere, omnibus obuium, & plus quàm fingi queat benignum, qui omnia ad hoc
instituerit, ut Euangeliõ regni spargeretur quàm latissime, atq; per id quamplurimi
salui fierent: tum quæ sit fidei natura, quæ infidelitatis, quàm sit illa saluti, hæc perni
ciei, quæ etiam crux ferenda credentibus, hæc & hoc genus alia de Domino Euan
gelista noster adhuc memorauit, nunc in præsenti capite quædã de eo narrat, ex qui
bus sententiã eius de ceremonijs legis uniuersis manifestissime queas discere, utq;
externis utendum sit quibusuis: nimirum pro arbitrio ueræ dilectionis: tum de ob
stinatione reproborum, & pro quibus ipsi potissimũ pugnent. Ex quibus omnibus
perfecta & solida Christi cognitio, hoc est, æterna uita constat.

Non est igitur sine Dei dispensatione peculiari factũ, ut sabbathis potissime ita di
scipuli esurirent, perq; segetes iter facerent, denicq; præsentibus pharisæis, qui nihil
Christi poterant non calumniari. Oportebat enim dari Domino occasionem quid
de magnifica & sancta sabbathi religione, qua non alia in lege ceremonia æque san
cte præcepta, exacta & uindicata fuit. Lucas habet: Accidit autem ut in sabbatho se
Lucas explic. sabbathum secundo primũ. cundo primo, &c. Sabbathum secundo primum quidam putant uocatũ diem septi
mum, qui cum primo in festo Paschatis sanctus erat, neq; licebat in eo operis aliquid
facere. Vnde in Matthæo & Marco in sabbathis dicitur, quòd aliquam festiuitatem
ex primoribus uidetur significare, quæ non uno duntaxat sabbatho constabant. Vt
primus solennitatis dies, primum sabbathũ ultimus qui æque celebris, secundo pri
mum dictum fuerit. Chrysostomus putat festiuitatẽ quæ proxime sabbathum secuta
fuisset, sabbathum secundo primum uocatum. Cum uero oporteat hoc secundo pri
mum sabbathũ circa messem fuisse, nempe quo spicæ comestibiles erant, uideri pos
sit uel ipsum diem Pentecostes sic uocatum esse. Sed de his non est ratio ut cõtenda
tur. Satis est diem fuisse sacrum in quo nephas esset operis aliquid facere. Notandũ
magis ut certò Deus omnia quamlibet minuta dispenset, deinde ut non luxuriarint
discipuli Christi quos ad uellendas spicas & sabbatho fames compulerit: demũ pha
risæos qui falsò iustitiam sibi arrogabant nihil ueræ iustitiæ, id est, solidæ dilectionis
habuisse, eoq; nihil potuisse in alijs candide interpretari.

Ille uero dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid, Mar. 2. Luc. 6.) Duobus exem
Exemplum prius. plis, & duabus sententijs factum discipulorum hîc defendit. Prius exemplũ Dauidis
est, qui fugiens Schaulem cum uenisset Nobeh ad Achimelec sacerdotem panes san
ctos, qui ex lege à solis sacerdotibus & in loco sancto edi debebant, 3. Mos. 24. & ipse
comedit, & comitibus suis edendos dedit. Nulli enim alij aderant, & urgebat eos fa
mes. Hoc factum Dauidis scriptura nõ damnauit. Debuerant ergo ex eo discere pha
risæi externa omnia propter hominem esse, non hominem propter illa, atq; ita sicut
iure Dauidis necessitati tum cessit externa sanctitas panum, ita discipulorum fami
etiam debere cedere sanctitatem sabbathi. Marcus scribit hoc factum sub Abiathar
principe sacerdotum. Is filius erat Achimelec, & in sacerdotio successor, unde mirũ
nõ est, quòd pro patre ipsum Euangelista posuerit, qui etiã tũc cum patre sacerdotio
Exemplum alterum. indubie functus est. Alterum exemplum est sacerdotũ qui ex lege in sacris etiã sabba
tho operabantur: ex eo enim satis Iudæi discere poterant, non quodlibet opus in
sabbathis uetitum fuisse. Iam corpori necessariũ dare cibũ ex lege debebãt discipuli,
quo

A quò commodius alijs seruirent, igitur & parare illum cum necessitas cogeret, nihil erat impij. Probe autem notandũ quòd Christus hic cibum parare corpori operi sacerdotum in sacrificijs æquauit. Adeò pluris est Deo benignitas qua iuuantur homines, quàm sacrificiorum pietas quibus colitur ipse. Sicut locus ille Hoschea 6. quem iterũ adduxit, testatur. Poterant certe discipuli istũ diem sine magno periculo absq; cibo transigere, sed cum sabbathum propter hominem erat, ne quidem leui incommodo debebant eius caussa affici. Temere quidem in illo operatos esse impietas fuisset ac Dei contemptus: dum autem ita res ferebat, fames urgebat, & ad manum erat, unde paruulo labore cibum necessarium sibi pararent, quò commodius Christum comitarentur, in qua aliâs fortasse uocatione fuissent nonnihil impediti, iure optimo in sabbatho tantillum operis sibi indulserunt.

Sententia prior: Dico autem uobis quòd templo maior est hoc loco, quæ sequenti illa: Nam Dominus est & sabbathi filius hominis magis explicatur. Est autem argumentum huiusmodi. Si templi sanctitas non excusat modo, sed exigit opus à sacerdotibus die sabbathi, magis debet hos meos discipulos excusare meus comitatus. Maior enim templo sum, eoq; mea caussa plus quàm templi licebit. Cũ itaq; famelicos nunc libuerit circunducere eos, recte fecerunt sibi cibum parando, quò sequantur expeditius. Filius hominis siquidem quem uos hoc nomine cõtemnitis, Dominus est, etiam sabbathi, ideo lege sabbathi meos soluere possum. Hac quidem sententia Christum se prædicauit, cui esset in ceremonias Dei ius & plena potestas, sed stupor pharisaicus hoc Euangelion percipere non potuit. Nos autem illud amplectamur, agnoscentes Iesum hunc nostrum Dominum esse, non sabbathi modo, sed rerum omnium: quare ipsius mandatum nouum, mutuæ dilectionis obseruantibus, omniũ libertas erit, ut eorum quæ statuta in lege Moscheh fuerunt, ita multo amplius eorũ quæ homines postea nulla authoritate confinxerunt.

Sentẽtia prior. Filius hominis Dominus sabbathi.

B Altera sententia apud Marcum est: Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter sabbathũ. Hæc desumpta uidetur ex illa legis quinto Moscheh quinto: ubi uacatio ab opere in die sabbathi hac caussa adiecta præcipitur, ut seruus & ancilla æque sua quiete atq; herus fruantur. Quanquam præter hanc & duas alias caussas sabbathi scriptura assignet: prior, quòd Deus perfectis creaturis per sex dies septimo uacauerit. 2. Moscheh. 20. altera quòd uacare illos Deus à seruitute Agyptia ea fecisset. 5. Mos. quinto. In his ergo simul apparet sabbathum propter homines, ni mirum ut Dei beneficia alijs negotijs uacui diligentius pensitarẽt, & religiosius gratias agerent, institutum. Si igitur sabbathum propter hominem, ut planè leges Dei omnes, cõstitutum erat, cedere discipulorum necessitati iure debuit. Et utinam hanc Dei incomparabilem bonitatẽ probe agnosceremus, nempe omnia externa esse nostri caussa facta, quo & grati & liberi illis pro fratrum commoditate utamur. Hæc si intelligerent Anabaptistæ ac alij pro externis plus æquo contendentes, cõtentiones suas plus quàm friuolas mitterent, & Christum plenius cum cognoscerent, tum possiderent. Locus Hoschea suprà nono tractatus est. Ostendit autem Dominus, & huc adducendo illum, sabbathum & sacrificia Deo perinde haberi uti externa uniuersa. Indubie autem si pharisæi agnouissent Deum solam sui cognitionem & inde proximorum dilectionem requirere & probare, cum discipuli necessario tantum cibo usi fuissent, tam nõ potuissent illos hoc nomine culpare, quàm apud Deum factum hoc culpa uacabat.

Apud Ioannem cum sanato à se qui triginta octo annos morbo tentus fuerat Christus præcepisset lectulum auferre die sabbathi, de religione sabbathi eadem sed paulò altiori ratione docuit. Ait enim Iudæis quærentibus se ob id factum occidere: Pater meus ad hoc usq; temporis operatur, & ego operor. Quod ad hunc sensum dixit: Lex uobis septimo die quietẽ indicit ad exemplũ patris, qui cum sex diebus omnia

condidisset, septimo quieuit. Ego autem ab exemplo patris non recedo, uacat igitur culpa quod feci. Et si enim pater septimo die uacarit, atq; uacet usq; hodie à nouis generibus creaturarum condendis, ab eo tamen usq; ad hoc temporis operatur, creaturas quas tum cõdidit uiuificando & gubernãdo. Huius patris mei opus est, licet per me administratum quòd hic sanus factus est: per me condidit omnia, per me item omnia gubernat, & sunt omnia mea opera, ut patris nihil nisi beneficia, quare per ea sabbathum uiolari non potest: sed neq; uiolatum est, per hoc quòd ille lectum suum ad manifestandam gloriam patris ex meo iussu portauit. Si enim sanctificatum patri sabbathum est, ipsius gloriæ in eo potissimum debent cuncta seruire. Hæc Ioan. 5.

Septimo capite apud eundem idem factum alia ratione defendit, qua & in sequenti mox historia usum legimus: nimirum circuncisione facta in sabbatho, sabbathum non uiolari, cum ea licet per Moscheh etiã tradita esset, non tamen ex Moscheh, sed patribus uenisset, id est, non esset à Moscheh, ut lex reliqua instituta primitus, sed potius à patribus mutuata, ut uideri potuisset iure eam à sabbatho quod per Moscheh sancte adeò institutũ postea fuerat, cedere debere. Si ergo à patribus accepta circuncisione sabbathum nõ uiolabatur, intelligi uoluit multo minus id uiolari beneficio imperato diuinitus, qualis erat sanatio ægri illius: neq; etiam quòd ille manifestaturus hoc beneficium sibi collatum, domum tulit in quo iacuerat lectulũ. Vtrũq; non minus fuit quàm circuncidi, quia dominus hic non modo sanitatem huic donauit, sed etiã peccata condonauit, deniq; eo omnibus sibi credentibus saluatorẽ exhibuit.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

At progressus illinc uenit in synagogam illorum, Mar. 3. Luc. 6. Vbi uerbis nõ satis de sabbathi obseruantia Iudæis persuasisset, adhibuit miraculum ceu testimoniũ patris, quò fidem illis faceret recta se & pia docere. Ingressus ergo est sabbatho alio, ut Lucas habet, in synagogam illorum, locum docendi in primis accommodũ. Nam ut doceret, hoc est, munus suum Apostolus circuncisionis diligenter obiret, nihil omisit. Aderat autem homo habens dextram aridam, in quo iterum nota ut Deus omnia certis prouidẽtiæ legibus disponat. Neq; enim huic temere manus exaruerat, neq; ad hoc tempus sine peculiari Dei uoluntate aderat. Committamus ergo nos libere optimo patri, & ipsi in omnibus nos approbare demus operam, quæ agere nos nobis utile fuerit, ad hæc & occasionẽ & facultatẽ pulcherrime suppeditabit. Quid autem Iudæi? Obseruabant eum captantes occasionem ipsum non tam accusandi quàm calumniandi. Ita non possunt reprobi nisi propriã ipsorum salutẽ ubiq; impugnare. Apud Matthæum leguntur Iudæi rogasse dominum: Si sabbathis liceret curare: apud Marcum & Lucam contra legitur, Dominum interrogasse illos. Etenim cum Dominus interrogaret Iudæos iuxta ipsorum mentem, magis ipsorum quàm Christi hæc interrogatio fuit. Hoc ergo ut Matthæus indicaret, illis eam interrogationẽ tribuit, quam utiq; animo, obseruantes dominũ si sanare uellet, uoluebãt. Nota autem pharisæos atq; scribas fuisse, omnium sapientia atq; sanctimonia præstantissimos, qui dominum obseruarunt, captantes quo ipsum accusarent & perderent. Eo insaniæ atq; crudelitatis tandem prolabitur ἀφιλαυτίαι.

Concordia Matth. Mar. & Lucæ.

Efficax confutatio.

At ille dixit eis: Quis erit ex uobis homo, qui, &c. Mar. 3. Luc. 6.) Haud uero nõ peculiarem uim confutandi prauitatem pharisaici supercilij habuit, quòd ut Marc. & Lucas memorãt, Dominus cognito quid animo scribæ ac pharisæi uoluerent, habentem manum aridã surgere & in medium stare iussit, ipsoq; iam cum arida manu sua corã omnibus adstante, ut uel eius calamitas ad misericordiam illos moueret, & à tã iniquo ac sæuo iudicio reuocaret, eos interrogauit his uerbis: Interrogabo uos (sic habet Lucas) utrũ licet sabbathis benefacere, an male facere, animam seruare an perdere: quasi diceret: Videtis hunc miserũ, cui nemo bonus nõ optet consultũ esse, quẽq; q negligendũ duxerit nihil homnis, nedũ religionis habeat necesse est. Ad q̃d ergo

A ergo sabbathum institutum putatis,ad malefaciendum, ut negligantur,quos iuuare possis,an ad benefaciendum? Sed neq; huius morbidi ob oculos ipsis posita miseria, neq; caussæ tam luculenta & aperta æquitas crudelitatem pharisaicam potuit immutare,cumq; nihil haberent quod responderent, tacere quàm quod uerum sentiebant fateri maluerunt. Non audebant dicere: Sabbathis malefaciẽdum esse potius quàm benefaciendum,quanquam ita uellent: respondere autem sabbathis esse benefaciendum,quoniam ob id iam Dominũ damnauerant, nolebant. Obmutescebant igitur qui respondendi de lege,iusto & iniusto, licito & illicito sibi uel solis autoritatẽ uendicauerant. Non ab re igitur Christus cum iracundia illos circunspiciebat, ut Marcus habet,condolescẽs super cæcitate cordis eorũ. Qui enim nõ indignatus illis fuisset,nõ tam aperte q̃ insane adeò manifestissimã Dei ueritatẽ & bonitatẽ Dei insectantibus: Demonstrauit autẽ præterea his affectibus se uerum hominem, sed per omnia ad uoluntatem Dei comparatũ. Iracundia illa zeli fuit,pro gloria patris condolescentis,& dilectionis erga bis miseros illos sibiipsis tantopere infestos.

Notandum autem ex domini interrogatione non benefacere cum possis, esse malefacere,& non seruare cum liceat, esse perdere. Nam uoluit uideri se lędere hominẽ illum habentẽ manum aridam, atq; perdere si illum non curasset: quod sanè ut nunquam,ita multo minus sanctis sabbathis potuit licere: eoq; probauit non solum uacare culpa si illum curaret,sed facturum se obnoxium culpæ si illum curare negligeret. Alioqui respondere potuissent: non licet sabbatho perdere, sed neq; curare. Verum sciebant perinde esse non iuuare,cum quis id possit,atq; perdere, eoq; quod responderent non habebant.

Verum domini interea mira bonitas illuxit,qui quamlibet obstinatis rationẽ præterea quòd sanandus hic sibi esset,summa cũ mansuetudine reddidit. Eam Matthæus memorauit,ductã ab ipsorũ exemplo, eamq; ut à minori, ita mire efficacẽ. Quis, B inquit,erit ex uobis? &c. quasi diceret: Quid ita stupetis, & piget respondere quod iustum esse uos uestro ipsorum exemplo comprobatis. Sabbathis siquidem ipsi benefacitis, & quidem iumentis atq; pecoribus uestris, quanto magis ergo licebit benefacere homini,tanto quàm ouis sit præstantiori? Cui uestrũ uel ouis incidit in foueam,quam dubitet sabbatho extrahere? Sed alieni estis,ut dixi,ab omni dilectione, & uestra tantum curantes,non intelligitis, quid sit: Misericordiam uolo non sacrificium: ideo pecori,sed uestro,plus propensi estis quàm fratri,nam inuiolata religione sabbathi pecora uestra ipsi curatis,fratrem curari à me non permittitis.

Lucæ.14. omnino simile legimus de hydropico, ubi pariter à pharisæis obseruaba *Lucas.* tur,& similiter eos interrogabat,& curandum esse sabbatho eodem argumento probabat. Nimirum hominem non esse,& si sabbatho, negligendum, cum illi asinũ aut bouem sabbatho extrahere puteo non dubitarent. Tertiodecimo uero capite idem memorat adhuc minus necessarium illis beneficium à domino obiectum, quod iumentis ipsi non negabant, & homini impendi summe necessarium indigne ferebãt. Etenim cum dominus impositis manibus mulierculam, quæ decem & octo annis contracta fuerat,sanasset,idq; princeps synagogæ indignatus fuisset, dixit ei: Hypocrita,unusquisq; uestrum sabbatho nónne soluit bouem suum,aut asinum à præsepi, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annos,non oportuit solui à uinculo isto die sabbathi? Cum itaque & hic ratione & exemplo probasset,non licere tantum, sed omnino oportere sabbatho benefacere,præcipue homini,dixit huic cui manus arida erat: Extende manum tuam, quod simul atq; ille fecisset, manus sanitati restituta fuit, & habebat ut altera. Animaduertendum autem,quòd solo uerbo hunc curauit, nõ admota manu aut aliqua re externa, ut aliâs solitus erat, quò minus illi caussam haberẽt cõtra ipsum insaniendi. Quî enim sabbathum uiolasset uerbo? Eo nos sanè docuit, non satis habere

quod

quod benefaçimus,ſed omnem iuxtà lapidem mouendũ, quò id fiat cum gratia quo c
rumlibet.Sic uidemus hic Chriſtum egiſſe.Male habentem ,in mediũ ſtatuit, ut uel
eius conſpecta miſeria illi moti agnoſcerent pium eſſe , eum etiam ſabbatho curare.
Tum interrogatione cõmoda monuit,ut nunquam liceret non benefacere,ita mul/
to minus ſabbatho. Sancto enim die ſancte quoq; agendum eſt, hoc eſt, ex mandato
Domini,eoq; ſecundum dilectionem.Poſtremo & ab ipſorum exemplo idem com/
probauit. Cumq; hæc omnia illos mouere non poſſent, ut recte ſentirent, ferentq;
benefieri miſero , neq; liceret ipſi ob illorum peruerſitatem opus habenti beneficiũ
negare,ita rem attemperauit,ut iuuaret quidem laborantem,& illis tamen quàm mi
nimum daret occaſionis ſuccenſendi:curauitq; morbidum ſolo uerbo, nihil extrin
admouens , ne admiſſo aliquo operis ſpeciem habente , cauſſam illi uiderentur ſibi
habere, ipſum tanquam ſabbathi uiolatorem calumniandi. Adeò ſtuduit ut nullius
offenſione benefaceret.Quòd enim Ioan.5.legimus ſanato mandaſſe eum, tollere le
ctum,fecit,cum iam ad gloriam Dei intererat,obſtinatos ueritatis hoſtes,ſic ad agno
ſcendam uim diuinitatis in ipſo prouocare. Aliâs ſummopere ſemper cauit, ut ne
malos quidem offenderet. Cui nimis diſſimiles ſunt hodie non pauci , qui licet ſe
plus quàm Euangelicos glorientur , adeò tamen placere in bonum alijs parui ha/
bent,ut etiam ſi quoſdam offendant, modo factum ipſorum extra noxam ſit , nonni/
hil delectent.Hos nihil excuſabit,quòd mali ſunt quos offendere leue ducunt, cum
uideamus hic Chriſtum , tantam impendiſſe curam ne offenderet phariſæos & ſcri/
bas,quibus nihil tum uel deterius,uel obſtinatius erat. Quod uel ex eo liquet, quòd
quamlibet Chriſtus ipſis deferret,factiq; ſui rationem ſumma cum modeſtia, & inui
ctam quidem reddidiſſet, tantopere tamen ex ipſius beneficio fuerunt efferati , ut de
perdendo ipſo conſilium captarent,& captarẽt cum Herodianis,ut Mar.ſcribit,qui/
bus aliâs nihil magis odibant. Vnde recte Lucas teſtatur repletos illos fuiſſe amen/
tia.Quid enim amentia fuerit,ſi hæc non erat,ob beneficia tam diuina,eaq; tali cum d
modeſtia præſtita , tanto potuiſſe Dominum odio proſequi:Sed hoc ingeniũ eſt re/
probis omnibus , cum diuina bonitate tentantur , tum maxime aperit ſe in illis , uis
Satanica & regnum perditionis.

De ferijs ueterum.

De ferijs cum legis Moſcheh , tum ijs quæ poſtea Chriſtiani ſibijpſis ultro conſti/
tuerunt,nonnihil hoc loco dicendum.Quas ueteres, ex mandato Domini ferias ha/
buerunt.5.Moſcheh 23.enumerantur.Septimus dies qualibet ſeptimana , feſtum Pe/
ſach,quod totam ſeptimanã occupabat,ſed primus & ſeptimus dies ſancti duntaxat
erant,ut in eis prorſus ab omni opere eſſet feriandum . Feſtum primitiarum ſiue heb
domodarum , nam poſtridie ſeptimi ſabbathi , ab eo numerati, cum falx primum in
meſſem miſſa fuerat , hoc feſtum celebrabatur die uno . Feſtum tubarum primo die
menſis ſeptimi. Feſtum reconciliationis die decimo menſis eiuſdẽ : utrunq; die uno.
Feſtum tabernaculorum die quinto decimo menſis eiuſdem . Id uero ut feſtum Pe/
ſach totam ſeptimanam requirebat : ſed primus duntaxat uacationem ab omni ope/
re requirebat,& octauus . Hæ feriæ erant omnes quas Dominus ſuo populo indixe/
rat,præter ſingula ſabbatha , ſeptem duntaxat dies per integrum annum , in quibus
nihil omnino operis facere liceret.

Quas memorias feriæ ueterum habuerunt.

Habuerunt autem hæc Feſta ſingula ſuas memorias diuinorum beneficiorũ, qui/
bus animi populi per illos dies occupari , & uelut paſci ad fidem debebant . Sabba/
this conditum mundum , ac quæcunque in illo ſunt , memorabant . In feſto Peſach
magnificam ab Aegyptijs liberationem. Die primitiarum, ut quidem mihi uidetur,
beneficium poſſeſſionis terræ Canaan atque frugum quotannis prouenientium.
Die tubarum admonebantur legis datæ & obſeruandæ . Die reconciliationis affli/
gendo animas ueniam orabant peccatorum . Feſto Tabernaculorum recolebant
mirificam illam Dei bonitatem , qua ipſos per quadraginta annos , in deſertis
ductauerat

A ductauerat & aluerat,tamẽ gratias agebant pro iis quæ eo anno ipsis Domini beneficio in usum uitæ prouenerant è terra. In illis uero solennitatibus, ut & sabbathis, præter sacrificia, quibus peccatorum suorum, quibus mors debebatur, & gratiæ ac beneficiorum Dei,maxime uero Christi futuri admonebantur,animiq; pietatem atq; gratitudinem testabantur,lex Dei legebatur, atq; erudiebatur ad timorem Domini populus.Id demum erat dies illos sanctos habere Domino, ac nequaquam tantum uel ab opere externo uacare,uel etiam Deo sacrificare, id quod ex primo Ieseh. abunde liquet.Conducebat uero rudi populo,ut sua huiusmodi uelut comitia haberet,quo ad fidem ueramq; religionem formaretur, atque in ea cõseruaretur. Visum nanque Domino semper fuit,ut per mutuam hominum inter se doctrinam,pietatem plantare,sic per cohortationem,illam prouehere & conseruare. Porro cum pædagogiam legis libertas Euangelij susceperit,& fœdus quod Deus cũ electis undiq; , tam Ethnicis,quàm Iudæis,per Dominum nostrum Iesum Christum ab exortu Euangelij percussit,in solida erga ipsum fide, quæ sit per dilectionem erga proximos efficax, situm sit,citra ullos externos ritus,aut ceremonias,uti iam non in una gente,cui eædem ceremoniæ & ritus commodi esse possent,sed quàm late orbis patet regnare uolebat,Christianis nobis omnium illatum solennitatum , ac etiam sabbathi , quamlibet sancte præcepti & exacti,omnimoda libertas facta est : uti Paulus nominatim de his agens. 4. Gal. & Colos. 2. testatur,adeò ut eos qui necessario obseruanda illa cen-
serent, iudicaret Christũ negare, qui , scilicet, externa omnia charitatis arbitrio permisit,unicum suum nouum mandatum exigens,ut nos mutuo diligamus.

Quòd uero solennitates illas,tam seuere olim exegit Dominus , uti in lege atque prophetis passim legitur, cum pietas tamẽ in obseruatione earum minime sita esset, in caussa fuisse equidem puto , quòd in illis legem Domini populus discere deberet, atque fidem alere. Ad hæc uero ardentissimo studio rapi nos conuenit:proinde non B poterant istæ solennitates negligi sine insigni tam diuinæ bonitatis contẽptu,quàm pietatis neglectu.Quibus enim graue erat , uel rarís adeò temporibus memorandis Dei beneficijs,discendæq; legi uacare,ij satis declarabant,neq; Deum,neque legem Dei se alicuius æstimare:eoq; nõ tam peccabant prophanando dies illos,quàm contemnendo semel Dei & beneficia & doctrinam. Atq; hac caussa in decalogo obseruantiam sabbathi præceptam non dubitarim : siquidem sanctificare sabbathũ aliud non erat,quàm ad memoranda Dei beneficia,discendamq; legem eius uacare. Vnde usq; ad Apostolorũ tempora,mos ille durauit, ut per singula sabbatha,lex & prophetæ in Ecclesia legerentur,uti uel ex 13. & 15. Act. manifestum est. Videtur quibusdam ideo sabbathi religionem ita magni habitam seuereq; exactam fuisse , quòd figura esset sabbathismi animi,Deo non sibi uiuentis . Sed hoc eorum fide dictum sit, qui existunt dicti huius autores.Mihi superior ratio apparet firmior, quanquam insi cias non eam, sabbathum quo ab externo opere feriandum erat, figuram fuisse uitæ, in qua nihil pro nostro arbitrio , sed omnia ex sententia Domini agimus, quod unice & perpetuò hic studere debemus. Meditari nanq; in hoc seculo oportet, quod assequuturos nos in futuro speramus. Speramus autẽ ingressuros nos in requiem Domini,ut sicut ipse perfectis cœlo & terra,alijsq; creaturis,ab omni opere suo quieuit: ita & à nostris operibus uacemus uniuersis , in ipso æterna quiete pfruituri. Id quod est ingredi in quietem Domini.Hebr. 4. Vbi autem eo peruenerimus , Neomeniam neomenia,& sabbathum sabbathum excipiet, ut Ieseha. 66. prædixit, hoc est, iugis solennitas,festumq; & sabbathum perpetuum erit.

Apud Christianos feriæ omnes liberæ.

Cuius sabbathum figura.

Etenim quod in præcepto sabbathi , subinde memoratur , quòd & Deus septimo die quieuerit,ad hoc mihi uidetur memorari,ut populus die sabbathi cõmemoraret, omnia quidẽ præsentia à Domino facta,quò ad timendũ amandũq; eum, atq; fidendum ipsi,magis & magis accenderentur , sed simul tamen discerent illa non animo

tantum,sed etiam usu tandem superare,atq; ab eis quiescere,sicut monet Epistola ad Hebræos multo esse optabilius,quandoquidem Dominus ipse,tandem ab illis faciundis cessarit.Istuc præterea monere debuit,ne quis fœlicitatem suam in rebus conditis poneret,sed darent magis singuli operã, ut mentem ab rebus illis, in conditorẽ trãjcerent,expectantes & ambientes, ut & ipsi demum à suis operibus istis mutationi obnoxijs & creaturis cessantes, cum Domino quiescerent in ipso beati.

Dominici dici obseruatio Christianis digna.

Ex his iam facile liquere potest,quid de ferijs censendum sit Christianorum.Externa omnia habent imperio dilectionis permissa ut iam paulò ante dictum, ac suprà cap.5. fusius probatum est. Quatenus igitur feriæ cõmodi aliquid hominibus afferre potuerint, eatenus locum apud Christianos habebunt. Iam habere statis diebus uelut sancta comitia,ac in Domino conuenire, cum ad agendum in commune Deo pro innumeris eius in nos beneficijs gratias, tum ad percipiendã doctrinam salutis & Christi communionem in sacramentis, esse è re fratrum nemo poterit ambigere. Ad hæc, cum dilectio summæ æquitati studeat, neq; possit non multo æquissimum esse,septimo quoq; die familiæ quietem indulgere, quandoquidẽ id Deus æquum iudicarit,qualibet septimana familiæ uacare unum diem ab operibus, Christiani omnia ex dilectione agentes, libenter concedent. Vt ergo septimo quoq; die ab operibus quiescatur, idq; temporis pietati fouendæ augendæq; impendatur publicitus, publicæ sanè utilitatis ratio, studiumq; prouehẽdæ religionis poscere uidetur. Hinc factum non dubito,ut communi Christianorum consensu Dominicus dies,conuentibus Ecclesiæ publicis, ac requieti publicæ dicatus sit ipso statim tempore Apostolorum.Hinc autẽ potius,quàm dies septimus, quem Saturni uocant, ne uideremur, eadem qua Iudæi elementorum mundi religione,post noui Testamenti euulgatam libertatem, etiamnum teneri. Et quidem si hæc duo sola curentur, nempe ut corpora quidem interquiescant,& audiendo uerbo Dei,percipiendis sacramentis,fundendis precibus,erogandæ eleemosynæ, agendisq; Deo gratijs uacetur, sancta & Christianis digna est diei huius obseruatio.Sin existimetur,operari eo die per se esse peccatum,superstitio,& gratiæ Christi, qui ab elementis mundi nos sanguine suo liberauit,negatio est. Vnde cum huc erroris Galatæ essent relapsi, ut ferias diuinitus licet institutas obseruandas necessario ducerent, querebatur Paulus uereri se, ne frustra in ipsis laborasset, & interpretabatur id esse à Deo ad infirma egenaq; elementa mundi pernicioſam defectionem,Gala.4. Et ad Colos.2.testatur hoc esse eorum,qui caput Christum missum fecerunt.

Quomodo dies dominicus feriandus.

Proinde qui Christi gloriæ serio studuerit prædicator, Dominicum diem feriandum quidem hortabitur, & quòd omnino Ecclesiæ conducat uel semel in septimana publicum conuentum celebrare,tum quòd humanitas postulet,uno item die operas corporis remittere.Sed iuxta diligẽtissime monebit,operas corporis, nullo prorsus die per se peccata esse,neq; remitti debere nisi ex libera dilectione,spectante & curante,ut quod tempus externis operibus subducitur,internis pietatis studijs dedicetur,& in hoc corpori quies indulgeatur,quò mens eo die, in operibus religionis uersetur tanto operosior. Dominicum uero diem præ alijs feriandum puto, quòd Christiani,si citra iacturam liceat pietatis,semper malint uti receptis iam moribus, quàm nouos inuehere.Iam si ad eum modum,quem iam dixi, Dominicus dies celebretur, atq; eximatur è cordibus hominũ opinio necessitatis, ne quis credat, uel eum diem per se alijs sanctiorem,uel operari in eo per se peccatum, tum à moribus tollatur intemperantia illa uitæ & luxus, quibus plus quàm infames Christianorum feriæ pridem redditæ sunt,non uideo quid damni hinc pietati accedere possit, fructũ autem uideo sperandum esse multo amplissimum,si publicitus ita audiendo uerbo Dei,memorandis Domini beneficijs, celebrandæ Eucharistiæ, & habendis precationibus pro magistratu, collationibus in pauperes, instituendæ ad pietatem domi familiæ monendis

A monẽdis amicis,uiſitãdis infirmis,atq; aliis hoc genus rebus, quæ peculiariter Chriſtianorum ſunt,uno per ſeptimanam die præcipue uacetur & ſtudeatur. Multa utique turba eſt adoleſcentum, & aliâs rudium atq; infirmorũ, quibus mire huiuſmodi publicæ obſeruationes & exempla conducunt, non minus quàm ueteribus,quibus, ut dictum eſt,hac cauſſa ſabbatha ſua inſtituta fuere.

At uero iuxtà tam patrumfamiliâs,quam magiſtratus,ſicubi ille Chriſtum agnouit,fuerit,luxum illum,uitæq; abominandam intemperantiam,ac peſſima exempla quæ feſtis diebus hactenus infinito plus quã aliis uiguerunt,in irreparabile ſcandalum puſillorum,& horrendum dedecus nominis Chriſtiani,omni ſtudio & diligentia abolere. Alioqui non minus noſtras habebit odio ſolennitates dominus, quàm habuerit olim ueterum. Ieſcha.1. Hactenus feſtis diebus Deus in templis innumeris ſuperſtitionibus offenſus fuit: mirum igitur non fuit, ſi dati in reprobum ſenſum homines in reliquis quoq;, luxu ueſtium, comeſſationibus, ebrietatibus, ſcortationibus,& omne genus flagitiorum declararint, cui Deo dies illos ſacros celebrarent. Sed ſi nunc ex tenebris in lucem,ex perditione carnis in uitam ſpiritus, tum à ſuperſtitionibus ad uerum Dei cultũ reuocati ſumus, ſi eſt denicq; uerbum domini quod in conuentibus Eccleſiæ audimus, ſi ueræ religioni diebus dominicis, præ aliis uacamus, declarẽt hoc mores,teſtetur uitæ ſanctitas, probent opera. Quis credat eum ſyncero corde,certaq; fide Eccleſię conuentui interfuiſſe, atq; Dei uerbum audiſſe, qui nugacius,non dico perditius, reliquã eius diei partem uixerit, q; quolibet alio tempore? Cõſueta ægre quidẽ relinquũtur, ſed nouos ſe homines gloriãtibus, quid quæſo fœdius, q; uſq; nihil niſi morũ uetuſtatẽ præ ſe ferre? Liberet nos Deus ab hypocriſi, transfigatq; ſui corda noſtra timore,ut in ueritate ipſum adoremus.

Contra alias ferias Chriſtianorum.

B Ferias alias,ſiue Chriſti,ſiue Deiparæ uirginis,ſiue ſanctorum nomine commendatæ ſint, ſicut ſingulæ ſingulares ſuperſtitiones habent, easq; in animis rudium nimium alte fixas, uiderint fidi paſtores, ne per eas ſolennitates occaſionem dent, Deum & ſanctos grauiſſime iritandi, cum in his oportebat nos Deum maxime placare, & Deo atq; ſanctis omnibus nos uera fidei imitatione præcipue approbare. Primum enim conſtat has ſolennitates, nullo Dei uerbo inuectas. Vbi enim Apoſtolicis ſcriptis aliquid de natali Chriſti, de Epiphania & ſimilibus? Facile credidero zelo Dei à ueteribus introductas,quò ferias Ethnicorum, ſeu clauum clauo truderent. Sed quàm fuit pridem iſtorum feſtorum zelus non ſecundũ ſcientiam? Chriſtum Ieſum et hunc crucifixum,atq; à mortuis reuocatum,dominumq; omnium ad dexteram patris euectum,in omnibus conuentibus noſtris & ſolennitatibus celebrare conuenit. Deinde tantis cum ſuperſtitionibns, tum aliis uitæ corruptelis contaminata illa feſta fuerunt, ut mirer ſi quiſquam Chriſtianus ſit, qui non uel ad nomina eorum exhorreſcat. Neq; enim uel unum ex præcipuis illis fuit, quod non & peculiarem aliquam ſuperſtitionem,& uitæ luxum habuerit,quibus profecto feſta illa ægre ita repurgabis,quin plus ſcãdali adhuc infirmis,ab illis futurum ſit, quàm commodi piis. Proſunt mirifice uel ex emergentibus cauſſis,uel etiam ſtatis temporibus,conuentus Eccleſiæ haberi, ſed ut iuuentus & familia ad ſtudium religionis tempus & occaſionem habeat, ad pereundum malis exemplis non habeat. Religioſæ quoq; modeſtiæ eſt, ut quæ ueteres ſancte obſeruarunt, nos ab abuſibus impiis ad uſum ſalutarem reuocemus. In his tamen multo religioſius uidẽdum eſt, ne ullam demus in Eccleſia Dei, occaſionẽ offendiculi. Proinde maximopere proſpiciendum erit, feſta iſta omnia ubi ea non licet tollere,quantum dominus dederit ab omni ſuperſtitione & luxu uitæ uindicare. Quod quidam feſta quædam, nimirum quæ ſacras Chriſti memorias habent in ſcriptura traditas,aiunt habere in ſcripturis fundamentum,accidit quod illos tenet quædam uetuſtatis in his religio: ſtatim ſi quidem poſt Apoſtolorum tempora credũtur ſolennitates huiuſmodi inuectæ eſſe.

C Chriſtum

Christum enim natum, passum & resurrexisse scriptura quidem prædicat, sed quo die non prædicat, multo minus eum diem habendum sacrum præ alijs. Quòd autẽ hi caussantur, si ferias permittamus ampliorem occasionẽ esse famulitijs uerbi Dei audiendi, non uidetur tanti faciendum, possunt enim, ut dixi, conuentus Ecclesiæ, quantum satis est haberi, citra hoc, ut uel superstitiosæ illæ feriæ seruentur, uel integri ita dies otio addicantur, quibus longe magis familia corrumpitur quàm ædificatur. Hic Argentinæ quotidie diluculo in parochijs conuentus ad dimidiam horam celebratur, qua minister breuem hottatiunculam ad populum habet, tum in cõmune precatur. Præterea in primo templo binæ quotidie habentur conciones, ante meridiem una, altera ad uesperã. Præter has certis diebus, & in parochijs quibusdam prædicatur. Dominicis diebus in singulis parochijs, ad minimum duæ, si non tres habentur conciones. Equidem non uideo, quid rebus sic institutis occasionis, uel audiendi uerbi, uel precandi possit deesse, tam famulitijs, quàm alijs abrogatis licet ferijs quæ hactenus superstitioni nimium seruierunt. Adde quòd multo citius, impetrabitur à patribus & matribus familiâs, ut quantũ ad religionem attinet, satis concedant familiæ otij, cẽp à familia, ut si iustæ feriæ sint, totas studijs pietatis impendant, ac nõ magis luxu diffluant, atq; reddantur deteriores.

Obseruatio Ecclesiæ Argentorat.

Si quis demum obijciat, Iudæorum populũ plures quàm sabbatha ferias habuisse. Respondeo primum pauciores tamen habuisse multo, quam nos, ut suprà ostensum. Deinde non habuisse ita locis singulis doctores legis: locum denicp illis diuinitus fuisse, ubi peculiariter Deus coli uoluit. Vnde nõ tam ut feriarentur, quàm ut conuenirent aliquoties ad instaurandã in eis religionem, fuerũt illa festa sabbathis adiecta. Postremo decet, ut nos Iudæis in obseruatione elementorum pauciores, nõ copiosiores simus. Proïde si omnino placeat dominicis diebus ferias alias adijcere, præstiterat certe tam paucas habere & superstitione liberas, atq; Iudæi habuerunt, non multas adeo, & superstitione tãtopere grauatas, modisq; omnibus ortum suũ, quem à cultoribus dæmonum habent, referentibus quales sane sunt, quæ apud nos inuectę pridem fuerunt. Vtinam perpenderemus illud probe quod habet tripartita historia lib. 9. cap. 30. Mens nanq; fuit Apostolorũ non de diebus sancire festiuitatũ, sed conuersationẽ rectã, & Dei prædicare culturam.

Sed ut hæc finiam, uelim perpendant, quibuscunq; festa adeò arrident, quorũ plerarq; si à fructibus æstimarentur, non possent bonis nõ horrori esse. Si Apostoli abolerunt pauculas illas Iudæorũ ferias, diuinitus institutas, & illas nulli superstitionis obnoxias, quàm quod uulgo credebantur obseruandę necessario etiam in regno Christi, eoq; momentum aliquod habere ad iustitiam, quę non cõueniat multo magis abolere nobis aliquot ex tam multis, atq; nullo uerbo Dei inuectis, imò à cultoribus dæmonum partim mutuatas, tum pręter dictam superstitionẽ, innumeris alijs abominationibus adobrutas: insuper tanta ad omnẽ luxum, morumq; coruptelam incitabula suppeditantes, ut nullis idolorum solennitatibus hoc nomine cesserint. At nolim tamen cuiquam autor esse quicquã innouãdi temere. Consensum in his requiro non Ecclesiæ tantum, sed & magistratus. Hic aũt ubi haberi potest, monente, scilicet, diligenter ministro, quid deceat Christo deditos, non uideo cur eiusmodi Ecclesia morari debeat eos, qui Christo nondum accesserunt. Hi enim sunt, ut docerí ueritatem sustineant, uel secus. Sit illud non minus placari reddita abolitorum festorum ex scriptura ratione poterunt, quam de abolitione deprauatæ missæ ac superstitionum aliarũ. Si hoc, offensos habere oportet eos quicquid iuxta Dei uerbũ institueris. Vtinam aũt curæ adeò nobis esset innocentia & officiositate offensionẽ hominum cauere, quàm indulgendo superstitiosas ceremonias, res nostræ utiq; puriores essent & multo minus male audiremus, etiam omnibus ad Dei uerbum reformatis seueriſſime. Iudicent Spiritales.

Apostolicum exemplũ secuti ferias abolebimus.

ENARI-

ENARRATIO SECTIONIS, III.

At Iesus ubi nouisset, secessit illinc. Mar. 3. Luc. 6.) Fugit iterum Christus, sed præter ullius incõmodum, nam secutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit omnes. Marcus nominatim etiam unde conuenerant memorat, & addit, cum sanasset multos, hominibus irruentibus ut ipsum tangerent, eum pressum adeo, ut iuberet sibi naui culã deseruire. Nam ut idem Marcus testatur, secesserat ad mare. Hoc uero quod noster habet, & interminatus est illis, ne se facerent manifestum, idem Marcus scribit, sed ut peculiariter ad dæmones pertineat, quibus cum procidentes dæmoniaci clamarent ac dicerent: Tu es filius Dei uiui, uehementer fuerat interminatus, ne se manifestum facerent. Siue autem dæmonibus tantum, se manifestum facere interdixerit dominus, siue simul omnibus qui aderant, pertinuit eo, de quo dictũ suprà ca. 8. quod hoc tẽpore humilitatis & seruitutis suæ, noluit supra modũ inclarescere. Si aũt solis dæmonibus interminatus fuit, caussa extitit, quòd infamari nimirũ se laudibus malorũ nollet, de quo item suprà cap. 8. De fuga item dictũ suprà est cap. 4. in illud: Cum audisset aũt Iesus, quòd Ioannes traditus &c.

Noster adducit locum Ieschaeiah quẽ Christus ita uolens latere, & tamen inauditis istis beneficijs se Christum declarans, cõpleuerit. Et plane cum eo uaticinio de placiditate, miracp tamen uirtute simul & efficacia regni Christi prædictum sit, recte dicit Matthæus illud hic à domino fuisse completum; oraculum uero sensu nihil, uerbis tamen paululum immutatũ apud Prophetam ad hunc modum legitur: Ecce seruus meus acquiesco in eo, electus meus cõplacuit animæ meæ, afflaui ipsum spiritu meo, iudicium ad Gentes proferet. Non clamabit, & non attollet, necp audiri faciet foris uocem suã. Calamum quassatum non cõminuet, ellychnium iam obscurum nõ extinguet, iudicium uerum proferet. Non caligabit, necp frangetur, donec
B constituat in terra iudicium, & insulæ subdant se legi eius. In his & si uerba sint nõnihil immutata, ut & uulgata Græcorũ editio nõ eadem habet, sensus tamen idem, & apud Prophetam & Euangelistam legitur.

Is est, dominum nostrum Iesum, etiam secundũ hominem, unum ex uniuerso hominum genere fuisse, quo per omnia pater oblectatus est, & quo sicut herus in præcipuę fidei seruo acquiescere solet, acquieuit, per eũ omnia perficiẽs, atcp per ipsum suo spiritu præ omnibus alijs afflatum, uoluisse demum iudicium, hoc est, regnum iustitiæ ad Gentes quocp, quæ antea in uanitate sensus carnis ambulauerant, proferre, quod factum est, inuulgato in orbe Euangelio. Hoc autem futurum erat summa cum mansuetudine, placiditate & suauitate, sicut & Zachar. 9. prædictum est: Ecce Rex tuus &c. Hanc mansuetudinẽ & placidam uirtutẽ, hic Vates per illa significat non clamabit &c. Nihil enim strepitus Regij, nihil tumultus, quod formidabilem potentiam designaret, qua, scilicet, immorigeri essent ad officium compellendi, sed omnia placida & silentia apud dominũ uisa sunt, ut uel in præsenti loco apparuit, cum manifestari nollet, quare & locum hunc Euangelista huc adduxit. Clemẽtiam admirandam, per illud Vates significauit, calamũ quassatũ &c. Afflictos enim atcp ceu calamus quassatus sese habẽtes, nõ prorsus cõminuit, sed erexit potius, & corroborauit. Ita funiculũ uel ellychnion iam obscurũ, quodcp propè extinguitur, nõ extinxit, sed excitauit magis, ut clare arderet. Hæc in præsenti eo declarauit, quòd sana uit atcp docuit omnes. Porrò in hac tamen, & placiditate & mãsuetudine iudicium nihilominus protulit, & uerũ apparere, hoc est, uincere fecit, ut cognitio ueritatis, & solida iustitia ubicp obtineat. Id uerum apparuit, postquam late adeo Euangelion fuit euulgatum. Quamlibet autem placidus, humilis & clemens fuerit, per uerbum tamen crucis occulta sua potentia, iudicium in terra ita restituit & euexit, ut iam Deus uere cognoscatur & adoretur, & insulæ uerbo ipsius sese subijciant, ipsumcp auide excipiãt. Hoc quotidie fit, & fiet donec gloriosus redeat & terribilis, ad iudi-

candum uiuos & mortuos. Id uero est, quod Propheta dixit, non caligabit, nõ frangetur, hoc est, uirtus eius neq; deficiet, neq; imminui poterit. Lux uirtutis eius clarior semper euadet, & robur potentius.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Tunc adductus est ad eum, qui dæmonio agitabatur, Mar. 3. Luc. 11.) De dæmonibus dictum suprà est capite octauo. Dæmonium præsens apud Lucam mutum dicitur fuisse, per quod declaratur, ui mali dæmonis, hunc miserum, & mutum & cæcum redditum fuisse, quam uim ubi Christus depulit, loqui potuit & uidere. Hinc esse eum filium Dauid, hoc est, Christum, omnes turbæ suspicatæ sunt. Pharisæi aũt & Scribę, & quidem ut Marcus habet, qui uenerant à Hierosolymis, hoc est, omniũ præstantissimi, cum aliud non possent, Beelzebul principi dæmoniorum hanc uim attribuerũt. De hoc nomine Beelzebul suprà cap. 10. De malignitate uero reproborum, nihil quamlibet bonum, candide accipere potentium, & in superiorem historiam, & aliàs sæpe diximus. Notanda aũt in primis hic est, quæ & in proxime superiori historia mire elucet, insignis domini mãsuetudo, qui malignis adeò & peruersis Pharisæis, nihil quãlibet candidum non in atrum uertentibus, modeste adeò, & diligenter respondit, idq; tam prompte, animaduersis tantum cogitationibus ipsorum. Indubie autem id fecit, ut si non inter eos, in præsenti tamen turba esset, qui inde possent ædificari, alioqui solis canibus, sanctũ non obiecisset, nisi forte ad ipsorum contestationẽ, de quo suprà ca. 7. Hanc uero Christi doctrinã, quã hic exemplo Christus docuit, Petrus in priore Epistola, cap. 3. uerbis sic explicat: Cæterum terrore illorũ ne terreamini, neq; turbemini, sed dominũ Deum sanctificate in cordibus uestris. Sitis aũt parati semper ad respondendũ cuilibet petenti, ut loquamini de ea, quæ in uobis est spe, cum mansuetudine & timore, &c.

Regnum in se diuisum.

Rationes uero quibus dominus hic demonstrauit falsum cogitare Pharisæos, huiusmodi sunt. Nullum regnum, aut domus, secum pugnans consistere potest: si igitur ego uirtute dæmoniorũ, dæmonia expellerem, dæmones secum pugnarent, atq; ita nequiret regnum ipsorum cõsistere, quod uidetis nimis inuictum & potens perstare: non igitur ipsorum uirtute ipsa expello. Sed si ego inuisus uobis adeò sum, ut oporteat mea omnia Satanæ esse, quæso filij uestri, tam hi discipuli mei, quã alij sancti Prophetæ, qui & ipsi dæmonia eiecerunt, qua ipsos uirtute cõtra dæmones tuisse putatis? Hi sanè quòd ueritati crediderũt, quam uos mauultis impugnare, uos iudicabunt. Videte quò uos ipsos agatis. Si spiritu & digito Dei non potentia dæmonum, dæmonia eijcio, ut plane res habet, peruenit profecto in uos regnum Dei, adest Christus uobis, & diu expectatum Euangelion, quod hæc signa certo certius comprobant, siue accipere, siue respuere oblatam gratiam libuerit. Neq; enim in domum præpotentis alicuius, quisquam ingredietur, eamq; despoliabit, qui ipsum nõ antea deuicerit. Iam ego mundum hunc ingressus sum regnum Satanæ, & spolia eius diripio, atq; meis distribuo. Quotquot patrem ignorant, ille ceu spolium detinet ad suam uoluntatem captiuos, nam patri, qui eos condidit, debuerant esse addicti. Ex his autem multos ego iam rursum inuito & modis omnibus reluctante Satana, uindico in regnum patris, ac ceu recuperatum spolium, distribuo eos in usum electorum, quosdam faciens Apostolos, quosdam Prophetas, nonnullos Euangelistas, alios pastores & doctores, omnes ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis in ædificationem mystici corporis mei, Ephe. 4. Nemo quod suum est, inter hos quæret, quilibet aliorum inter sese mĩnistri erunt, ad hoc ut numerus sanctorum, qui patri nomen dederint, quotidie augeatur, & melior reddatur. Huius potentiæ atq; uictoriæ contra principem mundi, in præsenti duntaxat specimen quoddam exhibeo, depellens uim Satanæ à corporibus, & eximens non paucos illius tyrannidi etiam animis, paulo pòst uero cum morte mea plene hostẽ hunc, principem tenebra-

Filij uestri.

Peruenit in uos regnum Dei.

Victoria Christi cõtra Satanam.

A tenebrarũ, ac Deum huius mundi deuicero, sicuti longe lateq; spargi faciam Euangelion regni, ita quàm plurimos eius potestati adimam, & regno patris fœliciter adseram. Igitur nihil mihi cum principe dæmoniorum commune fuerit, quod uos falso cogitatis, sed uerum inter nos est, quod uulgo iactatur prouerbium: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non congregat mecum, dispergit. Cum Satana facere me, nihil est in omni & doctrina & uita mea, quod eius uel suspitionem faciat, ita adsero ubiq; gloram patris, uindico iustitiam, oppugno peccatum satis ergo comprobatur hinc aduersum illum me esse. Nemo etiam est qui unquam minus uideri potuit, cum illo ad perniciem cõgregare: igitur dispergo ad uitam, quos ille sibi collegerat ad perditionem. *Qui non est mecum.*

Scio quidem sæpenumero uirtute dæmoniorũ fieri, ut liberari pleriq; furore, in quem ipsa dæmonia egerant uideantur, sed iuxtà haud obscure apparet, dæmonia tum adeò non eiici, ut eis mentes primũ per superstitionẽ magis deuinciantur. Maiuult nanq; ille homines superstitione, quàm insania laborare, & regnare in animis illorum, loco & nomine Dei, quàm in corporibus: quòd hoc externum duntaxat, illud internum ac æternum malum sit. Ego aũt dæmonia prorsus eiicio, præcipue aũt ex animis, ne quid ibi ualeant per incredulitatem & peccatum, ac quod externum hominem ui illorum manifesta libero, in hoc potissimum facio, ut ita declarem me illum esse, qui uim istam aduersariã sim prorsus deiecturus. Id quod & reliqua, quæ uel doceo, uel ago abunde testantur. Vnde nisi ultrò calumniari uelletis, quod secus habere apertissime sentitis, satis indiciorum erat, me digito Dei, hoc est, uirtute & spiritu dæmonia eiicere, adeoq; nihil habere cum Satana commune, ut unus ipse sim, qui possim, atq; iam in hoc aduenerim, qui potentiam eius pœnitus deiiciam & euanescere faciam.

Atq; hinc satis patet, quid respondendum impostoribus illis, qui apud uaria di-
B uorum delubra, affirmant eiici dæmonia, idq; uirtute Dei, quod secundum præsentem domini disputationem, Satanas eiicere Satanam non possit. Quod enim apud eos Satanas Satanam non eiiciat, uel uita ipsorum, qui alios se dæmonibus liberare iactant, quæ tota nihil nisi Satanæ seruitus est, plus satis testatur. Et si nanq; uideantur nonnunquam, qui eo ducuntur dæmoniaci, post illorum exorcismos paulò minus furere, quod ipsum tamen perraro fit, ob id dæmonia non eiiciuntur, sed tantum uis eorum occultur ad tempus, quò magis noceãt, & iam non solis istis quos in furorem egerant noceant. Nam hinc uulgus persuadetur, meritis sanctorum quos illi iactant, et illo duntaxat loco, ac istis modo exorcismis, Deum dæmones pellere. Vnde mox adduci se patiuntur, ut plurima donaria impostoribus illis sacrificulis, qui in eiusmodi locis agunt, insignes plerunq; & perditi nebulones, uel lenæ, offerant, hoc est, fomenta luxus ipsorum, & nequitiæ præbeant, missis interim domi pauperibus Christi: id quod est regnum dæmonum stabilire, non dæmones eiicere. Non sic Christus, qui cum per se, tum per suos in hoc dæmones externe expulit, id est, uim qua exagitabant mentes hominum illis ademit, ut inde sermo regni Dei confirmaretur, Mar. ult. quo solis ipsius meritis, propitium sibi credãt homines Deum, à quo petant & impetrent ubiq; omnia. Et gratificari ipsi uolentes, benefaciant minimis eius, non profundant sua in lenones & lenas, tum in ligna, & lapides. Hoc demum est uere dæmones expellere, & regnum Dei stabilire. *Quomodo apud diuos passim pellantur dæmones.*

Ista, omne regnum in se diuisum, &c. &, qui non est mecum, &c. prouerbiales sententiæ sunt, quæ uel experientia hominum comprobantur, ut & illa: Nemo potest duobus dominis seruire. Item: Nihil manet occultum: Mala arbor non fert fructus bonos, & similes. Iis dominus cum uulgo agens ad suum institutum libenter usus est. In quibus tamen, non plus philosophandum est, quàm uidemus poscere, id, cuius caussa illa dominus adduxit. Eoq; mittenda eorum hic argutia est, qui obiiciũt,

esse,qui neq; contra aliquẽ,neq; cum aliquo sint,neq; congregent,neq; dispergant. Siquidem qui mecum non est,neq; mecum congregat, hactenus aduersum me est, & dispergit,quatenus mihi non studet,& mecũ colligere negligit. Quod certe princeps de ijs,quos habere subiectos debeat,iure sanè queretur, si negligant sibi studere. Iam Satan princeps mũdi esse conatur,atq; exigit ut omnes suo regno studeãt,& ad illud colligãt,quod quicunq; negligit, eum iam aduersariũ habet, & iure quidẽ: nemo enim id negligere poterit,nisi uere aduersarius eius sit,addictus alij. Sic denique & uulgo quilibet censet de eo,qui se iuuare negligit,cum possit se iuuare & debeat. Ad hunc nanq; modum proximorum inter se res habent, ut uere inimicus sit, qui cõmodo proximi omnino nihil studeat.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Propterea dico uobis omne peccatum & conuitium,&c. Mar.3. Luc.12.) Priori/bus dominus suspitionem cõmercij Satanici,qua se malitia pharisaica grauare conabantur,insigni modestia,& argumẽtis grauibus depulit: deditq; id uel astanti turbæ,uel etiam si qui forsan inter ipsos quoq; calumniantes Pharisæos ac Scribas, fuerunt sanabiles: simul obstinatiores, iudicij quod ipsos manebat, quò redderẽtur inexcusabiles,sic admonuit. Est uero locus hic, de quo multa disputantur,quanquam agnoscentibus Deum habere in magna domo sua, & iræ & gratiæ uasa, tum uerba hæc Christi per se ipsa æstimantibus,nihil insit obscuri. Aperte enim dicit, eum qui alias peccarit,& sibi etiam conuitiatus fuerit,ueniam posse sperare,ei autẽ qui conuitiatus fuerit spiritui sancto,illi omnem spem ueniæ ademptam esse in æternum. Quid autem sit conuitiari spiritui sancto,satis hic ab exemplo Scribarum & Pharisæorum,quibus hæc locutus est,declaratur: nam his tribuit conuitium in spiritum sanctum. Quod ergo hæc Scribæ & Pharisæi admiserunt, id conuitium & blasphemia in spiritum sanctum est. Iam quid illi dixerunt, quid conuitiati sunt? Dicebant spiritum immundum habet, ut scribit Marcus. Quòd dæmonia Christus ejiciebat, opus erat & uis spiritus sancti, ad salutem auditorum promouendam, eo miraculo Christi sermonem confirmantis. Hoc tametsi plus satis sentirent, tamen qua erant prauitate, omnem illam uirtutem Satanæ attribuebant, & calumniabantur Christum ex immũdo spiritu, quo teneretur, illa operari miracula. Hoc erat iam blasphemia in spiritum sanctũ, cui omnis uenia, iusto Dei iudicio negatur.

Pharisæi hic peccarunt in spiritũ sanctũ

Filium hominis blasphemauerant, ubi ex conuictu cum peccatoribus, comedonem & potorem uini,&c. Item ubi eum non esse ex Deo, cum sabbatho iussisset lectulũ portare, fuerant criminati. Ista uero remissibilia erant, quia poterant ex ignorantia accidere: sicut & Paulus se blasphemasse confitetur, priore Timoth.1. Humilitas nanq; filij hominis, quòd similis cuiq; abiectissimo uiueret, summe pauper & neglectus, Christi dignitatem regebat, adeò, ut in ipso humana ratio nihil minus posset animaduertere, quàm esse eum qui erat, uerum Deum & orbis seruatorem. Paulum præterea etiam offendebat indubie, quòd hostis diuinæ legis crederetur, & in Deum blasphemus, eoq; se filium Dei fecisset, tanto nomini, ut carni quidem uidebatur, adeò parum respondens. At in præsenti, tam præsenter exeruerat sese uirtus Dei,& spiritus ille quo Christum fore præditum uates prædixerãt, ut iam mens illorum, uim huius spiritus, certissime sentiret, uideretq; non Satanæ, sed Dei esse opus quod gerebatur, adhuc tamen, qua erant percussi cæcitate & amentia, adde inuicta malitia perditi, non potuerunt gloriam hanc Deo, in humili hoc Iesu dare, ut quod sentiebant, eius hic spiritũ operari, etiam fuissent confessi: sed ut furentes odio contra innocentissimum dominum, omne id quod apertissime uiderunt opus esse spiritus sancti contra suam ipsorum mentem & sensum, Beelzebub, dum nulla alia adesset calumniandi occasio, attribuere. Sic si Paulus persequi blasphemareq; Christum, post manifestã illam uirtutis & spiritus Christi experientiam, quæ illi deiecto in terram,

in terram, in itinere ad Damascum contigerat perrexisset, & ipse in spiritũ sanctum peccasset, blasphemãs uim eius aperte sibi cognitam. Sed electus erat ad uitam, ideo simulatq; spiritũ Dei recte sensit, credidit, neq; blasphemare amplius potuit.

Hinc iam manifestum fit, quid demum blasphemia sit in spiritum sanctum. Sic enim hanc uocat dominus non peccatum. Est illa uero blasphemia & uituperatio diuini spiritus, aperte iam cogniti. Dũ enim spiritus & uis Dei esse ignoratur, blasphemari & uituperari proprie non potest. Sicut ille nequaq; regi conuitium dixisse cõuinci poterit, qui ei ignorans ipsum regem esse, fuerit cõuitiatus. Ergo necesse est, ut spiritus sanctus ante sese ita exerat, siue miraculo ut hic, siue sermone sapiẽtiæ aut scientię, uel uirtute alia, ut iam spiritus sanctus certa ratione agnoscatur, si debeat in illum blasphemia cõmitti, ea de qua hic dominus loquitur.

Sic hodie, qui blasphemant Euangelion, nihil minus ipsum credentes, quã Euangelion esse, ij conuitiãtur filio hominis, uam hominis uerbum, non Dei sese uituperare non dubitant. At quibus id ita innotuit per spiritum Dei. ut sentiant uerbum Dei esse, & nihilominus possunt id uituperare, ij demum blasphemant spiritum sanctum, qui iam ipsis, ita sese insinuauit, ut de eo nequeant dubitare, sed ut captiui sathanæ sunt, ita ad blasphemandum, unde certò saluari poterant, nihilominus impelluntur. Hi sunt de quibus ad Heb. 6. ita scribitur: Nam fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati, gustauerintq; donum cœleste, & participes facti fuerint spiritus sancti gustauerintq; bonum Dei uerbum, ac uirtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renouentur per pœnitentiam. Qui enim Euangelion, & pietatis rationem semel cognouerint, ij illuminati profecto fuerunt, gustaueruntq; donũ cœleste, participes facti sunt spiritus sancti, gustaueruntq; bonum Dei uerbum, ac uirtutes futuri seculi. Nam illud natura, & uis humana, id est, uirtus præsentis seculi, cognoscere haud potest, ex dono cœlesti, & illuminatione spiritus sancti, hæc cognitio cõtingit, cuicunq; cõtingit. Non multum dissimilis locus, & 10. in eadem Epistola legitur: Nam si uolentes peccauerimus, post acceptam cognitionem ueritatis, non ultra pro peccatis reliqua est hostia, &c. Quicunq; enim post cognitam ueritatem relapsi ad impietatem animo fuerint, id est, uolentes peccauerint, eos necesse est ueritatem iam antè damnasse, uel apud semetipsos, mox ubi ex ueritate suæ impietatis admoniti fuerint, quia nolent impij haberi, damnaturi eam & apud alios. Id autem est blasphemare spiritum sanctum, cuius opus est, ueritatis & prædicatio & agnitio. Vt ergo hoc nunquam remitti potest, ita renouari illi per pœnitentiam nequeunt. Atque hoc peccatum ad mortem est, pro quo non iubet orare Ioannes, 1. Ioannis. 5.

Qui hodie filium ho. & qui spi. s. blasphemant.

Supra illud: Ne detis sanctum canibus, dixi ex scripturis esse coniecturam haud dubiam, neminem damnari diuinitus, nisi ueritatem ita edoctum antea, ut animus nihil habeat contrà, atq; quum nihilominus eam reiecerit, cogatur cõdemnare temetipsum, quòd mera malitia & prauitate sua oblatam sibi salutem respuerit. Id iam maturius alijs, alijs serius contingit. Quicquid uero ante hoc modo cognitam ueritatem, peccatum uel conuitiatum fuerit, in filium hominis & ex ignorantia, nõ in spiritum sanctum, peccatum & conuitiatum erit. In quem, ut dixi, tum demum conuitium fit, quũ fuerit cognitus, hoc est, certa manifestaq; eius operatione, cognita ueritas, & tamen reiecta.

Portentosa nanq; res est impius quem dominus reiecerit, cum natura quisque quod optimum agnouerit, amet, ille id non potest non odisse & persequi. Exemplũ habes in Schaule, is secundo Dauidis innocentiam & suam crudelitatem, obortis lachrymis agnouit, & à persequendo ad tempus destitit, sed paulo pòst non minus contra eum furens, ad necem ipsum quærebat. 1. Schmuel. 24. & 26. Impius enim à

Veritatẽ reprobi agnoscunt, nec possunt tamen eã amare.

domino reiectus, non est sui iuris, ut dictum, sed à Satana tenetur captiuus, eoq; agnoscit quidem ueritatem, & nõ agnoscit. Agnoscit, ut ueritatem esse animus eius inficiari iam nequeat, nec possit quicquã cõminisci, quo illam neget, ac non esse ueritatem, probet. Rursus eam non agnoscit, quia non potest eam amplecti, nempe captiuus Satanæ. Similem pugnantiã uideas, in hominibus iræ impotentioris. Ii cum furere contra aliquem cœperint, si etiam ingẽs eis ab illo cõmodum offeratur, quo ipsi etiam magnopere egeant, seq; egere agnoscãt, ita tamen transuersum ira rapiũtur, & indignationi indulgent, ut malint miseri perseuerare, quàm beneficio eius quem oderint, beari. Sic sunt blasphemantes spiritum sanctũ. Addicti malo existunt adeò, ut licet uera bona cogantur tandem agnoscere, non possint tamen illa amplecti. Ita Schaul, cum ei Dauid in speluncam ingresso pepercisset, et mox egresso suam innocentiam & iustitiam exprobrasset, dicebat: En scio quòd futurus rex sis, & regnum Israël est in manu tua: iura ergo mihi per dominũ, ne semen meum extirpes, &c. Vide agnitam ueritatem Schauli, non tantum de innocẽtia Dauidis, sed etiam de ordinatione Dei, qua regem illum constitutum dicebat se scire: quæ malum dementia igitur erat, quod nihilominus perdere Dauidem laborabat? Quomodo inducere in animum potuit persequi, quem sua ipsius sentẽtia pronuntiauerat, se ipso iustiorem, atq; sibi beneuolentem? Quomodo ausus fuit conari occidere, quem dicebat scire se, occidi non posse, nimirum post se ex diuina ordinatione regnaturum? Certe furor erat, & uis Satanica, sed cui obnoxij sunt, quotquot Deus reiecit. Ad eundem quippe modum, & Kain per Deum & de sua iniquitate, & Hebelis innocentia edoctus, atq; conuictus fuerat, non poterat tamen, non odisse illum, atq; tandem perimere. Agnitio ergo ueritatis, ut peccantibus in spiritum sanctum, eiusmodi est,

Quatenus reprobi ueritatem agnoscũt

ut de ueritate conuincantur quidem, non aũt eam persuadeantur, hoc est, eo adducantur ui spiritus sancti, ut prorsus nihil habeant, quo possent ueri similiter ueritatẽ repudiare, non autem immutentur animo ut possent eam amplecti. Estq; plane inter huiusce modi, & electos, erga aperte iam traditam ueritatem id discrimen, quod inter æquum iudicem & iniquum accusatorem interest, erga bonam causam rei. Hic enim reus habens causam bonam, approbat ita quidem causam suam, etiam ipsi accusatori, ut ne hiscere contrà possit, at ut faueat simul, efficere non potest. Aequo aũt iudici, sic se purgat, ut non solũ contra ipsum nequeat pronũtiare, sed etiam ne uelit quidẽ, imò iam faueat ei, & cupiat benefacere. Sic uideas plerunq; in Euangelicis historijs usu uenisse Christo. Qui ubi potẽtissimo sæpe spiritu causam Euangelij, cum uerborũ, tum miraculorũ inaudita uirtute adsereret, scribas & pharisæos conuicit, ut nihil penitus possent contradicere, ac persuasit minime, quod detineretur captiui ab hoste Euangelij. Multis aũt ex turbis qui electi ad uitam erant, ita approbauit Euangelion, ut illud amplecterentur cupidissime, uale dicto, rebus omnibus. Ex his iam satis cognosci existimo, quid conuitiũ sit in spiritũ sanctum.

Nemo autem miretur, quod ueniam huic peccato Christus neget, nunquã enim possunt istiusmodi pœnitere, neq; ad aliud per spiritum sanctum, ita ueritatem edocentur, quàm ut citra ullam excusationem cõdemnentur, etiam ipsis contra seipsos demum pronuntiaturis. Vt enim ab initio dixi, uasa iræ habet Deus, æque ac uasa gratiæ, & circa neutros iniusti aliquid potest admittere, ipse iustis. de quo nonnihil suprà cap. 6. in illud: Et ne nos inducas in tẽtationem. Proinde hoc peccatũ uel blasphemia potius in spiritũ sanctũ, tantum reproborũ est, electi nõ peccant unquã, nisi ex ignorantia. Si quando enim ueritatẽ oppugnant, ac obstat semper illis aliquid, quo minus possint illam esse quod audit, agnoscere, sicut Paulo humilitas domini nostri Iesu, & ceremoniarum neglectus obstabat, quo minus Euangelion, uerbum Dei posset agnoscere. Semper tamen sentias quoddam in electis semen Dei, & ueritatis studium, etiam tum, cum ueritatem oppugnant, aut certe pugnantem

cum

A cum illa uitam degunt: sic Paulus paternis traditionibus, præ coëtaneis suis stude-
bat: & in multis perdite uiuentibus, qui electi sunt, uideas latentem quendam iusti
rectiq; amorẽ: ubi uero ueritatẽ receperunt, quicquid peccant, inde peccant, quod
per cupiditates carnis auertuntur, ut ueritati cognitæ non intendant. Eo aũt nunq;
prolabuntur, ut ueritatem odiant & insectentur, sed mox potius ipsius amore, quod
peccarunt, incipiunt magnopere odisse & detestari.

Qui aũt reprobi sunt, usq; prauo animo sunt, & si nonnunquã uideantur ueritatẽ amplecti, nihil uideas tamen inde eos reddi meliores, quanq; non raro fiat, ut & ardentius ueritatem amare, & propugnare dexterius multo, quàm non pauci electorum, appareant, sicut & lucidius sæpe ipsam pernoscunt, quo nimirum conuictis de ea, omnis in posterũ excusatio præripiatur. Deinde simul atq; prolapsi fuerint, quod ferè fit, ubi comitem ueritatis crucem senserint, aut ubi etiam uita ueritate digna, seuerius fuerit ab eis exacta, uel certe aliàs domino uisum fuerit, hypocrisim illorũ detegere, non habent satis, à ueritate declinasse, quod & electis sæpe accidit, sed ne uideantur peccare in eo, à quo nequeunt resipiscere, etiam hostiliter incipiunt ueritatem & sectatores ipsius insectari. Carent enim spiritu filiorũ Dei, & ueritatem citra animi immutationẽ docti sunt. Cum hi ergo ueritati accedunt, in caussa est, quòd mens ipsorum eam sibi accõmodam deprehendit, siue lucri alicuius, siue gloriæ nomine: semper nanq; illa suum aliquid spectat & quærit. Dum talis ergo illis ueritas perseuerat, nihil est illis ueritati addictius, nemo uidetur propugnare eã dexterius. Impensissime enim carnalis homo sua amat, & sunt filij huius seculi prudentiores filijs lucis. Porrò simul atq; ueritas sui cœperit dissimilis esse, hoc est, iudicio rationis, sua in ea quærentis, non amplius accõmoda, illico ab ea ueluti icti à serpente, resiliũt, ac subito ex discipulis eius reddũtur hostes, quiq; eam ubiq; ante propugnabãt,
B pro uiribus oppugnant, quamq; perpetuis laudibus ferebant, nunc satis nequeunt blasphemare. Et huc tandẽ prolabuntur, quotquot ficto corde ueritati sese addixerint. Neq; enim uel uita eam exprimere, neq; crucem comitẽ eius possunt ferre, homines carnales. Cum ergo ut sunt sui amantes, non sustinent iniusti haberi, tandem huc pertrahuntur à satana, cuius imperio numq; fuerant exempti, ut blasphemando ueritatem, flagitiorum & impietatis suæ patrocinium quærant.

Quomodo se reprobi habent, & dum ueritatem agnoscunt & dum oppugnant.

Huius luculentũ in Israëlitis impijs exemplum uideas. Cum tam magnificis portentis ex Aegypto educebantur, Deo omnes & Moscheh credebant, nihil non facturos se pollicentes, quia mens illorum præsentem tum Mosche Deum agnoscere potuit, sentiens sibi utilem. Mox autem cum fame & siti laborare inciperent, ut iam mens illorum Deum præsentem sentire non posset, cum nihil percíperet ab ipso cõmodi, nihil minus in eius apparuit quam fides, blasphemabant potius, quem paulo ante miris modis prædicauerant.

Exemplum Israëlitarum.

Non possum temperare hic mihi, quo minus adijciam insigne horũ exemplum, quod in hac nostra urbe habemus. Est sacrificus quidam eruditione nõ uulgari, ingenij uero acrimonia, iudicijq; dexteritate eximia, ut facile crediderim eum his nominibus antecellere, quotquot hic sacrificí sunt, quanquam sint admodum multi. Hic initio remergentis Euangelij, cumq; primum id palam enuntiari hic cœpisset, quicquid pro ueritate scribebatur, non legebat, sed uorabat, tenebatq; melius quã digitos suos: utq; ingenio ualet, non minus sedulo, quàm detre de his ubicunque erat, differebat, nihil ad summam diligentiam faciebat reliquum, quo illa quam plurimis persuaderet: adeo ut congerronibus iam suis, alijs sacrificulis, hoc nomine plurimũ inuisus redderetur, qui & uitare iam illum incipiebant. Neq; enim satis habebat ipse Euãgelion ubiq; adserere, quæq; aduersa põtificijs ex illo dogmata, tũ incipiebant spargi, contra dignitatẽ Pontificiã, statum sacrificorũ, Monacharum, & alia id genus omnia, propagare & defendere: uerum etiã adiungebat se Symmistæ cuidam

Exemplum sacrificí cuiusdam Argent.

cuidã meo,ac mihi ipsi plusquã familiariter, quæq; otiosus simul & ingeniosus pro c
ueritate contra pontifices excogitare poterat, studiosiss. suggerebat, ut uno uerbo
dicam,ita gerebat se,ut qui ex uerbis ipsum æstimasset,iurasset Euangelicis,uita ta/
men sui similis usq; perseuerabat. Vbi itaq; supra biennium ab Euangelio stetisset,
inciperetq; iam illud paulo maiore inuidia flagrare, & excluderetur ipse iam, non
à sacrificis solum,uerum alijs quoq; quorum gratiam pluris faciebat,damnari deni/
que adeo missa inciperet,ut hic quæstui illius aliquid decederet, quã subito nescio,
breui certe,adeo immutatus fuit,& sui factus dissimilis,ut qui eum nunc audiat,iu/
ret,nihil unquã Euãgelij degustasse,aut legisse. Multo enim maiore studio & feruo
re,imò furore Euangeliũ,& quotquot illud adserũt, modo insectatur et blasphemat,
quã ante propugnauerit & prædicarit:cum tamen,ut dixi,in eo fuerit plurimus.

Quid iam accidisse huic putes? Certe si unquam ex nobis fuisset, mãsisset nobi/
scum. Nunquam ergo noster fuit,nunquam spiritum filiorum nactus est, sed ut in/
excusabilis miser redderetur,uirtus spiritus sancti hactenus eum adflauit,ut quid ue
ritas esset,ratio eius satis agnosceret,non tamen persuaderetur. Nam per se amare il
lam nunquam potuit,alioqui uita quoq; eam,cum uerbis prędicaret,fuisset ample/
xus.Sed tantum quatenus rationi eius accommoda uidebatur,illi sese addixerat,si/
mulatq; igitur rursus incommodam sensit, quæ commoda prius erat,odisse quoq;
cœpit quam amauerat, & conuitijs incessere quam prædicauerat.Nam non uult et
modo uideri absurda sectari.

Sed satis tandem de peccato imò conuitio in spiritum sanctum, quod solum da/
mnat,cum reliqua omnia tandem,si hoc desit,dãnentur & aboleãtur:quia ex igno/
rantia omnia proueniunt, ut dixi. Quod nanq; Paulus sibi contigisse gloriatur,de
alijs non ab re speratur.Sic autem ille.1. Timoth.1.scribit:Sed & misericordiam licet
blasphemus fuerim,persecutor & uiolentus,adeptus sum,quòd ignorãs fecerim per
incredulitatem. Fiet siquidẽ tandem ut quisq; clare satis Euangelion audiat & co/ D
gnoscat,cui tum credere datum fuerit, is non cõdemnabitur, quicquid peccauerit,
quia nihil damnationis est ijs,qui sunt in Christo Iesu,cui id negatũ fuerit,iam tum
condemnatus erit,quia non credit in nomen unigeniti Dei,Ioan.3. Quam incredu/
litatem mox blasphemia quoq; Euangelij prodet,ex abundantia enim cordis os lo/
quitur,sicq; peccabit in spiritum sanctum,quod illi nunquam remittetur. Qui quæ/
stum faciunt ex purgatorio,hunc locum adducũt, & ex eo suum stabilire purgato/
rium conantur.Si,inquiunt,blasphemia in spiritũ sanctum nec hic nec in futuro re/
mittitur,sequitur alia peccata tam in futuro remitti, q̃ in præsenti.Ad quid aliás di/
cere conueniebat,nec in futuro,si nullum omnino peccatũ in futuro remitti potest,
At si in futuro alia peccata remittũtur, est in futuro purgatoriũ. Coniectura hæc nõ
omnino nullam speciẽ ueri habet.Neq; enim uidetur esse ratio,ut dominus qui ni/
hil locutus temere est,de hac specie peccatorũ, blasphemia in spiritũ sanctũ negaue/
rit tã diserte,q̃ nulli prorsus peccatorũ cõpetere possit,nẽpe ut in futuro remittãtur.

Sed hic illud obseruandũ est,in ecclesia nullũ dogma statui posse exprobabilibus,
certo uerbo Dei nitendũ est,& quod necessario sequatis.Sæpe quidẽ sic est,ut quod
nominatim de una specie negatur,id alij cupiã competat: homini dicimus nõ con/
uenit agi affectibus,istuc iam brutis conuenit,at propter exaggerationẽ aliquid,no
minatim de una specie negatur,quod tamẽ nulli alij cõuenit. Dicimus hypocrisim
Deus nõ fert, hinc tamen nemo inferre potest,ergo Deus alia peccata fert.Deinde
sæpe etiã caussa hyperbolę negatur de re aliqua quod tamen omnes norũt illi rei cõ
petere nõ posse.Deus nõ mutatur ut homo: Deũ donorũ suorũ nõ pœnitet. Paulus
Si angelus de cœlo aliud Euangeliũ adnuntiet. Ita non est alienũ à sermone sacro,
ut intelligas dominum hic per exaggerationem dixisse, blasphemiam spiritus san/
cti nec nec in futuro remitti,cum tamen constet nihil peccatorum remitti in futu/
ro, quod

A ro quod non fuerit hic remissum, quod de capitalibus omnibus etiam schola concedit. Nam nisi concedas dominum hic hyperbole usum esse, adhuc uidebitur sermo domini nugatorius, quod in exaggerando eo quod summũ peccatorũ est, tantum de illo extulisset, quod competit peccatis exitialibus omnibus, nempe in futuro irremissibile esse.

Proinde sensus fuerit hic, hoc peccatũ si quis conuicium dicat spiritui sancto nunquam remittetur. Ita in Marco legitur. Et si quis forsan putaret in futuro seculo remittendum, ubi tamen nihil remittitur, quod hic non fuerit remissum, iam cõfirmo diserte, neq; hoc expectandum esse, nullo enim peccato, & nullo unquam tempore remittetur. Cui hæc interpretatio non placeat, adferat quam uelit aliam, ex hoc tamen loco non incendet purgatorium. Neq; enim coniecturis, sed expressis oraculis Dei constant dogmata Ecclesiæ. Deus benignius nobis doctrinam salutis impertijt, quàm ut coniecturis uestigandum sit quod uoluit. Docet copiosissime & inculcat etiam ea quæcunq; ad doctrinam salutis aliquid intersunt. Sed fac esse ut sit quorundam peccatorũ remissio & in futuro, ex eó ne constabit esse purgatorium quale finxerunt? Et constabit eam esse rationẽ ex hoc purgatorio liberandi defunctos, quam isti uulgo uendunt? Quid si dicatur, hoc futurum in quo peccata alia remittuntur, esse statim à morte, aut in extremo die? Quo possit ea sententia confutari? Sed non sic docet suos dominus, certa, expressa, & copiose exposita sunt, quęcunq; salubriter de uoluntate domini cognoscere possumus.

Ex eo quidẽ quòd ab initio propè Ecclesiæ preces & eleemosynæ fiunt pro defunctis, sensim irrepsit ea sententia, quã D. Augustinus ponit in Enchiridio cap. 109. Tempus aũt quod inter hominis mortem & ultimã resurrectionẽ interpositũ est, animas abditis receptaculis continet: sicut unaquæq; digna est uel requie uel erumna, pro
B eo quod fortita est in carne cum uiueret, & cap. 110. Neq; negandum est defunctorũ animas pietate suorũ uiuentiũ releuari, cum pro illis sacrificiũ mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum uiuerent, ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt. Est enim quidẽ uiuendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortẽ, nec tam malus ut ei nõ prosint ista post mortẽ. Est uero talis in bono, ut ista non requirat, & est rursus talis in malo, ut nec his ualeat cum hæc uita transierit iuuari. Quocirca hic omne meritũ cõparatur, quo possit post hãc uitam releuari quispiã uel grauari. Nemo aũt se speret quod hic neglexit cum obierit apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis cõmendandis frequẽtat ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictũ est: Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; secundũ ea quæ per corpus gessit, siue bonũ siue malũ, quia etiam hoc meritũ sibi quisq; cum in corpore uiueret, comparauit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiã uitæ, quam quisq; gessit in corpore? Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarũcunq; eleemosynarũ pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro ualde bonis gratiarũ actiones sunt, pro non ualde malis propitiationes sunt, pro ualde malis & si nulla sunt adiumenta mortuorũ, qualescunq; uiuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Hæc ille.

Porrò si perpendamus uti soleat efferri uera charitas nõ ad incerta modo, sed etiã impossibilia, Paulus enim optabat anathema esse à Christo, facile agnoscemus officium istud dilectionis erga defunctos inde natũ esse, quòd non possit uera dilectio nõ bona precari ijs quos diligit, & id à Deo per Christũ. Vbi ergo discedũt à nobis qui moriũtur, fert dilectio ut eos prosequamur prece ad dominũ, & ijs officijs quibus nos gratũ facere domino credimus, ut sunt eleemosynæ, siue cõsecratæ ī publico ecclesiæ sacrificio, siue dispẽsatę priuatũ. Nec enī scimus quę illos statũ cõditio excipiat,

Scriptura

Scriptura credentibus uitam æternam promittit, sed requirit fidem solidam & uiuam, testaturq; simul rependendum esse unicuiq; secundum opera sua. Speramus quidem illos fide discessisse, ac ideo à morte in uitam transijsse, adhuc tamen res plena timoris amor, & solicita semper dilectio, cõmendat eos domino, eorumq; in gratiam omnibus ijs se approbare domino studet officijs, quæ nobis dominus ipse se probare testatur.

Hinc itaq; non dubitarim exortum hoc in defunctos officium pro illis orandi & sacrificãdi, id est, publico sacrificio Ecclesię & alias eleemosynas offerendi, ut necessarium non sit ex isto concludere officio, animas defunctorum oportere hisce uiuorum officijs iuuari. Et indubie si hoc pacto iuuare defunctos officium certum esset dilectionis, scriptura illud non minus quàm alia cõmendasset diligentissime. Contumeliam dicet spiritui sancto, qui hoc certum dilectionis officium fecerit. Ille enim toties testatur, se nobis uoluntatem Dei & uitam rectam plenissime expressisse. At ubi de isto officio in defunctos, uel uerbũ uel exemplum in omni scriptura utriusq; testamenti? Nam illud de Machabæis non primi ordinis libro scribitur, & est uni/cum, & magis adeo cõmendat spem resurrectionis, & publicum testimonium pro illis pœnitentiæ, quàm ut polliceatur liberationem illorum, pro quibus ea oblatio facta est, è purgatorio. Quid quæso ad absolutissimam dilectionẽ fingi queat, quod Apostolus Paulus non inculcarit, testatusq; est id se quàm plenissime præstitisse? At ubi uerbum de liberandis à purgatorio animabus?

Et certe quicquid de eo senserint patres, ex ipso etiã D. Augustino abunde liquet, rem istam illi certam non fuisse. Tractat libro de fide & operibus cap. 16, locum illũ 1. Corinth. 3. de ijs quę fundamento Christo superstruuntur, quem hodie pro purgatorio adducunt, & facit ignem per quem saluí fiunt, qui super fundamentum hoc ędificarũt fœnum, stipulam, lignum, ignem adflictionum huius uitæ, & amissionem rerum præsentium, quo igni cuiusq; opus probatur: nam euincit oportere ignem istum communem esse ijs, qui argentum, aurum & gemmas super fundamentũ ædificarunt. Perfectiores ergo iste dicit eo igni illustriores reddi: at imperfectiores, qui amore præsentium plusculum tenentur, cum non sine dolore res præsentes Christo posthabent, uti & detrimentum pati. Ibi hoc addit. Siue ergo in hac uita tantum hominum ista patiuntur, siue etiam post hanc uitam talia quædam iudicia subsequuntur, non abhorret quantum arbitror à ratione ueritatis iste intellectus huius sententiæ. Idem repetit in prima quæstione ad Dulcitium. Sed istam dubitationem huius sancti uides plenius in Enchiridio cap. 69. cum 68. cap. locum ad 1. Corinth. 3. de igni saluante ad iam dictum modum tractasset. Caput illud sic habet: Tale etiam aliquid post hanc uitam fieri incredibile non est, & utrum ita sit quæri potest. Et aut inueniri aut latere nonnullos, fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minus úe bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusq; saluari, non tamen tales de quibus dictum est, quòd regnum Dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Conuenienter aũt dixi, ut steriles in eleemosynis nõ sint, quibus tantum tribuit scriptura diuina, ut earum tantũmodo fructum se imputaturum pronuntiet dominus dextris, & earum tantũmodo sterilitatem sinistris, quando his dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum Dei: illis autem, ite in regnum æternũ. Hæc isto loco. De ciuitate Dei lib. 21. cap. 26. sic scripsit: Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum ueniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis ultimus dies: si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerint tales mores & amores in huius corporis uita, ut eorum ligna & fœnum & stipula consumatur, alij uero sentiant qui eiusmodi secum ædificia portauerunt: siue ibi tantum, siue hic & ibi, siue ideo hic ut nõ ibi, secularia quamuis

a quamuis à damnatione uenialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis in-
ueniant, non redarguo, quia forsitan uerum est. Hæ ille.

Atqui hic uir catholicorum dogmatum obseruator religiosissimus hæc scribere sibi haudquaquam permisisset, si hoc tum in Ecclesia dogma de purgatorio ea auto-
ritate suffultum fuisset, ut hodie uolunt uideri illi, qui nulla ex re maiorem quæstum faciunt. At dogmata fidei nostræ æterna sunt, Ecclesiam sic instituerunt Apostoli, ut nihil celarint eas quod postea reuelandum fuerit, minime autẽ omnium tale tamq; necessarium officium dilectionis, sine qua apud Deum prorsus nihil sumus.

Proinde liquet nec hodie de purgatorio quicquam in Ecclesia affirmandum esse. Cumq; non pugnet cum certis dogmatis pietatis, esse statum quendam animarum, in quo post hanc uitam purgentur & perficiantur, religiosi animi fuerit, neq; negationem purgatorij necessariam facere. In affectu autem illo prosequendi aliqua pro defunctos, uidebit ne quid oret absq; fide, fidei autem oratio uerbum certum pro missionis requirit. Verbum habemus, Deum benefacturũ nostris in se credentibus: ut ergo præstari hoc nostris oremus, pietatis fuerit, sed ne ut certa definiamus, quæ incerta nobis hic Deus esse uoluit.

Illud, Donec soluerit ultimum quadrantem, D. Augustinus dicit ita accipiendũ esse, ut illud, Donec peperit primogenitum suum.

Est uero hic locus notandus contra Anabaptistas, reducentes errorem Origenis, quòd omnes demum saluentur, dæmones & uniuersi. Quî enim possit quis illis salutem sperare, quorum peccatum neq; in hoc neq; in futuro seculo remittetur. Nisi forte illi tertium seculum habent, sicut finiendam fingunt æternitatem. Mittamus nos miseros hos, & quod Christus hic adserit, uerum & agnoscamus & prædicemus.

Æternũ peccatum, ergo, &c.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

b Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum.) Præmisit ad terrendos hos calumniatores generali sententia iudicium quod manet quotquot spiritum sanctũ blasphemant, nunc quò nihil omittat quod quouis modo facere ad hoc possit, ut resipiscant; etiam seuere pro autoritate sua ipsos increpat. De cuius seueritatis ratione, & quatenus nobis ea quoq; usurpanda sit, dixi suprà cap. 3. in illud: Progenies uiperarum. Vtitur uero simili, quo & Ioannes suprà 3. & ipse 7. usus fuit. Sensus uero hic est: Quæ certò uidetis opera spiritus sancti declarãtis per illa me esse orbis saluatorẽ, Beelzebub principi dæmoniorum mera peruersitate animi uestri & nulla prorsus occasione tribuitis, blasphemãtes hanc diuinam uirtutem, optato adeò & mirabili ter sese ad salutem hominum hoc temporis exerentem. Sed quid faceretis aliud? Vulgo dicitur: Aut facite arborem bonam, &c. Id est: Qui uelit accipere fructus bonos, faciat antè oportet arborem bonam. Sin, ut arbor, ita & fructus erunt. Fructus siqui dem de arbore iudicant, eoq; quum ij mali sunt, non potest arbor bona esse. Ita ergo hæc blasphemia uestra cuiusmodi arbores sitis satis declarat, neq; expectandus qui dem est alius fructus à uobis. Progenies uiperarũ: Mali estis, bona igitur loqui quî potestis? Vt enim alio prouerbio dicitur: Ex abundantia cordis os loquitur, ita qua cor uestrum malitia plenum est, ea necesse est per uerba redundet. Quare qui bonus fuerit, quales sunt, quos spiritus patris reddidit nouos, ij ex thesauro cordis bono, id est, abdito mentis, ubi fides in Deum, & dilectio erga proximum inhabitant, expromet bona, qui malus, hoc est, filius Adam tantum fuerit, aut præterea etiã filius diaboli, ut cor eius Deo caret, ita ex se boni quid proferat? Verum ut damnationis uestræ iterum uos admoneam. Non de tantis solum blasphemijs, sed de quolibet otioso tantum uerbo, quod homines locuti fuerint, reddent rationem in die iudicij. Iuxta illud, quod item uulgo, ac uere quidẽ iactatur: Ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis. Nam nihil certius de animo atq; sermones testantur, quare nihil quoq; est, quo certius item de animo iudicatur. Si enim is bonus est, homo

non poterit mala loqui, si malus, non loquetur bona. Vtcunque enim malus uerbis quod est aliquandiu dissimulet, & bonus subinde ueteris Adam nondum plene extincti fructus malos proferat, facili tamen discrimine notabit, si quis modo animaduertat, quem quisq; spiritum mentis suæ præsidem actoremq; habeat. De quo plura suprà 7.

Iustificari ex dictis.

Notandum autem iustificari hic opponi condemnari, ne quis ex dictis putet parari iustitiam. Iustificari enim hic idem est, atque iustum pronuntiari, non iustũ reddi. Fide iustificamur, id est, iustificationem gratuitam, qua nos pater cœlestis iustos habet, & prouinciam per Christum filium suum recipimus, operibus ac dictis iustificamstr, id est, iusti declaramur & iudicamur, & apud nos & reliquos homines qui à fructibus iudicare habent. Proponit uero ista scriptura humano more, demittens se ad nostram tenuitatem: alioqui ineffabilis est ratio diuini iudicij. Vt autem à dictis & factis certis animi testibus iudicemus nosmetipsos, horum hic monemur. Sic habet & illud: Sed dico uobis quòd de quocunq; uerbo otioso, &c. Quod in magnum suum malum multi rident. Cæterum ratio ista quam homines reddent, perpetua carnificina erit, qua impij torquebuntur, ubi sublatis uitæ huius illecebris, quibus ceu ebrij sua modo peccata non uident, agnoscent uitæ suæ prauitatem, & factorum atq; dictorum uanitatem. Tum nihil non occurret, uel otiose tantum dictum, non solum peruerse aut impure & peculiari tormẽto excruciabit, cum, scilicet, occulta tenebrarum illustrabuntur, & patefient consilia cordium. 1. Cor. 4. Credentibus autem hinc nihil timendum, non enim ueniunt ij in iudicium, sed transierũt de morte ad uitam, Ioan. 5. Deus propitius eis est, & iniquitatis ipsorum nunquam recordabitur: nullo igitur negotio factorum & dictorum suorum rationem Domino reddent. Nihil est ipsis damnationi, sed ij filij Dei sunt, non iam homines uani. Verũ nihilominus cum ex bono corde tantũ bona uerba proueniant, debet planè terrere nos, quòd ineptijs plerunq; adeò capimur. Non delectatur uanitate, nisi uanias. Εὐτραπελίαν, id est, urbanitas, quamlibet Aristoteli uirtus sit, ne nominari quidem inter nos debet, multo minus stultiloquium & sermo fœdus quæ non cõueniunt, sed magis gratiarum actio. Ephes. 5. & Coloss. 3. Item 4. Sermo uester semper cũ gratia sit sale conditus, &c. Profecto si Deus nobis supra omnia charus esset, quæ ad gloriam ipsius faciũt, maiorem nobis uoluptatem adferrẽt. Non poterit uanum esse quod hic dicit Christus: Bonus homo, ex bono thesauro cordis bona profert. Certe quod non ædificat proximum, indignum Christiano uerbum est. Vbi iam manebunt obtrectatores, & quæq; candida in nigra uertentes, uel temere saltem fratrum famam arrodentes? O quanta hodie dicuntur & scribuntur, & quidem à Christianæ doctrinæ primarijs adsertoribus, quæ non simpliciter pernicioſa, non solum otiosa existunt? Christus donet nos bono thesauro cordis, & meliora à nobis & dicentur & scribentur.

De omni uerbo otioso.

ENARRATIO SECTIONIS VIII.

Tunc interrogauerunt eum quidam è scribis, Luc. 11.) Lucas scribit signum eos de cœlo petijsse, & addit tentantes. Vnde quod præceptorem ipsum appellabant, ut hic noster memorat, dolosa adulatio fuit. Sic autem sunt scribæ & pharisæi omnium optimi. Christus seuere illos increpat, postquam tentauerat omnia, & è gloria patris iam erat, autoritatem spiritus contra illos exeri. De conuitio hoc, generatio praua & adultera, suprà 10. Signum Ionæ uocat, signum resurrectionis suæ, quod ut ille è media morte uentre ceti incluſus, in uitam reductus fuit, ita ipse quoque ab inferis ueraq; morte postquam fuisset sepultus, ad uitam & immortalitatem esset reuocandus. Videtur autem hæc responsio hunc sensum habere: Praui estis, & nullo omnino signo corrigendi, adulteri estis qui Deo uestro cui desponsi eratis, nuntium remisistis, neq; sustinetis ad illum reuerti, quare nihil ulla uirtute apud uos proficerem, quando tanta quæ uidetis uos signa non mouent, nullũ igitur uobis dabitur signũ.

Quæ

A Quæ per me eduntur, & porrò edentur, ut in testimonium contra uos cedent, ita propter alios sanabiles magis fiunt & fient. Vobis signũ dabitur, quale in Iona uisum est. Ego uobis tantopere exosus, tandẽ manibus uestris tradar, & occidetis me, atq; in tertium usq; diem in sepulchro detinebitis. Sed mox magna cũ uirtute resurgam, regnumq; Dei inibo, administrabo q; potentissime, idq; usus ministris omniũ humillimis atq; abiectissimis, contra quos tamen omni uestra & sapientia, & potentia, nihil omnino, quamlibet id conaturi sitis, proficietis. Ex eo signo quicquid reliquum potentiæ meæ, in hoc quidem tempore reuelandum uobis est, apparebit, redde tq; per omnia uos inexcusabiles. Hoc sanè signum experti sunt, cum contra ipsorũ mandata, & cõtemptis pœnis quas fuerant minati, Apostoli magna fiducia testimonium reddebant resurrectioni Domini nostri Iesu Christi, signis quoq; & prodigijs eam illustrantes, ipsiq; inde attoniti dissecabantur quidem cordibus, nec inueniebãt tamen, quid illis facerent. De hoc signo & suprà cap. 1. In illud porrò hoc totum factum est. De triduo quo in sepulchro Christus fuit infrà suo loco.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio, Luc. 11.) Quia signi Ionæ meminerat, in mentem uenerat & Niniuitarum, quibus ille prædicator fuerat missus, quem & audierant, pœnitentia suscepta. Et ab horum ergo exemplo, simul reginæ Austri, hoc est, Scheba, quæ regio ad meridiem est Iudææ, obstinatos istos pharisæos, impietatis suę admonẽt, & prædicit fore, ut ipsi, quamlibet sibi eximij uideantur, ab illis peccatoribus & Ethnicis iudicentur. Quòd illi quidem ad prędicationem Ionę, mox pœnitentiam egerint, & hæc fama dũtaxat Solomonis excita, de finibus terræ, nam Oceano regio Scheba, quam modo felicem Arabiam uocant, excipitur, uenerit, ut sapientiã eius audiret, ipsi autem non contemnant tantum, sed & iniectentur eum, quem præsentem habeant, & Iona & Solomone, infinito præstantiorem, ipsam utiq; Dei & iustitiam & sapientiam, Christũ. Hic uero mirabiliter sese uirtus spiritus Dei exeruit,

Scheba Arabia fœlix, ad Austrum Iudæis, autor Strabo.

B quæ terruit malignos illos, ne auderent quicquam contradicere, magnificæ isti Christi de seipso prædicationi. Satis nanq; aperte sese Christum hic professus est, quum se Iona & Solomone præstantiorem affirmauit. Quòd uero ait: Surgent in iudicio, cũ generatione hac, &c. iterum humano more de iudicio loquitur, sicut & paulò suprà, propterea ipsi iudicabunt de uobis. Omnino enim pœnitentia Niniuitarum condemnabit impœnitentiam Iudæorum, & studium sapientiæ, quo flagrabat regina Austri, contemptum ueræ cœlestis sapientiæ, quo hi scribæ & pharisæi fastidiebant Christum, & doctrinam eius. Collati nanq; hi illis, seipsos cõdemnabunt. Quanquã cum eadem sit mens & uoluntas pijs cum Christo, sintq; ipsius membra non tam exemplo atq; factis, quàm etiam uerbo Dei, unà cum Christo contra impios pronunciabunt. Vnde illud 1. Corint. 6. An nescitis quòd angelos iudicabimus? Et infrà 19. promittit suis duodecim, sessuros eos super duodecim sedes, & iudicaturos duodecim tribus Israël, hoc est, pariter secum, super illos regnaturos, & potestate iudiciaria functuros, de quo tamen infrà. In his omnibus notandum, ut fiant nouissimi primi, quòd neminem præ nobis contemnamus, humiliemus autem nosmetipsos infra quos libet. Denicq; notatur ex hoc loco Deum semper in gentibus quoque suos habuisse, quòd non esset Iudæorum tantum, sed & gentium Deus, Rom. 3.

ENARRATIO SECTIONIS IX.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, &c. Luc. 11.) Hoc postremo simili terret Iudæos, salutem insane adeò à se repellentes. Cuius explicatio hæc est: Erit cum hac peruersa generatione, ac si quis dæmon ab homine pulsus, habitatione percommoda, uagetur aliquandiu per deserta (loquitur de dæmone tanquam homine per anthropopathiam) cumq; in desertis moleste agat, reuertatur ad hominem, unde fuerat pulsus, inueniatq; apud illum sibi locum paratum, non minus commode, quàm si quis cupide aliquem excepturus hospitẽ, domum alijs uacuet,

atq; scopis purget,tum & ornet,quò magis illi libeat in eam sese recipere. Quacom moditate dæmon ille nolens solus frui,abeat,& adducat septem, hoc est, quamplu rimos alios dæmones,se nocentiores,atq; cum eis inuadat rursus locum pristinum. Quo sanè pacto hominis eiusmodi postrema, multo primis calamitosiora euadunt. Sic sanè uos Iudæi cum legem olim reciperetis,& ab alijs gentibus donati cognitio ne Dei seligeremini,expellebatur à uobis immũdus spiritus. Is cum maluisset apud uos imperare,sicut quis mauult habitare in cõmoda domo, quàm uagari per deser ta & loca arentia,ubi non sit unde uiuat, usq; quæsiuit, quò pristinum apud uos lo cum recuperaret.Eum uos illi pridem, nunc autem maxime nõ tantum permittitis, ita Euangelion reijcientes, sed ut si quis uenturo hospiti domum suam purget, atq; ornet,quo ille cum maiore uoluptate eam ingrederetur,eum ad uos etiam ultrò in uitatis,utq; commodissime uobis dominetur,cuncta illi apparatis. Quid igitur pu tatis futurum? Nõ solus sanè ille,sed innumeris comitatus, uos repetet, & sæuissima tyrannide uobis imperabit, eritisq; multo quàm unquam calamitosiores, percussi æterna cæcitate,quam sequetur mox excidiũ, cuius atrocitatẽ & crudelitatẽ nemo possit cogitatione consequi.Hic germanus sensus huius parabolæ est. Allegoria,ut dixi, usus est ab homine sumpta;significare enim uoluit,sicut homo semper mauult in ornata domo,quàm in arentibus ac desertis locis agere,ita dæmones malle apud homines, quò magis illos infestent, quàm ubi id nequeant degere, de quo suprà 8. ubi de dæmonibus in genere tractauimus.Sic & illud allegoria est.Reperit eam ua cantem,& scopis purgatam atq; ornatam. Neq; aliud significat, quàm reperire dæ monem locum sibi paratum & instructum.Nam dæmonibus non est opus purgare uel ornare domus,sicut nec per se molestum eis est, errare per loca inuia & arentia. Vtrinq; ab homine mutuata similitudo est, sicq; de dæmone,uelut de homine locu tus est.Plericq; purgatam domum,hominem uoluerunt intelligi, peccata sua confes sum,& uacantem hominem,id est,cessantem post pœnitentiam à bonis operibus,et ornatam,specie sanctimoniæ frustra splendentẽ.Sed hi non animaduerterunt,quòd hic Dominus de gente Iudæa potissime locutus est. Vnde post parabolã subiunxit hic:Sic erit & generationi huic peruersæ. Deinde non perpenderunt, quod de sata na ut homine,allegoricẽs locutus sit,atq; per domum purgatam,uacantem,&c.ni hil aliud,quàm paratum & illicibilem etiam locum satanæ, apud Iudæos uoluerit si gnificare. Hæc iam & dicta nobis putemus,qui uisitati Euangelio sumus. Si nanq; perrexerimus ingrati tanto dono esse, parabimus & ipsi rursus apud nos satanæ lò cum,quem indubie potentius quàm unquam occupabit, qui, scilicet, nunquam nõ in hoc inuigilat.Misericordia Dei ab hoc malo,quo uullũ expectandum,æque per niciosum,nos custodiat.

Hæc parabo la ad nos.

ENARRATIO SECTIONIS X.

Cum autẽ hæc loqueretur turbis,ecce mater & fratres eius, &c.Mar.3.& Luc.8.) Nota coram turbis hæc locutus Dominus fuit, ut uideas eum sanctum non dedisse canibus,hoc est,hæc non solis obstinatis pharisæis frustra disseruisse, quanquam & illis,ad conuincendam,scilicet,ipsorum impietatẽ,quò omni excusatione nudaren tur.Dubium ergo non est, adfuisse multos apud quos hæc fructum aliquem attule rint bonum.De his suprà 7.in illud:Ne detis sanctum canibus. Cæterum egregium hic Christus exemplum,hominis Dei,& uere pij exhibuit, cũ in negotio patris con stitutus, eos duntaxat agnouit proximos & cognatos, qui ex generatione cognati eius erant,nempe nouæ creaturæ,secundũ Deum conditæ.Est enim responsio Chri sti ad eum,qui nuntiabat matrem & fratres adesse,&c.huiusmodi:Quos tu matrem & fratrem meos nuntias,quibus sim maiore,quàm hisce audientibus uerbum,necef situdine addictus? Scio honorandam matrem,& diligendos fratres,sed simul obser uandum super omnia Deum. Huius mandatum pluris mihi sit oportet, quàm quo rumlibet

A rumlibet necessariorum affectus. Hic ergo cum agam patris negotium, nullius hinc charitate, uel cura debeo auocari. Filius Dei sum, talem referã me addecet, eoq; eos, qui mihi ut filio Dei, diuina cognatione coniuncti sunt, ut hi sunt, uerbum meũ audientes, longe pluris facere, & propinquiores mihi agnoscere debeo, quàm qui ex carne & sanguine mihi attinent. Ad maiorem uero asseuerationem faciebat, quòd protensa manu in discipulos suos, dicebat: Ecce mater mea, & fratres mei. Quisquis enim, &c. Notandum præterea facere uoluntatem patris, idem esse, atq; audire sermonem Christi, eumq; facere, hoc est, ipsi perficiendo, ex animo studere. Quod est, scilicet, facere sermonem Domini, ut suprà 7. in illud: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c. dictum est. Non dissimile respondisse Christum, & mulieri cuidam hoc loco Lucas memorat 11. Nam scribit mulierem quandam extulisse uocem de turba, atq; dixisse: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti, eiq; Dominum respondisse: Quinimò, beati qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Eosdem nanq; beatos pronuntiauit, quos & agnouit necessarios. Nimirum qui uerbo suo credant, eoq; & studeant, quò illud uita exprimant. In hoc enim, & nulla re alia, ut cognatio cum Christo, ita & felicitas sita est. Vbi iam sunt qui carnẽ tantopere efferunt, ac Christi parentem, propter opus carnis magnificant? Quòd gratiam inuenit apud Deum, & Dominus cum eo usq; fuit, qui & benedictam illam, non solum benedicto semine filio suo, sed & alijs donis spiritalibus reddidit, hinc demum, ut beata fuit, ita & prædicanda est. Sine his enim omnia carnis, nihil profuissent. Discamus ergo, fide omnia constare electis, si credere possumus, mater, frater & soror seruatoris esse possumus, sin, nihil omnino ad ipsum attinebimus, si ipsum etiam carne genuissemus. Probe ergo animaduertendum, istud μενοῦνγε, id est, quinimò. Correxit enim Christus sermonem mulieris, non quòd non beata esset diua Christi mater, sed quòd non inde beata, unde illa putabat, nempe quòd carnaliter Christum gestasset & lactasset, sed magis ex uiua fide, ut electi omnes. Insignitæ uero hæc Christi responsio benignitatis indicium est, nempe nos aduocãtis eo, non solum permittentis, quo euexit matrem suam. Ad hanc spem denique ut nos erigeret, atq; se maiorem homine, quem mater genuisset, esse declararet, matrem nunquã ipsam, sed mulierem semper legitur appellasse, quo, scilicet, generalem ipsum saluatorẽ, & nequaquam addictum ijs qui carne eius necessarij erant, agnosceremus, uti & uniuersalis patris donũ est, quod nobis Christus est & seruator, nõ carnalis matris. Quòd enim hominis in ipso est, à carnali matre profectũ est, quòd Christi, opus solius patris est. Hæc probe agnouisse, ut pietatẽ promouent, ita ab eo, ut quisquam hominibus sese & carni addicat, auocant, eoq; rationibus uentrium, qui iniussu sanctissimæ uirginis, ipsi profanissimi, eius fratres, seruos, œconomos, & cultores sese constituerunt, & falsò iactant, detrahunt. ideo mirum non est, si eis contradicant. Luce clarius est, qui hodie summi uirginis ueneratores, cultusq; eius uindices haberi uolunt, summos eius esse blasphematores, quia Christum blasphemant. Mater quia sanctissima, nihil prius uult quàm nos auscultare filio, huncq; unum seruatorẽ agnoscere, quod qui faciunt, ij sanctimoniæ studeant. Ab hac ergo cum sint tam alieni isti præposteri D. uirginis cultores, tamẽ iactant eius se cultores esse, fidereq; eius patrocinio, hũc D. uirgini honorem deferunt, ut faciant eam suis sceleribus & flagitijs talem patronam, quæ ipsis meritam ultionem submoueat, & à filio optata omnia impetret. Mittamus ergo nos istos, & diuæ uirgini uere studeamus, atq; gratificemur, quod facie mus, si uera fide, ipsius nos filio addixerimus. Sic eadem opera, filio, patri, & matri nos approbauerimus, quæ si desit abominationi sumus, patri, filio, matri & sanctis omnibus.

Locus Lucæ de muliere exclamante, beatus uenter.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Sect.1. 
NDIE uero illo egressus Iesus è domo sedit iuxta mare, & cõgregatæ sunt ad illum turbæ multæ, adeò ut ipse nauim ingressus sederet, & uniuersa turba in litore stabat. Ac docebat illis multa per similitudines, dicens: Ecce exijt qui seminabat ad seminandum, & cum seminaret, alia quidem ceciderunt iuxta uiam, & uenerunt uolucres ac deuorauerunt ea. Alia uero ceciderunt in loca saxosa, ubi non habebant multum terræ, & protinus exorta sunt, propterea quòd non haberét profunditatem terræ: cum autem exortus esset sol, exusta sunt, & quia non habebant radicem, exaruerunt. Alia rursus ceciderunt in spinas, & insurrexerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia uero ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum: aliud quidem centuplum, alia uero sexagecuplũ, aliud uero trigecuplũ. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Et adeuntes discipuli, dixerũt illi: Quare per parabolas loqueris illis? At ille respondens, dixit eis: Vobis datũ est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem nõ est datum. Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abundantior. Quisquis autem non habet, etiã illud quod habet tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor illis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, nec intelligunt, & completur in illis prophetia Esaiæ, quæ dicit: Auribus audietis, & non intellagitis, & uidentes uidebitis, et non cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos occluserunt, ne quando uiderent oculis, & auribus audirét, & corde intelligerent, & conuertantur, & sanem illos.

Sect.2. Vestri uero beati sunt oculi, quia uident, & aures uestræ, quia audiunt. Amẽ enim dico uobis, quòd multi prophetæ & iusti desiderauerunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

Sect.3. Vos igitur audite parabolam seminantis. Cum quis audiuit sermonem regni, & non intelligit, uenit ille malus, & rapit id quod seminatum est in corde illius. Hic est qui iuxta uiam seminatus fuit. At qui in petricosa semen iactũ exceperat, hic est qui uerbum audit, ac protinus cum gaudio accipit illud, uerum non habet radicem in semetipso, sed temporarius est. Porro cum inciderit afflictio aut persecutio propter sermonem, continuo offenditur. At qui in spinas semen exceperat, hic est qui uerbum audit, & cura seculi huius, deceptioque diuitiarum suffocat sermonem, & infrugifer redditur. Cæterum qui in terram bonam excepit semen, hic est, qui sermonem audit & intelligit, qui den iq; fructũ quoque reddit ac facit, alius quidem centuplum, alius uero sexagecuplũ, alius uero trigecuplum.

Sect.4. Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Assimilatum est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo, sed dormientibus hominibus uenit illius inimicus & seminauit zizania inter triticum, ab ijtq;. Cum autẽ germinasset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem

A autem serui patrisfamiliâs, dixerunt illi: Domine, nónne bonum semen semi-
naras in tuo agro: unde igitur habet zizania? Ille uero dixit illis: Inimicus ho-
mo hoc fecit. Serui autem dixerunt illi: Vis igitur abeamus & colligamus ea?
At ille dixit, Non: ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticũ:
sinite pariter crescere utraq; usq; ad messem, & in tempore messis dicam messo
ribus: Colligite primum zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum
ea, triticum uero congregate in horreum meum.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum gra- Sect. 5.
no sinapis, quod acceptum homo seminauit in agro suo, quod minimum est
omnium seminum. Cæterum ubi excreuit, maximum est inter holera, & fit ar-
bor, adeò ut ueniant uolucres cœli, & nidulentur in ramis illius. Aliam para-
bolam dixit illis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mu-
lier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentaretur totum.

Hæc omnia locutus est Iesus per parabolas ad turbas, & sine parabola ni- Sect. 6.
hil locutus est illis, ut compleretur quod dictum fuerat per prophetã, qui ait:
Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.
Tunc dimissis turbis uenit in domum Iesus, & accesserunt ad illum discipuli
eius, dicentes: Explica nobis parabolam zizaniorum agri. At ille respondens,
dixit illis: Qui seminat bonum semen, est filius hominis, ager autem est mun-
dus. Porrò bonũ semẽ, ij sunt filij regni, zizania uero sunt filij illius mali, inimi
B cus autem qui seminat ea, est diabolus, messis uero consummatio seculi est,
messores autem angeli sunt. Sicut igitur colliguntur zizania, & igni cõburun-
tur, sic erit in cõsummatione seculi huius. Mittet filius hominis angelos suos,
& colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem, ac
mittent illos in caminum ignis, ibi erit ploratus, stridorq; dentium. Tunc iusti
fulgebunt ut sol In regno patris sui. Qui habet aures ad audiendum audiat.

Rursum simile est regnum cœlorum thesauro absconso in agro, quem re- Sect. 7.
pertum homo abscõdidit, & præ gaudio, quod habet super eo abit, & omnia,
quæcunq; habet, uendit, ac mercatur agrum illum. Rursum, simile est regnum
cœlorum homini negotiatori, quærenti pulchras margaritas, qui cum inuene-
rit unam pretiosam margaritam, abiens uendidit omnia quæ possidebat, &
mercatus est illam. Rursum, simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in ma
re, & ex omni genere contrahenti, quod cum impletum fuisset, subduxerunt
in litus, & sedentes collegerunt quæ bona sunt in uasa, quæ uero mala, foras
abiecerunt. Sic futurum est in consummatione seculi. Venient angeli, & segre-
gabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, illic erit
ploratus & stridor dentium.

Dicit illis Iesus: Intellexistis hæc omnia? Dicunt illi: Etiam Domine. At ille Sect. 8.
dixit illis: Propterea omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est ho-
mini patrifamiliâs, qui depromit è thesauro suo noua & uetera.

Et factum est cũ finisset Iesus sermones hos, ut digrederetur illinc. Et cum Sect. 9.

ueniſſet in patriam ſuam, docuit in ſynagoga illorum, ita ut ſtuperent, ac dice-
rent: Vnde huic ſapientia hæc & uirtutes? Nónne hic eſt ille fabri filius? Nón-
ne mater eius uocatur Mariam, & fratres eius Iacobus, & Ioſes, & Simon, & Iu-
das? ſorores illius, nónne omnes apud nos ſunt? Vnde igitur huic hęc omnia?
& offendebantur ſuper eo. Ieſus autem dixit illis: Non eſt propheta expers ho
noris, niſi in patria ſua, & domo ſua. Et nõ edidit illic uirtutes multas propter
incredulitatem illorum.

IN die uero illo egreſſus Ieſus è domo, Marc. 4. Luc. 8.) Inſunt in hoc capite parabolæ aliquot, quibus natura, uis, fructus, & pretium uerbi Dei declarat. Prima, ut uarie illud recipi, atq; in paucis ſuos facere fructus ſoleat. Docuit hæc ex naui in quam deſcenderat, quòd in litore à turba premeretur. In litore lacus Geneſar crebro docuiſſe legitur: forte locus opportunus erat in quo multi conuenirent. Occaſio autem huius parabolæ uidetur fuiſſe ipſa nimia hominum frequentia qui accurrebãt undiq;, atq; ut Lucas habet, ex ciuitatibus properabant ad ipſum. Voluit ergo hac parabola ſignificare illis, non ſatis eſſe audiſſe uerbum, neq; omnes qui ipſum audiunt, inde meliores reddi. Turbis autem in parabolis loquebatur, indubie ut redderet attentiores ac etiam eorum quæ dicebantur curioſiores, ut ſuo tempore de illis ueſtigantes, edocerentur omnia certius. Vnde adiecit, quod adijcere fere ſolitus fuit, cum animos ad diligentem ſermonis ſui animaduerſionem uellet excitare. Qui aures habet ad audiendũ, audiat. Nam quod dicebat diſcipulis explicationẽ parabolæ rogantibus: uobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, illis autem qui foris ſunt, per parabolas omnia fiunt, ut uidentes uideant, & non cernant, & audientes audiant, & nõ intelligant, ne quando conuertantur & remittantur eis peccata, uti Mar. uerba Domini cõſcripſit. utiq; eadẽ cum ijs, quæ apud Matth. & Luc. leguntur, id de reprobis duntaxat dixit, nullas ad audiendũ aures habentibus, quibus ut iam aliquoties dictum, ad conuincendam ipſorũ impietatem ueritatẽ prædicari quidem oportet, ita tamẽ recipiendã, ut licet ſatis tandem cgnoſcant eam, non tamen perſuadeantur, de quo iam ſuprà 12. cap. item 7. Interim tamen non pauci, & in turba illa erant electi, qui per parabolas illas ſaltẽ aliquid erudiebantur, ac omnino ad hoc apparabãtur, ut certũ ſuo tempore etiam ipſi myſterium Dei agnoſcerent. Nam omnino in reuelanda ſui cognitione Deus ordinem obſeruat, ut cum aliâs, tum nono ſupra circa hiſtoriam filię principis ſynagogæ ſuſcitatæ diximus. Cæterum illa: Quiſquis enim habet dabitur illi, prouerbiales & uulgo iactatæ ſententiæ erant, quas ſignificare uoluit, & in regno ſuo hactenus impleri, quòd ſolis habentibus electionis donum, ſcientia uitæ communicetur, & ab ijs, qui eo careant, per prædicatum uerbum, etiam hoc, quòd diuinæ cognitionis uidentur habere, auferatur, quia reprobi, poſt cõtemptum uerbum, quod, ſcilicet, nequeunt recipere, magis excæcantur, ut uideas tales demum & ſenſu communi priuari. Sed de iſtis etiam ſuprà cap. 5. in illud: Vos eſtis lux mũdi. Vnde commodum his locus Ieſchaeiah ſubiectus eſt, qui & ipſe ſuprà capit. 6. in explicatione illius: Et ne nos inducas in tentationem, ut apud Hebræos habetur adductus, & paucis explicatus eſt. Paulo quidẽ aliter citatur à prophetis, ſed ſenſus idẽ eſt, nempe reprobos, uerbo Dei magis excæcari, atq; inde damnari, cum eò aguntur, ut ſpiritũ ſanctum blaſphement, atq; ita peccatum ſuum conſumment. Ideo Domini iuſſio iudicio fit, ut ſiue parabolarũ obſcuritatem, ſiue ſermonis humilitatẽ, ſiue aliquid huiuſmodi uerbũ Dei ſemper habeat, quo illi offendantur, & ad ſalutis ſcientiã tantũ ſtupidiores reddantur, apparati ſunt ad interitum, ſicut eo electi eruditiuntur ad ſalutem, & uiuificantur. Atq; ad hoc probandum, Dominus iſtuc oracuũ hic adduxit.

ENAR.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Vestri uero beati sunt oculi, Lucæ 10.) Hæc Lucas alio loco memorat Dominũ dixisse, nempe postquam discipuli eius à prædicatione Euangelij fuissent cum gaudio reuersi, & ipse exultãte spiritu gratias patri egisset, quòd paruulis illis reuelasset, quæ abscondisset sapientibus & prudentibus. Vnde cõiectura est, ea discipulis, quò commonefaceret tam incomparabilis gratiæ illis factæ, nõ semel dixisse: Certe multi reges & prophetæ diem illum diuinæ benignitatis uidere, atque Euangelion regni Dei audire optauerant, quibus id datum non fuit: beati igitur hactenus oculi discipulorum Christi, & beatæ aures fuere, quibus contigit, præsentem mundi seruatorem uidere, uocemq; eius audire, quandoquidem cognouisse Deum, solida demũ beatitudo est. Etenim nequaquam de sola corporali uisione, & auditione Dominũ fuisse locutum, argumento est, hic quidem illud: Vobis datum est nosse mysterium regni, & apud Lucam quod iam gratias egerat, illis reuelatum fuisse, quæ celantur sapientes & prudentes. *Vnde beati oculi discipulorum.*

Notandum iterum ergo, Deum ordinem & gradus obseruare in reuelanda sui cognitione. De quo suprà 9. & aliàs. Et si prophetæ illi, ac iusti, tum & electi à Domino atque sancti reges dono domini fuerint, quos ut filios habuit, non tamen reuelauit eis, quæ his piscatoribus, nulla, uel dignitate eximia, uel rara sapientia, aut iustitia insignibus. Porrò desiderium hoc iustorum, in Simeone illo iusto, apud Lucam pulchre descriptum est. Quia enim gloriæ Dei studebant, & ea tempore Christi maxime erat illustranda, quia amplior Dei cognitio erat passim reuelanda, ideo perpetuis, ijsdemq; ardentissimis uotis aduentum Christi optabant & orabant, ut sparsim in prophetis atque Psalmis legitur. Væ nostro torpori, quòd donatam iam nobis istam Christi cognitionem tam tepide amplectimur, & nullo adeò desiderio propagandæ eius flagramus.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Vos igitur audite parabolam seminantis, &c. Marci 4. Lucæ 8.) Explicatio hæc parabolæ, abunde à Domino ipso reddita est, utinam probe tantum animaduerterè mus. Quatuor facit genera auditorum Euangelij. Primi audiunt quidem, sed nulla mente, nulla animaduersione, aliò per satanam detorto ipsorũ animo, quo fit ut nulla omnino auditi uerbi adhæreat uel cogitatio: ad sua illico studia rapiuntur.

Alteri, præter quòd Euangelion audiunt, mente etiam illud reuoluunt, bonumq; iudicantes, auide uidentur illud arripere, idq; testantur cum facto, tum uerbo. Enascitur enim semen, & per herbam fructum uidetur, licet falsò, polliceri. Li sunt similes filijs Israël, de quibus suprà duodecimo, cum de peccato in spiritum sanctum agere mus exemplum adduximus. Ratio enim eorum, sine immutatione ad uoluntatem Dei conuincitur, uerbum Dei bonum esse, quæ rursum simulatq; crucem senserit, uerbum idem malum, & inimicum sibi iudicat: tumq; resiliunt hi temporarij, qui spiritu filiorum nunquam donati fuerant, neque plus quàm ratio assequi potuit, unquam credideran. Spiritu quidem Dei, ratio illorum ita cõuicta fuerat, sed citra ueram persuasionem, quæ simul animum immutasset, Deoq; adduxisset, præbito uero bonitatis eius gustu, eoq; perstare nequiuerunt. Tertij sunt, qui ijdem uerbum non audiunt solum, sed & intelligunt, mentecq; recipiunt, sed æque ut ij quos petræ tere, similes fecit, citra regenerationem animi, hoc est, solidum spiritus filiorum adflatum, plenamq; ueritatis persuasionem, ideo sicut illos crux ab Euangelio absterret, ita istos cupiditas rerum præsentium, quas, quia opes cœlestes nondum rectè cognouerunt, despondere nequeunt, à percepto uerbo auocat, facitq; ut prorsus antequam in herbam iustam enascatur, enecetur & intereat. Quarti demum bono corde, hoc est, per spiritum filiorum, uere immutato atq; ad Deum tracto, Euangelion *in quibus cupiditas uerbũ enecat.*

lion audiunt,ij etiam soli fructum adferunt,alij tamen alijs copiosiorem,secundum, quod alij alijs spiritu locupletius donantur. Hoc sibi uult, quod in nostro legimus, ac facit aliud quidem centuplum,aliud uero sexagecuplum, aliud uero trigecuplū. Quod nimis inconsiderate D.Hieronymus ad præmia uirginitatis, uiduitatis & nuptiarum retulit: neque multo consideratius ueteres Latini & Græci martyribus centesimum,uirginibus sexagesimum,& uiduis trigesimum adoptarunt. Neque enim ab externis istis statibus, fructus metiendus est, & nequaquam hic de percipiendis fructibus,sed reddendis agitur. Sunt nanq; fructus quæcunq; dixerimus uel gesserimus,unde alij utilitatem percipiant iustitiæ & salutis. Qui nanq; credit, hoc est, semen Euangelij uera fide percepit,& loqui eum,& agere oportet, quæ ut ad salutem proximorum,ira & ad Dei gloriā faciant.De fructibus hisce,suprà 7. in illud: A fructibus ipsorum agnoscetis eos.Illud itaq; centuplum,sexagecuplum, & trigecuplū, per certum discrimen,incertum significat,quod inter electos,& uerbo uere credentes in adferendis fructibus,cernitur.

Fructus centesimus, sexa. etcæ.

In patientia.

Non est autem prętereundum,quod in Luca additur,in patientia. Summus nanque fructus,quem recte perceptum uerbum Dei reddit, est, eiusdem ad alios quoq; dissemination,quò tyrannide satanæ exempti homines,ciues fiant regni Christi, hoc ut suprà 10.satis declaratum est, sine cruce & persecutione in mundo fieri haud potest,quare uere opus patientia,neq; sine patientia malorum, fructus hic summus afferri poterit.Quanquam quotquot demum pie uolent uiuere in Christo Iesu, necesse sit persecutionem pati.1. Timoth.3.Semper itaq; adsit oportet patiētia. Certe Christus suos sic nobis fructus,nimirum, summa in patientia attulit.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens, &c.) Huius explicationem parabolæ, non minus quàm prioris claram ipse Dominus, interpositis duabus alijs parabolis, tradidit.Quòd uero hac uoluit docere, est,fore in Ecclesia semper malos & hypocritas bonis ac ueris Christianis permixtos. Quæ omnia faciebant,ad mouendum turbas,ne sibi ex eo placerent, quòd Christum audirent,ac uelut gregi ipsius accēserentur,cum non solum sine fructu ipsum multi audirent, quod priore parabola ostēdit, sed etiam quòd simul futurum esset,ut uani hypocritæ, gregi suo ad finem usq; secuti huius admixti agerent. Eoq; uidendum esse,ut certa ipsum fide audirent, eiusq; discipuli uere euaderent. Tria itaq; diligenter hic animaduertenda. Primum Christi semen,& donum esse,quicunq; uere credunt,eoq; uere filij regni existūt. De qua appellatione,& suprà octauo. Vt opus diaboli sunt, omnes hypocritæ. Nihil igitur glorietur homo,sed det operam, si uerbi ministerium habet, ut fideliter id administret.1.Cor.4.

Mali offendicula sunt.

Alterum,malos illos hypocritas uocari offendicula. Verbo enim & uita mirum in modum impij hypocritæ offendunt.Quòd in zizanijs huius seculi,sectis,scilicet, præter uerbum Dei natis,nimium uerum,proh dolor,experimur. Vbiq; enim ueritati obstant,& sanctis negotium facessunt.Ii ipsi sunt, qui nihil nisi iniquitatem patrant,de quibus & suprà septimo in illud:Discedite à me,&c.

Regnū Christi regno patris cedet.

Tertium post iudicium demum fulsuros ut sol, in regno patris sanctos. Quia tum sublatū erit omnis ut peccati,ita & aduersitatis obscuritas.Regnū patris uocat, quia tum Christus Deo & patri regnum tradet,ut sit ipse omnia in omnibus. Finis nanq; regni Christi erit,cum mediandi,& intercedendi finis aderit, quando extinctus erit ultimus hostis,mors,de quibus 1.Cor.15. Neq; pugnat hoc ijs locis qui regno Christi æternitatem tribuunt,quia illis aliud non significatur,quàm stante hoc seculo,illud finem haudquaquam accepturum. Deinde quando Christus suo regno potissimum charitatem suis reparat, in qua omnis iustitiæ consummatio sita est, eáque non excidit, simpliciter potest æternum dici regnum Christi, præsertim cum

idem

A idem & patris sit, Sed proprie regnum Christi idem est quod sacerdotium eius, & situm in iustificatione impiorum, & intercessione pro sanctificatis, illa quia finem accipient, recte ait Paulus: Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui illi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

Videtur autem hic alluisse Dominus ad illud Danielis 12. Et multi dormientes in Locus Dan.
puluere terræ surgent, alij quidem ad uitam sempiternam, alij ad opprobria consumptionis æternæ. Et erudientes fulgebunt instar fulgoris firmamenti, & iustificantes multos sicut stellæ in seculum & ultrá. Vt enim impij offendicula sunt, qui non sibi tantum desipiunt & iniusti sunt, sed alios quoq; in errorem & ad iniquitatem pertrahere conantur: sic filij regni, electi & uere credentes satis non habent quòd ipsi veritatẽ agnouerunt, & iustitiã colunt, uerũ positi in hoc ut fructũ afferãt, & permanentem afferãt, alios itẽ student ad salutẽ erudire, ueræq; iustitiæ reddere participes, quare Propheta illos משכלים ומצדיקים, id est, erudientes & iustificantes uocat. Postremo uelim monitos hinc esse quicunq; uerba Christi alijs prædicant, ut cũ alias tum præcipue in parabolis, nolint Christo uelle esse argutiores, sed satis habeãt id cõmendasse, quod uident Christum uoluisse commendare. Sic in præsenti parabola uident quædam proposita, quæ in redditione non sunt explicata: ut quòd nocte & dormientibus hominibus inimicus zizania sua seminarit: item quòd serui, de malo semine patrisfamiliâs questi sint, tum quòd uolebant zizania colligere ante messem, denique quòd id Dominus noluerit. Hæc omnia in explicatione Christi explicata nõ legis: ne uelis igitur tu frustra in illis philosophari. Ita sanè omnes Christi parabolæ sunt, ut si uelis singulis partibus suas explicationes dare, nihil plus agas, quàm quòd ea argutia tua, & id quod Christus præcipue uoluit, amittas, & in meras teipsum nugas, & seipsas euertentes argutias, abducas, ut infrà 20, & 25. magis patebit. Præcipue autem in quibusdam Lucæ parabolis.

B Quid per semen esset intelligendum, tam bonum quàm malũ, quis sator utriusq;, & quando demum essent zizania à tritico seperanda, & in ignem conijcienda, hæc Dominus explicauit, ea nobis satis sint, & discamus hic eum aliud nihil uoluisse docere, quàm malos opera satanæ, quàm diu hoc seculum stabit, bonis suis, quorũ ipse autor, fore permixtos, sed in fine seculi demum separandos, & in geennam abijciendos. Hoc terreamus hypocritas, & consolemur nos ad tolerantiam malorum, quia aliter fieri non potest dum hic uiuimus, ferre hypocritas oportet. Deniq; hinc animaduertamus quàm caute nobis uersandum sit, & quàm nihil sit hominibus ex se in rebus salutis fidendum, quia magnus semper hypocritarum numerus bonis admixtus est: cauendum ergo ne cui ouillæ uestes imponant.

Si hæc probe perpenderimus, sederintq; ea animis, non erit frustra nobis præsens parabola scripta, etiam si mittamus intelligere per dormientes homines, negligentes Episcopos, per seruos cupientes euellere zizania, homines præcipitis zeli, & desiderantes malos illico eradicari; per præceptum deniq; patrisfamiliâs, de nõ uellendis zizanijs, malos non tollendos, siue sceleratos quoslibet, siue hæreticos. Nihil enim horum Christus docuit, eoq; nihil huiusmodi firmum, nam allegoria per se nihil probat. Satis aliâs scripturæ habemus, unde etiã citra istas allegoriarum, ne quid aliud dicam, argutias, docemur, periculosam negligentiam Episcoporum, & quòd ipsis stertentibus hæreses soleant pullulare, item quòd nec pium nec possibile sit malos quoslibet eradicare. Quanquam magistratus, iuxta Dei mandatum, non debeat ferre eos, à quibus turbatur Respublica. Non enim hic præcepit Dominus, malos non punire, sed significauit utcunq; nocentiores puniantur, & per uerbum Dei alij oppugnentur, ad finem tamen mundi usq; malos etiam in Ecclesia futuros, egerrimeq; à bonis dignoscendos, id quod ingenium zizaniarum indicat, à quibus similitudinem præsentem Dominus duxit. Nam scribit D. Hieronymus, inter triticum & zizania,

& zizania, quod nos appellamus lolium, quàm diu herba est, & nondum culmus uenit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo aut nulla, aut perdifficilis distantia. Demus ergo operam, ut nostra certa & solida sint, qui ut sermones Dei loqui debemus, ita uero erunt, cum puro Dei uerbo, & nequaquam nostris cõmentis innitentur.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Parabola grani sinapis.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis, Mar. 4. Luc. 13.) Duas has parabolas, grani sinapis & fermenti, Dominus quidem non explicauit, ueruntamen clare satis per eas, qua uirtute quóque successu esset Euangelion orbem peruasurum, prædixit. Regnum nanq; cœlorum, quod per Euangelion, sceptrum rectum, & potentiam salutricem omnium ipsi habentium fidem, orbi iam tum inuectum, erat perpusillum, Christo paucissimis, ijsdemq; contemptissimis palàm adhærentibus: sed sicut granũ sinapis paruum licet, imò minimum inter semina, in maiorem omnibus oleribus fruticem imò arborem breui exurgit, ita & grex Christi breui, ad fines usq; terræ fuit dilatatus, & omnibus regnis mundi euasit superior.

Parabola feminis tacite fructificantis. apud Marcũ.

Marcus ad idem facientem, aliam quoq; parabolam, præsenti præmisit. Nimirum regnum Dei sic esse, quemadmodũ si homo iaciat semen in terram, quod ultrò igno rante eo qui seuit, postea è terra enascitur, tã dormiente illo, quàm satagante, hoc est, dies & noctes exurgente. Et quidem primum in herbam, mox in spicam, demum in plenum frumẽtum fructificat, atq; tum demetitur. Significauit enim Christus Euangelion ita mirum in modum, præter hominum opinionem, ac ne sentientibus quidem, passim enasciturum & fructificaturum, non subito quidem, sed sensim, & ordine quem pater statuit. Certe ad hunc modum, & hoc nostro seculo, regnum Dei, reuectum nobis est, nihil minus hominibus uolentibus, uel opinantibus, unde illæ, apud impios uoces: Vnde tandẽ exortum est hoc hæreticorum genus? Quàm breui tempore prævaluit? Qui factum, ut non præsenserimus, & ne quidem in ipso cursu satis conatus istorum animaduerterimus? Sed sic est regnũ Dei, irrepit prius quàm id caro satis animaduertat, ita ludit Deus mundũ, & per humiles suos, stultos & infirmos, glorioſos, sapientes & potentes confundit.

Altera à Matthæo hic posita parabola fermenti, quam & Luc. 13. habet, idem Dominus prædicere uoluit, nempe regnum Dei breui inualiturum, & totum orbem occupaturũ, sicut paulùm fermenti totam farinam breuissimo tempore peruadit, & infla t. In quo simul notatur, qui uere regni Dei participes facti sunt, integra fide prædi ti, eos non secus atq; fermentum, alios quoq; conari, eidem regno adiungere. Malũ sanè fermentum, ita comparatum est, ut quicquid contingat, quantum in se est, corrumpat, quare à Christianis expurgandum est. 1. Corinth. 5. & infrà. 16. Vbi & doctrinam pharisæorum fermentum uocat. Multo efficacius serpere ergo, & inficere quoslibet debeat fermentum Euangelicum. Cui igitur non summæ curæ fuerit, quo latissime Euangelion spargatur, & cognitio Dei saluifica imbuantur quilibet, is prodit se nihil adhuc, aut perparum fermenti Euãgelici esse nactum. Satum genus mensuræ est, continens modium unum Italicum & semissem, ut est autor Iosephus libro antiquitatum Iudaicarum nono, capite 4. Ebraice autem dicitur סאה.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, Mar. 4.) Marcus addit, multis talibus parabolis Christum turbis locutum, pro ut poterant audire, seorsim autem discipulis suis omnia exposuisse. Vnde confirmatur, quod suprà monui, non propter perditos duntaxat Dominum parabolis usum, sed quia ita etiam requirebat, cum populi capacitas, tum patris uoluntas, qui uolebat nõ subito, neq; pariter omnibus, sed suo ordine, Euangelion hominibus reuelari. Hinc noster impletum scribit, quod dictũ fuerat per propheram, qui ait: Aperiã in parabolis os meum, &c. Quod perinde est, ac

A si dixisset: Omnia Christus loquebatur in parabolis, ut illud Prophetæ recte usurpasset: Aperiam, &c. Neq; aliter enim completum hoc Prophetæ dictum fuit, quam quòd Dominus ita sese habuit, ut quadrarit ei ad hunc modum utenti parabolis, illud Psalmi de se dicere. De qua impletione oraculorum scripturæ suprà cap. 2. fusè. Quòd autem Propheta dicit, os suum se in parabola aperturum, & eructaturum ænigmata ab initio, quæ Euangelista uocat abscondita à constitione mundi, cum tamen potissimum beneficia populo Israëlitico diuinitus exhibita, & simul pœnas infidelitatis quas dederunt, in eo Psalmo canat, huc spectasse uidetur, quod uere recõdita, & uelut parabolica in illis, quæ Patribus diuinitus contigerant, sapientia atq; institutio lateat. In exemplum enim posteris scripta sunt, ut Paulus ait, 1. Corinth. 10. Et ipse Propheta Asaph, mox in eo Psalmo: Et statuit testimoniũ in Iacob, & legem posuit in Israël, præcepit Patribus nostris, ut nota facerẽt illa filijs suis ut cognoscãt: & generatio nouissima, filij qui nascentur, surgant & narrent filijs suis, & ponant in Deo spem suam, &c. Porrò solet scriptura משלי id est, parabolas uocare quaslibet etiam sententias grauiores, quòd illæ fere cum collationibus efferantur: Sic uerisimile est hoc loco uatem usum esse & uoce חידות quæ alioqui ænigmata significat, sed in Prouerbijs quoq; Salomonis pro sententijs simpliciter usurpatur, forsan ideo quòd sententiarum est, habere in se aliquid quasi reconditi, quod non cuiuis obuiũ sit, ut ita imperitioribus possit haberi aliquo modo ænigmatis loco.

ENARRATIO SECTIONIS, VII.

Rursum simile est regnum cœlorum thesauro abscondito &c.) Duabus his, de absconso thesauro, atque margarito, parabolis, quas solus Matthæus memorat, Christus, pretium Euangelij, & quanto cum desiderio oporteat suscipi, atq; omnino à cognoscentibus uim eius suscipiatur, uoluit ostẽdere. Vt enim qui thesaurum, quiq; pretiosum margaritum inuenit, magno cum gaudio omnia sua uendit, quò B illo potiatur, ita qui Euangelion cognouerint, & potentiam esse ad saluandũ, quot quot illi crediderint, agnouerint, ij nihil poterũt habere tam charum, quod cum eo commutare dubitent. Atque hi sunt, qui uim quodammodo regno Dei inferunt, de quibus suprà septimo. Discimus ergo, ut Euangelio, quo credito ciues in regno Dei sumus, nihil potest esse præstabilius, ita nihil illi nobis non posthabendum, quod qui non faciunt, argumentum de se præbent, nullum dum uerum Euangelij gustum percepisse. *Euangelio omnia posthabenda.*

Rursum simile est regnum cœlorum, uerriculo facto.) Hac parabola rursus declarat, malos cum bonis regno Dei adhærere, & in fine seculi demum separãdos. Cum enim prædicatur, perinde est, ac si quis uerriculum in mare iaciat: ut enim eo primũ non omnes pisces capiuntur, sed aliqui, deinde ij uarij, inter quos multi quoq; nullius usus habentur, & postremo ijdem mali pisces, non nisi uerriculo ad terram tracto, à bonis separantur, sic primum prædicato Euangelio non omnes accedunt, deinde inter eos qui ipsum uidentur amplecti, plurimi existunt hypocritæ, & illi deniq; non nisi in fine mundi à bonis separabuntur. Quæ ad idem perpendi debent, ad quod quæ dominus disseruit, de zizanijs. *Euangel. uerriculo simile.*

ENARRATIO SECTIONIS, VIII.

Intellexistis hæc omnia? &c.) Quoniam parabolicis dicta erant, monet ut probe animum aduertant, & cuncta diligenter pensiculent. Et addit omnem scribam, doctum ad regnum cœlorum, similem patrifamilias esse, qui de reconditis suis, noua proferat & uetera, hoc est, affatim quælibet. Quo significare uoluit, eum qui ad prædicandum Euangelion doctus sit, id est, instinctus per Dei spiritum, ut regnum cœlorum promoueat, opulente & copiose docere quæcunq; ad rem faciãt, & scientiam salutis perficiãt. Sicut si quispiam liberalis paterfamilias, de reconditis suis, omne genus eduliorum & delitiarũ promat, tam uetera quàm noua, ut nihil omnino

conuiuæ desiderent. Hanc certe liberalitatem Christus, cum aliâs, tum hic magnifice præstitit luculentissime, atq; liberalissime cibum uitæ, nempe, doctrinam salutis depromens, ut intelligerent iam omnia. Hunc Paulus proxime retulit, cum ubique, tum apud Ephesios, quibus dicebat Act. 20. Nõ enim subterfugi, quo minus annuntiarim omne consilium Dei uobis. Notatur ergo hinc Euangelici prędicatoris esse, omnia quæ ad rem faciunt, luculenter & copiosè docere, neq; quicquã celare. Vnde probatur Anabaptistas, qui tot habent mysteria, quæ illotos nos, ut ipsis quidem habemur, celant, non esse doctos ad regnum cœlorum, hoc est, scientia destitutos Christi. Vetus Ecclesia mysteria sacramentorũ celabat profanos, ac ipsos etiam catechumenos, quo maiori in reuerentia haberentur. Interim tamen summã doctrinæ Christianæ offerebat omnibus qui non essent canes aut porci.

Scribæ Ebræis, non scriptores, sed scripturarum legisq; periti dicebantur, qualis Aezra prædicatur fuisse, expeditus in lege domini. Aezra. 7. Quòd quidam per uetera legem, & noua Euangelion intelligunt, firmum non est. Promere enim uetera & noua, Patrifamiliâs non Scribæ tribuitur, & est cui fit assimilatio, non quod assimilatur. Neq; significat, nisi Patrisfamiliâs liberalitatẽ & copiã, qui non horna tantum, sed etiam, quæ reposita diu fuere, depromit. Cuius liberalitatẽ refert, copiosè & luculenter docens, omnia quibus pascitur, & recreatur animus, sicut Christus nihil faciebat reliquũ, ad diligentissimã & copiosissimã doctrinam.

ENARRATIO SECTONIS, IX.

Et cum uenisset in patriam suam &c. Mar. 6. Luc. 4.) Quæ hic Matthæus narrat, quemadmodum ex Marco & Luca colligitur, non multum ab initio prædicationis Christi, certe antequam prædicatum ablegasset discipulos, gesta sunt. Scribit uero Lucas, cum Nazareth dominus uenisset, secundum consuetudinẽ ingressum fuisse Sabbatho synagogã, atq; ut legeret, surrexisse. Mox accepto libro et explicato inuenisse locum, Esa. 61. Spiritus domini super me, quẽ tractauimus suprà cap. 11. in illud: Ille qui dicitur Christus. Idq; uaticinij tum in se impletum affirmasse, omnibus ipsi attestantibus, & gratiam sermonum eius admirantibus. Quod tamen intelligo factum à multis, ut semper plurimi fuerunt, qui simpliciter diuinitatem eius, tam ex factis, quam uerbis ipsis relucẽtem, admirabantur. Verum quod subijcit Lucas: Dicebantq;, nónne hic est filius Ioseph? &c. id de peruersis, ac quærentibus unde admirabilem alijs Christi doctrinam calumniarentur accipio, qui ijdem & offendebantur in eo, ut Matthæus & Marcus habent. His ipsis denicq; responsum non dubito, non est Propheta expers honoris, &c.

Hic uero animaduertendũ, quanquã ipsum adeò contẽnerent, quàm magna dominus tamen modestia, illis se de eo purgarit, quòd non apud eos, ut Capernaum signa ederet, idq; adductis exemplis Heliæ & Helisæi, quorũ utercq; non à patria tantum, sed ab omni cognatione Israẽlis alienis per miraculũ benefecit, domesticis prętermittis. Quo latenter tamen simul eis incredulitatẽ ipsorum opprobrauit, quæ utiq; in caussa erat, ne posset etiam, ut Marcus memorat, apud illos, uirtutem ullam edere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus sanauit. Hæc ipsorum incredulitas & obstinata impietas, satis sese prodidit, cum eius admodũ ciuiliter admoniti, adeò contra dominum sæuirent, quod eiectum oppido conarentur de montis supercilio, in quo erat oppidum situm, dare præcipitem.

Ex his satis apparet, quàm uere dixerit dominus suprà. 11. Beatus qui non fuerit offensus in me, quanq; pestilens res sit, secundũ carnem iudicare, hoc est, externa. Scribæ & Pharisæi, quòd Nazareth nutritus esset spectantes, non dubitarunt & illic natum, eoq; satis argumenti sese habere rebantur, eum nequaquam Christum esse, quem oporteret nasci Bethlehem. De quo suprà cap. 2. in illud: Profectus habitauit in ciuitate &c. Hi Nazareni offendebantur, quòd nossent parentes & fratres, indubie

A bie humiles. Nihil uero mouebāt eos tanta ſigna & doctrina, quam tanta cum au-
toritate tradebat. Spiritu enim Dei uacui, ſpiritus opera ſuſcꝙ decꝙ habebant, alia
quamlibet minuta perueſtigantes, quo anſam haberent calumniandi: ea igitur illis
iuſto iudicio Dei data fuit, quo peccatum ſuum conſummantes, perirent.

Quorum utinam hodie exemplū fratres perpenderent, necꝙ ſecundum faciem, ſal
ſum iudicium iudicarent. Occulit nancꝙ ſe humillimis ſemper perſonis, diuina ma-
ieſtas. Qui docti ergo à Deo eſſe uolēt, in primis de uerbo Dei inquirant, utcꝙ id de-
prehendant ſpiritum Dei orent, quicunꝙ & qualeſcunꝙ ſint, per quod id admini-
ſtretur. Orantes utiꝙ Dei ſpiritum, & diligenter attendentes, quid ad fidei & dile-
ctionis incrementum faciat, à uero haudquaquam abducentur. Sed quid mirum ſi
in fœdiſſimos errores prolabantur, qui tam uile Dei uerbum habent, ut hominum
fide, qui nihil niſi mendacium ſunt, illud æſtiment? Si nancꝙ magnus aliquis quid
pro Dei uerbo offert, Dei uerbum eſſe oportet, etiam ſi nihil niſi anile commentum
ſit, at ſi cōtemptior aliquis ipſiſſimum etiam Dei uerbum habeat, quia non Deo, ſed
hominibus iſti credunt, mendacium eſſe oportet. Hi uita deniꝙ ſua ſeſe fide in uer-
bum Dei uacuos, plus ſatis declarāt, adeò nihilo meliores redduntur, ex omni ſcien
tia Euangelij, quam iactant, & de qua glorioſe diſputant. Verbum enim Dei, ut ho-
minum ſermonem, non Dei, cum contrà oporteret, ſuſcipiūt, eoꝙ uanitas ſunt illis
omnia. Proinde nihil peſtilentius, quàm hominibus in rebus Dei, autoritatem ſic ar
rogare, ut non ſeria prece, & excuſſo iudicio coram domino ipſius inquiratur uo-
luntas. Diligi debent, & præ alijs honorari, qui in uerbo plus alijs laborant, at fide
ipſorum ne tantillum quidem, in rebus ſalutis recipi debet, ſi etiam ſanctitate & eru
ditione angelos præcellerent. Probanda ſunt omnia, & quę quiſcꝙ ſua & certa fide,
Dei eſſe agnouerit, ſola tenenda. Iſtuc autem ſic curandum erit, ne in diuerſum ma
B lum excurras, nempe ut donis uocationiꝙ Dei in miniſtris eius nihil deferas, & te-
mere quę illi ex Deo adminiſtrant reiꝯcias, ut multi hodie ſolent, iactantes iudicium
proprium, cum impia ferantur libidine, cōtemptuꝙ eorum, quos ut dominū ipſum
audire debebāt. Probanda itaꝙ ſic ſunt omnia omnium nomine Dei dicta, ut ſum-
ma religione Dei uolūtatem inquiras: id uero poſcit à publicis uerbi miniſtris prō-
pter uocationem cuncta quàm reuerendiſſime excipere, & non niſi exutum omnes
affectus carnis, et corā domino ſyncera conſciētia adhibita, ſancta prece ea excutere
& probare, de quibus eſt ratio ut dubites. Nam uocantur ſubinde in iudicium, de
quibus dubitare Chriſtianus non poteſt.

Notandum hic præterea quòd Chriſtus miraculo legerit, quia literas non didi-
cerat, ut ex Ioan. 7. colligitur. Voluit enim per omnia humillimus eſſe, quò maior
in ipſo gloria reluceret diuinitatis, Quod huc debet rapi, ut quiſcꝙ certo fidat, Deū
& ſe abunde inſtructurum, ad quæcunꝙ miſerit. Nequaquam autem ad hoc, ut uel
ſtudium literraum quis contemnat, uel indoctos præficere uelit docēdi muneri. De
quo fuſe ſuprà cap. 4. In illud: Vidit duos fratres &c. Labor item manuum commen
datur: quoniam Chriſtum Marcus hic fabrum fuiſſe teſtatur, nō ſolum fabri filium,
quo uticꝙ notauit, eum ad tempus uſcꝙ prædicationis operatum fuiſſe manibus, de
quo ſuprà cap. 3. in illud: Tunc accedit Ieſus à Galilæa. Quòd, ut Marcus ſcribit, do-
minus propter incredulitatem Nazarenorum miratus fuit, declarauit ſe eo homi-
nem. Et ſanè admiranda incredulitas illorū fuit, quòd cum nihil nō diuinum in do-
mino appareret, potuerint tamen eum adeo reiꝯcere, nil cauſſæ habētes, quàm quod
uidebatur humiliore loco natus, & contemptiorem habere familiam. Po
ſtremo fratres Ieſu, cognatos eius dici, uulgatius eſt, quàm
ut moneri eius ratio ſit.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Sect.1.  N illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu,& dixit famulis suis: Hic est Ioannes baptista, is surrexit à mortuis,& ideo uirtutes agunt in illo. Nam Herodes ceperat Ioannem & uinxerat, ac posuerat in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et cum uellet eum occidere, metuebat multitudinẽ, propterea quòd illum ceu Prophetam habebant. Cum autem celebraretur natalis Herodis, saltabat filia Herodiadis in medio,& placuit Herodi. Vnde cum iureiurando pollicitus est, se daturum illi quicquid peteret. At illa prius instructa à matre sua: Da mihi, inquit, hic in patina caput Ioannis baptistæ. Et indoluit Rex, attamen propter iusiurandum, & eos qui simul accumbebant, iussit ei dari, & missis carnificibus, amputauit caput Ioannis in carcere, & allatum est caput eius in patina, datumq; est puellæ, atq; illa obtulit matri suæ. Et accesserunt discipuli eius,& sustulerunt corpus, ac sepelierunt illud, abieruntq; & renuntiarunt Iesu.

Sect.2. Id cum audisset Iesus, secessit illinc in naui ad desertum locum seorsim. Et cum audissent turbæ, secutæ sunt illum itinere pedestri, relictis urbibus. Et egressus Iesus uidit multam turbam, & tactus est affectu misericordiæ erga illos, sanauitq; ex illis qui male ualebant.

Sect.3. Porrò cum appetisset uespera, adierunt eum discipuli ipsius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, ut abeant in uicos, & emant sibi cibaria. At Iesus dixit illis: Non est illis necesse ut abeãt, date illis uos quod edant. At illi dicunt ei: Non habemus hic nisi quinq; panes, & duos pisces. Ille uero dixit: Afferte mihi illos huc. Et iussis turbis discumbere super gramina, sumptisq; quinq; panibus ac duobus piscibus, sublatis in cœlum oculis benedixit,& cum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli uero turbis. Et comederũt omnes & saturati sunt,& sustulerũt quod superfuerat de fragmentis, duodecim cophinos plenos. Porrò qui comederant fuere uiri fermè quinquies mille, præter mulieres ac pueros.

Sect.4. Et statim compulit Iesus discipulos suos, ut conscenderent nauim & præcederent se in ripam ulteriorem, donec dimisisset turbas. Ac dimissis turbis ascendit in montem solus ad orandum. Cum autem aduenisset uespera, solus erat illic.

Sect.5. Cæterũ nauis iam in medio maris erat,& afflictabatur ab undis, nam uentus erat aduersus. Quarta autem noctis uigilia abijt ad illos Iesus, ambulãs super mare,& ubi uidissent eum discipuli super mare ambulantem, turbati sunt dicentes: Spectrum est, ac præ metu exclamauerunt, sed statim locutus est illis Iesus, dicens: Bono animo este, ego sum, ne terreamini. Respondens autem illi Petrus, dixit: Domine, si tu es, iubeto me ad te uenire super aquas. At ille dixit: Veni. Et cum descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas, ut iret

A iret ad Iesum. Cæterum cum uideret uentum ualidum, territus est, & cum cœpisset demergi, clamauit dicens: Domine, serua me. Continuo autem Iesus extenta manu, apprehendit eum, & dixit illi: Exigua fiducia prædite, cur hæsitabas? Et cum essent ingressi nauim, eõquieuit uentus. Porrò qui erant in naui, accesserunt & adorauerunt eum, dicentes: Vere Dei filius es.

Et cum traiecissent, uenerunt in terram Genesareth.

Et cum agnouissent illum uiri loci illius, emiserunt nuntios in totam undique finitimam regionem illam, & obtulerunt illi omnes male habentes, & obsecrabant eum, ut tantum tangerent fimbriam uestimenti ipsius, & quotquot tetigissent, salui facti sunt. *Sect. 6.*

IN illo tempore audiuit Herodes. Marc. 6. Luc. 9.) Hic Herodes filius fuit maioris Herodis, eius qui infantes trucidauit, Tetrarches uocari solitus. Et ex hoc loco, præter aliquot alios, colligitur, creditã Iudæis id tẽporis, ut & hodie παλιγγενεσίαν, id est, regenerationem carnalem, atq; animarum remigrationem, qua in hanc uitam, mortales rursum quidã resurgerent; quam cum Pythagora, multi quoq; philosophorũ crediderunt. Ex hac ergo sententia dicebat Herodes: Hic est Ioannes baptista, is surrexit à mortuis, & ideo uirtutes agunt in illo. Putabat enim nunc diuiniorem factum. Nihil autem pœnitudinis subindicat, quòd innocentẽ illum interemerat. Sic stupere solet ad diuina, impietas, amare ea nõ potest. Non solus autem Herodes talem de domino opinionem habebat, sed & alij, ut noster infrà. 16. & etiã hoc loco Marcus memorat, imò ab aliis Herodi ista opinio obtrusa fuit, ut Lucas hic scribit: Sic enim memorat: Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quòd diceretur à quibusdam, quòd Ioannes surrexisset à mortuis, à quibusdam uero quòd Helias apparuisset, ab aliis autem quòd Propheta quispiã ex antiquis surrexisset. Neq; aliam existimo & de Ioanne Iudæos opinionem habuisse, quando rogabant, num Helias uel Propheta esset, Ioan. 1, id est, an renatus esset ille Helias, qui sub Rege Achab fuerat, aut quispiam aliorum Prophetarum, qui ante uixerant: quare recte utrunq; esse se negauit, sicut neutrũ erat, licet spiritu Heliæ esset præditus, & Prophetis quibuslibet maior, quòd Christus de ipso testatus fuit, de quibus & suprà. 11. paucula. Vide autem ut puerilibus erroribus homines inuoluantur, cum cadit pietas, ut illo seculo ceciderat. Idem & multis iam seculis accidisse, & nobis nimium, proh dolor, etiãnum experimur. Ista est cæcitas & amentia, qua impios Deus percutit, ubi sibi uale dixerint, de qua. 5. Moscheh. 28. *Remigratio animarum.*

B Nam Herodes ceperat Ioannẽ &c. Mar. 6. Luc. 3. Quia occisum ab Herode Ioannem, per occasionẽ Euangelista memorauit, caussam & rationẽ necis eius, eo quòd sint memorabiles, simul uoluit subijcere. Vinculorum quidem caussam, Matthæus, Marcus & Lucas pariter attestãtur fuisse, quòd propter ductam Herodiadem Ioannes Herodẽ reprehendisset. Iosephus uinctum & interfectum eum memorat ex suspitione rerum nouandarum, quam Herodes de eo conceperat, cum uideret populum illi adeo addictũ, & ab ore eius tantopere pendere, libro Antiqui. 18. cap. 10. Fieri aũt potest, ut utraq; caussa, ad necem Ioannis, scelestum tyrãnum impulerit, & uel ex eo maxime suspitionem eam de Ioanne conceperit, quòd se libere adeo adulterij argueret. Herodiadẽ hanc, Aristoboli filiam, & Agrippæ maioris sororem, Iosephus uxorem scribit fuisse, alterius Herodis fratris istius. Vnde oportet Philippũ hunc, etiam Herodem fuisse uocatum. Hunc uero Philippũ, multis prædicat, quò uideas crudeliore libidine Herodem insanijsse, qui non fratri solũ, sed innocenti etiam atq; optimo uiro, tantam potuerit iniuriam inferre. *Caussa necis Ioannis.*

Habuerat ad hæc uxorem, filiam Aretæ, quam ſine cauſſa, eoq; cum diſcrimine C
ſuo, pactus Herodiadi fuerat, repudiare. Nam ubi illa mariti conſilium reſciuit, ultro ad patrem conceſſit, unde ortum inter patrem & Herodem bellum fuit, & commiſſo prælio, exercitus Herodis nonnihil afflictus. Hi uero fructus ſunt contemptæ pudicitiæ, & proſtitutæ fidei coniugalis. Etenim ſi quis animaduertat, nō facile deprehendet ullum aliud flagitium, unde tot bella & generales calamitates, originem & cauſſam acceperint, atq; ex adulterijs & inceſta libidine. Iure autem corruere inter ſe Deus humana omnia facit, poſtquam primi & ſummi fœderis, quo coniuges in unum hominem conſpirant, nulla adeo ratio habetur. Fides ſiquidem omnis iuſtitiæ, atq; commerciorum fundamentum eſt, qua ſubuerſa, neceſſe eſt, ſemel omnia apud homines corruere. Vnde cum in connubio, ubi ſumma eſſe & abſolutiſſima debet, collapſa fides fuerit, optimo iure Deus & in alijs negotijs excidere eam patitur, tum miſcentur omnia, aquæ igni, igni aqua, cœlum terræ, terra cœlo, & ſumit de ſe ipſa perfidia pœnas. Cuiuſmodi ultio, cum aliàs, tū tertio Moſche. 26. & 5. cap. 28. impijs minata eſt.

Porrò hic animaduertendū, quàm nihil principale faſtigium Ioannes fuit ueritus, & ut libere tam adulterij quā aliorum quæ faciebat malorum, ut Lucas teſtatur, Herodem monuerit. Quanquā dubium nulli eſſe debeat, opportune monuiſſe, & citra procacitatem, neq; denique ſine ſpe fructus, ne quis credat eum ſanctum dediſſe canibus, quod uel ex eo colligitur, quod Marcus ſcribit: Herodem metuiſſe Ioannē, quòd ſciret uirum iuſtum & ſanctum, & obſeruaſſe eum, auditoq; eo multa feciſſe, ac libenter eum audiſſe. De his ſuprà. 3. Quòd autem adeo nihil profecit, ſed necem præmium ſuę monitionis tandem retulit, bona patris uoluntas fuit, qui ut ſtatuerat, hic ad hunc modum glorificaret. Nos ergo Ioannem imitati libere, ſed citra procacitatem, obſeruataq; fructus faciendi occaſione, moneamus peccantes, ne conſenti- D
re illorum peccatis iudicemur. Si tum eiuſmodi gratiam, qualem Ioannes, retuleri-
mus, bene agetur nobiſcum, quia bene actum fuit cum illo.

Pugnant ſecum impij. Notatur præterea hic in Herode, inſigne exemplum eorum, quę dixi ſuprà de peccato in ſpiritum ſanctum, quā pugnans ſecum & portentoſa res ſit, impius à Deo reiectus. Conuictus nanq; fuerat, de ſanctitate & iuſtitia Ioannis animus huius tyranni, eoq; obſeruabat eum, multaq; faciebat ipſo audito, nec nō libenter ipſum audiebat, ſed quia nihilominus Satanæ captiuus, & libidinis ſeruus erat, tandem eò adductus fuit, ut quem ſciebat iuſtum atq; ſanctum, & utilia ſuadentem, occideret. Neq; enim tantum ob iuſiurādum puellæ datum, ſed multo magis, ex impatientia admonitionis, & propter improbos Herodiadis hortatus, ad necem eius fuit pertractus. Vnde Matthæus ſcribit, metu turbæ, quæ ut Prophetam Ioannem habebat, ipſum ab occidendo eo primum abſterritum. Quare dolor ille, quo affectus fuit, puella petente caput Ioannis, non plane uerus fuit.

Cum autem celebraretur natalis Herodis. Mar. 6.) Hic uide fructum conuiuiorū, fructum ſaltationis, fructum denicq; illiciti amoris. His nanq; occiſum ſanctiſſimum Ioannem, contra iura Dei & naturę, eodemq; tempore, quo etiā nocenti impunitas ſperanda eſſe debuerat, nēpe in natali Principis, quo publica lætitia uolebat omnes exultare, acceptum referimus.

Non prætereundum uero, quàm ſimiles adeo labra lactucas habebant, id eſt, Princeps crudelis nihilo humaniores cōuiuas, primates, tribunos, primoresq; Galilææ, quos, ſcilicet, offendi timuerit, ſi quod bis ſtulte, imò inſane iurauerat, nece innocentis non præſtitiſſet. De iureiurando, & uotis hic dicere aliquid me recepi. In conſeſ-
Quæ uota ſeruanda. ſo nanq; eſt, Herodē non tam ſtulte iuraſſe hic, quàm impie quod iuraſſe uideri uoluit præſtitiſſe, eoq; obſcurum non eſt, quædam iuramenta non ſeruāda, ſicut & de uotis conſtare poteſt, ex uoto Iliphtach Gileaditæ Iudic. undecimo. Ne igitur nodū
in ſcir-

A in scirpo quæramus, sed aperte & paucis dicamus, id quod res est, certa fide adseri-
mus, quicquid uel uotum uel iuratum fuerit, siue Deo, siue hominibus, quod præ-
stari cum gratia Dei possit, id omnino esse præstandũ, neq; eius iuramenti uel uoti
religione, ab ullo mortalium quenquam absolui posse. Sermo nanq; noster, est, est,
& non, non, esse debet, suprà. 5. & non potest fallere neq; Deum fides, neq; proximũ
dilectio, quibus moderatur omnis uita iustorum. Sed si quid cum Dei mandatis pu
gnet, ad quod quis uoto se uel iuramento astrinxerit, præstari nequaquam poterit.
Nam nemo sui iuris, sed Dei omnes sumus, quare contra ipsius uoluntatẽ nulli nos
obligare possumus, certe multo minus quàm seruus, uoto uel iuramento obligare
se alieno domino poterit.

Iam quæ hactenus uotorum nomine maxime celebrata sunt, ut monastica, ea *Vota monast. cõtra Deum.*
certo certius est, cum gratia Dei præstari non posse. Quia cum gratia ipsius, frustra
ipsi seruire non potest: at seruire illi doctrinis & mandatis hominum, est ei fru-
stra seruire infra. 15. Cum igitur nihil aliud sit institutio monastica, nõ poterit ea ser-
ri Deo, qui præcipit, ut non frustra sed cum fructu, pertingente ad multos ipsi seruia-
mus. Deinde nõ frustra solum, sed & perniciose uiuẽt, quicunq; monachos uel mo-
nachas, ut hodie per uota constituuntur, uiuere uolent. Nam per obedientiam mo-
nasticam, inuentum hominis, subducentur obedientiæ parentum, & magistratus,
quam præcepit Deus, per paupertatem, à præcepta diuinitus dispensatione in ino-
pes eorum, quæ Deus ipsis, non Abbati uel Priori dedit, per castitatem, à necessario
sæpe, sine quo sancte & caste uiuere non possunt, coniugio. Postremo necesse est, a-
pertos & confessos errores fouere tales, cum Missis, tum alijs abominationibus, &
impostoris quærere, ut sine proprio labore saginentur uentres pigri, & bestiæ uere
malæ. Vt igitur modis omnibus, monachis et monachabus, si uota sua uelint serua-
B re, pie uiuere non licet, ita neq; uota seruare sua licebit. Neq; enim, ut dictũ, contra
Dei uoluntatẽ obligare sese potuerunt. Quod cum seducti à uero fecerunt, debent
huius orare ueniã, & non uelle peius perficere, quod male uouerunt.

Similia sunt uota peregrinationum, uagationum rectius dixero, ad uaria delubra *Peregrinari contra Dom.*
Deorum. Nam & ea, tanquã grata Deo, & ex superstitione suscipiuntur, quasi Deus
præsentior uni loco sit quàm alijs, aut alium cultum, quàm pietatẽ requirat, uel etiã
diui eius, quæ omnia grauiter Deũ offendunt. Sicut itaq; præstando hæc uota, non
frustra tantum Deo seruitur, uerum etiam contra fidem & dilectionem peccatur: in
fidem, quòd plus gratiæ Dei uno loco quæritur, quam alio: in dilectionem, quòd
frustra opera & impensę perduntur, quibus iuuari proximus debeat, ut taceam per-
niciosum, quod alijs obijcitur scandalon, ita præstari à pijs uota nequeunt, quamli-
bet sancte illa quis uouerit.

Ad hunc ergo modum, & si quid præterea uotorum sit, ad amussim uerbi Dei ex-
pendatur: sicq; deprehensum fuerit, seruari quid non posse sine transgressione man-
datorum Dei, nemo putet sese ad illud astrictũ. Dei sumus, non nostri, aut aliorum
hominũ, ideo ad Dei uoluntatẽ non ad nostra uota, aut aliorũ mãdata, nobis uiuen
dum est. Citant illud Psalmi. 76. Vouete & reddite domino Deo uestro, omnes qui *Vouete & reddite.*
in circuitu eius estis afferant munus terribili. Sed qui recte uerba hæc æstimarit, is
nihil minus ex eis colliget, quàm reddenda uota, cum uerbo Dei pugnantia. Voue
te, ait, & reddite, sed addit, domino Deo uestro, nimirum ita ipsi gratificaturi, & gra-
tias acturi, sicut ueteres ex institutione Dei, spontaneas oblatiões identidẽ ad decla
randã suam erga Deũ gratitudinẽ, offerebãt. Vnde de muneribus offerẽdis subijcit:
afferant munus terribili. Iã ubi uerbũ Dei de ijs, quę uulgo uouẽtur? Neq; igitur uo
ueri, neq; reddi à Deo possunt. Nõ ait Asaph, uouete Deo quiduis, sed indubie intel
ligi uoluit, ea quę grata essent Deo. Cui nihil gratũ est, q; ex sese homo fuerit cõmen
tus, aut ab alijs hoibus acceperit. 5. Moscheh. 12. Ad hunc modũ, & alia de uotis loca

accipiẽda ſunt. Reddendum eſt quicquid uoueris, ſi id ſecundum Dei uoluntatem C
uoueris. Sed ſatis ſuperq; omnes uouimus, ubi ſuſcepimus Chriſtianiſmum, ſi cu-
raremus tantum id præſtitum.

Fides etiã hoſti ſeruanda.

De iureiurando, ac promiſſione quacunq;, idem cenſendum. Diſputant quidã in eo, exacta ab hoſte iuramenta non eſſe ſeruanda, qui nondum eò peruenerunt, quo Cicero, qui hoſti quoq; ſeruandam fidem nõ dubitat, lib. Offic. primo. Certe ſi quis ab hoſte captus, promiſſa omni ſubſtantia, libertatem ſibi redimat, fidem ſeruare debet. Sicut enim ſi præſentẽ habuiſſet, recte ac pie hoſti omnẽ pro ſua ſalute tradidiſſet, atq; ita patriæ ciuem & domeſticis ſuis patrem, cunctis facultatibus præſtantiorem redemiſſet: recte itaq; & pie abſentẽ ſe daturũ, fidem ſuam obligat, atq; ideo recte ac pie eam obligatã, non poteſt niſi praue & impie fallere. Plane contra charitatem fuiſſet, ſi ſuos ſeipſo, quàm opibus maluiſſet priuare.

Quin ſi hoſtis, eum quem cepit iurare cogat, ut ſeſe ipſi ſiſtat, neq; poſſit aliud captus expectare, quàm ut ſiſtens ſe, in certum uitæ diſcrimen adducat, non dubitarim tamen, pio tanti ius iurandum fore, ut facturus ſit, quod iuratuit. Cogitabit nanque ab optimo patre in manus hoſtis ſeſe traditũ, è quibus nullo malo dolo, nulloq; periurio eximere ſe, id eſt, nulla re, quæ non probetur eidem patri uolet, contentus uti ad euadendum mediis, quorum uſum ille non prohibuit. Vnde ſi ad quid ab hoſte mandetur, aut ipſe ab illo ſibi abeundi aliquo facultatem cõcedi orauerit, promiſſo per iuſiurandum reditu, indubie redibit, quicquid ſibi ab illo immineat, etiam ſi certo mortem ab eo expectet. Neq; enim per hunc reditum ſuum, in patriam, aut domeſticos ſuos, iniurius fuerit, ut quibus ſeſe ſubducat, & hoſti tradat. Nã hoſtis, non horum eſſe ab eo cœpit, quo Deus ipſum in manus illius tradidit, eius ergo æquo animo erit, dum dominus rurſus illi adimens, reſtituat ſuis. Quod fieri non dubitaret, ſi elabendi uia ei aperiretur, citra periurium, aut quicq; aliud, quod Deus uetuit. D
Cuiuſmodi, dũ nulla apparet, interpretabitur domino ita uiſum, ut in poteſtate hoſtis maneat. Proinde Regulus omnino laudandus eſt, qui quod iurauerat, pœnis ſeſe reſtituit, non impetrata Romæ, nec pace, nec captiuorũ cõmutatione, pro quibus à Carthaginenſibus fuerat Romam miſſus: ſed quòd ſenatui autor fuit, utrunq; negandi, laudari non poteſt, quòd omnino pax, bello præſtet, & ſatius fuiſſet ipſum, unum bonum ciuem recipere, quàm mille hoſtium captiuos detinere, aut etiã perdere. Summa eſt, quia peierare, pius non poteſt, fidem hoſti quoq;, quã iureiurando firmauit, nequaquã fallet, aliam potius elabendi uiam à domino expectabit, quã per uiolationem iuriſiurandi: potius nihil hoſti iurabit.

In caſu forte ſe non ſiſtet, qui id iurarit

Attamen fieri poſſit ut princeps, à quo multorum ſalus pendeat, citra dolum iuret hoſti reditum, ſed reuerſus ad ſuos, uideat ſibi redire omnino non eſſe integrum, niſi uelit ſummis periculis omnem ſuam ditionem exponere, ac tum ex Dei ſententia, qui forte eum ſuis in ſalutem miniſtrare, quàm abſq; ullo commodo perire apud hoſtem, malit, apud ſuos maneat, & ad hoſtem non redeat, iuramento poſthabito. Eius autem indubie pium principem, ſpiritus optimi patris, qui ſuos in omnibus agit, certum reddet, non minus quàm magis illis adoratoribus Chriſti, autor fuit, ne ad Herodem, quod promiſerant redirent. Non uideo autem, ullum poſſe caſum incidere, ut pius animo fallendi iuret. Interire multis modis ſe ac ſuos malet, quàm Deum falſi teſtem citare. Iubente & approbante nanq; Deo, falſos hoſtes à ſanctis ſæpe legimus, ac per iuſiurandũ non legimus. Sanctius profecto nobis nomen Dei eſſe oportet, quàm ut id dolo, & mendacio prętexamus. Sed in his, et ſimilibus nihil tutius, quàm orare dominum bonum ſpiritum, ne quis ſua uſquã quærat, & ad gloriam illius, omnia inſtituat. Hactenus de uotis & iuramentis. Quatenus uero iurandum, dictum ſuprà eſt, cap. 5. In illud. Non peierabis.

ENAR-

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Id cum audiſſet Ieſus, ceſſit illinc in nauim. Mar. 6. Ioan. 6.) Non tam ceſſit, ut fugeret Herodem qui cupiebat ipſum tantum uidere, ut Luc. 9. ſcribit, quàm ut interquieſceret paulum, quod Marcus memorat. Nam præ multitudine uenientium atque abeuntium, non licebat eis cibum ſumere, ut habet idem. Receſſit autem nauigio trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, id eſt, lacum Geneſar, ut ſcribit Ioan. Lucas. 9. addit, in deſertum ciuitatis, quæ uocatur Bethſaida, cum tamen in aduerſo huius oppidi litore, panes multiplicauerit, quia in Marco ſcribitur, ad hoc oppidum dominum traiſcere diſcipulos iuſſiſſe, donec ipſe turbas dimitteret, quare neceſſe eſt, Lucam aut loqui de loco, in quo dominus ante trāſmiſſum lacum docuit, aut deſertum Bethſaidan uocatum, & quod ultra lacum erat. Non multum autem quietis ſibi indulſit, nam mox itinere pedeſtri ex omnibus ciuitatibus concurrerūt illuc, & peruenerunt ad eum, conueneruntq; ad illū, ut Marcus teſtatur. Non poterant ſiquidem non congregari aquilæ, ubi erat cadauer. Vt autem hoc populi ſtudium, Chriſti gratiam commendat, ita humanam miſeriam ſimul luculenter oſtendit. Perpauci enim ex tam multis cum ſeruatore, ad quem modo cupide adeo properant, perſeuerarunt. Quod etſi dominus ſciret, ut uidit tamen eos, tactus miſericordia affectu erga illos fuit, & continuo non iam quieti ſuæ, ſed ipſorum ſaluti, cum ſanando corpora, tum docendo mentes, ſeſe dedidit. Adeò ſemper ſui ſe ſimilē, id eſt, Ieſum ac ſaluatorē exhibuit. Sed hæc tractata ſunt ſuprà. 9. ubi eiſdem ferè uerbis habentur, ſub finem.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Porrò cum appetiſſet ueſpera Marc. 6. Lucæ. 6.) Notandum deſiderium audiendi Chriſtum quo populus tantopere ardebat, ut cibi deſiderium poſthaberet. Certe
B ubi gratia Chriſti ſentitur, illi nihil non poſthabetur. Porrò diſcipulorum monitio, de dimittendo populo ad querendos cibos, non tam charitatis, quàm tedij, quo afficiebantur fuiſſe uidetur. Cæterum dialogiſmus Chriſti cum diſcipulis de cibandis turbis, quod ipſos iubebat eis cibum dare, quod Philippum peculiariter intergabat, ut Ioannes memorat, hæc omnia ad id faciebant, ut magis attentis miraculum, quod facturus erat, commendaret. Vere enim magnum ad erigendam fidem momentum, præſens Chriſti factum habet. Teſtatur enim non poſſe ulla re neceſſaria deſtitui, qui Chriſtum ſequuntur, eiuſq; uerbo adhærent, quamlibet in uaſta ſolitudine agant. Vt plane agunt pij omnes uerſantes in hoc mūdo. Neq; enim tam horrida ſolitudo, ac deſtituta omni ſolatio hominum, & referta feritate beſtiarum eſſe poteſt, atq; ſint uere ſanctis, etiam cultiſſima loca mundi. Nam & domeſtici eorum immaniùs, quàm ulli ſerpentes, leones, tigrides in eos ſæuiunt, igni & aqua illis interdicunt, ut longe maiore miraculo uiuant, & neceſſaria accipiant, quàm ſi a miſis feris eſſent repleta. In deſertum ergo Chriſtū nos ſequi oportet, hoc eſt, in eam uitam, propter quam ſimus odio omnibus, & amiciſſimos in hoſtes acerrimos conuertamus, procq; diuitijs & delitijs, omnium rerum atque uitæ adeò diſpendium adeamus. Sed quia cum Chriſto ſumus, ubicunq; ſimus, nihil poterimus deſiderare. Hæc præſtiterat inculcare populo, quàm inanibus allegorijs ludere. Quòd enim quinq; panes hordeacei, legem, & piſces Euangelion ſignificent, & alia huius monetæ, quæ hic confinguntur, qua ſcriptura probabuntur? Satis ſuperq; eſt locorum, unde ſolide illa doceantur. Sed nequaquam prætereundum, quod apud Marcum legimus dixiſſe diſcipulos: Euntes emamus ducentis denarijs panes. Notatur enim eo, tantum illos habuiſſe pecuniæ. Cui nō abludit & Philippi reſponſio apud Ioannem: Ducentorū denariorū panes non ſufficiunt eis &c. Quaſi diceret. Si etiā omnē noſtram pecuniā, ducētos quos habemus denarios, inſumeremus, nō foret ſatis pro tanta

Nihil Chriſtū ſequentibus defore, hic docetur.

Diſcipuli habuerunt CC. denarios.

tanta multitudine. Ducenti aũt denarij uiginti coronatis ualẽt, ut est autor Budęus C lib. de asse & partibus eius, ubi & locum hunc perpendit. Nequaquã ergo Apostolos imitantur Minoritæ, pecuniam nolentes tãgere, cum utantur tamen libenter illa, etiam ad luxũ usq; & fastum. Verũ hic exeruit tum se in discipulis doctrina Christi, qui tantam pecuniam, ut uerisimile est, omnem quam habebãt, parati fuerunt, in usum populi istius expendere.

Præterea quòd acceptis quinq; panibus & duobus piscibus, gratias egit, hoc est, benedixit, ut Matthæus & Mar. habent (benedicere enim laudare Deum est, gratiasq; ipsi agere, unde & alijs locis pro eodem utrunq; usurpatur, ut ex. 26. infra, & Mar. 4. patet) declarauit, quàm memores esse debeamus diuinæ erga nos bonitatis, ac propensi qualibet ipsam occasione prædicare. Etenim non hoc solo loco, sed quoties Euangelicæ literæ ipsum panem sumpsisse in manus memorant, gratias simul Patri egisse testantur. Vt infrà cap. sequenti &. 26. ac Luc. 24. Vnde qui sumendo cibum, atq; quæuis alia Dei beneficia usurpando, quiduis potius animo & ore tractant, quam Dei, cuius nunquam bonitate non fruimur, laudes, ij profecto alio se probant spiritu agi, quàm Christus actus fuerit. Quòd ministerio discipulorum apponi panes, & pisces dominus uoluerit, fecit, ut uirtutẽ suam uelut in manibus ipsorum exerceret, atq; ita ad fidendũ sibi tanto magis animaret. Nam ne sic quidẽ, satis potentiam ipsius potuerunt agnoscere, quod probauit, illorum in mox sequenti tentatione, diffidentia, ut memorat Marcus. Ait enim; Non intellexerant de panibus, erat enim cor eorum excæcatum.

Porrò quod certo ordine quem Marcus & Lucas memorant, fecit homines illos discumbere, factum arbitror, ut ad suscipiendum miraculũ, animi eorum magis erigerentur. Nam utiq; mirum fuit, tantum conuiuarũ facere discumbere, & ceu mensam eis sterni, cum non nisi quinq; panes, & duo discipuli, adessent. Reliqua quòd Pascha imminebat, quòd fœnum multum eo loci erat, quòd de piscibus discipuli D quantum uolebant apposuerunt turbis, ut Ioannes scribit, quod ipsum, utiq; & de panibus factum, non est dubium, quòd circiter quinq; millia uirorum fuerunt: hæc omnia ita, propter lucem & certitudinem historiæ memorata accipio, mittens allegorias friuolas. Nam hominẽ fœni similẽ esse, per Apostolos oportuisse uerbũ Dei prædicari, & alia huiusmodi, præstat ex alijs & propris ac certis locis docere. Vtinam uel unum hoc hinc discere possemus, quò indubie omnia hæc proprie pertinent, Christo adhærentibus, etiam in deserto, id est, ubi humanum auxilium defuerit, nihil necessariorum ac uerorum bonorum defuturum. Quòd Euangelistæ dicq; scribunt, saturatis omnibus tantum superfuisse, abundantiam testatur bonitatis Dei, in sibi fidentes. De numero duodenario, philosophentur, quibus certior scriptura sordent.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Et statim cõpulit Iesus discipulos suos &c.) Sic &. 8. suprà legimus, cum paulo illustrius diuinam uirtutẽ exeruisset, iamq; supra modum, à turbis adobrueretur, desisse operam, ut ad tempus dilaberentur. Carnalis enim populi applausus nolebat, magis quærebat, qui auido corde uerbum Dei audirent. Ac in Ioanne quidem hoc loco, aperte causa scripta est, cur uoluerit, turbam mature amotã, nempe quòd uelent ipsum Regem facere. Iam terrenũ regnum nolebat, qui Rex erat cœlorũ & in præsenti serui, non Regis figura uolebat conspici. De his supra cap. 5. mox ab initio, & item. 9. in illud: Cum uidisset aũt Iesus turbas.

Scrupus uerò uidetur hic inesse, quòd Ioannes scribit discipulos traiecto lacu uenisse Capernaum, & in Marco coactos à domino cõscendere nauim, & præcedere ipsum trãsmisso mari Bethsaidã, Matth. simpliciter habet in ulteriorẽ ripã. Sed quid si iussi recta trajicere, nempe Bethsaidan unde uenerant, & acti tẽpestate, appulerint tamen

Concordia Euangelist.

A tamen Capernaum? Quanꝯ cum habitare ferè Capernaum tum ſolerẽt, non eſt ue-
ri diſſimile, dominũ quoq; uoluiſſe, ut Capernaum abirent, ſed quia cupiebat quàm
primum illos diſcedere, quo & turbas citra moram dimitteret, iuſſerit in uicinioꝛẽ
ripam traijcere, quò maturius à ſe abirent. Nam cum & ab omni mala ſpecie, alienũ
eſſe oporteat uirum bonum, & alioquí à Iudæis ſeditionis, affectatiq; regni ipſe inſi-
mularetur, præſtabat, ſtatim amoliri ſtultam illam turbã, quæ parabat rapere ipſum
& Regem facere. Quod exemplum utinã omnes imitaremur, ut prædicantes Chri-
ſtum, aut aliàs hominibus benefacientes, nihil nobis fieri pateremur, ne quidem ni-
mium nos laudari, ne non domino gloria omnis tranſcriberetur, & ulla daretur oc-
caſio malis, uerbum & opus domini calumniandi.

Ac dimiſſis turbis, aſcendit in montem ſolus ad orandum, Mar. 6. Ioan. 6.) De o- *Cur Chriſtus*
ratione & ſeceſſu ad eam neceſſario, ſuprà ca. 6. Quibus nihil habeo quod adijciam, *ſeceſſerit ad*
quàm quod moneam & horter, ut exemplum Chriſti, qui identidem ad precandũ *orandum.*
ſeceſſit, cum omnes, tum præcipue qui Eccleſijs præeunt in uerbo, diligẽter perpen-
dant. Et ſi enim homo uerus erat, diuino tamen ſpiritu, opulentius quàm quiſ-
quam alius unquam, pollebat: unde certe, neq; diſtrahi adeò mente, neque tepe-
ſcere fide, ut nos potuit, quod, ſcilicet, opus adeò illi fuiſſet, toties ad precandum
ſeſe conferre, aut certe oraturum tantopere captare ſolitudinem. Nihilominus ta-
men, tantam muneris ſui molem ſentiebat, ut ſibi homini, ſubinde apud Patrem,
ceu conſolationem, atque uirium quandam reparationem petere, operæpretium
duxerit. Ac utcunq; ualeret ſpiritu, quem nulla externa, à diuino colloquio reuo-
care poſſent, ſolitudinem tamen petijt, uel quò prolixius, atq; affectibus liberioribus
cum patre ageret.

Omnino enim ut cum plene dabitur ad dominum concedere, præſentia linque- *Cur nobis ſe-*
B mus uniuerſa, ita cum in feria oratione, huius quidam guſtus percipiatur, mirũ non *cedendum.*
eſt, ſi ea requirat, ab omnibus iſtis rebus mundi ſeceſſum. Opus planè eſt, non huius
ſed uitæ futuræ. Quandoquidẽ ergo iam meditari profecto debemus, quòd nos fu-
turos ſperamus, nempe ut cum domino ſemper ſimus, atq; perpetuo cum ipſo ceu
colloquamur, ſi nulla alia cauſſa eſſet, uel hæc ſola ſatis erat, cur crebro à uitæ huius
negotijs, & humanarum rerum tumultu ſecederemus, quo ſi nihil aliud, certe inten
tius poſſemus diuina memorare, & cum domino colloqui religioſius. Iam præterea
ſentimus omnes, quàm facile uerſantibus uſq; in negotijs huius ſeculi, torpor qui-
dam & tepor in diuinis rebus obrepat, quanque paruo negotio, aduerſis rebus fi-
ducia in Deum labaſcat: quare profecto crebriores orationes haberi nobis oporte-
bat, & indubie haberentur, ſi & propriam miſeriam, & diuinam bonitatem recte
haberemus cognitam. Tum uel maxime ſecretum oraturi peteremus, ſi orationis
uim, quæ ſerium eſt, ut ſuprà tractauimus, cum Deo colloquium, probe noſcere-
mus. Ridetur nanque à nobis Deus, ubi non mente intentiſſima cum ipſo agimus.
Sed de his ſuprà.

Proinde moneat nos uel Chriſti exemplum, ut & frequentiora cum Deo collo- *Mirus fructus*
quia captemus, & quò illa habeamus tum certiora, tum uiuaciora, ſecedamus ab o- *ſeceſſus ad*
mnibus hominibus & omni eo, quod ad ſe animum noſtrum quoquo modo rape- *precandum.*
re poſſit. Chriſtus ne cum ſectatoribus quidem illis tribus diſcipulis in monte oli-
uarum, quando cum patre loqui ſtatuerat, hærere ſuſtinebat. Qui Chriſti ſunt, ten-
tent hac in re, & præcipue qui uel uerbi, uel alio grauiore miniſterio addicti ſunt,
Chriſtum imitari, cum ſentient proculdubio fructum, ut mire deteſtaturi ſint, quo
ab ea re diſtenti antea fuerũt torporem, & ſanctis huiuſmodi ſeceſſibus dabunt ſeſe
multo frequentius. Si conuerſatio noſtra cœleſtis eſſe debet, ubi ciues adſcripti ſu-
mus, qui non cœleſtibus potiſſimum delectemur? Da domine nobis, bonitatis tuæ
guſtũ, quo creberrime ablegemus, quę tamẽ deſerere penitus & breui, tũ ſperamus,

tum

tum optamus, & tuæ nos iungamus mellitissimæ præsentiæ, quæ nobis in seria be- C
neficiorum tum commemoratione, & sanctiore uerborum tuorum pensiculatione,
in quibus religiosa precatio uersatur, mirifice exposita est. Hactenus de secessu ad
orandũ, & cum domino colloquendũ, cuius utinã uirtus, omnibus qui Christi esse
uolunt, esset plenius perspecta, planè breui aliam uisuri Ecclesiam essemus.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Cæterum nauis iam in medio maris erat, &c. Marc. 6. Ioan. 6.) Beneficium illud
mirificum, multiplicatorum panum, ut tantæ multitudini sufficerent, non satis, ut
Marcus testatur, Christi uirtutem discipulis cõmendauerat: aduersa igitur eos ten-
tatione uoluit erudire, atq; animorum ipsorũ crassitiem pertundere, ut tandem ani-
maduerterent quem haberent magistrum: in cuius, scilicet, agnitione, omnis ipsorũ
salus, erat sita. Excitari ergo ipsis passus est tempestatem satis formidabilem, uidit q;
laborãtes, ut Marcus habet, nec succurrit eis. Quin cum ad quartam usq; uigiliam,
hoc est, ultimam noctis portionem, (diuidebatur enim nox in quatuor partes, quæ
uigiliæ dicebantur, quod toties custodiæ nocturnæ mutarentur) cum undis passus
esset illos conflictari, & ipsi iam nauigassent stadia fermè uiginti quinq; aut trigin-
ta, aduenit ad eos, sed ut magis terreret. Nam spectrum eis uidebatur, unde adeò ui-
so eo consternabantur, ut exclamarent. Ibi demum iussit eos confidere, seipsum ad-
esse, nullum spectrum. Atq; quò magis eos & suæ potentiæ, & ipsorũ incredulitatis
admoneret, in Petro mox peculiare exemplum edidit. Is enim ut Matth. solus nar-
rat, ad istam domini consolationem responderat, domine si tu es, iubeto me uenire
ad te super aquas. Iussit ergo, ut ueniret, uenit & super aquas iam aliquantum ambu
lauit. Sed simulatq; uidisset uentum ualidum, terrebatur, cumq; mergi cœpisset, ex-
clamabat: domine serua me. Qui extenta cõtinuo manu apprehendit eum, & ob fi-
dei pusillanimitatem increpauit. Cumq; ingressi nauim fuissent, cõquieuit uentus.
Ioannes habet, uoluerunt ergo eum recipere in nauim, & illico nauis appulerat ter D
ræ, &c. Vt equidẽ putem, cum Petrum erexisset, & in nauim rursum duxisset, ipsecq;
pariter ingressus fuisset, quòd simul & uentus quieuerit, & nauis terræ appulerit.
Certe Ioannes non negat dominum nauim ingressum, quod Matthæus & Marcus
Concordia Mat. et Ioan. aperte affirmant, sed dicit tantum: Voluerunt eum in nauim recipere, & illico ap-
pulerat terræ: non addidit priusquam eum recepissent. Fieri enim potuit ut inter re-
cipiendum ipsum, uel simul atq; receptus fuisset atq; ipsi eum adorarent, & tẽpestas
resederit, & nauis terram contigerit.

Suprà octauo præsens in naui Christus permisit discipulos, nõ dissimili modo ten
tari, ubi dicta quædam sunt, quæ & huc faciunt. Præterea uero hinc discendum, quę
animorum nostrorum stupiditas est, Dei erga nos bonitatem sæpe nobis ex benefi-
cijs ipsius, nõ posse satis agnosci, ibi optimum Patrem nostræ salutis caussa, immit-
tere aduersa, quò uidentes nihil saluti, in omni creatura, sed in creatore ipso solo sita
semel omnia, in agnitione quoq; ipsius, quę uita nostra, crescamus. Sic exercitos ad-
uersis sanctos quoslibet scriptura testatur, in Dauide præcipua exempla uidemus.
Deinde ex eo, quòd amantissimus suorum Christus, potuit tam diu discipulos suos
coram uidere, cum fluctibus peranxie dimicare, animaduertẽdum est, nequaquam
ideo nos à domino negligi, si non ueestigio periculis nos eximat. Quòd prætera
magis terruit, prius quàm liberaret & consolaretur, monemur cum aduersitas sum-
ma fuerit, tum proximam adesse salutem. Quòd uero Petrum aqua portabat, prius
quàm hæsitaret, ostendit fidei omnia possibilia. Vnde quàm primum timere cœpit,
cœpit & mergi. Postremo eo quòd qui in naui erant, Christum adorauerũt, dicen-
tes: Vere Dei filius es, apparet, cur bina hæc tentatio, & cõmunis omnibus, & pro-
pria Petro fuerit immissa, nempe ut ex lato auxilio, dominus agnosceretur eis, Chri
stus esse, quæ summa erat salutis ipsorum. Eadem caussa & nobis aduersa immitti
credamus,

credamus, qui planè sentimus, dum usq; secundis rebus fruimur, cognitionem cultũq; Dei in nobis languescere, & donis, quàm donatori Deo, animos magis addici.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Et cum traiecissent, uenerunt in terram Genesareth, Mar. 6.) Regio adiacens lacui Genezar, ab eodem nomen accepit, de quo suprà cap. 4. in illud: Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ. Quòd uero undiq; domino afferuntur ægroti, monstrat ipsum seruatorem esse, qui potissimum adflictis & miseris opẽ ferre delectetur, quòd nobis & in ipsum fidem, & erga proximos dilectionem debet augere, quò & nobis eadem ab ipso expectemus, & fratribus pro nostra uirili eadem præstemus. Sic & illud quòd uiri loci illius, nuntios in omnem finitimam regionem miserunt, qui Christum adesse nuntiarent, atque male habentes ipsi adducerent, docet pro alijs quoq; curam habere. Sanè ad eundem modum debemus & nos dare operam, quot quot Christum habemus, ut eum quamplurimi agnoscant, omnesq; morbidi salutem ab ipso petant. Porro de tanta ui miraculorum Christi, & 4. suprà 8. & alijs, alias quoties iam dictũ. De tactu uero fimbriæ suprà nono in historia mulieris, quæ profluuio sanguinis laborauerat.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.



VNC accedũt ad Iesum, qui ab Hierosolymis uenerãt scribæ & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionẽ seniorum? Non enim abluunt manus suas, cum edunt panem. At ille respondens, dixit eis: Quare & uos transgredimini præceptum Dei propter traditionem uestram? Nam Deus præcepit, dicens: Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri & matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri & matri, quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum uertitur commodum, & non honorabit patrẽ suum, aut matrem suam, & irritum fecistis præceptum Dei propter traditionem uestram. Hypocritæ, recte de uobis prædixit Esaias, dicens: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me, sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Sect. 1.

Et aduocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite, non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt illi: Nosti pharisæos, audito sermone isto offensos fuisse? At ille respõdens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Omittite illos, duces sunt cæci cæcorum. Porro si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent. Sect. 2.

Respondens autem Petrus, dixit ei. Dissere nobis parabolam istam. Iesus autem dixit: Adhuc & uos intelligentia caretis? Nondũ intelligitis, quòd quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum eijcitur? At ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia. Hæc sunt quæ impurant hominem. Cæterum illotis manibus capere cibum, non inquinat hominem. Sect. 3.

Et digressus illinc Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Ca- Sect. 4.

nanæa quæ à finibus illis uenerat, clamabat ad illum, dicens: Miserere mei Do- 6
mine fili Dauid, filia mea miserè à dæmonio agitatur. Ille uero non respondit ei quicquam. Et accedentes discipuli eius, rogabant illum, dicentes: Amitte illam, nam clamat post nos. At ille respondens, dixit: Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israëliticæ. Illa uero uenit & adorauit eum, dicens: Domine succurre mihi. At ille respondens, dixit: Non est honestum sumere panem filiorum, & obijcere catellis. Hæc autem respõdit: Certe Domine, etenim catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorũ suorum. Tunc respondens Iesus, dixit illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et sanata fuit filia eius ex eo tempore,

sect. 5. Et progressus illinc Iesus, uenit iuxta mare Galilææ, & conscenso monte, sedebat illic. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, ducentes secum claudos, cæcos, surdos, mutilos, & alios multos, & abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos, adeò ut turbæ miratæ sint, cum uiderent mutos loqui, mutilos esse sanos, claudos ambulare, cæcos uidere, & glorificabant Deum Israël.

sect. 6. Iesus autem uocatis ad se discipulis suis, dixit: Miseret me turbæ, propterea quòd iam triduum perseuerant apud me, & non habent quod edant, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. Et dicunt ei discipuli eius: Vnde nobis in solitudine panes tam multi, ut saturemus turbam tantam? Et dicit illis Iesus: Quot panes habetis? At illi dicunt: Septem, & paucos piscículos. Et iussit turbas discumbere in terra. Et sumpsit septem panes ac pisces, & postquã gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis, discipuli uero turbæ, comederuntq; omnes, & saturati sunt, & sustulerunt quod supererat, fragmentorum septẽ sportulas plenas. At ij qui comederant, erant quater mille uiri, præter mulieres & pueros. Et dimissis turbis conscendit nauim, uenitq; in fines Magdala. D.



Vnc accedunt ad Iesum, qui ab Hierosolymis, Mar. 7.) Hic rursum Euangelista Christi sermonem narrat, quo libertatem rerum externarum aperto apertius docuit, & semel uniuersa hominum commenta reiecit. Clara & aperta historia est. Primum uero notatur pharisæorũ atq; scribarum, cum præpostera religio, imò superstitio in propríjs inuentis, tum arrogantia atq; maleuolentia, erga se meliores. Et hi tamen omnium optimi erant, nempe Hierosolymitani. Ita autẽ solet omnis fucata iustitia, cum nihil minus sit, quàm quod uult audire, damnat tamen præ se omnia. Deinde nemo dubitet, certa Dei dispensatione factum, ut discipuli, communibus, hoc est, illotis (commune enim profanum, in scripturis dicitur, ut Acto. 10. aperte indicatur) manibus, coram censoribus istis, cibum sumerent, non minus quàm suprà, quod discipuli sabbatho esurirent, & per segetes iter facerent. 12. quò Christo occasio daretur, contra traditiones humanas, quæ natura sua ad transgressionem mandatorum Dei pertrahunt, differendi. Certe ij ipsi culpantes discípulos, quòd illotis manibus ederẽt, contra traditionem seniorum, legem Dei interim traditione sua alia, irritam fecerant, sicut & hic occasione traditionis, cuius præteritæ arguebant discípulos, legem Dei transgrediebantur, damnantes contra iura dilectionis innocentes.

Ingenium fucatæ iustitiæ.

Lex Dei erat, de honorandis parẽtibus, id est, magni habendis, ut omnia ministrare eis filij parati sint: id enim uere demũ honorare est, quod sanè cum ex præsenti

Christi

A Christi sermone, qui inhonoratos parentes censet, quibus filij non benefecerint, & necessaria uitæ non ministrauerint, tum 1. Tim. 5. ubi Paulus presbyteros qui bene præsunt, duplici honore dignos affirmat, abunde patet. Contra uero hanc legem ita cauerant pharisæi, quæstus caussa: Si quis dicat patri aut matri, Corban, id est, dono, quod ex me uenit, tu adiutus fueris, legi de honorandis parentibus satisfecerit. Et ita statuentes, pronuntiat Christus, irritam fecisse legem Dei, quia nõ sinerent filios aliquid facere parentibus, efficerentq; ut eos inhonorarent. *Quomodo irritam legem Dei fecerint pharisæi.*

Hæc probe notemus, Christum iudicare eos Dei leges facere irritas, quicũq; doceant, quo ab obseruandis illis, homines quouis modo auocentur aut impediantur. Profecto nemo pharisæorum ita cauerat: Parẽtibus nihil facito, nobis potius dato. Sed si qui præterita parentum necessitate templo quid offerant, & id tantum simul parentibus imputent, legem de honorandis parentibus impleuerũt. Iam natura huc propensi sumus, ut nostra in omnibus quæramus: cum ergo persuasi essent filij, offerendo templo, quibus forsan parentibus opus fuisset, eadem opera, & gratiã sibi parasse apud Deum, & legem de honorandis parentibus impleſſe, certe hoc maluerũt, quàm solos parentes demereri, atq; ita, ab obseruatione præcepti Dei fuere retracti. Sic nostro seculo, quòd persuasi fuere homines, singularis esse apud Deum meriti, templa extruere & ornare, missas instituere, atq; alia huius monetæ, cum istiusmodi magnifica, & ad nomen magis quàm beneficentiam in pauperes factura uiderẽtur. Vidimus pleroscq; mille aureos in istiusmodi hominum inuẽta insumpsisse, qui nullis rationibus potuissent adduci, ut centum duntaxat, minimis Christi, pro quo tam insignes promissiones, sed à Deo habemus, impendissent. Ita est ingenium hominũ, semper ad uanitatem, & in quibus sese homo admiretur, procliue: difficile ad ea, quę uere bona, Deoq; grata existunt. Porrò huiusmodi sunt traditiones hominum uniuersæ, non simpliciter uanitas, sed à ueritate simul homines abducunt.

B Traditiones autem intellige, quæ meræ hominum inuenta sunt. Nam quæcunq; ad externam uitam decenter & cum commodo proximorum degendam, ab hominibus constituuntur, non humanæ, sed diuinæ traditiones sunt, dimanantes, scilicet, ex lege dilectionis, mandatorum Dei capite. Vnde Petrus inquit: Subditi estote omni humanæ constitutioni, propter dominum, siue regi, tanquam præcellenti, &c. Humanæ enim huiusmodi leges dicuntur, quòd per homines eduntur: non autem quod ab hominibus natæ sunt: quare hortatur Petrus, ut propter dominum illis pareamus. Si propter dominum, profecto Dei leges iam existunt. Illæ uero tantum hominum cõmenta sunt, & eius farinæ, cuiusmodi hic à domino damnantur, quæ nullam bonam frugem adferunt proximis, sed uel ad placandum Deum citra ueram resipiscentiam, uel pro cupiditatibus alijs sunt constitutæ. Quales apud nos sunt, quæcunq; de discrimine dierum, locorum, personarum, ciborum, & aliarum rerum externarũ, præcipiunt religionis ergo. Ex his nanq; nulla uitæ externæ prouenit commoditas, imò damna R. pub. plurima dantur, & sunt in hoc tantum cõstituta, ut eis Deus colatur. Qui tamen nulla re coli potest, quæ inutilis sit proximis. Ista demum sunt illa hominum præcepta & leges, quæ ubiq; scriptura damnat. Atq; his Paulus testimonium fert, quòd inuenta sint hominum ueritatem auersantium, ad Titum 1. Primum nanq; contemnitur per hæc Deus, quasi uero, quæ ad pietatẽ faciant, nosq; ipsi adprobent, spiritus Dei non ipse in scriptura sua satis docuisset, cum tamen id esse se affirmet, atq; ex sua scriptura ita posse institui hominem Dei, ut perfectus sit, & ad omne opus bonum instructus. 2. Timo. 3. attestetur. Deinde rarissimus est, qui non illis ipsis humanis inuentis, si ea studiosius obseruarit, plusquam gratiæ Dei fidat. Quod, proh dolor, nimium uerum pridem experti sumus. Quot nanq; hodie millia sunt eorum, qui nequaquam è uulgo Christianorum haberi uolũt, qui missis, alijsq; commentis hominum longe plus fidant, quàm morte Christi? Postremo tra- *Quæ uere humanæ traditiones dicantur.*

ditiones iſtæ natura ſua efficiunt, ut ſtudiũ erga præcepta Dei remittatur. Sic plane opera charitatis erga egenos, tantum non obliterata ſunt, præ ſplendore operũ, quæ præſcripſit temeritas humana. Ad hæc ſi quis rem ipſam recta ſecum uia reputet, deprehendit omnino eos qui docẽt aut ſtatuunt, quæ ad pietatem pertinere debeant, nec tamen habeant certam ex diuinis mandatis originem, quantum in ipſis eſt, planiſſime leges Dei irritas facere, docereq; illas tranſgredi. Agnoſcet enim illos non ſolum introducere contemptum Dei, quo ſemel uniuerſæ Dei leges ſoluuntur, non tantum euacuare fidem gratiæ Dei, ſine qua nihil non impium eſſe poteſt, non modo deniq; ſtudium ad mandata Dei remittere: ſed præterea ſingula ferè mandata hominum, ſingula ſtatuta Dei aperto marte oppugnare, atq; ſubuertere. Sic quòd phariſæi pro parentibus docuerant offerre ad templum, num ex diametro pugnat, cum præcepto Dei, uolentis parẽtibus benefieri, potius quàm ſibi quicquã offerri? Quia pluris ipſi eſt miſericordia, quàm ſacrificium. Sic quicquid noſtri phariſæi docuerũt de ornandis templis & aris, de offerendo Deo, diuis, animabus defunctorum, nunquid omne id detractum fuit pauperibus, quibus quicquid negatur, Chriſto ipſi negatur? Sic obedientia monaſtica ſoluit paternam & publicam: paupertas eorum, uere Euangelicam, & diſpenſationem rerum Deo gratam: cœlibatus, ſolidam animorum atq; corporum ſanctimoniam. Sed quid opus multis? Nihil omnino mandatorum hominum inuenies, quod mere hominum ſit, ut dixi, nec tamẽ pugnet, non ſolum cum communi pietatis ratione, ſed etiã cum certo aliquo Dei præcepto, uereq; bono opere? Autorem ſiquidem ſuum referat oportet, qui bonus ſpiritus eſſe nõ poteſt, quia is ſecum pugnare non poteſt. Teſtatur in ſacris literis ſe quæ ad abſolutam pietatem faciant tradidiſſe omnia: non igitur poterit demum adijcere alia. Teſtatur in ſpiritu & ueritate uerum Dei cultum conſiſtere. Non igitur poterit reducere rurſum nos ad infirma & egena elementa mundi, in quibus hæret, quicquid eſt traditionum humanarum. A malo igitur & aduerſario ſpiritu inuehantur oportet, ad ſubuerſionem omnis ſolidæ pietatis quæcunq; traditiones non certo Dei uerbo nituntur. Hinc ſumma eorum, nempe delectum ciborum & coniugij abdicationẽ, doctrinas dæmoniorum Paulus uocat, 1. Timoth. 4. & Coloſ. 2. inanem deceptionem, atq; à Chriſto abalienationem. Nouerat enim pium Apoſtoli pectus, nõ eſſe præſentius pietatis toxicum, quare acerrime ubiq; traditiones hominum impugnauit.

Singula hominum mandata ſingula Dei euertunt.

Autor humanarum traditionum ſatanas.

Sed ſemper probe diſcernantur, quæ nihil niſi hominum commenta, & quæ præcepti dilectionis ceu explicationes quædam exiſtunt. Hortatur Paulus ut in Eccleſia mulieres uelato capite orent, uiri reuelato: ut ad cœnam Chriſti alius alium expectet, quò in communi ea peragatur, ut linguis in Eccleſia nemo loquatur, ſi deſit interpres, ut non promiſcue prophetent & abſq; ordine omnes, ſed duo aut tres, & cæteri dijudicent, & alia non nulla, quæ nominatim in nullo prophetarum diuinitus præcepta leguntur, neq; tradita à Chriſto ab Euangeliſtis memorantur, nihil minus tamen ſunt, quàm præcepta hominum. Ex ſcriptura nanq; & Dei mandatis originẽ trahunt. Ad quam ſanè Paulus in adductis locis reſpexit. Certe, quòd mulierem uelatam orare, uirum aperto capite uoluit, ex lege Dei, qua Dominus caput mulieris uirum conſtituit, deſumpſit, eamq; legem Dei citauit. Quæ uero de cœna præcepit, mutuatus eſt ab exemplo Chriſti quod & adduxit. Sic quæ de linguis & prophetis ſtatuit, ideo ſe ſtatuere affirmauit, quòd facerent ad ædificationem. Ad hæc nihil fiducia in iſtis omnibus poni uoluit, ſed decere ita Chriſtianos, qui ut populus Dei decentiſſime atq; ordinatiſſime, quia pro dilectione Dei, & proximi omnia agere debeat. Et quidem hæc traditiuncula, de lauandis manibus ante cibũ, ſi pro uitæ duntaxat decentia conſtituta fuiſſet, neq; habita ad pietatem neceſſaria, ut in loco citra peccatum potuiſſet præteriri, nequaquam damnabilis fuiſſet. At ita urgebant phariſæi eam, ut quæ non ſine inſigni peccato poſſet poſthaberi, & urgebant pluſquam

uera

A uera præcepta Dei, atq; ideo cum eiusmodi superstitione ac si ista per se nos approbarent Deo: id uero hanc traditionē noxiam reddebat. Sic uero habitam illam, uel id arguit, quòd cum aliqui ex discipulis Domini, ut Marcus habet, fortè per incogitantiam cibo sese adiunxissent manibus illotis, id pharisæi isti dignum tamen duxerunt, pro quo tam grauiter cum Domino expostularent. Nisi enim hoc singulari iniquitate fecissent, haudquaquam grauiter adeò illos Christus uicissim increpuisset, uocans hypocritas. Summa itaq; est, quicquid homo statuerit, quod quomodocūq; ad usum proximorum faciat, eoq; ex præcepto dilectionis deriuatū sit, ut sunt leges ciuiles, statuta œconomica, ceremoniæ ac ritus, quibus ad uerbum Dei commodius docendum, & audiendum, tum precandum, deniq; ad cœnam atq; baptismū Christiani utuntur, ac quicquid omnino ad uitam istam commodius atq; decentius degendam, momentum aliquod habuerit, id nequaquam traditio humana, sed diuina, licet per homines administrata, æstimanda est. Quicquid autem nihil huius habet, sed demerendi Dei caussa adinuentum est, neq; quicquam cum mandatis Dei commune habet, quibus tamen ratio pietatis absolutissime continetur, id humana traditio est, qua non frustra tantū Deus colitur, sed uerus eius cultus euertitur, & lex eius aboletur, ueritas auertitur, pietas destruitur, fide nimirum Christi ablegata, & dilectione posthabita. Ecquæ insania à doctrina ac mandatis hominū boni aliquid expectare, cum homo suo agens spiritu nihil sit nisi mendatium & uanitas, neq; possit cōsummatius aliquid excogitari, ijs, quæ in scripturis docuit spiritus Dei: Diligenti Deum ex toto corde, & proximum suum sicut seipsum, quid quæso adijciat inuentum hominum: Sed hæc, ut meridiana luce clariora sunt pijs, ubi eorū duntaxat mouentur: ita nihil obscurius reprobis est. Iis nihil nisi hominibus, nihil item nisi humanum potest probari, hoc est, quod uanum & noxium fuerit.

Hypocritæ recte de uobis prædixit Esaias, &c. Mar, 6.) Nō sunt ueræ pietatis hostes nocentiores, quàm inuentores & uindices traditionum humanarū, ac nihil nisi uanissimi hypocritæ, quare ueritatis solidæq; pietatis adsertor Christus, suo illos nomine ex spiritus grauitate & autoritate appellauit. Locus uero adductus, Iescha. 29. legitur Ebraice in hæc uerba: Dixit uero Dominus, eò quòd hic populus ore suo accedit, & labijs suis me honorat, cor uero eius lōge à me est, & est apud eos obseruantia mei, mandatum hominum, quod docti sunt. Propterea stupenda huic populo faciam, quæ mira sunt & portenta, & sapientia sapientum eius peribit, & intelligentia intelligentium eius obscurabitur. Sic Ebræa habent, nec est in sensu, & si in uerbis parua sit uarietas. Quòd enim Euangelistæ ex Græca editione legunt, frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum, omnino idem est cum eo, quòd Deus tanquam hypocriticum, eoq; non tantum frustraneum, sed & inuisum sibi cultum damnat, quòd timor sui et cultus apud populum Iudaicum nihil nisi mandata hominum esset, quibus tandem ex doctrina hominum tantum adsueuissent. Nam corde non docebantur diuinitus, ideo præcepta Dei illa externa, quæ de ceremonijs data erant, tanquam humana amplectebantur, iuxta institutionem, scilicet, sacerdotum & parentum. Id autem est, hominibus non Deo seruire: & cum sic res habent, homines sua semper commenta adijciunt. Idem illis quoq; usuuenerat: ideo uere frustra Deum colebant, quippe, qui missam facerent fidem & charitatem, & ore magnopere ipsum celebrantes, cor nimium alienum ab ipsius uoluntate haberent. Eoq; minatur stupenda se illis, quæ nemo non miretur & stupeat facturum, ea, scilicet, immissu rum mala, è quibus nulla se ratione possent expedire, uiderentq; perijsse sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium absconsam, dum auertendis calamitatibus quæ ipsos oppresserant, nemo ullum consilium inueniret. Id profecto non solū populus Iudaicus, sed nos quoq; miseris modis experti sumus, planè stupendis adoruti malis, & omni simul sapientia & intelligentia perdita, & præcipue eorum, qui

instituere Christi populum debuerant, ut ea siquidem statuerunt ac præceperunt, quæ iam pij omnes stupere satis nequeunt. Quis enim digne satis miretur, quòd pro Christo Iesu, quem morte sua redemisse nos, & omnem Dei gratiam atq; iustitiã nobis parasse scripturæ tam aperte clareq; prædicant, tot inuenta hominum, quibus iustificemur & saluemur, uulgo & sapiẽtes populi docuerint, & populus cupide adeò receperit & teneat etiamnum mordicus? Quis uel solum purgatorij cõmentum, tam lucrosum sacrificis, & damnosum pauperibus Christi, præ quo omnis in hos beneficentia interijt, satis stupeat? Quis Christianorum qui tenebras prioris seculis effugerit, credat mundo potuisse persuaderi, maxime superstitibus scripturis, humanis opusculis posse expiari peccata, & cœlũ promereri, qui in omni uita nostra ne uno quidem momento, quæ debemus Deo præstamus, nisi nosset ex scripturis Deum fuisse, efficacem operationem erroris immissurum hominibus ueritatem respuentibus? Si Christi ueritas passim obtineat, quod Dominus donet, quis putas posterorum credere sustineat, unquam fuisse homines, habitos insigni prudentia & probitate, qui maluerint sacrificos & monachos habere scortatores, quàm maritos? qui leges Pont. Rom. Euangelio nõ modo prætulerint, sed hoc præ illis, sic sint detestati, ut eius confessionem plusquam ullum scelus ac flagitiũ sint persecuti, aqua, laqueo, ferro, igni, & nullo non genere suppliciorum? Sed hæc ultio hypocriseos est, ex qua Deum maiores nostri omnes ore extulerunt, corde uero fuerũt ab ipso alienissimi, eoq; humana, id est, sua, nempe mendacium & uanitatem ueritati ipsius prætulerunt. Fecit ergo eis Deus stupenda, quæ mirari iam nemo satis queat, ijs & ipsos, & eorum posteros, erroribus, spiritualibus malis, & inde corporalibus quoq; impediuit, ut nemo omnium sapientum, & intelligentium ullum potuerit excogitare remediũ: sicq; uere perijt sapientia sapientum, & absconsa est intelligentia intelligentiũ. Liberet modo nos, quibus ueritas reluxit, ab hypocrisi Deus, ne cõmentis nostris & nos ipsum colere tentemus, alioqui non minora portenta, quæ subinde certe apud quosdã sese proferunt, experiemur: & tandem externis quoq; malis inuoluemur, ex quibus explicandi nos nemini ulla uia aut ratio inueniri possit, ut deploraturi omnes sint perijsse cunctam ab omnibus sapientiam, absorptamq; esse prudentiam uniuersam.

Colentibus se commentis hominum fecit Deus stupenda, immissis palpabilibus tenebris.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Et aduocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite, Marc. 7.) Pernecessaria erat hæc doctrina omnibus, ideo uoluit omnibus eam tradere: quam utinam audiant item omnes hodie & intelligant. Nota autem cum questi pharisæi tantũ de eo fuissent, quòd discipuli illotis manibus cibum sumerent, Christus tamen non solum licere hoc, sed in uniuersum pronuntiat, nulla re, quæ extra hominem sit, & in eum ingrediatur, impurari hominem posse, sed tantum ijs, quæ de homine procedũt. His sanè semel, ut à peccati, ita & pietatis ratione semouit, quicquid non è corde proficiscitur. Quod si omnibus perspectum esset, qui de religione hodie digladiantur, perfacile esset, idem & sentire & loqui. Certe si nulla re externa potest inquinari homo, neq; poterit ulla purgari aut iustificari. Quis igitur pro rebus externis quæ non pendent à fide cordis intenti uerbo Dei quicquam pugnet? Fide iustificamur, ea cordis est, quia corde creditur ad iustitiam, tum è corde bono, bona cum uerba, tum facta proficiscuntur: in his sita est omnis nostra puritas, iustitia, & salus. Si contrà fides abest cordis, ex ipso iam impuro non nisi malæ cogitationes, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia, auaritiæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus oculus, superbia, stultitia, possunt, ꝓuenire, illis homo inquinatur, hoc est, uita eius uere contaminatur, ipseq; perditur. Diligenter uero animaduertendum, quam rationem Dominus reddit, cur ingrediens in hominem, ipsum non inquinet. Quia, inquit apud Marcum, non intrat in eius cor, sed in uentrem, & in secessum exit. &c. Iam eadem sedes pietatis quæ impietatis est, eoq; tam non sanctificat, quod non in cor ingreditur,

Quod non corde, id est, animo percipitur, nihil ad pietatem uel impietatem.

A tur,hoc est,animo percipitur,quàm non impurat. Ruunt hic quæcunq; de ciborum delectu,ac omnium rerum externarum,uel sanctimonia, uel profanitate, Ro. Pont. statuerunt. Ab animo omnia pendent. In quo docendo, cum totus semper Christus fuisset & esset, duriuscule discipulis per Petrũ rogantibus de intellectu parabolę,respondit: Adeò & uos,inquit,intelligentia caretis? Vtiq; magnus stupor est, de Deo non sentire altius,& pietate certius,quàm putare,uel illũ externis delectari,uel hanc ab externis pendere. Quis enim uel pilo melior fiat, si cunctas tam Dei, quàm alias ceremonias,atq; de externis rebus præceptiones obseruet? Sanè non pauci Ethnicorum hæc intellexerũt,ut non ab re stupiditatis suos Dominus hic arguerit. Sed multo æquius fuerit, eos qui hodie in tanta luce externis sunt æquo addictiores obiurgare. Animaduerte hic Petrum parabolam uocasse,apertissimum hunc Christi sermonem,nihil ingrediens in hominem,impurat hominẽ, sed quod ex eo egreditur. Hinc ergo uides omnem obscuriorem sententiã, quæq; uideretur recondiii aliquid in se habere,parabolam ipsis uocatam.

Tunc accedentes discipuli eius,dixerũt illi: Nosti pharisæos, audito sermone isto. Matth. solus.) Nemo magis unquam Christo scandala cauit, hoc est, dicere aut facere,quo quisquam posset à pietate & salute,uel reuocari,uel impediri,id enim scandalizare est: cauere tamen non potuit,quin ex dictis & factis suis,impij frequentissime sibi ipsis scandala obijcerent. Sic quòd Ioseph filius & Nazarenus haberetur, quòd humilis esset,peccatoribus conuiueret, sabbatho curaret, se Christum prædicaret,libertatem rerum externarum doceret,quid? cuncta ferè dicta & facta eius,sibi reprobi Iudæi,scandala fecerunt,hoc est,occasiones, unde alieniores sese ab ipso uitæ autore fecerunt, & ueritati infensiores euaserũt. Sed quid Christus? Propter peruersitatem obstinatam horum,non potuit non agere, quæ agebat, ueritatẽ, scilicet,

B uerbis & factis promouere apud electos. In ruinam se positum sciebat multorum in Israël,non minus,quàm & in resurrectionem multorum,ut de ipso Simeon apud Lucam prædixerat. Respondit ergo hic: Omnis plantatio,&c. hoc est: Vtcunq; loquar & agam,eradicari oportet,quotquot pater ad uitam non plantarit, id est, quos non donatos mihi trahet ad me,ut eis uitam donem æternam. Hi sunt huiusmodi: mittendi igitur mihi sunt, et eorum causa nihil imminuendum eorum quæ ad gloriam patris,& salutem electorum dico & facio. Omittite igitur & uos illos, qui quo meliora ac diuiniora in me uident,& à me audiunt,hoc peius offenduntur. Cæci sunt, & uidere ueritatẽ nequeunt,quamlibet aliorum sese duces profiteantur. Cęci ipsi sunt, inquam,& duces cæcorum,unde quid aliud expectetis, quàm ut et se & quos ducũt in foueam,ut prouerbium habet,dent præcipites,hoc est,deducant in geennam.

Quidã hanc sententiã Christi: Omnis plantatio,&c. de dogmatis intelligũt,quod ut ferat generalitas sententiæ,de dogmatis tamen hic Christus eam non dixit,sed de reprobis Iudæis,qui non plantati à patre ad uitam, omnino eradicandi erant: quare offensionis ipsorum, indignum uideri uolebat, magnam rationẽ habere,præcipue in docenda ueritate, sed mittendos potius illos esse ut cæcos, qui usum recipere nõ possent. Plantare siquidem à domino crebro in prophetis,pro eo inuenias, quod est, per Dominũ in suũ populũ aliquos ascisci & constitui,ut Iescha. 5. Iere. 2,12. & Amos 9. Quo loco populo Israëlitico ita promittitur per Dominum: Et plantabo eos super terram suam,& non euellentur amplius de terra sua, quam dedi eis, dixit Dominus Deus uester. Sic in regnum cœlorũ plantauit quosdam pater, quos nimirũ filio ad uitam iustificandos donat. Hi super ueram terram Israël plantati, nunquã ex ea euellentur. Ex horum numero haudquaquam erant hi reiectitij pharisæi, sed breui etiam externe de uinea Domini, ut infrugiferi palmites resecandi, ideo cum insanabiles essent,& perditioni destinati, non fuit ratio ipsorum à Christo habenda.

Hæc Christi uerba atq; exempla debent cõfirmare, quotquot uerbo uel facto ma-

los offenderint, dum uerbum Dei sequentes, gloriam ipsius & fidem seruatoris nostri Iesu Christi promouent. Caueant tantum, ne ex se quicquam dicant uel faciant, utq; summo cum timore uerbum Dei secent, nihil suorum admiscentes affectuũ, & nunquam deniq; nõ orantes, directionem spiritus Dei. Si tum ita agẽtes, offendant aliquos, recordentur horum uerborum Christi, eradicari oportere, quãcunq; plantationem pater cœlestis non plantauerit, hoc est, ita diuinitus comparatum, ut pereant, qui per patrẽ nõ fuerint ad uitã ordinati, eoq; oportere, ut in quibuslibet rebus, tamen præcipue bonis offendantur: sed mittendos esse postquã excæcati sunt adeò quòd reduci in uiam nequeant. Sed, ut dixi, cauendũ etiam atq; etiam est, ne quid à nobis audiant aut uideant, unde iure offendantur, sed ut omnẽ offensionis causſam ex sese habeãt, licet ex bono nostro, accipere eam uelint uideri. Prouerbio illo: Si cæcus cæco dux fuerit, Dominus Lucæ 6. ad paulò aliud usus fuit. De quo suprà 10. in Iud: Non est discipulus supra præceptorem, &c. De scandalo plura in frà 18.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Et digressus illinc Iesus, secessit in partes Tyri, &c. Mar. 7.) Iudæi offendebãtur ijs quæ Christus salutaria docebat, indignos ergo se illis faciebãt. Ad hæc appropinquabat tempus, ut regno Dei in totũ priuarẽtur, translato eo ad gentes. Huius quodam ceu præsagium erat, quod relinquens Dominus offensos ueritate Iudæos, gentes adijt. Mar. scribit ingressum domũ, uoluisse latere, sed non potuisse. Voluit enim agere Apostolũ circũcisionis, peculiariter Iudæis missus, quare et discipulos nolebat ad gentes concedere, suprà 10. Sed quia imminebat, ut gẽtes reiectum à Iudæis Christum reciperent, noluit ipsum pater uel tum gentibus penitus abscõdi. Hinc itaq; factum est, ut eũ pater isti quoq; mulierculæ reuelarit: Christũ siquidẽ esse eum agnouit, quod de se ipsa pbauit, salutando Dominũ nomine filij Dauidis. Vt enim suprà dictũ, hæc tum appellatio Christi fuit. Porro ex hoc docemur, ut nos nostræ uocationi, & generalibus scripturę legibus inseruiamus, certi, si qd fuerit peculiare ad quod nostra opera uti pater uoluerit, eum nos, etiã nihil tale cogitantes ad id accõmodaturũ, et cum occasione facultatem quoq; sibi in eo cum fructu seruiendi, suppeditaturum.

Vnusquisq; id curet, quod proprie sua uocatio exigit.

Et ecce mulier Chananæa, &c. Mar. habet, Græca Syrophœnissa. Sed cœperant pridem Iudæis promiscue omnes ethnici Græci uocari, quod passim ex Act. & Paulinis literis liquet. Id uero factũ puto ab eo, quod Græci rerum apud Syros fuere potiti. Antea istæ gentes, unde hæc mulier erat, uocabant Chananæi, unde quã Matth. per Chananæam, eandẽ Marcus per Græcã intellexit, nimirũ alienam à R. pub. Israëlis & Ethnicam. Ex posteritate siquidem Chanaan, gentium reliquiæ illæ erãt, quæ in terra Israël atq; uicinia factæ reliquæ fuerant, ut liber Iudic. 2. testatur. Syrophœnissa uero dicta fuit à regione in qua habitabat. Phœnicia nanq; Syriæ pars est, in qua Sidon & Tyrus fuere, urbes ambæ claræ adeò & amplæ, ut utraq; Phœnicũ metropolis sit habita olim, autor est Strabo lib. 16. Hæc ergo Syriæ portio, Syrophœnicia, & inde mulier hæc Syrophœnissa fuit dicta. Sed nequaquã temere Ethnica fuisse scribitur, ut uideamus quomodo gentibus, & quàm ampliter gratia fidei iam tum præ Iudæis cœperit impartiri. Nam & Iudæi in ea regione sparsim habitabant, sed nihil tale de ipsis memoratur.

Clamabat ad illum: Miserere mei Domine fili Dauid.) Vide, dominum nostrũ Iesum Christum esse agnouit, adeò nequaquam obscura fuit hæc de Domino fama esse eum, Christum. De hac uero appellatione, & suprà in primo capite, & postea in historia cæcorum. Christus uero nihil ad hæc respondit, rogantibus uero discipulis, magis ex impatientia clamoris, quàm misericordia erga eam, ut ipsam amitteret, respondit se non missum nisi ad oues perditas Israëlis. Sic suæ uoluit uocationi inseruire. Quanq; simul Iudæorũ obstinatã ingratitudinẽ notarit, qui missum peculiariter sibi saluatorem, insane adeò à se reijciebant. Cæterum de perditis ouibus, hoc est, ecclis

A ctis ad uitam, & uitã tamen adhuc ignorantibus, suprà 10. in illud: Hos numero duo decim. Sed quæ mulieris huius fiducia erat, neq; Domini erga se silentio, neque hoc ad discipulos responso, in quo sibi gratia Christi negari uidebatur, absterreri potuit, quin tanto ardentius cœpit orare. Scribit enim Matthæus: Illa uero uenit, & adorauit eum, dicens: Domine succurre mihi. Quo repellebatur durius, hoc magis inflammabatur ad precandum. Videre hic liceat, quàm perierit sapientia quorundam sapientum, qui ex hoc loco intercessionem sanctorum probare conantur, non animaduertentes discipulos quidem pro hac muliercula rogasse, sed nihil impetrasse, uerũ ipsam ui fidei suæ, Domini tandem bonitatem exorasse. Ingẽti enim fide, summoq; ardore orauit. De his suprà 8. in historia leprosi, & item Centurionis.

At ille respondens, dixit: Non est honestum, Marc. 6.) Vt dure uero facillimus alioqui & beneuolentissimus dominus respondet, tam afflictæ & oranti tam ardenter. Sed uoluit hac bonitatis suæ dissimulatione exemplum fidei, qua hæc prædita erat, incomparabilis magis proferre & illustrare. Nam & si canibus compararetur, adeò tamen indigne non tulit, ut canem sese agnoscens, canum duntaxat, non filiorum sibi beneficium posceret. Nam responsio eius huiusmodi erat: Fateor domine, non est fas canibus dare panem filijs debitum, neq; ego illum peto, canis sum, imò catella uilissima, eoq; nequaquam cibum ambio filiorum, sed ero contenta, si minutum aliquid beneficiorum tuorum contingat, sicut catellis non negantur micæ cadentes de mensa dominorũ suorum. Agnosco Iudæos dominos meos, satis bene agi mecum putauero, si tantũ catellæ loco me habeant, ne prorsus sim à salute ipsis promissa, aliena. Ibi dominus non potens amplius bonitatem suam dissimulare, uelut anxie laborasset dissimulando eam tam diu, neq; posset ultra sese cõtinere, o mulier, inquit, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Quasi dicat: Vt accenderem te, tum illustrius & imitabilius fidei tuæ exemplum alijs redderem, hactenus dissimulaui erga
B te meam bonitatem, sed ita fide inuicta instas & urges, ut nequeam amplius te differre, cedo fidei tuæ ingenti, uicisti, habe ergo quod petijsti. Propter istum tuum sermonem uade, exijt dæmonium à filia tua. Apud Marcũ legimus, respondisse dominũ, Sine prius saturari filios. Non est enim honestũ, &c. In quo responso, nonnihil spei illi dabatur, ac gentibus omnibus, cibum uitæ & ipsis, sed saturatis Iudæis donandũ, hoc est, fore ut & ipsi Euangelion regni audirent, & Christo fruerẽtur, postquàm Iudæis illud fuisset prædicatum.

Vt autem magna huius mulieris fides, etiã Christi testimonio fuit, ita ex ea facile & aperte fidei natura cognoscitur. Persuasa fuerat Dominũ, filium Dauid, hoc est, Christum seruatorẽ esse, cui in manu esset ac etiã uellet animabus & corporibus salutẽ adferre, etiã quibuslibet, & quamlibet indignis. Egressa ergo ad eum, opẽ eius imploratum, nihil addubitans eam se obtenturã: idq; adeò certò, ut hac fiducia dimoueri haud potuerit, neq; primũ domini silentio, neq; mox responso dato discipulis, quò sese in totum gentibus uidebatur negare, neq; denicq; respõso sibi dato, quò gratiam suam, saltem in præsens nondũ saturatis filijs, uidebatur negare. Inuicta nanq; erat apud illam spiritus sancti persuasio, qua sibi indubitato gratiam Christi pollicebatur. Hac sanè fide orantibus, nihil non peruium & possibile esse potest.

Notatur autẽ simul successus orationis, quæ etsi non simul à Domino impetraret, quæ orat, tamen ubi instat, aliquid obtinet. Nam licet primum frustrata uideretur oratio huius mulieris, repetita tamẽ effecit, ut dominus saltem aliquid responderet, nimirum prius saturandos filios, &c. in quo relucebat iam spes impetrandi & relicta defatigationem. De quo plura suprà 7. in illud: An quisquam uestrum: deinde et 8. in historia leprosi & Centurionis. De ui dæmonum 8. sub finem. Affectus denicq; dignus matre in hac muliercula non est prætereundus. Peculiariter sunt enim

Vis orationis

filij

filij commendati parẽtibus, peculiariter ergo pertinet ad eos, illorum cura. Sed uti/ nam in omni cum filiorum, tum aliorum, qui ad nos attinent, necessitate à Christo uno auxilium uniuersi petamus, à quo solo certe illud cum uera salute impetrabitur, & unica fide impetrabitur, ut in hac muliere uidemus.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Et progressus illinc Iesus, uenit iuxta mare Galilææ.) Marcus scribit dominũ hoc iter fecisse per medios fines decapoleos, hoc est, ulteriorẽ regionẽ Iordanis, & adductum illi fuisse surdum & mutum, cui, postquam eum ad preces adducentium apprehendisset de turba seorsim, immiserit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso tetigerit linguã eius, deinde & in cœlum respexerit, atq; ingemuerit, dixitq; ei: Ephphata, quod est aperire, atq; isto pacto reddiderit eum & loquentem & audientem. Hic animaducrtendum, quòd ubicq; in Euangelicis historijs occurrit, Christum perpetuò sui similem sese exhibuisse, hoc est, seruatorem, quod & in ipsum fiduciam, & in proximos dilectionem merito nobis confirmat. Quòd immissione digitorum, & contactu sputi, huic auditum & loquelam restituit, ut carnis suæ pretium ostẽderet, fecit. De quo suprà in historia leprosi. Quòd in cœlum respexit, & ingemuit, ex misericordia erga male habentem, tum feruore à patre ipsi ac omnibus laborantibus salutem impetrandi fecisse uidetur. Quo & nos docuit, casus proximorum misereri, atq; opem ipsis à cœlesti patre enixe orare. Quòd uocem Ebræam uel Syriacam potius Euangelista posuit, quæ suis literis אפתח scribitur, & suo sono Ephethah dicitur, ex admiratione uirtutis Christi fecit, qui uocula communi, & per se nullius momenti, tantum effecerit. De quo suprà 9. in historia filiæ Archisynagogi. Si hanc uocem integre dominus extulisset, si dixisset, אתפתח Ethpethah, sed ratio linguæ Chaldææ habet, ut primum ת per dagges initiali literæ inclusum absorbeatur. Prædicari Christus factum hoc noluit, quare & seductum de turba male habentem sanauerat, quia nondum erat tempus ut gloria eius palàm reuelaretur maxime in hac regione, de qua suprà 7. in historia dæmoniacorum, qui legionem habuerant. Homines isti nihilominus contra iussum Christi, eoq; non recte ipsum prædicarunt, ex quo si quid boni euenit bonitati Dei, non horum inobedientiæ tribuendum est. Fieri etiam potuit, ut præter carualem admirationem, prædicatione sua isti nihil effecerint, hanc autem quid moraretur Deus: De hoc suprà 8. in historia leprosi. De aliena fide uero, quæ in adducentibus hunc apparuit, suprà 9. ab initio. Vbi ergo hoc miraculo patrato, uenit Iesus ad mare Galilææ, conscenso monte sedebat, & accesserũt ad eum turbæ multæ, ducentes secum claudos, cæcos, surdos, mutilos, & abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos, &c. Sanando corpora, declarauit se animarum quoq; seruatorem. De quo suprà 4. in illud: Et curans omnem morbum. Et 8. in illud: Cum autem appetijsset uespera. Effecit præterea suis miraculis, ut Deus glorificaretur, quod ex omnibus ueris miraculis, puenit: diuersum pariũt falsa. De miraculis plura suprà 7.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Iesus autem uocatis ad se discipulis suis, Mar. 8.) Eadem hic notanda sunt (nam allegorias sine uerbo Dei non recipio) quæ circa miraculum suprà 14. memoratum, ubi dominus quinq; millia quinq; panibus pauit. Præcipuum uero est, sequentibus Christum nihil posse deesse, nam etiam famis dominus rationẽ habet, eaq; laborantium miseretur, neq; fert illa suos supra quàm ferre queant adfligi. Quòd hic autẽ ex reliquijs septem panum, septẽ duntaxat sportulæ repletæ refectis quatuor millibus fuere, cũ supra duodecim cophinos fragmentis, quæ quinq; millibus, ex quinq; duntaxat panibus, superfuerant, repleuissent, demonstrat, Deo perinde esse, multos uel paucos, ex multo, siue modico saturare. Nã uerbo & uirtute sua nos pascit, nõ pane, aut re quauis alia, etsi ista soleat adhibere, quibus suã uirtutẽ ceu occulit. De hoc suprà cap. 4. in illud: At ille respondens, dixit: Nõ in solo pane. Præcipuũ autẽ desiderij Christi,

Verbo Dei alimur.

A Christi,in his turbis notatur, quòd triduo apud Dominum perseuerauerant, ut iam non haberent quod ederent. Nam forte ad unum diem cibum secum sumpserant. Quanquam istuc,dimittere eos nolo,ne deficiant in uia, subindicare uideatur,toto triduo non multum cibi illos habuisse, alioqui non fuisset timendum,ne in uia deficerent.Discipulorum denique stupor iterum hic sese prodidit,quod rogabant: Vnde nobis in solitudine panes tam multi, ut saturemus turbam tantam? cum paulò antè æque in solitudine Dominus ex quinque panibus pauisset quinque millia. Vide uero hinc quàm nihil externa omnia efficiant, dum non docet intus spiritus. Postremo minime prætereundum,quòd licet Christus indubie hoc semper spectarit,ut ibi potissime Euangelion regni Dei prædicaret, ubi plurimum speraret fructus sese facturum,quare Hierosolymis, atque aliis insignibus atque frequentibus locis & synagogis creberrime docuit, nõ raro tamen in desertis quoque egit,eoque populos allectos,cum docuit,tum aliis beneficijs affecit. Quo significauit se nemini uspiam salutem suam subducere, & cum humilioribus agere libentius, & quocunque aduenit, utcunque ibi secundum carnem agatur miserrime, adferre secum bona uniuersa corporis & animæ. Post hoc miraculum memorat Matthæus Christum conscensa naui, uenisse in fines Magdala,Mar.Dalmanutha. De neutro autem nomine certi aliquid habeo,licet eandem regionẽ illis utroque nomine significatam,non possit esse dubium:cum satis pareat, de eademprofectione utrũque Euangelistam locutũ. Deinde Galilææ portionem,& ultra lacũ Genesar esse sitam,colligitur ex Marco, qui scribit paulò post, cum petẽtes signum confutassent, rursum traiecisse lacum,utique Genesar.Nobis satis sit perpendisse Christũ omnia ferè Iudæorũ loca peragrasse, quò animaduertamus, quàm auidus fuerit salutis eorum, quibus fuerat Apostolus datus: id ut roborare fiducíam in ipsum,ita acuere quoque debet nobis diligentiam,ut non minus sedulo,et ipsi pro nostra uocatione saluti fratrum studeamus. *Discipulorum stupor.*

B

CAPVT XVI.

ET aggressi pharisæi unà cum Sadducæis tẽtantes rogabãt eum,ut signum è cœlo ostenderet sibi. At ille respondens, dixit eis: Cum cœperit esse uespera, dicitis, Serenitas erit, nam rubet cœlum & mane. Hodie tempestas,rubet enim cœlum triste.Hypocritæ,faciem cœli scitis dijudicare, signa uero temporum non potestis? Natio praua & adultera signum requirit, & signum non dabitur ei, uisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abijt. *Sect.15*

Et cum uenissent discipuli eius in ulteriorem ripam, per obliuionem non sumpserant panes. Iesus autem dixit illis: Videte & cauete à fermento pharisæorum ac Sadducæorum. At illi reputabant intra sese,dicentes: Panes non sumpsimus. Quod ubi cognouit Iesus, dixit illis: Quid cogitatis intra uosipsos, oparum fidentes,quòd panes non sumpseritis? Nondum intelligitis, neque memoria tenetis quinque illos panes,cum homines essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis? Neque septẽ illos panes, cum homines essent quater mille,& quot sportas acceperitis? Quî fit ut non intelligatis, me non de pane dixisse uobis illud, ut caueretis à fermento pharisæorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt quòd non iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina pharisæorum & Sadducæorum. *Sect.16*

Cum

Sect.3. Cum uenisset autem Iesus in partes Cæsareæ eius quæ cognominatur Philippi, interrogauit discipulos suos, dicens: Quem me dicũt homines esse filium illum hominis? Illi uero dicebant: Alij quidem Ioannem Baptistam, alij uero Heliam, alij uero Ieremiam, aut unum de numero prophetarũ. Dicit illis: At uos quem me dicitis esse? Respõdens autem Simon Petrus, dixit: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Et respondens Iesus, dixit illi: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. At ego uicissim tibi dico, quòd tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non ualebunt aduersus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quicquid alligaueris in terra, erit alligatũ in cœlis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Tunc dixit discipulis suis, ne cui dicerent quòd ipse esset Iesus Christus.

Sect.4. Ex eo tẽpore cœpit Iesus indicare discipulis suis, quòd oporteret ipsum abire Hierosolymam, ac multa pati à senioribus & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertio die resuscitari. Et cum abduxisset eum Petrus, cœpit illum increpare, dicens: Propitius tibi sis Domine, nequaquã erit tibi hoc. At ille conuersus, dixit Petro: Abi post me satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.

Sect.5. Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. Qui enim uoluerit animã suam seruare perdet eam, rursus qui perdiderit animam suam mea caussa, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Futurum est enim, ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipsius. Amen dico uobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabũt mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno suo.

IT aggressi pharisæi cum Sadducæis, Mar.8.) Impietas perpetuò secũ pugnat, præter quàm ubi illi cum pietate negotium est. Nihil æque ut pharisæi & Sadducæi, de quibus sectis suprà 3. & 5. inter se dissidebat, contra Christum autem cõspirabant. Tentabant Dominum, quia nulla iusta caussa experimentum quærebant uirtutis eius. Legimus & sanctos signa à Deo petijsse, sed ut certi redderentur de ipsius uoluntate, cui cupiebant sese dedere. Sic Gideon Iudic.6. Sic Chizkijah, 2. Reg, 20. ac alij Deum timentes signa à Deo petiuere. Impij autem signa petentes animo prophano & contemptore Dei, de potentia duntaxat Dei, qua uel iuuentur secundum carnem, aut quia se ex impia curiositate oblectent, periculum facere uolunt, non de uoluntate Dei, cui sese accommodare non sustinent. Sic Israëlitæ in deserto identidem Deum tentarunt, improba mente petentes, ut miraculo pro ipsorum cupiditate uirtutem suam exereret cum non esset opus, uti cum peterent carnes, & alia subinde contra Dominum murmurantes. Cæterum de tentatione Domini, & quarto supra illud: Non tentabis dominum Deum tuum. Recte igitur negatum signum his tentatoribus fuit qui tentandi Christi tantũ gratia, & nullo ueritatis cognoscendæ desiderio signum poscebant: digneq;

A dignecꝫ illis obiecit, quòd faciem cœli scirent dijudicare, signa uero temporum nõ possent, tum & hypocritas uocauit: quasi diceret, signum à me petitis, quasi uero animus uobis sit explorandi si à Deo sim, & an dignũ sit haberi mihi fidẽ, quò uidentes illud tutius mihi credatis. Hypocritæ estis, dissimulantes quod estis, & simulantes quod non estis. In rebus alijs non adeo stupetis, si animus uobis esset ueritatis discendæ cupidus, satis superꝙ pridem signorum habuissetis, quibus & quod modo tempus à patre uobis datum sit, & quis ego haberi debeam, nullo negotio haud ita dudum cognouissetis. Vnde prorsus sine caussa nunc de cœlo à me signum petitis. Cœlum si uespera rubeat, fore serenum: si mane, fore turbidum, prænoscitis: qui fit, ut non pridem poteritis dispicere, signa præsentis temporis, uisitationis uestræ, salutis uestræ? Nisi quia Hypocritæ estis, uanitati ita addicti, ut ultro nolitis ueritatem agnoscere. Amen ergo dico uobis, si dabitur generationi huic signum, id est, nõ dabitur. Eclipsis enim est Ebræis in iuramẽtis admitti solita. Completur oratio si subiungas quæ iurantes sibi imprecari soleant, nisi id quod iurant sic se habeat, ut iurãt. Solet nõnunꝙ alia eclipsis huic addi, si hoc ita sit, uel non ita sit, si non fecero hoc, aut si non fecero, faciat mihi hæc Deus & hæc addat. Præscindebatur autem hoc modo oratio iurantis propter maiorem uehementiam. Significabatur enim horror quidam prosequendi illas imprecationes. Hæc dixisse dominum, cum ingemuisset spiritu, Marcus scribit, adeo, scilicet, dolebat ei, illorum deplorata cæcitas. Qui utique dolor conuitium etiam istud, Hypocritæ, ei extorsit: longe enim semper abfuit ab omni petulantia, quæ & à suis abesse oportet. Qua & offensus, mox reliquit istos, traiecto rursus lacu. Illud, si dabitur signum generationi huic, modus iurandi est Ebræis, subaudiendũ uero est, hoc uel illud mihi accidat. Quæ uero Matthæus etiã hic de signo Ionæ respõdisse dominũ memorat, tractata sunt suprà. 12. Porrò illud, de

B facie cœli, obiectũ et turbis, Lucas duodecimo memorat, de quo quinto in illud: Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo, non nihil.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Et cum uenissent discipuli eius in ulteriorem ripam, Mar. 8.) Nihil etenim intolerabilius ueritati & synceritati, quam fucus & dolosa simulatio. Statim igitur relictis istis Hypocritis, Christus ingressus rursus nauim abijt, traiecto lacu, ut Marcus scribit. Quod cum forte citius opinione discipulorum fecisset, oblíti fuerunt panem secum accipere, ut loca illa, non ubicꝙ habitata hominibus, poscere uidebantur, nec habebant nisi unum panem. Vbi ergo Christus, reputabat secum, uim hypocriseos nocentissimam, & quàm inepti essent ad regnum Dei, quotquot illa essent imbuti, monuit eos, ut uiderent & cauerent sibi à fermẽto Pharisæorum & Sadducæorum. In Mar. additur & Herodis. Intellexit uero horum doctrinam & institutum, quo enim apud Luc. 12. Dominus ipse per fermentum intellexisse hypocrisim interpretatus est. Discipuli autem rati, Christum de fermento panis locutum, putabant inter se dicí sibi ne panem cum Pharisæis frangerent, atcꝙ ita uelut excommunicatos illos haberent: indecꝙ uenit eis in mentem, quòd nõ sumpsissent panes secum, atcꝙ de eo inter se disputabant. Quo cognito, dominus grauiter illos increpuit, opprobrãs incredulitatem, atcꝙ animi stuporem, quòd ex binis illis miraculis, per manus ipsorũ dispensatis, faturatis uirtute sua, nunc ex quincꝙ panibus, quincꝙ millibus, nunc ex septem, quatuor, cum ex priore duodecim cophinos fragmẽtis plenos, ex posterio-re, septẽ sportulas sustulissent, ac uidissent pluribus, ex paucioribus panibus pastis, plus item superfuisse, nondum animaduerterent & intelligerent, quem magistrum sequerentur, apud quem omnium habentem potestatẽ nulla omnino re salubri posse-sent egere. Dicebat ergo illis: Adhuc obcæcatum habetis cor uestrum, oculos ha-

G bentes,

bentes,non cernitis,aures,& non auditis,& non meministis? Sic tandem intellexe- C
runt loqui dominum, de doctrina Pharisæorum & Saducæorum, quam & Hero-
des amplexus erat, qua in externis ostentabant sese, interna & solida iustitia pror-
sus inanes,nec inanes modo, sed ob populi applausus,turgidi & inflati adeò,ut ue-
ræ iustitiæ capaces non essent.

Porrò si quis recte æstimet, plane intolerabilis erat stupor discipulorum, quòd
post tot & tanta miracula,post doctrinam tam potentem et claram,neq; aliud quàm
spiritalia tractantem, nihil adeò horum perciperent, aut animaduerterent. Ex quo
uideas,quid humanum ingenium ualeat,si per spiritum Dei non reformetur. Chri-
sti autem in primis mirãda bonitas,qua stupidos hos,& si,ut par erat, seuere argue-
ret,nequaquam tamen abiecerit. Quo docemur, melius de Christi facilitate, quàm
Anabaptistæ solent sentire,cum uideamus hos discipulos indulgenter adeò ab ipso
habitos,quanquã essent admodũ rudes,& fide nimium pusilla præditi. Apud quos
igitur, uel qualecunq; Christi studium deprehẽderimus, hos ne reijciamus sed de-
mus magis operam, ut in fide adolescant,& perfectiores euadant.

Fermentum Anabaptistarum.

Caueamus autem & nobis à fermento Pharisæorum, Saducæorum & Herodis,
hoc est, ab omni doctrina,quæ hypocritas reddere potest,uere pios non potest,qua-
lis est,quæcunque legem & opera,sine fide & Christo urget, qualem indubie (cre-
dat qui uolet experto) Anabaptistæ inuehere Ecclesijs conantur. Hinc tumor ille
apud eos, & supercilium, hinc pro externis rebus tam insanæ digladiationes, hinc
tam arrogans aliorum condemnatio, hinc proprij spiritus tanta confidentia,ut præ
illo scripturas contemnant: hinc infamatio præceptorum Dei, cum Christianum,
neque iurare, neque ferre arma & iussu magistratus, immo ne magistratu quidem
fungi pro patria debere contendunt, quæ omnia Deus præcepit & instituit: hinc
cœlum contra sententiam Christi claudunt infirmioribus, & æque contra senten- D
tiam eius, referant Satanæ & impijs omnibus: hinc ut uno uerbo dicam, quicquid
unquam nocentiorum, hoc est, tectiorum Hypocritarum fuit, siue priscorum Pha-
risæorum, siue recentiorum Monachorum, apud illos deprehendas. Vere grauis
tentatio est, in quam non dubitarim, ut olim in Monachatum, pertrahi Dei dispen-
satione etiam quosdam filios Dei. Ipsis ergo ex charitate ministrandum est, & dili-
genter monendi sunt. Sed qui nolit simul & Christum & scripturam,tum externũ
rerum ordinem amittere, à fermento ipsorum sibi caueat, memor non nouum,si
Apostoli Satanæ, in Apostolos Christi sese transfigurent, quando ipse Satanas sese
in angelum lucis transformare soleat. Vere plus quàm dici possit semper ad oran-
dum opera manuum nostrarum propensi sumus, & huc ut nos pertrahat omnes ui
res suas Satanas intendit. Detestemur igitur fidem fucatã, ne ueram operibus post-
ponamus, & subuertamus. Nihil sanè à nobis boni fieri poterit, si illud non efficiat
in nobis spritus Dei. Is autem apud solos credentes & Christum perpetuo admiran
tes, habitat, formatq; illos ad imaginem Christi, in qua primas habet charitas. Non
poterit profecto ille hypocrita aut contemptor bonorum operum reddi, qui Chri-
stum magni habuerit,ita non potest is contemptũ operum docere,qui Christũ ante
omnia cõmendarit. Sed de his plura suprà quarto in illud: Sic luceat lux uestra. Et
prædicans Euangelion regni, & quinto in illud.

Fidei ante omnia Satanas insidiatur.

Fermenti methaphora.

Cæterum fermentum uideas per metaphoricum sermonem scripturæ, uocatum
quicquid serpit, & alia inficit. Sic Euangelion se habet,in bonum,unde fermento
suprà.13. assimilatum est: doctrina praua uero in malum, quæ hic fermentum dici-
tur. Mali denique mores,& ipsi conuictores corrumpunt, unde Paulo.1. Corinth.5.
fermentum uocantur.

Marcus præterea hic narrat,domino cum Bethsaidam uenisset,cæcum adductũ,
& obsecrasse,qui eum adduxerant, ut illum tangeret: mox educto illi extra uicum,
expuisse

A expuisse in oculos, manusq; imposuisse, atque tum interrogasse, si quid uideret, eoq; respondente, uidere se homines uelut arbores ambulare, rursum imposuisse illi manus, atq; ita plene ei uisum restituisse, ut uideret dilucide, sed simul tamen ipsi præcepisse, ne in uicum ingrederetur, aut in uico cuiquã diceret, sed recta domũ suã repeteret. Aliunde enim fuerat adductus, ut hinc coniectura est. *Historia Marc. 8.*

Circa hoc domini factum, quæ animaduertenda sunt, aliquoties iam annotata sunt, ut suprà octauo in historia leprosi, item nono, in historia paralytici, & duorum cæcorum, tum proxime suprà 15. in historia surdi & muti, adducta item ex Marco. Hoc solum hæc peculiare habet, quod ad primum contactum, cæcus hic non plene uiderit. Voluit enim Dominus quodammodo sentire illum suam uirtutem, ita sensim eam impartiens, indubie quò certius & plenius ex accepto beneficio se seruatorem agnosceret, suamq; uirtutem quam ita sensérat, tanto plus secum admiraretur: quanquam Christus non unum sanandi modum seruarit, hoc ipso nos docẽs, ut simpliciter ipsius bonitati nos committamus, nullum auxilij, & gratiæ eius modum præscribentes. Qui sæpe ideo non illico dat omnia, quò magis desiderium nostrum accẽdat, sicut indubie accensus animus huius cæci fuit, ubi iam aliquid se adiutum sentiret. Quòd autem in uicum Bethsaida ingredi illum noluit, nec illic accepto beneficium annuntiare, non dubito factum ob peculiarem incredulitatẽ hominum huius loci, quã suprà. 11. exprobrasse eis dominũ legimus. Reliqua annotata sunt alibi, præcipue autem in locis citatis. *Quæ hinc discenda.*

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Cum autem uenisset Iesus in partes Cæsareæ, Mar. 8. Luc. 9.) Iterum nota, ut Christus nihil non perlustrarit, quò plures saluaret. Hæc Cæsarea sita ad fontem Iordanis, & Panneas ante uocata, à Philippo filio Herodis maioris, & fratre Tetrarchæ,
B qui Ioannem decollauit, ampliata fuit, & Cæsarea dicta. Quam magis postea exornans Agrippa in honorem Neronis, Neroniam appellauit, ut est autor Iosephus lib. Anti. Iudaic. 18. cap. 3. & libro 20. cap. 16. Terminus uero erat regionis Iudæorũ, unde pariter à Syris & Iudæis habitabatur, quod postea seditiõis inter eos caussam præbuit. Animaduertimus igitur, nihil Christum ad summam diligentiam fecisse reliquum, quò regnũ Dei quàm latissime intra fines tamen, à patre constitutos, propagaret, quam utinam nobis quoq; donet imitari. In hoc ergo itinere, rogat discipulos, quid de se homines sentiant: ut ita ex incerta uulgi sentẽtia, ipsorũ de se sententiam rogaret, indeq; illos fide in se confirmaret.

Porrò uaria illa de Christo opinio, ex eo partim erat, quòd remigrationem animarum Iudæi crederent, de qua suprà 14. ab initio: nam & hodie multi ex Iudæis credunt, tertio unumquemq; renasci, partim quod Christum esse se, neque ipse profiteretur, neque alios palàm id & aperte prædicare adhuc sustinuisset. Apud minime paucos tamen propter mira opera sua Christus habebatur, quod illa appellatio filij Dauid, qua à plerisque inuocatus fuit, satis testatur. Sed apud promiscuum uulgus, minus sanè semper opiniones obtinent, eóque à pluribus credebatur, uel reuersus in carnem Helias, uel Ioannes, uel Ieremias, aut quispiam alius priscorum Prophetarum, sicut & de Ioanne censuerant, quàm id quod erat, Christus filius Dei æternus. *Vnde uaria de Christo opinio.*

Dicit illis, at uos quẽ me dicitis esse? Marc. 6.) Huc ibat, ut suos certius de se edoceret, qui postea fermento hoc uniuersum mundum debebant imbuere. Nõ longe enim tempus aberat supplicij. Petrus respondet pro omnibus, ut semper ferè alijs ferentiorem ipsum literæ Euangelicæ prædicant. Tu, inquit, es Christus, ille filius Dei uiuentis, id est, omnia uiuificantis. De nomine Christi cap. 1. in illud: Ille qui dicitur Cbristus. Quid uero ad hæc Christus? Beatus es Simon Bar Iona, &c. Vita

siquidem æterna est, cognouisse patrem & filium, Ioan. 17. & certo cognoscitur pa- C
ter cognito filio, Ioan. 14. Neutrum autem cuiquam potest aliter contingere, quàm beneficio & gratia utriusque, suprà. 11. Ergo recte & beatum Simonem, & non à carne aut sanguine, id est, non ab hominibus, sed à patre cœlesti accepisse istam cognitionem pronuntiat.

Videtur sanè hoc (Sanguis & caro) hic accipi, ut Galatis primo. Continuo non consului carnem & sanguinem, neq; redij Hierosolymam, ad eos qui ante me fuerant Apostoli, sed abij in Arabiam, &c. Quo Apostolus dicere uoluit, simulatq; uocatus fuisset ad prædicandum Euangelion, fiducia spiritus Dei, recta ad id muneris obeundum abijsse, inconsultis carne & sanguine, hoc est, hominibus, nec ijs quidem quibus secundum carnem addictus, uel cognatus erat: sed neq; Apostolis qui dem, qui ante ipsum eo munere fuerant functi. Cui (ut & hoc interim annotem) haud pugnat, quod mox 2. cap. dicit: ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, id est: Ascendi uero secundum reuelationem, & reposui, id est, exposui eis Euangelion, ac ceu rationem prædicati à me Euangelij reddidi. Hoc enim loco significat se suum Euangelion, de quo ipse nihil unquam ab eo, quod reuelatũ sibi à domino extitit, addubitauerat, Apostolis approbasse: illo autem priore, nihil uel cum necessarijs suis Iudæis, uel etiam collegis Apostolis, siue de Euangelio suo, an uerum, uel an prædicandum sibi esset, deliberasse. Adeò, scilicet, de utroq; per reuelationem domini certum fuisse se, significare uoluit. Vnde cum istud: οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, cum sequenti particula, neque redij Hierosolyma ad eos, &c. conuenire oporteat, non illibenter uerterem. Non adiunxi me carni & sanguini, uel, non concessi ad carnem & sanguinem.

Sed ista hic parerga, ostendere ex his uolui, id quod dominus Petro dixit, caro & sanguis non reuelauit tibi, perinde esse, atque hoc nequaquam accepisti à parentibus, aut alijs tibi necessarijs, uel omnino ullis hominibus. Caro nanque & sanguis, id est, Iudæi, cognati uestri, nihil huius de me agnoscunt, ut uel uariæ ipsorum de me opiniones demonstrant, patris singulariter tibi beneuolentis, hæc gratuita reuelatio est, uere itaq; beatus es. D

Simon Bar Iona, perinde esse atque filius Ioannis, ex ultimo Ioannis liquet, ubi Simon Ioannis uocatus legitur, nisi forte, pater eius binominis fuerit, Iona, & Ioannes nuncupatus. Nam & Ioannis primo, filius Iona dicitur. Cæterum בר Bar, filium significat.

Petri cognomentum à firmitate fidei.

At ego uicissim tibi dico, quòd tu es Petrus.) Petri nomen, huic Simoni Christus dederat, quando primum sibi per Andræam fratrem suum fuerat adductus Ioannis primo, כיפא id est, Cepha, Calda: petram significat. Dedit autem Christus huic discipulo hoc cognomenti, quod indubie fidei firmitate, præcipuus ex uiuis lapidibus illis esse debebat, ex quibus templum Dei & noua Ierusalem in terris erat construenda. Cum hac erga caussa, hoc cognominis ante habuisset, modo autem, tam egregia confessione, iure se illud habere, declarasset, dixit illi dominus: Atego uicissim, &c. Qu. d. Tu me Christum filium Dei uiuentis, tam prompte & constanter confiteris, uolo uicissim & tibi confiteri, quem te dignatio patris esse uoluerit. Petrum te antea cognominaui, dico ergo nunc tibi, Petrus uere es, donatus ea fide, quæ excidet nunquam, qua nitentur quotquot in gregem meum recipientur, ex quibus consistet Ecclesia mea. Hæc nanq; fides petra illa est, unde hic Simon Petrus, quasi petreius uocatus est, ac si quis à lapide lapidonem diceret.

Ecclesia non super petrũ, sed petram, id est, fidem.

Quod autem aliam petrã dominus intellexerit, super quam dixerit se Ecclesiam suam ædificaturum, quam hunc Simonem, Petrum cognominatum, uel ex eo liquet, quod dixit καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, id est, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ, super hunc petrum, cum tamen saxum, græcis æque

æque ὁ πέτρος, atque ἡ πέτρα, id est, æque petros atq; petra dicatur. Petrus igitur tanquam petreius, dictus fuit, à petra fidei, qua erat præditus, super quam certe Christi Ecclesia ędificata est. Quotquot enim nomini ipsius collecti sunt, hac fide, quòd ipse Christus, id est, seruator sit, dilectus ille Dei filius per quem omnes ipsi credentes accipimus, ut filij & hæredes Dei simus, nituntur.

Contra quam, tam fidem, quàm Ecclesiam, portę inferorum, hoc est, potestas, nihil poterunt. Nemo enim potest rapere quenquam de manu Christi. Nam ambiguum est, an contra petram, id est, fidem, uel Ecclesiam dixerit portas infernas non ualituras. De utraq; sanè recte intelligitur. Fides enim quæ uera & certa est uerbi Dei, per spiritum sanctum persuasio, tam non potest excidere, quàm uerbum Domini non mutari, & spiritus sanctus sibi ipsi nequaquam dissentire. De ecclesia autẽ qui sunt, eos pater Christo donauit, ut det eis uitam æternam, Ioan. 17. Non igitur poterit contra eos quicquam uis satanica, alioqui uita æterna, æterna non esset.

Etenim & hic locus satis firmus est, quo perseuerãtia sanctorum probatur. Apertum uerbum est, portæ inferorum non ualebunt contra eam, siue fidem, siue Ecclesiam intelligas. Si ergo fides non potest à satana subuerti, æternum salui erunt, quot quot semel fidem ueram fuerint nacti. Si rursum Ecclesia à satana expugnari non potest, iterum æterna erit eorum salus, qui semel in Christi Ecclesiam fuerint recepti. Hæc perpensa electis, mirificam adferunt consolationem. Omnes nanq; ex animo, Dominum nostrum Iesum Christum unicum Dei filium & seruatorem suum esse confitentur: spiritum igitur habent patris, pignus certum æternæ eius beneuolentiæ, hinc beatos se, & petreios, id est, firma atque omnibus inferorum portis inuicta fide præditos sciunt, certi quòd de Christi Ecclesia & populo existunt, qui de morte iam ad uitam per Christum transierunt, atque ideo tuti ab omni ui inferna, in sempiternum. Discamus ergo hinc, primum, ab hominibus non posse Christum disci, sed à solo patre, ex æterna beneuolentia ipsum reuelante. Deinde beatos esse, quotquot hanc reuelationem fuerint nacti, postremo nunquam posse, à potestate inferorum superari huiusmodi & perdi. Ne & hoc præteream, quòd per portas, potestatem intelligimus, inde est, quòd in portis olim apud Iudæos iudicia exercebantur, & uelut sedem suam habebat potestas publica, ut passim in scripturis legitur.

Et dabo tibi claues regni cœlorum.) Si claues regni cœlorum, utique quibus regnum cœlorum aperitur & claditur. At regnum cœlorum, Ecclesia Christi est: claues igitur istæ, id erunt quo Ecclesia Christi alijs claditur, alijs aperitur. Id autem quid aliud est, quàm munus & potestas administrandi Ecclesiam Dei, rempublicã Christi, ex uerbo Dei. Cuius potestatis est primum in Ecclesiam recipere, condonatis peccatis, & salute Christi addicta, omnes qui profitentur se Euangelio credere, aut offeruntur Ecclesiæ Christi per credẽtes. Deinde in Ecclesia eosdem instituere & regere, ut ad finem qui est huic reipublicæ, nempe, uiuere in gloriam Dei & salutem proximorum, sese totos accommodent, hoc est, continuo magis resipiscant, & in nouitate uitę promoueãt. Ad id pertinet doctrina, exhortatio, monitio, correctio, increpatio, castigatio, precum usus, sacramentorum exhibitio, & tota officij pastoralis administratio.

Claues regni cœlorum.

Quæ sint potestatis Ecclesiasticæ.

Præterea si qui in Ecclesia sanctis monitionibus nolint parere, hoc est, legibus reipublicæ huius non uiuere, quæ poscunt iugem pœnitentiam, hoc est, uitæ ad placita Dei perpetuam innouationem, & admittat quæ aperte cũ plantis Dei pugnent, potestatis huius est, talem rempublicam Christi eijcere, & communione Christi atque sanctorum excludere. Apostolis pręterea potestas erat huiusmodi Ecclesiæ contemptores etiam tradere satanæ ad interitum carnis, nũc pro salute spiritus, ut in cœstum illum Corinthianum, nunc ad reprimendam blasphemiam impiorum, & ulciscendam manifestam impietatem: sic tradidit Paulus satanæ Hymenæum & Alexan-

drum, percussit cæcitate Elymam magũ, Petrus Ananiam & Sapphyram etiam in- 6
terfecit. Deerat enim tum Ecclesiæ magistratus gestans gladium. Quum enim sine animaduersione in malos nulla respublica recte gubernari possit, quod externæ potestatis Ecclesiæ deerat, hoc dominus sarciebat singulari illa & miraculosa potesta- te, gladio, armisq; specialibus, quam uim Paulus uocat δυνάμεις, id est, uirtutes, 1. Corinth. 12.

Vltra hæc eiusdem potestatis est peccata condonare, & in Ecclesiam rursus admittere eos, qui electi Ecclesia fuerint ob peccata sua, & contemptum sanctæ admonitionis atque correptionis: postea autem ad se reuertuntur, ueramq; pœnitudinem suæ impietatis professi, ueniam scelerum orant, & recipi rursus in gregem Domini supplices deposcunt. Postremo ad hanc potestatẽ attinet constituere publicos Ecclesiæ ministros, doctores, pastores, gubernatores, diaconos, id est, dispensatores publicæ eleemosynæ, & quibuscunq; opus est ad rempublicam Christi, quàm commodissime & decentissime instituendam, & gloriam Christi prouehendam.

Penes quem potestas est Ecclesiastica.

Hæc potestas penes Ecclesiam omnem est, autoritas modo ministerij penes presbyteros & episcopos, ita ut Romæ olim potestas populi fuit, autoritas senatus, principes potestatis huius, ut totius huius reipublicæ Christus est, administri eius, qui ẽ ex spiritu & uerbo Christi administrant. Nec aliter ea plebis sanctæ est, nisi quatenus ipsa Christi est, eoq; spiritu Christi agitur. Christus in scrinio pectoris sui habet omnia iura huius reipublicæ, uitam & omnia suis unus suppeditat, eoq; solus absoluta potestate pollet, & unus monarcha plene est. Huic claues regni cœlorum pater primo dedit. Inde dicebat Apostolis, cum eos potestatis huius faceret administros: Sicut misit me patet, ita ego mitto uos, cum ea potestate, cum eo imperio, quo me misit pater. Hinc insufflans in eos, eoq; symbolo spiritum sanctum illis conferens, dicebat: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Ex quo liquet hanc 9
potestatem omnem in Ecclesia non nisi spiritu Christi rite geri posse. Quare nemine huius potestatis nemo poscere debet, quenquam sibi dicto audientẽ esse, si quid doceat iubentis contra Christum. Et quia quanti sumus Christi sumus, & ut Christo uni uiuamus, omnia nostra sunt, uita, mors, mundus, & nihil non. 1. Corinth. 3. Nec nobis licet cuiquam hanc potestatem iactanti auscultare, si quid ille præcipiat contra Christum.

Clauis metaphora unde.

Porrò ista metaphora clauis, inde assumpta est, quod suprema domus potestas, sicut & urbis penes eum est, cuius est suprema potestas clauium, hoc est, cuius imperij est intromittere in ædes uel urbem, excludere ædibus uel urbe, quos uult. Hinc cum Dominus polliceretur Eliakim filio Chizkiah ministro regis Chizkiæ summã in aula regis & ciuitate Ierusalem potestatem, dicebat per uatem Iesaia: Et ponam clauem domus Dauid super humerum eius, aperiet, & nemo claudet, claudet & nemo aperiet. Præmiserat enim illic, de hoc Eliakim loquens ad Schebua, qui supremus aulæ moderator erat, & deiici ea potestate debebat: Erit in die illa, uocabo seruum meum Eliakim, filium Chizkiahu, & induam eum ornamentis tuis, & baltheo tuo potentem eum faciam, & tuam potestatem tradam in manus eius, & erit loco patris omnibus ciuibus Ierusalem & domus Iehuda. Eadem metaphora Dominus usus est Luc. undecimo: Væ uobis legisperitis, quia sustulistis clauem scientiæ, uos non ingredimini & eos qui uolunt ingredi, prohibetis. Eo enim significabat Dominus illos potestatem sanctæ doctrinæ sibi uendicasse, & nec ipsos ad ueram eius cognitionem peruenire, nec alios ut ad eam peruenirent, sinere.

Clauium itaque nomine Dominus supremam potestatem intellexit in Ecclesia, munus pastorale, illamq; ab ea sui parte potissimum proposuit, qua peccata retinentur, & remittuntur, qua homines uel uinciuntur reatu peccatorũ, uel eo soluuntur. Quia primum in republica Christi est, & præcipua portio muneris pastoralis, com-

munionem

munionẽ Christi donare, uel ea excludere, in numerum pœnitentium, quibus Christus seruator uenit, assumere, uel ab eo arcere. Sicut primum est potestatis publicæ, ciuitate donare, uel priuare.

Ligare & soluere etiam metaphora est, forsan ex eo mutuata, quòd prophetæ Christi munus, persoluere uinctos peculiariter prædicant. Iesaia 42. 49. 71. Et alibi. Vinctus ad pœnam iam tenetur, si soluatur à pœna, iam liber est. Sic cum Dominus dare uellet potestatem æterno iudicio obstringendi, uel eo liberandi, ligandi, soluendiq; uerbo, uti per translationem uoluit.

Porrò ex hoc loco ingens pugna prædicatoribus Christi cum Romani Pontificis adulatoribus aliquandiu fuit contendentibus, ad Roma. Pontifices hæc omnia, quæ Petro à Christo dicta sunt pertinere. Volunt enim promissum Petro, ut Ecclesia Christi super ipsum ædificaretur, utq; solus claues regni cœlorum, id est, soluendi & ligandi potestatem haberet. Ea iam Pontifici cuilibet tanquam Petri successori ex debito obuenire, eoq; Ecclesiam Romano Pontifice ut fundamento niti, & non esse facultatem peccatis liberandi, uel etiam peccata retinendi, nisi quam ipse habeat, & alijs concedat. *Commenta Pontificiorũ.*

Quibus ex iam dictis facile erit respondere. Primum enim ne Petrus quidem Ecclesiæ fundamentum fuit, quum nemo aliud queat ponere, quàm positum est, Dominus noster Iesus Christus, prima Corinthiorũ tertio cap. Quem pater electum lapidem in fundamentum Ecclesiæ ueræ Tzion posuit. Iesch. uigesimo octauo, & prima Petri secundo. Fundamẽtum enim totum ædificium portat. Sic Christus omnia uerbo uirtutis suæ gestat, & solus est, qui populum suum saluat: fide ergo in ipsum solum connituntur quotquot electi sunt. Fides nanque his in Christum, petra illa fit per quam Ecclesia ædificanda fuit, dicitur, ut ostensum est, nõ homo ille Petrus quẽ paulò pòst satanam uocat. Idem autem est, ædificari super fidem & super Christum. Qui enim Ecclesiæ, ceu uiuus lapis inseritur per fidem, is utique imponitur Christo, eò quòd fides aliud nihil sit, quàm certa salutis per Christum partæ, persuasio. Vnde credere Christo, nihil aliud est, quàm ipso, ceu fundamẽto solet super positus lapis, niti. Positus uero ac situs ipse, fides est. *Petrus non est Ecclesiæ fundamentum.*

Vt autem maxime Petrus fundamentum Ecclesię dictus sit, ita ut quidam patrum prædicando hunc locum intelligunt, quid id ad Pontifices Romanos? Non illico habet omnia Apostolorum, qui in eo loco regnauerit, ubi illi uerbo, & morte sua, Ecclesiæ Christi ministrarunt. Si filij diaboli à Domino pronuntiantur, qui tamen ex Abraham carne erant geniti, quòd non Abrahæ, sed diaboli opera facerent, quomodo Petri successor erit, qui tantum in eo loco imperat, ubi Petrum aiunt pertulisse supplicium, si cætera nihil cum Petro commune habuerit? Esto enim ut Petrũ fundamentum Ecclesiæ Christus dixerit propter confessionem fidei quam confessus fuit, nam Dominus hic non Simonem, sed beatum Petrum ex paterna reuelatione se confitentem commendauit, quid horum sibi sumant, ij qui à fide Petri & uera huius confessione iam alieni sunt? Certe sancti patres, qui Petrum hic Petram & Ecclesiæ fundamentum à Domino uocatum intelligunt, ut Diuus Cyprianus & Diuus Hieronymus, ij id tamẽ sic intelligunt, quòd Christus hoc illi ut credenti & confitenti largitus sit, non ut Romæ, aut alibi se luxu & pompa gentium Pontificem maximum, imò regem ostentanti. Diuus Hieronymus in hunc locum ita scripsit: Sicut ipse lumen Apostolis donauit, ut lumen mundi appellarentur, cæteraq; ex Domino sortiti sunt uocabula: ita & Simoni qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen. Hæc ille.

Ex hisce uerbis uidemus satis, quatenus Sancti Patres Diuum Petrum agnouerint petram illam uocari, super quam Ecclesia ædificatur: nimirum quatenus ille in Christum ueram petram credens, communionem acçepit huius, ut alijs per Euan-

gelium ad salutem in Christo fundamenti loco esset: sicut & lux mundi quoque hac ratione fuere Apostoli & dicti sunt à Domino, cum ipse unus tantum uera sit lux mundi, à quo illuminantur omnes. Origines multis probat non potuisse hoc: Tu es Petrus, & quæ sequuntur, uni Petro competere, sed pertinere ad omnes qui Christum imitantur. Hæc inter cætera eius uerba sunt: Vere ergo ad Petrum quidem dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei. Tamen omnibus Apostolis, & omnibus quibuscp perfectis fidelibus dictum uidetur: quoniam omnes sunt Petrus, & petræ, et in omnibus ædificata est Ecclesia Christi, & aduersus nullum eorũ qui tales sunt, portæ prævalent inferorum. Hæc ille.

Hilarius petram hic, fidem & confessionem Petri intelligit. Scribit enim libro de Trinitate sexto, tractans hunc locum: Super hanc igitur confessionis petram, Ecclesiæ ædificatio est. Et post pauca loquens de fide Petri, quam hic confessus est: Hæc fides, inquit, Ecclesiæ est fundamentum, per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum. Hæc fides regni cœlestis habet claues. Hæc fides quæ in terris soluerit aut ligauerit, & ligata sunt in cœlis & soluta. Hæc fides paternæ reuelationis est munus. Hæc ille.

Huic adstipulatur Cyrillus in libro Dialogorum de Trinitate libro quarto his uerbis: Petram opinor per agnominationem, aliud nihil, quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem uocauit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, ut non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuũ manens. Item Chrysostomus in hæc ipsa uerba. Nam petram, fidem atque confessionem interpretatur.

Porrò Diuus Augustinus de hoc loco disseruit ad hunc modum Tractatu centesimo uigesimo quarto in Ioannem. Hoc agit Ecclesia spe beata in hac uita erumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemcp primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claues regni cœlorum, &: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, uniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diuersis tentationibus, uelut imbribus, fluminibus, tempestatibuscp quatitur, & non cadit: quoniam fundata est super petrã. Vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo uocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei uiui. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentũ quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod & Iesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id est, potestatem ligandi, soluendicp peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est, per significationẽ Petrus in petra. Qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc ille.

Ex his nemini non patet, priscæ Ecclesiæ fidem, nihil minus ex hoc Domini sermone ad Petrum accepisse, quàm Simoni homini hic collatum esse Ecclesiæ primatum, & ut Ecclesiæ fundamentum haberetur: multo minus collatũ esse loco urbis Romæ, & quibusuis sese ibi iactantibus Petri successores. Agnouerunt sancti patres quid hic Dominus Petro tribuit, id in eo tribuisse toti Ecclesiæ, & omnibus illius uiris, fidiscp ministris. Et illud nec Petro ipsi, aut ulli eius in sacro ministerio uel successori uel collegæ competere, nisi quatenus is in Christo sit, & Christi spiritu hisce
clatibus

A clauibus regni cœlorum potestate sancta, & tantum ad ædificationem Ecclesiæ u/surpanda, fungatur. Ita Romanæ Ecclesiæ quoque prærogatiuam honoris detule/runt, & Romanum Episcopum inter præcipuos patriarchas semper primo loco ue/nerati sunt. Nam insanus ille conatus Ioannis Constantinopolitani, quo cum Pela/gio & D. Gregorio Roman. pontificibus dimicatio fuit, breui concidit. At nec Pe/tro, nec ulli unquam successorum eius iurisdictionem, aut ius aliquod in alias Ec/clesias uel eorum Episcopos fuit, præter id quod est singulis in singulos, tanquam eiusdem in Christo corporis membra, quorum est, scilicet, se inuicem monere, & si qui contra Christi decreta uiuere instituant, corrigere, eosq; qui sanctam in domi/no correctionem non admittunt, habere eiusmodi ut ethnicum & publicanum, pu/blice tamen eijcere quenquam Ecclesia, qui non pertineret ad gregem proprium, nec Petrus ipse, nec quisquam sanctorum Pontificum Romæ sibi sumpsit, nisi ne/gligentibus hanc curam animarum, Episcopis ordinarijs, & alijs Episcopis in id cõ/sentientibus. Inter quos si quid tale gerebatur, Romano Episcopo semper priores partes delatæ sunt. Cæterũ q; plurimis siue uerbo, siue scripto potuerũt instituere in Christo, & ad salutem formare Roman. pontifices, id ut summum beneficium, quę Ecclesiæ, quis sanctorum, non gratissimo animo excepissent? Et istuc est pascere gregem dominicum, quod sic Petro ante alios à domino commissum fuit, ut idem tamen omnino muneris alijs cunctis Episcopis demandatũ sit, in quo adminis/trando omnes ueri Episcopi in Christum, non Roman. pontificem respexerunt. Nec Roman. pontif. aliter quàm sicut membrum sub hoc capite uenerabilius habuerũt, idq; hactenus, dum ille uerum se Christi membrum exhiberet, & quæ Christi sunt, bona fide administraret.

Sint ergo Roman. pontifices hodie, quod Petrus & sancti olim huius successores fuere, pro Christo omnia relinquant, ipsum solum Christum, id est, seruatorem esse B electorum, tum ex animo confiteantur, tum libere & diligenter prædicent, & co/lumnas Ecclesiæ, sicq; libuerit etiam fundamenta, sed in Christo, & propter uerbum Christi, ipsos uocabimus. Sin quoniam à fructibus iudicandæ arbores sunt, & non est Israëlita, qui secundum carnem, multo minus Christianus, aut Petri successor secundum locum, id eos agnoscemus, quod esse eos, ipsorum opera probant, do/nec scripturam ipsorum satellites & adulatores perditissimi proferant, ubi Christus illi urbi promiserit, Petri se loco eum habiturum, quicunq; in ea rerum potiretur, tyrannidemq; obtineret, qualiscunq; esset fide, uita, doctrina. Nimis fœde aberra/uimus, & maiore quam olim credetur cæcitate percussi fuimus, qui non homi/ni Petro solum, & Roman. Pontificibus, & talibus, præter omnem scripturam tan/ta tribuimus.

Si urgent & ista: Tibi dabo claues &c. Petro hæc, inquiunt, non alijs dixit, Pe/trus ergo solus claues accepit. Primum ut ita sit, quid quæso ad Pont. Romanum? Vbi Petri testamentum, in quo has ipsis claues legauit? Vbi scriptura qua Chri/stus eos, in hac potestate Petri, successores fecit? Deinde promisit hic claues Petro, non dedit, dedit autem postea ei illas pariter cum alijs, Ioan. 20. Postremo si hoc illi adulatores reijciant & contendant, soli Petro claues promissas, ergo & datas, roga/bo eos: quanam igitur impudentia suo Pontifici eas traditas affirment, quæ nulli Apostolorum, sed soli Petro fuerint & promissæ & datæ? Nam de successione hære/ditaria illa, nulla extat scriptura. Quæ enim ista Petri successio, illic plus quàm Per/sico luxu dominari contra Christum, ubi pro Christo Petrus fudit sanguinem? D. Cyprianus aduersus Nouatianos, de simplicitate prælatorum. Loquitur dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam, petram ædi/ficabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non uincent eam. Tibi dabo cla/ues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq;

Quibus claues propriæ.

quæcunq; ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat: Sicut miſit me pater, & ego mitto uos. Accipite ſpiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: Si cui tenueritis, tenebuntur. Tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis eiuſdē originem ab uno incipientē ſua autoritate diſpoſuit. Hoc erant utiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædíti & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur. Hæc ille.

Deus uult apud ſuos omnia ordine conſtare, & quia ſemper diſcendum, ſemper monendi ſumus eſſe inter nos qui doceant & moueant autoritate. Sic in cœtu Apoſtolorum Petrum uoluit principem eſſe, is pro alijs loquebatur, communemq; ædificationem curabat: nullo quidem dominio, uti inter ethnicos fuit, ſed cura & ſolicitudine paterna, ueroq; paſtoris miniſterio, & inuitatione proprij exempli. Ita ut paſtores & presbyteros ipſe docuit compresbyter, ut ſe uocat, & typus factus gregi, primo Petr. quinto. Eo uero alijs Apoſtolis & Epiſcopis eccleſiarum nihil prorſus detraxit, nec ſe unquam οἰκουμενικον, id eſt, uniuerſalis orbis Epiſcopum habuit, id quod teſtatur D. Gregorius, qui tamen Pontifex Romanus fuit, ſcribens hac de re ad Ioannem Conſtantinopolitanum, in Epiſtola quæ incipit: Eo tempore, eſtq; in libro quarto Epiſtolarū epiſtola 92. Certe, inquit, Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & uniuerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm ſingularium ſunt plebiū capita? Et tamen ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ. Atque ut cuncta breui locutionis cingulo adſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus domini in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti, & nemo ſe unquam uniuerſalem uocare uoluit. Veſtra autem ſanctitas agnoſcat, quantum apud ſe tumeat, quæ illo nomine uocari appetit, quo uocari nullus præſumpſit, qui ueraciter ſanctus fuit. Nunquid non ſicut ueſtra ſanctitas nouit per uenerandum Calcedonenſe concilium huius apoſtolicæ ſedis antiſtites (cui Deo diſponente deſeruio) uniuerſales oblato honore uocati ſunt? Sed tamen nullus unquam tali uocabulo appellari uoluit. Nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, ne ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe uideretur. Hæc ille.

His conſona ſcripſit D. Hieronymus Romanæ Eccleſiæ presbyter ad Euagrium. Nec altera, inquit, Romanæ urbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum Chriſtum adorant, unam obſeruant regulam ueritatis. Si autoritas quæritur, orbis maior eſt urbe. Vbicunq; fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Regij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tonis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & ſacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, uel ſublimiorem uel inferiorem Epiſcopum facit: cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Sed dicis: Quomodo Romæ ad teſtimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ uindicas? Hæc ille.

Ex his omnibus iſtuc abunde liquet, ſicut D. Petro inter Apoſtolos, & ubicunq; fuiſſet, ab omnibus plurimum delatum fuit: ordinem enim eſſe in omni recte inſtituta multitudine, preire unum aliquē oportet. Sic poſtea partim ob urbis Romę maieſtatem, & quòd ſedes imperij eſſet, partim ob honorem D. Petri plurimum etiam delatum fuit cunctis Rom. Pontificibus, id tamen ſic, ut cæteris Epiſcopis eo nihil prorſus, quod ad paſtorale munus, aut poteſtatem eccleſiaſticam pertinet, detraheretur. Par omnibus Epiſcopis poteſtas, ut Diuus Cyprianus ſcripſit, par iuriſdictio

A dictio semper fuit, eiusdem cuncti meriti, eiusdem consortij habiti sunt, ut scribit D. Hieronymus. Eligebantur Episcopi ex plebe & præsbyteris, formam postea præscripserunt pij Principes, ut legimus in nouellis constitutionibus, Constitut. 123. Sunt etiam apud D. Augustinum, & in decreto formæ, quas uetus Ecclesia obseruauit. Vicini Episcopi Episcopum consecrabant. Primi illi patriarchæ, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, ubi Episcopatus suos iniuissent, fidei suæ confessionem sibi inuicem mittebant, & in Domino commendabant. Sic quodammodo se collegarum suorum, & per hoc uniuersæ Ecclesiæ subijcientes, leges Ecclesiasticas, quas Canones uocant, condere, Synodorum erat. Pij denicq; Principes, ut in Codice Iustiniano & Nouellis uidere est, pro officio suo, his quoq; religiosam curam impendebant, ut Episcopi suo munere rite fungerentur, & Ecclesiasticæ leges sacrosanctæ haberentur. Nec quicquam ultra ea quæ memorauimus Pontifici contulerunt. Ipsi autẽ ui postea & dolis Cæsares, cum iam eorum potentia imminuta esset, arrogarunt sibi omnia, & subiecerunt sibi cunctos Principes & populos, non tantum Episcopos & ecclesiastica. Hacq; potentia uti cœperunt, ut pridem cuncti deplorant, in omnimodam totius Christianissimi, immo etiam humanæ uitæ euersionem, extinctionem & sempiternam perditionem. O Iesu quale portentum fuisset sanctis olim patribus, quàm incredibile monstrum, quàm ipsissimum iudicauissent Antichristum, quenquam in sede Episcopi eam exercere tyrannidem, tantum inundare in uniuersum orbem pelagus omnium scelerum atque flagitiorum, atque nunc facit Pontifex Romanus. Diui Bernardi tempestate omnia tolerabiliora erant, attamen regnare in loco sancto Antichristum palàm scripsit. Huius regnum interea quàm extollit se, quàm oppressit, & euertit quicquid uspiam ueræ religionis, quicquid honestatis fuit reliquum, non solum in ecclesiastico ordine, quod ipsum tamen totum Ecclesiæ exitiosissimum sit oportet: sed in omnibus quoque Reipublicæ Christianæ ordinibus. Dominus destruat eum spiritu oris sui quàm primũ, & donet suis se agnoscere uerum pastorẽ & Episcopum animarũ suarum, & in ipso, quicunq; ex ipsius spiritu, placita ipsius bona nobis fide administrauerint. Amen.

Non minus abutuntur hoc loco, qui ex eo confessionem secretariam uolunt stabilire, quos confutamus suprà tertio ubi de Confessione tractauimus circa finem. Etenim ex eo, quod hic Ecclesiæ potestas tradita est ligandi & soluendi, effici id non potest, necesse esse ut homines quibuscunque peccatis nexi sunt, ea priuatim sacerdoti exponant. Nam si hoc sit, ut peccata non queant remitti, nisi priuatim & singula sacerdoti detecta, quàm multa omnino non remittentur. Quis enim detegat omnia, quando nemo agnoscit omnia? Atqui peccata aut semel uniuersa, aut nulla remittuntur. Sed dicunt ignorata remitti possunt, si etiam non confiteare illa sacerdoti, quæ autem scias, minime. Hoc dicitur quidem, at qua ratione, quâ ue scriptura? Rogarim illos cum Petrus tria illa millia baptizauit, ac eo Christo consecrauit & incorporauit, Actorum secundo, num soluerit eos peccatis? Non negabunt id, sequeretur enim illos mansisse ligatos. Atqui si soluit illos Petrus, ut soluit, & soluit peccatis semel omnib, ubi audiuit singularium errata singula? Ei confessio illa satis erat, qua compuncti corde dicebant; Quid faciemus uiri fratres? Sed aliud est cum initio homines baptismate in Ecclesiã recipiuntur. Quid ita? cum et à baptizandis confessio peccatorum requiritur, si adulti sint. Nam ut ad baptisma Ioannis peccata confitebantur sua, ita & ad baptisma Apostolorum.

Qui ergo sequi uolent scripturam, & obseruationem Ecclesiæ ueteris, ij fatebuntur ad omnem quidem solutionem peccatorum, quæ adultis fiat, requiri confessionem peccatorum, eam autem non esse singulorum erratorum enarrationem, sed

quòd

Confessio peccati, detestatio peccati est, non enarratio.

quòd errata sint, agnitionẽ. Ita qui adulti baptizabantur, fatebantur anteactam uitam prauam fuisse, & merito damnatã, ut qua Deum & homines offendissent. Qui soluti peccatis baptismate iterum ligabantur, ij erant, qui aut manifesto flagitio uel scelere Ecclesiam offendissent, aut noluissent Ecclesiam audire à peccatis reuocantem. Hos enim ministri Ecclesiæ, & sacer senatus regni Christi nomine & potestate, quæ totius Ecclesiæ est, reatu peccatorum obstringebant, & diuinæ ultioni addicebant: grauius quidem illos, quos prorsus Ecclesia eijciebant, qui, scilicet, obstinate eam audire detrectabant: mitius illos, quos ad tẽpus modo à sacra cõmunione abstinebant, dum de sua pœnitẽtia Ecclesiæ ueræ pœnitentiæ attestatione satisfeciissent.

Neutri uero poterant iterũ solui sine exhomologesi, id est, sine publica agnitione et confessione peccati sui. Non sanè qua id exponerẽt Ecclesiæ quod peccassent, id enim notum erat omnibus, sed qua illud peccatum suum condemnarent, & peccatum esse faterentur, secꝫ ob id coram Ecclesia ipsi accusarent ueniamꝫ supplicíter orarent. Ligare & retinere peccata non temere præcedit. Nemo siquidẽ solui potest non antea ligatus. Primum itaꝫ uerbo Dei quo condemnatur omnis incredulitas & impietas, ligantur semel, id est, æternæ mortis reatu obstringũtur quicunꝫ Christo nondum accesserũt. Hos soluit Ecclesia, cum eis gratiam Christi exhibet baptismate. Inde ubi uera est Ecclesiæ œconomia, ligãtur rursus qui in Ecclesia cum sint, grauioribus flagitijs & sceleribus Ecclesiam offendunt, uel moniti etiam de mediocribus Ecclesiam contemnunt. Hi non, nisi profitentes pœnitentiam, solui possunt, ut ergo confiteantur se peccasse, ut ipsi se corã Ecclesia condemnẽt requiritur. Qui peccant occulte, ut Ecclesia inde non offenditur, ita nec ligare tales Ecclesia potest. sicꝫ non ligat, necꝫ soluere potest, nisi generali illa solutione quam quotidie affert in Ecclesia omnibus pœnitentibus. Quæ cum uana non sit, certe reatum peccatorum dissoluit, idꝫ sine ulla priuata confessione. Facultas itaꝫ soluendi singulorũ

Absolutio generalis.

peccatorum enarrationem non poscit. At quia maxime pijs solatio est hæc in Ecclesia potestas remittendi peccata, eam requirunt magno desiderio omnes ueræ adhuc conscientiæ, indecꝫ ultro fatentur & indicant sua peccata, quantum huius ad id satis fuerit ut consolentur & erudiantur. Certam rationem uel enumerandi peccata, uel se illorũ accusandi, nemo salubriter præscribet, sicut nec uspiã præscripta est. Vrgenda est Lex Dei, inculcanda mors Christi, hincꝫ excitanda uera uitaꝫ resipiscentia. Cõmendanda sacra illa in Ecclesia remittendi peccata facultas. His qui non fuerint excitati ut ultro beneficium clauiũ regni cœlorũ inquirunt, illis id nemo salubriter obtruserit sola potestate.

Perutile autem esset, & ad exemplum priscæ Ecclesiæ, priuatos quoꝫ catechismos instituere. Quæ nancꝫ priuatim traduntur, plus mouere solent: possunt etiam ad captum hominum melius attemperari. Ita Paulus priuatim quoꝫ unumquencꝫ instituit, ut possit pater filium. Hæc & quæcunꝫ ullo modo ad ædificationem facere possunt, in potestate clauium regni cœlorum insunt. Cõpellere singulos ut priuatim enumerent quæ peccarunt, quoniam ex nullo oraculo Dei ostendi potest, facere ad ædificationem, in potestate hac clauium non inest.

Tunc edixit discipulis suis &c. Mar. 8. & Luc. 9.) Vide quod sæpe dixi: Dispensationem patris sanctam ubiꝫ habuit, eoꝫ licet Christum ipsum agnoscere, uita æterna sit, & ipse hominum tam amans esset, ut mori pro eis uellet, uoluit tamen ante tempus à patre constitutum, se Christum prædicari. Id etiam electis haudquaquam fraudi fuit, qui nihilominus per spiritum sanctum quanta satis eis ad salutem esset, Christi cognitione nunquam fuere destituti. Agnoscamus ergo non à tempore, aut ulla re alia, sed sola bonitate patris cognitionem salutis pendere. Discamus simul, ut & nos serui ignoti & cõtempti esse non grauemur, donec pater, libertatis & gloriæ tempus adducat.

ENAR-

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis, Mar. 8, Lu. 9.) Hic uides causam, cur discipulis sui cognitionem potissimum nunc augere & roborare uoluerit. Appropinquabat tempus ut pateretur, ad illud uoluit eos præparare: quod aliunde rectius facere non potuit, quàm ut in fide erga se illos confirmaret. Demonstrauit uero simul hic uiam ad uitam, ueramq; gloriam. Christus nanq; erat filius Dei uiuentis, ac qui debebat glorioßissime regnare, atq; imperare omnibus: attamen prædicit, oportere antè infra infimos sese humiliari, & cum peccatoribus reputatũ ignominio ßissime et crudelißime occidi, ac tum demũ tertia die ad uitã gloriãq; certã reuocari.

Oportuit Christum ante gloriam humiliari.

Exigebat siquidem iustitia Dei, ut peccato antè moreretur, ipse omnis peccati purus, & corporis sui hostia electos uniuersos sanctificaret. Hinc pati ipsum oportuit, atq; ita in gloriam suam ingredi: quod est illud à Iesa. 53. prædictum, cum multis alijs apertis sanè oraculis, tamen hoc apertissimo: Domino placuit, ut plaga ipsum percuteret. Sed si posuerit animam suam hostiam pro peccato, uidebit posteritatem, prolongabit dies, & beneplacitum Domini, per manum eius prosperabitur, &c. Certe hæc summa Christi gloria est, ut patri, quamplurimos sanctificatos, dum hic mundus stabit, adducat, sitq; numerosa turba renatorum: id quod per Euangelion, atque spiritum paracletum effecit, & hodie efficit. Iam ita à patre constitutum erat, ut neq; illud euulgari, neq; hinc possent multi donari, nisi ipse antea mortem pro electis uniuersis oppeteret. Sic tandem datum ipsi fuit, filios Dei, qui dispersi erant, congregare in unum, Ioan. 11. Nec alia & nobis, ipsius membris, ad uitam gloriamq; uia patebit. Commori oportebit, ut & conregnemus. 2. Timoth. 2. Hæc iam uolebat suis sensim commendare, ac sic ad crucem eos, ut dixi, præparare: quòd nimirum nuptiarũ tempus finem breui esset accepturum. Quare aperte quoq; modo, ut Marcus habet, sermonem loquebatur.

Post paßionẽ Euangelium euulgatum.

Et cum abduxisset eum Petrus, cœpit illum increpare, Mar. 8.) Vehementer magis quàm prudenter Dominũ Petrus amabat, eoq; auocare à duro isto proposito conabatur, non animaduertens, quod dixisset, ita oportere, & ideo sic uisum esse patri. Cum igitur sui exemplo discipulos Christus uoluisset sensim iam ad futura pericula præparare, & ad crucem quæ immınebat animare, hic uero stulto carnalíq; affectu, non modo ipse nihil horum secum reputare, sed etiam eum inde conaretur reuocare, præsertim impudenter adeò, ut etiam licet Dominum & magistrum suũ increparet, recte dixit ei: Abi Satana, quoniã non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Quasi dixisset: Facesse cum tuo consilio, mihi prius nihil esse debet, quàm iussa patris facessere, quãlibet dura sint carni, ad ea capessenda: tã diu ac multis iam & uos sum hortatus, et tu qui donatus ampliore patris cognitione mihi adiutor esse & consors, ut mandatum patris perficerẽ, esse deberes, dehortaris me ab eo, idq; nõ leuiter, sed increpando etiam: Apage cum ista tua sapientia, Satanã te mihi exhibes, aduersarium planè & consultorem pessimũ: quantumuis ex amore mei ista facias, sapis nanq; quæ homines Deo uacui, diuina te nondum afficiunt, quamlibet paulò antè ex reuelatione patris, recte & pie de me senseris, atq; sis confessus. Modo increpas quod Christum & filium Dei agere exhiberecq; me uolo, quem dudum uere esse me confessus es. Vide quàm tibi pugnes. Si Christus sum, occidi pro electis debeo, iuxta scripturas. Si filius Dei, cur nõ gererẽ morem patri, qui uult me hostiam pro peccatis esse omniũ quos ille ad uitã ordinauit? Prius ergo ex reuelatione patris me prædicabas, & beatus eras: nũc ex instinctu Satanæ, ab obedientia patris reuocas, mihi hactenus fatanas factus. Abi ergo cũ humano isto tuo affectu præcepto Dei pugnãte, manæ, aut affectibus locum, conuersus ac intuitus illos, ut Marc. habet, seuere adeò Petrum reprehendit. Nam ut ex Matthæo coniectura est, secreto Petrus Christum

Confutatur Petrus.

increpauerat,scribit enim cum abduxisset eum. Christus ergo increpationē eius pa-
làm,ut & alij discipuli audirēt,seuere adeò reiecit: eoq; docuit, nihil in homine esse
boni.Beatum,& Petrū, ipsum paulò antè prædicauerat, clauesq; regni cœlorum ei
promiserat,sed omnia ob reuelationē patris:nunc satanam uocat,eò quòd ageret ho
minē. Notatur igitur humana sapere, esse Deo aduersari, atq; satanam agere. Hinc
Paulus Rom.8.τὸ φρόνημα,sensus carnis mors,et inimicitia est aduersus Deum. Quid
ergo nobis arrogabimus: ubi liberum arbitriū: ubi iudicium rationis: ubi uero Ec-
clesia in Petrum hominem ædificata,qui nunc satanas est: Num ergo & Rom. Pon.
in hoc quod quæ hominum,non quæ Dei sunt,sapiunt et agunt, satanæ sunt,idq; eo
plenius, quòd illi sapiunt nō amorē Christi uel præposterū,sed suū & mundi: Orige-
nes differentiam facit,inter hoc dictum Petro, & suprà satanæ, Dominum tentanti:
Abi post me satana. quòd hic Dominus dixerit Petro,ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, id est, uade post me sata-
na,quod perinde sit atq; sequere me, non præi tuis consilijs. Suprà autem tentatori
diabolo tantum,ὕπαγε σατανᾶ,id est, discede, facesse satana. Sed firmū hoc non est.
Nam Lucæ quarto etiam satanæ dixisse Dominum legimus,ὕπαγε ὀπίσω μου. Vnde
simpliciter à se repellentis oratio habenda est, qua non indigne & Petrus repulsus
fuit,cum reuera satanam ageret,reuocans à iussis Dei.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Tunc Iesus dixit discipulis suis,Mar.8.Lucæ 9.) Marcus habet:Et cum ad se uo-
casset turbam,unà cum discipulis suis, Lucas, dicebat autem ad omnes. Cum enim
uita Dei, fide in Deum cōstet,necesse sanè est,eum abnegare semetipsum & omnia,
qui uitam Deo dignam uelit meditari. Quippe cum satanas sit, & Deo aduersetur
quicunq; sapiat quæ hominum sunt,ut iam in exemplo Petri Dominus declarauit.

Testatur ergo primum hic Dominus,non solum iam discipulis, sed simul omni-
bus,postquam Petrus nō solum ipse à cruce ita abhorreret,sed & ipsum ab illa reuo-
care fuisset annisus, oportere eum qui uoluerit se sequi atq; post se uenire, quod idē
Quid abne- est,nempe,esse eius discipulum, abnegare semetipsum, hoc est, sese totū patris curæ
gare. committere,ut nihil pro seipso tam sit solicitus:tum tollere crucē suam,hoc est,suam
sortem,suasq; erumnas,quas sibi optimus pater dispēsauerit, æquo animo perferre.
Lucas addit quotidie:nunquam enim nō perferendū aliquid est ei, qui in hoc mun-
do serio gloriam Dei uolet asserere: atq; ita demum sequi, id est, sectari se iubet, In
quo uidetur,nonnihil inesse cōsolationis. Consectari enim Christum filium Dei ui-
uentis, qui possit nō ut omnis boni feracissimum, ita et optatissimum esse: Cum er-
go eum qui hoc uelit necesse sit ipsum & in eo imitari,ut semetipsum abneget,ac pa
tri optimo consecret, crucemq; quam ille imposuerit,alacri ac lubenti animo tollat,
non poterint sanè hæc grauia uideri, cuicunq; uera in Christum fides contigit, neq;
dubitat iam ipsum uitæ autorem,uitæ quoq; semitas triuisse.

Quid crucem tollere. Porrò & si nemo sit qui crucem à Deo impositam non cogatur ferre, tollunt tamē
tantum ij,qui animo Dei bonitate confidente,ultro et cum alacritate ijs quæ ipse im-
posuerit humeros submittunt. Rursus sunt, qui sibijpsis erumnas asciscant,& crucē
ferant,sed non à patre impositam. Ii non suam tollunt,quod ipsorum crux sit,quam
eis pater cuius toti sunt,imponit,nō quam ipsi suo arbitrio assumpserint. Nihil enim
in seipsos iuris habent, qui Dei sunt quanti sunt. De his & suprà 10.sub finem.

Qui enim uoluerit animam suam seruare,&c.Mar.8.Luc.9.) Tribus rationibus
hortatur ad id,ut semetipsos abnegantes & crucē suam tollentes, se sequantur,quot
Prima ratio. quot sectatores & discipuli sui haberi cupiunt. Prima est, quòd is uitā suam perdat,
qui eam uoluerit seruare,& seruet,qui perdiderit,hoc est, Christi & Euangelij caus-
sa adduxerit in periculum. Præstat igitur abnegare semetipsum,crucemq; à patre im-
positam tollere,ac ita in præsenti animam perdere, quàm præsentia fugere pericula,
& curam uitæ seruandæ impendere,quod in scelerata hac mundi generatione, non
sine

A sine negatione & contemptu Dei ac ueritatis fieri potest, ut & suprà 10. dictum, quo sanè pacto uere anima perditur, cum is offendatur, qui eam indubie in gehennam cum corpore abijciet, abnegante illam Christo. Ita uere seruatur, quando in gratiam Christi in mille mortes, in certissima pericula, quæ ueritatem sectantibus nunquam desunt, abducitur. Agnoscet enim tales apud patrẽ Christus, cuius tum gratia, æternam pro caduca hac uita recipient. Cum igitur nihil omnino anima præstabilius sit, cuius iactura ne quidem toto orbe possit sarciri, certe debet ea alacri animo à nobis perdi, hoc est, in quoduis discrimen adduci. Quod cum fieri nequeat ab eo qui semetipsum amet, aut crucem horreat, planè operæpretium est, ut nosmetipsos abnegemus, & crucem nostram tollamus, ac ita demum Christum rite sectemur. *Anima perdenda.*

Secunda ratio, qua Dominus ad abnegandum semetipsos hortatur, est, sibi licet filio hominis nunc, & omnium abiectissimo omne iudicium datum, eoq; futurum, ut olim in gloria patris cum angelis suis, redeat, reddatq; tum unicuiq; iuxta facta ipsius, utiq; negatoribus suis gehennam, cõfessoribus regnum patris. Nam ut Marcus & Lucas memorant, hic & illud, quod suprà 10. discipulis dixit, repetijt: Quencunq; puduerit mei, ac meorum sermonum, in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, &c. Hinc ab ipso audient: Amen dico uobis nescio uos: discedite à me operarij iniquitatis. Tum iuxta facta sua, id est, uitam & instituta suum recipient. Quid iam durum possit esse adeò, ut non faciendum & ferendum sit potius, quàm ut quis hunc omnium iudicem offendat, audiatq; demum ab eo, ut à se discedat in gehennam? Præstat ergo abnegare semetipsum, &c. *Secũda ratio à potestate iudiciaria Christi.*

Celeberrima uero est in scripturis hæc sententia, in iudicio Dei reddendum unicuiq; iuxta facta sua. Ea Iechezkelis. 18. & alibi multis asseritur. Hanc diuexant aduB latores Rom. Pontificis, uolentes inde probare, operibus nostris nos iustificari, atq; damnari, quòd, scilicet, secundum ea iudicemur. Non animaduertentes stolidi, & arborem iudicari secundum fructus, non tamẽ à fructibus esse, ut huiusmodi arbor sit, sed ab arbore, ut eiusmodi fructus sint. Visis ficubus, arbor ea ficus esse iudicat quidem, at non à ficubus, ut ficus esset accepit, uerum cum ipsa arbor ficus esset, fructus hos peperit. Ita in omnibus rebus, opus de operante indicat, operantem autem non efficit, sed ab operante efficitur. Ad hunc modum bona opera, bonum hominem & Dei filium probant, non efficiunt. Non ergo iustificant opera, id est, Deo gratũ reddunt, unde omnis salus pendet, quæ priusquam bonus per spiritum sanctum euaseris, nihil nisi peccata damnantia te esse possunt, eò quòd nequeat mala arbor fructus bonos proferre. Verũ quia quisq; recte iudicatur, secundũ quod fuerit, & ut quisq; fuerit, ita & operatur, operaq; de operante testantur, recte dicitur iudicium secundũ opera uel facta fieri, sicut iudex secundum ea iudicat, quæ euicta fuerint testimonijs. Cæterum de natura ac ui bonorum operum, & suprà 6. *Reddetur unicuiq; iuxta facta sua.*

Obseruandum tamen hic est, iustificari in scripturis idem ualere atq; pronuntiari secundum aliquem, uel absolui in iudicio. Iam iudicium ultimũ Deus sic exercebit, ut nos ipsi illud de nobis facturi simus. Deus sententiam suam de nobis per nostram ipsorum cõscientiam feret, huius iam est ab operibus iudicare, ex quibus de animo iudicium est. Cum itaq; Dominus, ut ubiq;, iudicium suum describit, more humano dicit illud fieri secundum cuiusq; opera, sic, scilicet, ut nos iudicare solemus. Et certũ est, omnem Domino uere credentem, in bonis operibus hinc discedere, quamlibet illa pauca sint & infirma. Latro cum Domino crucifixus, nihil iam nisi bona opera habebat, fatebatur peccatũ suũ, deferebat gloriã Christo, admonebat sociũ pœnarũ. Amplius nihil poterat. Secundũ opera igitur iudicatus est, iuxta opera sua ipsi repensum est. Opera eius bona erãt. Sed nõ est scriptũ Deũ cuiq; bona repensurũ pro portione bonitatis bonorũ operũ: nec item scriptũ est, ex operibus uitã æternam nobis adiudicari, sed retribuendum secundum opera, bona opera, bona consequi præmia.

Cæterum ut iudicet pro nobis Deus, & uitam æternã adiudicet, prima cauſſa eſt eius ultronea beneuolentia. Sua enim uoluntas prima cauſſa eſt omnium: proxima meritũ Chriſti: nam mortuus eſt pro ſalute mundi, ſed hoc ipſum beneuolentiæ diuinæ gratuitũ donum eſt. Tertia, fides, qua hanc Dei beneuolentiam & Chriſti meritum amplectimur & percipimus. Nam qui credit, habet uitam æternã. Sed hæc ipſa quoq; fides opus & donũ eſt in nobis propitij iam Dei propter meritum Chriſti. Poſtrema cauſſa, bona opera ſunt: nã iuxta opera cuiq; rependitur, ſed hæc ipſa quoq; ſunt dona beneuolẽtiæ Dei, effectus meriti Chriſti, & fructus fidei. Nihil enim apud Deum bonũ opus haberi poteſt, quod non fit amore & ſtudio Dei: amor autẽ & ſtudium Dei non eſt niſi credentis Deo. Credere uere Deo nemo poteſt nõ adflatus ſpiritu filiorum Dei. Hunc iam Deus ijs ſolis donat, quos habet propter meritũ filij ſui inter ſuos, quibus peccata remiſit. Hoc autem ijs demum facit, & ijs demum donat filium ſuum, quos ad id delegit ante cõditum mundum. Omnia igitur ſalutis noſtræ donum ſunt, & opus ultroneæ & gratuitæ beneuolentiæ Dei.

Porrò quòd Dominus ait, unicuiq; ſecundũ facta ſua reddendũ eſſe, non ad id ait, quòd uelit cauſſam ſalutis noſtræ præcipuã facere noſtra opera: ppter ſe enim Deus omnia facit, ſed uult eo nobis auferre inanem fiduciam in aliena merita hominum, ut Iudæi generis ſui prærogatiua fidebant, alijsq; propijs bonis operibus, ut hodie uulgo fidunt D. uirgine matre Domini, & alijs diuis, tum religionibus ſacrificulorũ & monachorum, ſine proprio ſtudio iuſtitiæ: tum uoluit nos eo ad ſtudium bonorum operum excitare. Omnino enim etiã ſic iudicat Deus. Et ut quiſq; uiuit & operatur, ita recipiet ab eo, & non eſt poſſibile quenquam in malis operibus uiuentem ſaluũ fieri. Sed æque impoſſibile eſt credentem Chriſto uiuere in malis operibus. Is enim uiuit in malis operibus, qui illis ſtudet. Sancti patrant quidẽ ſubinde quæ mala ſunt, ſed non uiuunt in eis: oderunt enim quæ male admittunt. Iſta igitur quæ de operibus in hiſce locis ſcriptura obijcit, in hoc cõſideranda ſunt, ut ſolicitudo bonorum operum in nobis excitetur, cunq; ea noſtris uiribus nulla edere poſſimus, hoc maiore ſtudio confugiamus ad Chriſtum, fideq; in hunc cõfirmata, bonis operibus ſedulo magis incumbamus. Non autem ut bonis operibus fidamus, qui inutiles ſerui ſumus, etiam cum fecimus quæ oportet, quod præſtitit nemo unquam.

Tertia ratio, qua ad ſui abnegationem prouocat, quæ & mirificam in ſe cõſolatiõ habet, eſt quod dicit breui adeò ſe potẽter regnaturũ, idq; ex præſentibus aliquot uiſuros. Quis iam non optet eum conſectari, eiusq; gratia & abnegare ſemetipſum, & crucem ſuam tollere, quem ſciat breui diuina cum uirtute regnaturum glorioſiſſime, ac ſe cum ipſo conregnaturum? Etenim quicunq; compaſſus fuerit, etiam cum ipſo regnabit. 2. Timot. 2. Nam prædixit ibi miniſtrum ſuum ſuũ fore, ubicunq; ipſe fuerit. Ioannis 11. Marcus hæc ita memorat: Sunt quidam inter eos qui hic ſtant, qui non guſtabunt mortem, donec uiderint regnum Dei uenieſſe cum uirtute. Eadem et Lucas ſcripſit. Hinc uero adducor, ut credam hic Chriſtum de ſuo aduentu locutũ, quo per Euangelion orbi glorioſus non diu à morte ſua aduenit, cũ mira ubiq; uirtute, ſeruator orbis cœpit prædicari & adorari. Certe tum regnum Dei cum uirtute magnifica aduenit, quæ uirtus mirum in modum tam in Paulo quàm alijs effulſit, quod paſſim in literis Apoſtolicis prædicatur. Iis ſanè quibus prædicatum Euangelion fuit, regnum Dei aduenit. Suprà enim decimo memoratũ, Dominum præcepiſſe diſcipulis, ut repellentibus à ſe ipſorum uerbum, atteſtarentur aduenieſſe eis regnũ Dei. Tim 12. Dominus ipſe calumniatoribus Iudæis reſpõdit: Si in ſpiritu Dei eijcio dæmonia, profecto uenit in uos regnum Dei.

At illis nondum aduenerat hoc regnum cum uirtute, ut cum paſſim per orbem, incredibili uirtute Euangelion & prædicatum, & aſſertum à plurimis fuit. De quo cum aliâs, tum Coloſſen. primo Paulus gloriatur, ubi de Euangelio ſcribit: Quod peruenit

A peruenit ad uos, quemadmodum & in toto orbe fructificat. Sed fusius Roma. decimo quinto: Habeo igitur, inquit, quod glorier per Christum Iesum in his quæ ad Deum pertinent. Non enim ausim loqui quicquam eorum, quæ nō effecit Christus per me, in obedientiam gentium, uerbo & facto, per potentiam signorum & prodigiorum, per potentiam spiritus Dei, ut ab Hierusalem, & circumiacentibus regioni bus, usque ad Illyricum impleuerim Euangelion Christi, &c. Hæc regni Christi magnifica uirtus, maxime circa uigesimū annū ab ipsius passione sese exeruit, ad quod usque tempus, indubie multi ex ijs, quibus præsentem sermonem Dominus habuit, superstites fuere. Quòd enim aduentum Christi in regno suo intelligā de extremo die, nullæ suadent scripturæ. Quòd nanq; de Ioanne Euangelista dominum hic locutum quidam putant, infirmius est, quàm ut à prædicatore uerbi Dei adseri debeat. Cum nequaquam ille Domini sermo de eo: Si eum uolo sic manere, probet non esse mortuum, uel ipso Ioanne indicante. Ergo de aduentu Christi per Euangelion hic locus intelligendus est. Is breui adfuturus erat, quo ut satis superq; apparuit, quanta ipsius potestas esset, ita facile iam erat ipsum cum multis, abnegando semetipsum, & tollendo crucem suam consectari. Ad quod sanè persuadendum, his uerbis usus est.

Quando regnum Dei aduenit cum uirtute.

CAPVT XVII.

Sect. 1.

TPost dies sex assumit Iesus Petrum ac Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & subducit illos in montem excelsum seorsum, transformatusq; est coram illis, & splenduit facies eius sicut sol: uestimenta autem illius facta sunt candida sicut lumen. Et ecce conspecti sunt illis, Moses, & Helias cum illo colloquētes. Respondens autē Petrus, dixit Iesu: Domine bonū est nos hic esse, si uis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, & Heliæ unū. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos, & ecce uox è nube quæ diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitū est, ipsum audite. Et cum hæc audissent discipuli prociderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer. Et accedens Iesus tetigit illos, dixitq;: Surgite, & ne timeatis. Vbi uero sustulissent oculos suos, neminem uidebant, nisi Iesum solum.

B

Sect. 2.

Et cum descenderent de monte, præcepit illis Iesus, dicens: Ne cui dixeritis uisionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et interrogauerunt eum discipuli sui, dicētes: Cur igitur scribæ dicunt, quòd Heliā oporteat uenire prius? Iesus autē respondens, dixit illis: Helias quidē ueniet prius, & restituet omnia: cæterum dico uobis, Heliam iam uenisse, & non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunq; uoluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab illis. Tunc intellexerunt discipuli, quòd de Ioanne Baptista dixisset ipsis.

Sect. 3.

Et cum uenisset ad turbā, accessit ad eum homo quidā flectens genua illi, dicensq;: Domine miserere filij mei, quoniam lunaticus est, & misere affligitur, nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquā, & obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt eum sanare. Respondens autem Iesus, dixit: O natio incredula, & distorta, quo usq; tandē ero uobiscum? usq; quò patiar uos? Adducite illū huc, & increpauit illud Iesus, & exijt ab eo dæmoniū, & sanatus est puer à tēpore illo.

Sect. 4.

Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsum, dixerunt: Quare nos non potuimus

tuimus eiicere illud? Iesus autem dixit illis: Propter incredulitatem uestram. Amen quippe dico uobis, si habeatis fidē sicut granū sinapis, dicetis monti huic: Demigra hinc illuc, & demigrabit, neq; quicq; impossibile erit uobis. Sed hoc genus non egreditur nisi per deprecationem & ieiunium.

Sect. 5. Cum autem uersarentur in Galilæa, dixit illis Iesus: Futurum est ut filius hominis tradatur in manus hominum, & occident eum, ac tertio die resurget. Et mœrore affecti sunt uehementer.

Sect. 6. Cum autem uenissent in oppidum Capernaum, accesserunt qui didrachma solēt accipere ad Petrum, dixeruntq;: Præceptor uester num soluit didrachma? Dicit etiam. Et cum ingressus fuisset in domum præuenit illum Iesus, dicens: Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ, à quibus accipiūt tributa, aut censum, à filijs suis, an ab alienis? Dicit illi Petrus: Ab alienis. Ait illi Iesus: Ergo liberi sunt filij? Verum ne simus illis offendiculo profectus ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui prodierit primus, tolle & aperto ore illius inuenies staterem, acceptum eum, da illis pro me & te.

Ad quid transformatus.

ET post dies sex assumit Iesus Petrum, &c. Mar. 9 Luc. 9. Lucas habet, factum est post hæc uerba ferè diebus octo. Quod cum Matthæo non pugnat, cum addiderit, ferè, nec cum Marco, qui post sex dies, scripsit. Porrò Christus hac sua transformatione uoluit ceu specimē gloriæ suæ his tribus discipulis exhibere, ac fidem facere eorum, quę de sua illis potestate & gloria prædixerat, hortans ad sui abnegationem, & ut se consectarentur.

Tres assumpsit.

Tres selegit arbitros huius transformationis, quos & ad puellam suscitandam introduxerat, suprà 9. ut iterum ostenderet, delectum se habere inter eos, qui ueritatē edocendi sunt, & gradus ordinemq; certum in reuelando eam obseruare. Lucas memorat Dominum ascendisse in montem ut oraret, quod notandum est ad ea, quæ suprà 14. de secessu ad precandum differui, ut & nobis libeat ad preces fundendas secedere, quibus longe id plus opus esset. Deinde inter orandū transformatus fuit, id monet, & nos orantes, quodammodo in Deum transformari, quo certe cupidius cum Deo colloqui, id est, orare debebamus. Quod uero totus lucidus & splēdidus factus fuit, facie & uestibus, gloriam immortalitatis uitæq; futuræ claritatem adumbrauit. Etenim inter omnia quæ patent sensibus; nihil est præcellentius atq; magis spiritale, quàm lux, quæ simul summam & uoluntatem & utilitatem adfert, dum omnia luce procreantur & fouentur: Sic per splendorem faciei, Mosch. secundo Mosch, 34. Paulus gloriam ac diuinitatem legis intellexit. 2. Corinth. 5.

Mos. & Heli.

Id autem quòd Moscheh atq; Helias conspecti fuere cum ipso colloquentes, qui omnium præcipui atq; ardentissimi cultus Dei adsertores fuere, indicauit cum Domino, & legem & prophetas facere, ipsumq; esse omnium expectatissimum & absolutissimum gloriæ Dei uindicem atq; restitutorem, cui lex & prophetæ omnes testimonium perhibeant. Dicebant uero excessum eius, quem completurus erat Hierosolymis. Id faciebat fidem ijs, quæ Dominus prædixerat: scilicet, se uerum & indubitatum Christum ac filium Dei uiuentis, tradendum tamen in manus seniorum, principum sacerdotum, atq; scribarum, ab eisq; occidendū, sed mox tertia die à mortuis rursus reuocandum. Mori nanq; & Christum esse, plus nimio inter se pugnare discipulis uidebatur. Verum Petrus, & qui cum ipso erāt orante Domino more suo dormiebant, grauati somno. Experrecti autem uiderunt maiestatem eius, & duos uiros qui stabant cum illo. Et factū est, cum discederent ab illo, ait Petrus. Hæc Lucas: Præceptor

ceptor bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, tibi unum, & unum Moscheh, & unum Heliæ, nesciens quid diceret. Nam uidetur hæc dixisse, animo abitu-ros Moscheh, & Heliam retinendi. Nesciens nullis manu factis tabernaculis, ad habitandum in gloria Domini opus esse. Cæterum in hoc Petri uoto monstrata est, uitæ futuræ illicibilitas, Omnium enim oblitus, hic habitare optabat. Mox autem adhuc eo loquente, nubes lucida obumbrauit illos, & audita uox est è nube, quæ dicebat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitum est, ipsum audite. Sic & olim in nube gloria Domini apparuit, tanquam re cœlestibus uiciniore, ut 2. Moscheh 13, 14, 16, 40. & alijs locis librorum legis patet. Cæterum uox illa uidetur quodammodo uotum Petri correxisse, ac si dixisset: Quid dolet discedere Moscheh & Heliam, omnia in hoc magistro uestro, unico filio meo, in quo solo per omnia mihi complacitum est, habetis, ipsum modo audite, & nihil fuerit, quod uel Moscheh, uel Helias aut alij prophetæ quicunq; illi sint, docere possint, quod non multo clarius et plenius ab ipso, si modo adsit fides percipere uobis liceat. Sibi fidere docet, ut qui gratiam meam & uitam beatam restituat omnibus sibi fidentibus, id præstabit, atq; ita per omnia uos sanctificabit, perficientq; , quod tota lex non potuit. Diligere iuxtà mutuo uos hortatur, in eo tota uitæ perfectio sita est, & completur , quicquid usquam in lege aut prophetis ad uitam instituendam præceptum legitur. Denicq; quod nec lex, nec prophetæ potuerunt, spiritum morte sua electis omnibus promeretur, & donat, qui & persuadeat ad credendum, & accendat ad diligendum, sic iudicium & iustitiam in terra restituit: eum igitur audite. *Stultum uotũ Petri.*

At discipuli, cum hæc audissent, procidẽrũt in faciem suã, & territi sunt uehementer. Sic & populus Israël uocem Domini in Choreb audire non ualebat. 2. Mos. 20. quo significatur, nos hac corporis mole grauatos, haudquaquam in plenum consortium Dei posse peruenire. Ideo deponendum antè est quod carnale est, ut contingat quod spiritale. 1. Corint. 15. Deinde monemur & mediatore erga Deum opus nobis esse, quem pater dedit prophetam prophetarum, Dominũ Iesum Christum, in quo inhabitat omnis diuinitas corporaliter. Accedẽs ergo Iesus tetigit illos, dixitq; : Surgite & ne timeatis. Vide ut sua humilitate, qua diuinæ gloriæ nobis adhuc intolerabilis splendor, uelut in laterna nonnihil pro nostra capacitate occulitur, blandum efficiet quod per se est terribile. Verum illi simul atq; oculos sustulissent, neminem uidebant, nisi Iesum solum, quia unus satis superq; erat, quẽ & in humilitate illa oportet primum audire & amplecti, atq; eo demum pacto patebit iter & aditus ad incomprehensam atq; inaccessam alioqui gloriã Dei. Quę duo, & in Christo nobis omnia Dei proposita, & ea per humilitatẽ crucis adeunda atq; percipienda esse, si recte percipere possemus, haud frustra historia hæc, etiã si missa faciamus cuncta allegoriarũ cõmenta, scripta nobis fuerit. Id quod Dominus & hic præcepit discipulis, nihil horum quæ uiderãt, cuiquã dicere, donec à mortuis resurrexisset, illud probat, quod sua prà aliquoties diximus, noluisse Dominũ planè Christũ se prædicari, ueraq; gloria cõspicuus esse, donec iuxta patris mandatũ, pro peccatis hominũ morti satisfecisset.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Et interrogauerunt eum discipuli sui, dicentes: Cur scribæ. Mar. 9.) Marcus habet: Verbum hoc tenuerunt apud sese, inter se disputantes, quid esset hoc, quod dixisset, è mortuis resurgere. Nequaquam enim quæ suprà decimo sexto de morte atq; resurrectione sua dominus dixerat, intellexerant, quin etiamnum nihil minus expectabant quàm ipsum, quandoquidem esse Christum credebant, moriturum, multo minus è mortuis resurrecturũ. Non tamen propterea abiecit eos indulgentissimus magister, ita nec hodie abiecturum credamus, qui modo esse discipuli eius cupiunt, quamlibet crassi fuerint, & nequiuerint omnia semel percipere. Tum & nos istam domini nostri longanimitatem erga fratres tardiores referre studeamus. Notatur *Tardos discipulos tulit.*

autẽ rursum hic, Christi expectationẽ apud omnes id temporis fuisse, deq; aduentu eius multa à scribis in populum fuisse disseminata, quibus ipsi tamen perparum animum admouebant, uidentibus, scilicet, oculis, nihil uidentes, & audientibus auribus, nihil percipientes. Quod Domini iudicium nunquã debet non ob oculos mentis uersari, quò summo cum timore in scripturis, & Ecclesia uersemur.

Verũ illud, quod Dominus ait: Helias quidẽ ueniet prius, & restituet omnia, ex mox subiectis, & etiã Marci uerbis euincitur, perinde esse ac si dixisset: Recte dicũt, Heliam antè uenturũ, ac omnia restituturum, Prophetæ enim Dei, Maleaci nempe quarto uaticiniũ est, sed si uellent ueritatẽ recipere, ut & aliàs dixi, Helias ille, de quo hoc uaticiniũ loquitur iam uenit: & dum omnem populum credentium, ad me perduxit, restituit omnia. Illi autẽ reprobi non agnouerunt eum, & fecerunt ei pro sua libidine. Nam contempserunt, & insectati sunt, calumniantes ipsum dæmonium habere: tandem Herodes ipsum decollauit, indubie si non impulsu istorũ, tamen cum magna gratia eorũ. Sic & filiũ hominis modo ignorant & cõtemnunt, perficientq; & in ipso, sicut scriptum est, quæcunq; tulerit ipsorum impietas.

Helias uenit.

Porrò quod apud Marcũ legimus: Et fecerunt illi quæcunq; uoluerunt, sicut scriptum erat de illo, uidetur sanè indicare scripturã etiam de supplicio Ioannis aliquid dicere, sicut de eo, quòd pati oportuit Christũ. Verũ equidem fateor, mihi nullũ huiusmodi locũ scripturæ modo cõstare, quo peculiariter de ijs, quæ passus Ioãnes est, prędictũ aliquid sit: nisi ea quis huc trahat, quæ Elias Thesbites passus memoratur, ut eorum quæ pertulit Ioannes, typũ. Etenim sicut illũ Izebel regina, ita hunc persecuta est Herodias, & utraq; utrunq; ob sæuerius uindicatam religionẽ. Vtq; ille sua mala tum euasit, quando subuectus fuit in cœlũ, ita & hic tum demum in tuto esse cœpit, cum uitam præsentẽ cœlesti cõmutauit. Sunt autem qui istuc, sicut de illo scriptum est, referant ad illud, Helias uenit, & nõ ad id quod sequitur: Et fecerunt ei, etc. ut intelligas, uenit iam Helias sicut de eo scriptũ est, nempe: Vox clamantis in deserto, & qui res populi Dei restituerit. Quanquam autem & hoc coarctius & quod superius adduxi, generalius uideat, nihil tamen habeo certius. Sed omnino quia Christus finis legis est, & sancti omnes mẽbra Christi sunt, scripturæ omnes sicut de Christo, ita membris & ministris Christi dicunt omnia. Interim hoc uera plenaq; est rerũ omnium κοινωνία, quare quæ Eliam, & prophetas reliquos ob administratũ uerbum Dei, passos scriptura memorat, ea omnia de Christo, Ioanne, & similibus, uaticinia erant. Præterea hoc quoq; hinc discamus sic, ut de Christo & præcipuis sanctis, per scripturam etiam Deus significauit, quæ perferenda eis ordinasset, ita certò unicuiq; diuinitus statutum est quid patiatur; & quo quisq; crucis genere Deum glorificet, etiam si nulla id scriptura nominatim testetur. Id nostra cura neq; augebimus, neq; imminuemus. Tutissimum igitur atq; saluberrimũ abnegare nosmetipsos, et benevolentissimo patri nos per omnia consecrare, quanti quanti sumus. Reliqua, quæ ad hunc locũ dicenda essent, dicta suprà sunt 11. in illud: Nã omnes pphetæ & ipsa lex.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Et cum uenisset ad turbam, Mar. 9. Luc. 9.) Lucas memorat hæc postridie quàm transformatus in monte apparuisset, accidisse. Cumq; de monte descenderẽt, occurrisse eis turbam multam, quæ ut Mar. scribit, discipulos circumfuderat, & aderant scribæ, qui cum discipulis disputabant. Verum uniuersa turba, ut Dominum uidit, obstupuit, & accurrentes salutauerunt eum. Ille uero interrogauit scribas, quid inter se disputarent. Notatur uero in his magna Christi apud turbam uniuersam auctoritas, quam sanctam habere, quicunq; angelus Domini fuerit, id est, uerbi eius prædicator, eoq; uita & doctrina, eam parare sibi atq; conseruare debet studio summo, non ut ipse, sed sanctum Domini uerbum in pretio habeatur, de quo & suprà septimo in fine.

Autoritas Christi.

Deinde

A Deinde notatur dolus phariſæorum, qui cum Domino congredi non auderent, diuexare rudes diſcipulos, abſente ipſo inſtituerant, quò uel ſpeciem uictoriæ contra ueritatem, apud imperitam plebem obtinerent: ſed Dominus & hic ſuos nonnihil confundi paſſus eſſet, eò quòd non potuiſſent dæmonium eijcere, in tempore tamen ipſis adfuit, ne per ſcribas in ſpeciem uicti, ignominiâ iam non ipſi ſolum, ſed & Euangelion quod prædicabant, afficeretur. Veruntamen omnis ignominiæ quam paſſi erant, incredulitas ipſorũ cauſſa extiterat. Domino igitur fortiter fidamus tantum, & nulla nos ratione, cõfuſioni patere ſinet, ne, ſcilicet, gloria patris inde obſcuretur, quò quæ hic accidiſſe diſcipulis legimus, omnia tendebant. *Confuſi diſcipuli.*

Acceſſit ad eum homo quidam flectens genua, Mar. 9. Luc. 9.) Ardens erat patris pro ſanitate filij deſiderijũ, quia unicus ei erat, ut apud Lucam memoratur. Sic ad ſeriam orationem non compellit, niſi urgens neceſſitas. Nota autem lunaticum hic uocari, qui habebat dæmonium mutum & ſurdum, ut Marcus teſtatur. Quem ego non dubito uere lunaticum fuiſſe, atq; deficientis lunæ temporibus, in furorem potiſſimum actum, ut frequenter in ignem & aquas rueret. Nam non perpetuò agitatũ eum, id apud Lucam probat: Vix diſcedit ab eo, dilanians eum. Præterea & mutum ac ſurdum, ijſq; malis à puero fuiſſe obnoxium credidero, ut & pater eius Domino queri uiſus eſt. At quia hæc mala omnia immiſſiones ſunt, per angelos malos & operа dæmonum, ſimul recte dæmoniũ habuiſſe dicitur. Sed de his ſuprà 8. fuſe. Qui lunatici & unde dicantur, ſuprà 4. dictum.

Quoniam autem incredulitas, tam patris huius lunatici atq; aliorum, quàm etiam diſcipulorum, in cauſſa fuit, quòd non ceſſerat imperio diſcipulorum hoc dæmonium, ſicut & ſuprà 15. memoratum ex Marco eſt, Chriſtum in patria ſua non potuiſſe uirtutes multas edere, propter ipſorum incredulitatem, promiſcue omnes dominus increpauit, idq; ut ex uerbis patet, non uulgari cum dolore. O natio, inquit, incredu
B la et diſtorta, quouſque tandem ero uobiſcum, uſque quo patiar uos? Aderat enim ut ſaluaret in ſe credentes, nec potuit ulli ſalus niſi per ipſum cõtingere, eoq; omnia tum dicta tum facta ſua ad hoc inſtituebat, ut ſibi fides haberetur, ut Chriſtus tandẽ agnoſceretur. Sed erat diſtorta et praua adeò iſta natio, ut Chriſti uerbis et operibus, ad ſalutem ipſorũ inſtitutis, magis offenderentur, nec poſſent ad agnitionem diuinæ bonitatis adduci, Domino ſe exhibebãt, perinde ac ſi cui res ſit cum moroſo aliquo & difficili homine, cui nullis poſſis rationibus, quod uerum ſit perſuadere, nullis beneficijs ad humanitatem emollire, ſed ſemper perſeueret iniquus & prauus, omnia in deteriorem partem rapiens. *Natio prauâ & incredulâ.*

Talem ſe iſte populus Deo uſque exhibuerat, non nunc ſolum in Chriſto. Vnde eodem ipſos conuitio increpuit, quod iam olim et à Moſcheh audierant, c. Moſcheh 32. דורש רמתלתל, id eſt, natio peruerſa & contorta. Hi uero dicuntur Germanice: Verkerte ueruurrete leut, mit denen man nienen zuo recht kommen kan, die man zuo keinem guoten berichten noch underuuyſen mag. Hoc eſt, homines praui, iniqui, duri, præfracti, imperſuaſibiles, quibus cum nihil recti, nihil æqui aut boni poſſis inſtituere: qui nihil doceri ſe, nihil ſibi quod commodum ſit, perſuaderi ſuſtinent. Quales profecto Iſraëlitæ in deſerto ſe exhibuerant, toties contra Dominum murmurando, toties contta ſeruos eius, Moſcheh & Aharon rebellando, quos nec inaudita illa portenta & prodigia, quæ in ſalutem ipſorum facta uiderant, in fide erga Deum, nec horrendæ adeò rebellionis ſuę ultiones, quas identidem experiebantur, in timore, nec tam incomparabilis Moſche manſuetudo & infinitus pro eis fiduſq; labor: in officio erga ipſum retinere potuerant.

Hos iſti, cũ quibus Chriſto negotiũ erat, hac prauitate & peruerſitate, egregie referebãt ut ſummo iam tedio afficeretur, uerſando inter eos, & ferẽdo ipſos, qui adeò non ſuſtinebant ſibi benefieri, & æternæ ſalutis participationem tam inſane à ſe reijciebant; *Maiores ſuos infidelitate referunt.*

ciebant. Quid enim cum eo ægroto faciat uſq; medicus, qui nulla omnino ratione, nec inuitamentis, nec minis adduci queat, ut mederi ſibi ſinat? Verum hęc mala, pra uitas, peruerſitas, iniquitas, moroſitas, difficultas, pręfractio, obſtinatio, omnia fructus infidelitatis ſunt, qua miſeri homines ſatanæ imperio addicti, tales ab ipſo reddūtur. Sicut cōtra fides, ut filios Dei reddit, ita efficit candidos, rectos, æquos, commodos, faciles, morigeros, ad omne bonum ſequaces, hoc eſt, ut uno uerbo dicam, Dei imaginem exprimentes.

Poſtquam uero ita illos increpuerat, ut ad reſipiſcētiam, ſi qui inter eos ſanabiles erant, prouocaret, iuſſit ſibi male habentem adduci. At priuſquam eum ſanaret, patrem ad fidendum hortatus eſt, affirmans eſſe credenti omnia poſſibilia. Qui etiam infidelitatis ſuæ admonitus, augeri ſibi fidem, licet credere ſe profiteretur, orabat. Aiebat enim, ut Marcus habet: ſuccurre incredulitati meæ. Quę precatio, omnibus nobis perneceſſaria eſt. Nam ſi fides ſatis plena eſſet, nihil poſſet nobis boni deſiderari. Sed de natura fidei ſuprà fuſe capite octauo. Cæterum memorat Marcus, Lunaticum hunc, cum Domino adduceretur, continue dæmonio diſcerptum & laniatū fuiſſe, ut prolapſus in terram uolueretur ſpumans, ibi Dominum à patre rogaſſe primum, quamdiu eſſet hoc malum filius eius paſſus, tum ipſum ad confidendum cohortatum: & cum uidiſſet accurrere turbam, tunc demum immundum ſpiritum increpaſſe, atq; ut exiret, neq; eo rurſus reuerteretur, ei imperaſſe: qui cum clamaſſet, & multum diſcerpſiſſet hominem, exiuerit, relicto illo homine ſimili mortuo, ut pleriſq; mortuus uideretur: at Dominum correpta manu eius, erexiſſe illum.

In eo ergo quòd uiſo Chriſto, Dæmonium magis ſæuit, indicatū eſt, tum maxime ſatanam uim ſuam exerere, cum Chriſtus prope fuerit, eoq; nunquam magis ab ipſo cauendum. Quod certe acuere nobis diligentiā debebat, ut à ui & artibus eius, nūc potiſſimum, cum & nobis Chriſtus per Euangelion ſuum aduenit, atq; in hoc ut illum expellat, aduenit, quàm diligentiſſime caueremus. Omnia enim ille tentat, ne Chriſto cedere cogatur.

Quòd autem Chriſtus ante oculos patris uolutari & laniari miſerū aliquandiu ſinebat, ut fidem patris exerceret, fecit, doceretq; ſe etiā præſente nonnunquàm dæmoniis aliquid permitti, hoc eſt, in eos quoq; quibus ſtatuit ferre opem: uerum tandem, ſi fide ſuſtineant, fore huiumodi ſua ope omni ui aduerſaria liberos. Ad hæc iuſtus ordo erat, ut ante infidelitate mentē patris liberaret, quàm dilaniatione dæmonij corpus filij, cum citra fidem noxia ſint uniuerſa. Accurrente autem turba, mox ſanauit Lunaticum, quia nolebat ſtultos hominum carnalium applauſus.

Quòd denicq; clamans dæmonium, & ſuprà modum ſæuiens diſceſſit, relicto tanquam mortuo, eo, quē poſſederat, indicat, quàm ægre homines Chriſto ſatanas concedat, quo fide grauiore, Chriſto nos adhærere oportebat, ne unquam illi in nos aliquid permitteretur. Deinde notatur, adeò nocēdi nobis cupidum ſatanam, ut ſi nequeat animo, noceat corpori. Sed omni incōmodo liberat Chriſtus. Denicq; ad Chriſtum plene, à ſeruitute ſatanæ tranſire non licet, niſi tanquam mortui, antea reddamur. Nam uere mori non poteſt, qui Chriſto crediderit, quanquam mortificari quotidie ipſum oporteat, habericq; ut ouem occiſioni deſtinatam.

Tanquā mortuus.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Tunc accedentes diſcipuli, ad Ieſum ſeorſim dixerunt, Marci nono.) Nempe poſtquam ingreſſus fuiſſet domū, ut Marcus habet. Diligenter uero notandū, quòd rogantibus diſcipulis, cur ipſis dæmonium non ceſſiſſet, primum hic reſpondit, factum id propter ipſorum incredulitatem, ut fidei omnem efficaciam attributā agnoſcamus, non ieiunijs aut precibus. Quanquā hæc arma fidei ſint, quibus fides à Deo omnia impetrat. Vbi enim hæc intente orat, ieiuniū, quod feria, ſcilicet, oratio requirit, adhibet, nēpe uacationē ab omnibus ſemel delitijs & negotijs carnis, uti ſuprà 6. ubi

A ubi de utroq; oratione & ieiunio ad longum disseruimus. Vnde quod Dominus discipulis respondit, hunc sensum habet: Vos absq; fide ardēti, quæ sola omnia potest, congredi audetis cum dæmonio, ideo mirum non est, quod uobis illud nō cesserit. Congressuro cum dæmonijs, præsertim his nocētioribus, cum, scilicet, Deus plusculum malis spiritibus permisit, fide sanè opus est nō uulgari, sed quæ deprecationi intenta sit adeò, ut & corpus ab omnibus delitijs, & carnis negotijs abstineat, dū quod orat etiam exoret. Hoc nanq; genus dæmoniorum non ita facile cedit: fideli igitur precatione, & ardenti adeò, ut ea & uerum indicat ieiunium, aggredi illud debueratis. Sed fides hæc seria & uiua uobis defuit, eoq; inferiores ex hac pugna discessistis. Orate itaq; patrem, ut fide uos donet firma solidaq;, & efficietis omnia. Siquidem fidem habueritis sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Demigra hinc illuc, & demigrabit, neq; quicquam impossibile erit uobis. *Hoc genus dæmoniorum.*

Per similitudinem à grano sinapis ductam, fidei uoluit ostendere uiuacitatem & efficaciam. Illud enim ut suprà decimo tertio habitum est, minimum existit inter semina, & mox attollit sese super omnia olera. Sic si fides uiua sit, sesecq; gnauiter exerat, nihil ei erit impossibile, uincet omnia. Nihil nanq; uolet, quàm quod faciat ad gloriam Dei, idq; certò persuasa Dominum facturum, serio orat, eoq; & exorat. Hęc tusius suprà tractata sunt, capit. octauo, in historia Leprosi & Centurionis. Lucas 17. narrat hoc responsum datum discipulis, cum orassent sibi fidem augeri. Et quidem uerisimile est, horum sæpe illos admonuisse, quòd in fide sita sint omnia.

Cæterum per translationem montium, rem quamlibet difficilem, imò naturæ impossibilem significat, non quòd oporteat ideo credentes montes transferre, quanq; possent etiam hoc, & quiduis aliud, hoc etiam uiribus naturæ magis impossibile, si id ad gloriam Dei faceret. Etenim ut suprà ubi de fide egimus, demōstrauimus, pios
B ita gloriæ Dei, atq; saluti proximorum addictos esse, ut ne optare quidem possint, ni si unde ista promoueantur, quare neq; montes uolent transferre, aut quicquam efficere aliud, de quo non sint certi, id referre, ut salutis hominum, ita & gloriæ Dei.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Cum autem uersarentur in Galilæa, dixit illis Iesus, Mar. 9. Luc. 9.) Lucas habet: Stupebant autem omnes super magnificentia Dei, sed omnibus mirantibus, super omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos, Ponite uos in auribus uestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominū, &c. Marcus memorat digressos illinc, iter fecisse per Galilæam, ac noluisse Dominū, ut quisquam sciret, docuisse uero discipulos suos, atq; illis dixisse: Filius hominis, &c. Hoc ergo quod noster scribit: Cum autem uersaretur in Galilæa, ita accipiendum est, ut perinde sit, atq;, cum iter faceret per Galilæam.

Etenim historiæ ordo sic uidetur habere: Vbi Dominus reddidisset patri filiū suū sanum, stupebant omnes, Dominus autem istū uulgi stuporem, ac etiam laudes nihil morans, illinc mox digressus, hoc est, ex finibus Cæsareæ, ubi uerisimile est, superiora esse gesta, uersus Hierosolyma per Galilæam iter instituit, utq; ad supplicium iam ibat, ita omnium maxime suorū animos, ut illud recte ferrent, confirmare uolebat. Igitur turbis facta sua admirantibus, iussit discipulos suos magis cogitare quæ erat breui passurus, ne tum crucis scandalo offensi à se, quem modo confitebantur Christū, deficerēt. Vnde aiebat: Ponite uos in auribus uestris istos sermones: Filius enim hominis, &c. Quasi diceret: Sinite alios mea facta mirari, paulò pòst aliter sentient, et ad crucē me postulabunt, ne cū his ergo à me deficiatis, pcipite hos meos sermones. Futurū enim est, ut filius hominis tradat in manus hominū. Hoc uos potius perpēdite, & credite ita à patre constitutū, eoq; omnino oportere ita fieri, nēpe ut traditus hominibus, ab eis occidar, sed occisus tertio die resurgā. Istis cogitādis animū uestrū potius intendite, & ad crucis humiliationē uos apparate. Nō enim ista uulgi

admiratio

admiratio,solida nostra gloria est, longe alia & plenior uos manet,sed per mortem & adeunda. Ista expensa & credita seruarēt uos, ne olim in me scandalon patereminí.

Multis de supplicio suo agit.

Non abnuo autē,quòd fortè ista quæ Lucas habet:Sed omnibus mirantibus,&c. etiā hoc sensu intelligi queant:Ponite istos sermones,hoc est, facta ista mea, tantāq; hominum admirationem in auribus uestris,ut in ea de me sententia,qua nunc estis, perseueretis:futurum enim est,ut in manus hominum tradar,ibi aliter sentietis. Horum uero uidetur discipulos non semel admonuisse,licet usq; ad ea stupescerēt. Scribit enim Marc.Docebat discipulos suos,& dicebat eis:Filius hominis traditur,&c. Quid enim docere hoc aliud fuit,quàm quod de supplicio suo,& resurrectionis gloria mox secutura,eos præmonuit diligentius, ut tempore supplicij, non penitus desperarent?

Quòd uero,ut Marcus ait, iter per Galilæam faciens latere uoluit, inde factū puto,quòd,ut Lucas paulò pòst hæc scribit,obfirmasset faciem suam ut iret Hierosolymam,eò quòd complebantur dies assumptionis eius. Quare & à finibus Cæsareæ, ubi priora gesta esse uerisimile est,fuerat digressus. Omnia siquidē uoluntati patris posthabuit,unde cum ei iam uisum esset,ut cursum suū consummaret, neq; docere, aut uirtutes edere uspiam uoluit,sed latere prorsus,ut recta & citra moram Hierosolyma,ubi immolandus erat,adiret. Ita & nos nihil prius habeamus, eo ad quod nos pater uocarit,siue uita,siue mors id fuerit,& bene ac fœliciter habebimus, cum nos ipsos pro nomine Dei perdemus,hoc est,in periculum quoduis adducemus.

Porrò quòd ex hoc Domini sermone discipuli,mœrore quidem affecti fuere uehementer, ut Matthæus memorat, ignorabant autem quid diceret,absconditūq; erat ab illis,ut non intelligerent,ut Marcus & Lucas scribunt,iterū monet nos,ut agnoscamus,& stuporem ad diuina ingenij humani,& Christi miram facilitatem & longanimitatem,qui rudes adeò & crassos discipulos,non modo non abiecerit, sed mira etiam benignitate fouerit, & continuo formarit, donec in cognitione ueritatis grandescerent.Denicq; notatur & hoc, non continuo frustra prædicari, si non illico omnia intelligantur ab omnibus.Est nanq; prædicare uerbum Dei, ut si quis iaciat semen in terram,id non illico enascitur,sed suo tempore,& nō semel adfert fructum, sed primum gignit ex se herbam,inde spicam,& postea demum fructum, ut suprà ex Marco parabolam adduximus. Ita uerbum non illico plene intelligitur, alioqui etiam illico fructum suum adferret. Hic prorsus nihil eorum quæ dominus dicebat, discipuli intellexerunt, at postea non sine & uero intellectu, & pietatis fructu, fuere eorum recordati. Vnde & de paracleto spiritu Dominus dicebat:Et suggeret uobis omnia quæ uobis dixi.

Ferēdi rudiores.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Cum autem uenissent in oppidum Capernaum, &c. Matthæus solus.) Insigne exemplum Christi, quo discimus quid magistratui debeamus. Filius Dei erat:Regis Regum omnium,cui pater dederat in manus uniuersa,dum autem in similitudine hominum uiueret, adeò nihil uoluit in se desiderari, quod magistratui à subditis debetur,ut citius miraculo pecuniam,quam illi penderet,sibi pararit. Adeò ne leuiter quidem offendi illos uolebat. Eoq; docuit, hoc ipsum omniū qui homines sunt, officium esse.Quod postea Paulus aperta sententia, edixit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Quare qui non fuerit homo imperio magistratus poterit sese subducere,hominum nemo.

Omnem hominem parere oportet magistratui.

Verum tributum hoc,quod hic Christus pendit, primum Iudæis ab Augusto indictum fuit,Cyrenio præside,qui censum apud Iudæos primus egit. De quo Lucas secundo, & Iosephus lib. Antiquitatum Iudaicarum decimo octauo, capite primo. Quanquam his locis non exprimatur, quantum pensitari oportuerit. Libro autem belli Iudaici septimo,cap.26,scribit idem Vespasianum stipendium Iudæis indixisse, ubicunq;

A ubicunq; degerent, binasq; drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussisse, ita ut ante hæc Hierosolymorum templo pendebant. Hinc iam liquet, cum templo ex lege domini, 2. Moscheh, 30. mediã sicli partẽ obtulerint, quotquot in censu erãt, à uiginti annis & suprà, post Vespasiani edictum didrachmum uiritim singulos Iudæos ubicunq; agerent, Capitolio pendisse. Quod tributum antè ipsis in sua terra agentibus, per Augustum fuerat impositũ. Siclus siquidem numus tetrachmus est, ualens quatuor drachmas, quantum & stater ualet, unde media eius pars didrachmus est, binas drachmas ualens, id est, quintam partem Coronati. Hæc ita expendit, incomparabilis ille iudicio & eruditione uir, G. Budæus, in libro de Asse & partibus eius. *Siclus quid.*

Quia igitur uiritim didrachma pensitabantur, rogarunt Petrũ qui illis accipiendis præfecti erant, num & præceptor eius ea pensitaret? qui respondit, Etiam. Vnde uidemus, eum quamlibet filium Dei, eoq; omnium dominum & principem, in omnibus semper se magistratui morigerum exhibuisse. Quin tum potissimum nasci uoluit, cum hoc tributi primum pensitabatur. Hic uero liquet quàm nulla ratio fuerit immunitatis, quam uocãt Ecclesiasticam. Quis sanctior Christo, quis spiritalior, quis diuinis rebus addictior, quis uera dignitate præstantior, quis potestate sublimior unquam fuit? Attamen homo factus, serui formam & personam adeò non fastidiuit, ut nihil prorsus subiectionis atq; seruitutis, usq; ad mortem ipsam unquam detrectarit. Cuius gloriæ is accedet propius, qui & humilitatem eius ante plenius expresserit. Quare non modo ingens dedecus est, iugum magistratus detrectare, & tamen Christi esse se iactare, uerum etiam manifesta eius negatio. Qui enim Christi esse uoluerit, hoc est, in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare, prima Ioan. 2. Eo autem non damnarim id quod pij principes iuxta legem Dei profanis muneribus immunes fecerunt eos qui sacris addicti erant, & impendebant se his bona fide. Neq; enim inde simul abire in militiam, & plebem domi docere Christum potest. Ipse enim sanè lex naturæ docet, ut qui totos se impendũt religionibus pro omni Repub. aliis interim rebus & negotijs liberi sint. Et in hoc solum Ecclesiasticis, à religiosis principibus omnis immunitas cõcessa est, nequaquam autẽ uel sanctissimos interim imperio suo exemerãt ut pseudoecclesiastici dolo postea & ui principibus extorserunt. At hodie ad quid ualet istis immunitas, ut semel euertant & extinguant quicquid uspiam est ueri & recti.

Audiamus ergo dominum: Is cum in domum uenisset, non dubito quin Petri, de quo suprà octauo in historia sanatæ socrus Petri, præuenit Petrum indicaturũ, quid rogassent accipientes didrachma, & quærebat à Petro, an non filij Regum à tributo pensitando liberi essent, significans per id, se & suos cum filij altissimi essent, longe meliore iure liberos habendos, quam quisquam filiorum principum. Sed mox addidit: Veruntamen ne simus illis offendiculo, profectus ad mare &c. ac citius, ut suprà dixi, per miraculum sibi pecuniam parauit, quàm uideri uellet magistratui non morigerus. Hunc potius libeat imitari, & libertate ita uti nostra, ne quenquam unquam offendamus, cum in rebus alijs, tum præcipue in parẽdo magistratui, quo cõtempto, non unus & alter, sed tota Respub. offenditur & dissipatur.

Quòd pro se & Petro dominus pecuniã & pararit, & numerandã iussit, quidam putant Petrum per id à domino alijs prælatũ, quòd uelut alterũ patremfamiliâs sibi ipsum æquarit. Existimant enim isti, familiarũ tantum capita didrachma pensitasse, cum uiritim, ut dictum, pendere ea oportuerit. Quare mihi quidem uidetur, uel solum tum Petrum, cum domino fuisse, uel tanquam mercedem eius, quod staterem ipse afferre debebat, dominum uoluisse alteram stateris partem ipsi cedere. Nam certum est, singulos oportuisse tantundem pendere.

Hic simul autẽ notatur, quàm pecuniosus Christus & sui fuerint. Habebant paulo

Christus parum pecuniosus.

ante ducentos denarios, hoc est, centum didrachma, suprà, 14. in historia de quinq; millibus hominum pastis de quinq; panibus, modo ne unum quidē, ut duo petenda essent à pisce, miro certe regis tanti quæstore. Sic autem filij Dei se habent, si quid adsit utuntur eo cum gratiarum actione, & in commodum fratrum: sin, certi dominum nihil deesse ipsis passurum, æquis nihilominus animis, omnia faciunt & ferūt, quæ intersunt gloriæ Dei. Certe longe ab eo absunt, ut multa recondant, habentes suos thesauros in cœlestibus. Norunt enim, ut hic legimus factum, pisces citius quibus nihil est à consuetudine hominum alienius, suppeditaturos quorum opus fuerit, quàm ut ipsi ulla re necessaria destituantur.

Omnis potestas obseruanda.

Postremo hinc, quòd Christus Rom. potestatem, quæ Iudæis omnino tyrannica habebatur, ita obseruauit, discimus, quàm uere Paulus scripserat: Non enim est potestas nisi à Deo: quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit, &c. Id Iudas Gaulonites, ac alij quidam, quorum Iosephus meminit non animaduertentes, cum præpostere libertatem Iudæis uindicare uellent, & seipsos & alios perdiderunt. Nam seditionibus omnia replebant, & communem utilitatem prætexentes, nihil nisi latrocinia agebant, suaq; lucra cum iniuria aliorum quærebant, donec & in seipsos arma uerterent, de quibus lege Iosephum lib. Iudaicarum Antiq. 18. cap. 2. & aliâs. Adeò sancta res Deo est, magistratus etiam quilibet.

Quæ magistratui cedenda.

Proinde siue malus siue bonus nobis cōtigerit, ut à Deo nobis præfectum ipsum agnoscere oportet, eoq; & concedere ei, pensitare, atq; ab ipso ferre, quæcunq; Deo concedi, pensitari, aut ferri ab ipso poterūt, atq; debebunt. Iam cōcedi & pendi Deo potest, hæc uita cum omnibus quæ ad eam attinent, nomen, res, potestas, amici, ac quicquid id demum fuerit: sicq; ea omnia auferat æquo animo ferendum est. Quare si illa magistratus quoq; requirat, ut Deum in ipso requirere agnoscēdum est, ita nihil horum ei negādum. Si nanq; horum aliquid Deus per magistratū non requisierit, id nemo etiā, impediēte, scilicet, Deo conatū magistratus, uel cedet, uel pendet unquam. Agit siquidem omnia in omnibus Deus. Vnde si quādo pro sua libidine tentent quippiam impij magistratus quod Deus ratum non habeat, & per ipsos fieri non instituerit, facile suos uel ipsorū libidini eximet, uel eam auertet.

Quæ non cedenda.

At ipso fidere, ac confiteri in salutem fratrum suam ueritatem, eamq; uita sectari, hæc ut Deus nunquam ablata uult suis, ita ea nulli etiam præfectorum eius, nempe magistratuum concedenda sunt, neq; ferendum, quod contra hæc imposuerint, aut imperarint. Certum enim tum est, non agere eos ex uoluntate, imò contra uoluntatem cōmunis omnium principis Dei, cuius solius imperio addicti sumus. Sed dum præter omnem æquitatem, ac sola ui impius magistratus, nobis facultates ac uitam quoq; adimunt, certi haud sumus id Deo displicere, imò certi sumus ei placere, dum ui illorum nos aut non eripit, aut eam non immutat: ergo huiusmodi omnia ferenda & cedenda sunt, quanto magis paulo iniquiora pendenda tributa, aliá ue onera ferenda? Dei sumus, quāti sumus. Quæ igitur queat per eius ordinationē nobis fieri iniuria, aut quid demum fuerit, quod illi non iure cedamus, imposituq; ab ipso feramus? At huiusmodi sunt cuncta magistratus edicta, quæ nihil pugnās cum gloria Dei imperant. Si igitur impius & iniquus magistratus fuerit, atq; ita dura super nos Dei ordinatio, quis alius appellandus fuerit, quā princeps, qui talem super nos tyrannum constituit? Profecto omnes humanæ uires inferiores sunt, quàm ut magistratum à Deo constitutū exautorent. Sibijpsis igitur iudiciū accipient, ut Paulus testatur, quicunq; id fuerint conati.

Quid spectare debeat magistratus.

Verū interim tamen, cui magistratui Deus cognitus est, is simul agnoscat se eius præfectum, & gesti magistratus rationem ipsi approbandam, quo solicite curet, ex ipsius quoq; sentētia, opera manuum eius, & oues pascuæ eius, gubernare. Alioqui tanto

A tanto grauiores dabit illi pœnas, quanto maiore potestate ab ipso tradita fuerit abusus. Li quoq; quorum interest magistratus deligere, ut in rebuspublicis fieri solet, uideant ut ex suis deligant, id est, Deum agnoscentes, qui iusto iudicio Dei populum gubernent, ut Deus Israëlitis præcepit. 5. Moscheh. 17. Iustum autem iudicium esse non potest, quòd nõ omnia iuxta Dei uerbum, & ipsius gloriam direxerit. Profecto cum unam animam, totus orbis compensare non possit, uæ illi, qui autor, aut aliqua ex parte caussa fuerit, ut populo Dei, animabus sanè multis præficiatur, qui illis non itẽ ex Dei uoluntate imperet. Quid enim facit aliud impius magistratus, quàm quos accepit à Deo regendo, ad ipsius uoluntatem, adducit, quantum in ipso est, in castra satanæ, ut regnum Dei oppugnent? Porrò ut millies mori, quicunq; Deum noluit, potius uolet, quàm uel consultor esse, ut magistratu quisquam fungatur, qui nõ eximie Deum timeat, iustiq; & pietatis sit tenacissimus, Deum eum in terris refert magistratus, ita si impientissimus & sceleratissimus iam rerum potiatur, sitq; magistratus constitutus, omnia patietur citius, qui uere pius est, quàm ut uel cogitet illum, illegitima uia magistratu deturbare. Sed Deum tantũ ora, bit, qui iratus tyrannum rerum potiri fecit, ut placatus, potestate rursum exuat, qui id nimirum solus potest. Cæterum de usu gladij, & officio magistratus contra Anabaptistas, plura supra 5. in illud: Audistis quòd dictũ fuerit: Oculũ pro oculo, etc.

Quales ad magistratum assumendi.

CAPVT XVIII.

B IN illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis maximus est in regno cœlorũ? Et accersitum ad se puerum Iesus, statuit in medio illorũ, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, nõ ingrediemini in regnum cœlorũ. Quisquis igitur demiserit semetipsum, sicut est puer iste, hic est ille maximus in regno cœlorũ. Et qui recepe- rit unum puellum talem in nomine meo, me recipit. Qui autẽ offenderit unũ de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris. *Sect. 1.*

Væ mundo ab offendiculis. Necesse est enim, ut ueniant offendicula, uerum tamen uæ homini per quem offendiculum uenit. Quòd si manus tua, uel pes tuus obstaculo est tibi, abcide eum & proijce abs te, Bonum est tibi ad uitam ingredi claudum, aut mutilum, potius quàm duas manus, uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternũ. Et si oculus tuus offendit te, erue eum, & proijce abs te. Bonum est tibi, ut luscus intres in uitam, potius quàm ut duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis. *Sect. 2.*

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quòd angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est. Venit enim filius hominis seruare quod perierat. Quid uobis uidetur? si fuerint alicui homini centum oues, & errauerit una ex eis, nónne relictis nonagintanouẽ in montibus, uadit & quærit eam quæ errauerat? Et si contigerit ut inueniat eam, amẽ dico uobis, gaudet super ea magis quàm super nonagintanouem, quæ nõ errauerunt *Sect. 3.*

rauerunt. Sic non est uoluntas coram patre uestro, qui in cœlis est, ut pereat u/ nus de pusillis istis.

Sect. 4. Porrò si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te, & ipsum so/ lum. Si te audierit, lucratus es fratrem istum. Sin uero te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, aut duos, ut in ore duorum aut trium testium consistat omne uerbum. Quòd si non audierit eos, dic ecclesiæ. Quòd si ecclesiam nō au/ dierit, sit tibi uelut Ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcunq; alliga/ ueritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. Rursum dico uobis, quòd si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quancunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœ/ lis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in me/ dio eorum.

Sect. 5. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? Num usq; septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usq; se/ pties, sed usq; septuagies septies.

Sect. 6. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit conferre ra/ tionem cum seruis suis. Et cum cœpisset conferre, oblatus est ei unus, qui debe/ bat ei decem millia talentorum. Cæterum cum is nō esset soluendo, iussit eum dominus uenundari, & uxorem eius, & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri solutionem. Procidens autem seruus ille adorabat eum, dicens: Domine, esto patiens erga me, & omnia tibi reddam. Misertus autem dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienum remisit ei. Egressus uero seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat sibi centum denarios, & iniecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidēs conseruus eius, rogabat eum, dicens: Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nole/ bat, sed abijt, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Porrò cum uidissent conserui eius, quæ fiebant, indoluerunt ualde, & uenerunt, aperue/ runtq; domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc accersiuit illum dominus suus, & ait illi, Serue sceleste, totum debitum illud remisi tibi, cum obsecrasses me, nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Et iratus dominus eius, tradidit eū tortoribus, quoadusq; redderet totū quod debebatur sibi. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisq; fratri de cordibus uestris delicta illorum.

IN illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum, &c. Marci. 9. & Luc. 9.) Non ultro accesserunt, & cogitationibus magis quàm uerbis Dominū interrogauerunt, ut ex Marco & Luca liquet. Nam in itinere ad Caper/ naum inter se disputauerāt. Cum ergo Capernaum Dominus uenisset, & in domum fuisset ingressus, interrogauit illos, quid in itinere inter se disputassent, ut testatur Marcus. Illi uero siluerunt. Nam de eo disputauerant, quis inter ipsos esset maior, utiq; in regno cœlorum, nouo, scilicet, populo Dei, cuius ipsi primitiæ erant. Hinc ergo patet illud firmum non esse, discipulos de eo in itinere di/ sputasse, quòd Christus Petrum in pendendis didrachmis sibi æquasset. Nam hæc disputatio

A disputatio in itinere ad Capernaum facta fuit, priusquam de didrachmis Dominus fuisset appellatus. Notandum uero hinc, quanta æquabilitate Christus discipulos habuerit, ut licet Petrum et filios Zebedæi ad secretiora quædam præ alijs admiserit, nequaquam tamen inter eos constaret, quem Dominus reliquis uoluisset præstare, aut principem agere. Etenim neminem uolebat se alijs anteferre, sed pro se unumquenq; sedulo dare operam, ut omnium infimus esset, pluribusq; seruiret. Ad quod illos admodum grauiter inhortatus fuit, collocato in medium puero, quem ut Marcus habet, etiam in ulnas accepit, quo declararet, quàm chara sibi summissio esset. Ait uero: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, &c. Quæ sententia eadem mihi uidetur, cum illa Ioannis tertio: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum Dei. Qua autẽ in re uoluerit suos pueris esse similes, ipse explicauit, addens: Quisquis igitur demiserit semetipsum, sicut est puer iste, hic est ille maximus in regno cœlorum. Quasi diceret, sublimitas in regno cœlorum, hoc est, inter uere filios Dei, nulla re alia parari potest, quàm sui maxima demissione. Qui enim demittere sese poterit, & sibi nihil in mundo quærere, is poterit ministrare alijs, & tanto pluribus esse beneficus, eoq; quo fit melior, hoc & maior habebitur. Vnde apud Marcũ ita legitur: Si quis uult primus esse, is erit omnium postremus, & omnium minister. Vtiquæ præstat is qui benefacit, eo cui benefecit, ergo qui ministrans benefecerit, atque inseruierit omnibus, quod est apud mundum omniun postremum esse, is re uera omnium primus & maximus fuerit apud Deum. Hæc uero primitas & sublimitas unicuiq; adiri potest, quod quisque omnium se seruum queat facere. Cæterum caput electorum omnium unus Christus est, reliqui cũcta membra, & in ipso unus, ut Paulus Galatis scribit. Hinc uideas, qui de primatu in Ecclesia contendunt, eos nequaquam esse in Ecclesia. Quia regnum cœlorum non possunt ingredi, nisi qui sicut pueri fuerint effecti, hoc est, sese infra omnes demiserint. Vt uero Dominus ad

B puerilem demissionem magis prouocaret, ostendit, quanti sibi & patri pueri essent. Se enim & patrem recipi affirmat, si puer huiusmodi recipiatur, rursus mergi in mare optabilius esse, quàm aliquem ex istiusmodi pueris qui in ipsum credunt offendere, hoc est, quauis iniuria illos afficere. Etenim cum offendere oppositum eius sit, quod est recipere, satis liquet, ut recipere pueros, est eos magnifacere, & beneficijs afficere, ita offendere, esse, eos susq; deq; habere, contemnere & afficere iniuria. Nulla autem iniuria affici possunt atrociore, quàm si uerbo uel facto prouocentur ad impietatem. De quo scandalo hic potissimum loquitur. Quòd autem addidit: Qui in me credunt, intelligo pro eo positum, Qui à me pendent. Voluit nanque in eo nos pueris esse similes, quod nihil nostri quæramus, atque securi de bonitate Dei agamus, in hoc unum incumbentes, ut alijs benefici simus. Etenim inficiari non potest, uere natura & ætate puerum fuisse, quem in medium statuerat, & in ulnas accepe-rat: παιδίον enim, id est, puerulum, Euangelistæ omnes scribunt. Igitur licet postea dicat, ὃς δ' ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων, &c. id est: Quisquis uero offenderit unum ex his paruis. Non possum tamen id de alijs paruis quàm puellis intelligere, eò quòd opponat hos offendere, ei quod præmisit, suscipere tales. Iam puerulorum non est alia in Christum fides, quàm quòd omniũ securi nituntur eo qui ipsos condidit, nullam prorsus sui curam agentes, licet nihil certi uel de patre, uel Christo, æterno uerbo sciant, ut qui audiendi uerbi Dei nondum fuerint capaces. Nõ inficior autem, ut simpliciores Christiani, ac etiam quilibet (nam modestia, & sui abnegatione oportet uniuersos esse pueros) pueris quodammodo accensentur, ut quos referant, ita quemlibet horum offendere, esse noxiæ huius, ut ei qui malum hoc admitteret, potius esset, suspensa mola à colo demergi in mare. Sed de fide puerorum infrà decimonono.

Vnde quis magnus in regno cælorum.

Porrò similitudo puerorum in eo solum commendata hic est, ut pueros abnegatione nostri ipsorum, & sentiendo de nobis summisse, omnem nostri curam cõmendantes Domino, referamus. Cæterum dissimiles pueris esse debemus sensibus, ut Paulus prima Corinthiorum quarto hortatur, ne, scilicet, puerìliter desipiamus, absurda sectantes, item imbecillitate fidei, ne uel carnis affectibus nimis adhuc indulgeamus, cuius puritiæ, uel infantiæ Paulus Corinthios arguit, prima Corinthiorũ tertio, uel in dogmatis pietatis incerti fluctuemus & circunferamur, quouis uento doctrinæ, quam puritiam damnat 4. Ephes. Innocentia, syncerìtate & candore, ut uacemus omni malitia & dolo, simulationibus & inuidentijs, &c. sanctam exhibere infantiam, hortatur & Petrus. 1. Pet. 2.

Nomina scandali.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Væ mundo ab offendiculis, Lucæ decimo septimo.) Cum nihil sit æque noxiũ atque scandalum, per occasionem ad dehortandum à scandalis sermonem deflecte. Quorum ratio ut facilius percipiatur, uolo paulò fusius de his differere. Ergo quod Græci τὸ σκανδαλεθρον, τὸ σκῶλον, τὸ πρόσκομμα, id est, offendiculum, quo quis impingat uocant, Ebræis מוקש uel מוכשול uel מכשול, dicitur. Potissimum tamen in ea significatione, qua scandalon sanctis scriptoribus accipi solet, מוקש. Sic cum Deus præciperet Israëlitis ne fœdus icerent cum habitatoribus terræ Chanaan, aut dijs ipsorum, quod abominaretur eos, alioqui id fore eis in scandalon, utitur hoc nomine מוקש, ut 2. Moscheh. 23. & 34. item 5. Moscheh 7. Voluit uero significare, si paterentur inter se gentes idololatras, & cum eis fœdus percuterent, fore, ut abominationes ipsorum sequerentur, ac ita id laqueus ipsis & scandalon, nempe occasio ruinę esset. In eadem significatione id uocabuli habes Prouerbiorũ uigesimo secundo. Ne habeas commercium cum homine iracundo, & cum uiro furioso ne uersere, ne addiscas mores eius, & accipias scandalum animæ tuæ. Quid hic scandalũ aliud, quàm occasio mali, quod contrahat cum malo habens consuetudinem. Ad hunc sanè modum scriptura scandalon, & scandalizare, ubique uidetur accipere. Reprobis ergo, ut suprà sexto, in illud: Ne nos inducas, dictum, atque aliàs, omnia ut noxia, ita occasio lapsus existunt, & scandala. Illis & Christus ipse petra scandali, & lapis est offensionis, Iescha. octauo, & prima Petri secundo, scandalon eis & Euangelion est, & quicquid omnino sanctum & diuinũ fuerit: Sic suprà scandalon pharisæis erat, quòd Christus dixerat hominem non inquinari eo quod in os ingreditur, 15. Vnde canitur de istis Psalmo sexagesimo nono. Sit mensa eorum coram ipsis in laqueum, & pacifa in scandalon. Cumq; in Christo ipso, atque in omnibus rebus quæ Christi semper sit quo impingant, qui reiecti sunt, ideo dicebat discipulis Ioannis: Beatus qui non fuerit offensus in me, suprà undecimo. De hoc genere scandali in superioribus satis disputatum puto.

Quæ scandala hic dicantur.

Hic proprie de eiusmodi scandalis Christus loquitur, quæ non boni malis, sed mali potius bonis, aut certe ad bonitatem aspirantibus obijciunt. Ea sunt, ut ex uarijs scripturæ locis mentionem ipsorum facientibus colligi potest, quæcunque dicta aut facta, uel per se mala uel ex eo, quòd fuerint præter prudentem dilectionem admissa, in occasionem peccati alijs obijciuntur. Hinc cum Paulus secunda Corinthiorum sexto hortatur, ne quam usquam demus offensionẽ, hoc est, obijciamus scandalon, ex ijs quæ mox subijcit abunde declarat, nos tum nemini offendiculum obijcere, cum in omnibus nos commendamus ut Dei ministros, id est, cuncta quæ uel dicimus, uel facimus, ita comparata fuerint, ut ad ædificationem faciant, & spiritũ Christi referant. Vnde scandalon erit, quicquid omnino uel dixerimus, uel fecerimus, quod non ex solida fide natum, & iuxta synceram dilectionem moderatum, ad gloriam

Definitio scandali.

A tiam Dei, salutemq; proximorum promouendam fecerit. Huius iam animi atq; instituti, quod omnia ad gloriam Dei & utilitatem hominum refert, nihil habent omnes impij, ideo non solum quæ loquuntur & opere designant, scandala recte dicuntur, sed ipsi etiam, quòd scilicet tota eorum uita nihil nisi scandalum sit, scandala à Domino uocantur, suprà tredecimo in parabola zizaniorum. Cum iam igitur horum sit orbis plenus, recte dicit hic Dominus: Necesse est enim ut ueniant scandala. Tot nanq; cum sint arbores pessimæ, oportet & fructus malos redundare. Deinde & electi quoniam nunquam peccato liberi sunt, ut quibus semper orandũ sit, remitte nobis debita nostra, plurima & ipsi scandala obijciunt, quoties nimirum nõ ex fide, & secundum dilectionem aliquid dixerint, fecerintúe.

Hortatur igitur Paulus & obsecrat hos, ne in uacuum Dei gratiam recipiant, neminí offendiculum obijcientes. Ad idem hortatur, quoties hortatur, ut circunspecte & sapienter ambulemus, in omnibus sectantes Domini uoluntatem. Positi nanque sumus ut fructum adferamus, ad iustitiam ueramq; pietatem plurimos adducentes. Quare si quid dicto uel facto admiserimus, quod huc nõ faciat, iam scandalum obiecimus, & contra uocationem nostram egimus, desertoq; regno Christi, tyrannidem promouimus satanæ. Quod quàm indignum sit Christiano, quis non uideat? Hinc tam uehementer Paulus Romanorum decimo quarto, & prima Corinthiorũ octauo, etiam ea scandala detestatur, quæ factis per se quidem haud malis, sed non secundum dilectionem dispensatis, ab inconsulte Christiana libertate utentibus obijciebantur infirmioribus. *Quàm diligenter uitanda scandala Christianis.*

Confirmato per sanguinem Christi, cum electis ubi ubi agerent, & ex quocunq; sanguine essent procreati, nouo testamento, idq; citra ullas ceremoniarũ leges, cunctis uiuendi ritibus in dilectionis præcepto inclusis, perinde erant habendi dies, & cibi quilibet. Conuersis autem ad Christum Iudæis non paucis, infirmior fides erat, B quàm ut hac libertate auderent uti. Abhorrebant à cibis in lege Moscheh interdictis, præcipue autem, qui erant ex immolatis idolis carnibus. Ea erat fidei infirmitas, quòd dubitabant per fidem nihil impurum esse. Iam qui dilectionis, omnia in salutem proximorum attemperantis, rationem nullam aut paruam habebant, uescebantur quibuslibet, coram quibuscunque, nihil morati infirmitatem fidei, qua plerique laborabant. Atque ita bifariam illos offendebant, ac duplex eis scandalon obijciebant. Nam uel diffidere à se illos faciebant ob contemptum, uel prouocabant ad similem libertatis usum, dissimili fide, ut pariter promiscuis cibis uescerentur, licet id peccatum existimaret ipsorum conscientia. Contra prius scandalon ait 14. Roma. Si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem ambulas, &c. De posteriore; quanquam & prius admisceat. Omnia quidem pura, sed malum est homini qui per offendiculum uescitur. Bonum est non edere carnem, neque bibere uinum, neque quicquam per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur. Quòd uero addit, offenditur, de posteriore scandalo intelligo, nempe quod præpostere utens libertate, & sui exemplo ad idem prouocans infirmiorem, ei uice sit laqueí, dum occasionem dat, contra conscientiam edendi, quod ille sibi licere non credit.

Id autem, uel infirmatur, dictum de ijs puto, qui conspecto eo, quod frater, ut ipsis adhuc uidetur, contra legem Dei admiserit, non resiliunt quidem adeò, ut ab illo uelint planè diffidere, neque etiam imitantur, quod patratum illicite putant, interim tamen perturbantur, & paulò minus Euangelio, atque eius adsertoribus, tum potissimum libertate eius utentibus, afficiuntur, id demum est infirmari eos. Porrò priusquam uelit pius, fratri, uel hoc duntaxat accidere, debet potius omnem cuiusq;

rei usum non necessariæ abdicare, eò quòd regnum Dei non sit esca & potus, sed iu-
stitia & pax, & gaudium in spiritu sancto. Multo magis igitur debet potius in æter-
num nulla omnino carne uesci, quàm dare sua libertate occasionem fratri, ut ita im-
pingat, quod uel simultatem cum ipso suscipiat, aut certe contra fidem suam eadem
uti tentet. Certè Paulus 1. Corint. 8. de posteriore hoc scandalo agens, ita concludit:
Quapropter si esca offendit fratrem meum, haudquaquã uescar carnibus in æternũ.

Sed notandum in his omnibus, quòd continuo fratris nomen inculcat, nam plan-
tationis, quam pater non plantauit, hoc est, reproborum, nõ est tanta habenda ratio.
Quos utiq; tanto plus offenderis, quanto fueris melior. Scopus itaq; in his erit, sic o-
mnia instituere, ut ad ædificationem faciant fratrum. Sic eueniet, ut nunc libertate
utendum sit, nunc secus. Cum enim factis uerba comprobanda sunt, prædicata liber-
tas exemplis sanè confirmanda erit.

Exemplum Petri Antiochiæ à Paulo reprehensi.

Id Antiochiæ Petrus, Barnabas, atque quidã Iudæi alij recte fecerant, quare cum
propter metum quorundam qui à Iacobo uenerant, id rursus dissimularent, restitit il-
lis Paulus palàm, & grauiter Petrum obiurgauit, Gala. 2. Hoc uero exemplum dili-
genter animaduertendum, nam si Petrus in hoc lubrico lapsus fuit, quis dubitet sibi
quoque hic cauendum? Qui à Iacobo uenerant, utique fratres erant, eoq; potius in-
æternum carnem decebat non contingere, quàm edendo occasionem illis dare, un-
de impingere, aut offendi, uel infirmari saltẽ potuissent. Iure igitur uidetur Petrus
in gratiam illorum, suam tum libertatem dissimulasse. Rursus si eorum uelis habere
rationem, pro quibus zelabat Paulus, dices iniuria Petrum dissimulasse, & iure fuis-
se à Paulo reprehensum. Nam illis prædicauerat per solum Christum omnes iustifi-
cari, eoq; obseruationem ceremoniarum legis non esse necessariam, idq; probaue-
rat suo exemplo, edens quælibet, atque hoc pie & utiliter. Vbi ergo metu eorum
qui uenerant Hierosolymis hanc libertatem rursus dissimularet, offendebat grauis-
sime gentes, faciens, scilicet, illos dubitare de eo, quod per unum Dominũ nostrum
Iesum Christum iustificamur & saluamur. Horum iam multi erãt, eorum autem qui
à Hierosolymis uenerant, pauci. Dabatur deinde his offendiculum, quo à Christo pe-
nitus poterant excidere, cum si illi fuissent offensi, dissidium duntaxat aliquod forte
id peperissent, aut ut unus & alter uel infirmatus fuisset, uel infirma conscientia sese
in præsens commaculasset, non fuissent tamen ita prorsus à Christo abalienati, quin
potuissent aliquot ex eis ad sanitatem fidei perduci, ubi Petrus ad exemplum illud
suum diligenter & mansuete libertatis rationẽ, ut postea Paulus fecit, explicasset. Po
stremo cum semper ad perfectionẽ fidei enitendũ est, erat profecto potior ratio gen-
tium habenda, quæ Christum iam planè perceperãt, quàm eorum qui male elemen-
tis mundi adhuc hærebant. Qui denique diutina obsecundatione magis in errore
potuerant confirmari.

Hoc sanè Paulus considerauit, ubi nolebat circũcidere Titum, & gloriatur quòd
ne ad tempus quidem cedere sustinuerit, ijs, qui id urgebant, atque hoc, ut ueritas
Euangelij persisteret, Galat. 2. Videndum præterea est, num ueri an falsi fratres sint,
qui libertatem Christi conantur imminuere. Nam ueris duntaxat deferendum est.
Licet enim omnino omnium, etiam ex confesso aduersariorum, ratio hactenus ha-
benda sit, ut bonum nostrum hominum maledicentiæ non fiat obnoxiũ, eoq; mul-
tum libertatis etiam cedendum, id tamen semper ita fieri debet, ne quam inde ueri-
tas Euangelij faciat iacturam.

Vt si quis hodie propter obstinatos Euangelij hostes, qui nihil nostrum non exe-
crantur & blasphemant, quando Christum & Euangelion ipsum execrantur atque
blasphemant, libertatem rerum externarum, quam Antecclesiastici, Christi popu-
lo per impostu ras & tyrannidem ademerunt, usque uellet dissimulare, hos non
modo

modo redderet meliores, sed magis in malo confirmatiores, & eos qui Christum receperunt, plurimum offenderet, dum exemplis nudam ueritatem illis usq; prædicaret. Neq; enim pauci sunt, quibus ægre persuadeas, in Christo nobis omnia sita, dum humanis inuentis tantum defertur. Indubie in his hodie multũ peccatur, neq; id à uulgo, sed Euangelij remergentis ducibus. Fateor equidem, licet ab Antichristis inuectum sit, quicquid contra libertatem rerum externarum statutum fuit, ut est discrimen personarum, ciborum, dierum, locorum, atq; alia innumera: quoniam tamen uulgo persuasum fuit, esse ea omnia præcepta Ecclesiæ, à spiritu Dei impulsæ, ea uniuersa ut ex Dei uoluntate profecta homines receperunt, eoq; ratio est, ut circumspecte etiam nunc libertate per Christum parta utamur, & cum Paulo Timotheum nonnunquam circuncidamus, id est, quibusdam ceremonijs, quibus abuti tur alij, nos bene utamur, nimirum captantes ita occasionem, Christi pure docendi. Quanquam nulla ratione possint ista commenta hominum circuncisioni & similibus institutis Dei conferri.

Sed quid solet fieri? Non pauci crucis scandalon formidantes, & frustra homínibus & Deo placere conantes, ubi etiam diu prædicatum fuerit, ubi iam uerba, exempla factorum requirũt, illi usq; prætexentes infirmitatem aliorum, cum reuera eos teneat hic propria, traditionibus humanis, cum ipsi continuo seruiunt, tum seruire faciunt alios. Nihil, inquiunt, est præcipitandum, multis seculis ista inolita sunt, non possunt aboleri subito, ratio habenda infirmorum est, prepropera festinatione Euangelion nõ plantaremus, sed euerteremus. Hos uellem cogitare, quid sit illud: Regnũ cœlorum uim patitur, & uim facientes rapiunt illud, supra u. Tum quòd res istæ nõ præcipitantur, nisi cum nondum commendato Christo, & citra fidem immutantur, non autem, si iam Christus prædicatus sit, & tam diu electum Euangelij rhete, ut fecerit, quantũ in ea quidem maris regione capi possit, nec sit iam reliquũ, quàm ut per facta fides arrogetur uerbis. Certe ita rebus habẽtibus, deserenda opera quoque sunt, quibus præ Christo confisi homines fuere, atq; cogitandum, quod Christo & Antichristo nulla possit haberi communio.

Quæ prætexunt mollio-res Christiani

Deinde ualde absurdum est, eò quòd sensim & per multa secula mendacium irrepsit, atq; uires accepit, ideo & ueritati recipiendæ, longum uelle tempus præscribere. Nõ debet potior nobis esse Christus, quã Antichristus. Certe si non illico ipsum, ut agnouerimus, receperimus, nunquam fiet eius nobis copia. Non sic Moscheh, Schmuel, Elijah, Chizkijah, Ioschijah, sed simul atq; populo legis cognitionem restituissent, cunctas abominationes semel aboleuerunt, restitutis ceremonijs Dei.

Vnde nihil ij dicũt, qui perpetuò iactant, esse maiora quæ urgere oporteat, quàm reformationem ceremoniarum, hinc Antichristi reliquijs patrocinantes. Ceremoniæ testes religionis sunt, unde mox etiam nostram à ceremonia baptismi auspicamur, ac si quis extra communionem factus ob scelera, per pœnitentiã recipi rursum debeat, mox per Eucharistiam Ecclesiæ reconciliatur. Quare imbecillem in ijs fidẽ Christi esse oportet, qui Antichristi ceremonias abolere contantur, & ijdem nouitatem uitæ sero sanè exhibebunt, si modo unquam eam exhibituri sunt. Videmus sanè hodie, ibi lentum esse Christianismi profectum, ubi ceremoniæ Antichristi simul seruntur, & multo uiuaciora esse omna, ubi abolitæ sunt. Nam si hæreant, nulla potest esse causa alia, quàm quòd uerbo Dei, uel nondum satis fiditur, uel quòd non digne satis æstimatur. Etenim utcunq; fortes fide, ut sibi uidentur, illis non utantur, quæso ubi eorum pro gloria Christi zelus, ubi solicitudo pro fratribus, qui ut illis utuntur adhuc, ita indubie ex infirmitate utuntur fidei? Certe ut nulla prorsus est Christi & Belial conuentio, ita syncere Christiani, nihil penitus ferre poterunt Antichristi, licet simul tamen, ita purgare illis Ecclesiam annitentur, ut maxime gloria Christi promoueatur. Et infirmiorum rationem ita habebunt,

ut nihil

ut nihil temere, nihil importune faciant, sed summa cum mansuetudine docebunt infirmos sapere fortius: tamen & exemplis protuehere illos dabunt operam, neque paucorum, qui Antichristi ceremonijs æquo addictiores sunt, & fortè non ueri fratres, morabuntur cæcitatem, ut plurimos interim infirmos alios offendant, quibus nunquam ista cogitatio non in animo uersatur: Si ista tam mala essent, abolerentur: si illa tam bona, opere ea cuncti, præsertim qui Christi uolunt haberi, amplecterentur. Hi quidem si electi sunt, tandem confirmabuntur, etiamsi totus mundus ipsos offendat, ædificet nemo. Væ tamen interim per quos offenduntur. Proinde statim ut uera pietas prædicata, & professa à pluribus fuerit, Antichristi ceremonias & ritus abdicari opprtet, neque expectandum est, donec in omnibus ad perfectum usq; pietas perueniat, alioqui nunquam illæ abolerentur.

Christum tandem excludũt ferentes contrarias ceremonias.

Planè hi indulgentes, & plus nimio lenes Christiani, qui ferre possunt Antichristianorum omnia, similes ijs qui apud Corinthios scientiam habentes idolum nihil esse, uescebantur idolothytis, iactantes ut & isti nostri, in externis liberi sumus, quid ad me, quòd alius istis rebus abutitur male, ego utar eis bene. Nã quemadmodum illi fidem in multis infirmabãt, & quòd ipsorum exemplo idola minus execrarentur, & plerique etiam, repugnante conscientia illis communicarent: sic indubie faciunt tepidi isti nostri Euangelici hodie. Ipsi quidem sciunt nullius momenti esse, ceremonias Antichristianas, hoc est, quæcunq; præter Dei uerbum inuectæ sunt, atq; quoniam externa sunt, quorum libertatem habemus, uolunt illis libere uti, non expendentes, licere multa quæ non expediunt, & libertatem nostram oportere seruire alijs, quos interim ipsi offendunt, & gloriam Christi obscurant. Nam nescientes adhuc illa libera, in errore confirmant, adsertores uero earum, cõfessos Christi hostes, exhilarant, & audentiores reddunt, tum denique fidem in alijs infirmioribus, qui eis uale dixerant, labefactant. Sic pulchre consulunt infirmis, uentri potius suo hic seruiunt, studentes gratificari Christi uel hostibus uel desertoribus. Nam præter hos nemo anxie pro ceremonijs superstitiosis digladiabitur. Hæc illorum cunctatio, qua Euangelion adeò non prouehũt, ut sensim aboleant. His certe hodie debemus, ut in multis locis, ubi diu prædicatum Euangelion fuit, aduersa sint restituta omnia, cum id nusquam ubi serio & pure prædicato Christo, etiam ad ipsius uerbum reformatæ ceremoniæ sunt, accidisse uideamus. Quæ enim non prædicato Christo, aut non pure prædicato per tumultum acta sunt, nihil ad nos.

Cum itaq; Christus scandala tam execretur, & uæ mundo clamet ab offendiculis, uæ homini per quem offendiculum uenit, diligentissime in his & alijs rebus cauendum, ne cui offendiculo simus, præsertim autem paruis, ijsq; non solum ætate, sed etiam fide & intelligentia. Vita æterna est solida Dei & Christi cognitio, quicquid igitur hanc ullo pacto, uel remorari, uel obscurare poterit, à nobis neque dicatur, neq; fiat, quin ea pro uiribus remoueamus. Tum ut ea uita quoque exprimant, pijs & hortamentis, & exemplis prouocemus, nihil prorsus, uel nostris hic uel aliorum affectibus concedentes, cum demergi in mare præstet, quàm dare scandalum. Reliqua ista: quòd si manus tua, uel pes tuus, &c. explicata sunt suprà quinto. Ducitur ab eis, ad præsens institutum argumentum huiusmodi: Scandalum nocens adeò res est, ut nihil sit tam necessarium, aut charum, quo quis non debeat carere potius, quàm admittere, ut inde scandalum patiatur, hoc est, à uita Deo digna alienior fiat, in qua qui non pergit, ad gehennam recta properat: summe igitur cauendum, ne ta le obijciamus alijs, præcipue uero paruulis, quorum lapsus existit facilior. Debemus enim alios perinde atq; nosipsos diligere.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, &c. Matthæus solus.) Insignis planè locus, & indubie multo efficacissimus omnibus pijs, ad persuadendum summam puerorum obseruantiam, ut maximi quisq; eos habeat, atq; offendere summopere caueat.

caueat, Siquidem chari Deo sunt adeò, ut in cœlis constituerit ipsis præsides & custodes, sanctos suos Angelos, qui sua perpetuo præsentia fruuntur. Væ sanè ei qui scandalum illis obiecerit, & non pro uiribus annisus fuerit, ut ad uoluntatem eius qui illos condidit educentur. Adijcit autē: Venit enim filius hominis seruare quod perierat, quo ostendit, unde sit, quòd pusilli, Deo tanti existant. Natura etenim in filij iræ uniuersi sumus. Cum autem Christus uenerit, ut quod perijt seruet, nulli sunt ad opem eius percipiendā aptiores, ut qui sibi ipsis fidant minime, neq; sua quærentes, oblatam ueritatem respuant.

ENARRATIO SECTIONIS. III.

Quid uobis uidetur.) Hac similitudine uoluit dominus docere sicut homines perdita, & si minimi momenti sint, collata ad ea, quæ adhuc possidēt, maiore tamen cura quærunt, quàm illa reliqua seruent, maioreq; gaudio afficiunt, cùm ea rursus inuenīūt, quàm de possessione illorum perpetua: sic etiam patri singulari curæ esse pusillos, quamlibet per se abiectos & nullius pretij, qui utiq; à primo Adam, peccato contracto, perierant.

Lucas hoc ipsum simile Paulo fusius conscripsit, adiuncto alio eiusdem monetæ, decimo quinto, sed alio loco illis dominum usum memorat, nempe ubi respondit Pharisæis & Scribis murmurantibus, quòd peccatores reciperet, ac cibum cum illis caperet. Cuiusmodi factum noster suprà nono narrauit. Porrò in primo simili, illud torquet quosdam, quod ait: Gaudium in cœlo fore, super uno peccatore resipiscente, plus quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Sed si memores essemus, dominū uulgarissime loquutū, atq; de diuinis ac spiritalibus rebus, tanquam de humanis, quò nimirum sermonem suum uulgi capacitati accommodaret, perparum scrupuli hic esset. Non igitur disputemus qui iusti sint, pœnitētia non egentes, cum uniuersi peccatores sint, eoq; continuo resipiscentes: loquitur enim de ijs, qui iam ueritatem amplexi sunt, & oblitī eorum quæ sunt à tergo, perpetuo extendunt se. ad præfixam metam: licet nunquam non orandum eis sit, dimitte nobis debita nostra. Ii tamen ut iam de grege domini, ita non habetur super eis peculiare gaudium, quemadmodū super uno peccatore, qui cum alienus à regno Dei & ouis quidem fuisset, nempe electus ad uitam, sed perdita, ignorans, scilicet, Dei, nunc resipuit, Deum agnouit, alijsq; iam Domini ouibus iungitur. Gaudium enim affectus est, qui de recenti bono oritur, & dum illo aliquandiu quis fruitus est, remittitur.

Gaudium super uno peccatore resipiscente, plus quàm super 99. iustos.

Omnibus autē illis, quòd perdita ouis quæritur relictis nonaginta nouem, quòd plus de ea inuenta gaudetur, quàm de nonaginta nouem seruatis, uti & de inuenta drachma, quod ita in cœlis, nempe uere spiritali Dei regno, ipsis nimirum Angelis, ut in altero simili explicatur, super uno peccatore resipiscēte gaudiū maius sit, q̄ super plurimis iustis, nihil aliud uoluit dominus significare, quàm ex uolūtate patris, & consentientibus Angelis Dei, atq; omnibus secundum Deum affectis, summā sibi curam esse eorum, qui electi ad numerum sanctorum adhuc aberrant, ut in uiam eos reducat, eoq; cum publicanis & peccatoribus libenter congredi, & consuetudinem habere, quo utiq; ad resipiscentiam ipsos prouocet: quod cum Pharisæi, atq; Scribæ ferrent inique, declarare illos, se diuersam à Deo atq; sanctis eius Angelis mentem, eoq; prauam & Satanicā habere. Hanc incōparabilem Dei erga peccatores dignationē nemo satis expenderit, sicut neq; utilius quicquā expendi potest. Quare friuolæ hic hominum cōmentationes relinquendæ sunt, & tanta potius cogitanda Dei erga nos miseros, tanq̄ ineffabilis bonitas, quò fide erga ipsum, & dilectione erga proximos crescamus: solicite quoq; daturi operā, ut aberrantes Christi ouiculæ ad suū pastorē & seruatorē ducātur. Cuius caussa, nulla cum peccatoribus cōsuetudo nō laudabilis fuerit, de quo suprà 9. in illud: Cumq; id uidissent Pharisæi,

Lucas

Lucas explic. Lucas præterea aliam parabolam ibidem memorat, quam dominus subiecit de patre omnium clementissimo, qui filium perditum, insumpta nepotando omni sua hæreditate, & necessitate tandem compellente, reuersum, indicibili benignitate & gaudio receperit, immo obuiam illi ierit, summaq; amoris indicia exhibuerit, ut inde frater alter & maior offenderetur. Qua parabola utiq; aliud nihil docere uoluit, quàm inexplicabilem esse Deo erga peccatores reuertentes misericordiam atq; clementiam, ut ea homines alios, licet horum fratres, qui præcipue hinc gaudere debebant, offendat. Atq; ita tacite arrogãs Pharisæorum supercilium perstrinxit, qui fratrem illum maiorem, de fœlicitate minoris dolentem, tum referebant, damnantes, quòd in ipso seruatore, ea Dei clementia in præsenti congressu eius cum publicanis & peccatoribus, tam præclare sese exereret.

Quibus tamen simul innuit, si uere iusti sint, & patri usq; seruierint, nihil prorsus, in optimo patre desideraturos, quãlibet bonitatẽ suam effundat in peccatores, cum quo semper agant, eiusq; omnia possideant: ut & nonaginta iustis nihil desit, & si plus super uno peccatore gaudeatur. Cæterũ significatur his quoq;, omnia à Dei bonitate, & prorsus nihil à nostris meritis pendere. Quæ cum plurima uidemur nobis habere, tum maxime nobis placemus, aliosq; fastidimus, eisq; Dei gratiam inuidemus, quo utiq; uacuos meritis nos declaramus, atq; à Dei bonitate alienissimos. Alij ludant allegorijs, horum uoluit nos dominus monere, hæc certa sunt, cum alia cõmenta sunt hominũ, & incerta omnia. Sed placent figmenta rationi humanæ, sordent solida. Vnde fuerunt, qui in concionibus, bonã anni partem, in huius unius parabolæ allegorizationibus, ut loquuntur, detriuerint, sibijpsis & auditorio mire placentes, sanè quod similes haberent labra lactucas, utriq; diuinę inanes ueritatis.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Porrò si peccauerit in te frater tuus, Luc. 17.) Cum & apud Lucam, monitioni de scandalis hæc subijciantur, negare cum ratione non possum, quin ea dominus quoque illi subiunxerit. Videntur ergo hæc cum superioribus hunc ordinem habere: Monui quantopere necesse sit cauere, ne quem, præcipue autẽ pusillos, offendatis: debetis enim solicite ad salutẽ quorumlibet mihi mihi cooperari, qui ueni, ut quod perijt quęram & seruem. Ne quem igitur offendatis, sed ut ad salutem quotquot omnino licuerit, perducatis, diligentissimam curam impendite: eoq; cum quis coram aliquo peccarit, is admonere illum peccati uelit, & quidem seorsim solum, quo ille uideat suam salutem, non infamiã quæri: si tum ille resipiscat, monitor ipsum lucratus est, quo nihil debet uobis optabilius esse: sicut Angeli in cœlo, peculiare habẽt, de peccatoribus resipiscentibus gaudium. Si uero monitorem non audiat, assumat ille sibi ad huc unum, uel duos, quo maioris momenti sit illi qui peccauit, monitio. Quòd si & hos contemnat, indicetur Ecclesiæ, huius peccãtis & nolentis resipiscere peruicacia, ut à toto cœtu eorum inter quos uersatur, tertio demum moneatur. Adeò non facile, de peccatoribus, desperandum est, sed ante tentanda omnia. At si ne Ecclesiam quidẽ admonitus ab illa audierit, habeatur tanquam Ethnicus & publicanus. Hoc est sicut modo ethnici & publicani haberi solẽt bonis, nempe homo profanus, cum quo boni nihil habeant commercij. Nam si uos pater habet, ad hunc modum pro regno suo zelantes, ut quæcunq; ligaueritis, ligata habeantur & in cœlis, hoc est, quoscunq; ita monitos è cõsortio uestro eieceritis, ij etiam apud patrem eiecti habeantur: & contra, si quos solueritis, hoc est, pœnitentes, in consortium uestrum rursum admiseritis, ratum id quoq; erit & apud patrem. Etenim si uel duo tantum in nomine meo, consentiãt super terrã, quicquid ij patrem orauerint, impetrabunt. Vbicunq; enim duo uel tres duntaxat in meo nomine, certa in me fiducia conuenerint, in illorũ medio sum, per quem à patre poterũt obtinere omnia. Vnde si pœnitẽti ueniam orauerit is, certo eam impetrabitis, atq; ita quem uos uoletis habere

Ethnicus & publicanus.

Vbi duo uel tres.

A bere ſolutum,ſolutum reddere poteritis. Tantũ annitimini, ut à peccato reuocetis, quotquot omnino audire uos ſuſtinuerint.

Quòd illud:Si peccauerit in te frater tuus,pro eo accipiam quod eſt,Coram te uel te conſcio,magis quàm contra te,in cauſſa eſt,quòd contra doctrinã Chriſti ſit, propriam iniuriam perſequi:deinde debeat ita Chriſtianus eſſe gloriæ Dei addictus, ut in ſe peccatum ducat,quicquid peccatũ fuerit in Deum. Poſtremo quia in hoc uerbo,Diliges proximum tuum,&c.tota lex impletur,nihil poterit omnino coram proximo peccari,quod non ſit & in ipſum peccatum, hoc eſt,cum iniuria eius coniunctum.Recte itaq; dixit Dominus:Si peccauerit frater tuus in te,& ſi eo comprehendat ſimul,quicquid omnino coram te,& conſcio te peccatum fuerit, non ſolum quo peculiari iniuria tu afficeris,ut ſi quis tibi conuicietur,tua furetur,aut quid huiuſmodi contra te peccet.Nam inficiari non potes, & ob alia peccata, quibus nos non ita proprie lædimur,fratres eſſe monendos.

Hunc autẽ morem ſcriptura habet, ut cum in notatione uitiorum,tum commendatione uirtutum,ſemper proponat in utroque ordine craſſiora,uulgoq; notiora,et ſignificet ex his,quæcunque illis quouis modo coniuncta ſunt. A notioribus, ſcilicet,nobis,ut docenti competit,inducere nos ſtudet in ea, quæ nota minus ſunt. Ille uero mos ſcripturæ cum ubique quidem in diuinis literis ſit, tum in catalogo decẽ uerborum ſingulariter obſeruatus eſt.Ibi in ſecundo decalogi uerbo(nam primũ eſt commemoratio & exhibitio diuinæ beneuolentiæ, Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.)Vetat nominatim tantum alienos ſibi Deos ſtatuere, & colere idola: ſed hinc ut à craſſiore & notiore ſuperſtitionis falſiq; cultus malo, uoluit inducere execratio nem omnis cuiuſcũq; modi ſit,ſuperſtitionis & impietatis. In tertio ſolum prohibet periurium, ſed ex quo quamlibet nominis diuini cõtumeliam & ignominiam ſuis redderet auerſandam.In quarto ſolius ſabbathi præcipit ſanctificationem: ſed ut ex eo doceret dignam uera pietate obſeruationem, atq; cultum omnium ſacrarum ceremoniarum,functionemq; ueræ religionis,quamlibet:ut ſunt quilibet ſacri cœtus, uſus ſacramentorum Dei,ieiunia, preces, laudesq; Dei cum publicæ tum priuatæ, quolibet tempore & loco. In quinto obſeruantiam docet parentum,& tamen reuerentiam quorumlibet maiorum,aut recta præcipientium eo commendare inſtituit. In ſexto homicidium prohibet, cum uellet excludere omnem uel cupiditatem ultionis,quia iram omnem. In ſeptimo uetat ſtuprũ, & ſubmouere intendit omnem impudicitiam. In octauo ſub furti nomine quærit excludere omnem fraudem in res proximi. In nono falſum modo teſtimonium prohibendo exprimit: at auertere eo ſtatuit, quicquid omnino mali in proximum dici queat. In decimo exprimit tantũ concupiſcentiam uxoris,domus,& aliarum rerum quæ proximi ſunt,in quibus,ſcilicet, facilius agnoſcimus concupiſcentiæ noſtræ malum: at in eo uoluit Dominus uetare in quoduis malum affici,& qualibet praua concupiſcentia tangi.

Ad hunc ergo modum exiſtimo in præſenti loco Dominum id potiſſimum peccatum,quod in nos admittitur, expreſſiſſe, ut in eo doceret quid nobis in quibuslibet proximi peccatis faciendum ſit.Id enim nobis notius eſt,nosq; magis urit,quod in nos admittitur, eoq; ex illo per ſynecdochen commodum indicauit, quo pacto cum proximo agendũ ſit,quiduis ille peccet, etiamſi id priuatim nobis nihil uideatur derrahere. Quanquam, ut dictũ,ſi ueri Chriſtiani ſimus & notuimus nihil prorſus nobis expetendum magis,nihil æque uindicandum,nihil ita iuris noſtri ducendum,quàm ut ſanctificetur ab omnibus nomen Dei,promoueatur regnum eius,obſecundetur uoluntati eius,quicquid omnino peccauerit proximus,id in nos peccatum eſſe iudicabimus, & id adeò magis, ſi lædantur proprie alij, maxime ſi directe blaſphemetur nomen Dei.

Notandum præterea quòd ait Frater tuus. Nam iudicare de ijs qui foris ſunt,nihil *Frater tuus.*

ad nos. Quanquam ut & ipsi in Ecclesiam ueniant, & fratres nostri euadant, omnē operam impendere oporteat. At qui fratres haberi uolunt, uæ nobis, si peccātes non admonuerimus. Nimis certum est argumentum, ijs perparum fidei & dilectionis esse, qui tam serium Christi præceptum, ac rem adeò utilem & frugiferam tantopere neglexerint. Quis enim sibijpsi satis oculatus sit, qui non continuo monitore egeat? Quæ igitur charitas re tam necessaria fratres se inuicem fraudare? Quæ rursum insania, tanto se nolle beneficio affici? Quales minime paucos reperias, qui cum Christianissimi haberi uelint, nolunt tamen, quamlibet amicè moneri, quos miror si ex corde se peccatores agnoscant. Velut torques, inquit Schlomoh, aureus, & aureum monile est increpatio apud sapientem, qui auscultat. Prouerb. 21. quam utiq; non nisi stultus & subito periturus contemnere potest, Prouerbiorum decimo quinto, & uigesimo nono.

Mihi quidem Ecclesia, sine usu mutuæ admonitionis frequentissimo id uidetur, quòd regnum sine iudicio & usu legum, ac uelut ciuitas in potestatem quidem principis redacta, sed nondum ab eo, ut formam ciuitatis, & reipublicæ imposito magistratu, & firmatis legibus, haberet instituta. Neque enim aliud Ecclesia iudicium habere potest, quàm ut eos, qui fratres haberi uolunt, moneat dum peccauerint, & nolentes resipiscere, à communione sua excludat. Ad hæc cum membra inuicē sumus, & summum studium nostrum esse debeat, quo in pietate uerocq; cultu Dei omnes promoueamus, si monere nos mutuo cessamus, quid quæso reliquum est, quo Christi inter nos esse dilectionem demonstremus, cum ea in præcipuo officio cesset? At qui si nulla inter nos uera dilectio fuerit, quid quæso Christianos nos gloriabimur, quando hæc proprium Christianismi insigne sit, Ioan. 13.

Porrò illud, Dic Ecclesiæ, nemo ita accipiat, quasi præceptum à Christo sit in publica concione, ad uerbum Dei audiendum conuenientium, eum qui binas monitiones spreuerit accusare, atque ibi tum palàm ab Ecclesiaste reprehendi. Nam cum Christus hæc doceret, eiusmodi Ecclesiæ facies nulla erat. Deinde nō est data ligandi & soluendi potestas, nisi conuenientibus in nomine Christi, eoq; certo ordine, & prę eūtibus ijs, quos spiritus sanctus cōstituit in Ecclesia pastores et Episcopos. Vnde & Paulus nominatim, hac potestate fungi uoluit, congregatos in nomine Domini nostri Iesu Christi & suo cum illis spiritu præsente, 1. Corinth. 5. Iam nostri conuentus impuri adhuc nimis sunt, & sanè paruus numerus eorum, qui sese penitus Christo dediderunt, neq; licet per pacem publicam, arcere à conuentibus Ecclesiæ non probatos, quare in publicis Ecclesiæ conuentibus, ut hodie res ferè habent, excommunicatio publicitus exerceri non potest, nisi ubi Dominus eam gratiam faceret, ut maior totius populi pars, cum magistratu, ad Christum pleno corde cōuerterentur. Vbi id non datur, necesse est, ut qui plenius Christum receperūt, sanctissimum hoc & saluberrimum Christi institutum inter sese reducant, ut quoscunq; familiares, uel uicinos uel alia ratione coniunctos habent, qui Christo nomen dederunt, diligenter & libere moneant, cumq; monitiones aliqui contemnere pergunt, eos Ecclesiæ, quam ipsi inter se habent, uel ex uicinitatis, uel alias familiaritatis consortio, aut denique ratione cognationis atq; familiæ, ut contemptores monitionis deferant, quæ Ecclesia illos si pergant contemnere, rem ad communes totius Ecclesiæ ministros deferat, ut & illi nomine totius Ecclesiæ illos moneant: & si pergant uerbum Domini contemnere, eos etiam excommunicent, uel illa ipsa Ecclesia, in qua noti illi peculiariter sunt & familiares, tum ad sacram Eucharistiam eos nō admittant, donec Dominus restituerit nobis iustam in Ecclesia politiam, ueramq; censuram. Vtcunq; autem permixta perturbataq; adhuc sunt omnia, tamen si ministri uerbi suo muneri uelint incumbere bona fide, censuræ Christianæ facile plurimum restituent, citra ullam Ecclesiæ perturbationem aut sectionem, quam fidus minister Christi nullo pacto inuehere

A cto inuehere sustinebit, qui nouit sibi omnem potestatem in Ecclesia datam ad ædificationem, non ad destructionem: & magis muneris sui esse ad regnum Dei undiq; cogere, etiam cæcos, surdos, atq; debiles, quàm eo ejicere. De uera moderatione censuræ Ecclesiasticæ Diuus Augustinus multa scripsit contra Donatistas, præcipuus autem locus est hac de re in tertio contra Epistolam Permeniani, quo uir hic Dei quàm prudentissime de correctione abstentioneq; malorum, qui in Ecclesia esse uidentur, præcepit. Is locus hic maxime tempestate nobis singulari diligentia legendus & perpendendus fuerit.

Quod autem dum ad iustam Ecclesiæ censuram nondum uenire datur, propterea nullum habeatur Euangelion, nullus Christus, ut Anabaptistæ blasphemant, commentum est satanæ, Christum conantis ita rursus nobis eripere, Christus siquidem ipse, & uere adfuit electis, quibus cum carne uixit, & non sine fructu ipsis prædicauit, neq; tamen Ecclesiam habuit, in quam probati tantum admissi, & reliqui ab ea excluſi fuissent. Et nunquã sanè Ecclesia nõ multos malos admixtos habuit. Ad hæc prædicandũ ijs quoq; est, qui nondũ audierunt, aut certe nondum perceperunt. At tamen utcunq; feratur impuritas conuentuum, ubi uerbum prædicatur, quam Christus & Apostoli quoq; tulerunt, cœnæ tamen communio, ut dixi, purior esse debet. Nam publica est eorũ qui palàm se Christianos profitentur: de redemptione gratiarum actio, ideo circa hanc, ut communionem Christi solenniter sancti percipiunt, ita excludendi inde sunt, qui uita sua, se extra hanc communionem esse, manifesto probant. Anabaptistæ baptismo uolunt fucatos à ueris discernere, sed præter rationem.

Contra Anabaptistas, negantes Christum haberi ubi non publica habetur excommunicatio.

Habet hodie res nostra, ut olim quando populus Israël, post diutinam à Domino defectionem, ad uerum Dei cultum reuocabatur. Vt ergo illi non denuo circuncidebantur, licet ab impijs circũcisi, & mox ad impietatis cultum fuissent educati, sed
B celebratione Pesach, testabantur uere, se ad Dominum reuersos, ut in historia Regũ, Chizkijah & Ioschijah legimus. Ita nulla ratio est, rursus baptizari, semel licet ab impijs baptizatos, & ad impietatem educatos, audito Euangelio, sed cui datum fuerit, ut credat, is per Eucharistiam habet, ut fidem testetur citra Anabaptismum. Si enim Domini quis fuerit, ille uere etiam Domino extitit per baptismũ cõsecratus, quamlibet ab impio baptismum susceperit. Neque enim præceptum uspiam est, ut rebaptizentur, qui baptizati sunt à malis. Sed hoc hominum genus Anabaptistæ, à Christo ad sua opera & elementa mundi defecerunt, eoq; huc & alios pertrahere conantur. Nobis donet Deus Christi baptismo iterum atq; iterum purgari, aqua ista externa neminem sanctum reddet. Sed de Anabaptismo, & baptismo suprà 3.

De potestate uero ligandi & soluendi, hoc est, ab Ecclesia excludendi, uel in eam recipiendi, siue ab initio, siue post admissa flagitia, suprà 16. Clare autem hic notatur, omnium in nomine Christi, hoc est, ex fide in eum conuenientium, esse potestatem hanc, hoc est, claues regni cœlorum, quia talium spiritus Domini est, & uerbũ eius. Tales siquidem soli in nomine Christi, hoc est, freti Christo conueniunt, atq; in unũ corpus multa membra coalescunt, & à patre eodem spiritu & fide orant & exorant omnia. Memoranda uero promissio, Quòd si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quacunque petierint, &c. Simplicissime enim, ut Dominus hic promittit, res habet. Sed dicit: Si duo ex uobis, id est, ex credentibus, & in nomine meo conspirantibus, &: Quæcunq; petierint, utiq; à patre. Etenim cum hi Christum medium habent, & mentem uera fide ad patrem in cœlis attollunt, non possunt orare iam aliud, quàm quod suggerit spiritus Domini, quod sit iuxta rationem precandi à Domino nobis præscriptam, ut in omnibus & ante omnia quæratur sanctificatio nominis Dei, iustificatio regni eius. Sic autem orantes non exorarent? Hic tamen potissimum loquitur Dominus de oranda uenia ijs, qui peccarunt. Hinc ergo prius iæ quoq; & admonitionis & absolutionis fructus discendus est. Si nanq; cõsentiant

duo de uenia peccati oranda, peccatum illud utricp notum sit oportet, & ut peccatū agnoscatur. Hic ergo priuata peccati eius uel monitio, uel confessio intercesserit oportet. Iam cum oratio uera dubitationem excludit impetrandi, necesse est ut frater fratrem etiam de impetrata uenia confirmet, exhibendocp illi eam, securum eum in Domino reddat. Verum autem & illud est, Dominum hic promissionem de paucis extulisse, ut doceret quàm probet & amplectatur nos in ipso conspirare & conuenire, etiã si minimo numero simus: magis ergo illi placemus, si plurimi inter nos in ipso conspiremus, innumeracp in nomine eius poterimus.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Tunc accedens Petrus ad eum, Luc. 17.) Lucas habet, Dominum iussisse ei qui in nos septies in die peccarit, & toties conuersus ad nos fuerit, dicens: Pœnitet me, remittere, uolens utícp ut quotiescunqp peccati fratrem pœniteret, ei cõdonaremus, idcp non solum ex nobis, sed suo etiam nomine. Quid enim alioqui nostra esset condonatio? Soluí & in cœlis oportet, quod solutum pronuntiauerimus in terra. Per septenarium autem numerum, Dominum uoluisse significare quemlibet, responsio hic Petro data declarat, cum Dominus non usque septies, sed usqp septuagies septies remittẽdum fratribus, respondit. Hinc uero immensa Dei bonitas relucet, qui absqp modo & numero remittere iubeat peccantibus, si peccati modo pœniteat, indubie ratam habiturus nostram remissionem.

Septuagies septies remittendum.

Pœnitenti remittitur.

Sed illud apud Lucam: Si cõuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, probe animaduertendũ. Quí enim illi peccatũ remittatur, quod ipse non remiserit, hoc est, ut peccatum non agnouerit, animo illud detestans? Ergo si pœniteat modo, quotiescunqp ueniam peccator orauerit, toties & exorabit Deum sanè & Petrum, ac quotquot exemplo Petri Domino auscultarint, benignitatemcp eius atcp facilitatem uolent referre; sed Antichristianos Episcopos non ita, ij enim suas habent leges, suumcp remittendi modum, ut nihil tamen remittant gratis. Verum cum cętera omnia cum Christo pugnent, haud mirum est, si fictas suas condonationes magno uendant, & sint à facilitate Domini alieníssimi. Sed hi nihil ad nos.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini, Matth. solus.) Hac parabolą docere uult, clementissimum nos habere Dominum, quo in remittendis debitis nihil sit facilius, cuius clementiam & facilitatem debeamus imitari erga cõseruos, quam utícp incomparabilem in nos experimur. Quod si neglexetimus, haud quaquam nobis clementiam eius porrò, sed intolerabilem potius iram expectandam, quæ nihil penitus remittens, cuncta à nobis debita exigat, quo pacto æternum nos in gehennæ carcere perire oportebit. Reliqua permittimus ludentibus allegoríjs. Veritatẽ autem quęrentibus satis sit hinc discere, cœlestem patrẽ orantibus remittere omnia, necp quicquam prius requirere à nobis, quàm ut pariter alijs quocp ex cordibus cuncta condonemus. Quòd autem peculiariter uidetur loqui Christus de iniurijs proprie in nos admissis, caussam esse existimo, quòd tametsi illas uideri uelimus nonnunquam remittere, uix tamen remittamus eas ex cordibus, nimirum ut eos qui offenderant, pristino apud nos loco haberemus, eque ut antea ad benefaciendum illis propensi. Manere nancp crebro malígna quædam in animis iniuriæ memoria solet. Iam Deus ueritas est, nec potest ferre fucum: quare si non penitus expuncta ex cordibus fuerit omnis acceptæ iniuriæ memoria, non est quòd commissorum nostrorum gratiam ab ipso speremus. Sed qui uere persuasus fuerit, qua pater clementissimus in nos clementia utíf, is nullius memor iniuriæ esse poterit, necp potius quicqp habebit, quàm omni genere benignitatis, facilitatis & clementiæ, proximos demereri. Stprà etiam cap. sexto, in illud: Proinde si remiseritis hominibus errata sua, non nihil diximus quod huc faciat.

CAP.

CAPVT XIX.

ET factum est, cum consummasset Iesus sermones hos, de- Sect. 1.
migrauit à Galilæa, & uenit in fines Iudææ trans Iordanẽ,
& secutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos ibi. Et acces-
serunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicentes ei: Licét
ne homini diuortiũ facere cum uxore sua, qualibet ex caus-
sa? Qui respondens, ait eis: An non legistis, quòd is qui fe-
cit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Pro-
pterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt
duo in carnem unam. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus
copulauit, homo ne separet. Dicunt illi: Cur ergo Moyses iussit dare libellum
repudij, ac dimittere eam? Ait illis: Moses ad duritiam cordis uestri permisit uo
bis repudiare uxores uestras, cæterum ab initio nõ fuit sic. Dico autem uobis,
quòd quicunq; repudiauerit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit,
is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.

Dicunt ei discipuli eius: Si ad istum modum habet caussa hominis cum u- Sect. 2.
xore, non expedit contrahere matrimonium. Qui dixit illis: Non omnes capa-
ces sunt huius dicti, sed ij quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de ma-
tris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt eunuchi ab hominibus,
& sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui po-
test capere capiat.

Tunc oblati sunt ei pueri, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autẽ Sect. 3.
increpabant eos. Iesus uero ait eis: Sinite pueros, & ne prohibeatis eos ad me
uenire, talium est enim regnum cœlorum. Et cum impòsuisset eis manus, abijt
illinc.

Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam Sect. 4.
uitam æternam? Qui dixit ei, Cur me uocas bonum? nullus est bonus, nisi u-
nus, nempe Deus. Quòd si uis ad uitã ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ?
Iesus autem dixit: Non facies homicidium, Non committes adulterium, Non
facies furtum, Non falsum dices testimonium, Honora patrem & matrem: &
diliges proximum tuum, ut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc seruaui
à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si uis perfectus esse, ua-
de uende ea quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ue
ni sequere me.

Cum audisset autem adolescens eum sermonem, abijt tristis. Erat enim ha- Sect. 5.
bens possessiones multas. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico uobis,
diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico uobis, facilius est ca-
melum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Au-
ditis autem his discipuli expauerunt ualde, dicentes: Quis ergo potest saluus
fieri? Intuitus autem illos Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est,
apud Deum autem omnia possibilia sunt.

Sect. 6. Tunc respondēs Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illi, Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrē, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.

ENARRATIO SECTIONIS I.

IT factum est cum consummasset Iesus sermones, Mar. 10) Et hanc regionem beneficijs suis uisitare uoluit, ut ubicq; salutis radios spargeret: turbæ ergo cupide eos excipiebant, Pharisæi uero suo more aderant, ut ipsum tentarent. Sed spectanda mira Domini bonitas, cū quo licet nunquam pharisæi non maligno animo congrederentur, ipse tamen quæ pro ueritate faciebāt, mansuetissime semper eis respondit. Neq; enim propter malos celanda erat ueritas bonos, aut prædicanda non decentissime. Ne igitur & nos spectemus, quid mereatur aduersariorum malignitas, sed magis quid deceat ueritatem Dei, & opus sit sanctis.

Caussa autem cur Pharisæi de diuortio potissimum Dominū tentarunt, fuisse uidetur, quòd natura illud ut fœdum & iniquum mens honestior detestetur, & lex tamen ipsum admiserat. Ad scripturam igitur illos remisit, & locum de libello repudij alio ex primo libro Moscheh adducto, explicauit, unde huiusmodi argumentum ni mirum duxit: Optime Deus condidit omnia, nec potest quicquam habere melius, quàm si ita habeat, ut est conditum diuinitus. Iam qui fecit hominem, marem & fœminam eos condidit, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrē & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, eruntq; duo in carnem unam, hoc est, amore uir uxorem omnibus præferet, adhærebitq; ei, ut uelut unus homo censeantur. (Nam mulieris caput uir, caro uiri mulier est. Ephes. 5.) Quos itaq; adeò Deus cōiunxit, ut uelut unus homo habeantur, non debet homo separare. Non igitur licebit marito repudiare uxorem, multo minus uxori uirum ob caussam quamlibet. Ex eo ergo, quòd Moscheh iussit dare libellum repudij, nō colligitur, licere uxorem repudiare: sed si quis ob duritiem cordis nolit illi commodum maritum exhibere, ut dato libello repudij, eam dimittat, quo illa possit nubere alij. Ne, scilicet, duplici iniuria miseram afficiat, & ipse officium mariti illi negans, & prohibens simul ne ab alio ipsum percipere possit.

Summa responsionis Christi. De libello diuortij.

Hinc satis patet, apud pios nihil loci esse diuortio, cum & maritus uxorem tanquā carnem suam diligit, & uxor ut caput suum maritum obseruat, ut neq; ille uelit, neq; hæc mereatur repudium. At ubi impij sunt, ut æqua est hodie cordium eorum duritia, ita non minus miseris uxoribus per magistratum oportebat consuli, quàm olim. Neq; enim minore, quàm Moscheh potestate, hac quidem in re fungitur magistratus quilibet. Præstaretq; ut sine perpetuo cruciatu uxorum, huiusmodi duri corde adulterium dimittendo eas committerent, quàm quòd præter adulteriū, quod continuo, dum uxorem non ut uxorem habent, perpetrant, etiam perpetuam illis addāt carnificinam. Id quod nimirum Christianorum Cæsarum sancta lex, quam infrà ponam, comprobat. Vtcunq; enim propter duritiam cordium malorum, lex repudij data fuit Iudæis, salutaris tamen hactenus fuit, quòd ea periclitantibus aliās grauius uxoribus subueniebatur; quare cum gratia Dei ea & hodie magistratus & posset & deberet

A deberet uti. Necꝫ eo peccaret contra hoc Christi dictum: Quos Deus coniunxit, homo ne separet, quod non ipse, sed Deus, per dictam legem illos separaret. Ad hæc istud: Homo non separet, contra repudiantes suas uxores dictum est, non magistratum, qui non tam separat, quàm animo iam separatam grauiori periculo eximit. Certe magistratus est curare, ut cõmode & tranquille uiuatur: si iam aliquorum obstat cordis duritia, quo minus coniunctis in matrimonio id liceat, non debet indignum se ducere, uti remedijs quæ Deus ipse instituit: necꝫ credendum, quòd quicquã Christus damnarit eorum, quę pater præcepit. Iam duris corde ille præcepit, si nollent maritali æquitate uxores tractare, ut libertatem illis facerent libello repudij nubendi alijs, quanquam istam illorum cordis duritiam nunquam non damnauerit, qui ante omnia semper exegit dilectionem mutuam. Christi itaqꝫ responsio hoc potius egit, ne quis Iudæorum sibi placeret, peccatiqꝫ se immunem putaret, si citra causſam legitimam, tantum ob cordis sui duritiam, uxorem quam nõ posset diligere, & debebat tamen ut carnem suam complecti, repudiaret. Animũ igitur Christus hic adulterij reum peragere uoluit, qui contra iura coniugij ita auersaretur uxorem, ut præstaret eam ipso liberari, quàm manere coniunctã: legem autẽ repudij non damnauit, nec damnare potuit, qua consuli, scilicet, possit uxori aliàs grauius periclitaturæ. Sicut etsi litigantes suáque contendendo iure repetentes cum iactura charitatis Christus damnat, legem tamen non damnauit, qua ad restituendum quod utiqꝫ mali abstulerunt, compellantur.

Probe ergo expendatur, contra quos Christus illud, Homo non separet, dixerit. Nulla hic de magistratu quæstio fuit, sed si liceret homini, nempe marito, uxorẽ suã dimittere libere, propter quãlibet causſam, iustam uel iniustam. Ad hæc respondit, Homo non separet: quare perinde illud accipere oportet, atqꝫ si dixisset: Homo non B dimittat uxorẽ suam, quæ postquã uxor facta fuit, à Domino ipsi iuncta est, ut eadem caro sit, hanc Dei coniunctionẽ ne uelit homo maritus uiolare. Porrò qui nulla gratia uxorẽ dignatur, iam hanc uiolauit: si enim relictis parentibus uxori adhærere debeat, certe amari eam summe à marito oportet, gratiãqꝫ in oculis eius habere præcipuam. Cum itaqꝫ in duris corde separatio, in potiore parte facta est, simulatqꝫ odire & execrari uxores cœperint, nempe in corde, magistratus eximens odio & sæuitiæ mariti mali uxorem innocentem, permittens illi diuortium, non sanè separat à Deo coniunctos, sed animo iam repudiatam & separatam seruat à periculo grauiori, concedítqꝫ ut uere iungatur ei, cui Dominus iunctã uoluit. Interim autẽ adulterij reus est, qui animo suo illam ob duritiã cordis sui abiecit. Huic nequaquam aduersatur, quod postea Dominus inquit: Et qui repudiatã duxerit, adulterium cõmittit. Nam non nisi de eo, qui in fraudem prioris matrimonij repudiatã duxerit, hoc intelligendum est. Etenim si ob alias quàm stuprum causſas dissidium inter coniuges oriatur, ut uel ableget uxorem maritus, uel diuertat uxor, debent omnia tentari, quò reconcilientur. Et hac quidem causſa Paulus innuptam manere uult uxorem, quæ à uiro discesserit, indubie non repulsam ex legitima causſa.

Magistratus non separat, sed separatam periculo eximit.

Nam quòd non de quauis repudiata hoc intelligi possit, duo clare euincũt, prius, quòd Paulus pronuntiat nõ esse ligatũ fratrem, uel sororem, si coniunx propter fidẽ ei nolit conuiuere. Iam ob religionẽ repudiata, certe nõ est ob stuprũ repudiata, & concedit tamen Paulus illi alias nuptias, nequaquã concessurus, si adulteriũ committeret, eam ducens. Deinde cum Dominus marem & fœminã cõdiderit hominẽ, necꝫ seorsim uirum, seorsim mulierem uoluerit uiuere, sed dixerit: Non est bonũ homini esse soli, ex quo Paulus statuit, unumquenꝫ debere suã uxorẽ, & unamquanꝫ suum maritum habere, propter uitandã fornicationem. 1. Cor. 7. nemo pius inficiari potest, quin semper Deo gratum, & nunquam peccatũ habeatur, ut quilibet suam, et quælibet habeat suum. Si ergo qui aut quæ existat, cui nullus sit coniunx, cõiugem

illi concedere oportet. Siquidē effici possit, ut quisq; eam, quā semel duxit, retineat: c
aut si facta discessio sit, recipiat, & quælibet ei, cui primū nupsit, adhæreat, aut facto
dissidio ad ipsum redeat, cōmendabilius est, debētq; ad id conari pij. Si autē alterius
obstiterit cordis duritia, & obstinato animo reconciliationem nolit admittere, non
poterit ob id infringi uerbum Domini, unusquisq; suam, unaquæq; habeat suum.

Omnino itaq; ei, qui æquiorem caussam habet, secundæ nuptię cōcedendæ sunt,
neq; admittit adulterium, qui repulsam duxerit, postquam impetrari reconciliatio
non quiuerit. Non enim ducit eam in fraudem prioris connubij, sed suscipit derelictam. Iam certum est, hic tantum contra leuitatem nulla caussa repudiandi uxores
Christum locutum, & nulli necessarias, atq; laudatas diuinitus nuptias uoluisse ne-
gare. Quia stat firmum Dei uerbum: Non est bonum homini esse soli. Lex denique
charitatis, qua omnia metienda & dispensanda sunt, qui ferat innocenti, ob improbitatem alterius, necessitatem iniici peccati? Iam non est datum omnibus, ut uiuant
cœlibes, teste hic Christo.

Porrò de eo, qui nulla digna caussa uxorem repudiat, neq; ut recipiat, atq; ut uxorem decet, tractet, poterit persuaderi, iudicium magistratus pronuntiabit, si reipublicæ ferendus sit, an secus. Etsi ferendum statuat, necesse est, ut & ipsi quamlibet malo,
& corde duro, uxorem concedat, quia non est bonum homini esse soli, & non est ferenda in populo Dei scortatio. Ergo medium hic nullum est, tollat aut concedat uxorem, etiamsi eum admissi mali non pœniteat, sitq; planè deploratus. Nam & malos satius est reipublicæ habere coniuges, quàm cœlibes, nisi natura inepti essent ad coniugium. Alioqui quis dubitet cœlibatum eorum, plura daturum reipublicæ damna, quàm coniugium? Idem de uxore diuertente, & reconciliationem respuente censendum est, aut tollenda erit, aut permittendum ut alteri nubat.

Causßa nuptiarum & diuortij non est Ecclesiasticorū, sed magistratus.

Optandum igitur est uotis omniū, ut magistratus, cuius imperio externa omnia d
subiecta sunt, diuortij caussam, sicut & in totum nuptiarū negotiū sibi, iustis ipsum
legibus moderaturus, agnoscat diuinitus demandatum. Nihil enim est commentū
quorundam iuris & æqui male consultorum, hanc caussam ad iudices Episcopales
duntaxat pertinere, & falso falsius. Capitale enim est & Dei & optimorū Cæsarum
legibus adulterium, tum sæuitia & aliæ quoq; diuortiorum caussæ pœna corporali
uindicandæ sunt, quæ omnia ab Episcoporum officio existunt aliena, & pertinent
propriè ad eos, qui gladium à Domino acceperunt. Deinde ab ijs qui foris sunt, potissimum hæc proueniunt, qui item ad Episcoporum iudicium non attinent. Sed ut
Episcopi sunt, ita habent & iudicia & caussas. Ad hæc longe abest, ut quicquid illi
ad se rapuerunt, id eorum esse credatur. Non solum enim multa quæ sunt magistratus profani, sibi illi uendicarūt, sed plurima etiam Christi, dum omne ferè in animas
sibi imperium usurparunt, & fidem sub suas leges coegerunt.

Magistratus igitur Christianus sciat externa omnia sibi demandata, ut ad gloriam Dei publicamq; honestatem cūcta instituat, neque dedecere se, quod Moscheh
in populo Dei sibi permisit. Idem & noster Deus est, atque utinam tam sanctè respublicæ nostræ gubernarentur, ut illa gubernata à Moscheh fuit. Sanè superiorū temporum imperatores, qui fidem nostram amplexi fuere, matrimonij & diuortij caussas nequaquam à iudicijs suis alienas duxerunt, ut testantur de his eorum leges in
multis sanè laudatissimæ.

Prima ciuilis lex digna reuocari.

Inter quas primam reuocari multo saluberrimum foret, ne nuptiæ sine consensu
eorum, in quorum potestate sunt, coeuntes, id est, patris uel aui, aut proaui consisterent, quos tamen si æquo longius differrent, magistratus ad officium compelleret.
Quam legem eximiè sanctam Romanis olim fuisse, testatur titulus de ritu nuptiarū, libro Pandectarum Iuris ciuilis 23. & alijs quoq; libris Iuris ciuilis repetita. Quā sanè & apud nos sanctam haberi non solum è re foret contrahentium matrimonium;
qui

qui per ætatem sibijpsis parum consulere possunt, uerum etiam ex eo nos unice de-
ceret, quod apud nullos patriam potestatem tanti esse atq; apud nos oportebat. Inue-
xit Roma cõtra hanc legem diuino & naturali iure subnixã commentũ multo per-
niciosissimum, ut matrimonium indissolubile sit, cum id uerbis de præsenti mas &
fœmina in ætate nubili contraxerint, etiã nemine alio sciente, uel consentiente. Hac
sua, ut legem Dei, de audiendis parentibus irritam fecerunt, transgrediq; docuerũt,
ita plurima infœlicitate innumera connubia, quæ, scilicet, & inconsulto ab imperi-
tis iuuenibus, & impie à contemptoribus potestatis patriæ irrita fuerunt, funesta red
diderunt. Quo magis mirũ hanc Christianis adhuc tantopere arridere. Quod enim
iactatur: Quos Deus coniunxit, &c. Christus respondit de cõiunctis legitime, quicq;
consummato iam matrimonio, in unum hominem conuenerunt. De repudio nanq;
iustæ uxoris nõ sponsæ & interrogatus erat, & responsum hoc tulit. Deus ne sibi qui
dem, & unius duntaxat dieculę ieiunium, filiæfamiliâs uouere inscio patre permisit,
neq; ratum, si uouisset, habere uoluit, &, scilicet, probet, ut ille incõsulto patre, patris
potestate exemptæ addicant se connubio alienis uiris, ut iam relicto patre, una sint
cum illis caro. Magna sanè uis erroris diuturni. Quòd enim pestilens & impia hæc
traditio obtinuit aliquot seculis, cedere illi oportet ius diuinum, pariter & naturæ,
omniumq; gentium iustũ consensum. Et quod magis mireris, cum patriam potesta
tem tanti adhuc faciant, ut nulla penitus promissio Deo uel hominibus à filio uel fi-
lia familiâs facta, rata habeatur, hanc solã, qua nulla & plus requirit consilij atq; cir-
cunspectionis, & patriæ potestati plus detrahit, totam siquidẽ tollit, uolunt firmam
esse. Sed quando uulgo non deteriora placuerunt? Qui recte sapiunt, nunquam insi
ciabuntur legem Dei de honorandis parentibus grauissime uiolari, si liberi incon-
sultis parentibus matrimonia contrahant, eorũq; promissa patriam potestatem nun
quam tollere possent, quamlibet ea constent uerbis temporis præsentis, eoq; paren-
tibus integrũ esse, non minus nuptiarum, quàm alia, & æque quæ hominibus facta
sunt, atq; quæ Deo, pacta irrita facere. Sed & hoc dignũ uiolatoribus legis Dei com
mentum, quòd promissionẽ uerbis factam præsentis temporis pluris faciunt, quàm
temporis futuri, ut si qua dixerit. Spondeo me tibi uxorẽ fore, possit à promissione re
cedere: si autẽ dixerit: Accipio te in maritũ, uel addico te mihi in uxorẽ, non possit.
Quid enim hæc uerba habent, quod non contineatur & illis: spondeo me tibi uxo-
rem fore? Sed ita ludit seipsam humana sapientia. An non sit hoc cõmentum illi simi
le, quo pharisæi eum, qui iurasset per aurũ templi, teneri, non autẽ eum, qui per tem-
plum. Sed mittamus cæcos istos, & cæcorũ duces, & quæ cauta sunt legibus Dei, re-
cepta legibus omnium prudentum, quicunq; ante Papæ regnum fuerunt, inscripta
denicq; in corda omniũ, confiteamur. Vt nemo seipsum potest potestati eximere, cui
addictus est diuinitus, ita nemini quoq; licere patriæ sese potestati subducere, & alte
ri per matrimoniũ addicere, si id quisquam tentet, parentes suos posse repetere, quic
quid ab eis promissionis interceserit. Ne autẽ parentes sua potestate abutantur, ca-
uendum est per magistratus. Denicq; illis nihil negotij exhibendum, qui contra hęc
ex ignorantia legis diuinæ, & Papæ legem diuinam arbitrati, nuptias iniuerunt.

Deinde & illa lex admodũ conueniret, ut ante celebratas nuptias, integrum esset *Secunda lex.*
conditioni renuntiare, tam sponso, quàm sponsæ, atq; ijs in quorũ potestate sunt, ut
olim id integrum fuit, si utriscq; consentientibus impune, si altero inuito, nonnulla
quidem, sed leuicula tamen pœna, ut eodem lib. Pandectarum, tit, de Sponsalijs, &
C. eodem, atq; locis alijs legimus. Nam cum summa debeat esse inter coniuges con
iunctio, atq; omnis iuris diuini & humani communicatio, sanè graui perpensione
opus fuerit, quam quisq; ducat, & cui quæq; nubat, nec uspiam minus præcipitan-
dum. Quapropter dubitari non potest, commentũ satanæ fuisse, quòd matrimonij
promissio per uerba, ut loquũtur, de præsenti, tam inuiolabilis fuit habita, etiã clam

parentibus

parentibus,& ſine ullis arbitris facta, cum ea nihil aliud ſit, quàm ſponſio cum uerbo futuri temporis,ut modo monui.Necꝙ enim alia intercedebat promiſſio, quæ ex ſponſa cõiugem effeciſſet,ſed nullo reſcindente ſponſionẽ,cum ducebatur ſponſa in domum ſponſi,nuptiæ conficiebantur. Sed quid? Homini Chriſtiano quæuis promiſſio,quæ modo non ſit contra Deũ,ſancta eſt,nec minus ſponſalia,quæ uocant,ꝙ quodlibet aliud nuptiarũ pactũ ſeruabit,quantũ cum Deo licet. Cum autẽ oporteat coniuges in unam carnẽ redigi, hoc eſt, ſumma uiri animorũ & corporũ coniunctione,quiſquis ſapit,remitti ſibi cupit,ſi quid hic promiſiſſet temere,& ei ſeſe addixiſſet,quem ſibi diuinitus deſtinatũ coniugem minime crederet. Debet igitur eandem libertatẽ & aliis facere.Proinde ſi publica lege permitteret certis ex cauſis conditioni renũtiare,ad eum uſꝙ diem, quo ſponſa duceretur, & ſolennem reciperent in eccleſia nuptiarũ benedictionẽ,nulli ſanè iniuria fieret, multis autẽ conſuleretur ſaluberrime.Iam eſt Chriſtianorũ libertas, ut ex præſcripto dilectionis in omnibus id amplectantur,quod maxime profuturum crediderint.

Præterea operæpretium eſſet haud plures perſonas ab ineundo inter ſe connubio arcere,quàm uel lex Moſcheh lib.3.cap.18.uel lex Cæſarum,quæ in Cod.lib.5.titulo de inceſtis & inutilibus nuptiis, item inſtitutionibus lib.1. de nuptiis legitur, à lege Dei nihil diſcrepans. Sunt autem quas lex Cæſarum uetat in coniugium accipere, hæ tantum:Filia,Neptis,Proneptis,Mater,Auia,Proauia,Amita,Matertera,Soror, Sororis filia,Neptis,Priuigna,Nouerca,Nurus, Socrus, Fratris uxor, & ſoror uxoris.Has & lex Dei ducere prohibet, quare conſobrinis & fratruelibus connubium inter ſe contrabere licet,quicquid contrà leges Pontificiæ ſtatuerint. Quis enim honeſtatis hic maiorem rationem habeat Deo ipſo omnis honeſtatis autore? Cuius legibus quanto plus reſpondent Cæſareanæ Pontificiis, tanto certe eis apud Chriſtianos pluſquam Pontificiis oportebat deferri.His profecto legibus receptis, ut multo ſanctius nuptiæ fierent,ita poſſent & honeſtiores & diuturniores perſiſtere.

Porrò ad conſeruandum nuptias iam contractas,uix potentius aliud faceret, atꝙ ſi lex de puniendis adulteriis,aut Domini,aut certe Conſtantini Cæſaris, quæ cum Domini lege eadem eſt,quia adulterium capite punit,reduceretur.Illa legitur 3.Moſcheh 20.Hæc C.ad legem Iuliam,de adulteriis & ſtupro. Quæ poſtea quidem detruſione in cœnobiũ,quo ad adulteras immutata fuit,ſed præter rationem. Quæ enim ab ea caſtitas expectanda ſit,agente abſꝙ uiro, quæ iuncta uiro libidini ſuccubuit? Ad hæc uita cœnobitica inuentum hominum eſt, quòd ſua natura, tranſgreſſiones mandatorum Dei promouet,non arcet.

Sed ſunt quidam,indulgentiores æquo Chriſtiani,qui putant pœnã adulterij per Chriſtum ſublatam, cum adductæ ſibi mulierculæ in adulterio deprehenſæ dixerit: Nec ego te condemno,uade & poſthac ne peccaueris.Item quòd ad phariſæos, qui illam adduxerant: Qui ueſtrũ immunis eſt à peccato, primus in illam lapidẽ iaciat. Sed hi non agnoſcunt, quod Chriſtus Pilato dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo.Quod ergo officij ſui erat, & confidentes phariſæos peccatorum ſuorũ admonuit,iubens eum,qui immunis eſſet à peccato, primum in illam lapidem iacere, non tamen prohibens,quod pater mandarat,lapidari eam,etiam ab iis,qui non erãt à peccato immunes.Nam ſi ij duntaxat pœnas ſumere de nocentibus deberent, qui ipſi ab omni peccato immunes eſſent,nulli omnino punirentur. Sic & adulterã hortatus ad reſipiſcentiam fuit,neꝙ condemnari prohibuit, licet ipſe eam condemnare nollet,quòd nulla publica poteſtate fungeretur, & cum animis potius electorum, non corporibus nocentium negotium haberet. Nequaquam igitur hinc ſublatam legem de animaduertendo in adulteros colligi poteſt.Regnũ mundi,hoc eſt, exteriorem illam rempublicã legibus Moſcheh, & quibuſcũꝙ aliis,ad publicã pacẽ & honeſtatẽ conſtitutis Chriſtus permiſit, & regni cœlorũ,regni ſibi credentium regem ſeſe

Chriſtus pœnam adulterij nõ reuocauit.

A ſeſe exhibuit, in quo à peccantibus, nihil niſi reſipiſcentia, & ut ſe uoluntati Dei bonæ committant, requiritur, & ut parati ſint dare peccatorum pœnas, quas & quando optimus pater ſtatuerit, ſiue ſumi illas per magiſtratum, ſiue alios contingat. Magiſtratus autem, & ſi ipſe quoq; eò ſpectet, ut mentes ſint integræ, atq; à flagitijs alienæ, tamen externa ſola eius cognitioni commiſſa ſunt, & ſcopus hic præfixus, ut publica ſtet rerum tranquillitas, morumq; integritas & honeſtas. Contra quæ, ne mala exempla inualeant, quoſdã omnino tollit. Quis iam probet, uelle homines eſſe, uel clementiores uel æquiores Deo: Si conſtitutus eſt magiſtratus, ut in malos animaduertat, & à Deo cõſtitutus, qui poſſit officio ſuo fungi rectius, quàm ſi in eos animaduerteret potiſſimum, & eo modo, in quos, & quo modo Deus ipſe ſtatuit? Quſ approbabunt hodie ſua iudicia quidam Domino, qui in fures, quos ipſe mitiore pœna puniri uoluit, ſæuere adeò animaduertunt, adulteris etiam arrident, idq; non ſolum contra leges Dei, ſed etiam Cæſareas. Sanè connubij fides & diuturnitas uix alia re conſeruari poſſet commodius, quàm ſi capitale adulterium eſſet. Nulla profecto pro be inſtituta reſpublica unquam fuit, ubi ſi non capitale adulterium fuit, non præter infamiam, etiam corporis aliquo tormẽto fuerit uindicatũ. Quin apud ueteres Germanos, qui uiſenda barbarie notati ſunt, adulteræ acciſis crinibus nudatæ, coram propinquis, expellebantur domo à maritis, ac per omnem uicum uerbere agebantur, ut meminit Cornelius Tacitus libello de ſitu, moribus, & populis Germanorũ. Hinc quòd pœna tam preſens erat, paucíſſima in tam numeroſa gente adulteria erant. Poſtremo quia omnino quædã in uita humana ſæpe incidũt, quæ neceſſario diuortium requirunt, & de his uel nouæ leges condendæ, uel ueteres reuocandæ erant. Extat in Cod. Iuſtiniani libro quinto, titulo de repudijs, lex imperatorũ Theodoſij & Valentiniani, religionis nomine plurimum laudatorum, quæ cum ad æquitatem, honeſtatemq; publicam mire attemperata ſit, optandum erat, ut obtineret. Huius uel partem hic ſubſcribere libuit.

Lex Theodoſij & Valentiniani.

Conſenſu inquiunt, licita matrimonia poſſe contrahi, contracta nõ niſi miſſo repudio diſſolui, præcipimus. Solutionẽ etenim matrimonij difficiliorẽ eſſe fauor imperat liberorũ. Cauſſas autẽ repudij hac ſaluberrima lege apertius deſignamus. Sicut enim ſine iuſta cauſſa diſſolui matrimonia iuſto limite prohibemus: ita aduerſa neceſſitate preſſum, uel preſſam, quamuis infauſto, attamen neceſſario auxilio, cupimus liberari. Si qua igitur maritũ ſuum adulterũ, aut homicidã, aut uenefícum, uel certe cõtra noſtrum imperium aliquid molientem, uel falſitatis crimine condemnatum inuenerit, Si ſepulchrorum diſſolutorẽ, Si ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, ſi latronẽ uel latronũ ſuſceptorem, uel abactorẽ, uel plagiarium, uel ad contemptum caſtas exaſperat) cœtum ineuntẽ, ſi ſuæ uitæ ueneno aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiantem, ſi ſe uerberibus (quæ ingenuis aliena ſunt) afficientẽ probauerit, tunc repudij auxilio uti, neceſſariam ei permittimus libertatẽ, & cauſſas diſſidij legibus cõprobare. Vir quoq; pari fine claudetur, nec licebit ei ſine cauſſis apertius deſignatis propriã repudiare iugalẽ. Cauſſas autẽ, prẽter dictas, ob quas repudiari uxor à uiro poſſit, has illa lex numerat: Si maritus uxorẽ probauerit, ſe ignorante uel nolente, extraneorũ uirorũ conuiuia appetentem, aut ſine iuſta & probabili cauſſa, inuito ſe, foris pernoctãtem, uel ludis Circenſibus, uel theatralibus, uel arenarũ ſpectaculis, in locis, in quibus hæc aſſolent celebrari, ſe prohibente, gaudentẽ. Præter has cauſſas, ſi uel maritus uxorẽ, uel uxor repudiet maritũ, & dotem & propter nuptias donationem amittit, utraq; cedente ei, qui iniuria à coniugio repellitur, qui autẽ alterum, ob aliquã dictarũ cauſſarum repudiarit, ei cedit utraq;, & licet uiro mox, ſi libeat, alterã ducere, mulieri tantum poſt annũ, ne quis de prole dubitet.

Hæc uero diuortij cohertio, indubie ad eos ptinet, q̃ui coniugũ officio reſpondere poſſunt;

possunt,alioqui quoniã nuptiæ propter fornicationẽ uitandam quæruntur.1.Cor.7. c
prudens & amans honestatis magistratus,si quid tale inciderit,quo minus coniuga
li officio alter alteri adesse possit,ita rem attemperabit, ne cui occasio peccati obijci
atur,& unusquisq; suam uxorem,& unaquæq; maritum suum habeat, non ad pro
uocandam sed uitandam fornicationem.Cumq; lex imperatorum Anastasij & alte
rius Theodosij,post priorem lata,repudium ex communi cõsensu, tam mariti quàm
mulieris,missum,etiam citra aliquam prædictarum caussarum nulla pœna dignum
iudicarit,& mulieri post annum secundas nuptias concesserit, multo minus grauа
bitur pius magistratus secundas nuptias post diuortium concedere ei,cui casu ali
quo coniunx ad officia matrimonij inutilis reddita est. De quo suprà octauo in hi
storia leprosi.

Incredibili sanè,hîc,ut & in alijs rebus cæcitate percussi sumus.A' legitimo & salu
bri diuortio,post quod secundæ nuptiæ permittantur, nemo est, qui non abhorreat
maxime,interim autem ad adulteria & stupra conniuetur,imò arridetur, & proban
tur diuortia illa Episcopalia, prohibitis secundis nuptijs, quibus nihil aliud quàm
scortatio,atq; omnis pudicitiæ exterminium alitur et fouetur.Sic audias hodie quí
ritari quosdam contra connubia sacrificorum, qui nulla in illis adulteria & stupra
indigne ferunt,si tantum non habeant suas. Expendant qui iudicium recti habent,
an non præstaret leges in re hac horum principum,sanè religiosorũ, quicq; nihil con
tra Euangelion aut ipsi statuere uoluerunt, aut etiam ab Episcopis, qui tum erant,le
gis Euangelicæ,non minus quàm posteriores, tenaces, atq; seruantes, permissi fuis
sent sequi,quàm Pontificias.Cum inficiari nemo possit, has cum lege Dei pugnare,
illas uero conuenire.

Vere orandus Deus est,ut hic & in alijs,nostris magistratibus oculos aperiat,quo
uideri possint,quid sibi & liceat,& mandatum sit.Profecto respublica restitui nõ po
test,nisi reformatis domibus,hæ reformari nequeunt,nisi recuperata sanctissimi ho
nestate connubij.Hæc libuit hic commentari,non quòd de regno mundi,præter of
ficium meum sim magnopere solicitus,sed quòd experiar quotidie innumeras con
scientias partim excarnificari,partim periclitari, eò quòd magistratus nostri, etiam
qui Christiani sibi uidentur,pernicioſas Pontificum de re hac leges,saluberrimis &
Dei,& Cæsarum legibus non præferunt tantũ,sed etiã contra has, obseruare illas co
gunt.Qui sanè monendi sunt,ab omnibus qui regnũ Christi amant,ut uelint agno
scere,à Deo se,non Pontificibus potestatem accepisse,eoq; functionẽ eius ipsi quoq;
approbandam. Cumq; caussantur, si diuortiũ ita & secundas nuptias admitterent,
fore ut plurima matrimonia dissoluerentur, quæ modo firma consistunt, respon den
dum eis est,si uelint officio suo fungi,& animaduertere,ut par est, in nuptiarum sa
crilegos,nequaquam hoc futurum.Nunc autem id fieri,quando adulteri & adulte
ræ & impune agunt,& ad nuptias nõ compelluntur. Hinc certe aperitur eis ampli
simum ad quamlibet libidinem ostium,præsertim,cum nocentes mariti,uel uxores,
adulteris tantum substantiæ dare coguntur,quantũ cogi possent, si nulla iusta caus
sa eos repudiassent. Si leges, quas memorauí, sequi magistratus uellet, adulteria,&
omnis indecens matrimoniorum dissolutio arceretur, cum nunc multis modis con
trà peccetur.Adulteria enim non puniuntur,& diuortia, quæ ad scortationem com
pellant,rata habentur,tum innocentes à iustis & necessarijs nuptijs abarcentur. Sed
satis tandem de ijs,quæ intersunt magistratus. Ex quibus profecto pij satis habebũt,
ut de hisce rebus inquirant latius, quibus pie inquirentibus ueritas Domini sese
haudquaquam occulet.Reuertamur nos ad uerba Domini, quæ hic respondit,per
pensuri,quid Christianis in his concessum sit,aut interdictum.

Quia igitur constat Christi regnum non esse de hoc mundo,dubium non est, uo
luisse his quæ hic respondit,Dominum,ut & aliâs solitus fuit,indicare tantum, quid
electis

electis circa diuortium liceat, hoc est, quid in eo honestatis sit, et Deo gratum, ac ne-
quaquam statuere aliquid de gubernandis malis. Id enim quod Paulus aiebat, Chri-
sti quoq; uerbum est. Quid enim ad me attinet, etiam de his qui foris sunt iudicare?
&c. 1. Corinth. 5. Ergo in præsenti docere hoc solum uoluit, ut summam ex Dei insti-
tutione inter coniuges coniunctionē esse oportet, ita non licere repudiare uxorem,
nisi ob solam adulterij caussam, eoq; adulterium committere, hoc est, in coniugium
peccare, quotquot quamlibet caussam dederint, ut male illud soluatur, aut solutum
non rursum coeat. Notandū autem, quod ait: Quicunq; repudiauerit, uxorē suam. *Quicunq; repudiauerit.*
Nam de uxore duntaxat, hoc Domini dictum accipiendum est. Vxor autem, quid
sit, nemo est qui nesciat, nimirum quæ uiro sit iuncta, & officio uxoris inseruiat. Si
qua igitur uel casu aliquo, uxor esse nequeat, aut certe antè discesserit, ut repudiari
non possit, quis non uideat ad talem hoc Christi responsum non pertinere? Iudæis
responsum hoc datū fuit, qui licere sibi arbitrabantur, uxori, quæ uere hoc erat quod
dicebatur, uiroq; cupiebat adhærere, ob fœditatem, aut quamlibet aliam caussam, si
uir parum eam amasset, repudium mittere. Quare si qua uxorem agere uel nolit, uel
non possit, etiam non intercedente adulterio, liber pius maritus est, neq; hoc Domi-
ni dicto à nuptijs secundis arcetur. Quia non est bonum homini esse soli. Solus au-
tem huiusmodi est, quòd uxore careat, qua uitare posset fornicationem. De correpta
morbo lepræ dixi suprà octauo nonnihil. Videat ergo Christianus si uxore careat,
undecunq; id acciderit, & tamen uxore opus habeat ad decenter uiuendum, ut tan-
tum in Domino uxorē ducat, hoc est, ad id ut innocentē Deo uitam agat, cum nul-
lius iniuria coniunctā, certus his Domini uerbis, nihil omnino huius sibi prohiberi.

Deinde animaduertendum, si qua uxor sit, & uxoris officio per omnia etiam sa-
tisfaciat, fidem autem falsa coniugalem, miscens se alteri uiro, licere quamlibet pio,
talem repudiare. Non præcepit autem hoc, ut leges Cæsareæ, quæ retinentem in ad-
ulterio deprehensam uxorem, crimine lenocinij, quæ ut adulterium punitur, reum
faciunt, ut lib. Pand. 48. titulo ad legem Iuliam, de adulterijs & stupro legimus, item
in codice, titulo eodem. Nam si spes marito esset semel lapsam uxorem, caste postea
uicturam, cur non condonaret peccatum, & tegeret malum domus suæ? At si ita in-
stituat se adultera, ut nihil nisi domus cōtaminatio, & pessima alijs exempla ab ipsa
possint expectari, non modo à Christiano repudianda, sed & accusanda fuerit, si mo
do iudex sit, qui in execrabile hoc flagitium animaduerteret.

Tertio hinc liquet, de nullo ficto, sed uero diuortio Dominū respōdisse, post quod
alteri nihil omnino debeat. Nam de tali fuerat rogatus, ut Iudæis sanè nullum aliud
cognitum fuit, quemadmodum & alijs gentibus, antequam commentum illud de
ficto isto diuortio, quod Ecclesiastici obseruant, obtinuisset. Vnde apud Romanos
his uerbis utebantur: res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. Indubie igitur cōmen-
tum satanæ est, quod Pontificij ab omni coniugali communione dissoluunt, inter
quos diuortium comprobant, & uinculum tamen coniugale uolunt permanere, ut
ita omni coniugio priuentur, etiam qui diuortio nullam omnino caussam dederūt,
quo aliud nihil efficiuut, quàm ostium aperiunt malis, omnia libidine contamina-
di, & bonos pariter ad impudicitiam & scortationem impellunt. His nihil patroci-
natur, quòd sententijs patrum quorundam uidentur niti. Etiam per sanctos sæpe si-
nit Deus irrepere, quæ non parua postea incommoda adferant. Præstiterat, ut alias
patrum sententias ad hunc modum amplexi, ipsi non ita perdite uiuerent. Sed mit-
tamus hos. Hæc ueritas est, Dominum hic de eo diuortio respondisse, de quo fuerat
rogatus, rogatus autem fuerat de eo, post quod uterq; coniugum nouas nuptias ini
bat. De hoc ergo cum responderit, & ipsum negans in alijs casibus, commisso adul-
terio admiserit, dubitari non potest, repudiata adultera, licere aliam ducere.

Contra hanc Christi apertam ueritatem, inconsiderate adducunt illud Roma. 6.

& 1. Corinth. 7. Mulier alligata uiro est, ipso uiuente. De uxore enim Apostolus loquitur, quæ id quod dicitur, esse potest atq; permittitur. Nam cui missum repudium est, uxor esse desinit, eoq; iam uiro illi alligata esse qui possit? Ad hæc generalem his locis matrimonij legem Paulus adducit, quam tamen ipse, apud Corinthios, in casu non tenere affirmat, qui igitur hinc concludi possit, secundas nuptias nulla omnino ratione admittendas? Nihilo consultius, & illud obijciunt, si discesserit, innupta maneat, aut reconcilietur uiro. Nam hic de ea loquitur, quæ uxor esse possit & permittetur, quæ citra causam iustam ultro à uiro diuertit. Certe huiusmodi, cum iniuria à marito discesserit, iure ad eum iubetur redire, aut innupta manere, quo, scilicet, compellatur citius reconciliationem petere. Nam si quis concedat hoc Pauli dictum esse uniuersale, is & Christi hoc loco sententiam de repudiandis adulteris falsam reddet. Porrò si qua indigne diuertat, neq; adduci possit ut redeat, frater nō erit ob illius improbitatem ligatus, ducereq; poterit aliam, quia nō est bonum homini esse soli, etc. Tum si reuersam illā ad se facti pœnitere incipiat, & fortè uratur, opusq; habeat marito, nubere sanè & ipsa in Domino poterit, quia fixum est, unaquæq; maritum suū habeat, &c. Nullo enim unquam uel casu uel peccato fieri potest, ut quisquā ad peccandum cogatur, aut ad uitæ integritatem aliqua commoditate priuetur, si ad eam aspiret, quare cuicunq; datum non fuerit, pure extra coniugium uiuere, coniugium amplecti debebit, quocunq; etiam, suo uel alieno peccato, ab eo antea excidērit. Hic si magistratus putet ab aliquo dolum malum admitti, & praua exempla introduci, puniat quod puniendum deprehenderit, modo citra hoc, ut ad periculum peccati quenquam cogat. Nam si non prorsus tollat, quos peccare hic iudicauerit, sed uiuere illos passus fuerit, arcere eos à cōiugio, sine quo nequeunt bene uiuere, haudquaquam poterit.

Ex Paulo.

Multo uero adhuc stultius obijciūt, quod hic sequitur, & supra excussum est. Qui repudiatam duxerit, &c. Nam ut Christus repudium hic tantum damnat, quod aliàm adulterij caussa missum ei fuerit, quæ uelit & possit uxor esse, ita eum solū adulterij reum facit, qui ob aliam caussam, eoq; non legitime repudiatam, talem duxerit, in fraudem, scilicet, prioris connubij. Certum nanq; est, Christum unum hoc præsenti loco egisse, ut leuem illam diuortij facilitatem, quam sibi permiserant Iudæi, ostenderet esse à uere pijs alienam, qui iunctos, scilicet se à Domino agnoscerent, eoq; arctissima sibi inuicem coniunctione adhærerent. Siue igitur iuste, siue iniuste repudiata aliqua fuerit, si nulla ei spes sit ad uirum priorem reuertendi, cupiat autem pie uiuere, maritoq; opus habeat, ducens eam, haudquaquam peccabit. Certo enim certius est, Christum seruatorem, nulli omnino quamlibet peccatori id negare aut uoluisse aut potuisse, quo promoueri possit, ad honestatē & pietatem. Vtcunq; igitur repudiata aliqua fuerit, si eam prior maritus recipere nolit, Christus nequaquam negare ei nuptias uoluit, cum ipse testetur, non omnes esse capaces dicti huius, expedit homini, &c. nuptijs liberum uiuere. Non erit ergo adulter, qui talem duxerit. Suprà adhuc alia ex Paulo ratione probaui, non posse uniuersaliter hanc sententiam intelligi. Et qui repudiatam duxerit.

Qui repudiatam duxerit.

Memores ergo sint Christiani, ad quid sit connubium institutum, quodq; Deitatis pugnet, ut ulla caussa illicitum habeatur, quod diuina uoce bonum laudatur, uti connubium sanè laudatum legimus. Neq; esse Christi uerba prætermisso scopo doctrinæ eius diuexanda, alioqui cum Anabaptistis, ex eo: At ego dico uobis, ne resistatis malo, damnabimus magistratum, iussu Dei malo resistentem, damnabimus, qui patrem appellet in terra, quòd id Dominus prohibuerit, & multa alia absurda inuehemus. Spectanda igitur fidei analogia est, spectandum quid officium Christi, spectandum denicq; quid proprie in unoquoq; loco respondere, & docere uoluerit, & quòd nusquam respondere & docere alia potuerit, quàm quibus in omnibus pietas

tas quàm cõmodissime & suauissime promoueatur. Cum ergo huiusmodi sit, ut quilibet suam uxorem, & quælibet suum maritum habeat, contra id nihil potuit respondere, sed contra leuitatem repudij nulla legitima caussa missi, quòd ea pietati deroget, respondisse hic, extra dubium est.

Discamus ergo hinc primum, ut à diuortio abhorreamus quàm maxime, neque unquam id nobis nisi summa necessitate compulsi permittamus. Natura enim inuisum adeò est, ut apud Romanos, ab urbe condita, D. uigesimo tertio anno, primum intercesserit, repudiante sterilitatis caussa uxorẽ, Spurio Carbillio, ut meminit Valerius Max. lib. 2. & Aul. Gel. lib. 4. cap. 3. Deinde discamus, ut sint scripturę loca interpretanda, nempe, ut nequaquam elementis inhæreamus, sed consultis & locis alijs, ut hic Christum fecisse uidemus, perquiramus, quid in unaquaq; re, primæ Dei institutioni, atq; omnino uoluntati maxime respondeat, uitæq; integritatem, & honestatem promoueat. Tertio miram hic quoq; matrimonij dignitatem commendari animaduertamus, quòd eius autor Deus sit, ipseq; iungat, qui matrimonio cõueniunt. Quod uitæ genus, quod institutum sanctissimorum Nonnorum & Nonnarum hoc elogio commendatur? Hinc ergo fidem alant coniuges, quòd illos Deus coniunxit, illi querantur si quid aduersi incidat, non poterit eos deserere, in statu, in quem ipse eos collocauit, modo à se pendeant: deinde hinc & charitatem alant: si nanq; Deus illos coniunxit, & ita coniunxit, ut unus homo sint, relictisq; parentibus sibi inuicẽ adhæreant, debet planè maritus boni consulere, quamlibet uxorem sibi Dominus obtruserit, diligereq; ut carnem propriam: uicissim mulier uirum suum obseruare propter Dominum, qualiscunq; etiam sit, quia eum Dominus dedit, uterq; uero nõ dubitare, se Domino facere, quicquid fecerit coniugi.

Quomodo deserendi parentes.

Porrò illud: Propterea relinquet homo patrem & matrem, &c. quod Adam dixit, & proculdubio ex spiritu Dei, nemo sic accipiat, quasi negligendi sint parentes præ coniuge. Si enim hoc sensu accipiendum esset, Christus ipsum tanquam probe dictum, haudquaquam hic citasset, qui obseruantiam parẽtum sanctam haberi uoluit. Sed uoluit Adam eo significare, summum erga coniugem amorẽ, quem animo cuiusq; Dominus tantum immissurum intellexit, qui hactenus desiderium parentum esset excusurus, ut coniugi ante omnia conuiuere liberet, nõ neglectis quidẽ ideo, aut fastiditis parentibus, sed consuetudine ipsorum, consuetudini coniugis posthabita. Quod nimirum Deus uoluit, perpetuitati humani generis consulens. Ante nuptias enim uterq; cõiugum suis adhæret parentibus, & ipsorum caro reputatur, ubi autem in matrimonium conuentum est, tanquam noua domus ex eis constituitur, acceptisq; liberis ceu deorsum, animos & curas suas demittere oportet, qui antè sursum respiciebant, animis parentibus addictis, totiq; ab ipsis pendentes. Si ergo tanta debet coniugum inter se esse coniunctio, summopere cauere uterq; debet, quicquid dissidium parere possit.

Illud: Quos Deus coniunxit, homo non separet, ad maritum proprie pertinere, dictum suprà est. Item Deum separare, quandocunq; secundum Deum separatio contingit. Secundum Deum autem contingit, quæcunq; fuerit legitima. Quæ iam legitima sit, dictum item suprà est. Cæterũ de officio coniugum Ephes. 5. Colos. 3. 1. Tim. 5. Titum 2. 1. Petri 3.

Dicunt ei discipuli eius: Si ad istum modum habet caussa hominis, Matth. solus.) Vni nanq; uxori perpetuo adhærere, quamlibet fœdæ aut sterili, aut etiã animi morbis obnoxiæ, modo uelit & possit uxorem agere, perdifficile discipulis uidebatur, præsertim post licentiam repudij, quæ apud Iudæos inualuerat. Nam & apud gentes, iam impune licebat uxorem ob quamlibet caussam repudiare. Secundum carnem igitur discipuli bonum arbitrabantur, non contrahere matrimoniũ, si non posset quisq; cum uellet, inuisam uxorem repudiare. Dominus autem ad spiritum ipsos

reuocans,& loquens de eo,quod uere bonum sit, aiebat: Non omnes capaces sunt eius dicti,sed quibus datum est. Quasi diceret: Sanè ita res habet, bonum homini esset liberum à coniugio uiuere,habet enim illud multas molestias,ac præterea detinet animum,ut necessario terrena curet, quem præstiterat perpetuo immorari cœlestibus. Olim sanè uiuent electi similes angelis,alieni à nuptijs, quam profecto uitam optabile esset hic meditari. Sed est alia ratio uitæ præsentis, inde est quod Dominus dixit,bonum esse cœlibatum, non omnes capiunt, sed soli quibus peculiariter datum fuerit.

Cœlibatus propter regnum cœlorũ

Sunt nanq; qui nuptijs abstinent, quibus id tamen haud magnopere bonum est, nempe qui corpore inepti ad coniugium,uel nati, uel postea facti sunt. At sunt etiã qui seipsos castrarunt,hoc est,cum mariti esse possent, ultro cœlibatum sibi delegerunt,id q; propter regnum cœlorum,ut,scilicet soli gloriæ Dei propagandæ inseruiant,& nulli peculiariter addicti ministrent ad salutem omnibus,hoc est,curent quæ proprie Domini sunt,ut ipsi se per omnia approbent,sancti corpore & spiritu,adhæreantq; ei absq; ulla distractione, id est, omnino specimen quoddam futuræ uitæ & cœlestis exhibeant. His demum bonum est absq; coniuge uiuere, quia datum eis id est,& propter regnum cœlorum ita uiuunt. Talem se Paulus 1. Corinth. 7. fuisse testatur,& ad similem ibi fœlicitatem alios quoq; hortatur, quò minore solicitudine eorum,quæ in mundo sunt,Domino possint adhærere,& mundo uere uti,tanquam non uterentur,quolibet momento parati hinc ad Christum concedere, qua non libertate tantum,sed prorsus fœlicitate quid optabilius? Verum & ibidem addit: Hoc autem ad id quod uobis conducibile est,dico,non uti laqueum uobis injciam, &c. Quid iam hoc aliud est, quàm non omnes sunt capaces huius dicti sed quibus datũ est: his ergo solis consulo,ad has cœlestis uitæ delitias aspirare, reliquis ualo, propter fornicationem uitandam,unusquisque uxorem suam, & unaquæq; maritum suum habeat.

Probe ergo notandum eum demum cœlibatum Domino probari, qui propter regnum cœlorũ suscipitur, id est, quo expeditius illud quis uerbo & opere possit promouere,atque ad illud, pro una uxore uel marito & paucis liberis,seruire pluribus. Vnde cœlibatus Nonnorum & Nonnarum bonus esse non potest, non enim propter regnum cœlorum,hoc est,ut Christus latius regnet, & pluribus cõmunicetur, illum suscipiunt,sed sui tantum caussa: pars, quòd eo aureolam nescio quam apud Deum emereri se putant,& ad parandam suæ animæ salutem,ut loquuntur, minus à mundo,hoc est,necessario suorum ministerio,habeant impedimenti,possintq; pro suo arbitrio uiuere licentius. Pars, ut tranquilliorem corpori uitã agant, habeantq; citra proprium laborem & curam,unde saginentur,sintq; liberi erumnarum connubij,& absq; solicitudine aliorum,uiuant tantum more Epicureorum sibijpsis. Quid hic regni cœlorum est,cuius uis charitate potissimum exeritur,quę nihil sui, sed tantum salutem aliorum quærit? Et hæc quidem sola Dei negotia sunt,propter quæ pie cœlibatus suscipitur.

Quis cœlibatus Monastici sit.

Nam ut tibi eo apud Deum aliquid mereari, nuptias posthabere, impietas est. Etenim Christi merito tum non satis fiditur,& pro eo quod aliâs Deo debetur,poscitur merces, quasi aliquid sit boni, quod fieri à nobis possit, quòd non sit, & donum ipsius, & ad hoc à nobis debitum. Etenim ex toto corde quisque Deum diligere debet,eoq; totis uiribus gloriæ ipsius studere,si iam id cœlibatu potissimũ possit, sitq; datum ei cœlibi uiuere,cur coniugio cœlibatum postponeret,qui totus Deo uiuere debet? Aut quid mereatur,qui quod debet præstat, idq; nunquam plene neq; suæ uirtute, sed dono Dei? Deinde carnalis tranquillitatis caussa cœlibatum suscipere, carnis cupiditas est,qua non quæ Dei,sed propriæ cutis sunt,curantur, ac nihil minus quàm castratio propter regnum cœlorum. Id uel eo probant,quòd regnum cœlorum,

lorum, hoc est, fidē Christi & Euangelion nemo atrocius impugnat. Deinde probat & uita eorum, impurior Sodomis, quod ne cœlibatum quidem quærunt. Sed sunt omnia illorum nihil nisi hypocrisis, uentrisq; & nominis studium.

Deinde non minus diligenter perpendendum, quod Dominus ait: Non omnes dicti huius capaces sunt, sed quibus datum est. Hinc enim aperte concluditur, etiam non omnibus bonum esse cœlibatum, sed ijs tantum, quibus eius fuerit data facultas. Non igitur erit nostri arbitrij, cœlibes uiuere, ac non stultum modo cœlibatum uouere, sed & impium. Debet enim quisq; sua uocatione, suoq; dono esse cōtentus. Si nanq; per cœlibatum tuum, regnum cœlorum Deus promotum uolet, facultatē eius suppeditabit & animum. Si id non faciat, ne displiceas tibi, sed da operam ut fide & iustitia possis referre Abraham, Iitzaac, Iaacob, atq; alios, qui etiā mariti Deo eximie probati fuere. Episcopos, quibus nihil debet esse pietate absolutius, spiritus sanctus maritos habere nō dedignatur modo, sed ferè postulat, nimirū ne calumniæ pateant, unde & uerbum Dei contemnatur. *Non omnibus datum.*

Habet sanè matrimonium à regno cœlorum, hoc est, uita Deo digna, & secū meditanda & apud alios propaganda, auocamenta non pauca, sicut uitæ præsentis omnia. Attamen si cui id datum non sit, ut absq; coniuge uitam instituat, quo Euangelio expeditius possit uiuere, & uelit tamen contempto coniugio, se propter regnū cœlorum castrare, is nihil aliud faciet quàm si quis cupiens celerrime aliquo proficisci, quo graue aliquod onus deportare debeat, comites tardiusculos, qui tamen simul oneri illi portando, humeros suos submittere uelint, reijciat, eò quòd uideat necessarium fore, ut propter eos tardius ingrediatur, eoq; reiectis illis, solus iter instituat, pressus autem graui illo onere, non solum non citius quàm si comites admisisset, perueniat quò tendebat, sed deficiens in itinere, prorsus eo non ueniat, quo sat cito, quia sat bene, admissis comitibus peruenire potuisset. Etenim si quis cui id nō sit datum, absq; coniuge uiuere, attentauerit, faciet sese impudicitiæ periculo obnoxiū, impie sua uocatione contempta, atq; ideo ad Deum nequaquā perueniet, ad quem admissa uxore peruenire potuisset, tametsi ab ea remoras aliquot, quo minus expedite regno cœlorum inseruijsset, sentire oportuisset. Nam cum matrimonium rebus uitæ huius necessario addicat, & cum malis communia multa habere cogat, non raro occasio lapsus inde obijcitur, & si quis maxime non labatur, indignis tamē rebus sæpissime distineri oportet.

Vt autem infinito præstaret, uel quomodocūq; ad Deum peruenire, quàm omnino ad eum non peruenire, ita quibuscunq; datum non est, ut se propter regnum cœlorum castrent, ijs nuptiæ cœlibatui omnibus modis existunt præferendæ. Bonum itaq; erat non solum uxorem non tangere, sed ne cibum quidem sumere, atq; semel ab omnibus uitæ præsentis negotijs esse quàm alienissimum, nam eo peruenietis olim, interim autem, ut tentaret Dominum qui cibo nollet uti, quòd is nonnihil à regno cœlorum remoretur, & precationes sanctaq; studia impediat, utq; infideli detrior esset, qui suorum corporalem curam negligeret, eò quòd interim ab alijs, quę diuiniora per se quidē sunt, ea auocet, ita æque tentabit Dominū, maloq; exemplo Ecclesiæ offendiculum ponet, planè impius & infidelis, quicūq; uxore abstinere uolue rit, cui id datū non fuerit. Quòd autē pontificiæ castitatis adsertores aiunt precibus posse impetrari, ut detur unicuiq; cœlibi uiuere, Christo contradicunt, qui ita pronuntiat: Non omnes sunt capaces dicti huius, &c. Quin isti etiam orant, ne cibo necesse sit, & alijs uitæ huius rebus onerari? Imò cur non oratione sua impetrant, ut semel depositio corpore, planè beati sint, quod esset adhuc prestabilius? Fidelis enim oratio pro eo tantū est, de quo animus orātis certus sit facturū ipsum in gloriā Dei. De quo suprà 8. in historia leprosi ab initio. Iam Deus nō uult omnes cœlibes uiuere, nō agit cuiusq; cœlibatus ad gloriā Dei faciet, quare neq; omnibus pro eo orandum est.

Sunt præterea qui putent pluribus datum hoc donum, sed nolle eos datum sibi agnoscere. Id tam absurde dicunt, quàm si dicerẽt quempiam eximio aliquo, & diu atq; multum optato dono à principe iam donatũ esse, idq; doni in sua potestate iam habere, neq; id scire tamen, aut agnoscere. Pio siquidem, & ad regnum cœlorum uocato, nihil prius, nihil optabilius omnino contingere potest, quàm quo ad regni cœlorum officia promptior atq; instructior reddatur. Quare si datũ ipsi fuerit agere cœlibi, ultro à coniugio tanquam à grauissimo onere abhorrebit. Non pauci quidem sunt, qui hoc muneris donatos sese falso arbitrantur, qui autem id uere habeat, nec agnoscat tamen, nemo est. Sicut multi sunt, qui putant se Christi fidem habere, quã non habent, nulli autem qui cum uere fidem eius habeant, id non putent. Quàm nõ potest etiam cupide edere, cui famelico tandem copia edendi facta est, ita non potest non summo cum gaudio cœlibatum amplecti, cui contigerit uxore non habere opus. Voluntati igitur quisq; Dei sese dedat, paratus in eo munere gloriæ Dei inseruire, quod pater iniunxerit, & bene res habebit, tantum sua nemo quærat, aut uocationem Dei licet humilem fastidiat. Hactenus de cœlibatu.

Tunc oblati sunt ei pueri, Mar. 10. Luc. 18.) Vtcunq; fremant & insaniant contra hunc locum Anabaptistæ, mihi eximiam gratiæ Dei prædicationem continere uidetur, eoq; diligenter adeò ab omnibus tribus Christi Historiographis, Matthæo, Marco, & Luca esse conscriptus. Notet igitur Christianum pectus primum, hos pueros Christo adductos uel apportatos fuisse, βρέφη enim, id est, infantes, uti Lucas habet, erant. Vnde nihil eis à Christo petebant, illos adducẽtes, quàm ut manus eis imponeret, hoc est, ceu Deo cõsecraret, & diuina bonitate orando pro ipsis, pro suo modo redderet participes. Itaq; liquet quicquid hic à domino his pueris, uel promissum uel datum fuit, promissum & datum fuisse minutis ptiellis, etiamnum infantibus, ne quis ea adultioribus uelit attribuere.

Infantes fuere quos Christo adduxerunt.

Deinde perpendendum, quòd dominus præposteró discipulorum studio indignatus fuit, ut Marcus scribit, quo cupientes quieti eius consulere, tum ineptos iudicantes pueros, qui ab ipso aliquid perciperent, prohibebant sibi illos adduci, plurimum sanè gloriæ eius derogabant. Cum enim is sit, qui uenerit seruare quod iam perijt, ut de se suprà 18. testatus est, proprie de pueris loquens (nam hoc dicto ab offendendis ipsis uoluit deterrere) nullo sanè est opus usu rationis, nullis meritis, ut quis salutẽ ab ipso percipiat, sed tantum quod perierit, neq; perijsse se inficietur, eoq; omnium maxime pueri idonei sunt, qui Dei gratiam per ipsum recipiant, & hæc summa eius diuinitas, quòd talium se saluatorem exhibet. Hanc ergo Christi dignitatem præclarissimam, discipuli arcendo à conspectu eius pueros, imprudentes obscurabant, eoq; iure ipsis indignabatur, ac mox declarabat, ut quidẽ à Marco & Luca memoratur, tam abesse, ut ad se pueri non attineant, aut regni sui non sint participes, ut in illud nemo quidem queat ingredi, nisi qui ipsum tanquam puer acceperit, hoc est, abnegata omni sua & sapientia & iustitia, infanti similis factus.

Talium est regnum cœlorũ

Hinc iam illud est, quòd dixisse dominum, omnes tres memorant. Talium enim est regnum cœlorum. Non sanè adultorum tantũ, qui, ut infantes, sese humiliarint, quod Anabaptistæ contendunt. Hoc enim sensu, ei quod dixerat sibi infantes apportandos esse, tanquam subiecta ratio minime cohæreret. Hunc ergo sensum dictum hoc habet: Quid facitis perpetuo stulti discipuli, prohibentes mihi adduci infantes, tanquam alienos à regno Dei, eoq; mihi Regi huius regni non adducendos? Ergo humanæ industriæ, uel ætatis erit, ut quis per me regno cœlorum donetur, & non potius solius mei meriti, gratiæq; patris? Faceſſat igitur stulta ista uestra sapientia. Sinite infantes mihi adduci, aio enim non solum horum esse regnum cœlorum, sed nullum omnino regni huius fore participem, nisi infantibus his similis euadat, & ipse nihil uel sapientiæ, uel iustitiæ sibi arrogans. Si enim seruator sum eorum qui perierunt,

perierunt, & adulti sapientes atq; iusti saluari adeò per suam sapientiã & iustitiã ne-
queunt, ut poni eis & abnegari ista oporteat omnia, reddiq; eos, ac si nihil huius ha-
buissent unquam, cur arcetis à me infantes, qui iam illis uacui undiq; existũt, & sunt
planè perditi? Potuit delictum primi Adam circa propriã culpã istos perdere, qui nõ
esset mea redemptio illius pernicie efficacior, et donum peccato potẽtius, ut seruare
possem citra ullã propriã uel cogitationẽ iustitiæ? Hæc fuse tractat Paulus Rom. 5.

Nihil itaq; dubij reliquũ manet, dominum uoluisse esse & infantium regnũ cœ-
lorum hic pronuntiare. Cumq; obijciunt Anabaptistæ, sic ergo concludi, omniũ fo-
re regnum cœlorum, & neminem malum futurum, cum omnes pueri primum sint,
& ideo regno cœlorum donentur, respondemus istud: Talium, referre illam animi
conditionẽ, quam infantes habent, ut nihil penitus sibi tribuant, & gratiæ non ad-
uersentur, eoq; cum qui pueri moriuntur, illamq; in finẽ usq; retinent, omnes eius-
modi regni cœlorum ciues existunt, atq; ideo hinc in tempore rapiuntur, ne malitia
sensus ipsorum immutentur, qui uero hœdi sunt, & uasa iræ, ij ut adolescentes alios
animos assumunt, ita tales non perseuerant, & regni cœlorum redduntur extorres.
Etenim cum dominus dixerit, talium est regnum cœlorum, uerba faciens de oblatis
sibi infantibus, illi ab hoc dicto, & regno cœlorum, haudquaquam possunt excludi.
Deinde ætatem referri per, Talium, non potest, quia & adulti tales esse possunt,
imò debent. Ergo conditionem infantilis animi, sibi nihil arrogantis, nihil confiden
tis referat oportet, quæ dum adest, regni cœlorum capacitas adest. Eoq; consequitur
quidem quotquot tales perseuerant, regni cœlorum esse participes, siue pueri hinc
migrent, siue talem mentem adulti etiam retineant, non autem si adolescentes sim-
plicitatem infantilem, cum uersutia & amore sui mutauerint.

*Pueri in Ec-
clesiam recipiendi.*

Vnde nos quidẽ, qui à gratia Christi nullos nisi negatores eius reijcere possumus,
ut promiscue cuncti pueri domino apportentur, hoc est, in Ecclesiam eius offerãtur,
non permittere tantum, sed & hortari debemus, quòd non possit non optimum esse
quod ipse iubet. Si iam ad Ecclesiam pertinent, & ipsorum est regnum cœlorũ, cur
eis signum baptismi, quo in Ecclesiam Christi, qui ad eam pertinent, recipi solent,
negaremus? Si qui hœdi inter eos sunt, tum excludendi nobis erunt, cum id esse sese
prodiderint. Interea ne simus seueriores Christo, qui promiscue oblatos sibi pueros,
ciues regni cœlorum esse pronuntiauit, eoq; à se arceri eos indigne tulit, iussitq; eos
sibi adduci, adductos, in ulnas accepit, imposuit eis manus, atque benedixit. Tot si-
gnis demonstrare uoluit eos ad se pertinere, atque à regno cœlorum nequaquam
excludendos. Cumq; longe plures in puerili ætate hinc rapiantur, quos Christi be-
neficio, præsertim natos à credẽtibus, saluos fore nihil ambigo, significare iuxtà hic
dominum uoluisse credo, nullam omnino hominum ætatem, regno cœlorum plu-
res ciues dare.

Cum ergo pueros omnino in regnum Dei admittere oporteat, & promiscue qui-
dem, dare iam eis id signum, & eo illos in Ecclesiam recipere, quo ex institutione
Christi prima in Ecclesiã fieri solet inauguratio, quid quæso Christo, uel regno eius
indignum? Aut est nostrum baptizare, plusquam domini amplecti, imponere ma-
nus & benedicere fuit? Quæ fidei aut charitatis iactura: per baptismum Christo ad-
ducere, quos adduci sibi iussit? Non est præceptũ de baptismo eorum inquiunt, im-
ponite ergo manus & benedicite, nolite baptizare, cũ nec Christus eos baptizarit.
Respondeo, minoris est baptismus, tanquam res externa, quam ut de eo magnopere
dominus aliquid præcepisset, unde & Paulus negauit se ad baptizandum missum,
cum secus tamen uideatur testari infrà caput ultimũ, quod memorat dixisse Christũ
Apostolis, Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c. Voluit enim significare,
nequaq; quidẽ hoc esse muneris Apostolici opus. Vnde et Christus nullos omnino,
ne adultos quidẽ babaptizauit. Aduenerat enim ut regnũ Dei, quod nõ est baptismus,

ut nec esca aut potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto restitueret, non uelut alter Moseheh circa elementa mundi occuparetur. Satis habuit, paucis indicasse duo signa, quibus in ipso communionem inter nos & auspicaremur, & auspicatam comprobaremus, reliqua libera charitati permisit. De quo & suprà 3. circa finem disputationis de baptismo.

Porrò ibi recepi me dicturum, an fide seruari infantes confitendum sit, an alia Dei cognitione. Certum est, ut & memorato loco dixi, infantium ut & aliorum perfectã salutem constare cognitione Dei, ea enim uita æterna est, Ioan. 17. At fidẽ illam esse, qua salutẽ percipiant infantes, si fidẽ Paulino more accipere uoluerimus, ac omnino scripturæ, affirmare haud licebit. Decimo nanq; ad Rom. Fidem ex auditu esse uerbi prædicati Paulus adserit, ad eumq; modum omnis ferè scriptura de fide loquitur. Cum igitur uerbum prædicari infantes non audiant, fidem huiusmodi habere non possunt. Porrò ex eo quòd infantes fide carent, nihil minus concluditur, quàm quòd quidam putant, ideo eos non posse Deo placere, aut sanctos esse. Ioannes siquidem Baptista prædicatur ab utero repletus fuisse spiritu sancto. Luc. 1. fide fuisse prædictus puer non prædicatur, & magnus tamen apud dominũ fuit. Ducit nanq; Deus suos, ut cuiq; ætati & conditioni cõmodum est. Fides prædicare Dei gloriam atq; efficax esse debet per charitatem: hæc ut non sunt infantium, quid si etiam fidem non habeant, spiritu Dei nihilominus ad salutem signati?

Pueri absq; fide Deo placent.

Quod uero ex ultimo Mar. obijciunt, Qui non crediderit, condemnabitur, indicant se eum locum nondum recte perpendisse. Præmittitur nanq; ibi mandatũ Christi, de prædicando Euangelio in uniuerso orbe, ac tum subijcitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur, quod perinde est, qui prædicato per uos Euangelio habuerit fidem, eamq; confessus fuerit per baptismum, saluus erit: qui minus, condemnabit. Atq; ita ad eos, qui non audierint Euangelion, sententia hæc haudquaquam pertinet. Adest itaq; electis infantibus spiritus domini, quo quantum ad ipsorum ætatem & conditionem satis est, aguntur, ijdem cum adolescunt, tempore à patre definito, ad credendũ Dei uerbo eos erudit, fideq; ad salutẽ perducit. Ii autem qui priusquam adolescant, hinc migrant, quoniã Christi sunt, etiam apud ipsum erunt, atq; beati erunt, idq; Dei cognitione beatificati donati, quanquam iterum pro modo à patre constituto, & si ut prædicari uerbũ nunquam audierint, ita neq; fidem habere potuerint. Etenim & nobis fides, perfectiore Dei cognitione mutanda est, hanc ergo in illis, infantuli statim ruditati succedere, quid absurdi? Ex gratia itaq; Dei, & merito Christi etiam infantes beantur, uerum si in ætate infantili hinc rapiantur, per aliã, quàm fidei cognitionẽ Deum cognituri, et fœlicitatem percepturi. Fides enim persuasio est uerbi auditi ad hoc per spiritũ Dei effecta in sanctis, ut & uerbis & factis Deũ hic glorificent, quę omnia adultorũ sunt.

Qui non crediderit condemnabitur.

At uero si quis ex eo, quod suprà 18. dominus dixit: Si quis offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, quod libens de pueris ætate etiam intelligo, colligi putet, pueris quoq; fidem esse, necesse tamen erit, ut eam fidem aut intelligat, latentem illam in dominum fiduciam, qua nescientes ab ipso pendẽt ab utero matris, eius donati spiritu, quæ sanè fiducia, fidei rationem, ut aliâs hoc nomine scriptura utitur, nõ implet, ut suprà 8. de fidei nomine & ratione differentes, declarauimus: aut oportebit infantes è numero illorum paruorum, de quibus ibi dominus loquitur, eximere. Nam ex auditu nullam in Christum fidẽ habere, nisi miraculo possunt. Hæc ideo admonere operæpretiũ duxi, ut scripturæ modo, qui certissimus est, de fide & infantibus loquamur, neque cogamur friuola commenta amplecti, quæ aliis & certis sermonibus domini, quos in Ecclesia loquimur, fidem derogent, & calumniandi ueritatem ansam aduersarijs præbeant, ut usu uenisse magnis uidemus. Scriptura siquidem adultis data, de adultis item potissimum ubiq; loquitur, quare mirum non est,

est,si rara de infantibus in illa testimonia legantur. Ad hæc non est, quòd circa illorum salutem nos ministremus,ut adultorũ, quare nulla quoq; causſa fuit, de ea nos multa docere. Scripsit autem de salute infantium quædã egregius ille Christi minister, Hulderichus Zuinglius, cuius libri cum passim in omniũ sint manibus, hic non duximus repetenda.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Et ecce unus accedens,ait illi:Magister bone,Mar.10.Luc.18.) Commodum hęc historia,ijs quæ circa pueros gesta sunt, subiecta est. Exemplo enim huius principis probatur, non nisi pueros,id est, sibi nihil quærentes, & per omnia à Dei bonitate pendẽtes,regnũ Dei ingredi posse. Vnde cum hic adolescens & princeps, ut Lucas habet,opes suas plus satis amaret,tristis à Domino,atq; ideo et à regno cœlorũ abijt, Quòd uero Dominus salutationem eius,qua se bonũ uocauerat, correxit, atq; solũ Deum bonũ esse affirmauit: uoluit primo statim responso, & sui exemplo docere illum submissionẽ,& ut modestius de se ipso sentiret.Nam uidebatur sibi ille mandata Dei seruasse à puero,eoq; & bonus esse,à quo adhuc longe aberat. Cæterum non negauit se Christus bonum esse, quatenus cum patre unum erat, tantũ gloriam bonitatis ab homine in Deum monebat transferendam. Nam Christus nondum, ut Deus erat huic principi cognitus,sed tanquam hominẽ eximium, uoluit hac ipsum salutatione honorare ac demulcere.

Solus Deus bonus.

Recte igitur externa & humana mirantem, ad diuina reuocauit, atq; tacite monuit,ne seipsum bonum & perfectũ, tametsi uideretur sibi mandata Dei omnia iam perfeciſſe, existimaret,sed potius solum Deum bonum, & omnis bonitatis autorem suspiceret,cui omnis boni,si quid uspiam fuerit,gloria transcribenda est. Hoc ut tandem agnosceret, deinde ei obiecit præcepta legis, in quibus ceu speculo uideret, se nondum esse,quod putaret. Ille autem quòd externo opere ea non fuisset transgressus,confidenter ait:omnia sibi à puero seruata esse. Ad quod responsum simplicius, quàm uerius intuitus illum Dominus,dilexit eum. Indubie propter hoc qualecunque studiũ iustitiæ,& si ad ueram solidamq; iustitiã nondum peruenisset.Nam mihi dubiũ non est,quoniam mœrore affectus,nõ blasphemans ueritatem,abijt,Dominũ cui omnia possibilia,ipsum quantumuis in præsens ineptum regno Dei,aptũ postea reddidisse,donato animo,qui diuitias posset cõtemnere. Porrò ut in præsens aperte illi ostenderet,multum adhuc ei ad perfectionem desiderari,ait: Vnũ tibi deest, &c.

Vnum huic deerat,hoc est,fides solida.

Quasi diceret:Agnosco aliquid esse,& diligo te hoc nomine,quòd præceptis Dei ita ab adolescentia studueris, & uel externe iustus fueris, sed ne hinc tibi placeas, uerum adhuc tibi deest,fons certe pietatis & iustitiæ: uera nempe solidaq; in Deum fides, qua temetipsum ac omnia abnegans, totum Domino consecres, ad quamlibet eius uocationem,ac quantumlibet duram paratus.Quod hinc uerum apparebit: Iubeo te bonus præceptor,uti me uocas,& quidem uice Dei,ut quæcunq; habes, uendas,& des pauperibus,thesaurum habiturus in cœlo,ac uenias,me secuturus,sublata cruce.Hoc cum nequeas,scito tibi adhuc unum, & id quidem maximum deesse. Synceram nimirum in Deum fiduciã,sine qua omnia alia nihil sunt. Etenim me bonum præceptorẽ salutasti,iam nemo bonus nisi solus Deus: si igitur bonus ego præceptor sum,hinc erit,quod Deo plenus sum,& uerbũ Dei annuntio, debes itaq; me ut Deũ ipsum audire. Id cum non possis,declaras te nec Deũ uere adhuc agnouisse. Nequaquam igitur mandata eius,ut tibi uideris,obseruasti,qui caput mandatorum eius nondũ perceperis, nempe eius timorem. Cæterum de thesauris in cœlo recondendis,dictum suprà est 6.in illud,Ne reponatis uobis thesauros in terra. De sequendo Dominum,& cruce ferenda 16.Illud uende omnia quæ habes, & da pauperibus, temporale, & personale præceptũ fuit, huic diuiti soli ad probandum ipsum, à Domino propositum. Vt uero omnium est sua uendere, & pauperibus distribuere,

dictum

dictum est suprà 9. in illud: Et præteriens Iesus illinc, uidit hominẽ. De iuuandis pau peribus 6. ab initio.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Cum audisset autem adolescens eum sermonem. Mar. 10. Luc. 18.) Hoc mœrore & discessu suo, uocatus ad communionem regni Dei, probauit se nec bonum fuisse, nedum perfectum à iuuentute sua, utcunq; uideretur sibi præcepta Dei obseruasse, quæq; utiq; non nisi externo opere, imò in speciem duntaxat obseruauerat. Vnde alioqui ei multæ possessiones, cum indubie tum non pauci egeni, & pauci eorum opitulatores fuerint? Proculdubio, si proximos, perinde atq; seipsum dilexisset, idq; opere & ueritate, quantumuis multæ eius possessiones imminutæ tamẽ fuissent. Vnde haudquaquam uanum prouerbium est: Omnis diues aut iniquus, aut hęres iniqui. Cui enim adsit æquitas & dilectio, ei aurei etiam montes tandem consumentur, ita refrigente charitate inter homines, & tam multis egentibus. Vnde si diuitibus nulla alia iniquitas imputari possit, hac certe obstrictos sese comprobant, quòd non impartiunt tam liberaliter, atq; uera dilectio requirit.

Iesus autem dixit discipulis suis, Marci 10. Lucæ 18.) Apud Marcũ legimus, cum Dominus circunspexisset, & dixisset, quàm difficulter hi, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt, & discipuli super his uerbis eius obstupiscent, rursum dixisse: Filij, quàm difficile est eos, qui fiduciã habent in pecunijs, regnũ Dei ingredi. Quo declarauit per se pecunias habere, non obstare, quo minus ad regnum Dei, id est, uera Christi fidem quis perueniat, ac fiduciam habere in pecunijs, id ita regno Dei & fidei in Christum pugnat, ut ignis aquæ citius misceri possit, quàm confidens diuitijs particeps fieri regni Dei. Regnum siquidem Dei nemo percipit, nisi qui renuntiauerit ante omnibus quæ possidet, Luc. 4. tum nihil etiam sibi hic quærat, quia abnegare semetipsum oportet, suprà 16. Quid iam simile habet cum huiusmodi animo animus nitens diuitijs? Facilius ergo camelus multo per foramen acus, animal tam magnum, & gibbosum, quàm diues in regnum cœlorum, id est, confidens diuitijs ingredietur. Sed quotusquisq; est, qui multas pecunias habeat, nec fidat eis? Alioquin sanè thesaurizaret illis sibi in cœlis, multis benefaciens, & multas suas pecunias paucas reddens.

Pauci multas pecunias habent, nec fidũt eis.

Verum utcunq; habentes multas opes illis ferè fidant, eoq; impossibile sit, non difficile modo, ut regnum Dei ingrediantur, id est, Christo se plena fide tradant, Deo tamen sunt omnia possibilia, is diuitibus aliam potest mentem indere, ut & opes distribuant, et uere sibi non iam operibus fidant. Vnde nemo damnandus ob diuitias nobis: potest alios reddere Deus, qui modo diuitijs plus nimio addicti sunt, nã condidit suos. Sola blasphemia in spiritũ sanctũ, peccatum est, quod nec hic, nec in futuro remittitur. Pro diuitibus igitur orandũ est, desperandũ de eis, si ueritatẽ non blasphement, non est. Sed monendi simul sunt, nihil æque noxium, atq; terrenis opibus abundare. Illico enim fieri, ut animus eis addicatur, & Deo nuntiũ remittat. De quo suprà 6. in illud: Ne reponatis uobis thesauros, et reliqua eius capitis admodũ multa.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Tunc respondens Petrus, dixit ei: Lucæ 18. Cum audisset tantum malum esse, habere diuitias, cogitauit, eximium igitur sit bonum oportet, diuitias abiecisse, eoq; rogauit, quid sibi ac collegis suis expectandũ esset, qui reliquissent omnia. Respondit ergo Dominus, expectandum eis esse, ut qui se hic in humilitate secuti essent, omnibus relictis, olim simul secum regnent super duodecim tribus Israël, hoc est, uniuersum populum Dei. Regenerationis status, & si non pauca scripturæ loca de ipso loqui uideantur, nimis tamen incognitus adhuc Ecclesijs exstitit. Vnde necesse est, hunc locum nobis esse subobscurum. Eoq; latius de his differere alijs permitto, modo ab analogia fidei non abludant. Nobis satis sit, quantulumcunque illud tempus

A tempus regni Christi, cum glorioſus orbem iudicaturus redierit, futurũ ſit, cum regenerati ad gloriam ſimul cum Chriſto capite ſuo regnabunt, tum hos duodecim Apoſtolos, ac quotquot præcipui in prouehendo hic Dei regno fuere (neque enim hi ſoli in hoc præcelluerunt) apparituros maieſtati futuri ſeculi, inſigniores, ut regni Chriſti principes ſelectiores, quippe qui Euangelij, ſceptri huius regni, & primariæ uirtutis, qua germanæ tribus Iſraëlis hic reguntur, præcellentiores extiterint miniſtri. Tum unà cum Chriſto, iam in cœlis & regeneratione, nouaq; uita exhibebunt electis, quæ hic uerbo ſuo illis promiſerant. Hæc ipſorum dignitas & gloria, duodecim hi throni ſunt, quos ipſis hic Chriſtus promiſit, hæc illa iudiciaria poteſtas, qua duodecim tribus Iſraël, totum nempe populum Dei, tum demum uere collectum iudicabunt, hoc eſt, in eo principes agent.

Sunt qui iudicare hic pro condemnare malint accipere, quod nimirum Apoſtoli ſui collatione reliquos Iudæos ſint condemnaturi, de quo iudicio illud quidem ſuprà 12. de Niniuitis, & Regina Auſtri recte accipitur. At hic promittit ſuis Chriſtus glorioſum aliquid & auguſtum, qua re non uidetur ſolum pro condemnatione, ſed beato potius regno accipiendum, quod iudicium hic illis pollicitus eſt. Deinde præ dicit hic Chriſtus iudicaturos duodecim tribus Iſraël, non cõdemnaturos, ut de Niniuitis & regina Auſtri, quos ait ſurrecturos, & generationem illam condemnaturos. Poſtremo nuſquã legas duodecim tribus Iſraël, pro malis duntaxat & damnandis Iudæis accipi, ſed potius pro toto Dei populo, & quidem electorum. Nam etiam generatio illa adultera, quæ condemnanda fuit, tantum ex duabus tribubus conſtabat, quod decem tribus ſemel auectæ in terram Aſſyriorum nunquam redierint.

Iudicare hic non debet accipi pro condemnare.

Hic uero principatus Apoſtolorum uidetur etiam in eo à Domino ſuprà 12. indicatus eſſe, ubi calumniantibus facta ſua Iudæis dicebat: Et ſi ego in Beelzebul eiſcio dæmonia, in quo eiiciunt filij ueſtri? propterea ipſi ueſtri iudices erunt. Quanquam cum hoc loco reprobis Apoſtolorum iudicium Dominus minaretur, multo ſanè rectius ipſum de iudicio condemnationis intelligetur, quã quòd ſuis promiſit in præſenti. Etenim non ſolum collatione ſui, ut ſuprà ſecutus uulgarem interpretationem ſcripſi, iudices etiam impiorum Iudæorum erunt, ſed quemadmodum pios iudicaturi ſunt, promiſſa eis per Euangelion iam uelut exhibentes, ita impijs ſuam quoque damnationẽ, quam per idem ſuum uerbum prædixerant, tum exhibebunt, ueramq; approbabunt, ſimul cum Chriſto cõtra ipſos pronuntiantes, tanto glorioſius, & magis horrende, quanto maiore hic ui ſpiritus Euangelion prædicantes, ad pœnitentiam ipſos ſunt cohortati.

Nam omnium electorum erit ſimul cum Chriſto, ut regnare, ita & iudicare. De quo & ſuprà 12. in illud: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, nonnihil. Veruntamen qui hic in adſerendo Chriſti Euangelio primores fuere, pluraq; propter id & fecerunt, & paſſi ſunt, ij & in regeneratione primas inter electos obtinebunt. Vnde Paulum nemo putet, infrà hos duodecim ſeſſurum, qui laborauit plus omnibus, tametſi hic nulla eius habeatur mentio. Nam duodecim hic reſpondit, igitur & de ipſorum fœlicitate loqui ſatis in præſentiarum habuit. Porrò Mathias nõ Iudas proditor, qui diabolus erat, & Chriſto nunquam inter duodecim ueros Apoſtolos computatus, reliquis undecim hic adnumeratus intelligatur, ſicut & annumeratus ipſis re ipſa fuit, antequam plene munere Apoſtolico fungerentur.

Cæterum apertius eſt uel parum habenti ſcripturas familiares, quàm ut multis debeat admoneri, iudicari in ſcripturis, idem eſſe, quod imperare, regnare, uel gubernare, atq; inde, tam pro defendere bonos, q̃ punire malos accipi ſolitũ, nonnunquã etiam, pro cauſſarum diſcuſſione. Hæc enim propria iudicantis, hoc eſt, regentis, & gubernantis officia ſunt. Sic ſanè iudicium, quod filio dari 72. Pſalmo orat, accepit, dum à regno Chriſti, & pauperibus liberationem, & malis deuaſtationem prædicit.

Et omnis

Et omnis qui reliquerit domos aut fratres, Mar. 10. Luc. 8.) Quia omnium, qui c
Christi esse uolunt, hoc primum est, ut præ eo atq; uerbo ipsius renuntient cunctis
quæ possident, omnibus etiam futura & meliora promittit. Apostolos quidem opor
tuit hic aliorum antesignanos esse, atq; primos in acie contra satanam in adserendo
regno Christi stare, positos ceu principes regni Dei in uniuersa terra, iuxta uatici-
nium Psal. 45. ideo & in regeneratione potiorem ipsorum gloriã fore prædicit. Ne-
quaquam autem uel hic, uel in futuro aliquid boni desiderantibus & alijs, quicũq;
quicquam propter Christum & Euangelion eius reliquerint: hic enim centuplum,
hoc est, multo plura, ut Lucas scribit, etiam cum persecutionibus, ut in Marco legi-
mus, recipient, & in seculo futuro uitam æternam.

Porrò centupla ista, hoc est, multo plura, quàm sint relicta, animus est, non centu-
plo modo, sed infinito maiore cum uoluptate modicis illis, quæcunq; ad uitam præ
sentem in persecutione Dominus dederit, utens, quantislibet tribulationibus cir-
cundatus, quàm ante cognitũ Euangelion, ijs quæ reliquit, usus fuerat. Huius enim
cognitionẽ tanti habent pij, ut ne uniuerso quidem mundo mutare eam sustineant,
quare non centupla tantum, sed infinito plura, & quidem in hoc tempore, quàm re-
linquere possint, recepisse se agnoscũt, simul atq; Euangelion receperint. Iuxta, quo-
niam timentibus Deum, nihil potest boni deesse, & adijciuntur, quibus uita presens
opus habet, omnia, quærentibus in primis regnũ Dei & iustitiam eius, quamlibet
Christiani etiam domo exulent, & à necessarijs suis deserantur, rebusq; præsentibus
spolientur, nihil unquam tamen eis desideratur, quorum usus ipsis possit uel utilis,
uel necessarius esse. Qui enim pater illorũ, tam benigne prospiciens omnibus, ipsos
ulla re eis commoda destitui pateretur? Verum interim tamen didicerũt, etiam ipsi
cum Paulo, in quibus sunt, contenti esse. Nouerunt humiles esse, nouerunt & excel
cellere ubiq;, & in omnibus instituti sunt, & saturari & esurire, & abundare & penu
riam pati, Omnia possunt per Christum, qui eos corroborat, Philip. 4.

CAPVT XX.

Sect. 1.

NAM simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui
exijt primo statim diluculo, ad conducendos operarios in
uineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs in
singulos dies denario, misit eos in uineam suã. Et egressus
circiter horam tertiam, uidit alios stantes in foro otiosos, &
illis dixit: Ite & uos in uineam, & quodcunq; iustum fuerit,
dabo uobis. Illi autem abierunt. Rursum autem exijt circi-
ter sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uero exijt, &
inuenit alios stantes otiosos, ac dixit illis: Cur hic statis totum diem otiosi? Di-
cunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Abite & uos in uineam meam, &
quicquid fuerit iustum, accipietis. Cum autem uespera facta esset, dicit Domi-
nus uineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens
à postremis usq; ad primos. Et cum uenissent qui circa undecimam horam ue-
nerant, acceperunt singuli denarium. Venientes autem & primi, arbitrati sunt,
quòd plus essent accepturi, & acceperunt ipsi quoq; singuli denarium. Et cum
accepissent, murmurabant aduersus patremfamiliâs, dicentes: Hi nouissimi u-
nam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis feciſti, qui portauimus pon-
dus diei & æstum. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi in-
iuriam

iuriam, Nonne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum est, & abi. Volo autem huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? An oculus tuus malus est, quòd ego bonus sim? Sic nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

Et ascēdens Iesus Hierosolyma, assumpsit duodecim discipulos suos solus in uia, & ait illis: Ecce conscēdimus Hierosolyma, & filius hominis tradetur principibus sacerdotū ac scribis, & condemnabunt eum morte, & tradēt eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. *Sect. 2.*

Tunc accessit ad eum mater filiorū Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petēs aliquid ab eo. At ille dicit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & alter ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petitis. Potestis bibere poculū, quod ego bibiturus sū? & baptismate quo ego baptizor, baptizari? Dicūt ei: Possumus. Ait illis: Poculum quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini, sedere autem ad dextram meam, & ad sinistram meā non est meum dare, sed ijs continget, quibus paratum est à patre meo. *Sect. 3.*

Et cum audissent decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autē uocauit eos ad se, & ait: Scitis quòd principes gentiū dominentur illis, & qui magni sunt, potestatem exerceant in eas. Non ita erit inter uos, sed quicūq; uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister, & qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Sicut filius hominis nō uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis. *Sect. 4.*

Et egredientibus illis ab Hiericho secuta est eū turba multa. Et ecce duo cæci sedentes iuxta uiam, cum audissent quòd Iesus transiret, clamauerunt, dicētes: Domine, miserere nostri fili Dauid. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Miserere nostri domine fili Dauid. Et stetit Iesus & uocauit eos, & ait: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum, & confestim uisum recepetunt oculi illorum, & secuti sunt eum, *Sect. 5.*

MVlti autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Nam simile est regnum.) Parabola de conductis in uineam uice probationis, siue explicationis potius, huic propositioni: Multi aūt primi, &c. subiecta est. Quare hæc non incommodum illi in idem caput iungitur, licet & superioribus cohæreat, quibus & apud Marcū subiuncta legitur. Videtur uero superiora, hæc propositio, & sequens parabola, in hunc sensum sibi cōiungi: Testatus fuerat Dominus, centuplum & hic recepturos, & in futuro uitæ eternę fortituros hereditatem, quicunq; propter nomen suū, hoc est, sua & Euāgelij causſa, aliquid reliquissent. Atq; ita, ueram felicitatē, non posse uia alia adiri, quàm ut quis prorsus semetipsum abneget, et sua omnia, sitq; prorsus sibi et mūdo nihil. Hinc iam commodum subijcit, multos autem primos fore nouissimos, nimirum quibus non fuerit datū, abnegare semetipsos, & propter Euangelion omnia relinquere: qui sciēter licet, in oculis suis primi existunt. Contrà uero qui sibiipsis nouissimi fuerint, atque renūtiarint omnibus, eos fore apud Deū primos, quo appareat, nihil prorsus à proprijs meritis, sed omnia à sola Dei bonitate petenda esse. Nam sicut Paulus. Rom. 9.

M scribit,

ſcribit: Non eſt uolentis aut currentis, ſed miſerentis Dei, & ut quis ad regnum Dei uocetur, & ut operæpretiũ in eo aliquod faciat. Hoc craſſioribus animis penitus infixurus, bene longam parabolam ſubiecit, cuius ſi quis ſingulas partes uelit exequi, ut faciunt, quos ludere ſuis commẽtis, quàm certa Dei oracula docere magis iuuat, nihil aliud efficiet, quàm ut ab eo, quod hic docere Chriſtus uoluit, ad humana inuenta animos abducat. Dominus enim nihil aliud ex ea docere uoluit, quàm ut ueram agnoſcamus iſtã propoſitionẽ: multi nouiſſimi erunt primi, & contrá. Et hanc: Multi uocati ſunt, & pauci electi, & ex utraq; à ſola Dei bonitate per abnegationem noſtri ipſorũ omnia petenda, fidentesq; gratia ipſius, pluſquam petere auſi fuiſſent, accepturos. Hunc ergo ſtatũ ſermonis huius agnoſcamus, neq; amoueri ab animo patiamur, & conſtabit nobis germanus huius parabolæ ſenſus.

Ergo perpendendum, nullos in uineam ueniſſe niſi uocatos, tum primos pactos fuiſſe cum patrefamiliâs, reliquos ſola æquitate & eius gratia fretos, in uineam abiiſſe operatum, & hos illis prælatos, tantundemq; datum iis, qui una duntaxat hora opus fecerant, atq; primis, id quod primos male habuit. Hinc monemur tam primũ nullos uel qualitercunq; in uineam domini uenire, niſi ab ipſo uocatos, quòd nihil pietatis caro per ſe uel cogitare poſſit. Deinde mercenarios eſſe omnes hypocritas, neq; niſi ſua ipſorum cauſſa Deo ſeruire, ueros autẽ domini ſeruos pro utribus quidem, ſimulatq; in uineam ſuam illos uocarit, ſtudijs ueræ pietatis incumbere, nihil tamen prorſus cum ipſo paciſcentes, ſed tanquam gratuitum donum amplectentes, quicquid ille eis donarit. Hinc & præferũtur primis. dum numeratur merces, quòd nihil ullis hominibus ex merito, ſed omnia ex gratia Dei obueniunt. Aequantur uero, qui nouiſſimi uenerunt, ac prope nihil operati ſunt, iis qui totius diei pondus portaſſe ſibi uidentur, & æſtum, quod perinde ſit Deo ad ſaluandum, ſiue adſint opera, ſiue deſint. Nemo quidem uere prius non ſeculo operatur, ſimulatq; ueritatẽ agnouerit, propter opera tamen nihil recipit, omnia gratiæ Dei refert accepta. Male autẽ hoc habet eos, qui ignorata Dei gratia, ſuis operibus fuerint confiſi. Sicut hodie uideas multos monachos & monachas, qui audeant dicere: ſe Deum iuſtum eſſe negaturos, ſi ob cœlibatum, atq; alia opera ſua, non plus Euangelicis iſtis, contrahentibus matrimonium, ueſcentibus quibuslibet, ſtatuta ab Eccleſia, ut loquuntur, ieiunia remittentibus, &c. receperint. Hinc ergo concludit dominus ut cœperat, ſic fore primos qui erant nouiſſimi, & nouiſſimos, qui primi, hoc eſt, qui ſibi & alijs peccatores uidebantur, uere iuſtos & dilectos Dei: rurſus peccatores, qui ſibi & alijs ſecundum carnem iudicantibus habebantur iuſti. Nam eſſe quidem multos uocatos, ad Eccleſiam Dei, ſcilicet, & ſtudium ueræ pietatis, quibuſcunq; ſanè ueritas prædicata, & uel in ſpeciem accepta fuerit, ſed paucos electos, ut nimirum ſyncera fide in illum, uerſarentur, nihil ſibi, ſed omnia Dei gratiæ tribuentes.

Denarius non recte, uel uera uel temporaria felicitas intelligitur.

Atq; ex hac ultima ſententia ſatis liquet dominũ in hac parabola, uocatos & non electos, id eſt, ſucos ſeruorum Dei, cum uocatis & electis, hoc eſt, ſynceris uoluiſſe conferre, atq; declarare huiuſmodi multos futuros, qui mundo haberentur omnium ſanctiſſimi, hoc eſt, primi. Quare ſeipſos à germana hic Chriſti doctrina abducunt, qui per denarium diurnum fœlicitatẽ æternam uolunt intelligi. Hanc enim facti ex primis nouiſſimi, & non electi, haudquaquam percipiunt, & qui eam percipiunt non murmurant, quòd ea & alijs, quamlibet immeritis contingat. Neq; firmũ eſt, quòd alij per eum, bona uitæ huius illa temporaria intelligũt, neq; enim ea merces eſſe poſſunt electis, & factis ex nouiſſimis, primis. Quin nulli minus externorũ bonorum habent. Hypocritis tamen, nulla alia contingunt.

Reſpiciamus ergo nos ad ſtatum huius ſermonis, qui eſt, ut dixi, omnia à ſola Dei bonitate per abnegationem noſtri expectanda, quodq; ſi detur nobis, longe plus ab illa

illa percepturos, quam non solum nos, sed & ij, quibus nouissimos nos esse oportet, unquam ex nobis quidem sperare ausi fuissent. Hinc iam facile patet, illud quòd tandem nouissimis atq; primis datum fuit, sic accipiendum, ut nihil aliud per id intelligamus, quàm quòd merces Dei proueniat nõ iuxta modum operum, sed ipsius bonitatis, quòd denicq; Deo perinde sit beare qui nihil operum habent, ut latronem illum cum Christo crucifixum, atq; qui uidentur habere sibi plurima, eò quòd gratiæ sit, quicquid à domino nobis contingit, quare etiam nullis uel prius uel plus data tur, quàm qui gratiæ Dei plus fuerint confisi. Tum qui plura sibi habere merita uidentur, ferè in arrogantiam, aliorumq; contemptum, denicq; & murmur contra Deũ incidere, ut tandem à Deo penitus reiciantur, uere facti nouissimi, qui primi sibi uidebantur. Hoc operariorum supercilium, & ineffabilis Dei bonitas illo potissimum significatur dialogismo, quem habuit paterfamilias cum uno ex primis, qui contra suam bonitatem gratuitam murmurabant. Per oculum malum, parcum & inuidentem significari Ehræis, dixi in illud: Lucerna corporis oculus est, cap. 6.

Præterea si quis, per id, quod merces à procuratore uineæ fuit numerata, intelligat retribui omnibus per Christum procuratorem uineæ Dei, hoc est, caput Ecclesiæ, & omnium iudicem, non erit absurdum. Sicut neq; illud, quòd per denarium datum primis, qui euadunt nouissimi, uitæ huius fœlicitatem intelligunt, quam reuera soli isti quærunt, & à Deo paciscuntur, quotquot uera pietate uacãt, modo in hac non æquent his nouissimos, qui fiunt primi, id est, non intelligant, utrorumq; denarium, hanc esse. Quia per hoc quòd utriq; datus denarius fuit, & ijs qui opus per diem fecerant, & ijs qui per horam, non significatum idem dari utriq;, aut mercede eos æquari, qui diuersissima & inæqualissima recipiunt, sed quòd Deus soleat nihil propter opera, sed omnia propter suam bonitatem dare, & magni habere, qui gratia

2 sua sine operibus nitantur, nouissimos autem facere, qui propriis operibus fidant.

Postremo notandum hic Christum, cum ait: multos uocatos, & paucos electos, de ea uocatione intellexisse, qua ueritas quidem hominibus patefit, non autem spiritu immutantur ut uocantem Deum sequerentur, quo modo uocari electos Paulus testatur, cum ait Romanorum octauo: Quos prædefinierat, eosdẽ & uocauit, & quos uocauit, eos & iustificauit, &c. De priore autem uocationis genere, est illud sapientiæ in prouerbijs Prouerb. 1. Cum uoco uos, recusatis, cum porrigo manum, nemo aduertit animum. *Duplex uocatio.*

Diligenter autem notandum, quòd cum Christus huius quod ex nouissimis primi, & contrà ex primis nouissimi euadunt, tanquam rationem subijcit, quòd multi uocati sint, pauci uero electi, apertissime declarauit, omnia à sola Dei gratuita electione pendere, & ut quis in uineam domini uocetur, & ut in ea digne operetur, & denicq; ut mercedem referat. Vnde cum ij quos memorat factos nouissimos, electi non fuissent, tametsi plurimum fuissent operati, nihilominus reiecti fuere, scilicet, nouissimis, & cum uocatis, qui ijdem electi non sint, adnumerati.

Denarius, quanquam hoc parum ad rem, drachmam ualebat, decimam partem cõtonati, quanta & hodie ferè diurnæ operæ merces esse solet.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Et ascendens Iesus Hierosolyma, Mar. 10. Luc. 18.) Explicatius de morte & supplicio suo discipulis & selectioribus quidẽ, nempe duodecim prædicit, nimirũ à quibus & per quos, ac quo denicq; genere supplicij passurus & interimendus esset, sanè à sanctissimis, atq; legis Dei consultissimis, hoc est, principibus sacerdotum, & scribis, & per gentes, quia Rom. ipsum potestas supplicio adiudicauit, & affecit denicq; eo mortis genere, quod erat tum crudelissimum, tum ignominiosissimum. Libenter autem crebro de his sermonem habebat, quo Apostolorum corda ad imminẽtem iam tem-

pestatem animaret. In presentiarum autem, causſam cur de his uerba fecerit, Marcus adscripsit. Nã iter facientibus uersus Hierosolyma domino, & discipulis eius, & ipso discipulos præcedente memorat illos fuisse pauefactos, atq; sequentes timuisse. Indubie, quia & antè indicarat, quæ esset à principibus sacerdotum passurus. Iterum igitur ratio fuit, ut eos præmoneret. Consolationem autem simul adiunxit, non solum ex eo, quòd simul prædicebat se tertio die resurrecturum, sed etiam quòd secundum scripturas, atq; ideo ex bona patris uoluntate ascendere se, ut consummarentur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis, testabatur, ut Luc. memorat.

Cum superioribus quoque pulchre hæc conueniebant, nempe ijs, quæ de abnegatione sui ferendaq; cruce, omnibus sese subijciendo, & nouissimas hic amplectendo, quo apud Deum primas partes consequamur, docuerat. Notandum uero ut hic ultro supplicium adit, quod anté aliquoties fugerat, quia erat nunc hora huius. Sic se habent omnes filij Dei, patris uoluntatem & ductum in omnibus & ad omnia sequuntur.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Poculum. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, Mat. 10.) Marcus scribit, ipsos filios Zebedæi hoc orasse, sed quod ipsorum instinctu mater orauit, non ab re & ipsi orasse dicuntur, quanquam simul cum matre forsan & ipsi dominum orauerunt, certe ipsis dominus respondit. Occasionem autem huius petitionis accepisse istos puto, ex eo quòd Christus suprà decimo nono promiserat, sessuros duodecim secum in regeneratione super thronos duodecim, & iudicaturos omnem populum Dei. Quia autem temporale regnum hi cogitabãt & quærebant, recte respondit hic dominus, nescire eos quid peterent, & iterum ad cogitandam crucem, per quam solam in regnum Christi aditus patet, reuocauit, dicẽs: Nescitis quid petitis. Temporalem enim *Baptisma.* dignitatem petebant, quibus promissa spiritalis æterna, sed non nisi perpessis antè persecutionem, percipienda. Neq; enim potiores domino partes habere ferui debebant, & conregnaturos cum Christo, commori quoq; cum ipso oportebat. Rogabat ergo an possent poculum bibere, quod ipse erat bibiturus, & baptismate baptizari, quo ipse erat baptizandus, intelligens supplicium quod ex patris decreto erat, à patre sibi paratum, aditurus. Id enim perferre ipsum oportuit, sicut in conuiuijs olim, unumquenq; conuiuarũ, suam oportebat uini portionẽ quę sibi à rege cõuiuij mixta erat, exhaurire. Idem uocat & baptisma: fuit enim ceu mortalitatis ipsi ablutio, & ad uitam cœlestem purgatio. Eadem metaphora usus & Lucæ duodecimo fuit, quam suprà decimo adduxi, in illud: Ne arbitremini quòd uenerim ad mittendum pacem.

Porrò metaphora calicis in scriptutis frequentissima est in utramq; partem. Nam unicuiq; aduersa & prospera Deus certò admensus est, bibetq; quisq; suam portionem, uelit nolit. In malam partem, Psalmo undecimo. Spiritus tempestatis, pars calicis eorum, id est, decreta ipsis ultio, & diuinitus ordinata impietatis ipsorum retributio. In bonam, Psal. 16. dominus sors partis meæ & calicis mei, id est, ipse portio & ordinata mihi hæreditas est. Sic Psalm. 23. Calix meus superabundans, id est, bona quæ mihi Deus tanquam meam sortem contulit, redundant. Discamus ergo hinc, definitum diuinitus unicuiq;, quid quantumq; & patiatur quisq; mali, & percipiat boni, & utrunq; ex solo liberoq; Dei arbitrio prouenire: huic igitur nos penitus committamus. Deinde iterũ animaduertamus, gloriæ Christi tum nos participes fore, cum & tribulationum fuerimus. Postremo rursus, ut & discipulorum tarditas & ruditas, ita & domini ferentis usq; illos eluxit longanimitas & benignitas.

Porrò id, omnia certo Dei arbitrio & bona & mala omnibus definiri, & ineffabili dispensatione obuenire, probat & hoc: Sedere ad dexteram & sinistram meam, non est meum dare, sed ijs continget, quibus paratum est à patre meo. Perinde enim est, ac si dixisset: sedere mihi à dextris & sinistris, hoc est, proxime, atq; primos ita esse in gloria

A in gloria mea, res angustior est, quàm ut ego modo petentibus donare illam possim. Ab æterno per patrem definitum est, quibus illa cõtingat. Per me quidem aditus ad illam, iis qui ad eam delecti sunt, parabitur, at donatio eius non est mei hominis, neq; modo à me oranda. Diuinitatis hoc munus est, & decretum ab æterno, qui ad illam admittendi sint. Sedere à dextris Christi & sinistris, metaphoricõs significat, ei dignitate & potestate proximum esse.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Et cum audissent decem indignati sunt de duobus. Mar. 10.) Vide ut ex superiori sermone de submissione discipuli profecerint, adhuc tulit illos, donec redderet melliores Christus, sed iterum tamẽ modestiæ eos admonuit, idq; ab exemplis, & diuersis quidem. Scitis, inquit, quòd principes gentium dominentur illis. &c. Quasi diceret: Vos uocati ad regnum cœlorum, nihil debetis simile habere cum principibus et magnatibus seculi huius. Illi subiectis dominantur, & potestatem in eos exercẽt: par igitur erit, ut uos cõtrà omnibus uos subijciatis ad seruiendum. Nam ut & aliàs monuit, is demum in regno cœlorum maior erit, qui pluribus se ad seruiendum addixerit, suprà 18. Imitamini itaq; potius me regem cœlorum, qui ueni, nõ sanè ut mihi ministretur, sed ut ego ministrem alijs, neq; id officio leuiculo aliquo, sed animã meam impendam pro redimẽdis multis. Huc usq; & uos ministrare alijs oportet, tam abest, ut alij alijs inter uos dominari debeant. Mittite igitur uos decẽ, quam aduersus hos duos indignationem concepistis. Nesciunt ipsi quid à me petierint, cuius illos admonuit, ita uos modo pro re indigna uobis perturbamini, mittite ideo utrique stultos hos, & prorsus alienos à regno cœlorum affectus, & inseruire singuli singulis animinimini, quo plures demerebimini, eo ut meliores ita & maiores euadetis. Reliqua suprà 18. ab initio.

B Porrò hic putant Anabaptistæ sese posse probare, alienum esse à Christiano, ut magistratu fungatur, neq; posse quenquam simul, & magistratu fungi & Christianum esse, eo quòd hic discipulis Dominus dixerit, uos autem non sic. Non animaduertentes, eos qui pie & ex uoluntate domini, magistratum gerunt, nihil minus quàm dominari, imò seruire maxime, & tanto pluribus, quanto pluribus præfuerint. Certe & Apostolos Christus suam autoritatem in Ecclesijs habere uoluit, & ipsi, ut sibi obediretur, magnopere requisierunt. Verum quia eo nihil sibi, sed ijs tantum, quos regebant, salutem quærebant, ac Dei gloriam, præfuerunt quidem Ecclesijs, primas ubique habuerunt, credentes gubernarunt, dicto audire sibi sanctos uolebant, interim nihilominus seruierunt omnibus, dominati sunt nemini.

Vos autẽ non sic, contra Anabaptistas.

Sic etiam in externarum administratione rerum, quis Moscheh unquam dignitate præstantior, & autoritate potestateq; formidabilior fuit, at quis simul unquam pluribus, magis sedulo & summisse seruiuit, qui nihil, scilicet, omnino sibi uel quæsierit uel acceperit unquam, ut de se apud Dominum gloriaretur, 3. Moscheh 16. sed dies, noctesq; ut populi salutẽ promoueret, ferè supra uires desudauerit. Si quis iam sic magistratum gerat, & opera manuum Domini, ouesq; pascuæ eius, ad ipsius uoluntatem gubernet, quid quæso aliud, quàm seruiat omnibus quos gubernat? Non igitur regere & magistratu fungi, sed sibi quærere præcellentiam & potestatẽ, id demum est, à quo hic Christus dehortatus est. Nam placet magis in hac generalitate hoc Domini dictũ accipere, quam ad solos Apostolos id contrahere, eò quòd omnino pius magistratus seruiat, non dominetur, habeatq; se per omnia secundum præsentem Domini cohortationem. Reliqua suprà 5. & 17.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Et egredientibus illis ab Hiericho, secuta est eum. Mar. 10. Luc. 18.) Matthæus & Marcus scribunt præsens miraculum à Domino editũ, cum à Hiericho fuisset egres-

sus, Lucas autẽ cum oppido appropinquasset. Hæc sic accipio, quòd Lucas satis habuerit hanc historiam, ut ex ea domini benignitas, & in cæco fidei exemplum nobis commendaretur, descripsisse. Tum etiam memorasse hæc prope Hiericho accidisse, cæterum non fuisse solicitum, de tempore, an dum oppidum ingrederetur uel egrederetur ea gesta sint, sicut nullus quidem Euangelistarum, huiusmodi circunstantias anxie persecutus est, quippe qui omnes in eo fuerint, ut Iesum dominum nostrum ex dictis & factis suis ostenderent Christum seruatorem esse. Sic cum Matthæus de duobus hic cæcis, quibus Christus uisum restituit, memoret, Marcus & Lucas satis habuerunt, Domini bonitatem & uirtutem declarasse in uno. Simile & supra habuimus nono. Missis igitur quæ extra rationem sunt negotij Euangelici, rem ipsam perpendamus. In primis domini bonitatem ubique sese exerentem, ob quam & multa adeò ipsum turba sequebatur. Mox fidem horum cæcorum, qui licet à turba increpiti, quoniam tamen urgebat eos non uulgaris necessitas, compesci se haud quaquam sinebant. Sic enim tum demum quisque uera intentaq; precatione Domini clementiam pulsabit, cum senserit aliquam necessitatẽ, opisq; recte inceperit indigere, ut supra sexto de precatione differentes, & alibi diximus: tum fidei illorum testem, salutationem istam, Fili Dauid, de qua supra primo, in illud: Filij Dauid, filij Abraham, & supra nono, in historia cæcorum. Postremo, quòd sanati Dominũ gratis secuti sunt, Deum glorificantes. Nam quotquot redemptionem Christi uere perceperunt, seruatorẽ suum non possunt non sequi, atq; in omnibus glorificare Deum, qui ex sola sua gratia, huc ipsos perduxit.

Reliqua hic notanda, ut de contactu domini, item admiratione turbæ, & alia huiusmodi, sunt supra sæpius indicata. Porrò ex Marco, qui etiam nomen huius cæci expressit, nam de uno duntaxat ille memorat, apparet ipsum uulgo celebrem fuisse, sicut ille, de quo Ioannis nono. Etenim & hic mendicus fuisse describitur. Bartimæus uero perinde est, atq; filius Timæi, quòd Marcus ipse est interpretatus. Bar enim filium significat, ut supra 16. dictum. Denicq; in eo, quòd palàm hunc & alios mendicare Iudæi passi fuerunt, argumento est, legem dilectionis omnium primam nimiũ fuisse tum apud eos obliteratam, quantumuis ceremoniarum uellent uideri obseruantissimi, quod illis Dominus identidem opprobrat. Ad hæc peculiariter illis præceptum fuit, ne quem egere inter se paterentur. 5. Moscheh 15. Sed collapsa fide, nihil potest pietatis & integritatis præterea consistere.

CAPVT XXI.

Sect. 1.  T cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem oliuarum, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod cõtra uos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cũ ea, soluite & adducite mihi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet, & confestim emittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictũ est per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum super illa collocarũt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia, Alij uero cædebant ramos de arboribus, & sternebant

A bebant in uia. Porrò turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hos anna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, hos anna in altissimis.

Et cum intrasset Hierosolyma, commota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Turbæ autem dicebãt: Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galilææ. Sect. 2.
Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes uendentes & ementes in templo, mensasq; numulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit. Et dixit eis: Scriptũ est, Domus mea domus deprecationis uocabitur. At uos fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Et cum uidissent principes sacerdotum, & scribæ mirabilia quæ fecerat, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hos anna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicũt? Iesus autem dicit eis: Quidni? Nunquam legistis, Ex ore infantium & lactentiũ perfecisti laudem? Et relictis illis, exijt è ciuitate in Bethaniam, & diuersatus est illic.

Mane autem reuertens in ciuitatem, esurijt. Et cum uidisset fici arborem unã Sect. 3.
in uia, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum. Et ait illi: Ne post hac ex te fructus nascatur in æternum. Et arefacta est continuo ficus. Et eo uiso discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo exaruit ficus? Respondens autem Iesus, ait eis: Amen dico uobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum hoc quod accidit ficui, facietis, uerum etiam si monti huic dixeritis, tollere, & proijce te in mare, fiet. Et omnia quæcunq; petieritis in deprecatione credentes, accipietis.

Et cum uenissent in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacer Sect. 4.
dotum, & seniores populi, dicentes: Qua autoritate hæc facis? & quis tibi dedit istam autoritatem? Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo uos & ego quiddam: Quòd si dixeritis mihi, & ego uobis dicã, qua autoritate hæc faciam: Baptismus Ioannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabãt apud se, dicentes: Si dixerimus è cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Sin autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habent Ioannem ut prophetam. Et respondentes Iesu dixerunt: Nescimus, Ait illis & ipse. Nec ego dico uobis qua autoritate hæc faciam.

Quid autem uobis uidetur? Homo habebat duos filios, & accedens ad prio Sect. 5.
rem, dixit, Fili, uade hodie operare in uinea mea. Ille autem respondens, ait, Nolo. Postea uero pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Ego domine, & nõ abijt. Vter è duobus fecit quod uoluit pater? Et dicunt ei: Prior. Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quòd publicani & meretrices præcedent uos in regnum Dei. Venit enim ad uos Ioannes per uiam iustitiæ, & non credidistis ei, publicani autem & meretrices credidérunt ei. Vos autem cum uidissetis, non fuistis commoti pœnitentia postea, ut crederetis ei.

Sect.6. Aliam parabolam audite. Homo quidam erat paterfamiliâs, qui plantauit uineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, ac peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ipsius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Reuerebuntur filium meum. Agricolæ autem uiso filio, dixerunt intra se. Hic est hæres, uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. Et apprehensum eum, eiecerunt extra uinea & occiderunt. Cum ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malè cum sint, male perdet illos, & uineã suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

Sect.7. Dixit illis Iesus, Nunquam legistis in scripturis. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem illum, confringetur, super quem uero ceciderit, conteret eum. Et cum audissent principes sacerdotum ac pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de se diceret. Et quærentes illi manus inijcere, timuerũt turbas, quoniam tanquam prophetã eum habebant. Et respondens Iesus, iterum dixit eis per parabolas, & ait.

IVcas ante hanc historiam memorat, insigne illud exemplũ resipiscentiæ in Zachæo publicanorum principe & diuite. Qui accensus desiderio uidendi Iesum ingressum iam, & perambulantem Hiericho, cum uidere eum præ turba non posset, statura pusillus, in arborem ascendit Sicomorum. E` qua mox eum Dominus cum eo loci uenisset, deuocauit, addens oportere se apud ipsum manere, qui festinans ut iussus erat descendit, Dominumq; hospitio gaudenter suscepit, nequicquam murmurantibus omnibus, quòd apud hominem peccatorem diuertisset. Quò autem appareret, quàm non sine caussa ad hunc peccatorem diuertisset, dono utiq; & spiritu Domini factũ fuit, ut stans Zachæus diceret Domino: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Cui Dominus respondit, Hodie salus domui huic contigit, eò quòd & ipsa filia sit Abrahæ, uenit enim filius hominis, &c. Egregie profecto huius non diuitis modo, sed & publicanorum principis in munere sanè lucroso constituti conuersio, uerum comprobat id, quod dominus suprà 19. dixit, Deo possibile, etiam diuites regno cœlorum addere, quod alioqui difficilius est, quàm ut camelus ingrediatur per foramen acus.

Operæpretium uero est, uidere in hoc Zachæo, iustificationis ordinem uimq; resipiscentiæ. Primum cognoscendi Iesu desiderio accensus fuit, per famam utique de ipso, & spiritum patris trahentis ad filium. Sic primum omnium est, audire Euangelion, & trahi à patre, immisso desiderio Christi per spiritum. Mox quærenti dominus se largius multo, quàm ausus ille fuisset petere, exhibuit. Sic omnibus usu uenit, simul atque Christum quærunt, exhibet enim ille ultro se, & multo, quam quisquam ausit petere, benignius. Sed dum Christus se hospitem peccatori offert, murmurant reliqui omnes, id indicat, mundi gratiam amitti, ut primum Christus recipitur. Quanquam sanè insolens uideri oportuit, tantum iustitiæ adsertorem ad infa-

mem

A mem adeò publicanum diuertere. Verum oportuit medicum adire ægrotum, & medicinæ tam auidum. Alij & si laborabant, ut tamen morbum non agnoscebant, ita medicum & medicinam auersabãtur. Hinc uero & ratio uitandi scandali discenda. Nam non fuit ueritus dominus offendere totas turbas, ut unum peccatorem patri adsereret. Indubie autem id fecit, quòd plus ex hoc uno, quàm reliquis omnibus illustrare gloriam patris potuit.

Porrò illico non restituit solum Zachæus, si quid aliquẽ defraudasset, sed dat præterea dimidium bonorum suorum pauperibus. Ita mox, ubi Christus uera fide receptus fuerit, necesse est sequi bona opera, sed uera, nẽpe dilectionis. Atq; ita demum plena est & perfecta hominis salus, ipseq; familiæ Abrahæ cooptatus, sicut domum Zachæi dominus pronuntiauit filiam Abrahæ, quæ ut uerisimile est, Ethnica fuit, & si non Ethnica, certe munere illo infami Publicanorum sese Ethnicis similem fecerat, prorsus profanata. Reliqua quæ hic forsan notanda essent, pluries iam annotata sunt in superioribus. Hæc audientibus, cum prope Hierosolyma essent, & confestim manifestandum regnum Dei existimarẽt, parabolam adiecit de distributis talentis, quam infrà 25. tractabimus. His uero dictis, scribit Lucas, Ibat pergens ascendere Hierosolyma, & subiunxit historiam de ingressu domini in Hierusalem, quã noster principio huius capitis ponit.

Et cum appropinquasset Hierosolymis, Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.) Specimẽ quodam regni sui Christus antequã pateretur, exhibere tum toti populo, tum hostibus suis uoluit, ut inde bonos in fide erga se confirmaret, malos redderet inexcusabiles. Magnifica igitur pompa, planeq; regia, si desiderium & applausus spectes populi, ac uirtutem qua è templo negotiantes, eiecit, seseq; atrocissimis hostibus suis formidabilem exhibuit, & simul plusquam plebeia humilitate, insidens asello, nihil minus quàm regio uectore, ac reliqua quoq; sui similis, hoc est, serui formam præ se ferens, B Hierosolyma ingressus fuit. Quo utiq; declarabat, se omnem à patre potestatem accepisse, cui cum uellet oportere cedere omnia, sed uelle modò humilitatẽ serui, tam in seipso, quàm suis exhibere, atq; per humilitatem crucis ad gloriam suam ingredi. Mori enim & poni omnia nostra oportet, antequam quæ Dei sunt recipiamus, huius ergo exemplum cum hic tum aliàs ubiq; Christus nobis prætulit, eoq; ne uel puderet nos humilitatis, qua peripsema prorsus mundo esse nos oportet, uel frangeret usq; ita crucifigi, tam in se, quàm suis persæpe declarauit, nihil esse apud Deum, & humilitate potentius, & cruce fœlicius.

In summa humilitate, summam gloriam Christus demonstrauit.

Hinc Paulus scribit libentissime se gloriari in infirmitatibus suis, ut inhabitet in se uirtus Christi, eoq; sibijpsi placere in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo, quod tum robustus sit, cum habeatur infirmus, 2. Corinth. 12. Sic & Galatis: Absit ut gloriet nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, Galat. 6. In infima ergo pro Deo humilitate, summam dignitatem, in defectissima infirmitate potentiam inuictam, in cruce ignominiosissima, uere cœlestem gloriam sitam, & electis omnibus expectandam Christus suo hic exemplo docuit, omnium iuxta abiectissimus & gloriosissimus, simul infirmus summe, & summe potens, afflictus ac contritus sup omnes pariter & fœlicissimus ac beatissimus adeò, ut nemo nisi per ipsum fœlix & beatus queat euadere. Hæc longe antè de eo propheta Zacha. nono prædixit. Cuius uaticinium Ebra. sic habet: Exulta ualde filia Tzion, iubila filia Ieruscha, ecce rex tuus ueniet tibi, iustus & saluatus ipse, pauper & uectus asino, pullo; asinarum. Nihil his discrepat, quod citauit Euangelista, nisi quòd hæc duo, iustus & saluatus omisit, quia uoluit hic duntaxat ostendere impletum hoc uaticinium, in eo quod dominus ut rex & Christus salutatus ingressus Ierusalem fuit, licet simul summe humilis, & in seipso quidem, nihil regium præ se ferens, insidens pauper

Exemplum Pauli.

asino

asino, ac reliqua quoq; admodum deiectus & contemptus. Hactenus & à Ioanne c
adductum hoc uaticinium legitur. Porrò saluatum propheta sic Christum prædicat,
ut Paulus dilectum & ipse se omni potestate in cœlo & terra donatum, etenim sic à
morte seruatus est, ut iam suis eam quoq; deuicerit in sempiternum. Ebræi ad opem
ferendam Messiach suo contra Gog & magog referunt.

Quod autem Euangelista mansuetus habet, ubi propheta עני, id est, pauper uel
afflictus, nihil diuersitatis est, nemo enim mansuetus est, nisi qui afflictionem æquo
animo tolerat, atq; ita simul pauper existat. Ad hæc non fuit Christus nisi cum man-
suetudine pauper. Sed de hac uoce suprà fuse, in illud beati pauperes spiritu, cap. 5.
Hoc & Iudæi hic tradunt עני idem esse quod עבד. Neq; illud uariat, quod Euangelis-
Filius iugalis. ta reddidit, Sedens super asinam & pullum filium subiugalis, secutus forsan utilga-
tam tum lectionem, idem enim est, cum eo quod propheta dicit, Sedisse super asinū,
pullumq; asinarum. Porrò pullum asinarum, more scripturæ, pro asino dixit, figura
enim est illa prophetis familiarissima, qua idē mutatis uocibus geminant. עיר enim
quod nostri pullum solent reddere, non pullum proprie sed idoneum iam equitatio
ni iuuencum significat, ut ex Iudic. 12. & alijs aliquot locis satis liquet. Noster ergo
pro pullo filio asinarum, pullum filium subiugalis posuit, epitheto asinæ, pro asina
Sedit super so lum pullum. abusus. Quosdam uero & hoc torsit, quòd noster memorat Domino asinam, & pul-
lum eius adductum, atq; super eos collocatum: anxie igitur disputant in eo, quomo-
do sederit super utrūq;. Sed non sedit Dominus nisi super pullum, ut reliqui tres Eu-
angelistæ memorant cum propheta, licet simul asina fuerit Domino adducta, & est
synecdoche, quod Matthæus scribit, Dominum sedisse super eos.

Porrò quomodo Christus rex Tzion, hoc est, Ecclesiæ Dei, regni electorum, un-
decunq; illos sibi Dominus adduxerit, existat, uere iustus, & iustificans atq; saluans
in se credētes, dictum suprà est cap. 1. in illud: Ille qui dicitur Christus, cap. 3. In illud:
Pœniteat uos, appropinquauit enim regnum cœlorum, quarto in illud, Et circumi- b
bat totam Galilæam, ubi & præsens uaticinium adductum prolixius est, ac alijs lo-
cis pluribus. Iam ad quædam historiæ huius singulatim. Venerat usq; Betphagen et
Bethaniam pedes, hoc est, proxime Ierusalaim, ac tum demum mittit pro iumento,
hoc satis declarauit, non corporis sui caussa, sed propter mysterium regni Dei, insi-
dentem asino, ingredi urbem uoluisse. Quod & id comprobat, quòd pullo insedit,
super quem nemo hominum adhuc sederat, eoq; ad uehendum indubie parū com-
modo. Simul tamen per hæc indicasse uidetur, indomita etiam, & quæ aliena haben
tur, sibi paritura omnia, simul atq; uoluerit. Nam hic asinus, pro quo miserat discipu
los, aliorum erat, uerum ubi qui illic stabant audierunt ipsum eo opus habere, conti-
nuo permiserunt. Id quod discipulis, quos miserat, fore prædixerat, ut & inuenturos
illum ligatum, quàm primum in uicum fuissent ingressi.

Cum ergo his declarauit suę potestati omnia subiecta, & si quid uelit sibi adduci,
quamlibet uel id per se ferox atq; indomitum sit, uel alij repugnent, sibi tamen ac-
cessurum & morigerum futurum, non inepte gentium populum intelligas licebit,
nullas antea Dei leges expertum, quem & si superstitionum adsertores sibi retinere
deuinctum, semper pro uiribus conati sint, Apostoli tamē Domino per Euangelion
adduxerunt, subditumq; reddiderunt. Vt enim non sit allegoria, est tamen certe in
eo similitudo, ac tacita quædam parabola adumbrata. Verum utcūq; hæc habeant,
certum est, in his Dominum suam potentiam ac diuinitatem manifestare suis uo-
luisse, quo minus de se, cum paulò pòst cum peccatoribus reputatus in cruce more-
retur, desperarent. Quæ profecto & nobis fidem in ipsum confirmare debent, agno-
scentes, ei & in humilitate omnia tum cognita, tum subiecta fuisse.

Porrò quod quidam per castellum, unde asinum ligatū Dominus adduci sibi ius-
sit, Ierusalem intelligunt, præter rationem faciunt, cum nusquam aliàs tantā urbem

A τὴν κώμην, id est, uicum à Domino uel alijs in scripturis uocatam legerint. Neque firmum est, uicum uocatam hic à Domino, quòd in uicum esset redigenda: neq; enim in uicum, sed in puluerem redacta fuit, funditus excisa. Multo magis friuolum est, quòd quidam ex eo, quòd illud ἀπέναντι uel κατ' ἔναντι, Latine, cõtra, uersum legentes, significatum eo docuerunt, Ierusalem Apostolis fore aduersariam, & ita prædicandum mundo Christum, qui semper prædicatoribus aduersetur. Pluſquam frigida hæc commenta sunt, & Christianis fugienda, ut quibus scripturæ autoritas labefactatur. Etenim hoc, contrà, nõ plus est, quàm si ante uos interpretes uertissent. Vel ergo de suburbijs Ierusalem, uel alio quopiam uiculo, ut plures circa urbem fuere, Dominus intellexit, cum iussit discipulos in oppositum ipsis uicum abire, indeq; sibi quem mox inuenissent, asinum ligatum adducere. Etenim plures extra urbem habitationes fuisse, Iosephus memorat: quarum aliquot postea rex Agrippa muro cinxit, lib. de bello Iudaico 6. cap. 6. Atqui quòd discipuli Christi uestimenta sua super asinum posuerunt, Dominũq; super eum collocarunt, quòd alij suas uestes, alij frondes arborum in uiam sternebant, quòd cum ramis palmarũ ei obuiam ingenti numero ibant, qui Hierosolyma ad festũ uenerant, quòd turbæ præcedentes & sequentes illi ut Christo acclamabant, benedictus qui uenit in nomine Domini, atq; cum gaudio Deũ laudabant, super omnibus, quæ uiderant, uirtutibus, ut id pessime Pharisæos ureret, hæc omnia ad hoc fieri uoluit, ut ostenderet quanta esset potentia rerũ omnium prædítus, & futuræ suæ gloriæ, ad quam per crucem parabat ingredi, specimen quoddam exhiberet. Aliàs enim semper ista fugerat, malens ministrare, quàm ut sibi ministraretur. *Specimen futuræ gloriæ suæ exhibuit.*

Acclamatio uero illa, Hos anna filio Dauid, &c. ex Psalmo 117. sumpta fuit, ubi ita legitur post alia ad præsentem Domini pompam proprie respondentia. Lapidem reprobauerunt ædificantes, factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, est mirabile in oculis nostris. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Obsecro Domine, serua nunc, obsecro Domine, da iam prosperitatẽ. Benedictus qui uenit in nomine Domini, &c. Hic illud, obsecro domine, &c. Eb. legit, אנא יהוה הושיעה נא, אנא יהוה הצליחה נא, hoc est, Ana Adonai hoscíah na, ana Adonai hatzelichah na. Hinc iam patet, quòd hoc noster habet, Hos anna filio Dauid, comprecatio nem fuisse, qua salutem Domino, tanquam Christo, uero Dauidis filio, regnique eius beatum successum precabatur. Agnoscebant nanq; benedictum Domini Christum ipsum esse, qui regnum Dauidis esset restituturus. Vnde dicebant, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quasi dicerẽt, Hactenus uarijs tyrannis pressi sumus, nũc gloria Deo, salus uero & prosperitas huic nostro regi, qui in nomine Domini, hoc est, à Deo destinatus, & unctus nobis aduenit, faue nunc, iuua & salua, qui habitas in altissimis. Et illud apud Marcum: Benedictum quod uenit regnũ in nomine Domini patris nostri Dauid. Et apud Lucam, Pax in cœlo, & gloria in altissimis: quo significare uolebant nunc demum in cœlis ueram hominibus pacem donatam, & diuinæ honitatis gloriam effulsisse. Ergo Hos anna, à Græcis pro Hoschíah na, scriptũ est, id est, saluum fac nunc.

Hæc omnia nobis commendant regnum Christi, quod solum in nomine Dei uenit, alia sua quærunt & satanæ merent, in hoc solo salus, prosperitas, benedictio, pax & gloria, in quo tum sumus, quando Dominum nostrum Iesum Christum uera fide agnoscimus, qui morte sua nos satanæ tyrannide liberauit, qui spiritum iustitiæ deditque, qui demum peccatis omnibus nos purgaturus, & solida iustitia patrisq; uoluntate repleturus sit, per quem filij & hæredes Dei sumus in æternũ. De quibus in pauló ante citatis locis plura.

Sed diligẽter notandũ, quòd Lucas scribit, præterea in hac pompa accidisse. Nempe dominum conspecta Ierusalẽ fleuisse super eam, atq; dixisse: Si cognouisses & tu;

& quidem

& quidem in ísto die tuo, quæ ad pacem tuam &c. Vide ineffabilem Christi, etiam in perituros iudæos amorem, qui in summe hoc glorioso triumpho lachrimas ei extudit. Huiusmodi autem cogitatione ueríssimile est pectus Domini exæstuasse: En uenio tibi ò filia Tzion & Ierusalem rex tuus & saluator, ut tibi prophetę tui prædixerunt, sed pauper & humilis, ideo contemnis me à quo solo iustitiam & uitam accipere posses. O utinam & tu cognouisses, quæ ad pacem tuã, scilicet, facerent, nec ita stuperes in malum tuum. Et id quidem in ísto die tuo, cum te ad cognoscendum hęc tot ac tanta inuitant. Nunc enim dum me habes regnum cœlorum tibi annuntiantem, dies salutis & uisitationis tuæ tibi ortus est, quod ex uita atq; doctrina mea totq; præclaris uirtutibus pridem debueras agnoscere. Sed ó terq; quaterq; infœlix. Nũc ísta absconditа sunt ab oculis tuis, ideo insanis & sæuis contra me, dabisq; me neci, quem cum his turbis regem & saluatorẽ tuũ debebas ardentissimis animis excipere. Hinc autem non diu post eueniet, ut circundata ab hostibus ac post infandæ infœlicitatis exempla tandẽ excindaris funditus, occisis filijs tuis, atq; euersis adeò omnibus ædificijs tuis, ut ne lapis quidẽ super lapidẽ relinquatur. Quæ indicibilia mala ideo super te uenient, quòd non agnoueris tẽpus uisitationis tuæ hoc præsens, in quo te gratia patris per me uisitauit, atq; ad salutem tuam benigne uocauit, quãtum nec antea, nec postea unquam.

Atq; ita uidetur uero magis consonum, ut ístam Domini orationẽ, si cognouisses et tu &c. in optandi forma legamus, quam cũ reticentia, ut subaudias illud, curares: probe enim cohæret, si & tu in hoc quidem die tuo cognouisses, quæ ad pacem tuã, subaudi faciunt, aut pertinent: alioqui & aliquid subaudire oportet, quod uerbo (cognouisses) respondeat. Ad hæc fauet huic lectioni, & quod subnectitur: Nũc autem absconditа sunt, &c. id est non cognoscis quæ ad pacem tuam facerent, quæ optarim te cognoscere.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Et cum intrasset Hierosolyma cõmota est.) Et hæc ad gloriam Christi faciebant, sicut & quod post historiã de eiectis negotiatoribus è templo noster narrat, nempe accessisse ad eum cæcos & claudos in templo quibus sanitatem contulit. Sicut & discipulorum eius atq; puerorum in templo illa acclamatio: Hos anna filio Dauid. Ob quam cum indignarentur principes sacerdotum atq; scribæ, & peterent ab ipso, ut illos increparet, tanquam indigna ipso hæc acclamatio esset, respondit illis: ut Lucas scribit, Dico uobis, quòd si hi tacuerint, mox lapides clamabunt. Quo significauit, aduenisse iam tempus, quo se Christum prædicari pater statuisset, eoq; nulla id posse autoritate prohiberi, adeò, ut citius lapides pręconium suũ cantaturi essent, quàm ut illud posset taceri. Hinc monemur, cum uisum patri fuerit, tum demum Christum prædicari fœlicitet, & quidem inuicte, ut nulla id ui prohiberi possit.

Lapides clamabunt.

Apud Matthæum legimus, cum principes sacerdotũ dixissent ei: Audis quid isti dicunt? quasi uero nõ deberet eas acclamationes ferre, respondisse eis: Quid ni? Nũquam legistis ex ore infantium & lactentium perfecisti laudẽ? Quasi dixisset: Quod ego laudor pater laudatur, Dei est omnis ísta gloria, qui me iam tandẽ misit, per quẽ futurũ est, ut per omnẽ terram nomẽ ipsius admirabile celebretur, totusq; orbis laudes eius super cœlos usq; attollat, de quo psal. 8. canit. Iã hæc prędicatio per infirmos & infantibus similes (ipsi enim nihil loquentur, sed loquetur in eis omnia spiritus patris) perficietur, huius interim ceu specimen quoddam, ferte hasce puerorũ & discipulorum meorum uoces. Nihil falsum nihil me indignum dicunt. Cæterum Ebraita legitur: Ex ore infantium & lactẽtium fundasti uirtutẽ propter aduersarios tuos, ad frangendum hostem & ultorem. Verum sensus cũ eo, quod Euangelista, è Græcis exemplaribus adduxit, idem est. Tum enim uirtus Dei ex ore infantium & lactẽtium fundatur, cũ illa inuicta cunctis hostibus Dei prædicatione euulgatur. Sic sanè

Ex ore infantium & lactẽtium.

propter

A propter aduersarios suos hosce Iudæos fortissime & inuicte ex ore infantium, & pueris similium Apostolorum, gloriam uirtutemq; suam Christum Deus per orbẽ prædicari fecit. Vnde ille multo glorioſius exaltatus fuit, quàm eum hostes isti ignominioſe unquam deiecerant. Hinc uero & cõfractus est hostis & ultor satan cum omni suo satellitio. Nã per Euangelion omnis illi uis & potentia adimitur, regnante Christo in omnibus qui Euangelio fidẽ habent. Hinc docemur illud, Deum diligere stulta secundum mundum, ut pudefaciat sapiẽtia: imbecillia, ut pudefaciat robusta, &c. 1. Corinth. 1. Deinde eos demũ uere posse Christum prædicare, qui conuersi fuerint & pueri euaserint, de quo suprà 18. Nam sua uacare eum omnino oportet, qui Dei Christiq; gloriam uolet adserere.

Et relictis illis exijt è ciuitate in Bethaniam, Mar. 11.) Marcus habet: Cũ circumspexisset omnia, iamq; tempus esset uespertinum, egressus est Bethaniam cum duodecim. Noctu semper illis diebus Ierusalem egrediebatur, non tam, ut furorem Iudæorum, dum hora eius appropinquaret, declinaret, quàm ut imminente iam supplicio, quod homini ei non potuit non formidabile esse, crebrius cum patre per orationem colloqueretur, eoq; se cõfirmaret. Nam scribit Lucas in fine 21. capitis: Docebat autem interdiu in templo, noctu uero exiens diuersabatur in monte, qui uocabatur oliuarum. Etenim Bethania monti oliuarum adhærebat. Relictis ergo illic discipulis, ut quieti indulgerent, ipse in monte cum patre agebat. Die quidẽ dum prodesse alijs docẽdo potuit, sua omnia posthabuit, noctu cum docẽdi nulla esset opportunitas, aut alijs proximos demerendi, à patre sibi orando robur petebat, quò rursus die pluribus & efficacius cõmodaret. Discamus ergo & nos hinc, crebro colloquiũ cum Deo per sanctas preces petere, omnia tamen saluti fratrum promouendæ posthabentes. Verum de precatione & secessu ad precandum, suprà 6. & 14.

Et intrauit Iesus templum Dei, & eiecit, Mar. 11. Lu. 19.) Etiam hac expulsione ne- Dies secundus
B gotiatorum è templo mirifice sanè uirtutẽ suam declarauit. Quod factum ideo hoc loco tractare libuit, quòd sicut clare ex Marco liquet, postridie quàm insidens asino Hierosolyma cum turbis sibi fœlicia comprecantibus ingressus fuisset, à domino gestum sit, licèt à Matthæo & Luca narratum sit, quasi in ipso die illius magnifici ingressus gestum esset. An Ioan. autem cap. 2. idem uel simile memoret, nõ ausim pronuntiare, adeò incuriosos ordinis rerum à domino gestarum fuisse Euangelistas uideo, quanquam magis simile, quàm idem uideatur. Verum ut hæc per se ad negotium pietatis non faciunt, ita sine iactura pietatis ignorantur. Nos magis expendamus, licet illa quæ in templo Iudæi emebant & uendebant atq; negotiabantur, instituta essent, ut uerisimile uidetur, ad promouenda sacrificia, quo in promptu quisq; pro pecunia hostiam inueniret, & tempus adhuc esset, quo externus ille cultus uigere debuit, domino tamen intolerabilia fuisse, postquàm in ijs quæstum impij faceret. In totum quidem beneficentiam præ sacrificijs, & sui cognitionem præ holocaustis Deus usq; uoluit, quanto minus ergo ferre potuit sacrificia & holocausta, quæ non modo beneficentiæ & cognitioni eius, hoc est, dilectioni & fidei præferebantur, sed prætextus præterea erant hic impugnandi, & quæstui malorum tota seruiebant?

Expẽdamus modo, quid in nostris templis multis iam seculis placere Deo potuerit: ubi nihil non seruijt pessimorum auaritiæ & libidini. Ipsum Dei sanctissimum uerbum, religionis nostræ symbola, eleemosinæ, quid? nihil tam sanctum ac diuinũ fuit, quod non deploratissimorũ cupiditatibus fuerit prostitutum, præter innumera illa hominum commenta & superstitione plena, quæ una habendi cupiditas excogitauit, fouit & auxit. Sanè nunquam ita Iudæi è suo templo speluncam fecerunt latronum, ut nostri ex suis, quorum rapacitati & latrocinijs, quæ in templis nostris exercuerunt, illorum auaritia haudquaquam possit conferri.

Porrò locus iste, quẽ adducit: Domus mea, domus orationis uocabitur, Iesch. 56.

legitur. Tametsi autẽ ibi uates de spiritali potius domo Dei loquatur, ad quam dominus illic promisit adducturum se quotquot fœdus suum apprehenderẽt, eoq; domum orationis uocandam omnibus populis (nam externa illa pridem sublata est, neq; unquam ex omnibus populis ad eam adducti fuere) recte tamen hunc locum hic Iudæis Christus obiecit, quod & tum, in illo externo templo, uerum Dei templum, Ecclesia sanctorum, conueniebat, quare soli orationi ueræq; pietatis studijs illic locus esse debuerat, quod cum ipsi posthabuissent, ac impijs lucris eam prostituissent, opprobrat iure factam ipsis spelunca latronũ. Vt enim latrones in speluncis suis hominibus spoliandis insidiantur, ita isti in templo Dei, & sub prætextu cultus Dei uenabantur homines ad prædã. Cumq; illi res solas auferant, aut si maxime lædant, corpus uel uulnerent, uel occidant, isti animas superstitionibus perdebant, & eripiebant hæreditatem cœlestem. Quos proh dolor nostri sacrifici & monachi longissime in his omnibus superarunt. Nam cum illi unum duntaxat templum, idq; iussu Dei haberent, isti innumera fecerũt: præteritis & pereuntibus uiuis Christi templis, & id absq; iussu Dei: cumq; illi templum haberent sanctificatũ diuinitus, isti tot iam templa consecrarunt nomine uarijs diuis, re uero ipsa quæstui & luxui suo.

Tanta autem licet uirtute increpiti Iudæi non solum impietatẽ non agnoscebant suam, sed magis contra monitorem efferebantur, quærentes quomodo ipsum perderent. Sed quia hora eius nondum erat, nihil contra ipsum potuerunt. Timebãt enim eum, eò quòd totus populus ab ore eius penderet, & doctrinam eius admiraretur, ut Marcus & Lucas memorant. Agnoscat autem hic Christianus, ut uano impij metu sæpe detineantur, ne bonos, quod cupiunt, lædant. Certe populus hic, qui post quatriduum induci potuit, ut ad crucem Christum poscceret, non solum non cuperet defensum, non erat adeò principibus sacerdotum & scribis timendus. Sed domini fuit uoluntas, ut hoc licet omnino uano metu differretur eorum crudelitas usque in horam ab ipso constitutam. Ita à sola optimi patris uoluntate pendere omnia agnoscamus, eiq; nos penitus committamus. Vana est salus hominum.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Mane autem reuertens in ciuitatem, esurijt, Mar. 11.) Mira uero esuries, quã uoluit dominus saturare ex arbore, cum nondum esset tempus ut fructum haberet, sicut Marcus testatur. Quam præterea cum fructus non haberet, sed tantum folia, prõ ratione, scilicet, temporis, execratus fuit, ut exarescceret. Postridie ergo Hierosolyma ipsis reuertẽtibus, cum pridie facta uespera pro more domini Bethaniam petijssent, sicut clare Marcus memorat, uiderunt hanc ficum totam exaruisse, cuius Petrus dominum admonebat. Ibi quidem nihil aliud mysterij eis exposuit, tantum ab hoc facto ad firmiter fidendum Deo ipsos hortabatur, pollicens sic omnia ipsis fore possibilia, etiam transferre montes, imò nihil omnino esse, quod non exoraturi essent, si modo id se exoraturos crederent. Tum ut orantes remitterent, si quid contra aliquem haberent. De his uero satis suprà sexto, ubi de precatione. Item octauo, ubi de fide disputauimus, & iam suprà 17. post historiam sanati lunatici, ac demum de remissione fraternæ iniuriæ, 5. in illud: Si offers munus tuum, & 18. Indubie igitur dominus execrando arborem fici fidei efficaciam suis uoluit declarare. Sed præterea uidetur & populi Iudaici sterilitatem illa adumbrasse, qui suum tempus, ut fructum ferret pietatis, nunquam habere uoluit, eoq; tandem à Deo execratus fuit, ut exaruerit radicitus, & iam sicut fructibus usq; caruerat, nec foliis ceremoniarũ sese frustra possit uenditare. Videamus uero & nos, ne tantum uerborum & externi cultus speciem sine solidæ pietatis fructibus habeamus, qui plantatio domini modo habemur. Nequit sanè absq; bonis fructibus esse arbor bona.

Execrata arbor fici.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Et cum uenissent in templum, accesserunt ad eum, Mar. 11. Luc. 20.) Hoc factum tertio

A tertio die est, postquam Hierosolyma fuisset cum pompa ingressus, ut ex Marco clare liquet. In templo perpetuò erat, quia illò populus conueniebat, quẽ docebat. Scribit enim Luc. 21. Et omnis populus diluculo uentitabat ad eum, ut in templo audiret eum. Quis uero hinc non stupeat & uanitatem hominum, & mira Dei iudicia, conferens inter se flagrantem istam populi auiditatem, qua ad audiendum dominum diluculo uentitabat, cũ crudelissima illa uoce, Crucifige, crucifige eũ, qua statim quarto hinc die contra eum insonuerunt. Quanquam enim non dubitem, permultos fuisse, quibus tanta primorum inter Iudæos in dominum crudelitas horum satis displiceuerit, & qui amorem domini nunquam posuerint, licet infirmiores essent, quàm ut ueritati auderent testimoniũ palàm ferre. Nam memorat Lucas, dum ad crucifigendum dominus ducebatur, secutam turbam multam populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum, maior tamen populi pars ita contra dominum effecta fuit, ut eum ad crucem deposcerent. Veruntamen quia boni aliqui affuerunt, agnoscitur non frustra dominum his diebus in templo docuisse, neq; sanctum dedisse canibus. *Dies tertius.*

Sed quid ad hæc principes sacerdotum, scribæ & seniores? Dum aliud nõ possunt, rogant dominum, qua ista autoritate faceret. Quibus nihil uoluit respondere, uidebant enim ipsi & sentiebant diuinam esse autoritatem & uirtutem, qua omnia fiebant, cui nimirum resistere nequibant. Alia quæstione ergo eos retundebat, de baptismo Ioannis, qua utiq; innuit eum è cœlo fuisse, diuinitus enim missus fuerat ut baptizaret. Ioan. 1. de quo suprà 3. ipsos autem obstinate eum & impie contempsisse. Porrò iterum uano timore deterriti ab eo fuerunt, ne responderent, quod in animo habebant. Ita meticulosa res est impietas. *Quà autoritate.*

ENARRATIO SECTIONIS V.

B Quid autem uobis uidetur? Homo habebat duos filios. Matth. solus.) Cum nolent de baptismo Ioannis respondere, proposuit eis parabolam, & aliud rogauit, sed quo eiusdem moneret eos, cuius quæstione de baptismo Ioannis monere uoluit, nimirum impœnitentiæ ipsorum, qui Ioanni ad resipiscentiam hortanti non obtempe rassent, ne quidem uiso exemplo meretricum & publicanorum, qui illius hortamentis acquieuerant. Quare similes eos filio facit, qui iussus à patre in uineam abire, recepit id se facturum, nec fecit. Nam modis omnibus præseferebant obseruantiam præceptorum Dei, quam erant professi, sed longissimi ab ea usque manserunt. Neq; id agnoscere potuerunt uel per Ioannem moniti, uel etiam exemplo eorum excitti, qui licet grauissimis obnoxij fuissent sceleribus, resipuerant tamen cum Ioannis prædicationi fidem habuissent. Quarè hi similes erãt filio, qui patri negauerat in uineam abire, & postea pœnitudine motus, abijt tamen. Perdite enim primum uiuentes, uelut patri Deo obedientiã negarant, sed postea agnita sua impietate ad præcepta eius sese totos conuerterunt. Vnde dicebat istis principibus sacerdotum, scribis & seniobus: Amen dico uobis, quòd publicani, & meretrices præcedunt uos in regnũ Dei. *Parabola de duobus filijs.*

O mirum & horrendum Dei iudicium, principes sacerdotum, scribas & seniores, hoc est, sanctissimos, sapientissimos, & integerrimos totius populi Dei, anteuertunt in regnum Dei infames publicani, & fœda scorta, neque anteuertunt solum, sed ingrediuntur illud, his in æternum exclusis. Sic fiunt ex nouissimis primi, & ex primis nouissimi. Vnde uero ita? Quia Ioanni habuerunt illi fidem, ij minime, illi agnouerunt se perditos esse, ij nequaquam, illi deniq; electi, ij reiecti extiterunt. Nam uidentes aliorum resipiscentiam, ne sic quidem ad pœnitentiam commoti fuere. Quis iam non timeat, quis sibi placeat, quis non ad omne uerbum Domini trepidet? Sed quis simul si sibi displiceat, & peccata sua doleat, non magnopere de Dei bonitate confidat, quando nullis quantumuis flagitiosis uidet regnum Dei claudi, modo credant uerbo Dei ad resipiscentiam uocanti?

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Aliam parabolam audite, homo quidã erat paterfamiliâs, Mar.12.Luc.20.) Quoniam excindenda arbor est, quæ pergit sterilis esse, ut monuerat Iudæos proxima parabola, licet multam præ se pietatem ferrent, plurimaq; promisissent, usq; tamẽ perseuerare immorigeros, & nullos pietatis fructus ferre, ita nunc admonet ultionis, quæ ipsos hinc manebat. Satis autem parabolã explicauit illo, quod subiunxit: Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Regnum ergo Dei, hoc est, cognitio, & doctrina Dei, his enim præcipue regnat Deus in hominibus, sicut quilibet rex suis legibus, & statutis, uinea illa est, quæ collocata fuerat populo Ebræo. Huius fructus, id est, uitam legi suæ, & fœderi, quod cum ipsis icerat, respondẽtem aliquoties exegerat per seruos suos prophetas, sed frustra. Nam illi partim seruos eos cæciderunt, partim occiderunt. Idem tandem fecerunt & filio. Eo meruerunt, ut uinea ipsis perditis alijs collocaretur, hoc est, uerbum Dei gẽtibus concrederetur, qui ipsum uera fide amplectentes, fructus dignos cognitione Dei ferrent, id quod & factum est, & ita regnum Dei ab ipsis ad gentes translatum.

Nam sicut, si optimus quispiam rex populum aliquem dignatus esset suo adiungere regno, recepto eo in suam fidem, & datis ei suis æquissimis legibus, illi autem pergerent ipsum iam regem suum contemnere, leges eius conculcare, ac nihil æqui aut legibus illius respondens agere, ad hæc quos ad eos legatos mitteret hortatum, ut resipiscerent, occiderent, denicq; & filium, tum offensus rex perderet eos, & alios in fidem suam reciperet, legibusq; suis formaret, qui ad illas se quoq; compararent, regemq; ipsum, ut par esset, agnoscerent, atq; colerent, ad hunc omnino modum populum Iudæorum Deus sibi, ut apud eos peculiariter regnaret, & Deus coleretur, delegerat, leges & prophetas ei dederat, uerum ipsi continuo Deum contempserũt, legesq; eius refixerunt, atq; omni impietate ipsum offendere non cessarunt, insuper quos misit eis prophetas, qui à pessimis suis studijs ipsos reuocarent, contumelijs afficerunt atq; occiderunt, idem tandem & filio fecerunt. Vt ergo irritum fecerũt fœdus, quod cum eis Dominus percusserat, ita ipse eos abiecit, sicut crebro per prophetas minatus fuerat, uerbum suum ab eis abstulit, & gentibus illud misit, ipsis tantum non funditus excisis, atq; ad unum usq; extinctis, ac quotquot reliqui ab exterminio facti sunt, ea cæcitate percussit, ut nihil prorsus ad omnem ueritatem æque stupeat. Sic regnum Dei ablatum ab istis est, & ipsi tyrannidi satanæ permissi.

Idem postea & multis gentibus non per orientis tantũ regiones, per Aphricam, per nobilem olim religionẽ Asiam & Græciam, sed etiam nobis in occidentali hoc angulo, miseris modis euenit. Iam rursum inuisit quosdam Germanorum, & aliarũ nationum uerbo suo Deus, sed planè ut adhuc fructus apparent, uerendũ est, ut non minori calamitate, & à nobis rursus regnum Dei auferatur, præsertim cum tantum prophetarũ Dei ubiq; trucidetur, & gratiæ Dei tam insanè repugnetur. Ablato autẽ Dei regno, quid aliud expectemus quàm quæ expertos Iudæos atq; alios, qui uirtutem regni Dei neglexerunt, legimus? De his & suprà, in illud: Dico autẽ uobis, quòd multi ab oriente. Leuiculum hoc est, in Matthæo legimus proposita parabola dominum interrogasse Iudæos: Quid facturus esset dominus uineæ agricolis illis, & ipsos respondisse: Mali cum sint, male perdet illos, &c. In Luca autem hæc dominũ ipsum pronuntiasse, Iudæos autẽ cum audissent, dixisse: absit. Nam istud, absit, tum responderunt, cum intellexerunt in se dictam parabolam, quod priusquam agnouissent, responderant, malos male perdendos, ut Matthæus habet.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Lapis quẽ reprobauerunt.

Dicit illis Iesus, Nunquã legistis in scripturis, Lapidẽ quem reprobauerunt, &c. Mar.12.Luc.20. Pulchre hoc quadrat, subiectum illi. Absit, quòd principes sacerdotum & scribæ Domino responderant, postquam intellexerãt, in se parabolam dictã, atq;

A atq; dominum innuere, se male perdendos, regno Dei ad Gentes translato. Abesse enim hoc à se multum putabant, quia perempturi dominum nihil minus, quàm filiũ Dei occisuros se arbitrabantur. Respondet ergo, & ad scripturas remittit, ut discerent prædictum Christum à primoribus nõ agnoscendum, nihilominus tamen principem omnium fore.

Hunc ergo sensum habet responsio Christi: Dicitis: absit. Ne ita alienam à uobis hanc parabolam existimate, eò quòd ego humilis & idoneus uobis uideor, contra quem sæuiatis. Nunquam legistis, Lapidem quem reprobauerunt, &c. Ibi sanè prædictum de Christo est, nihil minus eum habẽdum, & quidem ab ædificantibus, hoc est, populi primoribus, & tamen à domino cunctis mirantibus, principem omnium constituendum. Ego planè is lapis sum, quem pater in fundamentum Tzion posuit, me nitentur electi omnes. Idem iunctis duobus parietibus, populo Iudæorũ & Gentium, angulum concludam, quia in me illi iungentur, iunctiq; seruabuntur. Et qui ceciderit super lapidem hunc, hoc est, in me impegerit, confringetur, & conquassabitur. Nam qui me reiecerit, aut impugnarit, is Deum reijciet, atq; impugnabit, quid queat iam in hoc esse integrum, quid saluum? Fide in Deum uiuitur, ea sublata, quid adsit nisi mors & perditio? Quanto magis si eò quis insaniæ perueniat, ut etiam gratiam oblatã oppugnet? Sanè is ita occæcabitur, ita in omnibus perturbabitur, ut nihil in eo suum officium facturum sit. Tandemq; eueniet, ut & lapis hic super eum cadat, cum à me iudicatus æternum supplicium adibit, totus in nihilum redactus.

Porrò locus quẽ eis obiecit, Psal. 117. legitur, & in Christũ proprie quadrat. Qui à moderatoribus populi, tanquam lapis ab ædificantibus reiectus fuit, & factus tamẽ est princeps & caput electorũ, uelut si lapis quem ædificantes reiecissent, ut nullo loco ædificio immittendũ, & factus is tamen esset caput anguli, quo tota structura teneretur & clauderetur. Id uero à domino factũ est præter spẽ omniũ, atq; multis adeò
B summis uiribus repugnantibus, unde & mirabile fuit in oculis omniũ. Mirantibus quibusdã cum indignatione, nempe reprobis, quibusdam cum summa exultatione, nempe electis. Vnde ibidẽ sequitur: Hæc dies quã fecit dominus, exultemus & lætemur in ea, &c. Hæc itaq; ubi audiuissent, principes sacerdotũ, scribæ & seniores, more suo magis efferati fuere, sed quia nondum hora domini aduenerat, nihil contra ipsum potuerunt, uano iterum timore absteuti, quãlibet quærerent ei manus inijcere. Ita seruabit ad suam usq; horam Deus quotquot sibi certam fidem habuerint.

CAPVT XXII.

Simile factum est regnum cœlorũ homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos suos ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebãt uenire. Rursum emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerũt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam: reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant non fuerant digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quotcunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumben-

Sect. 1.

tibus. Ingressus autem rex ut uideret discumbentes, ubi uidit illic hominem nō uestitum ueste nuptiali, ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

Sect. 2. Tunc abeuntes Pharisæi consilium ceperunt, ut illaquearent eum in sermone. Et ad illum emittunt discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quòd uerax sis, & uiam Dei in ueritate doceas, neq; cures quenquā, non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uidetur? Licet censum dari Cæsari, an non? Cognita autem Iesus malitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et his auditis, mirati sunt, & omisso eo, abierunt.

Sect. 3. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionē, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septē fratres, & primus uxore ducta defunctus est, ac non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo, similiter secundus & tertius, usq; ad septimum. Nouissime autem omnium defuncta est & mulier, in resurrectione ergo cuius è septem illis erit uxor? Omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Iesus, ait illis: Erratis, nescientes scripturas, neque uirtutem Dei. In resurrectione enim neque matrimonium contrahunt, neq; elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. De resurrectione uero mortuorum non legistis quod uobis dictum est à Deo, qui ait: Ego sum Deus Abraham, & Deus Exod. 3. Isaac, & Deus Iacob. Deus non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Et cum audissent turbæ, stupuerunt de doctrina eius.

Sect. 4. Pharisæi autem cum audissent, quòd obturasset os Sadducæis, conuenerūt in unum, & interrogauit eum unus ex eis legis doctor quispiam tentans eum, Deut. 6 & dicens: Magister, quod est mandatum magnū in lege? Ait illi Iesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum perinde atq; teipsum. In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent.

Sect. 5. Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens, Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Psal. 109. Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere quicquam, neq; ausus fuit quisquam ex eo die eum amplius interrogare.

Simile

A Similе eſt regnum cœlorũ homini regi, &c. Matthæus ſolus.) Hac rur ſus parabola, monuit Iudæos futuræ ultionis hinc promeritæ, quòd uſ que Dei gratiam à ſe reiſcerent, neq; id ſimpliciter, ſed cum iniuria, & nece etiam eorum, per quos eam illis dominus offerebat, ſim ul autem; quia & uocationem gentium adumbrauit, addit, quo terreri merito de bent, quotquot non ſolida fide ad Eccleſiam ſuam, & beatas nuptias uenerint. Mit tamus ergo uana multa, quæ in hunc locum uulgo cõmenti ſunt tam ueteres, quàm recentes quidam. Cum Iudæis Chriſto res erat, paulò poſt exterminandis, eò quòd oblatam ultro Dei gratiam, perpetuò non reiſcerent modo, ſed etiam oppugnarent, ea cauſſa crudeliſſime ſæuientes in illius prædicatores. Huius uoluit eos præmone re, quò minus excuſationis ipſis reliquum maneret. Ne autem Gentes hinc efferren tur, quæ ingenti cumulo erant Euangelio acceſſuræ, monet ſimul de fidei ſyncerita te, hoc eſt, ueſte nuptiali. *Scopus parabolæ.*

Gratiam itaq; Dei, quam per uerbũ ſuum iis exhibet, quos eo dignatur ad ſui co gnitionem, quæ æterna uita eſt, uocare, regiis nuptiis omni apparatu delitiarum in ſtructis aſſimilat. Ad quas qui uocetur, beatum arbitrari ſeſe debeat, non ſolum eas non negligere, multo minus ſeruos regios, ad eas uocantes, iniuria aliqua afficere. Sic intelligi uoluit, rem tam beatam & deſiderabilem eſſe Euangelion, Deiq; cogni tionem, ut exiſtimare nemo deberet poſſe ſatis gratum ſeſe exhibere, quem ad eam optimus pater uocare dignaretur. Deinde quia hæc gratia oblata in primis Iudæis fuerat, ſed inter eos quidam amore ſtudioq; rerum præſentium illam neglexerant, alij quales & ipſi erant, cum quibus loquebatur, principes ſacerdotum, ſcribæ & ſe niores, ſeruos Dei prophetas ad hanc gratiam inuitantes occiderãt, monere eos uo luit, ut expectarent eam à domino ultionem, quam in parabola ſumptam de iis, qui B regis ſeruos occiderant, memorauerat, ſcirentq; ſe iam nõ ſolũ oblatæ gratiæ haud quaquã fore participes, ſed præterea indicibilibus malis obruendos & perdendos.

Poſt hæc per id, quòd rex ſeruos ſuos in exitus uiarum, hoc eſt, in uias quaslibet, quibus quaq; uerſum egredi liceret, emiſit adductum quotquot inuenirent, iiſq; ad duxerunt malos pariter ac bonos, ſignificauit, plurimos translato ad Gentes Euan gelio, regno Dei adducendos, ſed malos ſimul cum bonis, quod & ſuprà tertio ali quot parabolis indicauit. Per id autem, quòd ingreſſus rex nuptiis impletis, eum qui abſq; ueſte nuptiali intrauerat, eiici iuſſit in externas tenebras, ubi fletus erit & ſtri dor dentium, proculdubio ſignificauit, quòd apertis uerbis mox ſubiecit, multos eſſe uocatos, paucos uero electos, eoq; multos quidem Euangelio in ſpeciem acceſſu ros, ſed paucos certa fide. Tum eos qui hypocriſi ſua nuptias Euangelicas, ſanctũq; Eccleſiæ ſuæ cœtum contaminauerint, in iudicio olim graues daturos pœnas.

Hæc ſibi dominus hac parabola uoluit, quæ utinam ita expenderentur, ne qui, iis quibus iſta dicta ſunt, Iudæis ſimiles ſeſe facerent, Euangelij gratiam uel præ cupidi tate rerum uitæ præſentis contemnendo, uel præ furore amplexã ſemel impietatem tuendi, prædicatores eius perſequendo, tum ne etiam quiſquam Eccleſijs Chriſti ſe admiſceret, non ueſte nuptiali, id eſt, ipſo domino noſtro Ieſu Chriſto, quem indu unt, quotquot uera in ipſum fide baptizantur. Galatas tertio, amictus, & ſatis am plo cum fructu parabola iſta percepta foret, poſſentq; citra iacturam pietatis reliqua omnia negligi, quæ in hunc locum pleriq;, ne quid aliud dicam, luſerunt, de tauris occiſis, & mactatis altilibus, de exitibus uiarum, de ueſte nuptiali, & id genus alijs. Quæ utinam, ut nugæ ſunt, ita & agnoſcantur, neq; audiat Chriſti Eccleſia niſi cer tos Dei ſermones.

Lucæ quartodecimo, ſimilem parabolam legimus, qua dominus, cum apud prin cipem quendam phariſæorum cibum caperet, conuiuæ cuidam, qui dixerat, beatũ qui panem comederet in regno Dei reſpondit, Qua uticq; ſignificare illi & conuiuis *Parabola Luc.*

alijs uoluit,ad eam beatitudinem,nempe ad edendum panem in regno Dei,multos quidem diuinitus uocari, perpaucos autem esse, qui eam gratiam amplecterentur. Ipsis quidem Iudæis eam pridem oblatam, quos primos ad cœnam suam magnam & delicatam,Euangelion regni cœlorũ pater cœlestis uocasset, sed ipsi se indignos ea facerent,addicti rebus huius seculi,eoq; iratum eis, ineffabilem suam bonitatem tam impie contemnentibus,ad gentes seruos suos missurum,qui quoscunq; inuenissent adducturi essent,pauperes,debiles,claudosq; & cæcos,hoc est, quamlibet miseros & abominabiles. Cumq; ne sic quidem domus eius plena futura sit, iterum seruos suos emissurũ in uias & sepes, hoc est,ad angulos orbis & quamlibet obscuros populos,qui eos sedulitate ardoreq; commendandi regni Dei delitias, ad suam cœnam uelut compellerent,ut tandem conuiuarum numerus impleretur.Interim autẽ neminem uirorum illorum,qui uocati primum fuerãt, cœnam suam gustaturũ, hoc est,cognitione sui Iudæos prorsus destituẽdos,ac nihil Euangelij uncq; percepturos.

Ita per omnia ferè,eadem in hac parabola Christus monuit, atq; in ea, quam hoc loco Matthæus memorauit,nisi quòd hic nihil meminit de eorum crudelitate simul & ultione, qui uocantes seruos & filium necarunt, tum eo qui sordibus suis conuiuium defœdarit.Sed & hoc habet Lucę parabola peculiare,quòd memorat patremfamiliâs tertiò amandasse seruum suum,qui iam cõpelleret intrare, ut domus sua impleretur,quæ ex introductione pauperum,debilium, claudorum, & cæcorum nondum impleta erat.Hoc significatũ fuit,iterum atq; iterũ miseris gentibus mittendos, qui Euangelij inculcatione, & hortationũ instantia,eas quasi compellerent, ad lautitias cœlestes,donec Euangelion ad quosuis orbis angulos perueniret.

Quidam abutuntur hoc dicto ad comprobandam uim, qua carcerum & mortis metu,ad approbanda Papæ commenta quoslibet compellunt. Scriptum est, inquiunt,Compelle intrare.Sed istos, si ad se hoc dictum pertinere uolunt, oportebit primum seruos esse patrisfamiliâs cœlestis,hoc est,cum Paulo & Paulo similibus, nihil sui in omni uita,sed solam Domini gloriam quærere. Deinde uocare homines non ad ditandum ipsos,omnicq; obsequiorum genere demerendos,sed ad cœnam Euangelicam,nempe cognitionem Dei in seruatore nostro Christo, quam hoc eodẽ promo suo electis suis exhibere statuit. Tertiò ea ratione compellere, qua legimus compulisse Paulum,qui utique ex primis illis seruis fuit,quos pater emisit, ut ad cœnam suam quàm plurimos uocaret,ac etiam compelleret. Hic autem sic cõpulit, ut factus omnia omnibus,affectuq; & studio tum nutricis, tum parentis assumpto, uerbo Euangelij institerit die & nocte,monuerit unumquemlibet, obsecrauerit, & obtestatus fuerit,ut digne Deo uiuerent,hoc est,recepto dono Dei, epulis fruerentur cœlestibus. Sic compellendi homines sunt ad lautitias cœlestes, quas nemo nisi uolens & lubens gustare potest,non uinculis, exilio, bonorum direptione, uarijs cruciatibus,necisq; nouis generibus. Sed isti ut & Dominum hunc, & cœnam hanc ignorant,merent autem ei,qui homicida est ab initio, mirum non est, quòd sua ratione, quàm uerbi Dei instantia compellere malunt.

Ex eo autem quòd in confesso apud omnes recte sentientes pridem & modo habetur, neminem ad fidem,aut religionem compellendum, quidam officium magistratus,in totum à rebus fidei,& religionis alienum faciunt,nec quicquam illum circa eas,uel statuere,uel emendare,aut etiam uindicare permittunt, addicentes illum totum solis rebus seculi. Isti uero parum pie de sublimi hoc potestatis munere sentire uidentur.Dij in scriptura Dei principes & magistratus uocantur,quare & Deos quosdam præstare inter homines debent,eoq; sic mala amoliri, & bona prouehere, ut quæ inter bona præcipua sunt,in primis prouehẽda,& tuenda curent, quæq; mala nocentiora,præcipuo studio auertant. Cum itaq; religio non solũ bona alia uniuersa excellat,sed sine ea nihil sit iã humano generi bonũ aut salutare,certe cõsequẽs erit,

A erit,ut magistratus primum debeat religioni uindicandæ & conseruandæ curam im
pendere, quandoquidem nihil queat populo accidere pestilentius, quàm si hæc illi
uioletur,nihil salubrius, quàm si sarta tecta persistat.Hinc in lege magistratibus per
sancte præceptum fuit, ut præter consultores Leuitas & Sacerdotes, ipsi quoq; legẽ
Dei studiose legerent,nimirum ut sicut Deus ante omnia diligi debet, ita in primis
operam daret,ut illius cultus recte haberet, nemo ab illo per falsam doctrinam auer
teretur,nemo audentiore legis diuinę transgressione à uera doctrina alios auerteret.
Hinc Capitalia fecit non solum adulteria, homicidia, & id genus atrociora scelera,
sed etiam si quis à cultu Dei docendo abduceret, si quis sibijpsi tantũ idola, aut aliã
Dei superstitionem statueret, si ariolos consuleret,si Deo conuicium diceret, & hu
iusmodi, quæ propriè ad curã attinent religionis. Iam Deus non mutatur, quare in
hæc eadem hodie quoque magistratũ animaduertere decet. Nec enim minus apud
priscos uera religio cordis fuit atq; hodie, & æque tum, atque modo, opus spiritus
sancti illa extitit. Nihilominus cum & doctrina & ceremoniæ externa sunt, & pote
stas publica in hoc à Deo rebus humanis præfecta est,ut illæ optime, hoc est, ex sen
tentia ipsius habeant, ac ita ante omnia cultus ipsius uigeat,neque possit nocentius
quicquam accidere impia doctrina,& superstitiosis ceremonijs, etiam apud nos ma
gistratus officium erit cauere,ne quid in his palàm peccetur, occulta Dei iudicio re
linquere oportet.

Sunt pij quidã,qui hoc pacto furioso dari gladiũ putent,nam dicunt:quotusquisq;
magistratus est, qui Deo planè studeat, qui quæ uera sit doctrina, quæ gratæ Deo ce
remoniæ sciat, imò qui non falsæ doctrinę & omni superstitioni faueat, quòd hæc non
requirant,mori sibi,& semetipsum exuere,uti uera doctrina requirit. Huius generis
magistratibus potestatem facere de religione statuendi & eam uindicandi, quid in
quiunt aliud est,quam religionem uelle extinctam? Hos oportebat animaduertere,
B non disputare nos,quid impijs magistratibus sit permittendum,sed quid deceat eos,
qui potestate uolunt fungi ex sententia Dei.Quotusquisq; magistratus est hodie,qui
uel profana iuste curet & ex æquo omnibus iudicet, negabimus autem propterea
magistratui committendum usum gladij? Deinde cuicunq; mortalium negotium re
ligionis,doctrinæq; sanctæ commiseris,cum omnis homo ex se nihil nisi uanitas sit,
& non minus si multi conueniant, quàm si quisque pro se iudicet, in eodem uado
hærebis,nec minus periculi erit, quantum ad ipsos homines attinet,quàm si magi
stratui quoque hic suas partes concesseris. Proinde sicut magistratibus aliarum re
rum iudicium permittitur,nec tamen illico, ut recte iudicatũ agnoscitur, quicquid
iudicarint, etiã si feratur, modo per Deum ueramq; religionem ferri possit,ita & in
rebus religionis faciendum est.Doctos esse à Deo oportet omnes,nec quisquam ali
unde ueritatis certus reddetur quàm per spiritum sanctum, qui illam animis persua
deat. Interim tamen cum potestas à Deo contigit, eius partes esse fatendum, curare
ut recte pieq; cum doceatur,tum uiuatur, quantum quidem huius ipse præstare po
test.Potest autem cauere ut nihil à scripturis doceatur dissonum,ut nulli ritus, nullæ
ceremoniæ illis aduersæ habeantur,ut nulla colantur idola, nullæ contra Deum &
uerbum eius audiantur impune blasphemiæ, & hoc genus alia. Sed dices inter do
ctos & pios,ut habentur,sæpe multa controuertuntur, quis hic magistratui in pro
phanis ferè rebus occupato dabit uerum discernere? Primum respondeo plurimum
ualere sanctas & ardentes preces, deinde studiosam scripturarum collationem, po
stremo habent omnia dogmata suos fructus,ex quibus persæpe satis sese qualia sint,
produnt. Summa legis, & plena hominis Dei consummatio, dilectio proximi est,
ad quam,quid quæque dogmata adferant, non obscure potest plerumq; cognosci.
At uero fateor ex bona Dei uoluntate plerumq; inter uere bonos, de rebus haud
quaquam contemnendis dissensiones existere, nec posse uel ipsos, qui errorum

autores

autores sunt, uel alios pleroſq; errores illos agnoſcere, quamlibet cætera pij sint & Deum uere timeant. Has itaq; horum dissensiones componere per amicas collationes, & Ecclesiæ preces pius magistratus dabit operam, audiet unumquenq; humaniter & beneuole, quod si non succedat, digladiari in publicis concionibus uetabit, sicq; de re eiusmodi sit contentio, quæ possit apud plebem sine iactura pietatis transmitti silentio, id fieri præcipiet, sin alteram in publico feret doceri sententiã, sed eam, quam inuocato Deo agnouerit probabiliorem & fidei analogiæ magis respondentem. Et magistratum nanq; ex sua fide & uiuere & regere ac iudicare oportet. Hinc uero nihil periculi metuendum, utcunq; iudicium hic magistratus ceciderit, nemi-nem enim cogere potest ut sibi subscribat, habet quisq; suum penes se iudicium, habet suum, quo agitur, spiritum, si Christi & Dei filius fuerit: quòd si etiam ex præiudicio magistratus in falsam partem inclinetur, quum timor domini apud eum obtinet, & Dei uoluntas ipsi quæritur, error erit absq; noxa, salua est enim fidei summa, salua sunt omnia. Porrò ubi impij magistratus regnant, orandus Deus ut illos ad se conuertat, aut pijs commutet & tenere unicuiq;, quod à domino acceperit donet, contra quod si illi præcipiant, dicere cum Petro, Plus obedire Deo, quàm hominibus necesse est. Nequaquam autem huc ire decet, quoniam multi sunt, qui potestate sua abutuntur. & maxime in rebus sacris, ut propterea curam religionis alienam à munere magistratus faciamus, quam primam habere, quicunq; potestate funguntur, ut non solum diuinæ, sed simul omnium sapientũ leges sanxerunt. Certe nemo unquã de republica & legibus, uel apud Græcos uel Latinos scripsit, qui non primum in ijs religioni locum dederit. Satis scio pios illos, qui nihil interesse magistratus de religione putant, cupere à ceruicibus innocentum rectecq; credentium uim amoliri tyrannorum & principum Dei adhuc ignorantium. At si rem diligenter secum reputent, uidebunt, se hoc pacto istuc quod uolunt non efficere, contrà illi non audiunt eos, quia uerbum Dei non audiunt, interim autem efficere quantum in ipsis est, ut boni à defensione curáque ueræ religionis sese subducant, & sic cuiuis impostori fenestram aperiant, quo pacto cum euertere illi tyrannidem uolunt, tyrannidem potius muniant, ut pseudoepiscopis ita & alijs satanæ satellitibus quibusuis. Agnoscamus igitur magistratus partes esse, quas Deus in lege sua sanciuit, & ad-huc esse postulat, quando & hodie per Paulum suum præcepit, ut mala, & quæuis, & in primis nocentiora, externa tamen, tollere pro uiribus ille annitatur, & bona, similiter quælibet, & in primis potiora, omni studio plantare, prouehere, defendere. Quod si studebit, id ad Dei agriculturam præstabit, quod ad uulgarem, qui nouale parat, excisis arbustis & sentibus, & quicquid sationi obstabat, proscissumq; illud ferendum alij tradit. Sic nanq; pius princeps & magistratus, quæ prohibent in populo recipi semen uerbi Dei, nempe crassiora illa mala tollit, populumq; percipiendo illi idoneum facit, cunq; deinde Euangelij prædicator semen illi cœleste mandat, ipseq; dominus dare incremẽtum dignatur, fructus ille suos reddit. Vt ergo prima hic opera magistratuum est, uere sedulo orandum, ut illos dominus constituat, qui se ipsius agnoscant & præstent prefectos. Si enim à domino deficient, nec doctrinæ satanæ, nec bonæ uitæ locus diu esse potest, præsertim in publico, & si sit, maioribus tamen populus persecutionibus exagitetur, quàm ut non multi cedant retro. Quare non abs re Paulus hortatur pro principibus preces fundere, ut quietam & tranquillam uitam, in omni honestate & pietate uiuere liceat. 1. Tim. 1. Hactenus licuit disputare de ratione cõpellendi ad cœnam Dei, & quid in rebus religionis deceat magistratus. Iudicent sancti. De hac re D. Augustinus cõtra Donatistas multa, sed in Epistola ad Bonifacium comitem de correctione Donatistarum, hanc disputationem admodum copiose ac solide pertractat.

Vt uero ad institutũ, & memoratas parabolas reuertar, in utraq; par erit immẽsam Dei

A Dei bonitatẽ admiremur, quem offendere grauius non possumus, quàm si ultro ob-
latam nobis ipsius gratiã reijcimus, & ad cibum æternę uitæ uocati, uenire dedigna
mur. Tum animaduertamus perpetuò dominũ solere ex nouissimis primos, & pri-
mis nouissimos reddere, quò maiore cum timore & reuerentia uerbum sancti Euan
gelij excipiamus & perpendamus, atq; ad id uitam nostram comparare satagamus.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium ceperunt.) Hoc consilium non Pharisæorũ tantum, sed & principum sacerdotum, scribarum, atq; seniorum fuit, qui ad dolum conuersi fuerunt, cum ui nihil auderent. Miserunt ergo insidiatores, qui se iustos si-
mularent, ut Lucas habet, ut dominum caperent ex sermone, traderentq; principa-
tui & potestati præsidis. Insidiatores uero hi ex Pharisæis erant discipulis hostium Christi & Herodianis. Ita par odium contra pietatem iungebat, alioqui disiunctissi-
mos. De censu memorauí ex Iosepho quædam suprà partim tertio in illud: Cum ui-
disset autem multos, partim 17. in illud: Cum autem uenissent in oppidum. Non mi-
nima sanè tum secta eorum erat, qui impium arbitrabantur censum Cæsari Ethnico
principi pendere. Sperabant ergo cum dominus legis Dei seuerus adeò adsertor es-
set, & Christum, hoc est, populi Iudaici Regem & liberatorem uocari se iam ferret,
aliquid, quod Romanæ potestati aduersum uideretur, responsurum, quo haberent,
cuius ipsum apud præsidem accusarent. Aut certe si quid contra libertatem populi
responsset, autoritati eius nonnihil decessurum apud plebem. Sed quid proficeret
contra æternam Dei sapiẽtiam dolus ingenij humani? Cognouit uersutiã ipsorum,
utcunq; eblandiri aliquod contra magistratum responsum conarentur, tam pleno
ore ipsum prædicando, quòd uerax esset, uiamq; Dei in ueritate doceret, nullius ho-
minis ratione habita. Quæ ueritissima quidem erant, licet falso & doloso corde illi ea
B attestarentur, eoq; monere nos debent, ut quàm synceritissime & nos gloriã Dei ad-
seramus, ut quidem saluti hominum nihil præponentes, ita gratiæ eorũ contra Deũ
nihil deferentes. Iussit ergo sibi Christus afferri numisma census, oblatoq; eo roga-
uit cuius imago esset & inscriptio, atq; respondentibus, Cæsaris, dixit: Reddite ergo
quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Super quo responso mirati fuere,
necq; reprehendere id potuerunt coram populo, tacentes itaq; abierunt.

Videtur autem domini responsio, hunc habere sensum, quem tamen occæcatis Pharisæis & non nisi captiose rogantibus innuere, quàm explicare maluit. A Deo est ordinata omnis potestas, necq; poterit ulla uobis nisi ipso uolente dominari, iam potiuntur rerum apud uos haud dudum Romani, id uel moneta, & hic denarius te-
statur: Reddite igitur Cæsari, quæ Cęsaris sunt, nempe tributum, quod à uobis requi-
rit. Noluistis domino in libertate seruire, seruiendum igitur nunc est hominibus, li-
bertate amissa. Id tamen impietatis uos haudquaquam obligabit, nihilominus po-
testis & Deo, quæ Dei sunt reddere, id facite, mentem uestram illi consecrate, tum si-
dem ceremonijs legis, si id uobis per Romanos liceat, testamini, si minus, non erit
quòd uobis irascatur dominus. Discamus ergo & hinc, à Deo impositũ nobis agno-
scere, eiq; in omnibus quæ non sunt impia, parere, quicunq; magistratus contigerit,
de quo suprà decimoseptimo. Notatur uero hic moneta Romanorũ Iudęos hoc tem
poris usos, eoq; constare, denarium idem esse quod drachmam, ualereq; decimam
Coronati partem, de quo nonnihil item suprà decimoseptimo ex insigni illo libro,
de Asse & partibus eius Guilielmi Budæi.

ENARRATIO SECTIONIS III.

In illo die accesserunt ad eum Saducæi, Mar. 12. 20.) Nulla impietatis factio Chri-
stum non impugnabat, quantumuis se inuicem peius cane & angue odissent, quia
ab uno agebantur satana omnes, quem exarmaturus ille uenerat. De Saducæorum
nomine,

nomine, suprà cap. 5. in illud: Dico enim uobis nisi abundauerit uestra iustitia. De dogmatis & moribus eorum suprà 3. in illud: Cum uidisset autem multos ex Pharisæis & Saducæis. Lex cuius hic Saducæi meminerunt 5. Moscheh. 25. legitur. Lata uero fuit, ut & aliæ politicæ omnes, publicæ tranquillitatis caussa, quam non parū sanè promouet, si hæreditates impermixtæ maneant, & quælibet familiæ suas possideant, quare dominus & familiarum perpetuitati, & legitimæ hæreditatum successioni diligenter sanè consuluit, cum alijs tum hac lege, quam obiecerunt Saducæi, ut frater demortuo fine semine fratri, ducta eius uxore, excitare posteritatem conaretur, ac primogenitum ex fratria eius nomen & hæreditatem possidere faceret, uelut demortuo fratri adoptatum. Quæ cum ciuilis lex sit, hactenus & Christianis magistratibus obseruanda erat, ut & ipsi eodē spectarent suis legibus, quo manente apud quamlibet familiam sua hæreditate, cum plus pacis seruaretur, tum alienis hæreditatibus insidiantium auaritiæ, atq; decoctorum nepotationibus potentius occurreretur. Priuati uero ex ea discant, ut quemadmodum quisq; natura sibijpsi in liberis superstes esse cupit, ut ad idem & alijs faueat, sitq; contentus sorte sua, atq; alijs suas hæreditates, non tantum non cupiat inuadere, sed etiam hæredibus suis saluas seruare lubenter operam impendat. Sunt enim hæc syncerae dilectionis officia.

Sed Saducæi nec scripturas, nec uirtutem Dei recte cognoscebāt. Si quidem hanc cognouissent, nō ita absurdum putassent, reuocari rursum homines in uitam ab eo, qui ante ipsos cōdiderat ex nihilo, imò ad imaginem Dei conditi sperassent se omnino ad eam regenerandos. Si uero illas idem non potuissent ignorare, tum agnouissent longe aliam uitam in futuro expectandam, quàm hic agimus, nimirum ut immortalem, ita ab opere gignendi alienā, eoq; ad eam leges, quibus præsens uita instituitur, nequaquam pertinere, neq; posse ex eis colligi huiusmodi aliquid, quale erat, quod ipsi de septemuira muliere obijciebant. Quin ex eo quòd Deus passim in scripturis, Deus Abraham, Isaac, Iacob, & aliorum sanctorum dicitur, animaduertissent, Deo tanti nō esse mortuos, de quibus prorsus actum sit, ademptaq; omnis uitæ spes, ut se Deum ipsorum uocaret, eoq; oportere illos Deo adhuc uiuere, atq; in uitā reuocandos esse, qui pridem hominibus mortui erant. Cui enim Deus, Deus est, illi benefacit, id est, Deum se ei exhibet: iam uita in totum expertibus, & in eam nunq; reuocandis, quid benefiat? Non sunt igitur sancti extra participationem uitæ. Videuero, ut argute hoc collegerit Christus.

Sed indubie si Saducæi eo ingenio fuerunt, quo hodie Anabaptistæ, hanc Christi argumentationem, nequaquam admiserunt, quia clarum uerbum, Resurgent mortui, non potuit eis afferri. Porrò sententia, quam Saducæis obiecit, 2. Moscheh. 3. legitur, atq; locis alijs. Discitur præterea hinc, uitam angelicam nos in futuro uicturos, planè ab omni corruptione & immutatione alienam, uereq; beatam. Hæc cum turbæ audissent, stupuerunt de doctrina domini. At quid Pharisæi? Etsi sententiā suam, contra Saducæos à domino defensam audissent, adeò tamen fauere ei nequiuerunt, ut dolentes eum superiorem factum, ipsi rursus illum impeterent, in unum congregati. Quo uideas plus sanè contra innocentissimum dominum hos sæuijsse, quàm illi contra Paulum, Act. 23. Qui audientes eum secum de resurrectione facere, ab impugnatione eius ad defensionem fuerant conuersi. Ita in eos satanas suos impotentius concitat, qui uehementius gloriam Dei uindicarint, quamlibet uita sua sint amabiles.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Diliges Deū, ex toto corde.

Et interrogauit eum unus ex eis, Mar. 12.) Malo animo hic dominum quidem rogauit, subornatus à Pharisæis nihil prius nece domini quærentibus, sed ut ex domini ad eum responsione, quæ in Marco legitur, liquet, motus domini uerbis non nihil ad ueritatem fuit, atque ita nonnihil regno Dei adductus. Quod futurum Chri

stus

A stius sciens, tantò apertius indubie & benignius illi respondit.

Porrò præceptum hoc omnium primum, 5. Moscheh. 6. legitur, his uerbis: Audi Israël, dominus Deus noster, Dominus unus. Et, diliges dominum Deum tuum, toto corde tuo, & tota anima tua, & tota uirtute tua. Quod nihil aliud est, quàm ita diliges ex animo Deum tuum, ut cunctam naturã, omnesq; uires tuas amor eius peruadat & possideat, mens eum ante omnia cogitet, uolũtas in eo tota delectetur, cunctæq; uires ad placita ipsius rapiantur. Quę utiq; dilectio solidę fidei primus fructus, ac ceu primogenita proles existit. Simul ac enim animo hominis per spiritum sanctum de bonitate Dei recte persuasum est, illico, quemadmodum certò agnoscit omnium optimum, etiam sibi Deum, ita non potest cor ipsum non super omnia amare, hinc continuo mens tota est in cogitanda ineffabili eius uirtute & bonitate, tam ut eam aliis prædicet, quàm ut uita pro uiribus exprimat, inde ad Dei uoluntatem conuertitur quicquid in homine est. Quò uero hanc dilectionis Dei uim magis explicaret Christus, mentem adiecit. Cæterum anima ferè ut pro uita, ita & pro uirtute sensibili accipi solet, ut 1. Mosch. 34. de Schecem filio Chemor scribitur. Et adhæsit anima eius Dinah, pro eo quod est, adhæsit Dinæ affectus eius, uel potius amauit Dinã. Sic 44. de Iaacob & Beniamin. Anima huius colligata est animę istius, pro eo quod est, toto affectu diligit Beniamin. De altero præcepto diliges proximum tuum sicut teipsum, fusè satis disserui, suprà 5. in illud: Audistis quòd dictum sit, Diliges proximum tuum, &c.

Quòd autem hic dominus hoc primo simile facit, inde est quod æque in hoc utq; in illo, tota uitæ perfectio continetur, unde eo totam legem impleri Paulus Roma. 13. & Gal. 5. testatur. Omnis utiq; Dei lex huc spectat, & nos uocat, ut perfectum bonitate Deum & ipsi boni in omnes referamus, hæc imago cœlestis est, quæ amissa semel debet quotidie in nobis restitui, ad quam & cõtinuo spiritus Christi electos re-
B formar, quare cum huc uentum fuerit, ut isti legi de diligendo proximo uiuatur, uere dilectio Dei iam possidetur, ex qua nimirum hæc mandatorum eius obseruatio, & beneuolus iste in quoslibet animus prouenit, qui perinde aliis cõsultum cupiat, atq; sibiipsi, totusq; in eo sit, ut commodans multis, commodantem omnibus patrẽ suum cœlestem referat. Hæc tum dilectio proximi faciet facere & ferre, quæcunque aliqua ratione proximis utilia esse poterunt. Quo pacto semel iam obseruatur, quic quid omnino legum est, siue externam, siue internam uitam respicientium. Vnde recte hic dominus dixit. In his duobus mandatis totam legẽ & prophetas pendere, id est, totam uitæ doctrinam, quam cõsummatissimam Deus in lege et prophetis suis proposuit.

Cumq; similia inter se sunt, pendent sanè omnia in utroq;. Quicũq; enim diligit uere Deum, is necesse est, ut solidam ipsi fidem habeat, & ad ipsius uoluntatẽ totus comparatus sit, hinc mox sequitur omnimoda uitæ perfectio, ut quis & apud se, & erga alios uiuat, & sanctissime & decentissime, si iam uere diligit proximum, certò testatur, se antè iam credere in Deum, uereq; ipsum diligere, unde consequitur rursum adesse, quicquid in homine Dei oportet. Verum hic in his ordo est, primum omnium est audire, & agnoscere dominum Deum nostrum, dominum unum, in quo solo omnes spes nostrę collocẽtur. Id persuasione spiritus sancti, & auditu uerbi eius constat, unde fides in cordibus nostris gignitur, hæc continuo accendit, ut cor uere diligat, quem agnouit sibi optimum, mox amor hic Dei, omnia in nobis ad ipsius uoluntatem immutat & transformat, tum demum amor proximi, & ab ipso uita sequitur decentissima, planeq; ad imaginem Dei comparata. In qua si quid desidere-tur, inde est, quòd fides infirmior est, nam omnino tantum quisq; Deum amat, & refert, quantum de ipsius erga se bonitate fuerit persuasus.

In his pendẽt lex & prophetæ.

Hæc uero domini responsio animum legisperiti ita permouerat, ut ipse eadẽ con-

fiteretur,ei teſtimonium ferens, uera reſpondiſſe,Deum unum eſſe,& diligere proximum ut ſeipſum,plus eſſe quàm uniuerſa holocautomata & uictimas, iuxta illud: Miſericordiam uolo magis quàm ſacrificium. Hæc enim, ut dixi,noſtra cõſummatio eſt, Deum beneficentia in omnes referre, id eſt,eſſe alijs Deos. Agnoſcenti ergo hæc doctori huic legis,dominus dixit:Haud longe abes à regno Dei.In regno enim Dei ſunt,qui uerbum ipſius tenent,huic iſte propè tum acceſſerat, agnoſcens in dilectione omnia ſita,eoq; nõ longe à regno Dei aberat. A' quo utiq; abeſſe longiſſime oportet,qui alia ſpectant & urgent, quàm ut per fidem ſolidam in Deum unum huc perueniamus, ut dilectione proximi ipſius bonitatem pro noſtro modulo exprimamus.Quod utinam agnoſcerent,& ueterum cærimoniarum uindices,& externorũ elementorum adſertores,Pontificij & Anababtiſtæ.

Apud Lucam decimo, eadem ferè legimus, niſi quòd dominus ibidem legisperitum ad ſcripturas remiſit, qui iſtam ſummam legis Dei, ex eis reſpondit, tum quòd interroganti quis proximus ſuus eſſet,per parabolã declarauit ei unumquemq; proximum eſſe,cui poſſet & deberet opem ferre,ſimul notans impietatem eorũ, qui primas in populo obtinebant,Leuitarum & ſacerdotum,quibus nemo à proximi dilectione erat alienior, ut multo maior charitas apud Samaritanos & Ethnicos inueniretur. Nam memorat uulneratum à ſacerdote & Leuita præteritum,ſed à Samarita/no curatum.

Mirum autem eſt,ut ſit & in hunc locum allegorizationibus luſum,utinam non eſſet etiam ueritati illuſum. Vt planè ab ijs factũ eſt,qui hinc colligi docuerunt, proximum unicuiq; eum eſſe, qui ſibi benefeciſſet, eoq; huiuſmodi tantũ pro proximis habendos.Fefellit autem eos, quòd non intellexerunt, quid ſit alicui proximũ eſſe. Vnde cum dominus approbauerit legisperiti reſponſionem, agnoſcentis eum proximum ei,qui in latrones inciderat, qui exercuerat in illum miſericordiam, putarũt proximum cuiq; conſtitui per beneficia,cum beneficum eſſe, ſit proximi officio fungi:proximum autem alicui eſſe,habere eum uel peculiariter ſibi commẽdatum, uel aliàs in eum neceſſitatem patientem incidere,ut ſuprà 5.ubi quid proximus ſit fuſius diſſerui,oſtenſum eſt.Eoq; Sacerdos & Leuita,eque proximi uulnerato,cũ in ipſum incidiſſent,fuerant,atq; Samaritanus,uerum ſolus hic eſt in eum officio proximi functus. Vnde quòd dominus interrogauit legisperitum:Quis ergo horum trium uidetur tibi proximus fuiſſe illi,qui incidit in latrones? Hũc ſenſum habet: Quis uidetur tibi eum proximum ſuum recte agnouiſſe,& proximi officio erga eum functus? Vnde cum ille reſpondiſſet: Qui exercuit in eum miſericordiam. Subiunxit dominus: Vade & tu fac ſimiliter,id eſt,ſicut hic Samaritanus, ut proximum tuum agnoſcito, in quemcunq; incideris, ope tua egentem, eumq; pro uiribus iuuato. In hoc enim, exemplum Samaritani huius propoſuit, eoq; reſpondere ad illam quæſtionẽ, Quis eſt meus proximus? uoluit. Alioqui ſi dominus hinc docere uoluiſſet, eũ ſolũ agnoſcendum proximum,qui in nos,ut hic Samaritanus in uulneratum, beneficus fuiſſet,ſequeretur illud: Vade & tu fac ſimiliter, ſic intelligendum: Vade, incide in latrones,cumq; illi te uulneratum & ſeminecem reliquerint,et euenerit quiſpiam,qui tibi curam adhibuerit,eum habeto proximum. Mittamus ergo iſtos uerborum Dei eneruatores,& agnoſcamus hic dominum docuiſſe,eum unicuiq; pro proximo ſuo agnoſcendum,qui ope ſua indiguerit, uti fecit hic Samaritanus. De alijs proximis, quos Deus cuiq; adiungit,uel cognationis,uel alterius commercij cauſſa,dictum ſatis ſuprà eſt cap. 5.

Quis proximus.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Congregatis autem phariſæis interrogauit eos.) Hic ultimus Chriſti ſermo ad Phariſæos & aduerſarios ſuos fuit, quo ad agnoſcendum ſe illos prouocare eſt anniſus,exceptis,quæ iam ab eis captus, ipſis reſpondit. Eo ergo regni ſui admonere, & erigere

A erigere ſimul animos eorum, præſertim ſi qui inter eos ſanabiles erant, uoluit, uti Chriſtũ maiorem rege carnali, eoq; & Dauide patre ſuo expectarent. Carnales enim nihil niſi carnalia ſperabant. Satis opportune autem quæſtioni de lege, interrogationem de ſe Chriſto, & regno ſuo ſubiunxit, tacite innuens, quòd multo præſtitiſſet ipſos ſciſcitari de Chriſto, à quo uere demum iuſtificari, & facultatem legis implendæ accipere poſſent, cum à lege non niſi peccati cognitio, expectanda eſſet, & iuſtificatio nequaquam. Ad hoc etiam faciebat Chriſtum Dauide agnouiſſe præſtantiorem, nimirum regem ſpiritalem, & animorum purgatorem atq; ſaluatorem. Porrò excellentiorem Dauide Chriſtum ex eo uoluit agnoſci, quòd de Chriſto ex ſpiritu Dei Dauid loquens, appellarit eum dominũ ſuum, quòd pater filium non appellaſſet, niſi ſe maiorem agnouiſſet.

Sed indubie iuxtà uoluit adducendo hunc Pſalmum, de inuicta regni ſui potẽtia & uictoria contra hoſtes ſuos, cogitationes illis mouere. Quaſi diceret: Nihil miſeri omittitis, quo me impugnetis, tam abeſt autẽ ut me expugnaturi ſitis, ut paulò pòſt ad dexteram ſuam me pater ſit collocaturus, in ſummam rerum omniũ poteſtatem, quam exercebo, donec uos & omnes hoſtes mei, ſubſellium pedum meorum poſiti fuerint. Interim emittet pater ex Tzion uirgam uirtutis meæ, ſanctum Euangelion regni, potentiam ſaluatricem omnium ipſi habentium fidem, quæ in medio inimicorum meorum dominabitur, nequicquam uobis & aliis repugnantibus. Tum erit tempus uirtutis meæ, cum ſit modo humilitatis, tum in ſancto decore adorabũt me omnes gentes, quẽ uos paulò pòſt neci dabitis. Tum populus meus, ſeipſum & ſua omnia ſponte offeret mihi, regi ſuo, quem uos modo deſtitutum omnibus crucifigetis. Tum uelut ros depluetur terra iuſtis, qui meo ſpiritu, in filios Dei regenerabuntur. Iurauit enim dominus, nec pœnitebit eum. Sacerdos ero in æternum, rex ſimul iuſtitiæ, & in ſuperna Schalem, uere pacifica Dei ciuitate imperans, in hoc Malcizedeck regem Schalem relaturus. Dominus proxime aderit ſemper mihi, meaq; cauſa, cum iam tempus iræ eius aduenerit, percutiet reges, uindictã ſumet de gentibus, plena omnia erunt cadaueribus: nam percutientur capita regionum ampliſſimarũ, initio facto à gente & regno Iſraëlis, eò quòd ſaluificum regnum meum oppugnauerint. Ardua quidem res eſt quàm molior, & multa antequam in gloriã meam hanc ingrediar pati me oportebit, ſed erit tandem, ut proſtratis hoſtibus meis torrens qui dam fluat ſanguinis, è quo potans, hoc eſt, tanta de illis uictoria, ut par eſt, oblectatus attollam lætus caput, triumphũ acturus ſempiternum. Iſta ex hoc Pſalmo, & innumeris aliis tam Pſalmorum, quàm prophetarum oraculis, animaduertant, & perpendant, quibus ulla ſpes ſalutis reliqua eſt, nec me ac regnum meum oppugnent, unde ſolum ſalutem conſequi poterũt, ſeſeq; iis malis, quæ meos hoſtes manent, obnoxios faciant. Poſthac nihil tale à me audietis, increpitos pro merito, qui ſordent, ſordeſcere magis, donec menſuram, ad perditionem impleant ſinam, cum meos antè diligenter monuero, ut ab iis ſibi caueant.

Paraphraſis Pſal. 110.

B

Poſt hanc uero quæſtionem, nemo potuit ei quicquam reſpondere, neq; auſus fuit quiſquam ex eo die eum amplius interrogare. Ita exeruerat ſeſe in uerbis eius ſpiritus ſanctus. Qui & in nobis tanto aget potentius, quanto mũdo uidebimur pro gloria Dei periculo & cruci uiciniores. Vtq; Chriſtus nunquam maiore gloria & uirtute ſuſpiciendum ſeſe agens in carne præbuit, quàm tum cum proximum ſupplicium eſſet, ita & nobis uera gloria atq; ſalus nunquam præſentior aderit, quàm cum pro ipſius nomine ad interitum carnis acceſſerimus propius. Ipſe donet hoc nobis credere.

CAPVT XXIII.

Sect.1. TVNC Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: In cathedra Moysi sedent scribæ & pharisæi. Omnia ergo quęcũq; iusserint uos seruare, seruate et facite, secundũ opera uero eorum nolite facere, dicunt enim & nõ faciunt. Colligunt enim onera grauia, difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterum digito suo nolũt ea mouere. Omnia uero opera sua faciunt in hoc, ut spectentur ab hominibus. Dilatant autẽ phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorum, amantq; primos accubitus in cœnis, & primo sedere loco in consilijs, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus rabbi.

Sect.2. Vos autem nolite uocari rabbi, unus est enim magister uester, nempe Christus, omnes autem uos fratres estis. Et patrẽ nolite uocare uobis in terra, unus est enim pater uester, qui in cœlis est. Nec uocemini magistri, unus enim uester est magister, nempe Christus. Qui maximus est uestrum, erit minister uester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Sect.3. Væ autem uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, uos enim non intratis, nec aduenientes finitis intrare.

Sect.4. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarum, idq; prætextu prolixæ precationis, propter hoc grauius pungemini.

Sect.5. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm uos estis.

Sect.6. Væ uobis duces cæci, quia dicitis: Quicũq; iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit per aurũ templi, reus est. Stulti & cæci, utrum enim maius est aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et quicunq; iurauerit per altare, nihil est: quicũq; autem iurauerit per donũ quod est super illud, reus est. Stulti ac cæci, utrum enim maius, donũ an altare quod sanctificat donũ? Qui ergo iurauerit per altare, iurat per ipsum & per omnia quæ super illud sunt. Et qui iurauerit per templum, iurat per illũ, & per eum qui habitat in ipso. Et qui iurauerit per cœlum, iurat per thronum Dei, & per eum qui sedet super illum.

Sect.7. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham & anethũ & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiã ac fidem, hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Sect.8. Duces cæci, excolantes culicem, camelũ autem glutientes. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia purgatis exteriorem poculi patinæq; partem, cæterum intus plena sunt rapina & intẽperantia. Pharisæe cæce, purga prius quod est intra poculum & patinam, ut & exteriores horum partes puræ reddantur.

Sect.9. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcitia. Sic & uos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus

A tus autem pleni estis fictione & iniquitate.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra propheta Sect.10.
rum,& ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrũ
nostrorum, non fuissemus socij eorum in sanguine prophetarum. Itaq; testi/
monio estis uobismetipsis, quòd filij sitis eorum,qui prophetas occiderunt.

Vos quoq; implete mensuram patrum uestrorũ. Serpentes, progenies ui Sect.11.
perarum,quomodo effugietis iudicium gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad uos
prophetas,& sapiẽtes,& scribas, & illorũ aliquot occidetis, crucifigetisq;,& illo/
rũ nonnullos flagellabitis in synagogis uestris,& persequemini de ciuitate in ci
uitatẽ,ut ueniat sup uos omnis sanguis iustus,qui effusus est super terrã,à san
guine Abel iusti,usq; ad sanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ,quẽ occidistis inter
templũ & altare. Amen dico uobis,uenient hæc omnia super generationẽ istã.

Hierusalem Hierusalem,quæ occidis prophetas,& lapidas cos qui antè mis/ Sect.12.
si sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congre/
gat pullos suos sub alas,& noluistis? Ecce relinquitur uobis domus uestra de/
serta. Dico enim uobis,haudquaquam me uidebitis posthac,donec dicatis: Be
nedictus qui uenit in nomine Domini.



B Vnc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos, Luc.11.) Grauiter increpiturus erat pharisæos & scribas, tum populi duces & doctores, ac diligentissime suos admoniturus,ut ab ipsis sibi cauerent. Nè ergo hinc & lex Dei,quã illi tradebant,licet non solam, contẽneretur,antè monuit,ut quæcunq; legis, nimirum ex cathedra Moysi illi præcipe/ rent,obseruarent, sed secundum opera illorum nollent facere. Vnde illud: Omnia quæcunq; iusserint uos seruare,seruate & facite, de solis præceptis legis Dei, intelli/ gendum est. Traditiones enim inuenta hominũ, quibus Deo frustra seruitur, Chri/ stus seruanda præcipere non potuit. Quapropter cathedram Moscheh, non autori/ tatem Moscheh,qua illi abutebantur, sed locum intelligo, ex quo Moscheh legem populo pure prælegebant & explicabãt. Eiusmodi sedem uel suggestũ fuisse מוסר, id est,Musac Sabbathi,quod Achas legitur deposuisse,2.Reg.16.quidam putant,cer te Ezra lib.2.cap.8.legitur stetisse super turriculam ligneã,quam fecerant ad loquen dum populo,indeq; legem Dei recitasse. Cumq; mos ille apud eos usq; perseueraue rit,ut Sabbathis lex Dei legeretur, fuisse eis ad id propriam cathedrã uerisimile est, eamq; uocatam cathedram Moscheh. Ex ea ergo cathedra, cum sola Domini man/ data scribæ & pharisæi seruare iuberent, recte Christus præcepit ea omnia seruare. Id confirmat,quòd accusat scribas & pharisæos neglectus horũ, quod non fecissent, si ea hominum inuenta fuissent,in quibus obseruãdis aliàs strenui erant, posthaben tes mandata Dei,ut & suprà 15.eis opprobrauerat. *Quæ cathe/ dra Moscheh.*

Proinde onera grauia difficiliaq; portatu,quæ colligata in humeros hominũ im/ ponebant,mandata Dei erant ad uiuum exacta, quæ & Petrus Acto.15.testatus fuit, neq; se,qui tum erant Iudæi, neq; patres ipsorum portare potuisse. Quis enim unq; eo spiritu præditus fuit,ut tot ritus, totq; ceremonias, ita ut lex præscribit, potuerit sine ulla trãsgressione seruare? Taceo ea,quæ legis nomine proprie censentur, & ad uitæ pietatem faciunt,quæ is demum impleuerit, qui hic absq; peccato fuerit, quod præter Christum adhuc contigit nemini. *Quæ grauia onera.*

Vtcunq; autẽ utraq;,& propria legis mandata, & præcepta rituum atq; cærimo/ niarum fuerint onera portatu non solum difficilia, sed etiam impossibilia, ut Petrus

confessus fuit,& uerba Domini,ut Lucas ea conscripsit,idem testantur, uoluit tamẽ Dominus illis populũ humiliari, & ad ambiendã suam misericordiã, qua sola salus cõtingere mortalibus potest,uelut cõpellere. Quandoquidẽ Dei omnes toti sumus, certe par est,ut toti etiã ad ipsius uoluntatẽ nos comparemus, præsertim cum ille nihil,nisi nostrã consummationẽ & fœlicitatẽ uelit. Cum ergo id sancti non solũ in ijs, in quibus plena sita est iustitia,ut est solida fides,perfectaq; dilectio,præstare se haud posse uiderent,sed ne ijs quidẽ,quæ externa sunt,eoq; minimæ operæ,ut cærimonię atq; ritus,omnia tamẽ ad uitæ decentiã quandã atq; utile religionis exercitiũ institutis,quid aliud apud eos sequi potuit,q̃ magna animi demissio, misericordiæq; Dei iugis imploratio,indeq; & erga,pximos dilectio officiosior: quę potissimũ ea sunt,in quibus Deus in hoc exilio suos esse uersariq;,dũ hinc eos reuocat,requirit. Dũ itaq; utraq; hæc,& ꝓpria legis Dei,& accessoria illa cærimoniarũ mãdata obseruare oportebat, quãlibet onera grauia essent, & portatu difficilia, recte submitti eis humeros suos Christus uoluit,pręcipiens seruare quęcũq; scribę & pharisæi seruãda iussissent.

At uero post confirmatum sanguine Christi fœdus nouum,coruscante iam Euangelio regni Dei,cum ab externis illis facta iam esset libertas, erat solum id prædicandum, quod per se ad pietatem facit, in primis autem gratia Christi commendanda, qui solus suo spiritu sibi credentes iustificat, scribens Dei legem in corda ipsorũ, ut eam ament,eiq; studeant ex animo,etsi perficere illam hic nequeãt. Hinc Petrus, ijs qui contendebant eos qui ex gentibus Christo nomen dederant, circuncidendos, atq; eis præcipiendum,ut legem Moscheh seruarent,dicebat: Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum,quod neq; patres nostri,neq; nos portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros,sicut & illi? Non certe hic Petrus de proprijs legis diuinæ mandatis locutus fuit,quæ per se,scilicet,ad pietatem faciunt,eaq; quæ fidei & dilectionis sunt, continent,hoc enim iugum cum ipse,tum alij Apostoli,qulbuscunq; prædicarunt, imponere studuerunt,non quidem ut ex proprijs operibus suis, quæ secundum illa mandata fecissent,iustitiam & salutem expectarent,sed ut inde agnoscentes, quàm perdita sua natura essent,Christum tanto auidius amplecterentur, illis tamen ex huius spiritu sese dedituri pro uirili implendis. At uero imponere humeris discipulorum omnia legis præcepta, etiam illa accessoria de cærimonijs & ritibus, idq; quasi hinc iustitia petenda esset, hoc demum esse tentare Dominum Petrus pronuntiauit. Vt planè id insignis quidam Dei contemptus & iritatio, hoc est, tentatio erat, quia reiectio Christi erat,à cuius solius gratia,cum petenda omnis sit iustitia & salus,illi ad egena infirmaq; mundi elementa, contempta redemptione Christi, seducere discipulos uolebant. Post Christi glorificationem itaq; uere tentant Deum, hoc est, contempta tanta eius gratia ipsum iritant, quotquot grauia & difficilia,imò impossibilia portatu legis onera illa externa & accessoria,uel etiam propria hoc nomine,quasi obseruatis ipsis ex nostra uirtute iustitia comparari & salus possit, electis & Christo credentibus imponere conantur,sed ante confirmatũ fœdus nouum, in quo externorum libertas sanctis facta est,etiam Iudæis nihil omnino in lege erat, siue externum & accessorium, atq; paulò pòst remittendũ, siue respiciens interna & propriũ, neq; unquam donec transeat cœlum & terra remittendum, cui non summo studio humeri erant submittendi,non quidem, ut inde iustitia & salus peteretur, sed ut ex uera erga Deum fide,obedientia ipsi pręstaretur,quo simul continuo,ut sua peccata sancti magis ac magis sentirent,tanto auidius misericordiam Dei ambirent,agerent submissius,& erga proximos officiosius. De ijs ergo simul, quanquam præcipue de proprijs legis mandatis Christus hoc loco, licet grauibus & portatu difficilibus ea oneribus assimilarit,illud dixit: Omnia ergo quæcũq; iusserint uos seruare, seruate, Id autem,secundum opera uero eorum nolite facere,potissimum de hypocrisi eorũ, qua

Secundũ opera eorum nolite facere.

A qua omnia sua opera, etiam per se bona, contaminata & perdita erant. Vnde subiun
xit: Omnia uero opera sua faciunt in hoc ut spectentur ab hominibus. Et opera faci
unt & dicit tamen Dominus, dicunt & non faciunt. Dicebant siquidē ex Moscheh,
ut ex uera fide iustoq; timore Domini omnia fierent, ueritas & æquitas colerentur,
quisq; proximo ita faceret, ut sibi uellet fieri, in cærimonijs legis cor uere credulum,
& Dei gloriæ deditum haberent, suam uoluntatem nusquam sequerentur, & huius
modi. Hæc dicebant & non faciebant. Siue enim præstantes eleemosynam, siue pre
cantes, siue ieiunantes, aut cærimoniarum aliquid perficientes, omnia hæc faciebāt
in hoc, ut ab hominibus spectarentur, ubiq; sua quærebant, aberat ab eis iudiciū, mi
sericordia, fides. Recte igitur monuit Dominus, ut uerba illorū, quæ legis Dei erant,
quantumlibet naturæ impossibilia essent, quæ ipsi quoq; ne digito mouerent, sed
ne attingerent quidem, ut in Luca legimus, sui sequerentur, secundum opera uero
eorum ne facerent, quod nihil nisi hypocrisis erat, si quid etiam boni facere uideban
tur. Atq; ita simul liquet, non ideo dānatos hic scribas & pharisæos à Domino, quòd
onerarent homines oneribus, quæ portare nequirent, hoc est, legem Dei omniaq;
mandata eius pure ipsis proponerent, seruandaq; ad unum docerent, quia id diuini
tus erat præceptum, sed quia ipsi has sarcinas ne digito quidem attingerent, nihilq;
boni sy[illegible]cere, sed ad ostentationem facerent omnia. Cęterum de scribis & pharisæis,
eorumq; instituto suprà 5. in illud: Dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iustitia:
De lege uero quid in ea stabilitum, quidue abrogatū, in eodē capite in illud: Quis
quis soluerit unum ex mandatis istis minimis.

Dilatant autē phylacteria sua.) Depingit hypocrisim scribarū & pharisæorū atq;
arrogantiam. Hypocriseos erat, quòd phylacteria sua dilatabant, hoc est, ut Hierony
mus hoc loco scribit membranas, in quibus decalogus legis inscriptus erat, quas
complicantes & ligantes in fronte, quasi coronā capiti inde faciebant, ut semper an
te oculos mouerentur. Hunc morem ad suum usq; tempus Iudæis per Indiam, Per
siam, & Babyloniam seruatum ibidem testatur, eumq; qui hoc habuisset, iudicatum
religiosum. Porrò morem hunc, ex Mosch. 6. desumpsisse putantur, ubi legitur: Erūt
uerba hæc quæ præcipio tibi hodie in corde tuo, & explicabis ea filijs tuis, & loque
ris de eis sedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens, & li
gabis ea quasi signum in manu tua, erūtq; memoriale inter oculos tuos, scribesq; ea
in postibus & portis domus tuæ. Ita uenditabant se istis phylacterijs, id est, conserua
torijs, quibus legis studium populo mentiebantur, cum in corde nullius rei minorē
rationem haberent. Eodem spectabant, & fimbrias palliorum magnificantes. Præce
ptum erat in quatuor angulis palliorum facere hiacinthinas fimbrias, ut & in uesti
bus insigne aliquod haberent, 4 Mosch. 15. has ergo isti qui sanctiores reliquo popu
lo haberi uolebant, faciebant grandiores, & si uerum narrat Hieronymus, acutissi
mas in eis spinas ligabant, ut uidelicet & ambulantes & sedentes interdum punge
rentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini. Vtcunq; autem
hæc habuerint, satis liquet & dilatasse phylacteria, & fimbrias magnificasse, osten
tandæ religionis gratia. Nam ceu probatio subiecta illi sunt: Omnia uero opera sua
faciunt in hoc, &c. Superbiæ uero & fastus fuit, quòd amabant obambulare stolati, *Ambitio & fastus phari-*
ut Marcus & Lucas memorant, sedere primi in consilijs atq; conuiuijs, salutari in fo *saeorum.*
ro, uocariq; ab hominibus rabbi. Innata siquidem est omnibus hominibus principa
tus appetitio, præstareq; alijs cuncti uolūt, quo, uidelicet, primos parentes, diuinam
similitudinem impie affectantes, referunt. Quibus ergo Deus cognitus non est, nec
datum ipsum bonitate referre, illi uana quadam super alios præcellentia diuinitatē
quandam meditantur. Vtq; uani sunt & mendacium, nunquā ueris uirtutibus, sed
falsis semper uirtutum simulachris præstare se alijs conantur. Id necessario & Scri
bis istis & Pharisæis usuuenit, ignorantibus, scilicet, ut Deum, ita & ueram diui

nitatem,hoc eſt,rerum omnium præcellentiam,quæ ſita nimirum in eo eſt,ut quàm plurimos quiſq; demereatur, ſibi ſeruiri patiatur à quàm pauciſſimis. Beatius enim omnino eſt dare,quàm accipere, benefacere alijs, quàm beneficia ab alijs percipere.

Vnde recte Chriſtus Ioan.5. eis dicebat: Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis,& gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur,non quæritis? Qui nanq; Deo credit,is ipſum ſolum bonum agnoſcat, eoq; omnem gloriã ipſi uni tranſcribat,oportet. Quare ſi qui gloriam ab hominibus,non dico quærunt, ſed ſolum accipiunt ultro oblatam,certum argumentum eſt eos Deo non credere, gloriamq;, quæ ab ipſo proficiſcitur,agnoſcẽte nos ſuos filios,dum ſeruiendo omnibus ipſius bonitatem æmulamur,penitus ignorare. Fides ut unum Deum habet, ita uni omnem gloriam defert, quare qui ſibi aliquam gloriæ portionem uel quærit,uel accipit,is eatenus non unum Deum,ſed ſe ſummum, ſe bonum & Deum habet, quo certe uerum Deum non habet.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Vos autem nolite uocari rabbi.) Rabbi, magiſter meus dicitur. Bis uero uetuit quempiam magiſtrum uocari, ſed unum agnoſcere magiſtrum Chriſtũ,nos omnes fratres eſſe. Nihil enim æque noxiũ ueritati fideiq; ſyncritati eſſe poteſt,atq; hominem habere magiſtrum. Siquidem bonum & ſalutare eſt,quod ab hominibus diſcimus,neceſſe eſt non ipſos,uerum Chriſti ſpiritum illud docere, cur igitur nõ & ipſe eius magiſter agnoſcitur? Alterũ ergo omnino ſequi oportet, dum homo magiſter habetur,aut,ſcilicet,ut uerbum ipſius audiatur,quod non poteſt,niſi mendaciũ eſſe, quando homo ipſe nihil aliud eſt,aut Chriſti uerbum homini tribui,hoc eſt,ueritatem tanquam mendacium amplecti. Quo fit ut iam ne uerbũ quidẽ Dei ſit, ut quod non ſit Dei nomine perceptum. Hinc Apoſtoli omnia in Chriſtum referebãt,nolentes aliud quàm ipſius miniſtri,& myſteriorũ Dei diſpenſatores agnoſci, 2.Corint.4. Hinc uoluit Paulus,uno & altero prophetante,reliquos dijudicare, 1.Corin.14. & 1. Theſ.5. probari omnia, indubie quo certo electi uerbũ Chriſti unici magiſtri à uerbo hominis diſcernerent. Nam utrunq; iuxtà impietas eſt, & hominis uerbum pro Chriſti uerbo,& uerbũ Chriſti pro uerbo hominis amplecti. Iam quicunq; non certus in animo eſt,id quod uerum credit,Chriſti uerbum eſſe,Chriſto ſanè non credit, ſed ei,cuius uidetur ſibi uerbũ amplecti. Si autẽ certus eſt Chriſti ſe uerbo credere, non poterit alium ſanè eius agnoſcere autorem,hoc eſt,ſuum magiſtrum & rabbi.

Sic uero & unum patrem in cœlis Deũ agnoſcamus oportet,à quo, ſcilicet, omnẽ uitæ curam atq; prouidentiam, tum ueram hæreditatem expectemus, certi ab ipſo nos filios & hæredes agnoſci. Sicut uero per id quòd phibet uocari magiſtros, prohibere uoluit, ne quis magiſter haberetur, hoc eſt, ne ab ullius autoritate in iudicio ueritatis penderetur,ita & patrem,à quo ut filij penderemus, in terris uocari uetuit. Cæterum nudam patris appellationem non uetuit, cum & ipſe carnales genitores patris nomine dignetur, iubens patri & matri benefacere,ſuprà 15. Fiduciam enim, non appellationem uult à nobis ſublatam. Sic & Paulus Corinthiorum ſe in Domino patrem, & alibi doctorem Gentium uocat, licet omnem in unum cœleſtem patrem fiduciam ab omnibus poni,tum & ab ipſius autoritate ſola,omnem fidem pendere ubique docuerit,ut nemo ſtudioſius. Anabaptiſtarum igitur eſt, peccatum ſacere, ſi liberi genitorem ſuum patrem appellent: Chriſtiani ſatis habent, ut ſe gratia æterni & cœleſtis patris regenitos credant, atque hunc ſibi in omnibus proſpicere, pro cuius gloria non ſolum carnalibus parentibus,ſed & cum propria anima inimicitiam ſuſcipere parati ſunt.

Repetit uero,ne uocemur magiſtri, unum enim magiſtrũ noſtrum Chriſtũ eſſe, quod nimium alte radices in humanis cordibus honoris & præcellentiæ cupiditas egerit. Etenim ſimulatq; uel mediocre aliquid per nos Deus effecerit, ſi uel minimã aliquam

aliquam dotem dederit, inde mox nobis placemus, alijsq; nos anteponimus. Iterum
A igitur monet eum, qui maximus sit, omnibus debere ministrum sese exhibere. Hæc enim ut iam paulò antè, & suprà sæpius dictum est, uera diuinitas, & solida præstantia est, posse benefacere, hoc est, ministrare quàm pluribus, & beneficia, hoc est, ministeria accipere à quàm paucissimis. Adijcit præterea sententiam, à se & aliâs usurpatam. Qui se exaltauerit humiliabitur, &c. Etenim qui aliquid esse uult, is iam Deum negat, qui solus omnia est, eoq; necesse est, eum ut diuinæ gloriæ hostem, tandem deijci infrà omnes. At qui sese humiliarit, & omnium se fecerit ministrum, eum exaltat tandem cum Christo suo Deus, immortalitate & fœlicitate donatum, iudicemq; hominum & angelorum constitutum. Conregnabunt enim huiusmodi cum Christo, cum quo sese hic humiliant. Porrò hanc sententiam bis à domino alijs locis dictã Lucas memorat, 14. 18. Quartodecimo quidem, ubi uidens quosdam primos in conuiuio accubitus sibi quærere admonuisset modestiæ, & ut mallent sibi infimum locum desumere, quò cum honore in sublimiorem uocarentur. Decimo octauo uero, ubi corrigere arrogantiam quorundam uoluit, qui uidebantur sibi iusti, & aspernabantur cæteros. Quibus & parabolam de pharisæo & publicano, qui pariter in templum precatum ascenderant, dixerat, quorũ hic, eò quòd sibi displicuisset, atq; ideo à longe getisset, non ausus oculos in cœlum leuare, sed pectus suum percussisset, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, iustificatus in domum abijt præ illo, qui Deo gratias egerat, quòd non esset, ut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, & uelut hic publicanus, qui iam ut uere contrito corde Deum gratiam orabat, ita & exorabat omnia. Nam exaltauerat se ille pharisæus, complacens sibi in eo, quòd se iustum esse arbitraretur, quamlibet ore pro his Deo gratias ageret. Si enim ueram iustitiam cognitam habuisset, tantum sibi adhuc deesse simul agnouisset, ut multo pluribus pro omissis orasset uenią, quàm pro perfectis à se egisset gratias, præsertim
B tales, quibus se magis conferens peioribus admirabatur, quàm ut certe Deo honorem tribueret. Profecto si unquam ueræ iustitiæ gustum percepisset, nequaquam se, non huic solum publicano, sed ulli omnino mortalium prætulisset, quantum quidẽ ex ipso fuisset. Quæ autem ex Deo sibi collata sensisset ad ea tam extitisset gratus, atque adeò suam indignitatem pariter agnouisset, ut rursum præ se neminem contemnere potuisset, licet eadem obnixe & alijs orasset. Hunc itaq; sermonem, ut & superiorem 14. hac sententia: Omnis qui se extollit humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur, Christus concludit, quam apparet, ut plerasq; alias uulgo celebrem, atq; prouerbij uice iactatam fuisse.

Qui se extollit, humiliabitur.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Væ autem uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia claditis regnum, &c. Lu. 11.) De uehementia & acerbitate increpandi obiurgandiq; malos, quem habere modũ, & cuius esse spiritus oporteat, dixi suprà 5. in illud: Progenies uiperarum. Abesse certe debet hic omnis affectus carnis, & pro arbitrio spiritus rem ad Dei gloriam fœliciter attemperantis dici gericq; oportet omnia. Commodum autem post increpitam arrogantiam scribarum & pharisæorum, quòd amarent uocari Rabbi, & admonitionem ad suos, ne uellent uocari magistri, sed se unum magistrum agnoscere, obiurgat illos, quòd uendicantes sibi docendi munus, hoc est, clauem scientiæ tollentes, ut in Luca legimus, clauderent regnum cœlorum ante homines, damnantes doctrinam ipsius, nimirum Euangelion regni, quod quicunque receperit, ciuis cœlorum existit, atque ita nec ipsi illud ingrediebantur, facti discipuli Christi, neque alijs, quantum in ipsis fuit, ut ingrederentur Christum amplexi, sinebant. His hodie similes sunt, quotquot autoritatem iudicãdi de doctrina & scriptis nacti, & ipsi quæ Christi sunt, respuunt, atq; sua autoritate, ab illis arcent & alios. Vtinam ministros nos, non dominos regni Dei agnosceremus, cõtentiq; essemus, quàm simplicissime & syn-

Qui hodie sibi & alijs regnum Dei claudant.

& ſynceriſſime,ueritatem quam reuelatã nobis diuinitus crederemus,Eccleſijs pro/ c
poſuiſſe, quandóquidem nihil ſalutare præterea præſtare poſſumus, ſpiritus ſancti
enim,non noſtrum opus eſt cordibus eam perſuadere.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Væ uobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ,quia comeditis domos uiduarum,Marc.
12.Luc.20.) Auaritiam uentriſcꝫ ſtudium pſeudoprophetis ubicꝫ ferè ſcriptura tri/
buit,de quo ſuprà 7.in illud:A' fructibus eorum agnoſcetis eos.His ergo malis & hi
ſcribæ atcꝫ phariſæi laborabant: obiurgat igitur eos dominus auaritiæ atcꝫ crudeli/
tatis,qui uiduarum domos uorabant,crudeliſſime rapientes, undecuncꝫ poſſent fa/
cilius,ut ferè uiduæ,pupilli,& humiliores in populo,quibus deſunt formidabiles pa
troni,iniuriæ & rapacitati potentiorum potiſſimum patent. Dumcꝫ ita uiduas & a/
lios tenuiores opprimerent,ſubſtantiam eorum uorantes, longas interim preces ha
bebant,illis ſanctimoniam falſò uenditantes, & crudelitatem, quam contra alioqui
afflictos exercebant,tegentes.Etenim ut è Græco hæc leguntur, duo ſcribis iſtis do/
minus obiecit,quòd domus uiduarum uorarent,& prætextu, longum precarentur.
Vnde apud Lucã legitur, ὁι κατεσθίουσι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσεύ/
χονται,id eſt,qui comedunt domos uiduarum, & prætextu longum precantur,eiſdẽ
uerbis ea & alij Euangeliſtæ narrant. Vnde ſenſum huius obiurgationis hinc acci/
pio: Væ uobis quòd comeditis domos uiduarum per auaritiam & crudelitatẽ illas
opprimentes,tanquam derelictas,& oratis duntaxat per ſimulationẽ, atcꝫ ut uidea/
mini ſancti,qui nihil minus eſtis, nẽpe abſcꝫ miſericordia in afflictas. Atcꝫ ita liquet
potiſſimum auaritiæ atcꝫ crudelitatis hic à domino fuiſſe obiurgatos, deinde & hy/
pocriſeos, qua apud populum ſanctimoniæ laudem uenabantur, cum nihil minus
eſſent.Etenim aucupium,quale noſtri monachi & ſacrifici habuerunt,dementantes
ditiores uiduas ut ultrò ſua ipſis darent, his ſcribis atcꝫ phariſæis nullum fuiſſe puto. D
Vnde obiurgationem præſentem non poſſum accipere ut quidam, quaſi domi/
nus obiurgarit ſcribas,eò quòd ſimulãdo longas preces, emulſerint omnia à uiduis,
uti noſtri fecerunt.Ad hæc præſtantiores iſti eſſe uolebant, quàm ut ità emendicare
ſua à uiduis ſuſtinuiſſent,ſicut noſtra mendicabula ſolent. Non enim erat id tempo/
ris tam honeſta, ut modo, mendicitas.Neqꝫ tale aliquid obiectũ eis uſpiam legitur,
cum auaritiam & crudelitatem in miſeros tributam eis ſæpe legamus. Hos referunt
apud nos omnes ferè Eccleſiaſtici,qui pauperum & uiduarum ſubſtantias deuorant
crudeliſſime,tamen uolunt longis illis ſuis precibus, quas tamen non ex animo ſed
προφάσει,hoc eſt,in prætextum tantũ,ut uideantur aliquid religionis habere precan/
tur,omnia compenſare.Inter hos primi ſunt,qui omnibus uolunt ſanctiores haberi,
Chartuſiani & id genus monachorum.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Væ uobis,&c.qui circumitis mare & aridam.) ὁ προσήλυτος,id eſt,aduena, is di/
cebatur Iudæis,quem in conſortium ſuæ religionis pellexiſſent.In hoc iam miro ſtu
dio incumbebant ſcribæ iſti & phariſæi maria & terram hac cauſſa circumeuntes,
quanquã eſſent ipſi omni pietate inanes,ſolacꝫ hypocriſi turgidi, eocꝫ fiebat,ut pro/
ſelytos ſuos,διπλότερον ſe,hoc eſt,duplicius,quod perinde eſt, atcꝫ ſi dixiſſet ſimpli/
citer,plus geennæ obnoxios redderent,hoc eſt,filios geennæ.Sicut in malo ferè diſci/
puli præceptores ſuos ſuperant. Atcꝫ ad hunc modũ ſimpliciter malo accipere, hoc
duplicius,quàm anxie de duplici nomine, quo proſelyti magiſtris ſuis Iudæis geen/
næ addictiores reddantur, diſquirere. Eſt enim dominus ut rudibus, ita ſimpliciter
locutus. Hos referunt qui ſummo ſtudio quàm plurimos laborant in monachiſmũ
pertrahere,qui & ſemper ferè deteriores ſe illos relinquũt, ut dũ ſemel ſatanas exclu/
ſo Chriſto admiſſus fuerit, continuo magis ac magis ab omni integritate ad mores
perditiſſimos deficit.Id quod planè ſectæ iſtæ aperte ſatis cõprobant. Quanto enim
ueteres,

A ueteres, quàm sint præsentes cœnobitę, tolerabiliores erant? De geenna suprà cap. 12.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Væ uobis duces cæci, quia dicitis.) Vbi missa sapientia Dei est, in errores absurdos adeò mortales prolabuntur, ut nemo satis eorum dementiam possit stupere, iuxta uaticiniũ Ieschą 29. de quo suprà 15. in illud: Hypocritæ recte de uobis prædixit. Sic ergo & his scribis usuuenerat. Quæ enim insania pluris facere iurare per aurũ templi, & donum altaris, quàm per templum & altare ipsum? Sed quis furor in nostris, nulla religione teneri, quòd domi alunt scorta, quòd adulteri sunt, auari, imò nullo flagitiorum genere non madentes, sed si deberent horas, quas uocant, canonicas intermittere, præsentem timerẽt ultionem, adeò ut inter adulteræ amplexus, pro libro precationum mittant, quo dictis horis tutius libidinentur. Dent ueniam castæ aures, nihil potest absurdum adeò & insanum fingi, qnòd furor istorum non longe excedat. Hinc impiæ illæ uoces quorundam, qui ubi demurmurauerint illas precu-las, audeant dicere, iam Deo satisfactum est, cui ne fabam adderẽ, iam uiuamus more nostro, id est, nullum scelerum genus prætereamus. O' nimis ueras minas, percutiet te dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, 5. Moscheh 28. Quàm bonum uero & salutare à magistro Christo non recessisse, & uni Dei uerbo semper adhærere.

Quòd autem ait dominus, Aurum per templum, & donum per altare sanctificari, de externa illa sanctitate loquitur, quæ in eo sita erat, quòd diuinis usibus ista secundum uerbum Dei erant consecrata. Vigebat enim etiamnum cultus ille externus. Id uero quod ait, iurantẽ per altare, iurare per ipsum, & omnia quæ super illud sunt, & iurantem per templum, iurare per illud & per eum qui habitat in illo, & iurantem per cœlum, iurare per thronum Dei, & per eum qui sedet super eum, aliud nihil sibi uult, quàm si per quid iuretur, iuramentũ iam & ad omnia ea pertinere, quæ illi con-
B iuncta sunt, aut cui illud cõsecratum & addictum est. Vt si quis temere aut falsò per aliquid iuret, sciat & in ea, quibus dedítum id est, per quod iurat, se peccare, & æque illa inhonorare. Sed de his suprà 5. in illud: Rursum audistis, quòd dictum fuerit antiquis: Non peierabis. Neminem autem offendat, quòd innuere hic dominus uidetur, Deum in templo habitare. Vere enim in templo illo Hierosolymitano Deus habitauit, antequam uenisset hora, ut neq; in eo, neq; loco alio, sed in spiritu & ueritate adoraretur. Voluit enim ibi peculiariter inuocari & coli, gratiæq; suæ responsa dare, ut Schlomoh regi promiserat. Sed nihil hoc ad nostra delubra. Nos ipsos oportet sanctum Dei templum esse.

In templo habitabat olim Deus, quia ibi coli uolebat.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Væ uobis, &c. quia decimatis mentam, Lucę 11.) Ita solet ingenium humanum, cum ad ueram iustitiã præ amore sui peruenire nequit, sibi aliqua deligit, quibus iustitiam falsò ostentet. Sic isti pharisæi prætereuntes iudicium, misericordiam ac fidem, hoc est, iuste, beneuolenter, atq; optima fide cum proximis uersari posthabent. Lucas habet, iudicium & charitatem Dei, in quibus ut legis consummatio, ita & solida sita est iustitia pietasq;, ne nihil facerent, quo probitatis uel speciem aliquam haberent, decimas dabant, quàm exactissime, ut minutas herbulas quoq; decimarent. In quo sanè notatur uerum, quod suprà dixi, quòd ui magis, quàm emendicando domus uiduarum isti uoraverint, neq; tenues adeò fuerint, ut emendicando à uiduis, opes sibi quæsierint. Porrò nõ culpantur quòd exacte decimas de omnibus sibi prouenientibus darent, oportebat enim & hæc facere, sed quòd illa maiora omitterent, sine quibus nulla omnino potuit pietas constare.

Iam uero ex hoc. Hæc oportuit facere & illa non omittere, quidam ius decimatũ à domino confirmatũ iactant, cum longe alia nostrorũ, qui decimas accipiũt, et eorũ qbus ex lege debebant, ratio existat. Tota tribus Leui, nullas acceperat possessiones in terra

in terra Canaan,quòd eam ministerio tabernaculi Deus deputasset, quare & stat ue c
rat,ut ipsis decimæ persoluerentur ab Israëlitis reliquis,4.Moscheh 18. Durante ita/
que horum ministerio,& externo tabernaculi cultu Israëlitę decimas persoluere iu/
xta legem debebant.At translato sacerdotio lex translata fuit. Christus noster sum/
mus sacerdos est,& in cœlestibus,cui non opus est, partem oblationum & decimas
decidere,sed oportet,ut illi nos ipsos totos offeramus, in iugem uitæ cœlestis medi/
tationem. Interim minimis eius & quibuslibet egentibus sedulo necessaria mini/
stranda sunt,tum & ij duplici honore prosequendi, qui presbiteri bene præsunt, &
in uerbo atq; doctrina recte laborāt,1.Tim.5.Siue autē hæc per decimas,siue quam/
libet aliam portionem substantiæ,quæ domini benedictione nobis obuenerint,fece
rimus,perinde Deo erit,modo nihil nobis quęramus,& syncero corde necessitatem
patientibus impertiamus.

Quoniam autem ubiq; ferè præsertim apud Germanos ius decimarum obtinuit,
atq; magistratus id tuetur & exigit, ex eo sanè, quòd magistratui in omnibus, quæ
non habent impietatem coniunctam,parendum est,Christianis decimæ,ut constitu
tum est, persoluendæ sunt, qualescunq; sint qui illas percipiunt. Pendendum enim
est,quod imperarit magistratus,ut suprà 17. circa finem fusè disserui. Interim tamen
uideat quisq; quo illas iure recipiat.Nam si Pontificijs decretis fides habenda est, in
alimenta pauperum,& uictum eorum qui bene præsunt in uerbo & doctrina labo/
rantes,insumendæ decimæ erant, propter quos alendos, & apud Christianos deci/
mæ institutæ sunt.Iam alimenta pauperum, ita ut hodie fit, ad quælibet flagitia fo/
uenda conuertere, quid tandem adducturum sit, agnoscentes Deum ignorare ne/
queunt.Profecto magistratus erat,ut alias,ita & hic, abusus pauperũq; deprædatio/
nem auertere.Quod dum facere neglexerit,sed exegerit dare ijs decimas,quibus da
tæ hactenus sunt,nemo Christianus dare grauabitur, qui se nouit in eo secundũ uo/
luntatem Dei magistratui parere.

Quare nimium aberrarũt ij, qui ante biennium docuerunt impium esse decimas
dare,eò quòd peccati occasio per eas daretur malis.Fomenta quidem sunt scelerum
& decimæ & alij prouentus minime paucis,sed horũ se rei ij faciunt, qui illa uolen/
tes fouent,& quibus probantur.Sic magistratus qui cum possit ea cohercere,non so/
lum illa fert,sed etiam autoritate sua curat,ne qua malis fomenta desint,certe pecca/
tis ipsorum sese obligat.At priuatus qui nihil aliud potest,quàm monere peccantes,
cohercere non potest,ubi illi magistratus imperat decimas & alia malis persoluere,
qui illis ad omnem luxum & impietatem abutuntur,adde etiam ut hodie fit, ad im/
pugnationem pietatis,tam alienus tamen abest à culpa his abutentium,quàm sibi il
lorum abusus nō probatur.Neq; enim malis hæc persoluit, sed magistratui, eoq; ex
sententia domini.

Magistratus, non priuati est de abusu rerum externarum cauere.

Præterea non consequitur,malorum se peccatis iniquinare, quicunq; ipsis exter/
na ista tribuit,etiam ultro,non solum ex debito legum publicarum. Etenim inimici
nobis pascendi sunt,qui cũ inimici nostri sunt,boni esse non possunt, neq; re aliqua
bene uti, ob id tamen nemo dicet occasionem peccati illis dare eum,qui eis externa
ista bona iuxta mandatum domini subministrauerit. Alioqui & Deus ipse eorũ pec
catis sese contaminaret, dum pluuiam & solem suum æque ipsis atq; bonis donat,
quin temporalium rerum ferè plus ipsis, quàm bonis largitur. Displiceat igitur ma/
lorum impietas,& monendo,si licet,ab ea ipsos reuocemus, sed si quid ex mandato
magistratus pendendum eis est,agnoscamus id domini esse uoluntatem,utcunq; il/
li donis Dei abutantur.Magistratus uiderit,ut externa recte attemperet, quod si ne/
gligat, non negliget tamen Deus,ut tandem reformentur omnia.

Proinde utrinq; hic peccatum fuit,& à decimarum defensoribus, quòd contende
runt ex præcepto Christi eas dandas,& ab earũ impugnatoribus, quòd persoluendas
eas

A eas negarunt quum noſtrũ ſit omni humano ſtatuto parere. Debemus etenim Chriſtiani omnia dare & facere, ne quem offendamus, quantũlibet omniũ liberi ſimus. Certe nemo maiorem Chriſto libertatem ſibiipſi arrogabit: ſi ergo ipſe tributũ pendit, quod non debebat, & pendit iis, qui abutebantur rebus omnibus, & noſtrum profecto erit perſoluere quicquid magiſtratus impoſuerit, in quemcunq; demum id uſum conuertatur. Videant autem interim Eccleſiaſtici, ſi qui inter eos non uidentur ſibi fœdus cum inferno percuſſiſſe, ut ſi pro temporalibus his ſpiritalia nequeant ſeminare, in hoc incumbant tamẽ, ut ea ſerantur ab aliis, & ipſi interim tanto largiores ſint erga inopes, frugaliſſimeq; uitam ſuam tranſigant, memores ſemper beatius eſſe dare: quàm accipere. Agnoſcant non poſſe non pernicioſum eſſe ſtipendia ſub Chriſto facere, & Chriſto non militare, taceo quòd maior huius gregis pars ſolet caſtra Chriſti oppugnare.

ENARRATIO SECTIONIS VIII.

Duces cæci excolantes culicem, Luc. 11.) Eoſdem obiurgat, quòd in iis quæ nullius momenti erant, religionem oſtentarent, magis quàm haberẽt, quæ uero ad pietatem momentum aliquod habebant, in totum negligerent. Ita decimantes herbas minutiſſimas poſthabebant iudicium, ut iuſte omnia cum proximis agerent, & miſericordiam, ſiue charitatem Dei, ut benefici in illos eſſent, & fidem deniq;, ut cum ueritate cuncta peeficerent. Sic & in cæteris miram ſanctimoniam foris præ ſe ferebant, nihil interim de cordis puritate ſoliciti, quod rapina & intemperantia, in Luca eſt malitia, hoc eſt, cupiditate aliena inuadendi & libidine omnibus ad uoluptatem abutendi, uelut abominando ſtercore repletum habebant. Similes in hoc excolanti culicem, ſi quis fortè in poculum incidiſſet, totum autem camelum interim deglutienti, & ei, qui poculi uel patinæ exteriorem quidem partem diligenter mundaret, interiorem autem ſineret ſordidam & immundam. Ait ergo Phariſæo: Cæce, purga prius quod eſt intra poculum & patinam, ut & exteriores horum partes purgatæ reddãtur. Cæcitas utiq; intolerabilis eſt de externa puritate ſolicitum teneri, interna neglecta, cum illa ſine hac eſſe nequeat, unde interiora prius purganda ſunt, quæ non niſi fide purgantur, inde & externa purgabuntur, cum mundis iam mundata futura ſint omnia. In Luca additur & hæc ratio: Stulti, nónne qui fecit, quod foris eſt, etiã id quod intus eſt fecit? Quo monuit Chriſtus, ut à Deo uterq; homo eſt, interior & exterior, eiq; tam quæ intus, quàm quæ extra ſunt, iuxtà patent, ita utriuſq; hominis puritatem ei approbare conemur. Sed qui Deum ignorant, eoq; hominibus ſolum, qui patentia tantum uident, ſeſe approbare laborant, mirũ non eſt, ſi externa tantum purgata curent. Ideo autẽ uere cæci huiuſmodi & peruerſi ſunt, curantes quæ oportebat minime, & negligentes quæ curanda erant cum primis. In Luca & alio loco hæc à Domino dicta legimus. Nempe cum apud Phariſæum quendam pranderet, illeq; miraretur, quòd illotis manibus cibum caperet. Subiungit autem ibi, ueruntamen ex iis quæ adſunt, date eleemoſynam, & ecce omnia uobis munda ſunt. Græce enim habetur πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν Quæ hoc ſenſu uidetur ſubiunxiſſe: Miraris Phariſæe, quòd non lauerim manus ante prandium, externam enim munditiem miro ſtudio ſectamini, uere ſimiles iis, qui exteriora poculi catiniq; mundant, interiora ſordida relinquentes (nam imperfecta in Luca ſimilitudo hæc legitur) Quod enim intus ueſtri eſt, plenum eſt rapina & malitia, id negligitis, ſoliciti interim, ne illotis manibus cibum ſumatis, & ut pocula, urceos, æramenta, & lectos ſæpe abluatis. Mar. 6. Stulti, nónne qui fecit quod foris eſt, etiam id quod intus eſt, fecit? Cur ergo non utraq; munda curatis? ueruntamen ea quæ adſunt, date in eleemoſynam, & munda erunt uobis omnia tam interna quàm externa, ubi nimirum pro rapina, charitas Dei, & pro malitia, in quoslibet beneficentia in corde ueſtro ſucceſſerit. Sed uæ uobis Phariſæis,

Cæcitas eſt internis neglectis externa curare.

quia decimatis,&c.& præteritis iudicium,& charitatem Dei,id est,æquitatẽ & be- 6
neuolentiã. Nam quòd iudiciũ quidã pro dijudicatione propriorum peccatorũ ac-
cipiunt,præter morẽ scripturę est,quæ iudiciũ & iustitiã facere,pro eo accipit,quod
est iuste & cũ æquitate cũ hominibus uiuere,uel talem gubernando uitã apud alios
instituere.Perpendant scripturæ loca,& sic habere perspicietur. Porrò hic istud:ue
runtamen,&c.quidam per Ironiã dictũ putarunt, sed ij uerborũ consequentiã male
considerarunt.Caussa plerisq; fuit,quòd τὰ ἐνόντα,quod supereſt, uersum legerunt,
cum præsentia,uel quæ adsunt, reddi hoc quidem loco præstiterat. Matæologi hic
præceptum eleemosynæ fundant, docẽtes sub præcepto tantũ esse, dare egentibus
quæ nobis & familiæ nostræ superſunt,nisi quis ad extremam peruenisset necessita
tem,id est,eò uenisset, quo eleemosyna iam nequiret uti. Scripturas & uirtutẽ Dei
isti ignorarunt.Diligere oportet proximos opere & ueritate,id ubi adfuerit,non o-
pus erit alijs præceptis de eleemosyna,syncera dilectio officiũ suum haudquaquam
præteribit.Sed hæc nusq; est,nisi ubi fides est, & spiritus filiorũ Dei De qbus suprà.

ENARRATIO SECTIONIS IX.

Væ uobis,&c.quia similes estis sepulchris dealbatis,Luc.11.) Ad eandẽ obiur-
gationem hypocriseos, qua illi foris falsa religionis specie splendebant, intus pleni
omni impietate,& præsens assimilatio eorum pertinet.Lucas habet:Estis ut monu-
menta quæ non apparent,& homines ambulãtes super ea nesciunt. In hoc ergo di-
cto similitudo phariſæorum cum sepulchris in eo solum est,quòd latet ipsorũ impu
ritas.Hic autem & in eo,quod foris falsa pietatis specie splendẽt, sicut sepulchra de-
albata,cum intus pleni sint fictione & iniquitate,sicut sepulchra foris alba, plena os-
sibus mortuorũ.Fictione pleni sunt,simulantes esse se quod non sunt, inigrate, qua
in omnibus praui & impij sunt,quod dissimulant. De ijs non est opus exempla ad
ducere,cum eis,proh dolor,plena sint omnia. Vbicunq; enim solida deest iustitia fi- D
desq;,ibi adesse fictionem & iniquitatem oportet,unde mox consequitur, ut exter-
nus uitæ splendor solus quæratur,nulla habita ratione cordis.

ENARRATIO SECTIONIS X.

Væ uobis,&c,quia ædificatis sepulchra prophetarum,Luc.11.) Et hac re popu
lo sese uenditabant,quasi magnopere colerent, quos ipsorũ maiores interemissent,
prophetas & iustos. Vnde dicebant,Si fuissemus in diebus patrum nostrorũ,nõ fuis
semus socij eorum in sanguine prophetarum. Sed cum æque impij essent, idem &
ipsis contra prophetas & iustos furor erat, quod uel in Ioanne & Domino multis
declarauerant.Quod ergo illi faciebant,ædificantes sepulchra prophetarũ,atq; or-
nantes monumenta iustorũ, quo se maioribus suis, qui illos occiderant dissimiles
declararent,Dominus eo rapuit, ut testimonium interpretaretur, quo illi testarentẽ
se eorũ filios esse,qui sanctos peremissent, neq; natura solum, sed & impietate cru-
delitateq; in adsertores ueritatis. Vnde apud Lucã legimus Dominũ eis dixisse:
Profecto testamini:quòd comprobatis facta patrum uestrorũ, quoniã illi quidẽ eos
occiderunt,uos autẽ ædificatis sepulchra eorũ.Quasi diceret: Vos ædificando pro-
phetarum sepulchra,uideri uultis colere prophetas, & damnare patres uestros, qui
ipsos occiderunt,sed si quis hæc ex uestro corde æstimare uelit, quo æque, ut patres
uestri contra prophetas Dei furitis, rectius dicet, uos patrum uestrorum crudelita-
tem approbare,atq; uelut per monumenta ista iactare, damnare uero sanctos,quos
iure patres uestri interemissent.Nam monumenta,quæ cæsis eriguntur, utrũq; ha-
bere solent,cum nunc in laudem cæsorum,nunc in uituperium,ac uelut trophæum
ijs,qui eos ceciderunt, erigantur. Sic ergo Christus quæ phariſæi propheris sepul-
chra ædificabant & monumenta ornabant, uideri uoluit, tanquam patrũ suorum
trophæa,quæ patribus suis approbantes ipsorum impietatem statuerent, minantes
simul per hoc omnibus,qui prophetarum uestigia ingredi, atq; impietatem ipsorũ
incessere

Per sepulchra prophetarum approbant nccẽ eorum.

A incessere uellent, significantes, scilicet, se filios eorũ, qui prophetas hoc nomine occidissent, eoq; idem ausuros, & patrum audacíam relaturos. Quid aliud autẽ & de nostris pharisæis, Apostolorum & martyrum sepulchra ornantibus censeri debeat, nisi quòd præterea ex eis & mirifice lucrosum quæstum faciunt.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Vos quoq; implete mensuram patrũ uestrorum, Luc. 11.) Hoc est, exprimite eorum in adsertores uerbi Dei sæuitiam, id quod planè in me & meis declarabitis, serpentes, progenies uiperarum, id est, pestilentissimi & nocentissimi homines, qui serpentibus & uiperis magis lædere innoctuos gaudetis, quomodo effugietis iudiciũ gehennæ, damnationem externi cruciatus? Propterea & sapiẽtia Dei dixit, hoc est, Ego ipse dico, qui æterna sapientia existo, mittam ad uos prophetas & sapientes & scribas & Apostolos, qui instinctu Dei uerba uitæ ueramq; uobis sapientiam, atq; germanum scripturarum sensum adferent & annuntiabunt, sed uos non solum nõ audietis eos, sed illorum nonnullos flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, &c. Grandi cum autoritate ipsis hic, quia consummatio aderat, locutus fuit, regnũq; & potestatem suam palàm ipsis testatus est: ut si qui adhuc inter eos sanabiles essent, ad resipiscentiam reuocarentur, reliquis uero omnis excusatio adimeretur. Qua causa & prophetas atq; Apostolos suos à morte sua ipsis misit, in quos ut omni incredulitatis genere per reliquum tempus usq; ad uastationem Titi desæuierunt, mẽsuramq; suam impleuerunt, ut iustas iam pœnas horrendo illo excidio darent.

Quo certe uenit super eos, id est, requisitus ab ipsis fuit & ultus in eis omnis sanguis iustus, qui effusus fuerat super terram à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Barachiæ, &c. Christum enim caput sanctorum omnium, & Apostolos eius, omnibus sanctis maiores, ut qui pleniorem Dei cognitionem mundo attulerint, de quo
B suprà 11. in illud: Amen dico uobis, non fuit exortus, &c. isti occiderunt, eoq; uelut omnium, qui ante ipsos innocentem prophetarum sanguinem fuderant, crudelitatem cõsummarunt, non superarunt tantum, ut ita quemadmodum omnium illorũ sæuitiam consummatam habuerunt, sic reos sese fecerint uniuersi, qui unquam ab illis sanguis iustus effusus fuit. Venit ergo iure omnis iste sanguis super eos, hoc est, requisitus ab eis, & uindicatus in eis fuit, sicut planè nulli unquã grauiores pœnas dederunt. Vt enim sancti omnes à primo usq; ad ultimũ idem corpus sunt, Christum caput habentes, quare & scriptura donari bona dicit ijs quorum posteris post multa secula ea primũ exhibentur, sic & mali uniuersi unum corpus existunt, caput habẽtes satanã, diciturq; & inter ipsos retribui illis ultio, quæ à posteris eorum primum sumitur. Sic Amala Kitæ oppugnarant Israẽlẽ, cũ ex Aegypto egrederetur, id iusserat Dominus scribere in librũ ad memoriã, & cõmendari auribus Iehoschua, promittens se eum populũ omnino deleturũ, ut nulla eius reliqua esset memoria, id uero per Schaul primũ præstitit post annos circiter quadringentos, quã populus ille hoc peccauerat. Ita de ijs ultio eius sceleris sumpta fuit, qui ipsum nequaq; externo quidẽ opere cõmiserant, neq; tamen iniustus Deus fuit in eis ulciscens, quod patres ipsorũ admiserant. Etenim patrũ impietatem hi demũ penitus impleuerãt atq; cõsummarant, ut ea in ipsis externas illas pœnas dare primũ digna esset. Adhunc ergo modũ, & omnium, qui unquã sanguinẽ iustum effuderũt, crudelitas atq; impietas in hisce demũ Iudæis, qui per Titũ uastati sunt, ad summũ peruenit, eamq; mensurã, quæ summã ultionẽ mereret, impleuit, in ipsis ergo iure fuit uindicata, deditq; in exemplum orbi meritas pœnas. Interim tamen, etiam qui hos antecesserant, scelerum suorũ pœnas nihilominus dederunt, sed priuatas, publica uero & insignior illa ultio, quæ Dei iustitiam orbi luculentius declararet, his reseruata fuit, qui etiam superiorum omnium impietatẽ consummarant. Solet nanq; Deus ut publica quæ-

Beneficia, ut ita & mala accipiunt maiores in minoribus.

pam ſuis beneficia, quo ſuam hominibus bonitatem teſtetur exhibere, quę ſæpe ijs, quibus promittuntur ac etiam uere donantur, in carne nequaquam percipiuntur, ut Abraham atq; alijs ſanctis patribus uſu uenit, ita & pœnas ſumere de malis, quæ item non ſentiantur in carne ijs, quibus intentantur, atq; etiam uere infliguntur, ſimul tamen, ut bonis priuatim Dei merces nunquam deſit, ſic & malorũ nemo eſt, qui ſuas pœnas proprias non luat. Hinc puto liquere, quare uenerit ſuper hoſce Iudæos omnis ſanguis iuſtus effuſus à conſtitutione mundi, quem tamen non effuderant, nimirum quia in ipſis demũ ea crudelitas, qua effuſus fuit, plene maturuerat, et conſummata fuerat, dignaq; euaſerat, quæ luculẽta illa & memorabili ultione uindicaretur, quam ultionem ſimul in his dederunt, quotquot eis unquam obligati & antè fuerant, aut unquam ſanguinis aliquid effuderãt, idq; præter pœnas priuatas, quas quilibet dedit ſuas. Aſſeueratio iſta: Amen dico uobis, uenient hæc omnia ſuper generationem iſtam, quo magis terrerentur Iudæi, adiecta fuit.

Vt ſint publica Dei & priuata beneficia & pœnæ.

Quod autem potiſſimum Zachariæ huius, filij Barachiæ, qui idem Ioiada dictus eſt, meminit, cauſſa mihi uidetur, quòd huius mors in ſcripturis celebris ſit, & eadẽ omnino cauſſa ſuſcepta, nempe quòd impietatis ſuæ populum & regem arguiſſet, ob quam & iſti Chriſtum atq; Apoſtolos erant occiſuri. Hiſtoria de nece Zacariah 2. Chronicorum 24. legitur. Quidam autem putant, quòd huius pater Iehoiada, Barachiah, id eſt, benedictus Dei cognominatus ſit, ob eximium illum zelum pro cultu Dei & felici ſtatu regni, quo admodum & feliciter flagrauerat.

ENARRATIO SECTIONIS XII.

Hieruſalem Hieruſalem quæ occidis prophetas, Luc. 13.) Nimij erga gentẽ hanc amoris hæc deploratio fuit, quem & eo mire exprimit, quòd multoties uoluiſſe ſe congregare illos, uti gallina pullos ſuos congregat, teſtatur, nimirum ſummo affectu, & obijciendo ſeſe morti etiam pro ipſis, uti gallina ſe opponit pro pullis. Sed cũ omnia hæc reſpuere pergerent, prædicit domum ipſorum deſertam fore, nimirum excíſa funditus ipſorum urbe. His tum addit: Dico enim uobis, haudquaquam me uidebitis poſthac, donec dicatis, &c. Hoc eſt, poſtquam omnia fruſtra erga uos tenraui, & meo in uos ardentiſſimo amore ueſtrum erga me, & uerbum patris flagrantiſſimum odium, meaq; in uos ineffabili bonitate ueſtram incomparabilẽ erga me malitiam ſuperare nequeo, en relinquã uos, atq; ualere ſinam, teſtorq; poſthac, hoc eſt, breuiuſculum hoc temporis, quo in carne hac mortali in mundo agã, me haudquaquam uidebitis, donec aliqui ſaltem ex uobis ſpiritu patris donati, & mihi attracti, me eũ qui ſum, agnouerint, ortusq; ipſis dies ille ſalutis fuerit, ut ſyncera in me fide mihi occinant, benedictus qui uenit in nomine Domini noſter redemptor & ſaluator. Ne hoc de futuro iudicio intelligã, in cauſſa eſt, quia tũ nulli Chriſto id occinent: benedictus qui uenit in nomine Domini, niſi qui & hic ipſum Chriſtũ agnouerint, & quibus hic quoq; in nomine Domini uenit eo aduentu, de quo ſuprà 16. in fine. Mali certe in iudicio haudquaquam ut benedictum Domini excipient.

Porrò & nobis inſignis hic Domini affectus, & incõparabilis in nos quoq; charitas animaduertenda eſt, quos utiq; toties conatur cõgregare, quoties gratiæ ſuæ & uoluntatis patris admonet, & præſertim modo eſt tẽpus uiſitationis noſtræ, nũc hæc gallina tanto intentius ad ſe uocat, quanto clariorem Euangelij prædicationẽ miſit, uæ nobis ſi ſub alas eius non actutum nos confugerimus, maxime cũ omnia plena ſint circumuolitantibus miluis, & rapere nos conantibus. Tum autẽ ſub alas ipſius nos abſcondimus, quando toto pectore merito & gratia ipſius confidimus, atq; inde quàm proxime nos, ſyncera charitate fratribus noſtris adiungimus, ut in ipſo & inter nos unum ſimus. Probe etiam notandum quod ait: Quoties uolui uos congregare, diſperſi enim ſunt, quicunq; ab ipſo alieni ſunt, quod & illud teſtatur, Ioan. 11. Vt filios Dei, qui erant diſperſi, cõgregaret in unum. Neq; ſimpliciter ſanè

diſperſi

a dispersi sunt,qui Christum ignorant, sed summo cum periculo; prædæ patentes Satanæ,sicut dispersi pulli accipitrum. Neminem uero in his perturbet, quòd hęc Lucas alio loco narrauit,quàm Matthæus,qui ea ita descripsit, ut appareat ultimũ hũc fuisse Domini cum Iudæis sermonem, nisi quæ inter suppliciũ ipsis respondit. Admonui enim aliquoties Euangelistis curæ fuisse,ut ex innumeris quędam Domini dicta & facta conscriberent,unde Christus,scilicet,hoc est,seruator orbis pijs posset satis agnosci,nec; anxios fuisse,ut ea suo ordine semp,quo facta & dicta ab ipso fuere,exponerent.Sicut id ad pietatem haud ita magnum momentum attulisset. Videtur ergo Lucas,occasione sermonis Christi, quem ad Pharisæũ, qui ipsum uocarat ad prandium,ac reliquos conuiuas,utic; etiam Pharisæos & legisperitos habuit,in quo,quia illi mirabantur,quòd illotis manibus cibũ sumeret,eos hypocriseos commodũ admonuit,ut qui externæ multo, quàm internæ puritatis curiosiores essent. etiam reliquas obiurgationes quas hic uelut in ultimo cũ Pharisæis sermone Matthæus commemorat,subiunxisse,quibus,scilicet,didicerat ab Apostolis,cũ hic tum alibi à Domino fuisse obiurgatos. Deinde eadem indubie sæpe Dominus repetijt, quanquam hic cum finis suus adesset,ut in reliquis, ita & in his, autoritatem suam potentius declarauerit,grauissime & acerbissime illos obiurgans & increpans.

Nec; uero dissimile est,quod Lucas post narratas hasce obiurgationes narrat,cœpisse cum hæc Dominus diceret,legisperitos & Pharisæos grauiter insistere, & captiose interrogare eum,de multis insidiantes ei,& quærentes aliquid uenari ex ore eius,quo accusarent eum, post hunc ultimum ad ipsos sermonem Domini factum. Nam in præsenti hoc demum præcipue moliebantur, ut & ex superioribus patet. Sciebant enim se perdere illum non posse, nisi haberent cuius ipsum apud præsidẽ accusarent. Illud autem, quod inter has obiurgationes legisperitum quendam dixisse memorat.Magister hæc dicens, etiam nos afficis contumelia: ad quod Dominum narrat respondisse:Et uobis legisperitis uæ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt,&c.fortè inter conuiuium accidit.

Concordia altera.

Deniq; & illud Hierusalem Hierusalem, cum sequẽtibus uerbis narrat Dominũ dixisse,cum quidam Pharisæorũ accessissent, & dixissent ei: Exi & uade hinc, quia Herodes uult te occidere,& ipse illis respondisset:Ite & dicite uulpi illi: Ecce ejcio dæmonia,& sanitates perficio,hodie & cras & tertia die consummor, ueruntamen oportet me hodie,& cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, ut propheta alibi pereat,quam Hierosolymis:tum addidisse hanc exclamationẽ: Hierusalẽ Hierusalem,& cætera. Vnde iterum coniecturam facio,ut alia multa,ita & hæc Dominum non semel tantum dixisse.

Porrò quod Christus principem hic uulpem uocauit,non fecit ex contemptu magistratus;sed autoritate spiritus, & ad demonstrandam potẽtiam patris, qua fretus, illum non timeret,quam Domini libertatem qui uolet imitari, is uideat, ut & spiritu eius non uacet Quod autẽ dicere Herodi iussit,Ecce ejcio dæmonia,&c. uoluit notare crudelem Iudæorum ingratitudinem, qui tanta se eis beneficia impendentẽ possent tam odisse & persequi,postremo etiam neci dare. At uero illud hodie, & cras,&c.certum tempus positum est,pro incerto. Significare enim uoluit, utcunc; Herodes uellet se occidere,id tamen nequaquam effecturum:sed hodie,& cras,hoc est,in præsenti,& adhuc sequẽti tempore se dæmonia eiecturum, atq; sanitates perfecturum,hoc est,hostibus suis benefacturum,& tum demũ,tertia die, hoc est, tempore hæc omnia insequenti,quod nimirum pater statuisset,se cõsummandum. Sed id nequaquam per Herodem, ideo se ambulaturum hodie, cras & perendie,id est, non pauco adhuc tempore, quia ita constitutum esset,ut prophetæ insigniores potissimum Ierusalem perimerentur,ubi & ipse caput prophetarum esset consummandus.Hinc ergo tum recordatus crudelis impietatis & impiæ crudelitatis, quæ Ieru-

salem urbs regis magni diuinis beneficijs præ cūctis orbis ciuitatibus donata, contra Deum & saluatorem suum usq; sæuijsset, & adhuc sæuitura esset, exclamare cœpit: Hierusalem Hierusalem. Similiter ergo occasionem cum & hoc loco habuisset, postquam memorasset occisuros illos prophetas, scribas & Apostolos suos, rursus idem exclamauit. C.

Herodem uulpem uocauit.

Porrò tria in illo loco Lucæ perpendenda sunt, primū quòd exemplo Christi benefaciendo tantum cum hostibus agendum sit, quorum tamen malum, si reprobi sint, bono nostro haudquaquam expugnauerimus. Deinde constitutum unicuiq; quando & ubi pereat, quare secure oportebat Domini à nobis negotiū & diligenter geri. Perire non possumus, & si mori possimus, quod tamen tum & ibi cōtinget, cum & ubi optimum nobis fuerit. Postremo in præcipua sanctitate spectabilibus locis, & à religionis nomine celeberrimis Christum & suos oportere occidi, atq; ita è primis fieri nouissimos, quam sententiam etiam his in Luca Dominus præmisit. Nemo igitur à loci uel personarum splendore pendeat, aut ueritatem metiatur. In toto orbe nihil sanctius erat urbe Hierosolymorum, ibi templum erat, ibi Dominus peculiarem sui præsentiam promiserat, in hac præcipue coli uoluerat, huic prophetas, sapientes & scribas suos dederat, adeò tamen ex prima nouissima euasit, ut nulla à constitutione mundi par illi impietate & crudelitate extiterit, adeò ut digna fuerit, in qua ultio statueretur de omni sanguine iusto, qui ab initio orbis effusus fuit, eò quòd præter præcipuos prophetas Domini, quorum nusquā plures interempti fuere, etiam Christum ipsum, & sanctissimos Apostolos eius crudelissime interfecerit. Quam certe qui uoluisset sequi, Christicidam se & summum Dei hostem constituisset. Eant ergo nunc qui perire uolunt, & Romanam sequantur sanctimoniam, aut cuiuscunq; alterius loci, apud homines celebris. Supernam Ierusalē sequamur, in mundo nihil sani inueniemus: continuò euadunt primi nouissimi, & contrà.

Postremo memorant Marcus & Lucas, hoc loco, nempe Mar. 12. Luc. 21. Sedisse Dominum ex aduerso gazophylacij, & spectasse quomodo turba mitteret æs in gazophylacium, multisq; diuitibus multa mittentibus, uenisse quandam uiduam, & misisse minuta duo, quod est, quadrantem, tum uocasse ad se discipulos suos eisq; dixisse: Amen dico uobis, quòd uidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium. Nam omnes ex eo, quod ipsis supererat miserūt. At hæc è penuria sua, omnia quæcunq; habebat, misit totam substantiam suam. In quo docuit, Deum ab animo non quantitate rei quam quis ad Dei gloriam obtulerit, donum metiri. Nobis autem ut nullum externum templum est, nullæ offerēdæ externæ hostiæ: ut & nullum externum habemus sacerdotium, ita nullum gazophylacium est, prætet sustentationem egenorum, tum alimoniā eorum qui Ecclesiæ uel ministrant, uel ut ministrent, instituunt. His certe quicquid donauerimus, donatū sibi Deus agnoscet, & eos plus donasse iudicabit, qui sibi minus reliquerint, propensioreq; corde dederint.

Irrepserunt quidam & apud nos carnales sacerdotes, eoq; templum & gazophylacium carnale erectum est. Sed ignorat ista Deus qui iurauit, ut Christus noster sacerdos unicus & perpetuus esset secundū rationem Malcitzedeck, Is semetipsum semel pro nobis obtulit, æterna redemptione inuenta, neq; est ulla reliqua pro peccatis hostia, sed hac una sanctificati, consummati sunt in æternum. Hebr. 7. & 10. In hoc & nos sacerdotes Domini erimus, si nosmetipsos, quāti sumus & nostra omnia per ipsum patri consecrauerimus, has spiritales hostias, nihil corporale offerre nos addecet. Atq; hinc tum proueniet & quod pauperibus impendatur. Sed hæc nō sapiunt, nisi electi, reliquis ut uenter Deus, ita & cultus Dei uentri cōmodus quærit.

CAPVT

CAPVT XXIIII.



Egressus Iesus, discedebat à templo, & accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei structuras templi. Iesus autē dixit illis: Nónne uidetis hæc omnia? Amen dico uobis nō relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur. Sect. 1.

Sedente autem eo in monte oliuarū, accesserūt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Et respondens Iesus, dixit eis: Sect. 2.

Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, multosq; seducent. Sect. 3.

Audituri autem estis bella, & rumores bellorū, uidete ne turbemini. Oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis. Consurget autē gens cōtra gentē, & regnū contra regnū, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus singulis locis. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Sect. 4.

Tunc tradent uos in afflictionē, & occident uos, & eritis inuisi cunctis gentibus propter nomen meum. Et tunc offendiculum patientur multi, & alius alium inuicem tradent, seq; odio habebunt inuicem, & multi pseudoprophetæ surgent ac seducent multos, & quoniam abūdauit iniquitas refrigescet charitas multorum: qui autem perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Sect. 5.

Et prædicabitur hoc Euangeliū regni in uniuerso orbe, in testimoniū omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio. Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantē in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. qui in tecto nō descendat, ut tollat quicq; de domo sua, & qui in agro, nō reuertatur ut tollat uestes suas. Væ autē prægnantibus & lactentibus in illis diebus. Orate autē, ut nō fiat fuga uestra hyeme, neq; sabbatho. Erit enim tunc afflictio magna qualis non fuit ab initio mundi ad hoc usq; tempus, neq; fiet. Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos decurtabuntur dies illi. Sect. 6.

Tunc si quis uobis dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgēt enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis: Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enī fulgur exit ab oriente, & apparet usq; in occidentē, ita erit aduentus filij hominis. Vbicūq; enī fuerit cadauer, illic congregabūtur & aquilæ. Sect. 7.

Statim autem post afflictionem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo & uirtutes cœlorum commouebuntur. Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filiū hominis uenientem in nubibus cœli cum Sect. 8.

uirtute & gloria multa. Et mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, & con- c
gregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorum usq; ad terminos
eorum.

Sect. 9. Ab arbore autem fici discite similitudinem, cum iam ramus eius tener fue-
rit, & folia fuerint enata, scitis quòd propè sit æstas. Ita & uos, cũ uideritis hæc
omnia, scitote quòd prope sit in foribus. Amen dico uobis, non præteribit æ-
tas hæc donec omnia ista fiant. Cœlum & terra præteribunt, uerba autẽ mea
non præteribunt. Cæterum de die illo & hora, nemo scit, ne angeli quidem cœ
lorum, nisi pater meus solus. Sed sicut erant dies Noë, ita erit & aduentus filij
hominis. Sicut enim erant in diebus, qui præcesserũt diluuiũ, edentes & biben
tes, contrahentes matrimonium, & nuptũ dantes, usq; ad eũ diem quo intra-
uit Noë in arcã, & non cognouerũt donec uenisset diluuiũ, & sustulisset uni-
uersos, ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assumi
tur, & alter relinquitur. Duę molẽtes in mola, una assumit et altera relinquit.

Sect. 10. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Illud au
tem scitote, quoniam si sciisset paterfamiliãs, qua hora fur uenturus fuisset, ui-
gilasset utiq;, & non siuisset perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati,
quia qua hora non putatis, ea filius hominis uenturus est. Quisnam est fide-
lis seruus & prudens, quem præfecit Dominus famulitio suo, ut det illis cibũ
in tempore. Beatus seruus ille, quem cum uenerit dominus eius, inuenerit sic
facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua cõstituet eum. d
Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus ue-
nire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet do-
minus serui illius in die quo non expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit
eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & stridor dentiũ.

EXegressus Iesus discedebat à templo, Mar. 13, Luc. 21.) Vastandam Ie-
rusalem iam Dominus prædixerat, ut item suprà cum illi appropin-
quasset insidens asino, ut ex Luca supra 21. adductũ est, id discipuli ut
par fuit, plurimum admirabantur, eoq; uerisimile est eos, templi ma-
gnificas structuras, uelut commiserantes Domino ostẽdisse, eaq; cau-
sa quendam eorum, ut Marcus scribit ei dixisse: Præceptor, uide quales lapides, &
quales substructiones, quibus Dominus respondit: Videtis has substructiones, &
hæc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non de-
struatur. Nam exigente Iudæorum impietate, uoluit Deus eiusmodi gentis huius
& urbis ac templi excidio, declarare, se illos, cultumq; eorum reiecisse, ut æque hor
rendum neq; uisum esset unquam, neq; uidendum. Eant nunc homines, & fidant
rebus cærimonijsq; externis, missa fide & dilectione.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Sedente autem eo in monte oliuarum, accesserunt ad eum, Mar. 13. Luc. 21. Di-
ctum suprà est, ut his diebus Dominus sub uesperam egredi Hierosolymis in mon-
tem oliuarũ solitus fuerit, id ergo & hoc tertio die obseruauit, post quẽ nullus Euan
gelistarum memorat, eum Ierusalem reuersum, usq; in diem azymorũ, hoc est, quin
tũ ab eo, quo urbẽ cũ põpa fuerat ingressus. Hinc obtinuit opinio & apud ueteres,
die

die quarto eum Bethaniæ manſiſſe. Cũ ergo iterum iam audiſſent diſcipuli uaſtandam Ieruſalem & templũ, quo cum ſimul putabant finem omnium, & plenũ Chriſti regnum adfore, rogant eum, & primores quidem, quibus & alia myſteria retexerat, Petrus, Iacobus, Ioannes & Andreas, ut Marcus habet, & rogant ſecreto, ſperantes uel ſibi ſolis hoc, ut pleraq; alia, aperturum, rogant quando hæc, quæ iam prædixerat futura eſſent, & quod ſignum eſſet, aduentus eius, atq; cõſummationis ſeculi: ſimul enim hæc omnia fore exiſtimabant, uaſtandam Ieruſalẽ, ipſum in gloria uenturum, & mundum hunc acceptrurum finem, & quidem breui, quo pariter ſperabãt gloriæ Chriſti, atq; felicitatis conſortium ſe adepturos. Dominus autem quoniã è re ipſorum non erat, de fine mundi, ſignoq; certo aliquo regni ſui ſcire, de his nihil reſpondit, neq; certa adeò de tempore deſolationis urbis ſanctæ. Reſpondit uero & monuit, quæ magis & propius ad ſalutem ipſorum faciebant, primum futuros multos impoſtores, quò ab eis ſibi cauerent, deinde de bellorũ, atq; aliis calamitatibus, quibus ante excidium Iudæi adfligendi erant, ne ipſi inde male turbarentur, Tum de imminente ipſis perſecutione, & uariis tentationibus, quas tam à deficientibus fratribus, quàm pſeudoprophetis experturi erant, quo ad ferendã ipſam animarentur, Deniq; de atrocitate & immanitate excidij urbis & gentis Iudæorũ, quo & ſuperſtites tum in tempore fugerent, & omnes Deum tanto magis timerent, impietatemq; deteſtarentur. Poſt hæc uero rurſus prædicit futuros pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, monetq; cauendos, mox de fine ſeculi, at non quando, ſed quàm horrende, quantaq; cum rerum perturbatione, & inopinantibus tum ſeculi hominibus adfuturus ſit, &c. Hinc ergo diſcamus, ea ſemper perquirere & diſcere, quę proxime ad id faciũt, ut Deo firmius fidamus, & ſanctius, atq; officioſiore charitate erga proximos uiuamus. Ea enim ad nos proprie ſola attinent. Quod utinam perſuaſum pleriſq; eſſet, minus multo ſuperſtitionum atq; contentionũ, & longe plus haberemus ſolidæ & ædificatricis in ſcriptura cognitionis.

Dominus curioſis reſpondet utilia.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Videte ne quis uos ſeducat, multi enim uenient. Mar. 13. Luc. 21.) Recepi ab initio ſecuturum me in hiſce enarrationibus ſolum Dei uerbũ, quo ad eius id cõſequendabitur, id ſimpliciter & pure, idem & in præſenti loco operam dabo, iudicio penes ſpiritales relicto. Quare ſi quid præter ſententiam aliorum dixero, nemo id reijciat, quia ab hominibus uariare uiderit, ſed Domini magis uerba & inter ſe, & ijs quæ acciderunt, conferat, ſingulaq; penſitet, amplexurus tum, quæ magis uiderit ſententiæ Domini cõuenire. Ergo quod hic Dominus ait, perinde accipio, atq; ſi dixiſſet: Mittite rogare de aduentu meo, fineq; ſeculi, præſertim quãdo hæc futura ſint. Antè hæc euenient, quæ ut ueſtra magis interſunt, ita multo præſtat habere cognita. Primum ergo poſt diſceſſum meum ſcitote futuros multos in nomine meo, qui dicent: Ego ſum Chriſtus, & ſeducent miníme paucos, ab his ergo uobis cauete, ne quis eorum uos ſeducat, ut mihi nuntio remiſſo, ipſum meo nomine ſequamini. Id quod ſupercilioſis iſtis Iudæis eueniet, ſicut eis prædixi. Nam me qui nomine patris mei ueni, noluerunt recipere, ideo meruerunt in eam cæcitatem prolabi, ut recipiant aliũ qui nomine ſuo ueniet, id eſt, ſua ipſius uoluntate, proq; ſeruatore falſo ſeſe inſinuabit, quamuis nomen meũ, patriſq; legationem prætexturus ſit. Ita enim diuinitus comparatũ eſt, ut qui ueritatem Dei reſpuit, mendacio poſtea credat, ut ex 3. Moſe. 26. & quinto lib. cap. 28. Ieſch. 8. & 29. 2. Theſ. 2. atq; innumeris ferè alijs ſcripturæ locis ſatis liquet.

Porrò cum Chriſti nomen atq; officium ſit, populum tyranníde malorum liberare, gubernareq; feliciter, Chriſti nomine Iudæis inſinuarunt ſe, quotquot ſe populi fore liberatores, ſaluatoresq; pollicíti ſunt, quorũ certe multos ante excidiũ habuere, qui tametſi id eſſe ſe toti populo non pſuaſerint, multos tamen ſeduxerũt, ut hic-

Chriſtus

Christus prædixit. Iosephus enim lib. Antiq. 20. cap. 4. meminit Theudæ magi cuiusdam, qui Cuspio Fado res Iudæorum administrante, populo suaserat, ut sumentes suas substantias egrederentur ad Iordanem, quem promiserat eis se præcepto diuisurum, qui captus tandem à Fado, capitis sectione multatus fuit, peremptis simul multis qui cum ipso fuerant, nonnullis uero captis.

Hunc Theudam illum esse, non est dubium, cuius meminit, Gamaliel in Actis 5. Nam & si dicat ibi: Post hunc extitit Iudas Galilæus, qui in diebus professionis auertit populum, hoc est, Cum Cyrenius censum primum apud Iudæos ageret, cum & Christus natus fuit, cuius Iosephus meminit cap. 1. lib. Antiq. 18. non tamen uoluit per hoc significare, tempore illum post Theudam populum seduxisse, sed est illud (post hunc) ad ordinem narrationis referendum, quasi dixisset: Præter hunc fuit & superiore tempore, Iudas, &c. Nam ait ibi Gamaliel loquens de Theuda, ante hos dies, quo utique significauit, paulò ante id temporis eum fuisse. Iudæ autem tempus exprimit, adserens fuisse in diebus professionis, hoc est, cum census ageretur.

Præterea uero, lib. Ant. 20. cap. 11. scribit Iosephus, latronum & magorum hominum turba, populum seducentium, prouinciam fuisse repletam. Per magos autem intelligit eos, qui se prophetarũ nomine insinuabant. Rursum cap. 12. de Aegyptio quodam pseudopropheta meminit. De quo scribit lib. de Bel. Iud. 2. cap. 12. quod arrogata sibi prophetæ opinione, triginta fermè millia congregarit, quos ex solitudine in montem ducens oliuarum, Ierusalem capere annisus fuerat, sed oppressi fuere à Felice tum præside. Hic Aegyptius capto Paulo Hierosolymis, nondum extinctus erat, ut Paulum Tribunus rogaret, an ipse esset Aegyptius ille, qui ante eos dies tumultum excitasset, eductis in desertum quatuor millibus sicariorum, Act. 21. Iterum de alio cap. 14. scribit Iosephus, qui populo salutẽ, & requiem malorũ promittebat, si se sequerẽtur in desertũ. Talibus multis delusus Iudæorũ populus fuit, qui omnes, quatenus libertatẽ & salutẽ populo promiserant, eatenus se Christos asseruerunt, & quanquã peculiariter hoc etiã nomine, pro uero atq; in scripturis promisso Meschiah, sese uenditarint. Eiusmodi & Simon magus fuit, qui Samaritis persuaserat, se uirtutem Dei esse, quæ uocatur magna, Act. 8. Hi cum multos seduxerint, non ab re fuit, ut suos Christus præmoneret, ne & ipsi imposturis illorum caperentur.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Audituri estis bella & rumores bellorum, uidete ne turbemini, Marc. 13. Luc. 21.) Vt cauerent sibi à pseudoprophetis & pseudochristis primũ monuit, utpote cuius etiã moneri plus referebat: simulatq; enim alium oues, quàm unum Christũ pastorẽ audiunt, pereunt. Iam ne ob plurimos sanè & horrendos tumultus bellicos & seditiones, quibus gens Iudæorum exagitanda erat priusq; penitus excinderẽtur, plus nimio perturbarẽtur, & de illis præmonet, iubetq; nihil inde terreri. Indubie quòd credentes sibi, ita seruare uellet, ne quid inde læderentur. Porrò isti rumores bellorum & bella, hoc est, motus, seditiones, & cædes, cœperũt potissimũ sub præside Cumano, qui Tyberio Alexandro successerat. Nam cũ ob militis cuiusdam impudentiã, qui in festiuitate azymorũ, Iudæis retectis genitalibus illuserat, exortus tumultus fuisset, ea cædes admissa est, ut sint numerata cæsorum 20. millia. De quo tumultu apud Iosephum legis, lib. Ant. 20. cap. 6. Et lib. de bel. Iud. 2. cap. 11.

Sub Cumano rumores bellorum & bella cœperunt.

Mox secutus est alius tumultus inter Iudæos & Samaritas multa cum strage hominum, locorumq; deuastatione. Sed & Sicariorum genus prodijt, qui tectas uestibus sicas gestantes, passim in turba cœtuq; populi homines perimebant, neq; agnoscebantur, ut miris terroribus omnia replerẽtur. Tertius mox tumultus secutus est apud Cæsaream. Cum uero Felici successisset P. Festus, de qua successione & Act. 24. conatus quidem hic fuit prouinciam latronibus liberare, sed urgente ultione Dei non potuit. Cui cum Albinus & huic C. Florus successisset, semel omne genus malorum

Perierunt Iudæorum decẽ millia.

malorum inundauit. Nam ut hi duo, potissimum autem Florus, nihil ad crudelissimam tyrannidem, manifestam uim, & rapinas reliquum faciebãt, ita pariter seditiosorum apud Iudæos audacia indies creuit, unde continuo motus, latrocinia, direptiones, cædes passim edebãtur, & indicibilibus quotidie malis & calamitatibus populus exterminabatur, donec ad iustam rebellionem fuere uelut compulsi. Tam inaudita ui & crudelitate sæuiebat in eos Florus. *Sub Floro oia perturbata.*

Agrippa rex multis quidem à rebellando dehortari Iudæos conatus fuit, sed omnia frustra. Tandem ergo ubi qui nouandis rebus studebant, prævaluissent, præsidium Romanũ, atq; regis Agrippæ, Hierosolymis aperto Marte oppugnant, compulsumq; ad deditionem, postquam datis dextris & sacramẽto, uitam promisissent, præter unum præfectum eorum Mutilium, omnes trucidant. Quo die, quaq; hora Cæsarienses, Iudæos apud se habitantes trucidarunt, numero uiginti millia, paulò post Scytopolitæ secuti exemplũ Cæsariensium, tredecim Iudæorũ millia intereme-runt. Mox Ascalonitæ duo millia quingentos, Ptolemais duo millia, Alexandrini 50. millia. Inde iusto bello aggressus eos est Cestius Syriæ præfectus. Sed cũ Hierosolymorũ obsidione soluta, uim Iudæorũ fuga declinasset, audẽtiores facti fuere rebellionis autores, omnẽq; potestatẽ nacti, inenarrabilẽ malorũ iliada, sibi & suis inuexerũt, donec prorsus p Titũ exterminarentẽ, de quibus oĩbus fuse scribit Iosephus ab 11. cap. secundi libri belli Iudaici, usq; in finẽ septimi libri, hoc est, totius eius operis. *Præludia exterminij Iudæorum.*

Horum itaq; malorũ ceu præludia, populi seditiones, motusq; per uniuersam Syriam, qui sub Floro excitati fuere, rumores istos bellorũ & bella dederũt, de quibus hic Dominus prædixit, cum ait: Auditurí estis bella & rumores bellorũ, uidete ne turbemini, oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis, non modo seculi, sed ne gentis quidem & urbis Iudæorum. Habet autem hoc uerbum (oportet) non uulgarẽ in se consolationẽ. Quis enim prudens afflictetur pro re, quæ habere aliter nequeat? Sed quis Deo fidens turbetur, cum euenit, quod ex Dei ordinatione euenire oportet, id quod necesse est esse optimum, & sanctis semper salutare. Ex prædictis patet, eodem tempore & illud impletum, Consurget gens contra gentem, & regnũ contra regnum. Id enim Cæsareæ, Schytopoli, Ascaloni Ptolomaidi, Alexandriæ, postea Damasci, ubi decem millia Iudæorum trucidata fuere, deniq; moto regno Agrippæ, totaq; Syria, & uicinis regnis, nimium uerum apparuit.

Porrò de pestilentijs atq; terræ motibus, Iosephus nihil peculiare memorat, opinor, quòd hæc collata seditionibus & bellis leuia mala habuerit. De terriculamentis uero & magnis signis ad longum narrat, lib. bel. Iud. 7. cap. 12. Per annũ enim ante obsidionem sidus supra urbem uiderunt simile gladio. Nona hora nocturna lux diem superans, in templo effulsit, & per dimidiam horã durauit. Bos immolandus, agnum peperit in templo. Porta templi ænea, ultro patefacta est. In aëre uisi cõmissi exercitus. Audita uox in templo: Migremus hinc. Audita est querulatio monstrificalesu Anani per annos septem, menses quinq;. Lege locum citatum. De fame autem quæ Hierosolymis ita inualuerat, ut multi egestate fuerint cõsumpti, Iosephus memorat. In qua necessitate Helena regina Adabienorũ, cum filio Iazate, magnificẽtissime subuenit, ut narrat Iosephus lib. Anti. 20. cap. 2. In Act. quoq; 11. legimus ab Agabo, famem magnam prædictã, in toto terrarum orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare. Act. 11. At uero hic orbis terrarum, pro omni regione Iudæorum accipi debet. Vnde ibidem scribit Lucas, discipulos, pro ut cuiq; suppetebat, proposuisse tum, in subsidium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabæ ac Sauli. Et hinc quiuis uideat, Iudæam uel solam, uel potissimum, hac fame fuisse adflictam? Alioqui & alibi habitantibus fratribus, mitti oportuisset. Sic & mala alia, bella, pestilentias, atq; terræmotus, terriculamẽta, signaq; magna de cœlo, in hanc potissimum regionem incubuisse, intelligendum est,

est, quia de gẽtis huius calamitatibus futuris hic potissimũ Dominus uoluit prædi- C
cere, atq; ita declarare, quomodo omnis sanguinis iusti ultio, de ipsis sumẽda esset:
tum confirmare suos, ne perturbatis adeò rebus apud Iudæos, animisq; omniũ con-
sternatis, uel impostoribus, qui apud trepidantes homines potissimum impostoris
suis fidem inueniunt, crederent, uel Euangelij prædicationem spemq; regni sui de-
sponderent. Neq; etiam noui aliquid prænuntiasset Dominus, si de bellis, fame, &
peste, alijs orbis partibus inualituris fuisset locutus, quando ista nunquam orbi de-
sunt, sic quidẽ Chrysostomus & sanè firmiter colligit. Ergo quod Dominus sub-
iunxit: Sed nondum finis. Et: Hæc autem omnia initia sunt dolorum, hunc sensum
habent: Audietis rumores bellorum, & bella multis in locis exoriri, ne terreamini
hinc neq; minore animo uerbum meum, & ipsi tenete, & alijs commendate. Fieri
utrunq; oportebit, & meum regnum crescere, & hanc gentem indicibilibus malis
exterminari. Adeoq; abesse à uobis debet, ut incipientibus istis fieri animos ab-
iiciatis, ut ad multa grauiora uos præparetis. Nam uolitantibus belli rumoribus, et
undiq; bellis exorientibus, nequaquam finis aderit, non gentis huius & urbis, mul-
to minus mundi. Videbitis mox gentem contra gentẽ insurgere, & moueri omnia,
ad hæc & reliquas Dei ultiones, famem, pestem, terræmotus, uaria terriculamenta
& signa magna de cœlo ingruere & desæuire. Et ne sic quidem finis, imò initia hæc
dolorum sunt, quos iste populus experietur, hæc mox affuturarum calamitatũ præ-
ludia, & insequentis tragœdiæ prologus sunt. Sed si à me pependeritis, nihil illa o-
mnia uos lædent, ideo iubeo uos hinc non turbari, sic fieri oportet, sic meruit popu-
li huius impietas, uos cõfidite, qui me, quem isti reijciunt, saluatorem amplexi estis,
nolite tantum à me rursus deficere, & seruatorem me experiemini.

Hæc mala Iudæis futura prædicit.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Tunc tradent uos in afflictionem & occident uos, Mar. 13. Luc. 21.) Hoc tertiũ
est, quod discipulis respondens prædicit, cum de alijs ipsi rogassent. Ipsi de regno et D
gloria rogarant, & prædicitur eis, post pericula pseudoprophetarum, post gentis Iu-
daicæ communes calamitates quibus & ipsos & si non lædi, exerceri tamen opor-
tuit, persecutio, crux, ignominia, grauiaq; præterea scandala, multorum à recepta
ueritate deficientium, denicq; & pseudoapostolorum ac prophetarũ pericula. Quæ
tradendos prædicit in afflictionem, occidendos, futurosq; odio omnibus gentibus
propter nomen suum, planeq; experturos, quæ suprà decimo prædicta ipsis Mat-
thæus memorauit. Marcus & Lucas pleraq; eorum hic memorant. Sunt autẽ enar-
rata uerbotim suprà ab eo: Ecce ego mitto uos, uelut oues, usq; ad illud Non est di-
scipulus supra præceptorem. Huiusmodi persecutionem senserunt mox à nece Ste-
phani, qua dispersi omnes fuerunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostо-
los. Hanc promouebat & Paulus Act. 8. Postea & Herodes rex ut affligeret quosdã
de Ecclesia manus iniecit, & Iacobum occidit, Petrum in uincula cõiecit. Quid ue-
ro Paulus cum suis expertus fuerit persecutionum, tam à Iudæis, quàm Gentibus,
cum Acta Apostolorum, tum ipse in Epistolis suis, præsertim posteriore ad Corin-
thios testatur. Sanè nihil hic Christus prædixit, quod illi non sunt experti.

Et tunc offendiculum patientur multi.) Etiam hac aduersitate exercendi discipu-
li erant, quæ plus damni sæpe dat, quàm ipsa persecutio. Certe plus semper hæc san-
ctos, quàm ulla persecutio afflixit. Sicut & grauius multo est, à recepto Euangelio
desciscere, quàm illud nunquam recepisse. Sed quia nunquam nõ bona pars Euan-
gelici seminis, in petream terram cadit, hoc est, corda à spiritu Dei, ad pietatem non
immutata, necesse est, semper quoq; fore, quos persecutionis tẽpestas à regno Chri-
sti detorqueat. Id si accidere potuit, insigni Pauli collegæ Demæ, ut seculũ præsens
amplecteretur. 2. Timoth. 4. certe mirum non est, si & plurimis alijs eueniat, quan-
quam electorum accidere nulli possit, qui, scilicet, bona terra sunt, in quam cadens
semen

Secunda aduersitas.

A semen uerbi Dei, certum fructum affert. Ne ergo supra modũ turbarentur pij, multis deficientibus, ut semper paucus est electorũ numerus, de his quoq; uoluit præmonere. Nam non solum defecturi multi erant, passi offendiculum, hoc est, cruce atq; persecutione ab Euangelio repulsi, sed ex fratribus, futuri quoq; hostes, quod & ipsum Paulus expertus est, ut in posteriore ad Tim. 1. & ultimo queritur.

Præterea & pseudoprophetas multos passuri erãt, & pseudoapostolos, imò Apostolos satanæ, cõtra quos magna semper Paulo & pugna & querela fuit, Hi fuerũt illi serui uentris, non Iesu Christi, Rom. 16. Apostoli satanæ, 2. Corinth. 11. ambientes æmulari à Galatis & ipsos labefactantes, Gal. 4. canes, mali operarij, concisio, inimici crucis Christi, quorum deus uenter, &c. Philip. 3. deceptores per philosophiam, & inanem deceptionem, uerbotenus habentes speciem sapientiæ, &c. Coloss. 2. sed quid multa loca enumero, cum nusquam ferè illorum Paulus non meminerit, ut et Petrus atq; Ioannes? *Tertia aduersitas.*

Tum abundauit etiam iniquitas, hoc est, prauitas illa naturæ, qua sibi tantũ homines student, ab omni beneficentia erga alios alieni, qua abundante necesse uticq; est charitatẽ refrigescere. Quam refrixisse suo tempore haud obscure Paulus quoq; indicat. Sanè abundantis iniquitatis, & refrigescentis imò gelatæ charitatis erat, quòd omnes in Asia ipsum auersati fuerant, 2. Timoth. 1. Sic ergo discipuli & intus & foris aduersa multa ac tristia passuri erant, superaturi tamen omnia, quotquot fide solida in Dominum, in finem usq; perseueralsent. Vnde ijs omnibus subiunxit: Qui autem perseuerauerit usq; in finem hic saluus erit. quamlibet dira ab hostibus persecutio exerceat, graue à deficientibus scandalon animi robur tentet, insidiosa à pseudoprophetis impostura fidem oppugnet, molestia frigidorum fratrum, iniquitas, beneficentiæq; neglectus fidei alacritatem fatiget. *Quarta aduersitas.*

Perpendamus uero & nos ista, siquidẽ mox ab exortu Euangelij sic exerceri suos
B Dominus uoluit, haud sanè aliud erit expectandum & nobis. Erit nanq; sui simile semper Euangelion, neq; dissimiliter uel ab hominibus recipietur, uel à regno satanæ oppugnabitur. Ne igitur offendat, si & nos impij aperto marte oppugnent, si deficiant à nobis imò Christo offensi cruce multi, qui etiam ex fratribus hostes nobis fiant, si pseudoprophetæ fidei syncerítatem modis omnibus fermentare conentur. Si deniq; & multa apud reliquum Ecclesiæ uulgus iniquitas uigeat, & charitas refrigeat, ista omnia, quicunq; ab initio ueritatis adsertores fuere, Patriarchæ sancti, prophetæ, Christus, Apostoli, & germani horum successores experti sunt. Qui haberet dominus nos mollius? Videat ergo quisq; cui credat, & quàm certus sit fidei suæ in Dominum Iesum Christum, ut quãlibet sæuiat persecutio, & absterreat multos, quantumuis insidientur pseudoprophetæ & seducant multos, quamlibet abundet iniquitas, & extinguat dilectionem multorum, nos in finem usq; cum Domino perseueremus, ita futuri salui, quantumuis periculis exerceamur.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Et prædicabitur hoc Euangelion regni in uniuersõ orbe. Mar. 13.) Hoc quartũ est, quod Christus suis prædixit, faciens ad ipsorum consolationem. Marcus habet: Et apud omnes gentes oportet prædicari Euangelion. Quod & ipsum tempore Apostolorum completum fuit, antequam Hierusalem uastaretur, sicut hic Dominus prædixit, dicens: Tunc nimirum postquam ubiq; prędicatum fuerit Euangelion in testimonium gentibus, ueniet consummatio, nimirum templi, cultus, urbis & gentis Iudæorũ. Certe cum Paulus scripserit Coloss. 1. Euangelion tum in toto orbe fructificasse, etiam omnibus gentibus prædicatum fuit, hoc est, bonæ parti gentiũ. Etenim quàm late illud uel unus Paulus sparserit, ipse de se Romanorum decimoquinto testatur, nempe à Hierusalem & circumiacentibus regionibus usq; ad Illyricum. Nota figura est, & scripturis frequentissima Synecdoche.

Porrò illud: In testimonium omnibus gentibus, non solum in malam partem, sed in genere magis accipiendum est, ut electis prædicari Euangelion agnoscamus in testimoniũ gratiæ Dei & salutis, reprobis autem in testimonium condemnationis. Testimoniũ enĩ, pro lege & doctrina Dei in scripturis accipi, uel 119. Psalmus abunde declarat. Hinc Psal. 78. Et statuit testimoniũ in Iacob, & legẽ posuit in Israël. Hic quis non uideat, testimoniũ & legem pro eodẽ accipi? Ergo ut lex Iudæis data fuit, uariæq; illæ cærimoniæ in testimoniũ, ut crebro in scripturis legitur, quibus nimirum Deus, de sua uoluntate testatus fuit, atq; ita officij ipsorũ eos admonuit, ita postea Euangelion oportuit prædicari cunctis gentibus, ut & ipsæ testimoniũ de Deo haberent, quo ut de ipsius bonitate edocerentur, ita ad fidẽ in ipsum, pietatisq; studium prouocarẽtur. Id cum successerit apud electos ex gentibus, prædicatum sanè ipsis Euangelion est, & hodie prædicat in testimoniũ, quò eruditi sunt, & eruduntur ad salutem, reprobis autem prædicatum est, & prædicatur in testimonium, quo impietatis conuincantur, qui oblatam ultro Dei gratiam respuerint.

Habuit uero & hoc uaticinium in se eximiam consolationem: Si nãq; nihilominus, utcunq; regnũ Christi, oppugnaturi essent aperti hostes, & prodituri deficientes fratres, per insidias aggressuri pseudoprophetæ, labefacturi hypocritæ & operarij iniquitatis, apud quos charitas refrixerit, prædicari nihilominus ubiq; Euangelion oportuit, certe necessarium simul fuit, ut tutos à malis his omnibus, eius prædicatores Dominus seruaret, quod sanè hæc prædicendo, ipsis pollicitus est.

Quod autem hoc modo, cum Chrysostomo in hunc locũ, & Eusebio Cæsarien. in 3. Ecclesiasticæ historiæ lib. cap. 7. hæc interpretor, et consummationẽ quam hic Christus prædicato ante ubiq; Euangelio futuram prædicit, de uastatione & consummatione Hierosolymorũ intelligo, facit & uaticiniũ Danielis de hoc loquens, ut mox explicabo, & historia Lucæ, in qua pro eo, quod noster hic habet: Cũ ergo uideritis abominationem desolationis, &c. tunc qui in Iudæa sunt fugiant, et c. ita legimus: Cum autem uideritis, circundari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote quòd immineat desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant, etc. Ergo abominatio desolationis dicta à Daniele stans in loco sancto, de qua in Matthæo, abominabilis Iudæis obsidio fuit, quam ab exercitu Romanorũ Hierosolymis inclusi, perpessi sunt, quam et desolatio, hoc est, consummatio templi et urbis consecuta est.

Cum itaq; uel Paulo teste constet Euangelion in toto orbe prædicatum esse, prius quam Hierusalem excinderetur et ex Luca clare adeò pateat, Dominũ hoc loco de Hierosolymorum exterminio loquutum, tum idem manifesto manifestius comprobet uaticiniũ Danielis, etiam à ueteribus sic intellectum, libet simpliciter cum Chrysostomo hæc omnia accipere. Sanè non adeò leuicula res fuit, tale quidẽ tantæ gentis exterminium, ut indignum haberi possit, de quo Christus uaticinaretur, cum minores multo calamitates, quibus attritus hic populus fuit, multis antea uaticinijs Deus prædicere fuerit solitus. Sed et aliâs Christus grauiter admodum, ut cum fleret super hanc urbem, de excidio eius prophetauit. Christiani igitur perpendant uerba Christi, hic et apud Lucã, tũ cõferant citatũ hic uaticiniũ Danielis, et pudebũt me post Chrysostomũ, Eusebiũ, ac alios ẽq; ueteres, haud incerta secutũ esse.

Plurimum errant qui non agnoscũt hic de excidio Iudæorum Dominum loqui.

Cum ergo uideritis abominationem desolationis, Marc. Decimotertio, Luc. 21.) Hic iam quinto loco, uastationem Ierusalem prædicis. Monui autem modo hæc cum illis apud Lucam: Cum uideritis circundari ab exercitibus Hierosolymã, etc. eadem esse, eoq; abominationem istam, obsidionem fuisse Ierusalem, quæ rectè desolationis dicta fuit, cum desolationem magis quàm dici possit horrendam, ciuitati sanctæ et templo attulerit, quare et staturam eam in loco sancto, ubi non oportebat, sicut Marcus habet, Dominus prædixit. Sed uideamus uaticiniũ Danielis. Nemo utiq; sanus inficiari poterit, de alia hic Dominum abominatione desolationis, prædixisse,

A prædixisse, quam & ante Daniel, quem hic dominus adduxit. Sed quo plenius sen-
sus eius pateat, insigne enim est, neq; uulgaria mysteria regni Christi continet, uolo
ipsum paulò altius repetere, & uerbotim primũ adscribere, deinde paraphrasi char-
rare. Nono igitur Danielis, à uersu 23. usq; ad finem sic legimus Gabrielem loqu-
tum Danieli. Versus uigesimus quartus. Hebdomades septuaginta, populo tuo et *Vaticinium Daniel. 9.*
ciuitati sanctæ tuæ definitæ sunt, ut arceatur mox trãsgressio, finiantur peccata, ex-
pietur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, obsignetur uisio ac prophetia, &
ungatur sanctus sanctorum Versus 25. Cognosce & intellige ab egressu uerbi, de
repetenda Ierusalem, eaq; reædificanda, usq; ad Maschiah principem, hebdomades
septem, & hebdomades sexaginta duæ, reducetur & ædificabitur platea & fossa, in
temporibus afflictione refertis. Versus 26. Et post hebdomades sexaginta duas, ex-
cindetur Maschiah ut non sit, & ciuitatem atq; sanctuarium destruet populus prin-
cipis aliunde aduenientis, & finis eius cum tempestate, & ad finẽ belli, definita de-
solatio. Versus 27. Et cõfirmabit fœdus cum multis hebdomade una, & in dimidio
hebdomadis cessare faciet sacrificiũ & oblationẽ, atq; malorũ dæmonũ præsidio ad-
erit qui uastet, & quidẽ usq; ad cõsummationẽ, deniq; exterminatio uastantẽ conse-
quet. Hęc ita uertere uolui, ut cõstaret sensus uerbũ uerbo reddẽdo sensum nulli ni-
si Ebręa scienti, reddidissem. Primũ autẽ extra dubiũ pono, hoc uaticiniũ de Christi
regno loqui, eò quòd huic soli cõpetat, peccati abolitio, & sempiternę iustitiæ additio, *Hebdomades annorum.*
tio, tum & ratio tẽporis, in nullũ aliũ unctũ quadrat. Deinde nemini ignorari certũ
est, qui hæc unquã uel per transennã adspexit, hebdomades hoc loco, annorũ, non
dierũ esse. Quod etiã tempus, quo templũ & urbs Ierusalẽ & ædificata fuere & stete
runt, euincit, quod utiq; multo longius fuit quàm septuaginta hebdomades dierũ
Sed & 3. Moscheh 25. sabbatum annorum legimus. Iam demũ conabor paraphrasi
B sensum quatuor, quos adduxi, uersuum reddere, iudicium sit apud Christianos.

Paraphrasis primi uersus.) Definitum certoq; constitutum est diuinitus, inquit,
Danieli angelus, ut populus tuus, & sancta urbs Ierusalem post septuaginta hebdo-
mades, id est, annos quadringentos, nonaginta, prorsus finẽ accipiant, populo par-
tim extincto, partim cæcitate percusso, ut nihil minus, quàm populus Dei, existat, ut
be uero funditus excisa. Idq; ita fieri oportet, ut obtineat, ubiq; apud gentes regno
Christi, per Euangelion gratiæ uirturemq; spiritus sancti, obtinente, quum Christo
adducentur plurimi, atq; in populum Dei assumentur, qui non populus erãt. Tum
arcebitur transgressio dato spiritu iustitiæ electis, finientur tandem peccata, una ho
stia Christi, cõsummante inæternum electos, qua & iniquitas expiabitur, ne creden
tibus dominetur, multo minus eos damnet, adducetur q; tandem profligato omni
peccato, iustitia sempiterna. Tum finẽ accipiet, quicquid prophetæ uiderunt & pro *Obsignata prophetia.*
phetarunt, quia lex & prophetæ usq; ad Ioannem. Hæc omnia uero spiritu & uirtu-
te efficientur Christi, sancti sanctorum, qui nimirũ sanctorum omnium autor & rex
erit, qui tum spiritu Dei præ participibus suis unctus apparebit, declaratus in bapti
smo uoce paterna, dilectus filius qui præ omni uisione & prophetia audiẽdus erit,
in quo scilicet diuinitas inhabitabit corporaliter, & habebuntur omnia summa.

Paraphrases uersus secundi.) Quo autem certius atq; distinctius omnia perno-
scas, animaduerte & intellige, sic tempus hoc septuaginta hebdomadarum comput
tabitur, & partietur, atq; hunc ordinem, quæ in illis perficientur, habebunt. Ab eo
quod uerbum de repetenda, atq; reædificanda Ierusalem, & templo, à rege Artaxer
xe Longimano egressum fuerit, hoc est, facultas huius facta, ac mandatũ datũ (hoc
in uigesimo regni eius factum, legitur Neemiah 2.) usq; ad tempus quo Christus re
gnum suum iam baptizatus, & dilectus filius, uoce patris declaratus inibit, erunt
primum hebdomades septem, hoc est, anni quadraginta nouem. Deinde hebdoma
des sexaginta duæ, hoc est, anni quadringenti triginta quatuor. In prioribus autem

septem hebdomadibus, hoc est, annis quadraginta nouem multa cum afflictione, qua tui à Cuthæis, & alijs uicinis gentibus adfligentur, conantibus opus illorũ remorari (de quo in lib. Nehemiah) platea, hoc est, omnia urbis interiora, & fossa, id est, murus atq; omnia exteriora ædificabũtur. His sanè cõsonat, quòd quadraginta sex annis ædificatum templum Iudæi affirmarunt, Ioan. 2. quod tempus tribus duntaxat annis, minus est, quàm hebdomades septem. Cum uarient uero temporũ supputatores, non solum Græci & Latini ab Ebræis, sed etiam tam Ebræi q̃ nostri Græci & Latini inter se, quod Sebastianus Munsterus Ebraicæ linguæ non minus sedulus quàm fœlix instaurator, in Kalendario Ebraico opere recens edito, cap. 2. de cõputatione Ebræorũ uerũ cõprobat, supputationẽ in his secutus sum P. Galatini quã lib. 4. cap. 16. posuit, fides eius sit apud autorẽ. Quandoquidẽ Iosepho cum Ebræis alijs non cõueniat, nihilo tutius ipsi quàm alicui alij ex Ebręis uel Græcis nitemur.

Ea etiam quæ ex libris Ezra & Nehemiah obijci contra hanc supputationem possunt, facile ab eo, qui dicto Iudæorum Ioan. 2. niti uolet, diluentur. Dicet enim & urbem & templum post facultatem ab Artaxerxe factam, breuiore quidem tempore, ita ut dedicarentur, extructa, non tamen consummata fuisse, ante completas septem hebdomades, hoc est, usq; sub finem regni Darij secundi. Cum enim Iudæi Domino dixerint: Quadraginta & sex annis extructum est hoc templum, & tu in tribus diebus eriges illud: uolentes hinc absurditatem comprobare eius, quòd dixerat, in tribus diebus erigam illud, non poterũt his quadraginta sex annis adnumerari anni, quibus opus intermissum fuit. Sic nanq; quantam uolebãt absurditatem ex eo, quòd Dominus præsumeret triduo erigere, quod quadraginta sex annis uix extructum fuisset, nequaquam euicissent. Ad hæc, quanto tempore omissum opus fuit, non potest dici fuisse extructum. Notandum præterea est, Danielem potissimum de reædificatione urbis Ierusalem, & plena quidẽ, ut platea & murus, hoc est, interiora & exteriora consummata essent, prædixisset.

Diluuntur obiecta quædã.

Quòd uero hanc Galatini quàm aliorum supputationẽ sequi maluerim, caussa est, quòd sic supputando uidetur uaticinium rebus gestis commodius cohærere, & sensus esse luculentior. Tum quoniam Regum Ethnicorum tempora hic numeranda sunt, uidetur quoq; certius esse, gentium hic historias, quàm Ebræorum sequi, in quibus ut Galatinus liquido probat, nimia inest uanitas. Deniq; & Africanum lib. 5. temporum, idem secutũ, Hieronymus in hunc locũ Danielis testatur. Apud Tertulianum libro aduersus Iudæos aliam legis. Sed mirũ non est, incertiora huiusmodi apud tam uetustos legi, quando Irenæus lib. 2. aduersus hæreses, cap. 39. Christum maiorem quadragenario tam multis friuolis tamen argumentis contendit.

Paraphrasis uersus tertij.) Exactis autẽ & septem illis prioribus hebdomadibus, quibus urbs cum adflictione reædificabitur, & sequentibus sexaginta duabus, quibus illa stabit, & quibus finitis, Christus princeps sanctorũ aderit, prædicans regnũ Dei, & Christum esse se declarans, cum hebdomas iam septuagesima & ultima aduenerit, imò iam dimidiam prædicatione eius, & beneficiorum præstatione transmissa fuerit, excindetur, crudelissime neci traditus ab tuo populo, cui peculiariter saluator adueniet. Reijcient eum ne super se regnet, & ipsi reijcientur ab illo, ne sint ei populus. Hinc populus alienus, cum duce suo aliunde adueniet, ciuitatẽq; & sanctuarium, destruet, atq; demolietur, ea ui atq; impetu, ut uelut euersa tempestate uideantur, excipientq; belli huius finem, certũ exterminiũ, atq; consummata uastitas.

In dimidio hebdomadæ excindetur Christus.

Paraphrasis uersus quarti.) Porrò hæc isto ordine perficientur, antequã hæc desolatio à Romanis perficiat. Corroborabit Christus hebdomade illa ultima, fœdus gratiæ cum multis, tum ipse per dimidiũ eius hebdomadis prædicando, tum Apostolos, suo spiritu in idem muneris mittendo, reliquum dimidium. Et quia in dimidio hebdomadis huius postremæ, Christus occidetur, atq; tertio die resurget, paulo

A loq; post dexteram Patris glorioſus petet, inde miſſurus ſuis ſpiritum ſanctum, efficiet ut electi undiq; Patrem in ſpiritu & ueritate adorẽt, ſublato externo illo cultu corporalium ſacrificiorum & oblationũ. Poſtea uero cum per totam iſtam ultimã hebdomadẽ, ſeptem, ſcilicet, annos, tam à Chriſto ipſo, quàm Apoſtolis eius, Iudæis tuis prædicatum Euangelion fuerit, & iam fœdus nouum confirmatũ cum multis, quotquot, ſcilicet, ex eis ad uitam fuerint ordinati, cum reliqui oblatam Dei gratiã reiſcere uſq; pergent, aderit ſtatim & ultio, uenientq; innumera ſuper eos mala, dõ nec tandem penitus deleantur. Super alam, hoc eſt, præſidio & opera malorum dæmonum, infauſti & abominabiles ob idololatriam omnifariamq; impietatem, Romani omnia primum perturbabũt, mox & uaſtabunt uſq; ad conſummationem, ut omnia plene & funditus exterminentur, ita ſtillabit ſuper uaſtantem plena ac conſummata deſolatio, atq; irreparabile exterminium, ut omnia urbis & populi finem accipiant, perpaucis reliquijs diuenditis, & in ſeruitutem perpetuam redactis.

Nam ut Ioſephus narrat, mala populi, ſtatim poſt diſcipulorum profligationem, quæ circa finem ultimæ hebdomadis facta fuit, inceperũt cum per magos, tum per latrones, præter præfectorũ uim & tyrannidem, cõtinuoq; incremẽta ſumpſere, donec deſolatio iſta diſinita & conſummata, perficeretur. Cum itaq; Chriſtus ad præſens Danielis uaticinium, hoc loco remittat, & ex dictis iam ſatis cõſtet, in eo nihil de regnõ Antichriſti, ſed deuaſtatiõe Hieroſolymorũ prædictũ, inficiari nõ poterit, hanc eandẽ eſſe abominationẽ deſolationis, quæ, ſcilicet, ſuper alã abominabiliũ, ſiue dæmonum, ſiue Romanorum inuecta Ieruſalẽ fuit, de qua in præſenti præmonuerit, dicens: Cum uideritis abominationẽ deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, &c. Cum autem impijs citius eueniant, quæ prædicũtur eis mala, quàm credãt ea ſibi euentura, ideo monet hic, ut qui legit hoc Danielis uaticiniũ, intelligat, hoc eſt, diligenter ipſum perpendat, quòd quæ eo prædicta ſunt, percipiat & credat. Quo B autẽ abominationem hanc deſolationis, quàm maxime horrendam fore oſtendat, iubet ubi uiderint eam ſtantem in loco ſancto, hoc eſt, ſanctæ iam urbi imminentẽ, circundata ea, ab exercitu Romanorum, ut in Luca apertis uerbis legitur, quàm cẽlerrime, ac relictis omnibus, qui in Iudæa fuerint fugiant, in nullas urbes, ſed mõtes proximos, atq; deſerta, & ea quidem feſtinatione, ut ſi quis in tecto domus ſit (habent enim in ea regione tecta plana ſuper quæ uerſari, & pleraq; agere ſolent) non deſcendat in domum, ut inde quicquam ſecũ auferat, & ſi in agro deprehenſus fuerit, ut recta quoq; ad montana confugiat, neq; reuertatur in domum, ut uel cõmodas fugæ ueſtes acciperet. Cumq; ſola fuga ſalus contingere tum poſſit, adijcit: Væ prægnantibus & lactantibus, nimirum quòd infantium onere prægrauatæ fugere nequeant, utq; magis fugæ neceſſitatem ſignificet, addit præterea: Orate autem ut non fiat fuga ueſtra hyeme, quum nimirum difficile fugitur, neq; ſabbatho, quo religio uetabat ultra mille paſſus iter facere. His nãq; omnibus atrocitatem malorũ, quæ tum eſſent Iudæos conſtrictura, exaggerare Dominus uoluit atq; perſuadere, quod mox apertis uerbis ſubiunxit, magnam adeò fore afflictionem illam, ut æqua lis ei non fuerit ab initio mundi ad id uſq; tempus, neq; unquam futura ſit.

Abominatio deſolationis.

Væ prægnantibus.

Quod utiq; facile uerum agnoſcet, quicũq; Ioſephi hiſtoriam legerit. Præter incredibilia enim mala, quæ obſeſſi pertulere, innumeris cõtinuo pereuntibus, partim mutuis cædibus, partim fame, quæ uſq; eo inualuerat, ut præter omniũ quamlibet abominabilium cibos, quædã mulier propriũ filiũ ſibi coxerit, capti toto belli tempore fuere millia nonaginta & septẽ, mortui uero per omne tempus obſidionis, decies centena millia, ut ſcribit Ioſephus lib. 7. Iud. belli cap. 18. Vnde indubie ſi dies illi decurtati non fuiſſent, non euaſiſſet ſalua omnis caro Iudæorum, de quibus ut ſæpe dictum, Dominus ſolum hic uaticinatus eſt. Vnde in Luca legimus: Erit enim

afflictio magna super terram, & ira in populo hoc. Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Sed quia electos adhuc aliquos ex hac gente habebat, & habiturus erat, decurtauit hosce dies Dominus, ne in totum genus Iudæorũ exstingueret. Calcari tamen oportebit ut in Luca Dominus prædixit, Hierusalẽ à gentibus, donec impleant tempora gentiũ. Quod accipio ut illud Roma. 11. Excæcatio ex parte Israëli accidit, donec plenitudo gẽtium aduenerit, & sic totus Israël saluus erit. Porrò ut hic fugere Dominus iubet his malis incipiẽtibus, ita scribit Eusebius, monitos diuino responso fuisse, qui imminente obsidione ista Christiani Hierosolymis reliqui fuerant, ut trans Iordanem in oppidum quoddã Pellam nomine emigrarent, ut ita tẽpestas hæc ipsos in Iudæa nõ deprehenderet, lib. Ecclesiast. 3. cap. 4.

Christiani è Iudæa iussi migrare.

Hactenus igitur percurrimus, quæ suis Christus prædixit, tam de ijs, quæ ante excidium Hierosolymitanũ futura erant, & ipsorum proprie intererant, quàm de ipso excidio, cuius quidẽ atrocitatem satis declarauit, tempus uero ex prophetia Danielis intelligendum proposuit. Magis enim salutis ipsorũ referebat, sicut omniũ hominum, nosse ut iã imminentia atq; præsentia recte exciperent, atq; ad ea sese haberẽt, quam tempus certum, quo erant uentura. De futuris enim non est, quod nos quidẽ agamus, satis bene res nostra habet, si iam imminentia possimus recte excipere, ac præsentibus pie uti. Neq; ad futura nos rectius præparauerimus, quàm ex sententia Domini, utendo præsentibus. Vnde cum in omni scriptura, multa suis Deũ prædixisse futura legimus, perraro tamen certũ eorum tempus prædictum legimus. Siue enim prospera, siue aduersa sint, satis pijs fuerit, ea esse futura agnouisse, ut illis se cõsolentur, ad hæc sese patientia durent. Simul etiam certũ eorũ tempus prænouisse, ut remissos facere possit, ita non apparet, quam pijs commoditatem adferat.

Postremo debent nos hæc planè uigilantes reddere, atq; in timore Domini cõseruare, perpendentes, quàm sæua & atrox de Iudæis, qui ex omnibus orbis populis, electi fuerant, q̃bus tam mirifice Deus semper benefecerat, ultio sumpta fuerit, quæ profecto non multum leuiorem indubie dabunt, quotquot hodie uerbo Dei uisitati, tam tepidi & ingrati illud excipiunt, proximum enim est, ut ex primis nouissimi fiant, ea cæcitate percussi, ut Euangelion salutis etiam persequantur & totis uiribus oppugnent, Christum in suis crucifigentes, quo pacto ut tum impietate mensuram implebũt Hierosolymitanorum, ita ultionis se quoq; illorũ obligabunt. Dominus donet Germanis nobis, tempus uisitationis nostræ agnoscere.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic, &c. Mar. 13. Luc. 17.) Sextum hoc est, cuius præmonere suos Christus uoluit, etiã sub & post Hierosolymorũ excidiũ, pseudochristos & pseudoprophetas futuros, sicut ij planè nullo unquam seculo defuerunt. Quanquã quia Iudæis circa ea tẽpora Christus expectabatur, sed rex terrenus, qualem & hodie Iudæi expectant, qui carnali potentia ipsos in libertatẽ adsereret, atq; gentes eis subijceret, in procliui erat impostoribus, se pro Christis illis insinuandi. Quales cum plerosq; recepissent, nullus tamen tantã eis perniciem attulit, atq; ipsi de Ben Cuziba, insigni illo impostore memorant, qui sub Hadriano imperatore, ipsis ingenti numero congregatis, regem & Christũ sese mẽtitus fuit. Fidem enim excedunt, quæ de ea clade memorant, quam maiorẽ fuisse cõfitentur, cũq; uel à Babylonijs uel Romanis passi antè fuerãt. Legat qui uolet plura de his cognoscere, cap. 21. quarti lib. Petri Galatini. Itẽ excerptũ Sebastiani Munst. ex Seder olã, lib. Ebreo.

Christus itaq; suos monere uoluit, ut porrò à se solo, & si carne absente penderẽt, neq; terrenum Maschiach ullũ reciperent. Nam huc Iudæi nimium propensi erãt. Sicut natura expers fidei, non nisi præsenti sensibus saluatore cõfidere potest. Hinc dicebat eis apud Lucam 17. ubi eadem memorantur: Venient dies, quando desiderabitis uidere unũ dierũ filij hominis, nec uidebitis. Indubie enim, cum inter discipulos

A pulos,& primores quidem,de præcipuis dogmatis male conueniret,cum deficerẽt multi,& pseudoprophetis plena essent omnia,& foris undiq; persecutio & tribulatio immineret,multi anxie sæpe præsentem carne Christum optarunt, uel ad horã à quo cõsolationem & animi robur accepissent. Cum itaq; caro,carnalem Christũ, id est,saluatorẽ usq; requirat,& discipuli essent omnia aduersa experturi, in quibus ratio summam seruitutem & miseriam,nihil regni aut fœlicitatis potest agnoscere, ne & ipsi impostores,qui futuri erant, terrenam libertatem & fœlicitatem sectatoribus suis pollicentes sequerentur,monet hic eos, neminem præter se Christũ agnoscere,qui in spiritu,nõ carne sit regnaturus,ad id usq; tempus, cum sicut fulgur sub cœlo,clarissima & conspicabili omnibus maiestate rediturus est,iudicaturus orbẽ.

Ait ergo: Tunc cum Iudæi abominationẽ desolationis experti fuerint,ac miseris modis diſperditi,si quis uobis dixerit,Ecce hic Christus,aut illic, hoc est, carnalem aliquem saluatorem demonstrauerit,qualem illorum reliquiæ semper expectabũt, nolite credere,unus seruator omnium sum, & æternus Christus, qui in humilitate modo,in mundo obuersor,iam mox carne eum deserturus, donec glorioſus redeã. Prædico nanq; uobis,falsos Christos surrecturos,eosq; etiam habituros suos falsos prophetas,qui homines ad suscipiendũ illos prouocent,non uerbis tantũ,sed signis quoq; & prodigijs magnis,ita ut electi quoq; in errorẽ inducantur,si fieri possit. Nã ut hi uocẽ alienorũ audiant,fieri nequit, seruante illos meo spiritu, alioqui efficax adeò erit,illorum impostura,ut & ipsi ea caperentur. Mementote igitur quòd horũ uos præmonuerim. Ecce ego,quo nec; futura quisq; nouit melius,nec; quisquã uobis fauet impensius,prædixi hæc uobis. Certo igitur illa expectate,& solida fide excipite: ut cũ dixerint uobis, Ecce in deserto est,ut Aegyptius ille Christus sub Felice,quẽ eundẽ Iudæi Ben Cuziba uocãt, qui & pseudoprophetã habuit, Rabbi Akiba,quicq; Rabinis dicebat,משיחא אנא,id est,ego Maschicha,ego Christus, ut ex libro Sanhedrin,cap. Halec. Galatinus memorat,in deserto suos collegit, nolite exire, aut ecce in penetralibus, ut ille alter Ben Cuziba qui in Bittet, sese pro Christo extulit,nolite credere. Etenim regnũ Christi glorioſum, longe maiore cũ luce & maiestate mũdo aderit,cũ ut mortalibus præconibus indigeat, sicut pseudo illi Christi,suos pseudoprophetas habebunt,nũc ipsos in deserto,nunc in penetralibus,hoc est, urbibus & aulis regijs demonstrantes. Non sic obscure regnum Dei & Christi mũdo aduenier,sed sicut fulgur exit ab oriente,& apparet usq; in occidentẽ,ita erit aduẽtus filij hominis in die suo,quod apud Lucã addit. Et ultro ad ipsum cõfluent, quotquot ipsum desiderant,nemine inuitante, aut apparentẽ per se omnibus Christum,indicante. Sicut illic continuo congregant aquilæ, ubicunq; cadauer fuerit. Etenim eos qui obdormierunt per Iesum,adducet Deus cum illo,reliqui cum his simul rapientur in nubibus,in occursum illi in aëra,ut semper sint cũ ipso. 1. Thes. 4.

Ita simpliciter hæc accipienda,equidem non dubito. Certum utiq; est, Dominũ hic uoluisse suis respondere,quid de aduentu regni Dei, quod semper audierãt per Christum restituendum,sentire deberent. Nec; dubium est,eos carnale usq; regnũ, externamq; fœlicitatem somniasse,eoq; Dominum ab eo errore ut & alias,reuocare illos hic quoq; uoluisse. Tum inficiari non potest,pseudochristos fuisse,qui externam felicitatẽ pollicit,seduxerunt Iudæorũ multos. Scopus itaq; responsionis Christi hoc loco fuit,discipulis persuadere,non esse regnum Dei cũ externa felicitate,& gloria, in præsenti quidem restituendum, sed spiritu & fide, idq; cum summa ciuium huius regni adflictione & tentationibus grauissimis, futuros autem multos pseudochristos, & illos quidem externam felicitatem promissuros, sed falsò, eoq; simul & spiritalem & externam, suis sectatoribus auersuros. Ideo cauendum esse ab omnibus, qui in hoc seculo regnum Dei externum pollicerentur, aut loco certo illud addicerent, nimirum quòd sit longe augustius & diuinius, atq; in spiritu

Electi seduci non possunt.

& fide, in præsenti quidem seculo situm, in futuro autẽ ea claritate effulsurũ, ut gloria eius uniuersum orbem sit repletura, & in summa felicitate cũ Christo rege sanctorum electi ad illud apparituri. Hæc uel ex responsione Christi apud Lucã Pharisæis data, manifesta fiunt. Rogantibus enim illis, quando esset regnum Dei uenturum, respondisse Christum illic legimus: Non ueniet regnum Dei cum obseruatione, neq; dicent, ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnũ Dei intra uos est. Quid hæc aliud sunt, quàm non est regnum Dei ut uos somniatis carnale, quod certo loco demonstrari possit. Aut enim in fide situm est, & nusquam uidetur, licet fructus suos ubicunq; fuerit, luculenter proferat, eos tamen cum summa persecutione & afflictione carnis, aut ita manifesta toti orbi gloria aderit, ut iterũ obseruatione nulla opus habeat, aut dicentibus, ecce hic aut ecce illic, Iam enim intra uos est, habetis regem eius præsentem, habetis ueros eius ciues hosce meos discipulos. Sed uidentur hæc nostra, aliena nobis à regno Dei, & gloria Meschiach, ita tamen cõparatũ diuinitus est, ut oporteat me prius pati multa, & reprobari à natione hac, quàm gloriosus sim regnaturus. Hinc est ista, quæ uos offendit, mea meorũq; humilitas. Perpende optime lector uerba Lucæ.

Confirmatio ex Luca.

Qui proprie pseudochristi.

Hinc iam patet, eos proprie pseudochristos, hic à uero Christo notatos, qui somniantibus præsentem à regno Dei & Christi felicitatem percipiendam, se pro Christis & promissis Meschichim, Iudaici populi saluatoribus insinuarunt, id quod fecerunt, cũ multis alijs, quos memorauí, qui omnes suos pseudoprophetas, suaq; signa & prodigia habuerunt. Probe autẽ notandum, aliud esse pseudochristum, & aliud Antichristũ. Antichristi multi ab initio regni Christi usq; in hunc diem fuere, nempe quotquot unquam docuerunt, quo abduci homines ab eo potuerunt, ut fidẽ in unum Dominum nostrum Iesum Christum haberent, persuasi sola ipsius morte in uitam se æternam adsertos, 1. Ioan. 2. Pseudochristi autẽ proprie fuerunt, qui seipsos pro Christo uenditarunt, ut Iudæis aliquot uenerunt. Cæteri qui fuerunt errorum autores, rectius pseudoprophetæ, quàm pseudochristi uocantur.

Quod iam quidã hunc locũ, cõtra Romanensium & Mahometi impostoras adducunt, hactenus recte faciunt, quod cũ hic Christus regnũ Dei, fide in se cõsistere, neq; in hoc mundo certo loco addictũ esse, nescireq; præsentẽ fœlicitatem, testatus sit, isti tamen regnũ Dei, in externis rebus quærere, docuerunt. Sed proprie de his hic prædictũ esse nemo recte dicet. Sunt alia loca, ut 2. Thes. 2. 2. Timoth. 3. 2. Pet. 2. de his prædicentia. Neq; enim Papa se Christum unquam dixit esse, illum, scilicet, libertatis & omnis fœlicitatis restitutorẽ, qui in præsenti exhibere uellet, quæ de Meschiah prophetæ prædixerunt. Mahomet tamen propius ad hanc insaniã accessit.

Hæc omnia suo modo & ad nos pertinent.

Porrò ut impostura semper sua signa & prodigia habet, quo seducantur ad credendum mendacio, qui ueritati noluerunt, & nullum seculum suis pseudoprophetis caret, ut denicq; omnis superstitio ex carne ortum habet, & ad commoditatẽ carnis sese attemperat, ita nihil horum est, quæ hic Dominus prædixit, quod non suo modo etiam nobis occurrat, unde sanè diligenter omnibus istæ Domini præmonitiones expendendæ, & animo recondendæ sunt. Etsi enim nulli sint hodie qui palàm se Christos profiteantur, sunt plurimi tamen pseudoprophetæ, atq; Antichristi, qui ab uno uero Christo animos hominũ, ad opera sua, missas precesq; alias, item ad propria ieiunia, delectumq; ciborum, uestium, & id genus alia, egena mundi elementa, tũ ad merita, atq; intercessiones diuorũ, detorquere conantur, hactenus pseudoprophetis & pseudochristis, de quibus proprie hic Christus suos præmonuit similes, quòd à ueritate ad mendaciũ seducunt, & carnalẽ Christũ, cultũ & fœlicitatẽ falsõ pollicentur. Nam per alia, quàm uiuã in Christum fidã, salutẽ quærere docent, permittũtq; suo arbitrio homines uiuere, per Missas deinde & alia eiusdẽ farinæ commenta, expiationẽ à peccatis, & cũ Deo reconciliationẽ, illis pollicentes. Hinc ergo

agnoscere

A agnoscere istos oportebat, & quidem ut pseudoprophetas uitare. Sed quibus Christus à patre non ostenditur, haudquaquam mirum est, si ab Antichristis & pseudoprophetis seducantur.

ENARRATIO SECTIONIS VIII.

Statim autem post afflictionem dierum illorũ.) Hoc iam septimum & ultimum respondet Christus de extremo die, fineq; seculi, iudicio orbis & aduentu suo glorioso. Dominus uult omni momento suos, ut hinc migrent, paratos esse, eoq; noluit tempus aduentus sui indicare, & tamen eos omni hora illum expectare, ideo tam suis, quàm Apostolorum sermonibus, non longe abesse diem suũ palàm uoluit prædicari. Ita Petrus cap. 4. Epistola priore. Porrò rerum omnium finis imminet. Et Paulus 1. Corint. 10. Nos sumus in quos termini ætatum inciderũt. Sic ergo & in præsenti ait Christus: statim autem post afflictionem, &c. Sed nequaquam per hoc prædicere uoluit, certo post tempore, diem suum instare. A' qua, scilicet, opinione Thessalonicenses suos Paulus summopere dehortabatur, ita eis in altera Epistola cap. 2. scribens: Rogamus autem uos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, et nostri aggregationem in illum, ne cito dimoueamini à mẽte, neq; turbemini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam, tanquam à nobis profectam, quasi instet dies Christi. Ne quis uos decipiat ullo modo, quoniam non adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius, &c. Proinde quod in Matthæo legimus: statim post, &c. non plus est, quàm quod in Marco legimus: Cæterum in illis diebus. Quasi dixisset: Post tribulationem dierũ illorũ, quibus, scilicet, gens Iudæorum incomparabili atrocitate uastabitur, nulla similis expectanda est, sed statim, quanquã tempore incerto, cumq; homines minimum putarint, aderit finis seculi, summo cũ terrore hominum, qui mihi non crediderint. Statim dico tum finẽ mũdi adfuturũ, quia nihil insigne postea edetur, nullam tam apertam de impietate mortaliũ ultionem summã, donec dies ille aduenerit, quo redibo iudicaturus omnem carnẽ. Quidenique Dei estimatione, cui mille anni sunt perinde atq; dies unus, nõ longe aberit.

Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suũ, &c. Mar. 13. Luc. 21.) Hæc illa signa sunt, in sole & luna, quæ in Luca legimus Dominum prædixisse. Stellæ cadent de cœlo, pro eo accipio, quod est, lumen amittent. Virtutes cœlorum more scripturæ, astra sunt, quæ utiq; concutientur, cum omni cœli & terræ machina, quando, sicut Petrus prædixit, illo die cœli, in morem procellæ transibunt, elementa uero æstuantia soluentur, terraq; & quæ in ea sunt, opera, exurentur. Hæc cum fieri incipient, quæ die illo Domini, in modum furis, inopinantibus superuenturo euenient, ut Petrus inquit, consequens certe est, ut ter maxima sit in terris gentiũ anxietas per desperationem, quod mare & fluctus horrendum resonent, & quod extabescant planè homines præ timore, & expectatione eorum quæ superuenient orbi terrarum. Nam non omnes dormiemus, ut Paulus 1. Corin. 15. prędixit, licet omnes immutandi simus. Ii enim qui tum reliqui erunt, in puncto temporis, in ictu oculi, sonante suprema tuba, immutati ad iudicium Domini rapientur. Aliud nãq; Paulo est obdormire, id est, modo naturę mori, siue morbo, siue ui, & aliud subito rapi, & immutari ad uitam aliam, nullo dormitionis spatio intercedente.

Signa in sole & luna, ipso die extremo euenient.

Hi igitur sentient, ita omnia misceri, & totam mundi machinam ruere, indeq;, ut par est, prę summa anxietate & desperatione, planè exarescent. Atque hi plangent tum, abparente iam in nubibus signo filij hominis, & aduentum eius gloriosum, ut Matthęus habet, prędicente, sed qui tribus terrę sunt, nullum ius supernę & cœlestis ciuitatis adepti. Christum enim saluatorem isti ignorabunt, eoq; sentient intolerabile sibi iudicium Dei imminere. Quenq; summa cum lętitia excipient electi, illi summo cum terrore uidebunt, uenientem in nubibus cœli, cum uirtute & gloria multa.

Ex his

Ex his patere puto, illa quæ Euangelistæ prædixisse dominum memorant, de si-
gnis in sole & luna, ut Lucas scripsit, siue obscurandis sole & luna, ut Marcus &
Matthæus habent, quæ indubie eadem sunt, de decidentibus stellis, concutiendis
uirtutibus cœlorum, fremitu maris, perturbatione planctuq; hominum, omnia in
ipso die extremo futura esse, atq; per ea, diem illum Dominum uoluisse describere.
Sic enim Petrus in posteriore Epistola, cap. tertio habet: Veniet autē dies Domini
sicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem, &c. Qui ipsa Domini uerba pro-
pius considerare, & singulas Euangelistarum narrationes diligentius pensitare uo-
let, uidebit multo maiora esse, quæ hic Dominus prædixit, quàm ista uulgaria, tum
prædicta esse in idem tempus omnia, ac ipso iudicij die futura, quod Petrus palàm
affirmat. Non igitur illud Lucæ: Erunt signa in sole & luna, ita accipiendū est, qua-
si illa signa præcedere oporteat diem Domini, sed signa hic pro rebus insolentibus
& miraculis accipiuntur, quæ non ipsum diem Domini, sed tram potius in sceleri-
bus non tam portendent quàm præsentem exhibebunt, sicut & signū Christi appa-
riturum in cœlo, de quo apud Matthæum. Porrò quanquā immutatis ad immor-
talitatem electis immutata erunt reipsa omnia, stabitq; cœlum nouum, & terra no-
ua, quam immutationem solicita modo creatura expectat, uanitati subiecta, nō uo-
lens, Roma. 8. mos tamen scripturæ est, per obscurationem solis & lunæ, stellarumq;
& similia, quæ hic prædicuntur, summas ultionis diuinæ tempestates significare.
Sic Ieschia. 13. & 24. Iirmeiah 15. Ieche. 32. Ioel. 2. & 3. Amos 8. Micah. 3. & locis alijs le-
gimus Dei ultionem, nunc Iudæis, nunc alijs gentibus prædictam. Etenim in sum-
ma angustia constitutis, uidetur totus mūdus perturbari, sol obscurari, luna esse san
guinea, stellæ lucem suam retrahere, terra tremere, mare fremere, & cuncta ruinam
minari, non quòd ita re ipsa accidat, sed quòd adeò homines angustientur, ac si illa
acciderent. Veruntamen cum insigniores illæ ultiones Dei, quales de Babylonijs,
Tyrijs, Aegyptijs, Iudæis, & alijs nonnunquam gentibus fuere sumptæ, omnino su-
premi iudicij quædam uelut specimina dederint, mirum non est, si ijs quę in supre-
mi iudicij die, re ipsa euentura sunt, descriptę sint, quę etsi in illis re ipsa non ita eue-
nerint, ijs tamen quę in eis euenerunt, fuerunt prefigurata, & qui illas ultiones dede
runt, non aliter angustiati fuerunt, atq; si re ipsa illa omnia accidissent. Signum il-
lud filij hominis, quod in cœlo apparituram in Matthęo legimus, quidam crucis
imaginem fore putant, siue uero ita futurum sit, siue secus, huius enim certi nihil ha
bemus, maiestatem uirtutemq; Christi, terrę cœliq;, ac omnium potestatem haben-
tis, orbi indicabit, non aliter atq; elata in urbibus, atq; arcibus signa, eorum potesta-
tem indicant, qui ipsarum potiuntur. Tum & impij eum uidebunt, quem ut filium
hominis hic contempserant, regem esse cœlorum, eoq; imperium habere in omnia.

Accipiuntur hæc aliquando metaphoricūs.

Sonora hęc atq; uocalissima tuba, qua electi undiq; conuocabunt, efficacissima il-
la tam mortuorū quàm uiuorū ad tribunal Christi conuocatio est, quę ministerio
angelorū fiet. Videtur uero alludsum ad morē Israëlitarū, qui per Leuitas, sonitu tu-
barū conuocari solebant, 4. Mosch. 5. Ad hęc audiebatur tubarum sonitus, & quan-
do lex Israëlis dabatur, in quo specimen quoddā ęditū fuit, huius ultimę populi Dei
congregationis, quam non ita absurdū est, & ipsam corporali sonitu futuram esse,
quando & corporibus, sed immutatis ad gloriā, sancti Domino sistentur. Notandū
etiam hic, à quatuor uentis, &c. hoc est, undiq; terrarum electos cōgregandos, non
igitur soli illi Christiani sunt, qui Romanę subsunt potestati.

ENARRATIO SECTIONIS IX.

Ab arbore autem fici discite similitudinem) Lucas prędmittit: His autē fieri in-
cipientibus, suspicite & attollite capita uestra, quoniā appropinquat redemptio ue-
stra. Multa sanè hic Dominus prędixit, quorū aliqua ante multa secula cōtigerunt,
quędam etiā hodie experimur, & experientur posteri, nonnulla in extremo tandem
die

die euenient. Voluit uero hæc prædicendo suos præmunire, quocunq; illi seculo fuerint, cõtra futuras tentationes, atq; reddere in studio pietatis solicitos, & uigilantes. Vnde in Marco ita finit sermonem hunc: Cęterum quæ dico uobis, omnibus dico. Attamen ut præsentibus tum discipulis hæc primum dixit, ita præcipue & primum ad ipsos pertinuerũt, & præsertim hoc: His autẽ fieri incipientibus, &c. Quod hunc sensum habet: Prædixi uobis multa & planè formidabilia, quorum bonã partem, imò præter extremũ diem, omnia, ipsi quoq; experiemini, sed uidete ne id uos frangat. Tam abest enim si recte senseritis, ut ea uos perturbare debeãt, ut etiam parit incipientibus illis fieri, uos attollere capita uestra, summamq; alacritatem & hilaritatẽ, cum animo habere, tum & omni uita uestra præ uobis ferre. Appropinquat enim tanto magis redemptio uestra, quanto plura horum, quæ prædixi, transierint.

Nam ut tum demum malis omnibus plene liberamur, quum finis atq; immutatio rerum omnium aduenerit, ita quanto hæc accesserint propius, tanto & uicinior fuerit nobis redẽptio. Vnde sicut cũ ficus & arbores aliæ, gemmas protrudũt, produxerintq; folia, scimus propè esse æstatem, ita iubet nos, cum uiderimus prædicta fieri, agnoscere, iam in foribus esse, atq; instare regnum Dei. Sic tamen ut quemadmodum uisis in arbore fici gemmis, non eustigio plenam æstatẽ, sed primum florem, inde ficuum incrementum, & demum suo tempore ficus maturas, atq; iustam æstatem adfore scimus, ita agnoscamus & quæ hic Christus prædixit non simul, sed ordine cuncta esse complenda, ut uisis prioribus, proxima continuo ad futura non dubitemus, donec & postrema eueniant.

Ita cum discipuli primum statim uiderunt, quosdam pro Christo sese extollere, & multos seducere, agnouerunt mox bella & rumores secutura, non tamen continuo uastandam Ierusalem, atq; Iudæorum gentem, sed se antè multis persecutionibus agitandos, atque Euangelion ubiq; prædicandum. Inde futuram desolationem urbis sanctæ expectarunt, postea inualituras multas pseudochristorum & pseudoprophetarum imposturas, & inde nihil aliud nouum aut insigne, quã diem extremũ futurum crediderũt. Ad eundem modum, cum ficus pridem nobis defloruerit, & multa sciamus eorum quæ hic Dominus prædixit euenisse, debemus agnoscere in foribus adesse regnum Dei, & diem Domini, eoq; omni momento expectãdum, atq; ideo uigilantissime pietati studendum esse. Si nanq; Dei æstimationem sequamur, ut in his sanè oportet, mille anni nobis, uelut unus dies, imò uigilia in nocte erunt.

Amen dico uobis, non præteribit ætas hæc, Mar. 13. Lu. 12.) γενεὰ generatio quidem uerti ferè solet, sed significantius, ut hic Erasmus, ætas, æuum, uel seculũ, quod est spatium centum annorum, uerteretur. Ebræis דור dicitur, & 1. Moscheh 15. ubi quatuor generationes, & quater centum anni pro eodem accipiuntur, aperte pro eo, quod seculum Romanis erat, id est, spatio centum annorum usurpatũ legimus. Cum ergo quæcunq; hic Christus prædixit, excepto solo extremo die, de quo mox subiecit, eum soli patri cognitum esse, intra ætatem illam, hoc est, centenos annos, qui tum fluebant, euenerint, recte dixit: Non præterituram eam, in qua loquebatur ætatem, donec omnia illa fierent. Certe auditi in ea fuerunt apud Iudæos rumores bellorum, prælia multa cõmissa, impostura ualuit pseudoprophetarũ, persecutionẽ tulerunt sancti, prædicatũ est ubiq; Euangelion regni, excisa Ierusalẽ, rursus pseudochristi & pseudopropheræ seduxerunt multos & seducent dum Christus redeat. Atque hæc omnia sunt, quæ euẽtura illa sua ætate Christus prædixit, quibus ut dies extremus adnumerari non potest, quia soli patri notus, ita nec ea, quæ die illo futura prædixit, nempe, solis lunæq; defectio, stellarum casus & uirtutum cœli concussio, terror & pauor hominum, &c.

Firmum itaq; non est, per generationem hanc, gentem Iudaicam intelligendã, quæ duratura sit, dum hæc omnia compleantur. Etsi enim nonnunquam generatio

pro

De durátione generationis Iudæorum, hic nihil.

pro gente,accipiatur, includitur tamen ferè ratio temporis, ut intelligas gentẽ uno tempore uel ętate exiſtentem.Sic dicitur generationẽ Iſraëlitarũ qui egreſſi ex Aegypto fuere,nõ eſſe introductam in terram Canaan, ſed generationem ſequentem, eorum qui nati fuere in deſerto. Et hic quidem τὴν γένεαν, pro tẽporis ratione acceſſe Dominum,uolentem nimirum ſignificare,breui adfore,quæcũq; prædixerat, præter ultimũ diem, haud in obſcuro ei erit, qui ſingula hic penſitarit. Sed iudiciũ liberum eſto fratrum.Equidem non uideo, cur Dominus Iudæos potius quàm aliã gentem uoluiſſet affirmare hic ad finem uſq; mundi duraturam, ſicq; omnino pro gente accipienda hic eſſet,ἡ γένεα, mallem cum Chryſoſtomo, pro gente iuſtorum accipere,quàm duraturam affirmare,hic plus momenti habuiſſet. Sed qui uoluerit uerum uidere,facile agnoſcet, Dominũ hic uoluiſſe affirmare, certo & breui euentura quæ prædixiſſet,ut planè omnia intra illam ætatem euenerunt, nihil autem de duratione gentis Iudæorum. Sic & illud quod ſubiecit: Cœlum & terra tranſibunt, &c.ad eandem prædictorum à ſe certitudinem comprobandã pertinet. Eiſdẽ uero uerbis,hac ſententia ſuprà 5.Dominus uſus fuit, ubi eam quoq; fuſius tractauimus.

Cæterum de die illo & hora,Mar.13.) Vel hinc ſatis patet, extremum diem, adnumeratum iis quæ prædixit Dominus, intra ſuam illam ætatem euentura,neq; uoluiſſe quidem de tempore eius aliquid reſpondere. Apud Marcũ etiã ſibi ignorari eum,dixit,nempe homini.Inſanum itaq; eſt, de certo aduentus tẽpore eius diuinare,unde falſos quoq; uidimus,quotquot id hactenus auſi fuerunt.

Sed ſicut erant dies Noë,Mar.13.Luc.17.& 21.) In Luca etiam Sodomorũ exemplum additur.Significauit autem his Dominus, diem iudicij, hominibus ſeculi, omnino inopinantibus,atq; curis ac delitiis uitæ huius penitus immerſis, nec minus aliquid expectantibus,ſuperuenturum, & quidem ſicut diluuium atq; ultio Sodomorum,impijs olim ſuperuenit,cum horrendo ipſorum exterminio.Hinc ergo monet ſuos,ut diſſimiles hominibus illis, qui diluuio perierunt, & Sodomitis eſſe uelint,hoc eſt,ut apud Lucam 21.clare exprimit,cauere ſibi,ne quando grauentur corda crapula & ebrietate,curisq; huius uitæ, ſubitusq; eis ingruat dies ille, qui tanq; laqueus,improuiſus,ſcilicet,ſuperueniet,in omnes qui ſedent ſuper faciẽ terræ, ſed electis non inexpectatus,eoq; cum ipſorum ſalute,impijs autem inexpectatus,ita et in perniciem. Proximum ergo eſt,ad quod hortatur, ut non tantũ, delitijs atq; curis huius uitæ nos non dedamus,ſed ſimul etiam uigilemus,omni tempore,hoc eſt, cum timore & tremore in hoc ſeculo uerſemur, peranxie tempus redimẽtes, quòd dies mali ſint,& omnium ſcelerum occaſione pleniſſimi,tum precemur quoq;, bonum utiq; ſpiritum,quo probemus & ſectemur in omnibus bonam Dei uoluntatẽ, quo pacto fide confirmatis,licebit effugere,quæ orbi mala ſuperuẽtura ſunt, & ſtare corã filio hominis iudicaturo & reddituro unicuiq; iuxta opera ſua,quæ ſcilicet, de animi fide,uel infidelitate teſtantur. In Matthæo & Luca 17. præterea & alia uigilandi cauendiq; ratio adijcitur, quòd mirus tum delectus fiat, & cũ duo in agro, in lecto,in mola fuerint,unus aſſumetur,& alter relinquetur. Multa igitur ratio uigilandi, & pietatis ſtudio incumbendi, nobis propoſita eſt, quo ex ijs futuri ſimus, qui aſſumentur.In Luca legimus hic rogaſſe quoſdam,ubi Domine,quod idem eſt, atq; quo aſſumentur?illis reſpondit Dominus: Vbicunq; fuerit corpus, &c. quod prouerbiale dictum ſupra hoc cap.tractatum eſt.

Hic uero Lucas & illud ponit,quod in Matthæo & Marco ſuprà habuimus,ubi celerrime fugiendum eſſe obſeſſa Ieruſalem, monuit, ſi quis in tecto deprehẽdatur, ne deſcendat,&c. ſed quod ait,in illo die, non ad diem extremum referendum eſt, in quo deprehenſo in tecto,nequaquam erit integrum, ſi etiam uelit deſcendere in domum & inde aliquid tollere,aut ei,qui in agro fuerit,ad relicta redire,ſed referendũ eſt,ad omne tẽpus à morte Chriſti, quo ſemper paratos nos eſſe oportet, ut hinc migremus.

migremus. Vnde subiungitur eodem loco: memores autē estote uxoris Lot. Quo utiq; monuit, ut ad ea, quæ à fronte sunt, eniteamur, obliuioni mādatis quæ à tergo sunt, ut perpetuo meditemur id quod futuros nos speramus, nēpe ut omni mundi huius cupiditate liberi, cœlestiūq; rerum, hoc est, solidæ pietatis tantum auidi euadamus. Ea propter subiicit & sententiam illam: Quicunq; quæsierit animam suam seruare, perdet illā, quæ tractata supra 16. est. Ratio profecto uitæ futuræ est, ut solo Deo fruamur, par ergo est, huc in uita hac pro uirili eniti, quo plane non eniti, si spiritum Christi nacti sumus, haudquaquam poterimus: necesse igit̄ est, ut omnibus rebus mundi ualedicamus, & desiderio nequaquam à tergo respiciamus. Respexit uxor Lot, & conuersa in statuam salis salutem amisit, 1. Moscheh 19. ita si quis præsentia dilexerit, uolens ipse, animæ suæ curam gerere, Deo ualedicet, conuertetq; sese, ad caduca ista mundi, non bona, sed bonorum simulachra, igitur necesse est, eiusmodi salutem amittere, animamq; suam perdere.

Non respiciendum ad terrena.

ENARRATIO SECTIONIS X.

Vigilate ergo quia nescitis qua hora &c. Mat. 13. Luc. 12.) Ab incertitudine aduentus sui, hortatur ad uigilantiam, propositis duabus similitudinibus. Prior est de patrefamilias, qui si sciret, qua hora fur ueniret, uigilaret utiq;, nec sineret perfodi domū suam, ita cum nos nescíamus, qua hora filius hominis uenturus sit, & scíamus uenturum, qua hora minimū putauerimus, par est, ut omni momento uigilemus, hoc est, in timore Dei perpetuo uersemur. Altera est de seruo, quem dominus familitio suo præfecit, ut det illis cibum in tempore, qui si, fide optima munus suū obierit, à domino redeunte, præficitur bonis omnibus. At si confisus eo, quòd dominus tardat redire, inceperit de bonis domini nepotari, & iniuria conseruos afficere, redeunte domino hora, qua nō putarit, dissecabitur ab ipso, sortemq; accipiet cum hypocritis & infidis, ubi erit fletus & stridor dentium. Etenim quisq; alijs uiuere debet, necq; omnino est, qui non habeat etiam, quo proximis commodet, id si syncériter & uigilanter studuerit, à redeūte Domino nostro, cœlestibus bonis præficiet. Si minus & disperdiderit male, quæ à Domino accepit atq; iniurius in proximos fuerit, abijcietur in Geennam.

In Luca subiicitur his: eum seruum qui uoluntatem Domini sui cognouerit, nec tamen fecerit multis plagis uapulaturum, si uero non cognouerit, & digna tamen plagis fecerit, paucis uapulaturū, & ab eo multum quærendum, cui multum fuerit datum, &c. Quibus Christus monere uoluit, cū omnes serui Dei simus, & cuncti studijs pietatis incumbere debeamus, maiore tamen piaculo hæc præteriri ab ijs, qui plus cognitionis, atq; donorum aliorum acceperint, Nam cum Christus ad uigilantiam discipulos suos eo loco cohortatus fuisset, ab exemplo seruorum, uigilāter expectantium dominum suum, quādo reuertatur à nuptijs, qui quòd uigilantes inuenerit, faciat eos discumbere, & transiens ministret eis, tum patrisfamilias utiq; uigilaturi, si scisset horam, qua hora fur uenturus fuisset, rogauerat Petrus, an eā parabolam ad discipulos solum, an etiam ad omnes dixisset, ibi respondit, per præmissam similitudinem de seruo familiæ, ab abituro Domino præfecto. Vnde commodum subiecit, ab eo plus petendum, cui plus esset cōmendatum. Satis namq; indicauit, parabolam ad omnes pertinere, ut omnium est alios demereri. Sed qūia non est æqua in his omnibus facultas facta, datumq; alijs plus, alijs minus proximos iuuare, utiq; iure maiora ab ijs expectantur, quibus maiora diuinitus obtigerūt. Qui ergo plus ueritatis cognouerit, ad eam uiuat diligentius: qui plura poterit, ad iuuādum fratres, in id incumbat studiosus, alioqui malo & infido seruo officium suum negligenti, & scienter Domini uoluntatem prætereunti, sese similem reddet, tanto grauiores redeunti Domino pœnas daturus.

In Marco & per parabolā, & apertis uerbis, Dominus declarauit, hæc ad omnes

pertinere, quod omnes sumus sicut serui, quibus abiens Dominus, suam substantiam dederit, unicuiq; suum opus iniunxerit, & ianitori ut uigilaret. Nam nemo est, ut dixi, qui non aliquid dispẽsandum fratribus, dono Christi acceperit, neq; est qui non suam uocationem habeat, suumq; proprium opus. Summa igitur fide uigilandum est, ut bona Domini, pro ipsius uoluntate dispensemus. Ianitori uero in primis uigilandum, quòd ei domus custodia commendata sit, ita sanè plus reliquis uigilandum, quibus cura Ecclesiarum incumbit.

CAPVT XXV.

Sect. 1. TVNC simile fiet regnum cœlorum decem uirginibus, quæ sumptis lãpadibus suis, exierũt in occursum sponso, Quinq; autẽ ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes. Quæ erãt fatuæ, acceptis lampadibus suis, nõ sumpserãt oleum secum. Prudẽtes uero sumpserãt oleum in uasis suis, una cum lampadibus. Tardante uero sponso, dormitauerũt omnes, ac dormierũt. Porrò medio noctis clamor factus est: Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerũt omnes uirgines illæ, & apparauerũt lampades suas. Fatuæ autẽ prudẽtibus dixerũt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguũtur. At responderunt prudentes, dicentes: Nequaquã, ne non sufficiat nobis & uobis, sed ite potius ad eos qui uendunt, & emite uobisipsis. Porrò dum irent emptum uenit spõsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Postea uero ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille respondẽs ait: Amen dico uobis, nõ noui uos. Vigilate itaq; quia nescitis diem nec horam, in qua filius hominis ueniet.

Sect. 2. Sicut enim homo quidam peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et huic quidẽ dedit quinq; talenta, alĩ autẽ duo, alĩ uero unum, unicuiq; secundũ propriã facultatẽ, & profectus est statim. Abijt autẽ qui quinq; talenta acceperat, & negotiatus est per ea, & confecit altera quinq; talenta. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est & ipse altera duo. Qui aũt unum acceperat, abiens fodit in terrã, & abscõdit pecuniam domini sui. Post multũ uero temporis uenit dominus seruorũ illorum, & ponit rationem cum eis. Et accedens is, qui quinq; talenta acceperat, attulit altera quinq; talenta dicens, Domine quinq; talenta tradidisti mihi, ecce altera quinq; talẽta lucratus sum per ea. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum per ea. Ait illi dominus eius. Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autẽ & qui unum talentũ acceperat, ait: Domine nouerã te quòd homo durus es, metens ubi non seminasti, & inde cõgregans ubi nõ sparsisti, ac territus abĳ, abscondiq; talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respõdens autẽ dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quòd

A quòd metam ubi non seminaui, & cõgregem illinc ubi non sparsi. Oportuit ergo te cõmittere pecuniam meam mensarijs, & ueniens ego recepissem utiq; quod meum est cum usura. Tollite itaq; ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti, dabitur, & abundabit. Qui uero nõ habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et inutilem seruũ inijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

Cum autem uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli Sect. 3.
cum eo, tũc sedebit super sedem gloriæ suæ, & cõgregabuntur ante eũ omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris sibi erunt. Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi edere. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & uisitastis me. In carcere eram, & uenistis ad me. Tunc respõdebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientẽ & pauimus, aut sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te, aut nudum, & cooperuimus te, aut quando te uidimus infirmum? aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondens rex, dicet illis? Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Tunc dicet & his qui a sinistris erunt. Discedite a me maledicti in ignẽ æter-
B uum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & nõ dedistis mihi cibum. Sitiui, & non dedistis mihi potum, Hospes eram, & nõ collegistis me. Nudus, & nõ operuistis me. Infirmus & in carcere eram, & non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico uobis, quatenus non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti uero in uitam æternam.



Vnc simile fiet regnum cœlorũ, decem uirginibus.) Nemo est piorum, qui nesciat ut ægre uigilemus in opere Domini, utq; negligenter ipsum expectemus. Detrahit enim continuo ad curas atq; delitias uitæ huius, caro, dormitareq; facit, inde haudquaquã ab re est, quod tam multis ad uigilantiam nos Dominus cohortetur. Sanè hæ duæ, quas hoc capite Matthæus cõmemorat parabolæ, ad idem pertinent. Missis itaq; allegorizantium nugis, & considerato eo, quod per priorem hanc parabolam Dominus docere uoluit, discamus hinc, quod ipse parabolæ apertis uerbis subiecit, nempe ut uigilemus omni tempore, eo quòd nesciamus, qua hora filius hominis uenturus sit. Hoc unum sanè hic docere uoluit. Nihil igitur ad rem, quod de uirginitate, quod de lucernis, de oleo, de uendentibus oleum, in hanc parabolam disputatum est. Vnum hoc, quòd paratæ uirgines ad nuptias cũ sponso ingressæ sunt, imparatæ autem excluse, atq; ignoratæ, ad rem præsentem facit, monetq; ut perpetuo, uigilemus, parati, ut euestigio, ueniẽti spõso, etiam eamus obuiam, id est, ultrò & cupienti animo, fide plena instructi, hinc ad eum cõcedamus. Quod eo diligẽtius debemus

nus debemus curare, quòd ad nuptias æternæ felicitatis concedemus, quibus excludentur miseri, quicunque uera fide & uigilanter sese per dilectionem exerente, Dominum non fuerint operti. Oleum bona opera quidam faciunt, sed non animaduertũt miseri, pessime adhuc instructum, ut ad tribunal Christi ueniat, qui etiã omnia bona opera habeat, id est, quæ præcepta sibi sunt, fecerit uniuersa. Nam etiã sic inutilis adhuc seruus esset, fides autem nititur meritis Christi, eoq; nihil nõ policeri sibi de diuina bonitate potest, quæ & plenissime omnia percipit, quòd cõfundi nequeat, qui in Deo confidit. Hæc ergo sola demum est, qua parati ad aduẽtum Christi, electi existunt, uti & una est, quæ bonis operibus lucet, supra 5. Eadem & uigilantes reddit, cum nimirum ad Deum, omnem mentem & animã rapit, in quo solo persuasa est, bona sibi uniuersa esse reposita. Hæc utinam recte percipere & tenere possemus, & satis magno cum fructu hæc nobis parabola expensa esset.

Fide sola paramur in occursum sponso.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Sicut enim homo quidam peregre proficiscens, Luc. 19.) Sicut superiore parabola ad uigilantiam, & ut parati semper simus, Domino obuiam ire, hortatus est, ita in præsenti prouocat ad id, ut quisq; pro sua portione & facultate proximis inseruiat. Nam ut supra dictum, & si nõ paria, sua tamen singulis Christus spiritu suo donat, quibus inseruire proximis possint. Iam aliqui duplicia lucrant, qui pro portione donorum, quæ acceperunt, plurima alijs commoda adferunt, ut à multis iam Deo gratiæ agantur, & ad uitam æternam multi lucrentur. In hoc alius alium præcellit, ut alius, alio spiritu Christi amplius fuerit donatus. Sunt autem qui accepta diuinitus dona recondunt, nulli ex eis commodi aliquid adferentes. Qui tandem acceptis donis rursum priuantur, cum illi qui pro portione sua lucrari studuerunt, ad priora dona, maiora adhuc percipiant. Quia in regno Dei, uerum illud prouerbium est: Omni habenti dabitur, & abundabit: qui uero nõ habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Qui nanq; donis diuinitus acceptis bene, & cum fructu peruenient ad alios, usus fuerit, is ampliora adhuc dona percipiet, qui uero nihil huius sancti lucri habuerit, etiam quod doni habet auferetur ab eo, & abijcietur ipse in tenebras externas. Debent uero hæc in genere accipi. Nam non est datum omnibus uerbo Euãgelij multum fœnerari. Quicquid demum sit, quod quis habeat, siue spiritale, siue corporale, eo alijs prodesse debet, quod si faciat, pluribus donabit: si minus, etiam hoc quod accepit, rursum priuabitur, abiectus in Geennam. Quicquid tamen sit, quo quis commodare proximo possit, si pius est, ita eo proderit, ut gratia ad Deum redeat. In alium usum, hoc eodem prouerbio usus Dominus suprà est, cap. 13. ubi & ad eum usum explicatum est.

Porrò in Luca, præterea parabolæ isti adiectũ legimus: ciues nobilis huius, post eum legationem misisse, dicentes: nolumus hunc regnare super nos, quos reuersus iusserit sibi adduci, & ante se interfici. His planè adumbratum est, id quod, proh dolor, pridem factum uidimus, nempe quòd plurimæ gentes, Christo quem saluatorem receperant, recepto Euangelio, rursum nuntium remiserunt, imperioq; eius se subtraxerunt. Huiusmodi sunt, quotquot Mahometi spurcitias, & Romanenſium fraudes amplexi sunt, Christo negato. Horum autem omnia plena iam diu fuerũt, quare talentis Christi negotiari, multis iam seculis fuit, & est hodie periculosissimum. Vnde mirum non est, quòd blande sit fidos hic seruos Dominus suscepturus, & pluribus donaturus. Porrò cum redierit, negatores illos, perdet uniuersos. Hæc sibi ista parabola uult, quæ si recte perceperimus, & ipsa non frustra nobis scripta fuerit.

Notatur tamen eo, quòd à Domino talenta seruis accipiunt, nos, nihil ex nobis posse, sed omnia dona esse Dei. Quare iure in nos sæuiet, si ipsius donis benefacere proximis, gloriæq; ipsius lucra parare neglexerimus. Duabus itaq; his parabolis tota pietatis

A tota pietatis ratio tradita est: priore fides, qua abstracti ab rebus alijs quibuscunq; bonitate Dei addicimur, ut nostri quidem caussa, nihil æque optemus, quam uenienti sponso obuiã ire: hac uero, syncera dilectio, qua nihil nostri quærentes, toti incumbimus, ut ijs quæ à Deo accepimus, siue spiritalia sint siue temporalia, proximis inseruiamus, in primis tamẽ, hoc dantes operam, ut Deo ipsos lucremur.

ENARRATIO SECTONIS, III.

Cum autem uenerit filius hominis in gloria sua.) Ad eadem commendanda nobis, & hæc Dominus proposuit, nimirũ ut fide per dilectionẽ efficaci uigilantes, pro uirili demereri proximos studeamus. Quàm glorioſum uero atque beatum erit, audire à Domino, tanta cum maiestate apparituro. Venite benedicti patris mei &c. quàm contra ignominioſum & miserum erit audire, Discedite à me maledicti &c. Hæc ergo cogitata, excitant sane spiritum in electis, ut magis ac magis sua negligant, imò Deo committant, & proximis demerendis totos sese impendant. Notandum autem probe, quòd Dominus hic dicturum se ijs qui a dextris sibi erunt, pollicetur: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Nam ex eo, quòd opera subijciuntur dilectionis, superstitiosorum defensores contendunt, regnum Dei mereri per nostra opera. Primum autem ait Christus, se dicturum, benedicti patris mei: igitur & pietas ipsorum, & fœlicitas benedictionis Dei est, non ipsorum meriti. Deinde ait: possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Si iam ab exordio mundi pijs regnum paratum fuit, non potuerunt utique ipsi illud mereri. Denique Græce est, κληρονομήσατε id est, hæreditario possidete, quo iterum indicatur, fœliciatis regnum electis inde contingere, quòd gratia sua optimus pater in filios suos ipsos adoptauit, & non ab operibus proprijs, aliàs regnum Dei, ut merces reddenda ipsis, non ut hæreditas adeB unda esset. Nunc autem cum inimici essemus, adoptauit nos in filios, antequã boni quicquam facere poteramus: gratiæ igitur adoptantis, non merces operantium erit, quòd æterna uita donabimur. *Prouocat ad beneficentiã.*

Vnde quòd subijcit: Esuriui enim &c. nõ est ita accipiendum, quasi propter hæc opera, sit electos ad possessionẽ regni uocaturus, sed quòd opera illa testẽtur eos benedictos patris, & ad possessionem regni fusse ante conditum mundum electos, qui bus luculenter, scilicet, declarauerũt, se spiritu patris prẽditos fuisse: inopibus enim benefacere non est nisi spiritus patris opus. Hoc igitur sensu hæc accipienda sunt: Venite & hæreditatẽ uestram regni Dei percipite. Vere enim ad hoc uos pater elegit, anteq; fundamẽta mundi iacerẽtur, id quod postea benedictione spiritus sui manifestum fecit, quo ipsum in omnes beneficum, beneficentia in minimos meos retulistis. Nam esuriui in illis, & cibastis me, sitiui &c. Hæc haudquaquam fecisſetis, nisi filij patris, atque spiritu eius benedicti & donati fuisſetis. De his et supra in illud: Ne reponatis uobis thesauros in terra. Opera itaq; hic cõmemorata, testimõia sunt ouium, quòd ueræ oues filij Dei & hęredes exístant: nõ merito igitur ut dictũ. Ad hæreditatem percipiendam uocantur, non percipendam mercedem. Quę cum prẽterierint hœdi, id est, reprobi, de se testimoniũ tulerũt, filios Dei se nunquam fuisse, eoq; iure nihil commune habituros cum electis.

Notandum uero præterea, cuius & supra ꝛc. sub finem admoniti sumus, quanti sint DOMINO inopes & adflicti, ut sibi factum interpretaturus sit, quicquid his factum fuerit, & se prẽteritum, istis prẽteritis. Hoc uero proprie, ad prẽsens institutũ facit. Nam monere his uult, ut se iudicem certa fide expectemus, sed nequaquam ignaua aut uacante, sed sine intermissione negotiante in salutem proximorum: ponde qui minimi quidem fuerint sibi non displiceant, cum tanti Domino sint ut si bi impensum accipiat, quicquid fuerit impensum ipsis, & sibi negatum, quod fuerit negatum ipsis. Alij autem, si Christi sunt, eius spiritum præ se ferant, tanti & *Quanti Domino minimi.*

ipsi minimos eius æstimantes. Probatur prętera, & quod supra 5. in illud: Vos estis lux mundi, de natura bonorum operum differui, quòd nulla hoc nomine censeri queunt, quàm quibus benefit proximo.

Ignem ęternum ait paratum Diabolo & Angelis eius, non etiam ipsis reprobis, ut regnum patris paratum, nõ Angelis, sed ipsis electis dixit, & quidem ab exordio mundi. Eo uoluit uero significare atrocitatẽ pœnę, quam impij communem, cum Diabolo & angelis eius habituri sunt. Vt autẽ magis ad beneficentiam electos inflammaret, ait se illis dicturũ: Possidete regnum, quod paratum etiam uobis est, nõ solum Angelis. Facit denicq; hoc quod ait: regnũ etiam ipsis electis hominibus, ab exordio paratũ, quòd uideamus esse gratuitũ donũ eligẽtis patris. Si enim dixisset, quod paratum Angelis est, uideri potuisset, quòd pios operibus illis misericordiæ, consortiũ Angelorum oporteret promereri. Recte aũt colligimus, impios, sortẽ Diaboli, sua inhumanitate & dilectionis uacuitate mereri. Cæterum de Diabolo & angelis eius, quæ ex scripturis discere potui, differui supra 8.

Supplicium malorum æternum, ut regnum beatorum.

Postremo notandum, æternum hic malorum supplicium pronuntiari, ut æternã uitam bonorum. Si igitur hæc finem nullum accipiet, cur miseri Anabaptistæ illi finem facere conantur: Hœdi uasa iræ sunt, parata in interitum. Nemo enim à charitate alienus esse poterit, nisi qui & fide uacet, idem tandem agnitam ueritatem respuet, atque in spiritum sanctum blasphemus erit, id neq; hic, neq; in futuro remittetur. Sed experiuntur insani homines, quòd uerbis Domini credere modo nolunt. Ex prętenti loco, & similibus, in quibus tam diligentes ad uigilandum, precandũ, benefaciendum, hortationes leguntur, quidam uim aliquam libero arbitrio colligunt. Sed si scripturas isti & uirtutem Dei nossent, uolentis ita spiritum suorum ad officium suum excitare, nihil tale affirmarent, cum undiq; scripturæ testentur, nos ex nobis nihil posse.

CAPVT XXVI.

Sect. 1. ET factum est cum consummasset Iesus sermones hos oẽs, dixit discipulis suis. Scitis quòd post biduum pascha fit, & filius hominis traditur ut crucifigatur.

Sect. 2. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & scribæ, & seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiapha, & consilium inierut unt Iesum dolo caperent, & occiderent. Dicebãt autem, Non in die festo, ne tumultus fiat in populo.

Sect. 3. Cum autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ad quid perditio hæc? Potuit enim istud unguentum uenundari magno, & dari pauperibus. Eo autem cognito, Iesus ait illis: Quid molesti estis mulieri? Opus enim bonum operata est erga me. Nam semper pauperes habetis uobiscum, me uero non semper habetis. Quòd enim hæc unguentum hoc misit super corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto muudo, hoc quoq; quod hæc fecit, narrabitur in memoriã ipsius. Tũc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis

A uobis tradam illum? At illi constituerunt ei triginta argenteos, Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ut eum traderet,

Cæterum primo die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes ei: Sect. 4.
Vbi uis paremus tibi ad edendum pascha? At ille dixit: Ite in ciuitatē ad quendam, & dicite ei: Magister dicit tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim, & edentibus illis, dixit: Amen dico uobis, quòd unus uestrum me proditurus est. Et mœsti reddíti uehementer, cœperunt singuli dicere: Num ego sum domine. At ipse respondens ait: Qui intinxit mecū manū in catino, hic me proditurus est. Filius quidē hominis uadit sicut scriptū est de illo. Væ aūt homini illi, per quē filius hominis proditur. Bonū erat ei, si natus nō fuisset homo ille. Respōdens autē Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nū ego sum rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

Vescentibus autem eis accepit Iesus panem, & cum egisset gratias, fregit, Sect. 5.
dedítq; discipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo gratijs actis, dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Dico autem uobis, non bibam post hac ex hoc fructu uitis, usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei.

B Et cum hymnum ceciniſſent, exierunt in montem oliuarum. Tunc dicit illis Iesus, Omnes uos offendiculū patiemini mea causa in nocte hac. Scriptū est enim. Percutiam pastorē, & dispergentur oues gregis. Postquam autē surrexero, præcedā uos in Galilæā. Respondens autē Petrus, ait illi: Et si omnes offendiculum passi fuerint tua causa, ego tamen nunquā offendiculum patiar. Ait illi Iesus. Amen dico tibi, quòd in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, nō te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Tunc uenit Iesus cū illis in uillam quæ dicitur, Gethsemane, & dixit discipu- Sect. 7.
lis: Sedete hic, donec uadā & orē illic. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit affici dolore ac mœstitudine. Tūc ait illis Iesus: Mœsta est anima mea usq; ad mortē, manete hic, & uigilate mecū. Et progressus pusillū, procidit in faciē suā, orans ac dicens: Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et uenit ad discipulos, & reperit eos dormientes, & dicit Petro: Adeònō potuistis una hora uigilare mecū? Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem. Spiritus quidē promptus est, ac caro infirma. Rursus altera uice abijt, & orauit dicens: Pater mi si nō potest hoc poculū transire à me, nisi bibā illud, fiat uoluntas tua. Et uenit & reperit eos iterū dormientes. Erant enim oculi eorū grauati. Et relictis illis, iterū abijt & orauit tertio eundem sermonem dicens.

Tunc uenit ad discipulos suos, & dicit illis, Dormite iam & requiescite. Ecce Sect. 8.
appropinquauit hora & filius hominis traditur in manus peccatorum, Sur-

gite eamus, ecce appropinquauit qui me tradit. Adhuc eo loquente, ecce Iu- C
das unus numero duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladijs & fu-
ſtibus miſſi à principibus ſacerdotum & ſenioribus populi. Is uero qui pro-
debat eum dedit illis ſignum, dicens: Quencumque oſculatus fuero, ipſe eſt,
tenete eum, & confeſtim accedens ad Ieſum, dixit: Aue rabbi. Et oſculatus eſt
eum. Dixitq; illi Ieſus: Amice, ad quid ades? Tunc acceſſerunt & manus in-
iecerunt in Ieſum, & ceperunt eum, & ecce unus ex his qui erant cum Ieſu ex-
tendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis ſacer-
dotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Ieſus. Conuerte gladium tu-
um in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.
An putas quòd nō poſſum nunc rogare patrē meū, & exhibebit mihi plus
quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur ſcri-
pturæ, quòd ſic oportet fieri. In illa hora dixit Ieſus turbis: Tanquam ad la-
tronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus ad comprehendendum me, quotidie
apud uos ſedebam docens in templo, & nō me cepiſtis? Hoc autem totum
factum eſt, ut complerentur ſcripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes
relicto eo fugerunt.

Sect. 9. At illi comprehenſum Ieſum duxerūt ad Caiapham principem ſacerdo-
tum, ubi ſcribæ & ſeniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur eum pro-
cul uſque ad atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cum mi- D
niſtris, ut uideret finem.

Sect. 10. Principes autem ſacerdotum, & ſeniores, & totum concilium quærebant
falſum teſtimonium contra Ieſum, ut morti eum traderent, & non inuenie-
bant, etiam cum multi falſi teſtes acceſſiſſent, non inueniebant. Nouiſſime
autem uenerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit, poſſum deſtruere tem
plum Dei, & in triduo ædificare illud. Et ſurgēs princeps ſacerdotum, ait illi:
Nihil reſpondes? Cur iſti aduerſum te teſtimonium dicūt? Ieſus autem ta-
cebat. Et reſpondens princeps ſacerdotum, ait illi: Adiuro te per deum uiuē-
tem, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus filius dei. Dicit illi Ieſus, tu dixiſti. Ve-
runtamen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis ſedētem a dextris uir-
tutis, & uenientem in nubibus cœli. Tunc princeps ſacerdotum diſcidit ueſti-
menta ſua, dicens: Proloquutus eſt blaſphemiam, quid inſuper egemus teſti-
bus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius, quid uobis uidetur: At illi reſpō-
dentes, dixerunt: Reus eſt mortis. Tunc expuerunt in faciē eius, & colaphis
eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Vati-
cinare nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? Petrus uero ſedebat foris in
atrio, & acceſſit ad eum una ancillula, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At
ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicas. Cum autem exiſſet in
ueſtibulum, uidit eum altera ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Ie-
ſu Nazareno. Et iterum negauit cum iureiurando, Non noui hominem. Et
poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro, Vere & tu ex illis es,
nam &

A nam & loquela tua te manifestum facit. Tunc cœpit execrari & iurare, quòd non nosset hominem, & continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei, Priusquam Gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amare.

ET factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes.) Sermones hosce habitos tertio die ab ingressu Domini in urbem Ierusalem magnifico, suprà indicatum est: recte ergo post finem horum dixit, eodem nempe die, post biduum pascha fit, hoc est, die quinto ab illo ingressu. Hic anxie disputari solet, qui Dominus dixerit, die hoc quinto nimirum ad uesperam futurum pascha, ut die sexto paschę solēnitas ipsi fuerit, nam Ebræis dies à uespera incipit 3. Moscheh 23. cum aperte adeò ex Ioāne pateat, sextū illum diem, quo ipse passus est, parasceuen paschæ, hoc est, diem præparatorium paschæ fuisse. Etenim hic cap. 13. descripturus lotionē pedum, quæ à cœna paschali facta fuit, cum iam dies sextus, ac Domino paschæ solēnitas esset, scribit ante festū paschæ, id est, pridie paschę. Item 18. de Iudæis. Non introierūt in prætorium, ut nō contaminarentur, sed manducarent pascha. Hoc male eludunt quidam, affirmātes per pascha intelligenda azyma, quæ nusquam tamen in scripturis legerunt pascha appellari. Deinde propter azyma contaminatio non erat uitanda, quandoquidem & immundi uesci illis poterant. Inde cap. 19. memorans tempus in quo Christus condemnatus fuit, scribit: Erat autem parasceue pascha. Vbi rursum inconsiderate quidam per pascha sabbathum uolunt intelligi.

Parasceue ergo nō sabbathi, sed paschæ, id est, dies præparatorius ad solennitatē B paschæ, is dies, quo crucifixus Christus fuit, erat. Sic eum & sancti habuerunt. Nicodemus enim & Ioseph ab Arimathia, emerunt eo die unguenta, & sindonē, atq; Dominum unctum sepelierūt, quæ haud magis in ipso die paschæ, quàm sabbatho licuissent. Sic & mulieres illæ, quæ cum Domino erant, sua quoq; unguenta meratæ fuere & pararunt, hoc ipso die parasceues, ut postridie quiescerent secundum legem. Luc. 23. Hæc nequaquā sibi in ipso die paschæ permisissent, ne ad uesperam quidem, qua finem accepit, cum insecutum continuo sabbathum fuisset. Proinde nisi uim uerbis Ioannis adferre libeat, fatēdum est publicum pascha Iudæis postridie quam Dominus passus est, illo anno fuisse celebratū, hoc est, in ipso sabbatho, unde & magnus iste dies sabbathi dicebatur, in quo scilicet & paschatis & sabbathi celebritas, conuenissent.

Neq; firmum est, quod quidam aiunt, Iudæos præter morē distulisse pascha, autitudo ad festum hoc uenire fuerit solita? Neq; pie dicitur, Christum pascha anticipasse, qui dum lex uigeret, legis omnia diligētissime obseruarit. Ad hæc aperte pugnat hoc cum ijs, quæ reliqui tres Euangelistæ scripserūt. Apud Matthæum enim sic ait Christus ipse: Scitis quòd post biduum pascha fit, apud Marcum: Ac primo die azymorum cum pascha immolarent: apud Lucam: Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat immolari pascha. Proinde nisi his cōtradicere libeat, fatendum est, Christum pascha celebrasse pridie quàm Iudæi suum celebrarent, & id iure, atq; secūdum legem fecisse, quamlibet publico more, pascha illo anno Iudæi sequenti primum die celebrarint. Atq; ita constat Christum eodem die & typicum pascha celebrasse, & ipsum uerum pascha immolatum fuisse.

Horum inter se concordiam, nemo mihi quidem exactius, atq; firmius tradidisse uidetur insigni illo uiro Paulo Burgensi, cuius sententiam paucis perstrictam, hic subscribam. Memorat primum duas obseruationes, apud Iudæos obtinuisse, unde

Neomenia translatio, legitur.

festa

festa nonnunquam de die in diem translata fuerint. Prior est, quòd si lunatio primi mensis, Abih qui alias Nisan uocatur, respõdens nostro Aprili, nẽpe uernali æquinoctio proxima, à qua festa reliqua numerãtur, contingat post decimam octauam diei horam, hoc est, post duodecimam apud nos, Neomenia ea, in diem sequẽtem ordinabatur, eo quòd diei in qua luminarium coniunctio euenit, tantum sex horæ supereſſent. Etenim à sexta apud nos uespertina, dies Ebræis incipitur. Hæc uero obseruatio uidetur fuisse legitima, quia non nullam celebritatem Neomeniæ habebant, ut in quibus peculiaria sacrificia fuerant præcepta 4. Moscheh. 28. Idem & ex Ieschа. primo notatur, unde par fuit, ut uel quartam diei naturalis partem haberent integram.

Altera autem obseruatio, fuit ex traditione patrum, ne pascha, atq; adeo lunatio mensis Nisan, secunda, quarta uel sexta septimanæ celebraretur. Atq; hanc constitutam affirmant, per Rabbi Aeliezer consummata domo dei secunda, postquam à Babylonijs, in terrã suam redijssent. De secunda septimanæ, hanc caussam assignãt, quòd si in ea, lunatio secunda feria fixa fuisset, euenisset festum expiationis, in sexta septimanæ, atq; ita cum æque feriari in ipso, atq; sabbatho oporteat, duo quieti sacri dies, continui incidissent, quod molestum tanto populo fuisset. Ita si Neomenia euenisset in quarta septimanæ, festum expiationis celebrãdum fuisset prima septimanæ, atq; iterum, duo prima sabbatha cõiuncta, populum plus æquo grauassent. De sexta septimanæ, aliam adserunt rationem, quæ nostra in præsenti nihil refert. Præter hæc ergo addit Burgensis, supputatione temporum diligenti habita, quam & peritissimi Ebræorũ, cum quibus, scilicet eam contulerit, comprobarũt, se ipsum deprehendisse, anno quo Christus passus fuit, coniunctionem luminarium, proximam æquinoctio uernali, secundum medium motum solis & lunæ, euenisse quinta septimanæ, hora decima nona, adiectis aliquot minutis. Ergo iuxta priorem obseruationem, non potuit eo die statui Neomenia, quòd non haberet quartam eius diei partem integram: transferri igitur eam oportuit, in sextam incipiẽtem, scilicet, sexta apud nos hora uesperi, diei quinti. Sed cum obstaret altera obseruatio Iudeis, ne die sexto celebraretur, quòd ita euenisset festum expiationis in primam septimanæ, iunctiq; fuissent duo dies, in quibus nephas erat, operis quicquã facere, transtulerunt secundo eius anni primam Neomeniam, atq; ex consequenti & paschæ solennitatem, nimirum in sabbathum, idq; ob traditionẽ patrum, quæ legitima temporis supputatione, eo anno fuit die sexto septimanæ, quæ iam à restituto templo obtinuerat. Vnde publicum, & omnibus iam obseruari consuetũ pascha obseruatum eo anno fuit, die sabbatho.

Neomeniæ et paschæ trãslatio illegitima

Sed quia nobis hic à patribus, & propter sequentes solennitates receptus erat, Christus qui legi patris, quam patrum rationibus maluit obtemperare, ac etiam sequentium solennitatum nullam debuit rationem habere, quas, scilicet, aboleri iam oportebat, restituto nouo & spiritali Dei cultu, pascha suũ celebrauit, tẽpore ex lege patris legitimo, nempe die sexto, qui in uespera quinti incipiebat, qua Pesach suum, cum discipulis comedit. Neq; ergo Christus pascha suum anticipauit, neq; Iudæi illo peculiariter anno, ipsum propter patrandam necem Domini distulerũt, sed utriq; tempore, quod eis iam pridem legitimum erat, illud obseruarũt, quanq; Dominus legitimo ex lege Dei, Iudæi autem legitimo ex traditione patrum. Qui de his uolet legere fusius, legat annotationem Burgensis in hũc locum, adiunctam commẽtarijs Nicolai de Lyra. Annotauit de his & Sebastianus Munsterus, in Kalendario suo Ebraico, capite de obseruatione Neomeniæ.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Tũc cõgregati sunt principes sacerdotũ, Mar. 14. Lu. 22.) Huic Caiapha, Iosepho alias nomẽ fuit, q successit i sacerdotio Simoni Camithi filio, prefectus sacris à Grato tum

A to tum Præside, cui successit Pilatus. Remotus rursum à sacerdotio fuit, per Vitellĩ Proconsulẽ Syriæ, subrogato ipsi Ionatha, filio Annę, lege Iosephũ lib. Anti. 18. cap. 4. &. 8. Omnia enim etiã sacra officia per auaritiã & ambitionẽ sacerdotũ iam pridem à Romanis cõferri solebãt, ut quæ abolitioni accesserãt proxime. Nolebãt die festo Dominũ capere, non religionis caussa, sed ne excitaretur tumultus, inde pridie festi capiendũ statuerunt. Vanus hic timor fuit, sed sæpe tamen eo solo abstenti fuere, ut dictũ suprà. Iterum notatur à nemine crudelius insectari innocentiã & ueritatem, quàm ab omniũ sanctissimis, & numeris omnibus præstantissimis.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis Mar. 14. Io. 12.) Existimãt quidam diuersam ab hac unctionem esse, quam Ioannes descripsit, quòd illic legamus pedes Iesu unctos, hic caput: illic Iudam nominatim obstrepuisse, hic promiscue discipulos, illic denicp uideatur illa in domo Marthæ facta, cum hæc scribatur facta in domo Simonis: postremo, sit illa facta sex dies ante festũ Paschæ, hæc uero uideatur accidisse, quarta septimanæ proxime ante supplicium Domini.

Sed ne quis incerta pro certis amplectatur, hæc quidẽ argumẽta certum nondũ faciunt, diuersam illam ab hac unctione fuisse. Primũ enim potuit lotis Christi pedibus hæc mulier, & in caput alabastro fracto reliquum unguẽtum effundere, uti factum autumat Augustinus. Deinde nõ est infrequẽs scripturis adeo synecdoche, ut multitudini alicui tribuatur, quod in unum aut alterum ex ea dũtaxat competit. Sic & duo latrones blasphemasse Christum scribuntur, quod unus tantum fecerat. Præterea nihil euincit, quòd uideatur ea illa apud Ioannem unctio in domo Marthæ facta, nobis uidetur in domo Simonis facta. Necp enim uero dissimile est, arctã fuisse eorum inter se familiaritatem, quibus pariter familiaris fuit Christus, præsertim in eodem uiculo habitantium. Aeque infirmum est, quòd uidetur eis hæc apud Matthæum facta die Mercurij. Satis nancp constat, hanc historiam hoc loco ab Euangelistis potissimum narratam, ut appareret, unde Iudas scelus & furorem suum conceperit.

Nobis quidem multo firmiores uidentur coniecturæ, eandem à Ioanne unctionem descriptam, quod utrãcp Bethaniæ, & sub tempus supplicij Christi factam, eisdem uerbis contra eam murmuratum, murmúrcp à Domino repressum, & unctricem excusatam legamus: necp uerisimile est, post increpitum sæuere adeo Iudam, discipulos reliquos idem ausuros fuisse. Nam qui duas unctiones faciunt, putant unctionem à Ioanne descriptam, prius factam.

Porrò illam quæ Luc. 7. legitur, non dubitarim aliam esse, quòd illam longe ante supplicium, & in Galilæa factam arguunt eius loci circunstantiæ, cum hæc facta sit, sub tempus supplicij, & Bethaniæ, deinde quòd illic peccatrix anonyma, hic laudata soror Lazari Maria unxisse legitur. Extat liber Ia. Stapul. de tribus Magdalenis, in quo error ille ridiculus confutatur, quo uulgo eãdem mulierem fecerunt illam peccatricem, Luc. 7. Mariam Magdalenam de qua Dominus septem demonia eiecerat, quæcp secuta Dominum fuerat, ex Galilæa, Luc. 8. Matth. 27. &. 28. Mar. 15. &. 16. Io. 21. & Mariam sororẽ Lazari. de qua Lucas. 10. Io. 11. &. 12. Quas fuisse, omnino uerisimile est, duas autem fuisse ad minimum, aperte conuincitur. Nam ut maxime quis contendat Mariam sororem Marthæ fuisse illam peccatricẽ apud Lucam, quod tamen haud uerisimiliter faciet, inficiari non poterit, aliã fuisse Mariam Magdalenam, quæ erat ex Galilæa.

Diuersa est unctio Lu. 7.

Ergo mulier hæc, soror Lazari & Marthæ fuit, ea nimio quodã Domini amore impulsa, accepit alabastrum unguẽti, nam in eo genere uasorũ optime seruari unguenta, author est Plinius lib. 13. Ioannes & pondus expressit, & speciem, quam Marcus quoqp indicauit. Nam libra unguẽti accepisse scribit, & nardini, atcp confectionis

fectionis probatæ, unde πιστικὴν dixit: pretium Iudas expressit, nempe denariorum trecentorum, id est, coronatorum francicorum triginta. De unguento Nardino si libet, lege Dioscoridem lib. 1. cap. 72. Hæc omnia, præterquam quòd præsagiũ erãt mortis Christi, ut ipse ea interpretatus est, ingẽtem mulieris huius erga Christum amorem indicarunt. Nobis tamen cum primis perpendendum, sic Dominum uoluisse mortem suam honorari, ut & nobis cum ipso commori libeat, quando hæc una ianua est uitæ beatæ.

Videntes autẽ discipuli indignati sunt. Mar. 14. Io. 12.) Per synecdochen, unum Iudam murmurasse credo, eo quòd fur esset, & doleret sublatã sibi de hoc pretio furãdi occasionem: etiam si alij mox per Iudam ad idem murmur pertracti sint. Iudas ergo id fecit quod semper impietas solet, aliud prætexit, aliud in corde agitabat. Sed notanda diligenter responsio Domini affirmantis bonum opus erga se operatam hanc unctricem, utiq; quia opus eximiæ charitatis & obseruantiæ erga ipsum ista unctio erat. Discamus ergo hinc nihil damnare, quod ulla ratione bonum esse queat. A corde, non externis circũstantijs bona opera æstimãda sunt. Vnde quòd discipuli à pretio & usu hanc unctionem existimassent, dãnarunt eam, & reprehẽsi fuere à Domino. Sane plausibilis erat Iudæ reprehẽsio, quòd omnino uideret præstare multis necessaria tribuere alimenta, quàm tantum insumi in unius non necessarias delitias. Sed in præsenti hoc Domino placuit, præ illo. Cum igitur cor incognitum nobis sit, à quo operum bonitas pendet, ne simus ad condemnandum faciles. Notatur præterea, & rebus ad delitias cõditis, pios posse uti, modo iuuãdi pauperes occasionem non prætereant. Indubie nãq; tum, cum Christus tam pretioso delibutus unguẽto fuit, non pauci fuerũt, quibus uix adfuerit panis ad uescendũ, sed dum illi nõ adessent, permisit huic mulieri, se isto pretioso unguento, ad cohonestãdam suam mortem perfundere. Nemo igitur quærat delitias, nemo item eos qui præsentibus, non quæsitis utuntur, damnet. Nihil enim est ab optimo Deo in usum nostrum conditum, quo non possint bene uti pij. 1. Timoth. 4. Ad hæc ut in alijs deniq; rebus externis, ita & in usu delitiarum discrimen esse Dominus uoluit. Dauidem, Schlomoh, & alios sanctos Reges atq; Principes cõstat sæpe uarijs delitijs abundasse, cum multis alijs uix necessarius cibus adesset, neq; tamẽ eo nomine Deo displicuisse. Tantũ adsit dilectio, quæ proximi necessitatẽ non prætereat, adsit studiũ sanctimoniæ, ne carnis concupiscentijs indulgeatur, adsit deniq; animus in omnibus Dei gloriã quærẽs, & nulla creatura fuerit, cuius usus nocere possit.

Nihil temere damnandum

Non est autem prætereundum, quod ait: Pauperes semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis, quod uidetur hoc sensu dixisse: Sinite me rerum omnium Dominum, uel iam moriturum etiam delitijs uti. Vngi solent mortui, & ego iam iam ad mortem rapiar, unde paulo post sepeliendum ista modo me unxit. Dignior plane haberi uobis debebam, q̃ ut tantulum officij impẽdi mihi egre ferretis. Si curæ uobis pauperes sunt, nunq̃ uobis ij deerũt, poteritisq; illis semper benefacere, me autem corpore, & corporabilibus utentem beneficijs, non semper habebitis. Sane his uerbis, omnia quibus ipsum demereri officijs possumus, proximo monuit impendenda, iuxta ea quæ supra. 25. sub finem habuimus. Nequaq̃ itaq; Domino gratificantur, qui modo in cœlestibus regnantẽ, externis istis uolunt officijs demereri, si ea non conuertant in usus pauperum.

Admiranda uero & æmulanda est Domini lenitas, qui impiam Iudæ reprehensionem, tam leni castigatiõe refutarit. Adijcit postremo Dominus: Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelion in toto mundo, hoc quoq; quod hæc fecit &c. In quibus præter mirificam sane cõmendationem huius unctionis, prædixit Euangelion hoc, utiq; de se ipso, quod morte sua electos consummauit, & beat, in toto mundo prædicandũ, quod utiq; debuerat discipulorũ animos erigere, ne putassent

ne putassent morte ipsum extinguendum, audientes futurum, ut non tantum ipse, in toto orbe saluator prædicaretur, sed etiã præsens huius mulierculæ officiolum. Tanti, scilicet, ipsum esse, & tam egregie collocari, quicquid ipsi officij fuisset impensum, utcunq; nunc in humilitate extrema filius hominis obuersaretur.

Tunc abijt unus de duodecim Mar.14.Luc.22.) Vide quàm uere scripserit Paulus radicem omnium malorum esse habendi cupiditatem, & eos qui uolunt ditescere, incidere in tentationẽ & laqueum &c.1.Timoth.9. Quod paulũ lucelli, huic dilapsum esset, audet miser uendere in mortem; saluatorem & magistrum suum. Opportunitas tradẽdi Dominum, quam quærebat, fuit, ut sine turba illum traderet, sicut Lucas memorat. Ita impij quiduis potius quàm Deum timent.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Cæterum primo die azymorum; accesserunt discipuli, Mar.14.Luc.22.) Ante biduum enim dixerat illis, se post biduum Pascha celebraturũ, cum, ut supra dictũ, publicum Pascha postridie celebraturi reliqui Iudæi essent. In Luc. legimus, Christum priorem misisse Petrum & Ioannẽ paratum Pascha, ac tum ab illis Dominũ rogatum fuisse, ubi parare deberent. Porro eo quod ad ignotum illos mittit, uirtutem suam eis declarat, quo in fide confirmarentur. Prædicit ergo eis, occursurum ipsis hominem baiulantem hydriam aquæ, iubetq; eos illum sequi, ac quocunq; ingrederetur, interrogare eius domus patremfamilias, ubi sit suum diuersorium, ad edendũ cum discipulis suis Pascha; addit illum mox ipsis ostensurum triclinium magnum stratum, paratũ, ubi Pascha pararent. His sanè fidem ipsis confirmare uoluit, ut alias sæpe, omnia sibi in manu esse, necq; defore quicquam etiam ad copiam electis, & Deo fidentibus. Etenim non solũ hic paterfamilias paret Domini iussui, sed singulari studio, nõ modo, scilicet, cœnaculum exhibens, sed in superiore parte ædium, ubi haberi solebãt cœnacula insigniora, & præterea magnum & instratum, nimirum tapetis & lectis magnifice: ἐστρωμένον enim hic ad pauimentum curreferam: denicp paratum, id est, instructum omnibus, quæ ad sacram illam cœnam possent requiri. Sic alieni et ignoti seruiũt filijs Dei, dum in uia Domini illi ingrediuntur, dum persequũtur, ad quæ illos uocat Dominus. Istuc Dominus hic, sicut & superius, quũ misit pro asello re ipsa declarauit. Idem experiri uoluit discipulos, cum primum eos ad Euangelij functionem mitteret, nulla prorsus re alia quàm uirtute spiritus sancti instructos. Eo autem quod iubet dicere patrifamilias: Magister dicit, tempus meum prope est, hunc uidetur habere sensum, uos Paschæ solennitatem differetis, in diem proximũ, mihi in hac uespera auspicanda erit, tempus enim meum prope est, ut & ipse immoler uerum Pascha.

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim, Mar.14.Luc.22.) Lucas scribit: dixisse eum discipulis, desiderio desiderauí hoc Pascha manducare uobiscum antequam patiar. Dico enim uobis, post hac nõ edam ultra ex eo, &c. Erat ultimũ hoc in mortali quidem corpore, cum ipsis cõuiuium agitaturus, & in eo plurima ipsis de regno suo & ipsorũ in hoc officio expositurus & ea fusius & clarius quàm antea. Hinc peculiari quodam affectu desiderasse se ait, id ipsum, cum eis Pascha celebrare. Ad hæc gaudebat tandem tempus aduenisse, quo munus suum perficeret, & operi redemptionis supremam manum imponeret. Illud, quod poculum actis gratijs discipulis porrexit, iubẽs ipsum inter se diuidere, uidetur obseruasse ex uetere ritu Iudæorũ. Ii enim solẽt, ut hodie quoq;, in maioribus solennitatibus conuiuium auspicari, etiam à distributione poculi, aliàs initium conuiuij faciũt, patrefamilias sumpto in manu pane, & dictis gratijs, eum panem inter conuiuas distribuente. Eo quod dixit se post hac non comesturum ex Paschate, donec complerẽtur in regno Dei, & bibiturum de fructu uitis, donec aduenìret regnum Dei, simpliciter intelligo uoluisse significare, prope adeò adesse regnum Dei, ut nihil cibi

aut potus corporalis sumpturus esset, ab hoc ipso conuiuio in quo erat, donec illud in ipso depositio mortalitatis onere aduenisset, atq; Pascha fuisset completũ, facto, scilicet, post sui immolationem, de mortalitate ad immortalitatẽ transitu. Attamen post resurrectionem, ad comprobandam eam, edit & bibit cum discipulis, ut Io. 21. & Act. 10. Petrus testãtur. Matthæus & Marcus illud, quo dominus negauit de fructu uitis, se post hac gustaturum, repetisse memorãt, post oblatũ discipulis calicem nouí testamenti, & addidisse, usq; in diem illum, cum illud bibã uobiscũ nouum in regno Patris mei. Vbi nouũ accipio, quod dominus nouo modo, immortalis iam factus, & in regnũ gloriamq; patris translatus, cum discipulis bibit. Regnũ Dei & Patris, statum resurrectionis uocat, ad quem ubi & nos peruenerimus, cõpletum in nobis quoq; regnũ Dei erit, sublata, scilicet, ut morte, ita & impietate uniuersa. Cæterum Pascha, completum tum fuit in regno Dei, quando ipse Pascha nostrum immolatus, atq; ita impetratum nobis est, ut liberi à percutiente Angelo, ex Aegypto, hoc est, peccati & mortis seruitute, perducamur in terram promissam, hoc est, congregationem sanctorum, & regnum Dei.

Aduentus regni Dei quid.

Denicq; ex illo: Non edam ultra ex eo, donec &c. nõ debet colligi, rursum ipsum Pascha corporale cum discipulis à resurrectione comedisse, sed hoc (ex eo) ad promiscuum cibum referendũ est. Ad hæc non potest omnino hinc certo colligi, quòd post resurrectionẽ comederit, sed tantũ q̃ post hoc dictum in mortali corpore nihil comederit, sicut ex eo: Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos, scabellũ pedum tuorũ, certo quidẽ colligunt sessurum Christũ ad dexterã Patris, donec inimici eius ponantur scabellũ pedũ eius, sed postea non sessurũ, inde colligi non potest. Ad hunc modum neq; hic colligi potest, post resurrectionẽ Christũ Pascha cum discipulis comedisse, licet certo euincatur, post hoc in quo tum erat cõuiuiũ, nihil ex paschate uel alio cibo mortalẽ gustasse. Sed ut dictũ est, post resurrectionẽ, ad carnis suæ ueritatẽ probandã, comedit, sed de cibis alijs. Ne quẽ uero offendat, quod legitur dominum discubuisse, cum à stantibus lex edi Pesach iubeat, nam ante & post comesum agnum sedisse eum intelligendũ est, cum nondum Pesach ederent.

Et edentibus illis dixit: Amen dico uobis, q̃ unus uestrũ, Mar. 14. Ioan. 13. Putant quidam dominũ discipulis pedes lauisse, anteq; mysteriũ corporis & sanguinis sui eis cõmendaret. Quid mihi uideatur, infrà dicam. Certe ad mysteriũ præsens, Iudã à domino admissum, & pedes ei quoq; lotos, nihil dubitandũ. Nihil enim omisit dominus, quo reuocari ille merito debuerit. Qua causa & in præsenti eum monuit. Quod aũt discipuli, audito, unum ex ipsis dominũ proditurum, uehementer mœsti redditi, singuli cœperunt interrogare, num ego sum domine? monet, ut & nos si malus quispiã, & nocens in nostra esse congregatione deprehendatur, pertubari & dolere oporteat, & quòd ille Deũ offendit, & quòd prauo exemplo suo, aliorum q̃q; integritatẽ labefactat. Quod cũ Corinthij posthabuissent, admissa à quodã ex ipsis ea fornicatione, quę nec inter gentes quidẽ audiebatur, fuerunt uehemẽter à Paulo increpiti: Et uos, inquit, inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleret de medio uestrum, qui facinus hoc perpetrauit. 1. Cor. 5. Nam ex hoc discipulorũ mœrore, colligere nõ possum, timuisse singulos, ne tanto sceleri affines forte essent: utcunq; uere pia corda, nihil sibi fidunt, & quantũ ex ipsis est, agnoscunt semper se peccato, quàm iustitię uiciniores. Nam paulò post nolebant, etiã prędicente Domino, minori malo, nempe defectioni ab ipso, & fugę affines sese agnoscere. Proinde gratia purgandi se à tanti sceleris suspicione, quilibet Dominũ interrogabat, nũ ipse ille proditor esset. Dominus autẽ qui monere Iudã uolebat, pdere nolebat, respondit: Qui mecũ intingit manũ in catino, hic me proditurus est: quo nihil plus, q̃ antea dixit, nisi quòd exaggerationem hoc paulò maiorem habet crudelitatis Iudam, quòd modo cibũ unà sumeret, ex selectioribus, scilicet, discipulis habitus, & mox posset Dominum

Dolendum si quis inter nos malus.

minum & magistrũ suum, sibi tam fauentẽ & blandientẽ, ut ad eundem catinũ admitteret, tradere ad supplicĩũ. Necꝫ apertiorẽ & Ioãni datam responsionẽ credidĕrim: tam ipsi enim, ꝙ alijs discipulis dicere Dominus uoluit, Ex uobis est, qui me prodet, & ex hic præsentibus, quos ex omnibus discipulis delegi, ut semper mecũ essetis, huic mensæ adhibitus est, mecũ mittit manum in catino, & ego intinctũ panem illi porrigo, quẽ nullo familiaritatis officio non dignatus sum. Etenim si Ioanni indicasset certo, quis illis proditor esset, facile intellexissent illud quod Dominus post traditam offulã Iudæ dicebat: Quod facis fac citius. Iam scribit Ioãnes ipse id à nemine discumbentiũ intellectũ fuisse. Monemur uero hinc, ut peccatis occultis mederi quidẽ monendo studeamus, prodamus autem minime.

Per illud: Filius quidẽ hominis uadit sicut scriptũ est &c. docet nos unde consolationem in afflictionibus petere debeamus, nempe ab eo, ut recordemur, bonã ita Dei uolũtatem exigere. Pater uoluit pati filiũ, & in mortẽ tradi à discipulo, id ergo filio consideranti non potuit displicere. Eo aũt nihilominus ita peccauit proditor, ut ei quidẽ præstitisset, non fuisse natũ. Melius enim ei esset omnino nunꝯ fuisse, ꝙ in æternũ excruciari. Ad gloriam tamen Dei, cum & hoc faciat, ꝙ fuerit, & cruciẽtur in æternũ, si Deum, & uniuersitatẽ operũ eius spectemus, bonũ est ꝙ fuerit, sed non ei. Atqꝫ hoc contra eos Anabaptistas facit, qui cõtendunt pœnas impiorũ tandem finiendas esse, si enim unꝯ futurũ esset, ut Iudas liberaretur è geenna, et beatus redderetur, bonũ sanè esset, etiam ei, ipsum natũ esse. Quæ enim pœnarũ tanta atrocitas, & diuturnitas esse possit, quã non præstet perferre, & postea æternũ beatum esse ꝙ omnino nunꝯ fuisse. Ioãnes monet præterea in Iuda hoc, impletũ illud Psal. 41. Qui edit mecũ panem sustulit aduersum me calcaneũ, hoc est, aduersatus est mihi, & euertere conatus est. Eb. ita legitur, etiã pacificus meus, quo fidebat, qui una cibum mecũ sumebat, is dolo subuertere me, ut qui currentẽ supplantet, & cadere faciat, aggressus est. Etenim Iudã inter pacificos suos, hoc est, amicos & familiares dominus habuerat, eoꝙ loco posuerat, ut iure debuisset illi multũ fidere, quod tamen non fecit, sciẽs pridem eum diabolũ esse, Ioan. 6. sed Psal. hic secundũ externa loquitur, in quibus sanè apparebat, ei multũ à domino credi, ausus tamen fuit, leuare calcaneum suum ad supplantandũ dominũ, id est, dolum ad perdendũ ipsum instituere. Id si dominus æquo animo tulit, debemus & nos, domesticorũ nostrorum iniuriam non grauatim ferre propter ipsum.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Vescentibus aũt eis accepit Iesus panem, Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.) Vbicunꝯ Euangelistę memorant, dominũ panem in manus sumpsisse, simul memorant eum egisse gratias. Quo docemur, quoties Dei beneficijs utimur, par esse, ut bonitatis eius, cum laude recordemur. Vnde Marcus hic, cum alij habẽt εὐχαριστήσας, id est, cum egisset gratias, habet εὐλογήσας, id est, cum benedixisset, hoc est, Deum laudasset, & mox ubi memorat de poculo, cum alijs habet, εὐχαριστήσας. Vnde satis liquet εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν Euangelistis idem esse.

RETRACTATIO DE COENA DOMINI.

Visum est totũ hunc locũ retractare, eo ꝙ priori eius tractationi quædã insunt, quibus uideri queã & caussæ alicubi non satisfacere, & in eos esse parũ officiosus, quibus, qui Christũ colimus, debemus omnes ꝯplurimũ. Nostra enim ingratitudine aduersus donũ Dei amplissimũ, reuelationis Euangelij, quę nostra ætate extitit, & in omni negotio Christi seruatoris nostri socordia meruimus, ut Deus Satanæ permiserit, importunã sanè inter ministros reuocati Euãgelij de sanctissimo mensæ Christi mysterio excitare contentionẽ. In hanc contentionẽ & ego pertractus sum, dum nescio quo zelo defendere quosdã conarer, quos alij tractare uidebãtur æquo durius, tũ cauere, ne uulgo impanatio Christi, uel localis eius in pane inclusio, aut præpostera aliqua externæ in sacramẽtis actionis fiducia ingereretur. Fateor autẽ

ingente,zelum hunc intempestiuũ fuisse,& me eorũ,quos uidebã primos Euãgelij ad nos omnes administros,M.Lutheri & aliorũ quorundã autoritatẽ haud satis suspexisse,tum ecclesiæ dãna,quæ illa ex tanto dissidio accepit,haud rite perpendisse,alioquí alia ratiõe instituissem & innocẽtes defendere,& falsas arcere opiniones,nec offensus essem adeò formis loquẽdi,quæ ut scripturis cõsonant,ita pie usurpari possunt,quibus M.Lutherus,& qui cũ eo faciũt,utebãtur.Nã dum illis loquẽdi formis ingeri uulgo putarẽ impanatiõis Christi, aut certe localis inclusionis in pane,tũ sacramenta ex se,quocunq; modo usurpentur,salutẽ adferre, non solũ illas incessendas esse iudicaui,sed etiã adeò uitandas,& diuersas usurpãdas, ut inde Lutherus & alij iudicarent me nihil cũ panẽ & uinũ in sacra cœna agnoscere, & sacramentis nihil amplius tribuere,cũ esse tesseras societatis Christianæ.Ego aũt hoc coram domino ecclesiæ eius affirmo,testibus libris à me editis,me nunc in ea sententia fuisse,ut in sacra cœna nihil exhiberi distribuíq; sentirẽ, cũ panẽ & uinũ corporis & sanguinis domini inania symbola,& nõ etiã ipsum corpus & sanguinẽ domini.In sacramẽtis etiã licet ut præcipuũ tractarim id,q; sunt symbola professionis nostræ,nunc tamen negaui ea simul à domino adhiberi ad cõmendandã nobis suam misericordiã,& exhibendũ dona uitæ,imò hoc ipsum donũ nõ uno in loco.Id unũ impugnaui,sacramẽta ex se fidẽ cõfirmare,quod nimirũ est opus spiritus sancti. At progressu huius disputationis,cum Lutherus rem omnẽ sacramentariã nimis exponeret, uidi illũ nec corpus & sanguinẽ domini ulla naturę copula cũ pane & uino unire,nec in pane & uino localiter includere,neq; sacramẽtis propriã tribuere uirtutẽ,qua salutẽ ex se adferant sumentibus ea,uerum sacramentalẽ modo unionem inter corpus domini & panẽ,inter sanguinẽ eius & uinũ statuere,tum docere confirmationẽ fidei,quã sacramentis tribuunt,niti uirtute,nõ quæ ipsis inhæreat externis rebus per se,sed quæ sit Christi,& dispensetur eius spiritu per uerba & sacra symbola.Hæc ubi agnoui,magno in id studio incubui,ut ea alijs quoq; ostẽderẽ & cõmendarem. Volo itaq; & hoc loco testatũ omnibus qui hæc legũt facere,M.Luthe rum et qui uere ab eo stant,eiusq; doctrinã rite sequũtur,in sacra cœna nullã impanationẽ,nullã quoq; corporis Christi in pane, sanguinis in uino localẽ inclusionẽ affirmare,nec ullã externis actionibus sacramẽtorũ ex se uirtutẽ saluificã tribuere. Verã aũt substantialẽ ponũt corporis & sanguinis domini cum pane & uino in sacra cœna prẽsentiã & exhibitionẽ,quã nimirũ & ipsa uerba domini & testimoniũ Apostoli aperte exprimũt,quę præsentia & exhibitio uerbo & institutione domini cõstat,citra ullã naturalẽ corporis & sanguinis Christi cum elementis unionẽ.Nec enim hic dominus se rursus è cœlesti gloria,in conditionẽ huius corruptibilis uitæ demittit.Eam præsentiã & exhibitionẽ esse saluificã quoq; agnoscũt & prædicant, sed id uirtute domini,nõ externi operis,quod cũ tũ à sumentibus percipitur,quũ illi uera fide sacramentis cõmunicant.Saluator certe noster ut in omnibus actionibus suis,ita præcipue in sacramẽtis nostrã salutẽ promouere instituit,qua si in illis non fruimur,id nostro uitio accidere necesse est.Panis enim quẽ frangimus, est cõmunicatio corporis domini,& poculũ q̃ gratias agimus,cõmunicatio sanguinis eius, & indubie ad id,& illa Christi cõmunio in nobis proficiat,& salus omnis perficiatur.Quis ergo tãti mysterij cõscius dubitauerit,omnibus mẽsa dñi religiose participantibus,eo ipso participatu fidẽ in Christũ reddi confirmatiorẽ,hoc est salutẽ plenioremẽ,nõ id quidẽ beneficio externæ illius actionis ex se,sed dignatione patris cœlestis,& uirtute domini nostri Iesu Christi,quam hic sacræ ecclesiæ ministerio erga suos exerit.Quo enim redẽptio Christi & cõmunio in sacra mensa grauius & religiosiore ceremonia exhibetur,hoc pie mẽtes,quę promissis domini fidẽ habẽt, amplius cõmouẽtur,& oblatã Christi cõmunionẽ auidius amplectũtur, fiducia & studio Christi iam inde ardẽtiores.Proinde quæ uel ego in prioribus editionibus horum enarrationũ,uel alij cõtra naturalẽ unionẽ panis & corporis Christi, uel locationem

lem inclusionē scripserunt, ea pie lector ne putes in Lutherū, & qui ab eo recte stant cōpetere, nihil illi eiusmodi sentiūt aut docent, nec uerba, quibus illi utuntur, talem opinionē ex se ingerunt, ita ut mihi aliquādo uisum est, qua etiā sola caussa, quędam illorum dicta conuellere instituí, nam sententiā eorum puriorem esse non dubitabā.

Huldrychus Zuinglius, quē uindicādis Christo ecclesijs à tyrānide & superstitione papæ fuisse studio flagrantissimo, & admirāda etiā fœlicitate norunt, quicunq; illum norunt, cum M. Lutherus & alij cōtenderēt panē esse corpus domini, aut in pane esse corpus domini, persuaserat sibi, illos statuere corpus domini, aut cū pane redigi in eandē substantiā, aut in pane localiter ĩcludi: eoq; cōtra prius semper obiecit, si panis est corpus domini, panis est pro nobis crucifixus: cōtra alterū, loca, quæ testantur dominū relicto hoc seculo petijsse cœlos, & sedere ad dexterā patris, indeq; cœpit, est, in uerbis domini, hoc est, corpus meū, per, significat, interpretari, caloreq; cōtentionis eo euectus est, ut cum uellet solam impanationē & localē inclusionē, præsentiamq; Christi ratione huius seculi impugnare, magis abesse in sacra cœna domi num q̄ adesse, & dari potius symbola hic q̄ corpus & sanguinē domini diceret, cum tamen nō uellet simpliciter abesse à cœna dominū, aut inania corporis & sanguinis domini omnino hic symbola dispensari, ut ipse postea apud me agentē cum eo de cōcordia ecclesiarū in hoc dogmate, confessus est, & in Apologia ad principes Germaniæ scripsit. Nā ibi uerbis D. Augustini cōfiteri præsentiā domini sustinuit. Ita alicubi, dum cauere uellet, ne homines ab externo opere in sacramētis salutē peterent, diserte adfirmat, sacramēta tesseras modo esse societatis Christianæ, nihil cōferre ad salutem. At alibi diserte scribit, sacramēta auxiliū opemq; adferre fidei. Ex quo satis liquere potest, cum scripsit sacramēta nihil cōferre ad salutē, nec cōfirmare fidē eo intellexisse, sacramētis, id est, actioni externæ sacramentorū per se nihil ineſſe huius, ut conscientias roboret fide aucta. Dum enim istā suam sententiā, sacramenta nō dispēsare salutē, nec cōfirmare fidē, probare instituit, adfert, confirmare & augere fidē esse opus Christi per spiritū sanctū. Quod argumentū simile illi est, Deus sanat ui naturę, ergo medicus & medicina nihil ad id conferūt. Efficit quidē omnem salutē in nobis unus Christus, idq; nulla aliena uirtute, sed suo solius spiritu, interim tamen ad id ipsum utitur ad nos suo uerbo, tam uisibili in sacramentis, q̄ audibili in Euangelio. His remissionē peccatorū, cōmunionē sui, & uitam ęternā adfert & exhibet. Id Zuinglius agnouit, proinde cum negauit sacramēta dispensare gratiā, intellexit sacramēta, id est, externam actionē huc nō ualere ex se, sed salutis omnia niti actione interna Christi, cuius sacramēta suo modo instrumēta sunt. Iam & Lutherus primus omniū hoc quidē seculo, impugnauit sententiā illā scholæ, sacramenta ex se cōferre gratiam sine bono motu cordis, absq; fide. Itaq; & in hac quæstione oppugnauit Zuinglius, quod Lutherus nō adfirmauit. Idem & Oecolāpadio usu uenit, quem nemo dubitat præstantissimū Theologū fuisse, qui eius monumenta legerit. Hic, ut singulari modestia & religione in scripturis uersabatur, & S. patres diligēter legit, magnicq; fecit, ita admodū reuerenter & religiose de sacramentis scripsit, utcunq; & ipse impanationē, aut localem inclusionē corporis Christi uerbis Lutheri adseri putaret, eoq; illa oppugnarit. Sic enim scribit in nouissimo dialogo suo, uolens explicare in quo dissidium sit. Dissidiū, inquit, magis est de modo presentię uel absentiæ, q̄ de ipsa præsentia uel absentia. Nemo enim tam obtusus est, qui asserat omnibus modis adesse uel abesse Christi corpus. Vrgent aliqui panē dominicum, esse ipsissimū corpus Christi, ita ut quicunq; siue pij, siue impij illo pascantur, nō solum panē & sacramentū, sed etiā corporaliter corpus Christi manducent, ac in os stomachi transmittant. Nos uero contradicimus, & elementū nequaq; in talem honorē euectum asserimus, ut omniū dignissima creatura, in unā naturalemq; illius substantiā se uniat, uel ita naturaliter in eo cōtineatur, ut per ipsum, tanq; per medium canalem, transfundatur gratia quam ipse spiritus sanctus fidelibus concedit, & contactu uel gustu eius, etiam impij, ipsum

uerum corpus Christi contingant ac edant, gratiæ ue participes fiant. Ex his uerbis quis nõ uideat Oecolampadiũ tria modo impugnare uoluisse: Corpus Christi cũ pane in unã naturalemq; substantiam uniri, naturaliter in eo cõtineri, & panis cõtactu uel gustu gratiæ participes fieri quoscunq; pios uel impios. At nihil horũ Lutherus affirmauit unq;, etiã si non pauci existimarint inesse uerbis ista, quibus in tractando hoc loco uti nitiq; maxime solebat, cum negabatur omnis tropus in his uerbis, hoc est corpus meũ. Libet his præterea subscribere integrã epistolã Ioannis Oecolampadij, in qua testatur se aperte suã exponere fidem. Ea sic habet:

IOANNES OECOLAMPADIVS N.
fratri in Christo.

Gratia & pax à Deo patre. Ego à te mi frater doceri debeo, & tu ad me uenis, & respondere cessantẽ uiolentus urges. Ferenda ne illa tua tyrãnis? Ferẽda utiq; in Christo, amica enim est ac fraterna, hac tamen lege, ut idẽ iuris mihi & in te sit, tuq; mihi sententiã tuam cõmunices uicissim, ubi meã acceperis. Igitur aperte quid credã, habe. Sacramentalia signa, quibus sacramentalis promissio cõfirmatur, qua remittuntur peccata mea, ut credibilior sit infirmæ cõscientiæ meæ, nõ mihi sunt panis & uinum. Nihil enim ad me, qui maiora quæro, qualis panis uel uinũ adhibeatur: sed requiro mirabiliora quędã, ad imbecillã mentẽ meam solidandã efficacia. Illa aũt non sunt, nisi ipsummet corpus, & ille ipse sanguis: nõ figura uel corporis uel sanguinis, sed corpus quod traditũ est & passum pro peccatis meis: atq; id quo angeli in cœlo delicate fruũtur, quod Christus promisit se daturũ, & dedit in cibũ, non carnalẽ, sed spiritualẽ. Similiter & sanguis, qui è latere profluxit, & pro peccatis meis effusus est. Is enim efficaciter obsignat promissionẽ emũdationis meę ab omni iniquitate mea. Et in hoc fido simpliciter uerbis Christi, qui dicit: Hoc est corpus meũ, quod pro uobis tradetur, & hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro uobis effunditur. Quo nimirũ testatur, hoc corpus figillũ esse, quòd credẽti & spiritualiter manducanti cõdonata sint peccata mea: quandoquidẽ hac de caussa pro me passus est. Verbũ Christi præcessit, quod obsignauit effectus sacrosancto signaculo. Hunc panẽ & potũ esurio & sitio: nõ ut in me conuertatur sicut corporalis cibus, sed ego in illũ uertar, & spirituali cibo spiritualis fiã: ut cum fuero ego in Christo, Christus quoq; in me manens, utpote in sacramento sumptus, per gratiã suã operetur sua opera: quo ita paratus sum ad obsequendũ omnibus mẽbris Christi, etiã si pro illis moriendũ, sicut ipse pro me mortuus est, & ita fiã membrũ uerũ in suo illo mystico corpore: non in corpore Antichristi, quia portionẽ cum illo habere nolo: sed membrum cupio esse Christi mei, uel infimum. Non possum nunc apertius. Tu hæc boni consulito. Viriliter age, & spera in domino, Basilææ. 19. Aprilis.

Hanc epistolã dedit dominus inseri epistolis Zuinglij & Oecolampadij minime alioqui auspicato euulgatis. Nã eo libro epistolæ quædã in primo calore disputationis sacramẽtariæ editæ, publico iterũ ingeruntur, quæ nõ tam cõcordiæ Ecclesiarũ, quam dominus hoc tẽpore largitur, & synceriori etiã atq; solidiori cognitioni horũ mysteriorũ apud nõ paucos afficiũt. Ad hæc cũ audiuissẽ excudi illas epistolas, idq; nõ sine dolore, & instituissem præfatione, quæ nomine alicuius Basilien sis operi prę mitteretur, nõnulla, quæ in illis epistolis de sacramentis imminutius scripta sunt, ac ideo offendere & multos possunt, implere, quo uiderẽt lectores, & huic ecclesiæ probari rectã de sacramẽtis fidẽ, sicut eam illa pridẽ amplexa est, & solide profitetur, quidam, dominus cõdonet ei, curauit, ut ea præfatio meo noie ederetur. Inde, cũ initio epistolæ habetur, cũ nos eas epistolas edidimus in uulgus, me multi existimarũt autorẽ esse, ut epistolæ istæ euulgarẽtur, idq; argumẽto esse, me cõcordiã ecclesiarũ circa doctrinã sacramẽtorũ haudquaq; uerã meditari. Cũ itaq; alio scripto nũc nõ licet, tibi Christiane lector hic testor mihi plurimũ dolere pleraſq; epistolas ĩ isto opere nõ pridẽ abolitas esse, sicut etiã in præfatione illa prælonga, quę itẽ nobis ignorantibus operi

operi præfixa est, minime probãtur, quæcũq; uel cõtentioni, uel nõ iustæ sacramẽtorũ explicatiõi cõmendationi ue patrocinari uidẽtur, tũ aliõs supra modũ attollere cũ aliorũ nota & deiectione. Sed de his aliâs, hic satis sit me purgare de ista editione.

Quod uero pie lector hic adduxi scripta M. Lutheri, Zuinglij & Oecolãpadij ac mea, de prẽsentia dñi in sacra cœna, id ne dubites me fecisse gratia promouẽdæ ueræ de sacramẽtis sentẽtiæ, & cõcordiæ ecclesiarũ, & nullius hominis uel studio uel fastidio, aut animo quenq; incessendi, aut etiã præter caussam ac meritũ extollẽdi. Noui in domino, M. Lutherũ de hoc mysterio, ut de omnibus quorũ cognitione uera constat religio recte sentire. Cũ itaq; in prioribus editionib. harũ Enarrationũ impugnarim sententiã de naturali uel unione corporis domini cum pane, uel inclusione cũ scriptiua in pane, itẽ de cõfirmatione cõscientiarũ ex sola externa sumptione sacramẽti, & hęc cõmẽta impugnarim, tanq; ea ingererẽtur uerbis Lutheri, quibus de hoc sacramento disserẽs usus est, officij sanè fuit, tã aduersus Lutherũ sic de Ecclesia Dei meritũ, q; erga ecclesiã Dei & Christũ ipsum aperte testari, me agnoscere uirum istũ ab istiusmodi cõmentis alienũ esse, nõ sensu modo, sed etiã uerbis, ne quisq; occasione mei scripti, quod cũ scriptis Lutheri pugnare uidetur, existimet uel Lutherum, præsentiã domini in cœna domino indignã, uel me nullã præsentiã statuere. Zuinglij & Oecolãpadij sententiã, ut equidẽ illã intelligere potui, ideo memorãdã hic putaui, ut ij, apud qs scripta horũ autoritatẽ habent, uidẽtes eos haudquaq; nuda in cœna sine Christo symbola posuisse, & ipsi ueritati de hoc sacramẽto libentius accedãt, si ab ea exciderũt, & inhæreant firmius, si in ea perstiterunt: ij uero, qui à scriptis eorũ abhorrẽt, nusq; dona tamen Dei respuant, quæ istis nõ uulgaria collata fuere, maxime Oecolãpadio, quod uiri huius lucubrationes abunde testantur. Sed tandem ad Euangelistã reuertamur, explicaturi hunc de Eucharistia locum, ut nunc mea certa fert fides, & sicut docemur cum ex ipso uerbo domini, tum omni consensu usuq; ueteris ac melioris ecclesiæ. Dominus exempta omnibus suis cuncta contentione, præposteroq; studio atq; fastidio hominũ, donet ueritatem suam, & complecti uere, & promouere fœliciter, Amen.

Accepit Iesus panem.) Mos est iam olim religiosis Iudæis, ut cum ad mensam recubuerunt, paterfamiliás, aut alius qui ad eam mensam consedit dignior, panem sumat in manus, agatq; domino gratias, ac deinde fractum per partes distribuat conuiuis sumendum uelut è manu domini, priusquam alium cibum degustent. Ad finem conuiuij eodem ritu circunferunt & poculũ. In festis diebus etiam initio mensæ poculum eo ritu præmittunt. Hæc institutio ante incarnationẽ domini cõmendata Iudæis à sanctis patribus fuit, ut illi semper uelut coram domino, & ex illius manu cibum potumq; sumerent, indeq; prouocarentur ut Deo etiam toti uiuerent, à quo se adeo benigne ali agnoscebãt, atq; prædicabant. De hac institutione disserũt Thalmudici codice benedictionũ super illud Mose, cum satiatus fueris benedicas domino. Hunc morem cum sanctus esset, & ab ipsa pietate dictatus dominus libenter obseruauit, qui nimirum quicquid modo uirtutis est, & in gloriam patris commodare hominibus potest, studiosissime præstitit. Adhęc aũt uolebat hac nouissima cœna sua nobis solennẽ memoriã sui, & celebrationẽ mortis suæ cõmunionisq; suæ innouationẽ & incrementa instituere, loco, scilicet, tã multiplicis sacrificiorũ, quibus eadẽ mors eius præfigurata est tã apud Gentes q; Iudęos, etiã si apud Gentes cognitio mysterij huius prorsus publicitus abolita esset, illis solũ opus nõ significationẽ in sacrificijs spectantibus, quo tamen usu, ritus sacrificiorum à sanctis patribus minime traditus fuerat. Natura sic nos finxit Deus, ut in omnibus grauioribus actionibus symbola uerbis adijciamus. Quam enim emptionem maioris momenti, cuius præstantioris dignitatis traditionẽ sine certis signis faciamus? Hinc & olim omnis solennis diuinę beneuolẽtię cõmẽdatio, omnisq; sanctorũ, pfessio erga Deũ sua symbola habebat. Circũcisione fœdus Dei initiabatur, sacrificijs quasi cõfirmabat, manuũ impo-

Cur adhibemur symbola

sitione & unctione excellētiora munia conferebātur. Vt enim nos Deus cōdidit, ita ducit & regit nos, suaq; nobis beneficia cōmendat. Iam tota nostra salus constat eo, quòd Christus ipse, instaurator omniū quę sunt in cœlo & in terra uiuat in nobis, nostra enim caro & sanguis, id est, nostra natura tota ita deprauata est, ut regnū Dei, id est, uitā Dei, uerā solidāq; iustitiā percipere nō possit. 1. Cor. 15. cōmunioē itaq; nobis opus est carnis & sanguinis Christi, nos eius fieri mēbra, et ipsum nobis caput esse oportet. Istuc dominus agnosci & expeti à nobis poscit, idq; hoc certius & ardentius nunc q̄ olim, q̄ ipse nobis se nunc clarius & benignius per Euangeliū suū impertit, offert & exhibet. Vt uero nunquā, dum hic uiuimus, plena est in nobis ista cōmunio Christi & uita eius, nunq; enim est ille in nobis oīa, & nos omnia in eo sumus, itaq; semper quęrendū & expetendū nobis est, ut ille magis magisq; sit in nobis, et nos in illo. Ad id ergo nos, ut ad oīa bona, ipse prior uocat & inuitat, seseq; nobis offert & exhibet. Cum ergo hoc caput sit & summa totius salutis nostræ, uoluit dominus hāc sui oblationē & exhibitionē nobis nō uerbo tantū cōmendare, nec solo baptismate, symbolo ablutionis peccatorū, quā ipse tum nobis præstat, quādo se ita nobis impertit & cōmunicat, ut non solū ipsi incorporati simus, sed toti etiā eo induti, iuxta illud quotquot baptizati estis Christū induistis. Verū adiecit præterea & symbola cibi & potus, quibus tradit nobis carnē suā, qui uere cibus est, & sanguinē suū, qui uere potus est, hoc est, se ipsum, qui uere panis cœlestis & uiuificus, sustētatio & alimonia uitæ æternæ, quā, scilicet, nobis cōmunicat, dum est & uiuit in nobis. Ista uero uulgatissima in sacris omniū gentiū symbola, panē & uinū delegit, & ea distribuenda ritu uulgari & solēni antea & populo Dei instituit, quòd & publicare omnibus mortalibus religionē uellet, & eam amplitudinē spiritus largiri, ut signa cōueniret adhibere cum paucissima, tum uulgata & simplicia. Sic enim est & baptismatis symbolū, quo nō apud ludęos tantū, sed apud omnes gētes initiatio ad religionē & omnē religiosam actionē fiebat. Vt itaq; libatio panis & uini in omni usu sacrificiorum apud oēs gētes erat, res quoq; tam simplex & parabilis, dñs eam sanctificare uoluit, & ecclesiæ suæ sacramētū facere, q̄ uerā ueri corporis & sanguinis sui cōmunionē suis īpertiret.

Cur adhibita symbola panis & uini.

Ex more ergo qui tā Gētilibus q̄ ludęis prīdē sanctus erat, accepit dominus primū quidē poculū, erat enim festū, & gratijs actis porrexit discipulis, iussitq; eos illud inter se partiri. In festis enim, ut dictū, à poculo domesticū istuc sacrificiū & mensæ sanctificationē auspicabātur, quanq; & poculo sanctificato cōuiuiū clauderēt. Hāc uero primā poculi libationē solus Lucas memorat, reliqui Euangelistæ tacuerunt, forsan ideo, quòd ea non fuerit pars sacramenti nostri, sed tantum ritus ueteris.

Accepit aūt mox & panē, cumq; gratias egisset patri, & bonitatē eius prædicasset, quod indubie solēniter, nec uno tantū & altero uerbo fecit, fregit & dedit discipulis. Ea, scilicet forma panes erāt ut cōmode frāgerentur, uti placentę. Huncq; panē distribuens & porrigēs dixit: accipite & manducate hoc est corpus meū. Sic habet Matth. & Marc. In Luca legimus dominū adiecisse, quod pro uobis traditur. D. Paulus habet, quod frangitur pro uobis. Panē ergo hic dedit dominus: panē igitur iubet accidere et edere. Sed addit. Hoc est corpus meū. Quod itaq; hic dedit, quod iussit accipere atq; manducare, id iam nō tantū panis erat, sed etiā corpus domini. Hoc ergo donum ipsum erat, panis symbolū modo erat, quo dominus donū hoc inuisibile & insensibile, uisibiliter atq; sensibiliter quia signis uisibilibus & sensibilibus tradebat, more quē natura duce obseruamus, ut dictum est in omnibus maioris momenti traditionibus rerum non uisibilium, ut sunt iura possessionum, dignitatum, fœderum. Sic circuncisione tradebatur olim communicatio fœderis Dei, impositione manuū & unctiōe munera sacerdotalia, prophetica, & regia. Ita dominus impertiebat oblatis sibi infantibus benedictionem uitæ, alijs sanitatē, cæco nato uisum præbebat impositione luti. Post resurrectionē dabat discipulis spiritum sanctum adflatu. Ad hūc itaq; modū dedit hic, et dat in omni sua cœna, quę eius instituto celebratur, pane uel

Quid dederit Dominus.

porrectione

A portectione panis suũ corpus, & uerũ, quia ꝗd est pro nobis traditũ. Nõ dixit, accipite et manducate, hoc sum ego, panis uitæ qui de cœlo descẽdi, sed seorsim tribuit corpus suũ symbolo panis, sanguinẽ symbolo uini, nõ ꝙ hæc seiuncta uel tũ essent, uel nunc sint, sed uoluit eo exprimere, se hostiã esse salutis nostræ, & morte sua nos, oblatiõe, scilicet, corporis & sanguinis sui restituere. Voluit solennẽ haberi in hoc sacrificio mentionẽ, nõ huius tantũ, ꝙ ipse uere panis cœlestis est, hoc est, una sustẽtatio nostri in uitã æternã, unus mediator noster, sed eius etiã, ꝙ morte sua nos in gratiã patris reduxit, sibiq; uindicauit, ut in nobis maneat cibus & autor uitæ.

Et accepto poculo.) Istuc dominus cœna peracta fecit, ut Lucas testatur & Paulus. Idq; itẽ ex more uetusto Iudæorũ, sed quẽ uertit hic in sacramentũ sui noui populi. Poculũ enim libabat is, qui peracto cõuiuio Deo gratias agebat, inde memorãt Euãgelistę dominũ iterũ gratias egisse. Instituit aũt usum huius poculi nobis ad agendũ gratias ob longe præstãtius donũ ꝗ̃ sit cibus & potus corporis, pro redemptione nostri sanguine ipsius factã. Et hinc uocat illud Apostolus, 1. Cor. 10. poculũ benedictiõis, id est, gratiarũ actiõis ꝗd benedicimus, id est, circa ꝗd, uel, ꝗd habẽtes in manib. ut D. Chryso. istuc Apostoli dictũ interpretatur, benedicimus dño, et prędicamus eius beneficiũ, ꝗd sanguẽ suo nos ab ęterna morte adseruit ĩ uitã ęternã.

Bibite ex eo omnes.) Iubet omnes bibere ex hoc poculo, communio enim cum sit sanguinis Christi, & cõfirmatio noui testamẽti, merito iubebat ex eo bibere ꝗt quot noui testamenti essent participes. Sic uisum est æternæ sapientiæ usum sacramenti huius instituere, at Romana sapiẽtia uidit melius esse, nõ omnes discipulos domini, & noui testamenti participes ex hoc poculo bibere, sed solos unctos sacerdotes. Nã dicere audet, Christũ anteq̃ impartiret discipulis hoc sacramentũ, conscraſſe eos omnes in sacerdotes. Ex quo quid sequatur nõ cõsiderãt, nã si ideo laicis non est poculũ sanguinis Christi impertiendũ, quia Apostolis sacerdotibus impartitũ est, eadẽ ratione cõsequetur, nec panẽ corporis domini Laicis dandũ. Vnde recte ille nuper sacrificulus, qui dixit, nec alterã sacramenti partẽ iure cõpetere laicis, sed esse eã illis ex gratuita dignatione cõcessam. Verũ de istis impuris & nihili homunculis nihil mirandũ si tam impia effutiãt. De Gersone stupeas, uiro certe religioso, & uerbo Dei plus multo fidenti, q̃ tũ uulgus Theologorũ solebat. Hic enim cum causſam illã uulgatã negati laicis calicis domini, cautionẽ ne quid temere efunderetur, uideret friuolã esse, uelletq̃ firmiorẽ adferre, hanc attulit, decore & usu huius sacramenti dignitatẽ sacerdotalẽ cõmendari laicis, neq̃ ecclesiã recte instituisse, ut sacerdotes partẽ huius sacramẽti utrãq̃, laici alterã tantũ sumerẽt. Sed miſsis istis nimiũ audacibus nugis, inhæreamus nos uerbo domini. Omnes ex eo bibite, quod dictũ uidetur dñs furori isti hominũ quasi prænidens eum oppositurus esse. Ad idẽ facit, ꝙ Marc. adjicit. Et biberũt ex eo omnes. Quod cũ præmissum sit apud hũc Euangelistã hisce uerbis: Hic est sanguis meus, cõtendunt nõnulli nõ hæc esse uerba exhibentia sanguinẽ domini poculo uini, ut quæ dicta sint post haustũ poculũ. At nõ sequitur dicta esse uerba hæc post epotũ poculũ, etiã si uerbis illis Euangelista præmiserit. Et biberunt ex eo omnes. Cum enim recitasset uerba domini iubentis omnes ex eo poculo bibere, subiecit statim Apostolos id feciſse, quod erãt iussi, & si satis pateat, dominũ exhibẽdo poculo dixisse illud. Hic est sanguis meus. Conuenit formæ positæ in Matthæo & Mar. cum forma posita à Luca & Paulo, quòd dominus hoc sacro poculo offert & donat simul sanguinẽ suũ & nouum testamentum, qui sanguine Christi constat: differunt aũt inter se, quòd in forma Matthæi & Marci sanguis domini, in forma Lucę & Pauli testamentum nouum proponitur.

In his itaq̃ locutionibus, Accipite & manducate, & bibite, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus noui testamenti, uel nouum testamentum in sanguine meo, tropus synecdoche est. Cum enim ait Dominus, accipite, manducate, bibite, duas res offert & sumere iubet simul comprehensas, terrenam & cœlestem ut ait Ire-

Qui tropus in his uerbis.

næus,

neus,perceptibilem sensibus,& perceptibilem mente,terrenam & patentem sensi-
bus,panem & uinũ,cœlestem oblatam fidei, corpus et sanguinem domini,atq; cõ-
stans his nouum testamentũ,illa symbola,hæc res symbolorũ & uera dona sunt.Ita
habet pronomen ὅς,id est,hoc:id enim non modo panẽ & poculum, sed simul ac
præcipue demonstrat & exhibet corpus & sanguinẽ domini,ac testamentũ nouũ.
Duplex enim demonstratio est ad sensum & ad intellectũ, ita ut in omnibus locu-
tionibus fit,quibus signo aliq; uisibili ostenditur et exhibetur res inuisibilis.Ita Epi
scopi tradentes facultatẽ sacri ordinis,et in academijs facultatẽ profitendi bonas ar
tes,prebẽdo librũ,uel calicẽ,uel pedũ,pileũ et huiusmodi,alijs signis uisibilibus o-
culis, aliud uerbis intellectui demonstrãt & exhibẽt.Ita erat & illud domini ad di-
scipulos.Accipite spiritũ sanctũ,cum insufflaret in eos. Duas enim res simul exhi-
bebat & tradebat,sensibus adflatum,menti spiritum sanctum.

Hoc enim est sanguis meus.) Lucas hæc uerba describit in hunc modũ:Hoc po
culum nouũ testamentũ in meo sanguine.Paulus eadẽ uerba refert,nisi quod expri
mit, est.Nemo uero dubitarit,quin hic Lucas et Paulus sensu eadẽ uerba retulerit,
quæ Matthæus & Marcus,qui habet,hoc est sanguis meus noui testamẽti.In utraq;
uerborũ forma clarissimũ est,hoc poculo, dominũ offerre et exhibere duo, sangui-
nem suũ & nouũ testamentũ.Nouũ enim testamentũ fructus est sanguinis Christi
& effusi in cruce,& in nobis manentis, eoq; ultimũ & summũ in hac exhibitione
mystica:hinc illud priore loco expresserũt Lucas et Paulus.At qa sanguine Christi
nobis fœdus cõstat,addiderunt,in sanguine meo.Sensus itaq; est uerborũ domini,
ut ea Lucas & Paulus expresserunt; Accipite & percipite hoc poculo fœdus nouũ
gratiæ,confirmatũ uobis hoc ipso sanguine meo,quẽ simul à me hic accipite & bi-
bite.Istuc postremũ,exhibitio sanguinis Christi bibendi,& si nõ adeò aperte in uer
bis domini,ut ea memorant Lucas & Paulus,exprimitur,tamen exprimitur euidẽ
tissime in eis,ut ea ponuntur à Matthæo & Marco.Scribunt enim hi,Accipite,bi-
bite ex eo omnes,& dixit eis, hoc est sanguis meus noui testamenti. Quæ uerba
quid aliud uolunt quàm,Accipite,hoc poculo,& bibite sanguinẽ meum, quo uer
bis confirmatur atq; eo simul impartitur fœdus meum nouum.

Ex his liquet,credendã & confitendã esse ueram in sacra cœna præsentiã, & ex-
hibitionẽ corporis & sanguinis domini,hoc est, domini ipsius, simulq; noui testa-
menti,id est,fœderis gratiæ & remissionis peccatorũ,quæ & ijs uerbis exprimitur,
quod traditur pro uobis,qui effunditur pro multis in remissionẽ peccatorũ. Hę res
sunt sacramenti huius, quarũ gratia tota hæc actio instituta est. Recte igitur & ex
ipsis uerbis domini dicitur,cum his rebus,quæ uidentur pane & uino donari hic,
præberi & accipi corpus & sanguinẽ domini,atq; remissionẽ peccatorum,ubi mo
do hæc institutio sacramenti rite,ut à domino tradita est,celebratur.

Nec pugnat cum hac confessione,uel quæ de ueritate humanæ naturæ in Chri-
sto,uel de glorificatione eius cœlesti scripturæ habent.Christus nõ solum ut Deus,
sed etiã uerus homo,mediator & seruator noster est et instaurabit omnia,ut uerum
itaq; hominẽ esse eum nobiscũ,& in nobis oportet.Dixit enim ego iterum ueniam
ad uos,mansionẽ apud uos cum patre faciam. Qui manducat meam carnẽ & bibit
meum sanguinem ille in me manet,& ego in eo.Hæc aũt domini apud nos,etiam
ut caro & sanguis,id est,ut homo est,præsentia & mansio,& in sacra cœna per sym
bola præsentatio & exhibitio, ut præsentem amplius nobis, & agentem in nobis
amplectamur, non fit aliqua ratione naturæ, nulla cum sensibilibus signis com-
mixtione aut inclusione, nulla mutatione loci, uera tamen est ac realis, quia non
ficta & imaginaria, quia uerbo Domini testificata, quanquam & effectus huius
præsentiæ & inhabitationis sanctis clare sentiantur. Proinde nihil ista præsen-
tia & exhibitio in Domini sacra cœna uel humanæ in Christo naturæ derogat,
nec locis illis, qui testificantur eum relicto mundo concessisse in gloriam patris.

His

His nanq; locis nihil potest inferri, q̃ Dominũ iam non hic agere patibili ratione, & uita sensibus perceptibili. Ista testificatione de abitione sua è mũdo ad patrẽ, certum est, dominũ nihil docere amplius uoluisse, q̃ se ex ratione uiuendi huius seculi erumnosa & sensibus exposita, in glorioſam ac cœlestẽ uiuendi rationẽ cõcedere, quæ propria est resurrectionis & futuri seculi. Hæc ratio futuræ uitæ sic habet, ut sicut eam nec oculus uidit, nec auris audiuit, ita nec in cor hominis uenire possit, hoc est, ratione nostra cõprehendi. Nihil itaq; de eo firmũ affirmari potest, an dominus corpore suo circumscriptus sit loco aliquo cœli, ut D. Augustinus et alij patres aliqui scribũt Cum nemine itaq; ea de re cõtendẽdũ certo uerbo Dei nostra omnia niti necesse est, Attamen ut sol uere uno in loco cœli uisibilis circumscriptus est, radijs tamen suis præsens uere & substãtialiter exhibetur ubilibet orbis, ita dominus etiã si circumscribatur uno loco cœli arcani & diuini, id est, gloriæ patris, uerbo tamen suo & sacris symbolis uere & totus ipse Deus & homo, præsens exhibetur in sacra cœna, eoq; substantialiter, quam præsentiã non minus certo agnoscit mens credens uerbis his domini & symbolis, q̃ oculi uident & habẽt solem præsentem demonstratũ & exhibitũ sua corporali luce. Res ista arcana est, et noui testamenti, res fidei, non sunt igitur huc admittendæ cogitationes de præsentatione corporis, quæ cõstat ratione huius uitæ etiamnũ patibilis & fluxę, uerbo domini simpliciter inhærendũ est, et debet fides sensuũ defectui prębere supplementũ. Hoc qui studẽt, ijs facile de hoc sacro cõueniet. Abominatio qua hoc sacramentũ à pseudoepiscopis & falsis doctoribus tantũ non oppressum est, in ea tota cõtinetur, q̃ cunctã uulgi admirationẽ & fiduciã erga hoc sacramentũ in præsentia fixerunt sacramentali, nulla prope ueri usus eius facta mentione. Inde uidere modo symbola studet, externe ornare, honorifice collocare, spectaculo proponere, atq; magnifica põpa circũferre, ad quæuis mala arcẽda, & bona cõcilianda, sine omni cogitatione uel pœnitẽtię, uel sacrę cõmunionis, qua se dominus isto factamẽto nobis offert & exhibet. Istã abominationẽ cõmuni studio per uerbũ Dei ꝓfligamus, & uerã nihilominus præsentiã et exhibitionẽ hic domini nostri omnib. diligẽter cõmẽdemus, uiua fide amplectẽdã, et facile abstinebitur hic omnis error, puraq; obtinebit ueritas Christi.

Noui testamenti.) Ita uulgo reddere pridẽ instituerũt uocẽ διαθήκης, quæ tamen fœdus significat, id q̃ ברית in scriptura uocatur. Alludit quidẽ epistola ad Ebræos differens de nouo testamento, ad rationẽ testamentorũ, quæ conduntur hæreditatis disponendæ causſa, & rata tum demũ sunt, cum decesserunt testatores. Mortuo siquidẽ cœlestia nobis bona, uelut ex testamento exhibita sunt. Cæterũ ברית Græci interpretes bibliorũ διαθήκην, D. Hieronymus fœdus, alij testamentũ reddiderũt. Id cũ scriptura memorat, Deũ iciſſe cum populo uel ueteri uel nouo fœdus, significat pactũ illud, quo Deus pollicitus est, se fore populi sui Deũ, illũq; suſcepit in fidẽ suam, ut se Deo frueretur, id est seruatore & patre, seq; inuicẽ uoluntati Dei in omnibus addiceret. Vetus itaq; fœdus & testamentũ est, quo Deus suſcepit Abraham & semen eius Gen. 17. Deinde renouauit cum toto populo per Mosen in mõte Sina, de quo Exo. 19. & 24. & alibi per libros Mosi passim legimus per Iehosua iterũ, ut legimus ca. 24. libri eius. Nouũ fœdus & testamentũ est, quo Deus omnes Gentes suſcepit in populũ suũ per Euangeliũ, de quo fœdere prophetæ multa prædixerunt, ut Iesa. 54. 55. 59. 61. Iere. 31. describitur fœdus hoc per remiſſionẽ peccatorum, & amplitudinem spiritus omnibus electis impertiendi, ut cognoscant dominum à minimo usq; ad maximum, inscripta lege Dei in cordibus eorum. Huius fœderis & prisci sanctũ participes fuere, sed non tam reuelatè & potenti spiritu, ut exaltato Christo. Vnus siquidem mediator est Dei & sanctorum omnium, nec quiſquam unq; placere Deo potuit, cui non essent remiſſa peccata, & lex Dei aliquo modo in corde scripta. Sanguis Christi unũ cũctis sanctis pretium redẽptionis est.

At

At sicut reuelatio plenior ueteris fœderis eodem quidem sanguine, Christi sancita fuit, Exo. 24. sed sub typo tamen sanguinis pecuini: ita nouum nullo alio sanguine sancitum est, quàm Christi ipsius. Statim enim à morte & resurrectione Domini prædicari cœpit Euangelium omni creaturæ & colligi populus nouus. Hinc ait Dominus se dare & sanguinem noui testamenti, hoc est, quo testamentum hoc nouum sancitum est, & testamentum ipsum hoc sanguine firmatum. Eo siquidē nos Deum patrem agnoscimus & adoramus uero spiritu, nouiq; fœderis gratiæ uere participes sumus, quòd uiuit in nobis Christus, & contingit nobis ipsius caro & sanguis, & sumus caro de carne eius.

Quod pro multis effunditur.) In sanguine est mortis expressio, ea sit peccatorū piatio, huius uoluit nos Dominus his uerbis admonere. Pro multis ait, non enim omnes pretium hoc salutis recipiunt. Omnia uerba Domini eo pertinent, ut agnoscamus per Dominum nostrum Iesum Christum nobis peccata remitti, & uitam æternam constare, qua tum, scilicet, potiamur, cum ipse uiuit in nobis, non nos, & nos in illo, non in nobis. Id quia nunquam dum hic sumus completur, uoluit Dominus se hoc sacro nobis identidem offerre & exhibere. Donet ipse ut eum uera fide amplectamur.

Hoc facite ad mei commemorationem.) Istuc dominus bis dixit, ut Paulus hæc Domini uerba exponit, & cum panem præbuisset, & cum poculum. Voluit siquidem Dominus hoc sacramento instituere solennem sui cultum & cærimoniā præcipuam, qua loco omniū sacrificiorum & cærimoniarū ueterum fidem nostram aleremus & pietatem omnem instauraremus. Hinc cum prædicatione mortis Domini, & totius operis nostræ redemptionis, adiunctis precibus, & collatione in pauperes, celebratur hæc cærimonia à sanctis iam inde à tēpore Apostolorū. Quā obseruationem cum prisca & uera Ecclesia Christi maximi semper fecit, summaq; religione coluit, ut in qua cunctę religiosæ actiones cōiunguntur & summātur, eā miseri homines, qui iam aliquot seculis Ecclesias depascuntur non pascunt, ad impium quæstum & euersionem fidei in Christum peruerterunt, Dominus restituat eam Ecclesiæ suæ, utq; ad id nos ei, quibus lucem Euangelij sui impertiuit, fœliciter ministremus, repudiatis cunctis friuolis & impijs contentionibus, quàm simplicissime in hac cærimonia omnia ex uerbo Christi intelligamus, æstimemus, & perficiamus, Amen.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Et cum hymnū cecinissent, exierunt in montem.) Vetustam traditionem fuisse Iudæis, affirmat Paulus Burgen. ut comesо agno paschali, psalmos, Laudate pueri Dominum cum sequentibus, usq; ad psalmum: Beati immaculati qui ambulant in lege Domini, hoc est, à 112, usq; ad 119, decantarēt, & hunc hymnum esse putat, quē hic Christus cum discipulis suis cecinit. Quorum certe psalmorum materia, cum eo, quod agno paschali memorabatur conuenit, ut non sit uero dissimile, hos psalmos à Domino decantatos fuisse. Notandum præterea Dominum à laude Dei, & cœnam incepisse, & finisse, ita & nos decebat, continuo Deo gratias agere. Memorata nanq; crebro Dei in nos bonitas, in ipsius nos amorē raperet, & à malis omnibus abstraheret.

Post hunc hymnum dictum, mihi uidetur uerosimile, Dominū a cœna surrexisse, & discipulis pedes lauisse, indeq; orationem illam longam, quam Ioannes conscripsit, partim in domo, partim in itinere ad montē oliuarum, habuisse. Nam non uidetur, quo loco cōmode institutio Eucharistiæ historiæ Ioannis, post lotionem pedum inseri possit. Sed & mire ad mysterium donati corporis & sanguinis Domini quadrauit, tum exemplum illud humilitatis, & mutuę officiositatis, tum totus post illud habitus sermo. Illud de Iuda forte Ioānes, qui de Eucharistia nihil meminit, repetijt,

repetijt, eò quòd narrationi aliorum ſuam erat interrogationem adiecturus.

In montem uero oliuarũ Dominus non nunc primum egreſſus eſt, ſed ut Lucas habet, ita ſolitus erat. Nam uti & ſuprà ex Luca adductũ eſt, ſolebat illis diebus, ab ingreſſu ſuo in urbem magnifico, interdiu docere in templo, noctu uero diuerſari in monte, qui uocatur oliuarum. Atq; hinc tradendi ipſum abſq; turbis Iudas accepit opportunitatem. Quam Dominus ſciens quid ille moliretur ultro dedit, quum antè ſæpe fugerat, quia nondum aduenerat hora eius. De ſtudio uero precandi, cui ſe Dominus hiſce diebus plus quàm alijs dedit, dictũ eſt ſupra 21. in illud: Et relictis illis exijt, & ſupra 14. Ac dimiſſis turbis aſcendit in montem. Lucas memorat & hic contentionem factam inter diſcipulos, quis eorũ uideretur eſſe maior. Singula uero uerba tractata ſuprà ſunt, partim 18. initio, partim 20. in illud: Et cum audiſſent deceſſem. Illud autem, & ſedentes ſuper thronos, &c. tractatum eſt ſuprà 19. in illud: Tũc reſpondens Petrus, dixit ei: Hoc ſolum peculiare Lucas adiecit. Vos autẽ eſtis qui permanſiſtis mecũ in tẽtationibus meis, & ego diſpono uobis, ut edatis ſuper menſam meam, &c. quaſi diceret: Quid cõtenditis inter uos, quis ueſtrũ maior ſit: Quin à me diſcitis alijs miniſtrare, quanto enim quiſq; pluribus miniſtrarit, tanto erit maior: Sed bono animo eſtote, ſinguli maximi eritis. Vos enim humilitatis uiam mecum triſtitiæ permanentes mecum in tentationibus meis, quas à Iudæis pertuli, & ob quas etiam fratres mei me uitarunt, factusq; fui amicis quoq; offendiculum, me cum igitur & regnabitis. Omnes labores & erumnas abunde uobis cõpenſabo. Diſpono enim iam uobis regnum cœlorum, ſicuti mihi Pater illud diſpoſuit, quo pleno iure fruamini, mecũ in illo ſuper mẽſam meã comeſturi & bibituri, hoc eſt, cunctis uitæ futurę delitijs & gloria mecũ pariter fruituri. Ad illa igit futura animos erigite, mittẽtes ſomniũ hoc de præſenti iſta fœlicitate & dignitate, hic ſeruiendũ eſt, alibi regnabimus. Quàm blande uero corripuit peccantes eo, quod maxime ſuo regno aduerſabatur, & cuius cauſſa, tam ſæpe iam eos caſtigarat, tum peccantes tempore alieniſſimo. Ipſe enim iam abibat pro eis moriturus, & illi contendebant inter ſe de principatu terreno.

Tunc dicit illis Ieſus. omnes uos, Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13.) A Matth. & Marco. Zacariah teſtimoniũ hic adductũ eſt, quo monemur certa omnia Dei diſpenſatione fieri, & magni adeò Chriſti mortẽ Patri habitã, ut ſingula ferè quæ paſſus eſt, per prophetas ſuos prædixerit. Nimirũ ut ſalus electorũ, ita & gloria Domini, per hanc unã inſtauranda erat. Magni igit & nobis ſit, quo per ipſam ſperemus omnia. Pro uaticiniũ habetur Ebræis ad hunc modũ. Gladie excitare contra paſtorẽ meum, & contra populare meum, dixit Dominus exercituũ: Percute paſtorem & diſperge tur grex, & reducã manum meã cõtra minores, &c. Paſtor Domini bonus Chriſtus eſt, idẽ uir popularis Dei, dilectus nimirũ filius. Super hunc excitari gladium Dominus iubet, hoc eſt, perſecutionẽ mouet, in qua ipſo detento, ac iam pcuſſo, diſperſus utiq; fuit non grex reliquus modo, ſed etiã hi Apoſtoli ſelectiores gregis arietes, fugerũt enim omnes, ipſo ſolo inter manus hoſtiũ relicto, idq; quia fides in ipſum nutrabat, ſperauerant, nõ ſperabãt iam, ipſum regnũ Iſraëli reſtituturũ. Hi ipſi minores illi ſunt contra quos Deus manũ ſuã exeruit, dum tanto metu eos examinaret, eãq; in tentationẽ labi ſineret ut à magiſtro & ſeruatore ſuo tam fœde cõtra datã modo fidẽ diffugerẽt. Etſi autẽ uerbis, quantũ de oraculo hoc adductũ eſt, nonnihil ab Ebraicis uariet, ſententia tamẽ eadẽ eſt. Quod uero diſcipuli omnes, præcipue autẽ Petrus, alienũ adeò à ſe putarunt, ut Chriſti cauſſa iã periclitantis, offendiculũ paterentur, hoc eſt, à fide in ipſum exciderẽt, in cauſſa extitit, eximius ipſorũ erga illum amor, quo cũ Petrus admodũ arderet, cõmoriturũ etiã ſe antea teſtabatur, q; eũ negaturũ. Qui in eo cũ reliquis peccauit, quòd ſibi nimiũ fideret, & plus ſuo animo q; Domino prædicenti eius defectionẽ crediderit. Vtinã autẽ hodie in multis Chriſti

T diſcipulis

discipulis esset uel hic animus, quanquam illa sui fiducia omnibus deprecanda sit.

Lucas præterea memorat, Dominũ Petro dixisse: Simon Simon, ecce satanas expetiuit uos, &c. In quo notatur, mala omnia satanæ ministerio fieri, unde in oratione dominica recte docemur precari: Libera nos à malitioso & malefico, id est, diabolo. Deinde Petrũ huius præ alijs monuit, quia erat præ alijs casurus. Ideo autẽ cadere præ alijs debuit, quod ipso statuerat dominus ad proferendã suam gloriã, præ alijs uti. Ad hoc opus erat animo modesto, sibiq; nihil fidente, qui possit facile ignoscere alijs, istuc eum suo ipsius casu discere oportuit. Hinc dicebat ei Christus: Sed ego rogaui pro te, ut nõ deficiat fides tua, & tu aliquando cõuersus, cõfirma fratres tuos. Vrgent hunc locũ Romanæ potestatis defensores, eò quòd peculiariter dominus dixerit Petro, rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, cũ dixisset satanam & alios expetiuisse, contendentes hinc colligendũ, solam Romanã fidẽ certã esse, neq; unquã defecturã, eoq; ut infallibilẽ regulã in omnibus consulendã & sequendam. Quod recte contenderent, si probatum esset, Romã Petri fidẽ habere. Pro hac enim Dominus rogauit, ne deficeret. Sed si à fructibus æstimanda arbor est, diuersissima est Romæ fides à fide Petri. Subijcit his Lucas, Dominum interrogasse discipulos, si quid eis defuisset, cum miserat eos sine sacculo & pera, &c. Et respondentibus, nihil præcepisse, ut nunc qui sacculũ haberet, tolleret eum, &c. Hæc uero uerbotim enarraui suprà capite decimo.

Satanas expetiuit uos.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Tunc uenit Iesus cũ illis in uillã, Mar. 14. Luc. 22. Ioan.) Selectiores qui gloriam suã antè uiderant assumit ut & humilitatẽ conspiciant. Pariter diligebat discipulos omnes, sed referebat gloriæ Domini, ut uaria haberent dona, hinc non fuit ad eadẽ usus singulis. Sic & apud nos syncera dilectio, p̃miscue quidẽ omnibus benefacere studet, ordinem tamen rerum non confundit, ut filium haberet loco patris, seruum loco principis, sed in suo quenq; ordine, suoq; loco amplectitur & fouet.

Mœsta est anima mea usq; ad mortem, Mar. 14.) Hanc mœstitiam simplicissime intelligo, ex horrore imminentis supplicij ortam, nam in precatione sua hoc potissimum uisus est deprecari. Vt sanè per calicem, illud & suprà 20. intellexit, cum diceret filios Zebedæi calicem bibituros, quem ipse bibiturus esset. Verus nãq; homo Christus fuit, eoq; necesse erat naturam eius mortem horrere. Vnde dicebat, non mea pater, sed tua uoluntas fiat, suam uoluntatem, naturæ desiderium uocans. Atq; in eo nihilominus anima, id est, uis illa naturæ inferior, pro sua portione Deo obtemperauit. Itaq; ut dominus supplicium ultro pertulit, & doluit tamen, ita ultro quoq; ad illud sese obtulit, & contristatus tamen fuit usq; ad mortem. Sic enim per omnia pati ipsum oportuit. Sanè non est tormentum homini, quod eum nullo afficit dolore. Neq; uero patri aduersatus fuit, hac tanta mœsticia animiq; perturbatione, quia nec pater eum pati absq; tristitia & dolore uoluit. Etiã patris uoluntas erat, ut Ierusalem excinderetur, id tamen debuit Christo dolere, ut illachrymaretur. Dixi & aliàs, Deus homines humana ratione ducit, neq; dum homines & mortales in hoc seculo etiamnum agunt, requirit, ut angelos uiuant, sed postulat ut suam gloriam in omnibus quærant, idq; pro sua ratione.

Mœsta est anima mea.

Pater mi si possibile est, &c. Mar. 14. Luc. 22.) Hæc Christi precatio, non tam precatio, quàm quædam luctantis cum pauore animi, apud Deum querulatio fuit. Calicem enim sciebat hunc sibi à patre mistum, neq; fieri posse, ut à se transiret, aderat præterea, ut illum hauriret, sed ut nulla sui portione non eximie excruciaretur, ita pauere & horrere ipsum oportuit, ut pugnantem istam precationẽ summus ille pauor, maximaq; animi trepidatio ei extunderet. Pater mi, inquiebat, si possibile est, transeat à me calix iste, & sciebat tamen id impossibile esse, quia secus erat à patre, ut dixi, definitum, unde quicquid huius dixit, nihil nisi laborantis & angustiati animi querulatio

Pater mi, querulatio, non precatio fuit.

querulatio,& nequaquam iusta precatio fuit,etsi oratio uera fuerit. Neq; enim sem per in oratione,quæ ut suprà 6. disserui,serium est cum Deo colloquium, aliquid pe timus,sed etiã querimur,nonnunquã & gratias agimus. Sic dicitur secundò orasse, & dixisse, Pater mi si non potest hoc poculum transire à me,nisi bibam illud,fiat uo luntas tua. Quid quæso hic petijt? potius sese uolũtati patris dedidit, remittens eius rei petitionem,quam natura cupiebat. Neq; alia sanè & illa oratio fuit, in qua Lu cas ipsum scribit hæsisse prolixius. Profecto incomparabili animi dolore excrucia batur,huius erant istæ uoces,sibi planè pugnantes, huius erat, ut in terrã cadens se orsim à discipulis cum patre loqueretur,hic denicq; sanguineum istum sudorẽ ei ex pressit. Eiusdem magnitudinem & illud probat,quod ut Lucas quoq; memorat, an gelus ei apparuit de cœlo,corroborans eum. Ingentis sanè cruciatus documentum fuit sudor ille sanguineus,quem memorat Lucas,& planè miraculũ quoddã. Quan quam sic sit humani corporis natura,ut sudoris uice sanguinẽ tenuem emittere pos sit. Id enim accidere ictis ab Hæmorrhoo serpente medici scribunt. Fieriq; potest,ut & hic quem sudauit Christus,tenuior reliquo sanguis fuerit. Vere tamen sanguinẽ fuisse nihil dubitandum est. Quod enim Lucas scribit,factus est uero sudor eius tan quam gutte sanguinis decurrentes in terram,non sic accipiendum est, quasi dicere uoluerit seruatorem emisisse sudorem similem guttis sanguinis, ut ipse tamen san guis non fuerit. Ad quid nanq; sanguinis potius,quàm aliarum rerum liquidarum guttas meminisset? Sed intelligendum est sudorẽ decurrisse sanguineis guttis. Vo cula siquidem ὡσεὶ non tantum similitudinem significat, sed etiam ueri speciem,ut Ioan. 1. Vidimus eum tanquam unigenitũ: hic ὡσ habetur, cui idem pollet ὡσεὶ. Sed quid interim discipuli,dum ita discruciaretur ac torqueretur eorũ magister & serua tor,quorum caussa,ut electorũ omniũ,Christus ita afflictabatur? Dormiebant, etiã moniti ut uigilarent & orarent, ne in tentationem imminentem eis inducerentur, & moniti carnem esse infirmam,quamlibet spiritus promptus uideretur. Sed & Pe trus ille cum Domino moriturus,& quidem nominatim obiurgatus, quòd nõ pos set,uel horam unam cum ipso uigilare,dormiebat. Adeò frustra est omnis monitio, cum deest suscipiens illam spiritus. Non frustra tamen illos hic Dominus monuit. Vnde postea cum ipsi spiritu plenius donati,tum innumeri alij magnopere ædifica ti fuere. Ex illo autem,quod Christum hic dixisse legimus,Pater mi, Abba pater,do cemur hæc duo in primis in oratione requiri, ardentem animi affectum, & uere fi lialem erga Deum fiduciam,quæ duo Christo fuisse hic uoces istæ testantur. Soli tudinem præterea petijt serio oraturus, quod ita ferat natura orationis ardentioris, de quo suprà 14. Præterea ex his omnibus,quæ hic Dominum & pertulisse,& fecis se legimus,monemur primũ,ut de ipso seruatore nostro omnia nobis polliceamur, ut qui tanta nostri caussa sit perpessus,tum ut nos membra eius, qui ad gloriã ipsius adspiramus, libenter etiã similia patiamur, denicq; ut in timore Dei solicitissime ui uamus, ne in mortem rursum indulgendo cupiditatibus nos ipsos precipitemus,à qua tantis nos dominus cruciatibus adseruit: quæ tria quidem,per singula quæ pas sus Dominus est,nobis perpendenda sunt, ut ita in Deum fides, erga proximos di lectio,& erga proprium corpus continentia atq; puritas,hoc est,absoluta pietas in crementum in nobis sumat.

Duo præcipua interpretatione.

Deinde monemur hinc, ut si quando magnopere etiam contristet & adfligat im posita à Domino crux,ne eo nomine nobis nimium displiceamus,quando hic uidi mus, tantopere doluisse & perturbatum fuisse Christum. Neq; enim crux est,quæ non cruciat,aut patientia sine dolore. Nequaquam exigit à suis Deus, ut mala non sentiant,sed ut perferant,hoc est,in sua uoluntate quamlibet illis adfligantur,perdu rent. Sic uidemus hic Christum,non quidem absq; indicibili cruciatu oblatum à pa tre calicem susscepisse,sed susscepisse tamen,neq; à duro adeò mandato patris,acerbi

tate cruciatuum fuisse absterritum. Ad hunc ergo modum patientia sancto rũ in eo sita est, ut à iussis Dei, nulla quantalibet adflictione detorqueantur, nequaquam autem ut adflicti non doleant. Imò quanto magis imposita crux ipsis doluerit, & tamẽ eam pertulerint, tanto præstantior est ipsorum patientia: tolerantiam nanq; non indolentiam præstare debemus.

Vt indulgentißimo patri queri poßumus omnia.

Postremo admiranda patris hic facilitas & indulgentia obseruanda est, cui sine offensa quoslibet animi nostri æstus queri possumus, idq; non sine magna eius consolatione. Adflictabatur supra modum horrens mortẽ anima Christi, huius æstus et motus proponere & queri patri Christus haudquaquam ueritus est, licet sciret eos ex diametro cum uoluntate patris pugnare, quibus nimirum si obsecundatum fuisset, salus totius mundi, summaq; gloria patris intercepta fuisset. Sed licet animi sui anxietatem patri quereretur, ipsius tamen in primis uoluntati parere, nõ suo animo supplicium natura horrenti obsecundare uoluit. Id itaq; patri adeò non displicuit, ut misso angelo eum fuerit cõsolatus. Fuit enim hæc animæ Christi summa perturbatio, & anxia querulatio ueri hominis, & ita decebat per omnia tẽtatum fratribus ipsum assimilari. Denicq; patris uoluntas fuit, quod & suprà dixi, ut suppliciũ perferret non absq; animi tormento, alioqui si animo suo omnia arrisissent, quid pertulisset? Perpendant probe itaq; tẽtati hoc Christi exemplum, cumq; animi adflictione nullum sit supplicium grauius, si eam immiserit Dominus, agnoscant hanc suã esse crucem, orentq; robur ab ipso, ne ad indigna tantum illa permoueantur. Sine hac enim nihil crucis nomen meretur.

ENARRATIO SECTIONIS VIII.

Tũc uenit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, Mar. 14. Luc. 22.) Amica Ironia & correptio fuit, qua significabat longe aliud, quàm dormiendi & quiescendi modo tempus appetiisse. Vnde subijciebat: Ecce appropinquauit hora, &c. Hinc ergo erat quòd obuiam ire capturis se uoluit, quos antè sæpe fugerat. Adest Iudas & osculo prodit dominum, cui nihil aliud Dominus, quàm amice ad quid ades? Iuda osculo filium hominis prodis, ut Lucas narrat. Hinc discamus, & domesticos nostros hostes ferre. Mirabilis uero dispensatio Dei, ut à discipulo, & quidem ex selectioribus uoluerit filium suum in mortem tradi. Indubie eo etiã indicare uoluit, nihil esse apud homines ab omni parte beatum, quãdo tam sanctissimus ordo, tale tanq; portentosum monstrum aluerit.

Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, Mar. 14. Luc. 21. Ioan. 18.) Iohannes scribit Christum, cum obuiam capturis se iuisset, interrogasse eos, quẽ quærerent, illisq; respondentibus, Iesum Nazarenũ, dixisse eis: Ego sum. Quo audito illi retro abierunt & in terrã ceciderunt. Tum iterum rogasse illos, quem quærerẽt, atq; rursum eis respondẽtibus, Iesum Nazarenum, se quidẽ ipsis permisisse, sed manda sse, ut sinerent discipulos abire. Quo uerum comprobaret, quod antè dixerat in oratione ad patrẽ, se neminẽ perdidisse ex eis, quos sibi pater dederat. Hoc facto dominus testatus est, se sua sponte supplicijũ adijsse, & in summa quoq; humilitate, ut Deo, ita omnipotentia, haudquaquam fuisse destitutũ. Id monet nos, ut nobis Dei uirtutem tum præcipue adesse non dubitemus, quando carne maxime infirmi sumus. Quod agnouit, & gloriatur Paulus. Notanda etiam hic est, emolliri nescia lumdæorum obstinatio, quos tam miraculosa uirtus nihil mouit.

Et ecce unus ex his qui erãt cum Iesu, Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.) Iterum prodidit ardentem suum erga Dominum amorem Petrus, ausus defendere magistrũ suum contra tam multos & eos armis instructos, cum duo tantum gladij eis adessent, & ipsi omnes ad nihil minus quàm pugnam idonei. Ita & nos nullã præ Christo, uel uitæ, uel periculorum rationem habere efficiet syncerus eius amor. Dominus autẽ qui non tantum uirtutem suam, sed cum incredibili tolerantia inuictam etiam bonitatem

A nitatem hostibus suis exhibere uolebat, iussit Petrum recondere in uaginam suam gladium, & restituit abscissam auriculam, ut Lucas memorat, addens: An non bibã poculum quod dedit mihi pater: An putas quòd non possim nunc rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ quod oportet sic fieri?

Quàm dispar uero hæc oratio, ei quam antea angustiatus ad patrem effudit? Suprà ait: si est possibile transfer à me hoc poculum, hic, an non bibam poculum, quod dedit mihi pater? Ergo illud non precatio, sed angustiati animi querela fuit. Nam inquit hic, an putas quòd non possum nunc rogare, &c. Semper itaq; in manu illi fuit, exorare patrem omnia, sed maluit ipsius uoluntati accommodare se, quàm deprecari, quod iure natura horrebat. Inde hic: Quomodo implebuntur ergo scripturæ, quæ, scilicet, prædixerunt quòd oportet sic fieri, quia utiq; sic à Deo definitum fuit. Iterum ergo monet inde consolationem petere, quòd electis filijs Dei certa omnia, & bona patris uoluntate eueniant.

Adiecit præterea hic Dominus sententiam prouerbialem: Omnes qui acceperint gladium, &c. Quæ cum mutuata sit ex eo, quòd Dominus sanguinem eius fundendum, qui alterius sanguinem fuderit, ac omnino & reliquas iniurias pœna talionis uindictandas præceperit, ut legimus 1. Moscheh 9. 2. Moscheh 21. 3. cap. 24. 5. lib. 19. satis constat, nequaquam contra magistratum qui iussa Dei perficit, & institutam diuinitus talionem, de noecntibus sumit, esse dictam, sed contra eos, qui suæ indulgent iræ, nulloq; iure gladio utuntur. *Qui gladio male utuntur.*

Hic quispiam occasionẽ fortè esse putet, respondendi de eo, an Christianus, à nocentibus & malis hominibus armis præter meritum petitus, à quibus uerisimile sit se liberaturum, si se armis defendat, necq; pateat locus fugæ, armis uti citra offensam Dei possit. Equidem nihil hic respondero certi. moneo autem ut qui Christi sunt, to B tos se eius spiritui committant, & ante oculos semper habeant, se oues occisioni destinatas, sed numeratos tamen pilos suos, angelosq; in ipsorum custodiam excubare. Sciant quoq; adeò omne ultionis à se desiderium oportere alienum esse, ut percussi in maxillam dexteram, citius obuertant sinistram, quàm ut de ultione cogitẽt. Sic cõparatos indubie ducet spiritus in omnibus, dabitq; in eiusmodi periculo constitutis, sicut & alias, ut nihil indignum se admittant, sicq; Deo uisum fuerit, ut iam mortem oppetant, ad meliora migraturi, immittet mentem, quæ horam hanc cum gratiarum actione amplectatur: si uelit uero diutius eis, hic ad salutem proximorũ, uti, seruabit eos à periculo, siue per miraculum, siue per fugam, cuius copiam facere potest, quamuis ab hostibus conclusis, siue denicq; etiam per defensionẽ quam Dominus faciat priuatum uice publica suscipere, secq; reipublicæ ciuem seruare, opera quam R. publicæ debet. Semper autem aberit animus proximo nocendi. Casus huiusmodi rari sunt & singulares: raro igit in eis & singulari opus est cõsilio spiritus. *An liceat Christiano se armis defendere.*

Tanquam ad latronem existis cum gladijs, &c. Marc. 14. Luc. 22.) Significauit his Dominus capientibus se, præcipue autem principibus sacerdotum, magistratibus templi, & senioribus, qui simul aderant, ut Lucas meminit, non esse potestatis ipsorum, quòd se caperent, alioqui iam pridem sibi manus iniecissent sedenti & docenti in templo, cum in id semper auidissime inhiarint. Nunc autem adesse tandem horam ipsorum, qua se pater potestati tenebrarum, quam ipsi exercerent, tradidisset secundum scripturas, eoq; libenter sese omnia perferre. Monemur ergo iterũ, unicuiq; rei certam suam horam à patre constitutam esse, libeat tantum manum eius bonam agnoscere, & illi nos ex animo subdere. Quia autem se potestati tenebrarũ penitus permittebat hic Dominus, diffugerunt mox discipuli omnes ipso relicto, scandalum passi, eò quòd cedere eum potestati tenebrarum uiderent. Marcus memorat de quopiam, qui sindone super nudum amictus Dominum fuerit secutus, &

cum eum adoleſcentuli apprehenderẽt,relicto ſindone,nudũ fugiſſe ab illis. Quòd in hoc narratum ab Euangeliſta accipio,ut oſtenderet quanta fuerit tum circa Dominum trepidatio,& quàm nemo ſuſtinuerit apud ipſum conſiſtere. Impleri enim ſcripturas oportuit,quæ prædixerunt fore,ut ab omnibus deſereretur.

ENARRATIO SECTIONIS IX.

At illi Ieſum duxerũt ad Caiapham principem ſacerdotum.) Ioannes meminit Dominum primum ductum ad Annam,ſocerũ Caiaphæ,pontificis anni illius,hoc eſt,qui tum pontificatu fungebatur,de quo ſuprà memini. Non enim ſuccedebant ſibi inuicem annuatim,ut quidam commenti ſunt. Subijcit autẽ illico Ioannes negationem Petri primam,inde interrogationem pontificis.Poſt quã cum ita ſubiungat:Et miſit eum Annas uinctum ad Caiapham pontificem, uulgo creditum eſt,ab Anna Dominum de diſcipulis ſuis & doctrina interrogatum , & apud eum Petrũ primum negaſſe,unde ſibijpſis poſtea iſti negotium exhibuerunt,quomodo narrationes reliquorum Euangeliſtarũ cum narratione Ioannis conciliarent.Sciendum ergo pontificem non uocari à Ioanne , niſi eum qui pontifex erat,nẽpe Caiapham, ad quem ſermone delapſus, cum eius meminiſſet, narrat ſimul quæ apud illũ geſta ſunt, priuſquam meminiſſet Dominum ad ipſum perductũ. Poſt aliqua igitur quæ geſta apud Caiapham memorauit,interiecit illud:& miſit eum,&c.Quod nõ aliter interiectum eſt,quàm ſi dixiſſet:Miſerat enim eum Annas ad Caiapham, uinctum adhuc,nolens,ſcilicet,ipſe aliquid cũ eo agere,ſed omnia deferre genero, tum pontifici,apud quem rerum ſumma Iudæis erat.

In huius ergo Caiaphæ domum,magiſtrum ſuum Chriſtum Petrus, & alius quidam diſcipulus ſecuti fuerunt, ſed à longe. Hunc diſcipulum alij Ioannẽ fuiſſe affirmant,ego id,cum nulla adſit peculiaris coniectura, affirmare non auſim,ſicut nihil refert.Secuti autem indubie fuerunt, poſtquam ex prima illa fuga animum reſumpſiſſent.Diſcipulus uero ille alius notus pontifici introijt in atrium, locutuſq; oſtiariæ,introduxit & Petrum. Hinc conijcitur fuiſſe aliquem Hieroſolymitanum hunc diſcipulum,aut ſaltem ex Iudæo. Vnde enim Ioanni Galilæo , & obſcuro piſcatori notitia cum tanto pontifice? At Petrus appellatus ab ancilla, num ex diſcipulis Ieſu eſſet,mox negauit.Relicto itaq; Petro cum ſeruis & miniſtris,apud prunas,in atrio pontificis Caiaphæ,Ioannes continuo narrat, quæ Dominũ pontifex interrogarit, quæq; apud illum fuerit paſſus,tum & reliquas duas Petri negationes perſequitur. Matth. & Marcus,narrato,ut Petrus eminus Chriſtũ uſq; in atrium ſecutus fuerit, atq; inter miniſtros ad ignẽ ſederit, memorant prius quæ cũ Domino pontifex, & conſiliũ egerint, atq; inde Petri negationes omnes tres ſimul exponũt. Lucas uero primũ omniũ Petri negationes,& poſtea quæ paſſus dominus fuerit,à miniſtris,inde demũ & quæ à conſilio. Negationes ergo Petri , quas diligenter & concorditer omnes quatuor Euangeliſtæ memorãt,monent,ne nobis ipſis fidamus,quòd ex nobis omnino nihil poſſimus. Stuporẽ Petri magis,pdit, quod Marcus narrat, prima negatione facta,& ipſo in ueſtibulũ egreſſo,gallũ cecinisſe.Id enĩ minime animaduertit,neq; ubi ſecundò gallus ipſo adhuc loquente,cantauit, animaduerſurus, nili ut Lucas habet, cõuerſus Dominus intuitus ipſum fuiſſet. Tum demũ uerbi domini recordatus,egreſſus eſt,fleuitq; amarè.Sic uero ſolent electi,ſimulatq; peccatum ſuũ animaduerterũt, nihil eſt quod æque illos excruciet , cũ reprobis ſuſq; deq; habeatur,quicqd peccarunt,donec ad ultimũ peccatũ agnoſcant,ſed cũ deſperatione, uti paulò poſt exemplũ in Iuda habebimus.Neminẽ cordatũ torquebit,quòd Matthæus & Marcus memorant,ad priores duas negationes Petrũ prouocatũ à mulierculis,Lucas autẽ & Ioannes tantũ ad primã: ueriſimile enim eſt appellato eo à muliercula,& ab alijs eũ appellatũ eſſe & rogatũ.Sed neq; de loco , quiſquam ſolicitus erit,quòd Ioan. uidetur ſignificare,primum interrogatũ ab oſtiaria,an ex diſcipulis Ieſu

Electis peccata dolent ſimulatq; ea agnouerint.

A Iesu esset, simulatq; fuisset atriũ pontificis ingressus, alij autẽ postea sedentẽ ad pru-
nas, quia nec Ioannes exprimit ipsum illico ubi intromissus fuit rogatũ esse, quanq;
scribit rogatũ esse ab ancilla ostiaria. Porrò eorũ quæ à pontifice, Caiapha nimirũ,
dominus interrogatus fuit, uidetur primũ illud fuisse quod Ioannes narrat. Id uero
accidisse uerisimile est, cũ primũ uinctus, illi in nocte fuisset adductus, nam concilium
mane primũ conuenit. Etenim ut flagrabat hic pontifex odio domini, non est dissi-
mile uero, ipsum simulatq; adductus in ædes suas fuit, appellasse. De hoc tamen cũ
nemine cõtendero, quia nihil absurdi sequit, si etiã quis putet & hæc mane, coacto
concilio esse cũ domino gesta, cũ reliquis, quæ cæteri Euangelistæ narrant. Nos ta-
men hunc ordinẽ in præsenti sequemur, ut quæ Ioannes narrat, in nocte accidisse
ante omnia accipiamus, inde à ministris dominum illusum & cæsum, quod Lucas
memorat, atq; tum demũ mane reliqua accidisse in concilio, à quo fuit præsidi po-
stea præsentatus. Fieri tamẽ potest, ut quæ Lucas passum Iesum ab ijs, qui ipsum te-
nebãt memorat, eadẽ sint cũ ijs, quæ Matthæus & Marcus mane pertulisse ipsum,
postq; concilio respondisset, narrant. Eo enim loci nihil Lucas memorat, ut uideri
possit, ea antè narrasse. Ergo pontifex, ut Ioannes scribit, interrogauit dominũ de
discipulis suis, & doctrina sua. De doctrina respondit, qua, pbata, & id quod discipu-
los sibi fecerat, defensum erat. Bona enĩ & sancta docẽti, uitio dari neq; adiungere
sibi discipulos. Videtur nanq; Caiaphas de discipulis dominũ rogasse, cupiens eũ
seditionis arguere, ut qui sibi discipulos legisset, quorũ opera fretus, regnũ inuade-
ret. Nisi fortè insultando ei, de discipulis & doctrina rogarit. Quasi dicat: Ecce Me-
schiah nostrũ & nouũ doctorem, cui acclamabat populus: Benedictus qui uenit in
nomine Domini. Vbi iã illa turba discipulorũ tuorũ? Quæ uero noua ista doctrina
tua? Sed prior sensus mihi magis probat. Dominus itaq; respondit se aperte omnia,
B & in occulto nihil locutũ, nimirũ, quòd nõ idipsum & in propatulo docuisset. Atq;
hæc responsio priori interpretationi fauet, uidet enim se hac responsione purgare,
quod nihil prauũ, aut seditiosum docuisset. Cæterũ mysteria quidẽ explicauit, secrè
to discipulis, quæ turbas celauit, ut suprà 13. testatus est, sed nihil illa in se mysteria
continuerũt, nisi quæ gloriæ Dei intererant, quã & ijs quæ palàm differebat unice,
& solã uindicabat. Tantũ explicatius illa discipulis tradebat. Ob hãc responsionẽ,
tanquã celsitudine põtificia indignã, unus ministrorũ alapã impegit Dño. Cui ipse
respondit: Si male locutus sum, testificare de malo, sin bene, cur me cædis? Sic obuer-
tit Christus maxillã alterã, ut monuisse hunc satis haberet, ulcisci nollet adeò, quod
citius, nõ alterã maxillã modo, sed totum corpus extremo exhibuerit supplicio. De
hoc exemplo, & suprà 5. in illud: Audistis quòd dictum fuerit, oculũ pro oculo, &c.

Vt Iesus ob-uertit maxil-lam alteram.

Post hæc existimo eos qui ipsum tenebant illusisse ei, cædentes, atq; obuelatam fa-
ciem eius percussisse, uaticinari eum iubentes quis se percussisset, multaq; alia con-
uitiatos ei fuisse, quæ nimirum Lucas memorat. Ea uero magis animo perpenden-
da sunt, quàm uerbis explicanda, satis enim omnia patent. Perpendenda uero sunt,
non ut uicem eius nunc gloriose ob hæc regnantis deploremus, quod solum stulti
prædicatores efficere paulò antè curabant, sed ut ingentem Domini erga nos amo-
rem nobis persuadeamus, qui tanta tamq; indigna, ipsum rerum omnium dominũ,
atq; æternum Dei filium, nostræ salutis caussa perferre coegit, quod tum, & ad sum-
mam uitæ decentiam, atq; erga alios beneficentiam nos incendat.

ENARRATIO SECTIONIS X.

Principes autem sacerdotum & seniores, & totum concilium.) Hoc concilium
coactum fuit, ubi illuxerat dies, ut Lucas habet. Animaduertendum autem, ut non
solum à malo Dominus, sed omni etiam mali specie alienus adeò fuerit, ut omnes
principes sacerdotum, seniores & totũ concilium nullũ falsum testimoniũ cõtra eũ
inuenire potuerint, quod uel mediocrem ueri similitudinem haberet, cũ plusquam

Summa Christi innocentia.

diligenter tamen quæsissent, & inter multos falsos adeò testes, qui suis mendacijs il C
lorum odio libenter inseruissent. Profecto incomparabilem innocẽtiam ubiq; præ
se tulerit oportet, non tantum seruarit, quòd in tanta inquisitione falsorum testimo
niorum, inueniri à talibus quidẽ hostibus aliud nihil potuerit, quàm quod de tem-
plo dixerat, quod tamen ipsum nihil in se criminis contineat, ut nec hostibus ido-
neum crimen uideretur. Surgit ergo pontifex in medium, & rogat Dominũ, quid
ad illa falsa testimonia dicat, cupiens ex ipsius responsione aliquid uenari, cuius
ipsum accusarent. Cum autẽ illa testimonia adeò nullius momẽti essent, ut ne ipsis
quidẽ infensissimis hostibus ꝓbarent̃, indigna ea Dñs habuit, ad quæ responderet.

Adiurat itaq; ipsum pontifex ut sibi dicat an Christus sit. Ibi ne uideretur nomen
Dei non satis uenerari, respondit: Si uobis, inquit, dixero non credetis, quod si etiã
interrogauero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis. Hæc Lucas. Quibus ratio-
nem reddidit silentij sui, nihil enim poterat loqui, quod frugem aliquam apud ipsos
adferret. Noluit enim uideri aliás ipsos contemnere. Sed pro gloria patris, & uerita
tis testimonio addit ad pontificem: Tu dixisti, ego sum, ut Marcus habet, & id con-
firmans, minatur simul eis, sensuros olim eos, se Christum esse, cum in nubibus cœ-
li uenientem conspecturi sint, sed & antea uisuros, sedere ad dexterã patris, hoc est,
post patrem rerum omniũ potestatem habere. Vt enim ij regibus à dextris sedere so
lent, qui secundum ipsos primi existunt, ita uiderunt hi Iudæi Christum à dextris se
dere uirtutis Dei, cum experti fuerunt ipsum licet filium hominis omnium potesta
tem habere, & secundum Deum primum omnium, cui pater, scilicet, dedisset iam
in manus uniuersa.

Quibus sanè uerbis aliud nihil quàm Christum esse sese aperte confessus fuit iu-
xta illud 110. Psal. quẽ Iudæis suprà Dominus obiecit: Dixit Dominus domino meo
sede à dextris meis. Vnde illud: amodo uidebitis filium hominis sedẽtem à dextris
Dei, &c. aliud nihil fuit, q̃ si dixisset: Si multa uobis modo dico non creditis mihi, D
ipsi ergo posthac & quidem mox uidebitis, quem nunc ut filiũ hominis contemni-
tis, uere esse Christum ad dexteram uirtutis Dei exaltatum, dum nequicquam gli-
scenti regno meo repugnabitis, cum inuitis portis inferorum prædicari per orbem
nomen meum audietis, ingentia signa & prodigia per spiritum meũ fieri uidebitis.
Præterea ubi finis aduenerit seculi, uidebitis uenientem in nubibus cœli, cum sum-
ma uirtute & maiestate, repensurum omnibus, qui in me patrem reiecerunt. Sic li-
bere & aperte, cum gloriæ Dei interest, etiam coram atrocissimis Dei hostibus ueri
tas confitenda est, quamlibet certi simus, ut hic Christus fuit, eos magis ea confessio
ne in nos illos iritaturos, quàm ad bonum ædificaturos. De hoc & suprà nonnihil
5. in illud: ne detis sanctũ canibus. Ad hæc pontifex, dilaceratis uestibus suis, blas-
phemasse Dominum exclamabat, neq; iam opus testibus esse cõtra dominũ, quan-
do ipse de se aperte adeò testaretur, se Christum esse, id quod blasphemiã morte uin-
dicandã omnes iudicarũt. Eaq; caussa, cũ ipsis non liceret contra sanguinẽ pronun-
tiare, uinctũ adduxerũt & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Hic primũ Matthæus
& Marcus memorant esse dominũ consputũ & cæsum colaphis, fuisseq; depalmatã
faciẽ eius, atq; omnino perpessum ea, quæ suprà ex Luca adduxi. Quæ, ut dixi, fortè
& hic dominus expertus fuit, equidẽ de huiusmodi cũ nemine cõtendero: Nos po-
tius expendamus ad quid hæc dominus passus sit, q̃ quomodo, quando hoc perpa-
rum ędificet, illud autẽ, fidẽ in Christũ, dilectionẽ erga proximos, & timorẽ in omni
uita nostra ꝓmoueat. Furor etiã hostiũ Christi cũ sua hypocrisi obseruandus est, ne
nimiũ turbemur, expti eadẽ. Est enim semper sui similis impietas. Per omnia siquidẽ
præ se tulerũt hi sanguinarij religionẽ studiũq; Dei, cum nihil quàm Deum in Do-
mino Iesu scientes odio isto suo internecino ꝑsequerent̃. Veritatẽ nãq; in eo solã fer
re nõ poterãt, quã clarissime intelligebãt, maxime in ijs, q̃bus Dñs eos corripuerat.

CAPVT

CAPVT XXVII.

MANE autem facto, consilium inierunt omnes principes sa- Sect. 1.
cerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum mor
ti traderent. Et uinctum eum adduxerunt & tradiderunt
Pontio Pilato præsidi.

Tunc uidens Iudas, qui eum prodiderat, quòd damna- Sect. 2.
tus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos prin
cipibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui tradens
sanguinem innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu uideris. Et proiectis ar
genteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sa
cerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Nó licet eos mittere in corbonam, quia
pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in
sepulturam peregrinorum, quapropter uocatus est ager ille, ager sanguinis
usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hiere
miam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium æsti
mati, quem æstimatum emerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figu
li, sicut constituit mihi dominus.

Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es Sect. 3.
Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus, Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sa
cerdotũ & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quàm
multa aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum uerbum,
ita ut miraretur præses uehementer.

In festo autem consueuerat præses turbæ dimittere unum uinctum quem Sect. 4.
uoluissent. Habebat autem tunc uinctum insignem, qui dicebatur Barrabas,
congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Vtrum uultis dimittam uobis Barrabam
an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd propter inuidiam tradidis
sent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens:
Nihil tibi cũ iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum.
Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt turbis, ut peterent Bar
rabam, Iesum uero perderent. Respondens autem præses, ait illis: Vtrum uul
tis uobis è duobus dimittam? At illi dixerunt, Barrabam. Dixit illis Pilatus:
Quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt ei omnes, Crucifigatur.
Præses autem ait: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Cru
cifigatur. Videns autem Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus
fieret, accepta aqua abluit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à
sanguine huius iusti, uos uideritis. Et respondens uniuersus populus, dixit:
Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barrabam, Ie
sum autem flagellatum tradidit ut crucifigeretur.

Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerunt ad Sect. 5.
eum uniuersam cohortem, & cum exuissent eum, circundederunt ei chlamy
dem coccineam, & coronam de spinis contextam imposuerunt super caput
eius.

eius, & arundinem in dextram eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et cum expuissent in eum, acceperũt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illusissent ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum uestimentis suis, & abduxerunt eum ut crucifigerent.

Sect. 6. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, hunc adegerunt ut tolleret crucem eius. Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei acetum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per prophetam, Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestimentũ meum miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum ibi. Et imposuerant super caput eius causſam ipsius scriptam, Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones, unus à dextris, & alter à sinistris. Prætereuntes autem conuicia iaciebant in eum, mouentes capita sua, & dicentes: Tu ille qui destruebas templum, & in triduo ædificabas, serua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant: Alios seruauit, seipsum non potest seruare. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce & credemus ei. Confidit in Deo, liberet eum nũc, si uult eum. Dixit enim, Filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.

Sect. 7. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terrã usq; ad horam nonã, & circa horã nonam clamauit Iesus uoce magna, dicẽs: Eli, eli lamasabachtani, hoc est, Deus meus, Deus meus cur deseruisti me? Quidã autem illic stantiũ, cum audissent, dicebãt: Heliam uocat iste. Et cõtinuo currens unus ex eis, cum acceptã spongiam implesset aceto, imposuit arundini, dabatq; ei ut biberet. Cæteri uero dicebãt, Sine uideamus an ueniat Helias liberaturus eũ. Iesus autem cum itetũ clamasset uoce magna, emisit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, à summo usq; ad imum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio uero, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terræmotu, & his quæ facta fuerant, timuerunt ualde, dicentes: Vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ, è longinquo spectantes, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum autem uespera facta esset, uenit homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus fuerat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et cum accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud sindone munda, posuitq; illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, & aduoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abijt. Erat autem ibi Maria Magdalene & altera

& altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Postero autem die quæ sequitur parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quòd impostor ille dixit adhuc uiuēs, post tres dies resurgo: iube ergo muniri sepulchrum usq; in diem tertium, ne quando ueniant discipuli eius, & furentur eum, dicantq; plebi, Surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam. Ite, munite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum obsignato lapide, adhibitis custodibus.

MAne autem facto concilium inierunt omnes, Marc. 15. Luc. 22.) Dixi suprà in hoc concilio mihi uideri gesta, quæ iam suprà memorata sunt à Matthæo & Marco, occasione eius, quod ductum Dominum ad Caiapham meminerant prænarrata. Alioquí quid in ísto concilio factum est, si non illa quæ dixi? Nihil enim hi duo Euangelistæ narrant, quàm inijsse concilium omnes principes sacerdotum, &c. aduersum Iesum, ut ipsum mortí traderent. Quæ ergo contra ipsum consultarunt? Mihi quidem dubium non est, quin nulla alia, quàm quæ dicta sunt, nempe primum cōquisiuisse falsa testímonia, quibus reum imminutæ maiestatis, & uiolatæ religionis Christum peragerent, id ubi non successit, ipsum rogasse, quo ex ipsius uerbis aliquid contra eum uenarentur. Cumq; ipse manifesto se Christum profiteretur, iudicarunt nullís iam testímonijs opus esse, satís ex ipso auditum, ob quod morti traderetur. Vísi ergo sibi habere iam, cuius illum accusarent, continuo adduxerunt eum Pilato præsidi. *Ratio historiæ.*

ENARRATIO SECTIONIS II.

Tunc uidens Iudas, qui eum prodiderat.) Aliâs dixi, tunc, in Euangelistis, sæpe narrationis tantum, non temporis consequentiam significare. Ita in præsentí nō est necesse intelligere hoc ipso tempore, quo Christus ad Pilatum ductus fuit, Iudam argenteos retulisse, sicuti & illud (uidens quod damnatus esset) innuere uidetur hæc accidisse, uel post mortem Domini, uel certe post condemnationem eius à præside. Porrò exemplum hic Iudas reproborum est, quos satanas imprudentes diu per uaria flagitia iactat, tandem uero ubi ipsis oculi aperiuntur, ut scelerum suorum atrocitatem quidem uideant, misericordiam autem Domini non uideant, eò præcipitat, uti salutem & omnia despondeant, in æternum geennæ addicti. Act. primo his additur, quòd Iudas crepuerit medius ubi sese laqueo suspendisset. Quòd sacerdotes uero noluerunt argenteos in Corbonam mittere, notatur præpostera eorum religio, imò impia superstitio, qui inter dona Dei pretium sanguinis ponere ueriti fuerint, sanguinem autem innocentíssimum fundere ueriti nō sunt. Sed quo isti pretium hoc profanatum putarunt, eo reuera fuit sanctificatum, unde in impij & reiecti iam sacerdotij usum cedere non debuit, sed magis ad usum pauperum & peregrinorum, sicut & sanguis Christi, potíssimum peregrinis & aduenis, pereuntibus in sua impietate Iudæis saluti esse tum cœpit. Celebre hoc factū euasit, & ager ille nomen à sanguine Domini accepit, quia celebrari oportuit mortem eius, qua sola electi per orbem salutem consequuntur. קרבן, donum significat, ut & suprà 15. habuimus, unde mittere in Corbonam, perinde dictum est, atq; mittere inter dona templi, unde sacrificia & alia ad cultum Dei pertinentia comparabantur. In Actis nomen agri empti hoc pretio, Chaldaice ponitur, חקל דמא Chakal dema, id est, ager sanguinis. *Exemplum Iudæ.*

Tunc impletum est quod est dictum per Hieremiam, &c.) Hoc uaticiniū apud Zachariah 11. legitur, pro cuius nomine Origenes putat à librarijs, nomē Ieremiæ adiectum

adiectum,alij Zachariah binominem fuisse dicere malunt.Nam quòd Iirmeiah 32. C
de empto agro loquitur, huc nihil, nisi torseris,faciet.Insigne utiq; & memorandæ humilitatis Christi fuit,ut triginta argenteis uenderetur in mortem,& quidem à discipulo. Vnde mirum non est,si id certo adeò fuerit oraculo prædictum. Apud uatem ita legitur:Et appenderũt mercedem meam triginta argenteos.Et dixit Dominus ad me,Proijce eos ad figulum,ad ornamentũ pretiosum, quo in pretio illis fui, & aceepi triginta argenteos, & proieci eos in domum Domini ad figulum. Quod futurum erat,iubet prophetam Dominus in uisione facere, nempe pretium ad domum figuli,& ad ornamentum pretiosum, hoc est domum Dei proijcere.Eo significatum fuit, pretium peruenturum ad figulum, sed postquã oblatum antea in domum Domini fuisset.Hoc pretium, Dominus uocauit in Vate mercedem suam,eo nanq; conductus fuit, ut pastorem ageret populi sui per uniuersum orbem dispersi, per Christum seruatorem nostrum.Hoc siquidem triginta nummis in mortem uendito, colligi cœperunt filij Dei,qui adhuc dispersi erant, & agnosci ipse pastor bonus totius mundi.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Iesus autem stetit ante præsidem,& interrogauit eum Præses,Marc.15.Lucæ.23. Ioan.18.) Historiam hanc sic ordinandam puto.Postquam Iudæi,ut dictum,ad accusationem Domini satis instructos se putarunt,surrexit è concilio uniuersa eorum multitudo,& præsentarunt ipsum Pilato. Luc. Nolebãt autem ingredi prætorium, ne se profanarẽt,postridie Pesach suum sanctũ celebraturi,ita religiosa est impietas. Egresso ergo ad ipsos Pilato,& roganti,cuius Dominum accusarent, responderũt: Si non esset hic nocens, nequaquam tibi eum tradidissemus. Qua responsione superba satis Pilatus nonnihil,ut uidetur, offensus, iussit illos secundum suam legem eum iudicare.Negarunt sibi licere occidere quenquam,quòd ita diuinitus ordinatum esset,ut à gentibus Dominus crucifigeretur, id quod ipse suis etiã prædixerat. D Ioan.Cœperunt ergo Dominum accusare trium,quòd gentem peruertisset, utique doctrina,quam ipsi execrabantur,quod uetasset dare tributa Cæsari, & quod Christum se regem fecisset,quo sperabant se illum reum maiestatis peracturos.Luc.

Stantem ergo coram se Præses rogauit, num esset rex Iudæorũ, hoc enim caput accusationis erat.De doctrina siquidem eius, quatenus Cæsareæ potestati nihil derogabat Pilatus, non erat solicitus. Matth. Mar.Luc. Ioan. Dominus autem interrogauit Pilatũ,unde id se rogaret, an id faceret à se ipso, uel si audisset ab alijs. Volebat enim Dominus, ut iure debuerat, alienus adeò uideri ab affectatione regni terreni,ut absurdum esset huius aliquid de se suspicari. Vnde & Pilatus uelut significans,nihil tale se quidem suspicari,dicebat:Num ego Iudæus sum? Quasi diceret: Equidem Romanus,rerum uestrarum ignarus sum, nesciens qua ratione Christus uester uenturus sit.Mihi quidem nihil uideris præ te ferre regium,Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi,& hi te huius accusant, quid ergo feciśti? Respondit Iesus regnum suum de hoc mundo non esse,alioqui haberet suos ministros,qui defendere se conarentur.Atq; ita Christum cœlorum regem se esse confitebatur,& simul tamen significabat Pilato,à se nihil esse periculi metuendũ ei regno, cui ipse ministrabat,cuius,scilicet,Iudæi ipsum accusarãt.Ioan.Hinc itaq; colligẽs Pilatus ipsum nihilominus regem esse,dicebat:Ergo rex es tu? Cui Dominus respondit,tu dixisti. Matth.Mar.Luc.Ioan.Addit autem,causam reddens cur hoc fateretur, quòd esset in hoc natus, & huius causa uenisset in mundum, ut testimonium ueritati ferret, utiq; hinc potissimum quòd ipse unus omnium electorum rex & saluator esset, sed quia id electi tantum credunt, addebat: Omnis qui ex ueritate est, audit uocẽ meã, Ioan. Videns itaq; Pilatus Dominum maiestatis, cui ipse merebat, nequaquã reũ esse.Prodijt ad Iudæos iterum, affirmans nullam se in ipso necis causam inuenire. Luc.

Adductus Herodi.

a Luc.Ioan. Continuo principes sacerdotum inualescebant, accusantes Dominum, quòd commoueret populum, docēs per uniuersam Iudæam, exorsus à Gali'æa. Pilatus igitur audita mentione Galilææ, an Galilæus esset interrogauit, atq; cognito quòd ad ditionem Herodis pertineret, remisit ipsum ad Herodem, qui eo tempore Hierosolymis erat. Vnde Herodes non parum gauisus, quòd pridem uidendi eius cupidus fuisset, interrogauit ipsum multis. Sed Dominus illi nihil respōdit, quamuis adstarent Principes sacerdotum & scribæ, acriter eum accusantes. Vt igitur dominus Herodi tanq; cani & porco nihil respondere dignaretur, fortasse quia etiam nihil ad gloriam Dei facturum rogaret, Herodes ipsum cum satellitio suo spreuit, qui induto albam uestem illuserunt, atq; inde eum ad Pilatum remiserunt. Hinc uetero reintegrata inter Herodem & Pilatum amicitia est, quæ nonnihil rupta fuerat. Sic conuenerunt reges terræ contra Christum, Psal. 2. Pilatus uero cum sibi dominus reductus esset, cōuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit neq; se neq; Herodem caussam necis in eo deprehendere potuisse, eoq; uelle se emendatum ipsum dimittere, Luc. Accusabant autem dominum summi sacerdotes de multis, ipse uero nihil ad ea respōdit, sed neq; Pilato poscenti suam ad illorū accusationes responsionem, adeò ut Pilatus miraretur. Matth. Marc. Cum ergo in festo solitum esset populo donari unū ex uinctis, & haberet Præses in uinculis insignem latronem Barrabā, captum cum autoribus seditionis, qui & in seditione cædem patrauerat, hunc tanquam insignite populo inuisum cum Domino compo- *Posthabet Barrabæ.*
suit, cumq; plebs more suo donari sibi unū ex uinctis postulasset, rogauit eos Præses, utrum uellent sibi dimitti Barrabam, an Iesum regem illum Iudæorum, qui dicitur Christus? Matth. Mar. Luc. Ioan. Sciebat enim quòd propter inuidiam tradidissent eum. Principes aūt sacerdotum & seniores, persuaserunt turbis, ut peterent
a Barrabā. Matth Mar. Rogata ergo plebs utrum dimitti uellet, exclamauit simul uniuersa turba. Dimitte nobis Barrabam, Matth. Mar. Luc. Ioan.

Rogante rursum præside, quid ergo uellent fieri, ei qui diceretur rex Iudęorum, iterum clamauerunt crucifige eum. Quibus Pilatus: Quid enim mali fecit. At illi uehementius clamauerunt. Crucifige eum. Matth. Mar. Vidēs igitur Pilatus hoc concilium non succesisse, conuertitur ad aliud, cuius & ante memínerat: Nullum, inquit, crimen capitale comperio in eo, caltigatum ergo dimittā illum, Luc. Et apprehensum Iesum fecit flagellari. Tum milites præsidis duxerūt eum intro in atriū quod est prætorium, totaq; cohorte congregata, exutum suis uestibus, amiciuerūt *Flagellatur & coronatus spinis illuditur.*
chlamide coccinea, et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, arundinemq; dederunt in dexteram eius, tum genu flexo in speciem adorantium, illudebant ei, salutātes eum: aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Cumq; expuissent in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Matth. Mar. Ioan. Flagellatum itaq; Dominum, spinis coronatum, conspurum, cæsum & illusum, eduxit Pilatus foras ad Iudæos, uel miserabili eo spectaculo sperans, eorum se odium erga illum nonnihil emolliturum. Ecce adduco eum uobis, inquiebat, foras, ut cognoscatis quòd nullā in eo caussam inuenio. Exiuit ergo Iesus foras, gestans spineā coronam, & purpureum pallium. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Pontifices aūt & ministri uiso illo, clamabant: crucifige eum, crucifige eum.

Quibus præses: Accipite eum uos & crucifigite, ego enim nullam in eo supplicij caussam inuenio. Contra Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum hoc audisset Pilatus, magis timuit, nimirum Iesu caussa, ne forte tale aliquid præ se tulisset, & non posset ideo à se absolui. Vnde prætorium iterum ingressus, dicit ad Iesum: unde es tu? sed Iesus ei nihil respondebat, satis etenim antea ueritati testimonium tulerat, professus se quidē Christum regem, sed cuius regnum nō esset huius seculi, unde nihil erat, quod Pi-

latus poteſtati Cæſaris ſui timeret, aut cauſſam haberet contra ſe pronuntiandi. Pi- C
latus offenſus quòd ſibi non loqueretur, dicebat ei: Cur mihi non loqueris. Neſcis
mihi poteſtatem eſſe, crucifigendi te, & abſoluendi te? Eo aũt cum plus æquo ſibi
arrogaſſet, quod in contemptum Dei uergebat, à quo definito cõcilio poteſtati te-
nebrarum in præſens permiſſus fuerat, nemine alioquí quícq; contra ipſum poten
te, caſtigat dictum præſidis. Non haberes poteſtatem, inquit, aduerſus me ullam, ni
ſi tibi datum eſſet è ſupernis. Nunc cum magiſtratu fungeris accepta diuinitus in
me poteſtate, minus ſanè peccas, quàm ij qui tibi me tradiderunt, ex ſolo mei odio
contra me furentes, & nulla publica functione ad hoc adacti.

Ex eo quærebat Pilatus abſoluere eum, Iudęi autem clamabant dicentes: Si hunc
abſolueris, non es amicus Cæſaris; quicunq; enim ſe regem facit, contradicit Cæſa
ri. Ioan. Inſtabant itaq; uocibus magnis, poſtulantes ut crucifigeretur, & inualeſce
bant uoces eorum, ac ſummorum ſacerdotum. Luc. Pilatus autem cum audiſſet
hunc ſermonem, produxit Ieſum foras, ſeditq; pro tribunali in loco, qui dicitur li-
thoſtrotos, Hebraice uero Gabbatha. Erat autem paraſceue paſchæ dies, qui proxi-
me paſchæ diem antecedebat, quo parabant, quæ ad feſtum requirebantur. Et ho-
ra fermè ſexta, id eſt circa finem ſecũdæ portionis diei, quæ ut à tertia diei hora in-
cipiebat, ita tota uſq; ſextam, tertia hora uocabatur. Vnde Marcus hora tertia cru-
cifixum Dominum memorat. Hac enim ſecunda diei parte, quæ iam fermè ad finẽ
uenerat, eiq; quaſi uel fermè ſexta iam erat, ſententia mortis lata in Dominum fuit.
Ioan. Sedente autem Pilato pro tribunali, miſit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi
cum iuſto illo, multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eũ. Sic curauit Deus
Pilatum officij ſui admoneri. Matth. Ille autẽ dicebat Iudęis: Ecce rex ueſter. Quaſi
diceret. Vos contenditis hunc ſe regem ueſtrum feciſſe, intuemini tamen eum, ut
nihil tale præ ſe ferat. Illi autem clamabant: Tolle tolle crucifige eum. Dicit eis Pi- D
latus: regem ueſtrum crucigam? irridens, ſcilicet, eos. Iſti contra: Non habemus re
gem niſi Cæſarem. Huc, ſcilicet, eos furor agebat, ut in totum regnũ Chriſti, quod
gens uniuerſa auidiſſime expectabat, abnegarent. Ioan.

Videns igitur Pilatus quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, abluit ma
nus corã populo dicẽs: Innocẽs ego ſum à ſanguine huius iuſti, uos uideritis. Et re-
ſpondens uniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.
Matth. Tunc adiudicauit Pilatus ut fieret quod illi poſtulabant, ac dimiſit eis Bar-
rabam, Ieſum autem tradidit arbitrio eorum, ut crucifigeretur. Quem milites rur-
ſus exuentes chlamyde induerunt ueſtimentis ſuis, & abduxerunt ut crucifigerẽt.
Matth. Mar. Luc. Ioan. Hactenus ſeries hiſtoriæ.

ENARRATIO SECTIONIS III.

In his non pauca inſunt diligenter obſeruanda. Primum notatur ingenium om-
nium eorum, qui cum ueritate bellum gerunt, nihil enim æque refugiunt, quam
ut cauſſam ſuam manifeſto iudicio approbent. Sic hodie hoſtes Euangelij, uideas
eo perduci non poſſe, ut uel ſuam cauſſam palàm, & cum ratione tueantur, aut no
bis ad tuendam noſtram facultatem faciant. Vnum hoc urgent, ut Pilatus Chriſtũ
indicta cauſſa, tantum ad ipſorum præiudicium, condemnet.

A' gentibus tum rerum apud Iudæos potiẽtibus uoluit Dominus morti adiudi-
cari & occidi, ut tanquam iure occiſus, moreretur ignominioſius, ac in eo, quod à
Romanis, quibus tum totus ferè orbis parebat, damnatus ipſis ſumma ui retinenti-
bus, ubiq; tamen regnum ſuum affulgere fecit, uirtus diuinitatis ſuæ potentius de-
clararetur. Læſæ maieſtatis accuſatus fuit, ita & Paulus & omnes ſemper aſſerto-
res ueritatis. Nam eiuſmodi docent in hoc ſeculo, defectionem à principe mundi,
Deo conantes homines adducere. Cæterum aũt alieni adeò ſunt ab omni affectio-
ne terreni regni, atq; magiſtratus contemptu, ut abſurdiſſimũ ſit quicq; huius, de
illis

illis ſuſpicari. Sed qui agit in incredulis Deus huius mũdi, ut ſentit eos totos in hoc incumbere ut ſua tyrannis ſoluatur, ita quo eos facilius opprimat, ſemper id agit, ut externæ illi poteſtati, quam nemo magis obſeruat, hoſtes uideantur.

Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, id eſt, ſitum in externo dominatu, unde & gloria, diuitijs, & potentia externa deſtituitur, ut in capite Chriſto, ita & mẽbris. Ergo hic reiectamenta mundi nos eſſe oportet, in regeneratione demũ cum Chriſto regnaturos.

In hoc natus Chriſtus fuit ut teſtimonium ueritati ferret, nimirum quòd uerum regnum ſit, æterna uita, & fœlicitas, ſibi ut regi & ſeruatori, ſyncera fide addici, hãc ergo unam & ſummam ueritatem, ſe Chriſtum & ſaluatorem eſſe electorum, fateri & teſtari cum oportuit. Quam fateri & prædicare, Euangelion regni & uitæ eſt. *Qui ex ueritate eſt, Chriſtum audit.* Qui ex ueritate eſt, nempe electus ad uitam, is audit uocem eius, hoc eſt, fide recipit. Vnde Pilatus, & ſi rogaſſet quid ueritas eſſet, non ſuſtinuit tamen reſponſionẽ percipere. Non enim ex ueritate erat, non ex Deo natus, quæ Ioan. pro eodem accipit, ideo ſermo Chriſti, præſertim de Euangelio regni, haudquaquam potuit magni ipſi haberi. Ab Herode quoq; ſperni & ignominia affici Dominum oportuit, ut nihil apud Iudæos ſublime eſſet, à quo non aliquid pateretur. Ita quicquid mundi eſt, ſanctis aduerſatur. Ad hæc uaticinium ſecundi pſal. Quare tumultuatæ ſunt Gentes, populi meditantur inania. Aſtiterunt reges terræ & principes ſecretarij cõ uenerunt in unum, ita impleri oportuit, ut illud impletum in hoc & Apoſtoli intellexerunt. Actor. 4.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Populus perſuaderi potuit, ut Barrabam inſignem latronem Domino preferret, ita Satanæ & miniſtris eius obnoxium eſt, quicquid non eſt ad bonum confirmatũ uirtute ex alto. Paulò antè his benedictus Domini erat, nunc ad crucem poſcitur, præ deploratiſſimo latrone & ſeditioſo. Expendat pectus Chriſtianum, quanta hęc fuerit Chriſti ſeruatoris noſtri, noſtræ ſalutis cauſſa ſuſcepta humilitas. Cur ei non omnia credimus, cur cum ipſo non libet mori, & crucifigi mundo? Flagellatus & ſpinis coronatus, miſereq; illuſus & conſputus, ad miſericordiam tamen Iudæorũ pectora mouere non potuit, ſic tenebãtur à Satana captiui. Qui quos detinet, omni etiam humanitatis ſenſu exuit. *Populus in neritate nõ perſeuerat.*

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Matthæus ſcribit Dominũ amictum fuiſſe chlamide coccinea, Marcus & Ioannes purpurea, colorem enim potius q̃ materiam memorare ſatis habuerunt: nam narrare inſtituerunt Dominũ Ieſum per ludibrium regio ornamento fuiſſe indutũ, quaſi uero ſenatus, populusq; Rom. illi ut regi, regiũ inſigne miſiſſet. Quos nanq; Romani reges appellaſſent, toga purpurea dono miſſa, quæ & picta dicebatur, honorare ſolebant. De quo uide Lazarũ Baifium in libro de re ueſtiaria, ubi etiã de uarietate Euangeliſtarum circa chlamidem uel ueſtem quã Matthęus coccineam fuiſſe ſcribit, Ioannes & Marcus purpuream, nonnihil annotauit.

Pilatus multis modis conatus fuit Chriſtũ liberare, partim manifeſta innocentia eius, partim odio in Iudæos, quo flagrabat, impulſus. Sed reuera id Domini opus fuit, quo obſtinata Iudęorũ impietas magis proferretur. Admonitus fuit per uxorem, ne quid & circa ipſum diuina bonitas negligeret.

Chriſtus uſq; tacuit ad Iudæorũ accuſationes, quia ſciebat horã aduenire, ut moreretur, tum etant falſa adeò quorum accuſabatur, ut per ſe Prędes uideret ſola inuidia ipſum premi. Non igitur erat, quòd Prędidi ſuam innocẽtiam approbaret, aliâs abunde eam cognoſcenti, ſi tuendi eam animum quoq; habuiſſet. *Chriſtus tacuit.*

Iudęi reiecerunt imperium Chriſti, prędata ei Cęſaris tyrannide, & ſanguinem eius ſuper ſe & filios ſuos uenire optarunt. Hinc ablatum ab ipſis regnum Dei eſt,

& sanguinis Christi per Romanos incredibili atrocitate de eis sumpta ultio.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Exeuntes autem inuenerunt hominẽ Cyrenæum, Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.) Reliqua historia supplicij Christi sic habet. Dominus igitur adiudicatus neci, exibat baiulans suam crucem in eum locum, qui Caluaria dicebatur, Hebraice aũt, id est, lingua qua tum Hebræi uulgariter utebantur, quæ Chaldaismũ resipiebat, גלגלתא hoc est, golgotha. Ioan. Inter eundum aũt apprehenderunt Simonem quendã Cyrenensem patrem Alexandri & Rufi, uenientẽ ex agro, & illi imposuerũt crucem, ut portaret post Iesum. Id forte fecerũt, quod Iesus debilior iam esset, quam ut ligni molem portare posset. Matth. Mar. Luc. Sequebatur autem Dominũ multa turba populi, & mulierũ, quæ plangebãt & lamentabãtur. Neq; enim omnibus amor & obseruantia eius excíderat. Ad has conuersus ille dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super uosmet ipsis & super filijs uestris flete. Veniẽt enim dies, in quibus dicetur: Beatę steriles & uẽtres qui nõ genuerunt, & ubera quæ nõ lactauerũt. Tunc incipient montibus dicere, cadite super nos, & collibus operite nos. His futuræ obsidionis & excidij calamitatẽ illis prædicebat. Addebat aũt: Quia si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Quo significauit, si diuina uoluntate, ira in se sæuiretur innocentem, & ligno humido atq; fructifero símilem, multo durius sæuiendum esse in gentem Iudaicam, ligno arido & sterili símilem. Símilis enim locutio Petrinæ est. Quòd si primum incipit iudicium à nobis, quis finis eorũ, qui non credunt Euangelio Dei? 1. Pet. 4. Ducebantur autẽ & alij duo facinorosi cum eo, ut interficerentur, Luc.

In morte prædicatur rex Iudæorum, id est Christus.

Et postquam uenerunt in locum qui dicitur Caluaria, dederunt Domino bibere uinum myrrhatum, id acetum erat cum felle mixtum, sed ille cum gustasset, non sumpsit, Matth. Mar. Ibiq; crucifixerunt eum, & duos latrones cum eo, unum à dextris, alterum à sinistris eius, quo impletum uaticinium Iesch. 53. fuit. Et cum sceleratis deputatus est. Matth. Mar. Luc. Ioan. Iesus aũt dicebat: Pater remitte illis, nesciũt enim quid faciant, Luc. Imposuit uero Pilatus titulum cruci Domini, hæc Hebraice, græce & latine continentem: Iesus Nazarenus rex Iudæorũ. Matth. Mar. Luc. Ioan. Iudæi autem cum hanc inscriptionem legissent, ut erat locus hic propè Ierusalem, petebãt à Pilato pontifices, ut scriberet Iesum, dixisse: Ego sum rex Iudæorum, non simpliciter, rex Iudęorum, uerum ille scripturam, diuina utiq; ordinatione adductus, immutare noluit, quæ sanè uerum Euangelion Christi continebat, nã prædicabatur ea uerus ille esse, & indubitatus Meschiah rex, Iudæis missus. Ita in media morte, cœpit ad gloriã exaltari, & regnum suum auspicari. Milites autem cum crucifixissent Iesum, acceperũt uestimenta eius, feceruntq; quatuor ex illis partes, ut unicuiq; militi pars una cederet. De tunica uero inconsutili & per totum contexta, quia scindi cõmode non potuit, sortiti fuerunt, ut impleretur illud Psal. partiti sunt uestimenta mea sibi, & super uestẽ meã miserũt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt, sedentesq; seruabant Dominum ibidem. Matth. Mar. Luc. Ioan.

Stabat autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius, & Maria Magdalene. Cum ergo uidisset Iesus matrem, ac discipulum astantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo, ecce mater tua. Et ex ea hora discipulus accepit eam in curam suam. Mulierem uocauit more suo, quòd maior multo esset, quã ipsa eum genuisset: filij tamen officium noluit posthabere. Hinc morituri discant suis prospicere.

Stabat uero populus spectans, & prætereuntes conuitia iaciebant in Dominum, mouentes capita sua, & dicentes: Tu ille qui destruis templum, & in triduo ædificas: Serua temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum, illudentes cum scribis & senioribus, dicebant inter se: Alios seruauit, seipsum

seipsum non potest seruare. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Cõfidit in Deo, liberet eum nunc, si uult eum. Dixit enim, filius Dei sum. Sic ad crudelissimum supplicium etiam execrari & irrideri Christum suum pater uoluit, unde & Psal. 21. hæc ferè conuitia omnia prædicta sunt, Illudebant autem ei & milites, Luc. Quin & unus ex his, qui erant suspensi facinorosorum, id ipsum ei exprobrabat: Si tu es Christus inquiebat serua teipsum & nos. Adeò ab omni genere hominum blasphemari ipsum oportebat.

Respondens aũt alter increpabat eum dicẽs: Nec times tu Deum, cum in eadem damnatione sis, & nos quidẽ iuste, nam digna factis recipimus, hic uero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei cum ueneris in regnũ tuum, & dixit illi Iesus: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Dum hæc fierent appetijt hora sexta, tertia diei pars, quæ & ipsa solebat tota, usq; ad horam nonam, sexta hora uocari, ut uel ex parabola uineæ suprà 20. patet. Diem enim habebant finitum horis 12. totidem & noctem, & utranque per partes quatuor distinctam, noctis partes uigilias uocabant, facta ergo iam sexta, tenebræ ortæ sunt super totã terrã, usq; ad horã nonã, & circa horam nonã clamauit Iesus uoce magna, dicẽs: Eli elí lama sabachtaní, hoc est, Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me? Quidam autem illic stantiũ, cum audissent dicebant: Heliam uocauit iste. Cæteri uero dicebant, sine uideamus, an ueniat Helias liberaturus eum, Matth. Mar. Postea sciens Iesus quòd omnia iam consummata essent, ut consummaretur scriptura, nimirum in omnibus, quæ de supplicio suo prædixit, dicit: Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum, Ioan. Illi uero impleuerunt spongiam aceto, & hyssopo, & impositam harundini, admouerunt ori eius. Matth. Marc. Ioan. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est. Iam enim ad finem pertulerat, quæ prædicta erant, omnia, Ioan. & cum clamasset uoce magna Iesus, ait: pater in manus tuas commendo spiritum meum, Luc. Et hæc cum dixisset, inclinato capite emisit spiritum. *Clamat se derelictum.*

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, à summo usq; ad imum, Matthæus Marcus Lucas. Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionẽ eius uenerunt in sanctam ciuitatem, et apparuerunt multis. Matth. Centurio uero, qui adstabat ex aduerso illi, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, cum uidissent quòd sic emisso clamore expirasset, uisoq; terræ motu, ex his quæ acciderant, timuerunt ualde, & glorificabãt Deum, dicentes uere filius Dei erat iste, Matth. Marc. Luc. Et omnes turbæ eorum, qui simul accesserant, ad spectaculum istud, & uiderãt quæ cõtingebant, percutientes pectora sua, reuertebantur, Luc. Stabant aũt omnes noti eius procul, & mulieres quæ secutę eum erant à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi parui, & Iesu mater, & Salome, mater filiorum Zebedæi, aliæq; complures, quæ ascenderant cum eo Hierosolymam. *Prodigia à morte Christi*

Iudæi autem quoniam parasceue erat, Sabbathi magni, nempe quo pascha erant celebraturi, indignum rati, ut corpora punitorum magno illo sabbatho in cruce remanerent, rogauerunt Pilatum ut fractis cruribus ipsorum, tollerentur. Milites igitur utriusq; latronis crura quidem fregerunt, ad dominum autẽ ubi uenissent, iam mortuus erat. Crura itaq; eius non fregerunt, sed unus militũ, lancea latus eius fodit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Id uisum à sese testatur Ioãnes, uerumq; affirmat, ut et nos credamus. Facta ait prꝛterea hęc ut scriptura impleretur, os non cõminuetis ex eo. Et rursus alia scriptura: uidebunt, in quem pupugerunt. Post hæc uespera facta, nempe post horam nonam, uenit uir quidam, diues & honestus senator, nomine Ioseph, uir bonus & iustus, qui consilio & facto Iudæorum non con- *Sepelitur.*

senserat, oriundus ex ciuitate Iudæorum Arimathæa, qui & ipse expectabat regnũ C
Dei eratq; discipulus Iesu, sed occultus propter metum Iudæorum, hic sumpta fidu
cia, accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu, Matth. Mar. Luc. Ioan. Pilatus au
tem admiratus, si iam mortuus esset, accersiuit ad se Centurionem, interrogauit
illum, an iam mortuus esset. Vtq; rem cognouit ex Centurione, donauit corpus
Ioseph o. Venit autẽ & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferens
mixturam myrrhę & aloës, ad libras fermè centum. Ioan. Acceperunt ergo corpus
Iesu & inuoluerunt sindone munda, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepeli
re. Erat autem, in eo loco, ubi crucifixus fuit, hortus, & in horto monumentum no
uum, quod sibi Iosephus è petra exciderat, in quo nondum quisquam positus erat.
Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quod in propinquo esset monumentum,
posuerunt Iesum, & aduoluerunt lapidem ad ostium monumenti, Matthæus, Mar
cus, Lucas, Ioannes.

Et dies erat parasceue, & sabbathum illucescebat: appropinquabat enim finis ho
ræ nonę, uel si mauis undecimę, ultimæ, scilicet, portionis diei, quæ sexta apud nos
pomeridiana fuisset Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo uenerant de Galilea,
uiderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius, Matth.
Marc. Luc. reuersæ uero parauerunt aromata, & unguenta, ac Sabbatho quidem
quieuerunt, secundum præceptum, Luc. Postridie autem parasceues, sabbatho ni
mirum magno, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, me
morantes Dominum, quem ipsi impostorem uocabant, dixisse se tertio die resur
recturum, eoq; petebant, ut iuberet sepulchrum muniri usq; in tertium diem, ne
discipuli suffurato eius corpore, dicerent plebi, surrexisse eum à mortuis, & fieret
error posterior, peior priore. Quibus Pilatus custodiam permisit, ut munirent se
pulchrum sicut scirent. Qui sepulchrum munierunt obsignato lapide, & adhibitis D
custodibus. Hactenus series historiæ. In his plurima sanè persancte obseruãda sunt,
paucula perstringam & breuiter.

Signatum sepulchrum.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Aegyptio Cyrenensi imposita crux fuit Christi, quo significatũ accipio, crucem
Christi saluificam, gentibus dehinc imponendam, Iudæis satis dira quidem cruce
impositam, sed non Christi, hoc est, quæ esset saluti. Et hic quidem Cyrenensis cum
pater à Marco prædicatur Alexandri & Rufi, uidetur etiam ipse in suam domum
Christum postea recepisse.

Dederunt domino, cum ad locum supplicij uentum esset uinum mirrhatum bi
bere, ut Marcus habet, alij habent, acetum felle mixtum, quod idem sit oportet. A
cetum igitur quia corruptum uinum est, uinum à Marco est uocatum, amarum si
mul erat ex mixtione fellis, & myrrhæ, inde uinum myrratum dixit. Annotauit E
rasmus ex Plutarcho, hausturn acetum uulneratis mortem accelerare, ea forte cau
sa aderat & uas positum aceto plenum, cuius Ioannes meminit, unde damnatis, bi
bere daretur, quo citius transfixi manus & pedes morerentur. Dominus primum
oblatum noluit bibere, uolẽs statutum à patre tempus pati, quem ille tamen citius
latronibus supplicio eripuit. Mortuus enim erat, cum latronibus oporteret frange
re cruras unde & Pilatus celeritatem mortis eius mirabatur, ut in historia ex Ioãne
adductũ est. Postea autẽ cum alioqui iam spiritũ traditurus esset, accepit acetum, ut
Ioannes narrat, impleri enim scripturã uoluit, potauerunt me aceto, &c. psal. 86.

Exemplum latronis.

In latrone Christum tam egregie agnoscente, & prædicante, ubi iam noti omnes
procul stabant, ubi silebãt ora Apostolorũ, cum obmutuisset uox illa: Benedictus
qui uenit in nomine domini, immensa Dei bonitas, mirum in modum illuxit. Vn
de plane discendum, ne de quoquã, nisi oppugnãte salutis doctrinã iam cognitam
sibi desperemus, postquã tot primis, hic omnium nouissimus latro præpositus est,
paradisiq;

paradisiq; promissionẽ ante omnes mortales percepit. Paradisum uero, ut & Paul. 2. Cor. 12. uocat locum diuiniorẽ, in quo apertior Dei gloria refulget, diuinitatisq; perfruitio donatur.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Tenebræ factæ super totã terrã Iudæorũ, scilicet, præsagiũ fuit, illos, postquã Dominũ solẽ iustitiæ à se reiecissent, & morte affecissent, horrẽdis tenebris ignorantiæ & impietatis adobruendos. Hoc solis deliquiũ in archiuis Romanorum scriptum fuisse testatur Tertulianus in Apologetico. Nam ut alio in loco scribit, Pilatus hæc omnia Tyberio perscripserat. Eusebius quoq; de hisce tenebris & terremotu, quo in Bithynia multa ædificia corruerunt in Chronicis meminit, adducto teste Phlegonte olympiadũ adnotatore. Id illud uero Eli, Eli &c. initium est, psal. 22. sed chaldaice uel Syriace potius adductũ, ut & alia. Nam שבקתני id est, Schebaktani pro Eb. עזבתני id est, Azabtani usurpauit. Simpliciter aũt dictũ hoc à Domino accipio quod sicut et in mõte oliuarũ de calice supplicij, ita & hic questus sit, se in manibus impiorũ, ad omnẽ ipsorum libidinẽ à patre derelictũ, quanq; uolens spiritu omnia perferret. De desperatione eius nolim quicq; adfirmare, præter scripturã. Verus homo fuit, ueri hominis affectus & habuit & prodidit, gloria tamen patris omnes deiunctos, de his suprà ubi conflictatio domini in monte oliuarum, tractata est.

De descensu Christi ad inferna.

De descensu Domini ad inferna, multi multa disputarunt, sed perpauca ad rem, quia præter scripturam ferè omnia. Vnde blasphemi quidam, uisi sibi habere articulum fidei, nullo scripturę loco firmatum, colligere uolunt, esse credenda quæcũque ecclesia, id est, pontifices & Theologi cum Monachis præscribunt, etiam quæ nullam ex scripturis rationem habeant. Sed si recte accipias hanc uocem infernus, ibi memorant Euangelistæ Christum ad infernum descendisse, ubi narrarunt mortuum & sepultum. שאול enim pro quo in scripturis nos ferè infernus legimus, sepulchrum significat, quod nunq; saturatur, & semper quodammodo petit, iuxta illud 30. Vnde Petrus Act. 2. & Paulus 13. probaturi Dominum à mortuis resurrexisse, adducunt illud, psal. 15. Non relinques animam meam in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionem, ubi pro eodem ponitur, animam non relinqui in inferno, & sanctum nõ uidere foueam corruptionis, nempe pro eo, quod est, nõ relinqui in morte. Vnde Petrus cũ dixisset: Quẽ Deus suscitauit solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab ea, hoc ipsum probaturus, locũ illum psalmi adduxit.

In huiusmodi infernum dicebat se Iaacob cum dolore ad filium suum Ioseph descensurum, cum discerptum à bestia putaret, 37. Moscheh. Et ubi timebat Beniamin, alteri filio ex Rachel, dicebat alijs filijs suis, qui abducere illum in Aegyptum uolebãt, eos si illi aliquid accederet, canos suos cum dolore ad inferos depulsuros. Quid hic sit ad infernum descendere aliud quàm recõdi corpus sub terra? Sic cum terra uiuos absorbuisset Korach & coniuratos suos, dicebãtur uiui descendisse in infernum, id est, in sepulchrum sub terrã, ad mortuos, 4. Moscheh. 16. Hinc subinde in psalmis gloriantur sancti se ereptos ex inferno, exaltatos ab inferno, ut psalmo trigesimo 49. & alijs. Nec aliter scriptura uspiam de inferno loquitur, quam ut sit communis omnibus, tam sanctis, quàm impijs: geenna autem solis impijs attribuitur. Ad hunc ergo modum descendit נפש id est, uita uel animatum corpus domini in infernum, hoc est, uere mortuum, repositum fuit in sepulchrum, sed quia à morte detineri autorem uitæ impossibile erat, ut Petrus inquit, ideo non potuit in sepulchro, & inter mortuos relinqui, aut permitti, ut sanctus domini, uideret foueã corruptionis, id est, corrũperetur, sicut sepulti alij. Cæterũ spiritus Christi, ubi corpus reliquit, in paradisum concessit, ubi secum futurũ & latronẽ illi promiserat.

Ad hoc enim ut sanctos qui in i ferno erãt, id est, dormiebãt corpore in puluere terræ, sicut & electos uniuersos, à morte in uitam æternam trãsferret, nulla scriptura quicquam aliud prædixit à domino perficiendum, quam ut moreretur pro eis. Quæ ergo Theologi superioris seculi de limbo Patrum, & reali descensu illo Christi, quo etiam ad locum damnatorum & purgatorium accesserit, disputarunt, non sunt. Scriptura post hanc uitam sanctis quietem in sinu Abrahæ, uitam cum Christo & regnum Patris, impijs geennam & ignem æternum paratum diabolo promittit, non infernum. Veteres Patres autem memorat ad infernum descendisse, sed quò descendit omne quod genitum est. Nihil de limbo, nihil de purgatorio, nihil de descensu spiritus Christi ad loca quædam obscura: mittenda igitur hæc sunt, ut inuenta hominum, & gratiæ agendæ magis Domino, qui filium suũ pro nobis & electis omnibus in infernũ detrusit, id est, uere mori uoluit, ut per mortẽ eius à morte nos liberaremur, & reuocato ipso rursus à mortuis, nihil dubitaremus, & nos ad beatam immortalitatem reuocandos. Articulus itaq; ille symboli descendit ad inferna, qui tamen in ueterum symbolis non habetur, explicatio est eius, qui præcedit, mortuus est & sepultus. Quanquã sicut à corpore de toto homine sermo fit, et quæ spiritus sunt exprimuntur, ita hic ex eo quòd confitemur dominum descendisse ad inferna, intelligendum est, dominum spiritu suo ita se iunxisse spiritibus mortuorum sanctorũ, uti corpore iunctus fuit illorũ corporibus per sepulturã, ut infernus hic & corporis sepulchrum, & conditionem spiritus à corpore separati simul significet. Cæterum quòd uelum scissum fuit, cum Christus tradidisset spiritum, significatum accipio, tum fuisse abrogatas cærimonias legis, & irritum factum testamentum uetus, cum iam nouum, scilicet, fœdus morte eius esset confirmatum. De quo suprà 26. Terra mota, & Petræ scissę uidentur significasse, orbem commouendum Euangelio, & saxea pectora scindenda per pœnitentiam. De his canunt, Psal. 97. 98. & 99. Monumenta aperta, unde post resurrectionem Domini sanctorum corpora egressa sunt, uirtutem mortis Christi testata sunt, qua, scilicet, ad uitam electi reuocantur ex morte. Quòd Centurio & alij dominum filium Dei agnouerunt, & prædicarunt, specimen fuit, fructus qui à morte eius expectandus erat, nimirum ut iam plurimi, præcipue autem ex gẽtibus, ipsum Christum agnituri essent, per eum Patrem, atq; ita uitam æternã percepturi,

Somnia theologorum de inferno.

Eo aũt quòd sanguis & aqua de latere domini exiuit, demonstratum est à morte Christi, esse omnium peccatorũ expiationẽ expectandam, quã sanguine fieri oportuit, tum spiritum sanctum, aquas uiuas illas, quibus in totum electi mundantur, et ad omnem pietatem fœcundantur, de quibus Iehez. 37. Io. 7. & alibi. Iosephum & Nicodemum, ausos mortuo Christo ministrare, qui uiui occulti tantum discipuli erant, propter metum Iudæorum, præter immensam domini facilitatem, qui usque infirmos adeò tulit, uirtutem mortis eius quoq; testatur & fructũ, unde, scilicet, fortior, ac uere filiorũ Dei spiritus electis cõtingit, sicut istis usu uenit. Notatur quoq; quàm ferax salutis sit, Christo uel infirmum adhærere.

Ad cuius mortis pretium, magis cõmendandum, & pretiosa illa sepultura fecit. Ita & nos tum uere honorabimur & cum Deo regnabimus, ubi cum ipso mortui, & in nihilum redacti fuerimus. Iudæis autem mos fuit pretiose sepeliri cum aromatibus, ad testandam spem resurrectionis. Nos omnia contemnendo, & animam nostram pro domino perdendo, hanc spẽ profiteri debemus, & sumptus facere in patueres. Moderata tamen, & decente professos crucem Christi honestate, mortuos nostros, organa gloriæ Christi sepelire debemus.

Quæ hic perpendenda.

Sepulchrum Christi Iudæi uoluerũt munitum, ita ad gloriã resurrectionis Christi, inuiti seruierunt. Neq; aliter euenit impijs omnibus, erga pios. Quibus enim lẽdere eos uolũt, ijs promouẽt salutem ipsorũ. Innumera insunt præterea huic histo-

riæ,

A riæ,quæ non ſine magno pietatis fructu, ab electis perpendi poſſunt,ſed ubi ſancta eorum, quæ Dominus nobis dixit, fecit,& pertulit,curioſitas fuerit,per ſe pijs animis illa occurrent, in propatulo enim poſita ſunt.In his ergo inquirendis & excutiendis ſtudioſi ſimus,miſſis blaſphemis nugis,quas ſomniorum prædicatores, ſanctiſſimæ huic hiſtoriæ hactenus aſſuerunt,quaſi uero nō ſupra quàm ſatis, ad ſummum ſupplicium fuiſſent,quæ Euangeliſtæ conſcripſerunt. Sed hi putarunt, tum demum cum fructu ſe hāc hiſtoriam recitaſſe, cum mulierculis lachrymas extudiſſent cauſſa domini,cum magis ad lachrymandum ſuper ſe ipſis iuxta uerbū Chriſti auditores prouocare debuerant.Dixi ſuprà ſupplicium domini in hoc perpendendum,ut non dubitemus nos iam eo à morte in æternam uitam deſertos, quò hinc etiam exultemus, gratias agentes Patri,qui filium ſuum pro nobis in mortem tradiderit,& filio qui tam crudele & infame pro nobis ſupplicium pertulerit. Tum ut peccatum odiamus, quod tam inuiſum Deo eſt,ut non niſi morte filij ſui, potuerit expiari. Deniq; ut ita in mortem uſq; fratrum ſaluti, & nos conſecremus: ſi demū cum fructu,hiſtoriā ſupplicij Domini noſtri perpenderimus.Ipſe huiuſmodi mentem & ſtudium nobis donet.

CAPVT XXVIII.

VESPERA autem ſabbatorum, quæ luceſcit in unam ſabbatorum, uenit Maria Magdalene, & altera Maria,ut uiderent ſepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens deuoluit lapidem ab oſtio, ſedebatq; ſuper eum.Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & ueſtimentum eius candidum ſicut nix. Præ timore aūt eius concuſſi ſunt cuſtodes,& facti ſunt uelut mortui.

Reſpondēs autem Angelus,dixit mulieribus:Nolite timere uos, ſcio enim quòd Ieſum qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit: Venite,uidete locum ubi poſitus erat Dominus.Et cito euntes,dicite diſcipulis eius,quòd ſurrexit à mortuis,& ecce præcedit uos in Galilæam, ibi eum uidebitis,ecce dixi uobis.

Et digreſſæ celeriter à monumento, cum timore & gaudio magno, currebant,ut renuntiarent diſcipulis eius.

Cum autem iſſent ad renuntiandum diſcipulis eius, & ecce Ieſus occurrit illis,dicens:Auete. Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere, ite renuntiate fratribus meis,ut eant in Galilæam,& ibi me uidebunt.

Quæ cum abiſſent,ecce quidam è cuſtodibus uenerunt in ciuitatem, ac renuntiauerunt principibus ſacerdotum omnia quæ acciderant, & congregati cum ſenioribus,conſilio habito,pecuniā copioſam dederunt militibus, dicentes:Dicite quòd diſcipuli eius nocte uenerint,& furati ſint eū uobis dormientibus.Etſi hoc auditum fuerit ſub Præſide, nos perſuadebimus ei, & ſecuros uos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti,& diuulgatus eſt hic ſermo apud Iudæos uſq; in hodiernum diem.

Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam,in montem ubi conſtituerat illis

erat illis Iesus. Et cum uidissent illum, adorauerunt eum, quidam autem dubi c
tauerunt.

Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergo docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

VEspera autem sabbatorum, quæ lucescit in unam sabbatorũ, Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. & 21.) Quanquã colophon, & consummatio sit Euãgelicę historię, Christum à mortuis resurrexisse, quo credito plena demum fides & cognitio Christi est, uix tamen quicquã Christi aliud ui si sunt Euangelistæ magis uarie memorare. Id Domino ad exercendã nostram tum fidem, tum diligentiam, ita fieri placuit, quare neq; nobis displicere debet, dare autem operam nos conuenit, ut certus nobis historiæ huius ordo constet, sitq; in promptu, quod calumniatoribus, uel pro confirmatione infirmorum, respondeamus. Conabor igitur hanc historiam ordinare, ut sibi omnia apud quatuor hos nostros Euangeliographos consonent, sed ipsorum uerba secutus, iudicent Christiani.

Quæ mulieres ad sepulchrum uenerunt.

Venerant cum Domino nostro è Galilæa mulieres aliquot: Lucæ octauo nominantur, Maria Magdalene, de qua septem exierant dæmonia, Ioanna uxor Cusæ procuratoris Herodis, & Susanna. Lucæ. 24. additur Maria Iacobi, cuius & Matthæus. 27. meminit, uocans matrem Iacobi, cuius & Matthæus. 27. meminit, uocãs matrem Iacobi & Iose. Quibusdam uidetur fuisse hanc illam matris Domini sororem, quam Ioannes. 19. uxorem Cleophæ uocat. In Matthæo præterea mater filiorum Zebedæi additur, quam putant Salomen illam fuisse, cuius meminit Marcus, quod perpensa locorum consonantia, non uidetur dissimile uero. Hæ ergo mulieres cum multis alijs ascenderant à Galilæa cum Iesu Hierosolymam, & ministrauerant ei de facultatibus suis, ut testantur Lucas octauo & Matth. 27. Quę ergo uiuentem, & beneficia omnibus impendentem secutæ fuerant, abesse rapto ad supplicium, & cruciatus perferenti, non sustinuerunt. Hinc cruce affixo astabant, & dum sepeliretur sequebantur, uisuræ ubi poneretur, ut etiam in mortuum officiosæ essent. Hæc memorant Matthęus, Marcus, Lucas & Ioannes. Sepulto aũt Domino cum paraseue esset magni Sabbathi, quod iam uespera facta, instabat, abierunt paratũ aromata, anteq; Sabbathũ illuceseret. Sabbato uero secundũ legẽ quieuerũt. Obseruãtiã legis diuinæ, iure, suo erga dominũ amori, hac in re præferẽtes, Lu.

In uespera igitur, Matthæus, hoc est, nocte, sed quæ prope finem erat accepturæ, nempe illucescente iam die, ortoq; sole, Marcus, sed profundo adeò adhuc crepusculo. Marcus, Lucas, ut tenebræ etiamnum ad monumentum essent, Ioan. uenerunt mulieres illæ & nonnullæ cum illis, Luc. ad monumentum, portantes aromata quæ parauerant ad ungendum Dominum, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes.

Dolus Iudæorum.

Sed antequam ad sepulchrum uenissent, Dominus surrexit, facto terræmotu magno. Angelus enim Domini descenderat de cœlo, & lapidem ab ostio monumenti remouerat, sedebatq; super eum. Cuius aspectus sicut fulgur, & uestimẽta ut nix erant. Vnde timore concussi custodes erant similes mortuis. Ex his postea quidam principibus sacerdotum, quę facta erant, renuntiauerunt, qui habito cum senioribus consilio, copiosa pecunia pacti à custodibus hoc mendacium fuerunt, ut innuul garent noctu discipulos ipsis dormientibus, corpus Iesu furatos esse, promittentes simul securos illos se reddituros à Præside. Id mẽdacij cum hi custodes sparsissent, ita receptum est à Iudæis, ut ne hodie quidem aliter credant. Matth.

Mulierculis

Mulierculis autem, quo desiderio dominici corporis uidendi & ungendi tenebantur, nihil in mentem uenerat de grandi illo lapide, qui ostio monumenti fuerat admotus, donec iam in itinere essent. Cum autem respicerēt, uiderunt reuolutum. Mar. Ingressæ ergo monumentū, corpus Iesu non inuenerunt. Sed ubi mente consternatæ, Luc. respexissent, uiderunt adolescentem sedentem à dextris, amictum stola candida, & expauerunt. Is ergo iubebat eas bono animo esse, nec expauescere, scire sic quod quærerent Iesum Nazarenum, eumq; surrexisse. Et ostendebat eis locum, in quem Dominū posuerant, iubebatq; abire, ac discipulis & Petro, quod dominus esset eos præcessuros in Galilæam, ubi ipsum essent uisuri, sicut eis dixisset, renuntiare. At illæ, ut perterritæ erant, horum nihil recte perceperunt, unde abeuntes cito fugerunt à monumēto, habebat enim eas tremor & stupor, nec cuiq; quicquam tum quidem dixerunt, timebant enim, Marcus.

Primus mulierum ad sepulchrū aduentus.

Maria magdalene tamen, ubi ad se rediisset, resumpto nonnihil animo, sola Petrum & Ioannem adijt questum de sublato corpore Domini: Tulerunt, inquiebat, Dominum de monumēto, & nescimus ubi posuerint eum. Hac uoce excitati hi duo discipuli, eueſtigio sepulchrum adierūt, nec dubium, quin comitante Maria. Qui cum sepulchrum uacuum inuenissent, seorsim positis sudario & linteaminibus, Ioannes credidit, nimirum sublatum corpus Iesu. Nam scripturam, quòd oportuisset Dominū à mortuis surgere, nondū nouerant, eoq; uerba Christi, quæ de sua resurrectione illis sæpius prædixerat, haudquaq; recte intellexerant.

Petrus & Io. inuisunt monumentum.

His itaq; discipulis ad sua reuersis, Maria apud sepulchrū hæserat ploraris. Dum ergo fleret, inclinauit se in monumentum, & uidet duos Angelos amictos albis, unum ad caput, & alterum ad pedes, illic ubi posuerāt corpus Iesu. Hi rogabāt eam quid ploraret, quibus illa: Sustulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerunt eum. Illico conuersa retrorsum, ut anxia erat in quærendo corpus Domini, continuoq; respectaret, uidit Iesum adstantem, sed putabat hortulanum esse, eoq; rogabat eum, si ipse sustulisset Dominum, ut sibi indicaret, ubi eum posuisset, quo eum tolleret. Cui Dominus: Maria, ad quam uocem cōuersa agnouit eum. Quæribunda enim continuo uerterat se & respectauerat, sicubi uideret corpus Domini. Dicebat ergo illi: Raboni, & uolebat eum fortasse amplecti, præ nimio, scilicet, amore eius & gaudio, quòd rursum carne præsentē uidisset. Verum dominus cum uideret eam, carnalem sui præsentiam plus æquo admirari, animum eius ad cœlestia, amplexusq; fidei erigere uolens, à tactu sui eam repellebat, dicens: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem. Quasi diceret: Ne putes quòd carne presentē uides, in hoc omnia te esse cōsecutā, dixi antea discipulis meis, quòd expediret eis ut abirem ad Patrem. Ad quē ubi ascendissem, missurū se spiritum paracletū, & omnia apud eos perfecturū. Hæc debetis expectare, & carnalem meā præsentiā tanti non facere: nolo igitur ut tu me modo tangas, ne carnali præsentiæ nimis addicaris, discere debes, fide post hac me regnantē in cœlestibus amplecti, quare abi potius & nuntia fratribus meis, qui & ipsi carnale usq; regnū expectāt, me ad Patrem meum & uestrū, ad Deū meum & uestrū ascensurum. Vnde uobis spiritu meo adero, & ad fœlicitatē uestrā omnia attemperabo, ne putēt me corpore hic porro actu rum, & carnaliter regnū Israelis restituturū. Cōsoletur aūt uos, & ad optimā spem erigat, quòd Pater & Deus meus, uester quoq; Pater & Deus esse dignatur, apud quē utiq; impetrabo uobis omnia: Abijt itaq; hæc ad discipulos, & nuntiauit illis quòd Dominū uidisset, & quæ sibi dixerat. Hæc Ioannes, quibus cōsonat Marc. ita scribēs: Cum surrexisset aūt Iesus mane primo die sabbathi, apparuit primū Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septē dæmonia, illa profecta nuntiauit ijs, qui cum illo fuerant lugentibus & flentibus. Sed illi licet audissent dominū uiuere, & ab hac uisum esse, non crediderunt. Lucas etiam meminit, Petrū sepulchrū inuisisse.

Noli me tangere, quia nō dum ascendi ad Patrem.

Interea

Secũdo adeũt sepulchrum.

Interea aũt & reliquæ mulieres, quæ cum Maria Magdalene primũ adfuerant, & perterrefactæ unà fugerant, nihil cuiquam dicentes, animos resumpserunt, & reuersæ sunt ad monumentum, cupientes nimirum certiores de re tam stupenda reddi. Vbi ergo adhuc abesse corpus Iesu uidissent, mente consternabantur. Mox autẽ uiderunt duos uiros adstantes in uestibus fulgurantibus. Matthæus unius tantum meminit, quia unus duntaxat mulieribus loquebatur. Hic igitur pauefactis & uultus in terram declinãtibus mulieribus dicebat: Nolite timere uos, scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis, non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, uidete locum, ubi positus erat Dominus, Matthæus. Quid quæritis uiuentem cum mortuis? non est hic, surrexit. Quasi diceret: Et paulo ante adfuistis, uidistis sepulchrum uacuum, audistis à me surrexisse Dominum, atq; uiuere & uos præcessurũ in Galilæam. Quid igitur rursum adestis, & uiuentem inter mortuos quæritis? Nõ est hic, iterum dicimus, surrexit enim. Recordamini tandem eorum, quę ipse uobis prædixit, cum adhuc in Galilæa esset. Nempe quòd oportuerit filium hominis tradi in manus hominũ peccatorum, & crucifigi & resurgere tertio die, Lucas. Cito igitur euntes, dicite discipulis eius, quòd & antea mandaueram, surrexisse Dominum à mortuis, & præcessurum uos in Galilæam, ubi eum uidebitis, ecce dixi uobis.

Recordatæ igitur uerborum Domini, Lucas, Digressæ à monumento celeriter cum timore & gaudio magno currebant, ut renuntiarẽt discipulis eius, Matthęus. Illis undecim & cæteris omnibus, Lucas, Cum autem issent ad renuntiandum discipulis, ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete, illæ autem accesserunt & tenuerunt

Tenent pedes Iesu.

pedes eius, & adorauerũt eum. Quibus ille: Nolite timere, ite & renuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæã, ibi me uidebunt. Iterum uocat fratres suos, qui sepulo ante negauerant, sic autem blandiens, ad spem regni sui erigere illos uolebat. Peculiariter tamen cognatos, qui peregre alioqui ipsi fidem habuerant, confirmare d hic iussisse Dominum quibusdam creditur. Tangi uero se ab his Dominus passus fuit, quò certiores resurrectionis suæ testes ad discipulos essent: Mariam autẽ Magdalenam, nimiũ ob præsentiam suam carnalẽ exultantẽ, uoluerat ad cœlestia magis miranda prouocare, eoq; tangere se prohibuerat. At uero ut nondum habebãt

Apostoli non credunt.

spiritu illustrata pectora Apostoli, ubi omnia à mulieribus audiuissent, uisa eis fuerunt uerba mulierum deliramenta, neq; crediderunt illis, Lucas.

Eodem die uidendũ sese Dominus exhibuit duobus discipulis petentibus Emauntem. Qui mox reuersi ad discipulos Hierosolymis congregatos undecim Apostolos & qui cum illis erant, narrauerunt eis quæ uiderãt. Quibus illi uicissim narrabant, Dominum uere resurrexisse, & apparuisse Simoni. Dum autem hęc loquerentur, & fores clausæ essent, stetit Iesus ipse in medio eorum, & pacem precatus, consternatis adhuc animis, ostendit manus & pedes, contrectareq; se & uidere iubebat. Expauefacti enim putabant se spiritum uidere. Deniq; comedit cum eis, ut uel sic resurrexisse se illis persuaderet. Postea donauit eis spiritum sanctum, constituit Apostolos, donauitq; mentem eis, ut scripturas intelligerẽt, agnoscerentq; sic scriptum esse, eoq; & sic fieri oportuisse, ut Christus pateretur, & resurgeret à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, initio facto ab Hierosolymis, &c. Hæc Lucas & Ioannes habent, Marcus quoq; duorum meminit, quibus dominus in uia uisus est. Post octo uero dies, Dominus Thomæ caussa, ut uidetur, rursum congregatis discipulis apparuit, stans in medio ipsorum, cum fores essent clausæ, tangendumq; se Thomæ exhibuit, & resurrectionem suam persuasit, Ioãnes. Vndecim autem discipuli post hęc abierunt in Galilęam in montem ubi constituerat illis Iesus. Cumq; uidissent eum, adorauerunt eum, quidam autem dubitauerũt, quam postea incredulitatem

eis

A eis exprobrauit,ut Marcus memorat. Hæc Domini apparitio illa insignis uidetur fuisse, qua plus quàm quingentis fratribus simul apparuit, cuius meminit Paulus 1.Corinth.15. Antea tamen cum in Galilæam uenissent discipuli, & in mari Tyberiadis,hoc est,lacu Genesar, piscarentur, apparuit Simoni Petro, Thomæ, Nathanaëli, & filijs Zebedæi, quam historiam Ioannes conscripsit, addens ea tertia iam uice discipulis dominum apparuisse,nimirum congregatis:ipso,scilicet,die resurrectionis semel,post octo dies iterum, & hac tertia uice in piscatione. Posthac reuersi sunt Ierusalem, ubi iussit eos Dominus sedere, donec uirtute induerentur ex alto, nam missurum se eis promissum Patris pollicebatur. Cumq; ita per quadraginta dies,identidem conspectus discipulis, & locutus de regno Dei fuisset, Luc. in Act. uolens tandem Patris dexteram petere, testatus sibi omnem potestatem datam in cœlo & in terra. Matth. iussit eos in uniuersum mundum abire & prædicare Euangelion omni creaturæ. Marc.& docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcunque ipse præcepisset. Quòuero animaret, ut quamlibet repugnante mundo fortiter hæc mandata obirent, adiecit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.Matth. Tum ut simul ostenderet, quanti sua doctrina & Euangelion habendum sit, affirmabat, quicũq; Euangelio credidissent, & baptismate, Ecclesiæ ministerio regeniti essent, eos fore saluos: qui autem prædicato Euangelio non credidissent, fore condemnandos. Denicq; & magnam signorum uim, apud eos qui credidissent,secuturam promisit.

Post hæc eduxit eos foras usque Bethaniam,& sublatis in altum manibus suis,benedixit eis.Et factum est, dum benediceret illis recessit ab eis, ac ferebatur in cœlũ. Luc. nubesq; subduxit illum ab oculis eorum. Act. Et ipsi adorato eo,regressi sunt B Hierosolymam cum gaudio magno,& erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum,Luc.Postea accepto spiritu sancto, in linguis igneis, Act. 2. egressi prædicauerunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia. Finis.

Ad hunc modum, ordinanda mihi quidem hæc historia uisa est, Ecclesiæ iudicent, sed diligenter inter se Euangelistarum narrationibus collatis, & perpensis.Illud quidem quod Matthæus uespera, monumentum adijsse mulieres adserit, reliqui Euangelistæ mane,facile conciliatur,cum constet noctem,uesperam in scripturis dici,ut factum est uespera,& mane dies unus. Vt igitur in nocte recte dicitur factum, quod factum est in termino noctis, ita quod mane, nondum die pleno orto, hoc est,in fine uesperæ factum est,recte dicitur factum in uespera. Ortum diei uidetur Matthæus eo significasse,quod adiecit:quæ lucescit in unam,id est,primam sabbathorum,hoc est,primum diem septimanæ.Mulierum sedulitas & feruor,ut et Apostolæ,ad Apostolos fuerint factæ, monet admirandæ gratiæ Dei, quæ continuo delectatur ex nouissimis primos facere. Notatur etiam, quàm mire suis Deus prospiciat,qui filio suo ab his mulierculis uoluerit necessaria uitæ ministrari. Resurrexit Dominus cum terræmotu,ut & mortuus erat, ac paulò pòst spiritum sanctũ missit,morte enim & resurrectione eius,per uirtutem spiritus sancti prædicata,commouendus erat uniuersus orbis. Angeli primi resurrectionis præcones extiterunt, superat enim fides resurrectionis omnem captum rationis humanæ. Vestibus fulgurantibus apparuerunt,eo immortalitatis gloria repræsentata est. *Cum terræmotu surrexit.*

In historia bis mulieres ad sepulchrũ uenisse posui, causa est, quòd Marcus scribit,cum primum adfuissent, fugisse à monumento perterritas, neq; cuiquam quicquam dixisse. Matthæus autem & Lucas scribunt, audito angelo, cum timore & gaudio magno cucurrisse,ut renuntiarent discipulis.Bis igitur adfuerunt, primum fugerunt territæ, & nemini quicquam dixerunt, secundò cum timore quidem, sed

simul gaudio abierunt celerrime nuntiatum discipulis, quæ audierant. Id quod usu ueniſſe mulierculis, adeò Domini amore flagrantibus, ac simul propter incredulitatem trepidantibus, sanè uerisimile est. Fraude pontificum auersa fuit ueritas resurrectionis Domini nostri, à gente Iudaica, quia occæcandi & reijciendi erant. Vt igitur ueritatis dilectionem respuerunt, ita missa illis fuit efficax erroris operatio, licet hoc cõmentum Pontificum, per se plus quàm inane esset. Si enim dormierunt ministri custodes, qui uiderũt discipulos suffurari corpus Domini? Aut si quis illis postquam euigilarunt narrauit, cur non corpus ab illis repetierunt, quod utiq; perfacile eis fuisset, fretis potentia præsidis, tanto Iudæorum ad id fauore ac studio.

Certauit Christi bonitas cũ incredulitate discipulorũ.

Per totam uero hanc historiam uidemus Domini bonitatem, cum suorum incredulitate mirifice certasse. Etenim cum ne angeli quidem persuadere discipulis resurrectionẽ suam poterãt, exhibuit ipse se uiuum illis, multis argumentis, ut Lucas in Act. testatur. Alloquutus enim eos fuit, non uidendum solum, sed & identidem tangendum sese præbuit, comedit unà, adhibuit testes mulieres, & discipulos quosdam, quos ut & alijs ueritatem atteſtarentur, certos de sua resurrectione reddidit, adeoq; nihil omisit, quo illam credibilem suis redderet.

In fide resurrectionis sita omnia.

In fide nanq; resurrectionis eius sita est salus nostra tota. Mortuus siquidẽ est, propter peccata nostra, resurrexit autem propter iustificationem nostrã. Rom. 4. Satisfieri pro peccatis nostris oportebat, ideo mortuus est, ut autẽ iustificemur, opus spiritus est, qui gratiam Dei per Christum factam nobis persuadeat, & fide syncera ita instruat, ut efficaciter illa sese per dilectionẽ exerat. Hoc spiritus regnantis iam Christi donum est, neq; potuit locuples adeò orbi contingere, nisi postquã deuicta morte & peccato, regnũ sanctorum ipse iniuisset. Et quæ demũ fiducia, in eum ut seruatorẽ esse, potuisset, si mortuus pro peccatis nostris, in morte hæsisset? Quis satisfactũ patri p nostris peccatis credere sustinuisset, illo adhuc in carcere mortis detẽto, qui dissoluturũ debitum nostrum sese recepisset? Mori ergo oportuit eum, ut indignatio Dei à nobis submoueretur, interireq; & in nobis peccatũ, resurgere uero, ut per spiritum eius, ad imaginẽ ipsius continuo reformaremur, hoc est, iustificaremur.

Nouitas uitæ à fide resurrectionis.

Quisquis igitur resurrexisse à mortuis Dominum credit, & satisfactum pro se, & ad beatam uitam spiritu eius sese renouandum dubitare non potest, fiducia in Deũ certa & efficaci uiuet, nihil sibi à peccato, uel morte timens, peccatum autẽ quotidie mortificabit, ut cum Christo suo, peccato & ipse mortuus, Deo uiuat. Hinc Petrus constare fœdus bonæ conscientiæ erga Deũ, per resurrectionẽ Iesu Christi, qui est ad dexterã Patris, affirmat. De gratia siquidẽ Dei, non nisi per fidem in Christũ certi esse possumus: iam, ut dixi, si non uictorem mortis, regnare eum ad dexterã Patris, omnibus prælatum credamus, eo niti fides nostra haud poterit. Nõ ergo abrefuit, tam diligẽter fidẽ resurrectionis suæ astruere, neq; mirũ, si natura hominis difficile ad eã puenire potuerit, & hodie possit, cũ in nobis nihil boni sit, neq; segniter certe remorari nos & satanas soleat, ut in qua nouerit, salutẽ hominũ totã esse sitã.

Singularis autem erga Petrum Domini gratia declarata est, cui licet se negasset, peculiariter & annuntiari suã resurrectionẽ, & etiã ipse apparere uoluerit, uti ex Luca & 1. Cor. 15. liquet. Neq; sanè uulgaris beneuolentia fuit, & quæ Thomæ exhibita est. In historia uero, quam Lucas de duobus discipulis, qui Emauntem petierant, & Domino adiungente se illis, & tandem etiam reuelante, primum obseruandum, quàm utile sit de Christo loqui. Isti enim & si nulla ferè fide in Dominũ reliqua, de gestis tamen eius loquerentur, adiunxit se eis, & plenius de se edocuit, ac mox aperte se illis rediuiuum agnoscendũ exhibuit. Ita non poterit Christi cognitio non plena tandem contingere illis, qui auide de ipso & cum amore eius, cogitant & loquuntẽ.

Quæ in historia euntium in Emaus.

Deinde exposuit eis scripturas, exorsus à Mose & omnibus prophetis. Siquidem quicquid uspiã in scripturis, de misericordia, bonitate & sapientia Dei, tum de expiatione

pfatione & purgatione peccatorum ſcribitur, proprie Chriſto competit. Sic & poſtea, ubi congregatis omnibus aderat, mentem dedit eis, ut ſcripturas intelligerent, quas in ipſo oportuit impleri. Multa autem apertiſſima oracula in Moſe, Prophetis & Pſalmis de Chriſto ſcripta ſunt, quæ ſingula enumerare & enarrare, proprium librum requireret. Quare autem ſcripturæ loca, & qua ratione ſint à Domino hiſce duobus diſcipulis, tum adducta, tũ explicata, ex ijs, quæ ab ipſo de ſe & citata, & interpretata Euangeliſtæ ſparſim memorant, quæq; ad adſtruendam fidem eius. Apoſtoli quoq; ſuis ſermonibus, atq; ſcriptis teſtimonia accerſiuerunt, cognoſcere licet. Nec enĩ illa ſic de Chriſto, & ijs, quæ paſſus eſt, atq; geſſit, proprie clareq; loquuntur, ut comprehendi illis, tenericq; poſſit animus ſpiritu Dei uacuus. Cognitio Chriſti, cum uita æterna ſit, non poteſt humana facultate parari. Paulus inquit ὁ ψυχικὸς homo, quæ ſpiritus diuini ſunt percipere nequit, atqui ſi certis ac irrefragabilibus humanæ rationi teſtimonijs, probari poſſet, Ieſum Dominum noſtrum eſſe indubitatum Chriſtum, iam & homini, ſpiritus Dei inani, modo ſcripturas recipienti, id quod Iudæi faciunt, fides in Chriſtum perſuaderi poſſet, illaq; percipere, quæ ſic ſpiritus diuini ſunt, ut illis uita ſempiterna nitatur.

Proinde opus erat, ut ſeruator ipſe, diſcipulis ad intelligendas ſcripturas, mentem aperiret, omnia ſiquidem de Chriſto dicta ſic habent, ut & in alios aliquatenus tum dicta uideantur, tum etiam quadrent. Diuus Paulus non dubitat, illud quod Abrahæ promiſſum fuit, per ſemen eius uniuerſas orbis nationes benedicendas, hoc eſt, diuinioribus cœleſtis patris beneficijs afficiendas, tanquam præcipuæ lucis, ac firmitatis de Chriſto uaticinium, in teſtimonium Euangelij ſui identidem aduocare. *In ſemine tuo benedicentur.*

Cum autem, per ſemen, ſcriptura non unum quempiam, ſed numeroſam aliquam ſobolem ac poſteritatem fermè ſignificat, quàm facile eſt Iudæo pertinaci & lubrico, ut omnis eſt impietas, iſtuc de Iſraële, populo Dei, dictum eſſe cõtendere, per quos legis, cognitionisq; diuinæ ſacratiſſimum beneficium ad reliquas gentes, partim peruenit, partim prouenturum eſt. Porrò ei, cui pater reuelare filium dignatus eſt, multo facillime uidet nequaquam opis eſſe humanæ, cuiquam diuinæ cognitionis legisq; donum conferre, cum quicquid per hominẽ hic fiat, nihil niſi inanis queat plantatio eſſe atq; rigatio, duntaxat ubi defuerit incrementum ſpiritus. Vt igitur agnoſcet plurimos ex poſteris Abrahæ, ad id certe cooperatos fuiſſe, quo beata hæc cœleſtis ſapientiæ beneficentia ad gentes perueniret, haudquaquam tamen illos præſtare potuiſſe, ut eam illæ percíperent, æque certo uidebit, quia ſpiritum ſempiternum, illi, quo ea ſolo percipitur, donare nequiuerunt. Hinc ducente ſpiritu patris ad Chriſtum ſeruatorem, ſemen illud germanum Abrahæ, per quod orbi ſalus contigit, mẽtem attollet, certoq; agnoſcet uni oraculum illud proprie competere.

Haud aliter habet & locus ille ex promiſſione facta Dauidi. Item ille de propheta ex Iſraële excitando, quibus inter primora quoq; de Chriſto teſtimonia Apoſtoli utuntur. Nequit ſanè quiſquam inficiari, ut illum aliquatenus, in alios quoq; Dauidis poſteros, ita hunc, in alios uates etiam congruere, quod ſuprà ſuis locis dixi, at ſimul perſpicuum fuerit ei, quem ad filium traxerit pater, unum eſſe ſeruatorem noſtrum, in quo tam illa Dauidi, quàm de propheta, promiſſa Iſraëli, uere cõpleta ſunt. Ad eundem omnino modum comparata ſunt, & illa inſignitæ autoritatis oracula, Chriſtũ apertiſſime alioqui canentia Pſalmi ſecundi, Pſalmi centeſimi decimi, item Pſalmi ſupra centeſimum decimi ſeptimi, de regno atque ſacerdotio Chriſti, ac eo quòd unice ipſe dilectus Deo filius eſt. Omnia enim & in Dauidẽ, ſed ut ille Chriſti typus fuit, aliquouſq; quadrant, quod & ipſum ſuis locis oſtendi.

Nulli uero ſunt, qui minus conuenire alijs uideri queant, quàm ille ex Ieſaia ſexto primo, de Immanuele, item ex eodẽ capite ſexageſimo primo, de unctione ſpiritus, atq; Euangelij prædicatione, quod Chriſtus ipſe in ſe completum in ſynagoga teſta-

tus fuit, sed ut & in his fuerunt, qui typum Christi prætulerunt, ita citra negotium euincet Iudæus, ex parte duntaxat, de alijs quoq; eadē intelligi posse. Is autem qui spiritu iam doctus est, per unum mediatorem patri uisum omnia instaurare, & ab hoc, ut capite totius familiæ Dei deriuari, quicquid diuinioris benignitatis, ullis unquam mortalibus contigit, aut porrò continget, nihil addubitabit, utcū; in multis aliqua Christi deliniata imago præcesserit, atq; his, dicta de Christo, uel ex aliqua parte quadrent, unum tamen Iesum esse, in quo planè hæc omnia uera cernantur.

Vnde de Christo persuaserint Apostoli.

Et hoc sanè spiritu freti Apostoli tam multis persuadebant, Iesum, Christum esse, quod solis utique scripturis instructi haudquaquam potuissent. Nam quæcunque de Christo prædicta adducere potuissent, ut illa etiam Iudæi in nullum alium torsisset, quemadmodum hodie plurima sanè loca, quæ etiam in Christi typos aliquo usque quadrant, Iudæi nobiscum fatentur in unum Christum competere proprie, dicere tamen potuissent, non esse Christum, hunc quem illi prædicabant Iesum, præsertim cum tanta Iudæis per illum promissa sit felicitas, quam nondum præstitam uidebant. Id quod sanè, non Iudæorum tantum, sed & discipulorum, qui plurima à domino uiderant patrata miracula, uitamq; gestam innocentissime, planeq; diuinam, fidem usque remoratum est, & hodie præcipuum est, quo carnalis ille Israël in sua cæcitate potissimum detinetur.

Ex quibus cōstet demōstratio de Christo

Propositionem itaque Apostoli ex scripturis adferebant, memorantes quæ de illo promissa leguntur: assumptionem autem, cum dicerēt: Atqui hic Iesus, est illud benedictum semen Abrahæ, ille in primis audiendus propheta Dei, ille beatus omnium instaurator filius Dauid, hanc, inquam, assumptionem efficacia & energia probabant spiritus sancti. Sic cum uerbis, tum uita, nonnunquam etiam miraculis de diuinitate illius corda auditorum peruincebant, ut illico, iam & ipsi afflati eodem spiritu, & tracti à Patre, manus darent, Christóque nostro consecrari sese orarent. Hanc cœlestis spiritus uirtutem exeruerat Petrus, cum oratione testimonioq; suo de Christo, auditores compulisset continuo dicere: Viri fratres quid faciemus? Act. secundo. De hac efficacia spiritus Paulus cum aliâs, tum multis sanè gloriatur posteriore ad Corinthios tertio: Vbi memorat, ut se dominus ministrum dederit esse Noui Testamenti & spiritus, quo in corda illorum Christum inscripsisset, uiuamq; eos Christi Epistolam formasset.

Quibus opus ad intelligendum scripturas de Christo

Proinde ei, qui syncere scripturas intelligere uolet, pieq; illis uti, in primis orabit Christum, ut ipse mentem sibi aperiat, cœlestiq; luce perfundat. Hæc enim ubi abfuerit, pernicies è scripturis referri poterit, fructus non poterit. Deinde dabit operā, ut loci cuiusq; historiam rite expendat, ut si quæ dicta de Christo, eius typis, prodromis, atq; membris aliquatenus competat, id nullus inficietur, ne fidem scripturarū infirmet. Profecto graue est, ne dicam impium, quàm quidam scripturarum fidem labefactent, dum omnia simpliciter & præcise, nullis admissis typis, in quibus quæ Christi sunt aliquatenus adumbrata præcesserint, ad Christum ipsum rapiunt, & in quouis loco, quæuis prædicta, traditaq; esse, contendunt. Non uideatur adeò indignum, ijs partem elogiorum Christi concedere, quibus seipsum Christus donauit tam largiter, benignamq; adeò sui impertiuit partem spiritus.

Postremo fixum hoc semper in animo sit, Iesum nostrum esse uerbum Dei, per quod facta sunt, fiuntq; omnia, non cōditione solum, sed etiam gubernatione, tum quòd Patrem nemo unquā uidit, eaq; omnia quæ de eo nobis reuelata habemus, per unigenitum, qui est in sinu Patris, reuelata esse. Hunc deniq; esse, per quem uoluerit Pater instaurari perficiq; omnia, tam quæ in cœlis sunt, quàm quæ in terra. Eoq; recte ipsum caput sanctorum uocari, qui in sanctis, quæcunq; laudata sunt, solus efficit. Et Abrahā & Dauid, ac quisq; alius sanctorum priscorum dicere potuisset: Viuo iam non ego, sed uiuit in me Christus.

Hæc

Hæc itaq; dum pia mens solida fide tenuerit, religiosaq; animaduersione expenderit, quicquid omnino in scripturis legerit, in eo statim Christum suum clarissime cernet, ac quascunq; laudes illa celebrat, proprijssime eidem competere nihil dubitabit, sic quocunq; inciderit, manifesta se de seruatore suo oracula legere nihil dubitabit. Sic cum leget uerbo ex nihilo omnia condita, statim hoc ipsum uerbum, esse Christum suum agnoscet. Leget deinde terram inanem, uastam, horrendamq; primum fuisse, ac postea ornatu suo per uerbum donatam, hinc illico cogitabit, sic quoq; uacuum omnis boni esse hominem, antequam per Christum, uirtutum decoris donetur. Incidet in illud: Ad imaginem Dei conditum hominem, continuo obuersabitur menti Christus, qui uerus homo, solus imaginem illam perfectam exhibuit, eamq; & electis unus restituit. Tum occurret dictum illud Adæ de uxore, propter hanc relinquet homo patrem & matrem, &c. mox spiritus, qui & Paulo hoc ostendit, docebit, istuc nequaquam in uulgaribus coniugibus rite impleri, sed Christum demum ipsum uerum ostendere suo ineffabili illo, quo complexus est ecclesiã, amore. Veniet posthæc ad pœnam de peccato Adæ & uxoris sumptam, hęc ei illud Christi munus prædicabit, quo igni sæuerioris castigationis, peccatis repurgat sanctos, Beneficia quæ mox expulsis ob peccata Paradiso hominibus, partim promissa, partim exhibita fuere, omnia quoq; in primis Christum contemplandum offerent, quòd unus ille moderator & sequester sit, per quem sancti, ut peccatorum ueniam, ita quæuis alia Dei beneficia percipiunt.

Quomodo Christus in scripturis prædicatur.

Ad hunc modum, quicquid uspiam beneficiorum Dei, quicquid uirtutum, quicquid in salutem hominũ per quemcunq; gestum legerit homo spiritualis, id illi omne, uaticinium simul & præconium de Christo erit. Facta sunt per illum, quod iterum atq; iterum memorandũ est, omnia: omnia igitur illum, nempe fictorem suũ, & cuius est, quicquid sunt, habent, aut possunt, referant oportet, præsertim animo Christi uere studioso. Sicut autem homines, alijs creaturis plus diuinitatis possident, maxime sancti, ita ij rebus alijs expressius Christi in se imaginem exhibent. Omnium autem expressissime, qui cæteris hominibus, in sortem diuinitatis euecti sunt altius. Hinc est, ut quæ Dei Noah, Abraham, Itzaak, Iacob, Ioseph, Dauide, Salomone, Chizkijah, Ioschiah, alijsq; primæ classis sanctis, ac omni etiam populo Dei scriptura memorat, præcipue de Christo ab Apostolis atque adeò à Christo ipso, interpretata sint. Etenim quo ij maiora mortalibus beneficia præstiterunt, eo luculentius Christum omnis diuinæ in homines beneficentiæ sequestrum & promum, retulerunt. Propheta quemadmodum Deo usum in hisce Christi sui imaginem deliniare plenius, ita quæ de eo uoluit orbi prædicare, in horum potissimum elogijs, ipsisq; factis promissionibus, proposuit: unde factum, ut cum huiusmodi heroum laudibus, tum promissis permixta ferè sint, quæcunque sacræ literæ de Christo prædicant. Nam etiam in his rudimenta sua, & initia quædam, omnia Christi habuerunt, non quidem illa tam angusta, tam diuina, ut in Christo omnium istorũ præstita est impletio: quid alioqui umbra differret à ueritate, rudimenta tamen fuere, tenuesq; inumbrationes.

Omnia Christum referũt.

Quæcunq; siquidem de Christo scripturæ prædixerũt, hæc ferè sunt, gẽtes quoq; ueritati adducturũ, utq; uera iustitia, ita solida quoq; pace & fœlicitate donaturũ in se credẽtes. Horũ, quãuis tenuẽ, umbrã tamẽ, & imperfectã imaginẽ exhibuit, populus Dei, uerus Israël, uerus Iehuda germanaq; Dauidis soboles. Nã per hos Dei cognitio & plantata & prolata fuit, etiã ad gẽtes, etsi eo latius, pleniusq;, quo propius uentũ fuit ad tempus Christi, qui nimirũ impleturus erat omnia, quæcũq; unquam illi populo, siue in Abrahã, siue Iaacob, siue Iudach, siue Dauide, siue alijs, aut in cõmuni, omnibus promissa diuinitus fuerunt. Hæc qui spiritu probe retractarit, tũ animo Christũ ardẽti in scripturis uersari uolet, facile ubiq; uidebit, quæ et qua ratione

Christus de se sacra oracula discipulis suis, ex lege, Psalmis, & Prophetis produxerit exposueritq;. De his dicam & in Ioanne aliqua, Christiani iudicēt, & utinā causa probe cognita, ac precipue obseruatis ijs testimonijs, quæ Christū de se ipso adduxisse Apostoli memorant, & ipsi quoq; de eo citarunt. Indubie enim tam quæ hic Christus citauit apud discipulos, quibusq; postea Apostoli, ad adstruendū Euangelion usi fuerint, eiusdem monetæ fuerunt, cuius esse uidentur, quæ apud Euangelistas & in scriptis Apostolicis legimus. C

Præterea in hac historia discipulorū quibus se dominus ad Emauntē exhibuit cognoscendum, obseruandum est, quòd hi discipuli cognito Domino, illico regressi ad discipulos fuerunt, quamlibet uespera esset. Neq; enim potest Christum nō illico prædicare ardentissime, qui uere eum agnouerit, huicq; prædicationi nihil non posthabere.

Quidam superstitionum defensores, hinc probare conantur, unam ut uocant speciem, nempe panis, in Eucharistia præbendam laicis, quòd Christus panem solum discipulis his dederit, ut Lucas scribit. Sed fac esse, ut hic Dominus corpus suum panis symbolo dederit, quod tamen ex uerbis Euangelistæ non cōuincitur, quo ostendent eum non etiam sanguinem dedisse symbolo calicis? Si dicant de eo nihil scriptum esse, nec certe scriptum est, Dominum illis hic usum uerbis: Accipite, mandu cate, hoc est corpus meum.

Illa uero, quæ Ioannes memorat, amandatos discipulos ad prædicandum, donatum spiritum sanctum signo flatus, datamq; facultatem peccata remittendi, explicata sunt suprà 16. in illud: Et dabo tibi claues regni cœlorū: Salutatio illa, Pax uobis, præterquam quòd uulgaris Iudæis fuit, etiam hoc monet, firmam pacem, qua certi de gratia Dei sumus, bonicq; omnia consulere possumus, certamq; felicitatem, quæ pacis nomine Ebræis significatur, à solo Christo dari. D

In Galilæa uoluit potissimum dominus se uisendum suis exhibere immortalem, in qua regione & antea lucem Euangelij potissimum effulgere placuerat. Visum enim Deo fuit, ut ita glorioſa hæc redderetur, quæ perquàm obscura antea fuerat, de quo suprà capite 4. Ad Iudæam autem & Hierosolymā redire ipsos uoluit, quia ex Tzion lex & de Ierusalem uerbum Euangelij egredi debuit. Iescha. 2. Micah. 4. Tum ibi decebat glorificari Christum, quod per prædicationem Euangelij contigit, ubi ad mortem usq; fuerat humiliatus. Vnde & cœlos inde uoluit petere, unde petierat supplicium, nempe è monte Oliuarum, cui Bethania adiacet.

Data mihi est omnis potestas.

Amandaturus autē ad prædicationem Euangelij dicebat discipulis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, quam quidē Apostoli diligenter ubicq; prædicarunt, memorantes illū cunctis principatibus, & potestatibus præfectum, omniaq; subiecta esse pedibus eius. Huius ergo discipulos admonuit, quò alacrius Euangelion prædicandum susciperent, cum eius se legatos agnoscerent, qui omnium potestatem haberet, quem dubitare non possent, se nunquā deserturū, aut passurū mali aliquid accidere, quamlibet contra mundus sæuiet. Ad idem & illud adiecit: Ecce ego uobiscū sum, usq; ad consummationē seculi. Quid enim desit boni, aut adsit mali, ei qui continuo præsentē secū habeat eum, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra? Etenim in hoc, mundū carne reliquit, & dexteram Patris, id est, inuisibilem Dei maiestatē petijt, ut spiritu suo adimpleret omnia. Iuxta illud Ephes. 1. Suscitauit eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatē, & uirtutē & dominiū, & omne nomen quod nominat, non solum in seculo hoc, uerū etiā in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eū dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementū, qui omnia in omnibus adimplet. O utinam hanc domini nostri præsentiam uere omnes agnoscemus, & indubie ab eius iussis nunquam pilum latum deflecteremur.

Porrō

Porrò ex eo, quòd Dominus mandauit docere gentes, baptizantes, &c. Anabaptistæ infantium baptismum fortissime oppugnare sibi uidẽtur. Sed his responsum suprà est, cap. 3. Sanè dum non habent locum, quo præcipitur, tantum doctos baptizare, nihil roboris suæ sententiæ hinc adferent. Etenim & nos docemus, antequam baptizemus. At ubi Euangelio accedunt qui illud audierunt, & baptismate eis fœdus Domini impartitur, iam sunt fœderis huius participes & infantes eorũ. Cui siquidem Dominus Deus est, eius quoq; semini Deus est. His itaq; cõmunicatio fœderis Ecclesiæ ministerio confertur, etiam priusquam ipsi doceantur. Nec enim uel hic, uel uspiam alibi scripturarum habetur, neminem baptizari debere, nisi ille doctrinam Christi per se quoq; perceperit. Sed de his suprà 3. fusius. Istud: Baptizantes in nomine Patris, &c. explicatum est, eodem capite. Illud uero: Quicũq; crediderit saluus erit, &c. tractatum suprà 19. est. Item de signorum ui, qua mundo inuectum Euangelion est, dictum est suprà cap. 7. Notandum autem, quòd ait eos qui credide rint signa secuturos, quæ enumerat, nec addit quoslibet & semper, unde satis fuit ad ueritatem huius promissionis, quòd signa ista, initio Euangelij facta sunt.

Porrò iam iam in cœlũ ascensurus, sublatis manibus benedixit suis, ut signo eo benedictionis uerba, quibus indubie ea ipsis precatus fuit, quę promiserat, penitius discipulorum cordibus insiderent. Visus deniq; est dominus in cœlum ferri, & nubes subduxit eum ab oculis discipulorum. Cœlestia enim ista uisibilia omnem creaturam reliquam, magnitudine, uirtute, & perenni motu, infinito quodammodo superant, quare sedes Dei dicuntur, qui tamen omnia implet, quæq; ad Deum concedere scriptura prædicat, ideo in cœlum ferri, sicut & de cœlo uenire quæ à Deo ueniunt, memorat, de quo suprà cap. 3. Cœlũ ergo in quod Dominus noster ascendit, inuisibilis Patris gloria est, & inaccessa diuinitatis lux, ubi contemptus paulò antè & execratus filius hominis in summa potentia beatus regnat, habens subiecta uniuersa, & spiritu suo apud electos instaurans, & perficiens omnia.

Cuius cum tandem fides facta discipulis esset, licet ex oculis Dominũ amisissent, cum gaudio magno tamen regressi sunt Ierusalem, semper in templo laudantes & benedicentes Deum, donec iuxta mandatũ Domini irent ubiq; prædicatum, ipso cooperante & sermonem eorum confirmante sequentibus signis. Sentiebant tum uerũ, quod dominus eis dixerat, expedire ipsis, ut carne abiret. Dum carne eis adesset, carnales usq; erant, & carnalia sapiebant, ubi autem se carne eis subduxit, & spiritu adesse cœpit, gaudio solido affecti, summa cum alacritate, toti in prædicando & extollendo Deo erant, & quidẽ loco celeberrimo, & inter hostes infensissimos, nempe in templo, donec patentiori & insigniori uirtute spiritus Dei instructi, abirent prædicatum in omnem terram.

Ita solida pietas, synceraq; fides, tum demum & nobis aderit, quando Dominum nostrum Iesum Christũ pro peccatis nostris mortuum, & ad dexteram Patris in cœlestibus omnibus imperantem, & salutem nostram felicissime perficientem, adoramus, agnoscentes ipsi à Patre omnium potestatem traditam, ipsi nos curæ esse, nostræ deniq; salutis caussa ita regnare, & regnaturum, donec omnia subiecta pedibus eius fuerint, & expurgato in electis omni peccato, deuictaq; morte, hoste ultimo, Deus fuerit oĩa in oĩbus, cum & ipse regnũ suũ intercedẽdi pro nobis peccantibus, à peccatis nos purgandi, cõtra satanã defendẽdi, & à morte liberãdi, Deo & Patri tradet, cum nimirũ nihil peccati reliquũ electis omnibus fuerit, pro quo intercederet, quo purgaret, aut cuius caussa satanæ uel morti, cõtra nos aliqd pmitti posset. Hoc beatũ & glorioſũ Christi filij sui regnũ donet nobis optimus & clemẽtissimus Pater plene agnoscere, et ei saluãdos nos penitus offerre atq; cõsecrare, ut supna tanquã quæramus & curemus, ubi Christus Rex noster & seruator est ad dexterã Pãtris sedens, nõ terrestria, nẽpe ut huc toti incũbamus, ut cœleste hoc solũ fœlix regnum, quàm

Vnde solida pietas.

quàm plurimis innoteſcat, quàm latiſſime obtineat, communeq; fiat omnibus gen-
tibus, ut ualedicant homines rebus huius ſeculi, in quibus etiam externi hominis
felicitas fruſtra quæritur, ut bis inſanum ſit, quicquam ab illis interno homini expe
ctare, uni uero Domino noſtro Ieſu Chriſto ſeſe dedant, & per omnia conſecrent.
In eo ſiquidem uno complacitum Patri eſt, uniuerſam plenitudinem inhabitare, &
per eum reconciliare cuncta erga ſe, pacificatis per ſanguinem crucis eius, per eun-
dem, ſiue quæ in terra ſunt, ſine quę in cœlis. Coloſ. 1. Huic ſit gloria in ſecula, Amē.

Hic tandem finem huic libro enarrationum in Matthæū præcipue, quanquam
& Marci atque Lucæ ſimul ferè omnia tractarim, imponere libet, Dominus cuius
eſt, quicquid in his uere & pie ſcriptum eſt, efficiat, ut quicquid ſuum eſt, fructum
ſuum in gloriam Patris adferat, quicquid autem aſſutum eſt humanitus, donet
ut electi id agnoſcentes reſpuant, quo ſancti in omnibus ſolam ſuam paſtoris ipſo-
rum unici uocem audiant, & audiant tanquam uocē eius, quo & ſequi eam libeat.
Proinde oro & obſecro quotquot Chriſto nomen dederunt, ne quicquam eorum,
quæ nomine doctrinæ Chriſti Eccleſijs offeruntur, cauſſa & reſpectu miniſtrorum
offerentium, uel amplectantur, uel reijciant, habeant potius Chriſti doctrinam tam
ſanctam & deſiderabilem, ut quæ eius nomine obtruduntur, probēt omnia, ne un-
quam uel faſtidio hominis, uerbum reſpuant ſeruatoris ſui, uel admiratione homi-
nis, pro uiuo uerbo Dei, inane hominis commentum & ſomnium adorent. Vtrūq;
impietate plenum eſt, debetq; ab ijs qui Deum agnoſcunt, eſſe alieniſſimum. Nihil
igitur citra excuſſum iudicium Chriſtiani admittant, uel repudient, ſed ante omnia
orato à patre ſpiritu profundorum Dei ſcrutatore, omnia religioſe cognoſcant, ex-
cutiant, iudicent. Sic neq; humana pro diuinis unquam recipient, neq; diuina pro
humanis reſpuent, ſed uerbum Dei, ut Dei, non hominum ſuſcipientes, fructus uir-
tute ſpiritus cumulatiſſime proferēt, & uidebunt homines bona illorum
opera, coruſcante, ſcilicet, qua præditi ſunt, lampade fidei, pa-
tremq; inde noſtrum cœleſtem, horū omnium au-
torem, glorificabunt, & ipſi ad creden
dum uerbo eius, ipſumq; ut
Deū adorandū, allecti.
Fiat fiat. Deo
gratia.

M. BVCERVS CHRISTIANIS LECTORIBVS.

VM eadem ferè dicta, factaq; Domini nostri Iesu Christi, & non dissimili historiæ filo conscripserint Matthæus, Marcus & Lucas, necessarium sanè fuerit ei, qui unius historiam ordine, & uerbotim enarrare uolet, simul & reliquorũ duorum historias explanare. Id animaduertens, Matthæi historiam, quæ mihi non tantum esse fusior, sed certio rem quoq; ordinem gestorum domini obtinere uisa est, enarrandam suscepi, suis in locis diligenter adductis, simul & explicatis, quæ Marcus & Lucas, uel eadem, uel similia habent. Qua ratione factum est, ut Matthæi Euangelion enarrans præter unicum locum Marci, & paucula Lucæ, utriusq; Marci & Lucæ omnia, pariter excusserim. Ne igitur eadem sine caussa repetam, indicabo tantum, quo in loco Evangelistarum narrationum Matthęi, quæ Marcus & Lucas memorarunt, singula explicauerim: tamen quæ ita habent propria, ut ea in Matthæo præterierim, paucis exponam. In Marco unus dũtaxat locus est in Matthæo prætermissus, sed eum memorat & Lucas, quare in Luca ipsum enarrabo. Sunt qui Lucæ ordinem in memorandis gestis seruatoris nostri, ei quem obseruarunt Marcus & Matthæus, tanquam certiorem, ac rebus magis respondentem præferant, sed profecto illi haud probe Matthæi historiam considerarunt, res enim ipsa diuersum testatur. Quare ad filum Matthæi, non immerito Marcum, qui huius scripsit epitomen, & Lucam, qui nõ ipse omnia, ut Matthæus conspexit, sed accepit ab ijs qui ea uiderunt, eisq; interfuerunt, deduxi. Sicut prorsus ei, qui uel Marcum, uel Lucam recte cupit intelligere, Matthæus quoq;, omnium ut copiosior, ita & planior narrator consulendus est. Sed quod sæpe iam testatus sum, qui nolet friuola sectari, eum necesse est de serie & ordine eorum quæ Euangelistæ digesserunt, haudquaquam solicitum esse, Christũ ex ipsius dictis factisq; prędicare, institutũ eorum fuit, idq; egregie, si rite modo perpendantur quæ narrant, præstiterunt, etiam si non quo quæq; dicta gestaq; sunt, eo in literas ordine illa retulerint. Quod itaq; Deus, qui non tam melius nouit, quæ nos scire saluti nobis sit, quàm benigne eadem subministrat, latere nos uoluit, ne præposteram, & ad inflandum quàm ædificandum nos efficaciore curiositate perueștigemus. Diuinæ literæ, uiuendi non argutandi scientiam continent, quare is earum doctior iudicandus est, qui uixerit innocentius, & erga quoslibet officiosius. Id donet studere omnibus sapiẽtia Dei Christus, cui uolo acceptum feratur, si cui ad huiusmodi uitã, quæ sola Christianis digna & uere beata est, hæ lucubrationes quippiam contulerint, in hoc ipso ualete.

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

CAPVT PRIMVM.

INITIVM Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Prophetis. Euangelion auspicatur ab eo, quo iam Dominus manifestari cœpit, ut Christus, & orbis seruator, hoc est, filius Dei, primogenitus ille, qui in omnibus Patri adeò probatur, sicut & plenissime ipsum expressit, & in se exscripsit, ut per eum sic unice dilectum, fauorẽ & adoptionem reliqui electi consequantur. Ait ergo: Initium Euangelij Iesu

Christi filij Dei, sicut scriptum est in Prophetis, quod est: Inde initium describendi dicta factaq; Seruatoris, hoc est, renuntiandi Euangelij facio, cum iam in eo impleri cœperunt, quæ Prophetæ, quorum statim oracula subijcit, prædixerunt, Ieschaeia & Maleaci.

Ecce ego mitto nuntium meũ ante faciem tuam, usq; ad illud: Tu es filius meus dilectus, explicata sunt in tertio cap. Matth.

Et factum est in diebus illis, uenit Iesus) usq; ad illud, In quo mihi bene complacitum est) ad uerbum explicata sunt in Matthæo per totũ caput tertium. Et Ioannis primo ab illo: Et hoc est testimonium, usq; ad illud, postero die iterum.

Et continuo spiritus illum expellit in desertum) usq; ad illud: & non sicut scribę, singula enarraui in Matthæo cap. 4. Illud de autoritate Christi & audientium stupore explanatum est Matthæi cap. 7. sub finem.

Et erat in synagoga eorum homo) usq; ad illud, & dæmonia eijciebat) Tractata sunt ordine Matthæi cap. 8. ab illo: Et cum uenisset Iesus in domum Petri) usq; ad illud: Et cum audisset unus scriba.

Et uenit ad eum leprosus deprecãs eum) usq; ad finẽ capitis. Exposui istuc Matthæi cap. 8. ab eo, Et ecce leprosus accedens statim ab initio.

CAPVT II.

Et iterum intrauit Capernaum) usq; ad illud, mustum in utres nouos mitti debet.) Exposui hæc omnia in Matthæum cap. 9. ab initio, ad illud usque: Hæc cum illis loqueretur.

Et accidit ut trãsiret sabbathis per segetes,) usq; ad finem capitis: Enarratum hoc est Matthæi cap. 12. ab initio.

CAPVT III.

Et introiuit iterum in Synagogam) usq; ad illud ne se manifestum facerent: Explicaui Matthæi cap. 12. in illud: Et progressus illinc uenit in synagogam) usq; ad illud, tunc adductus est ad eum.

Et ascendit in montem, & uocat ad se) usq; ad illud, qui & prodidit illum, explanata sunt in Matthæo cap. 5. statim ab initio.

Et ueniunt in domum, & conuenit iterum turba) usq; ad finem capitis. Enarraui hæc omnia in Matthæum cap. 12. ab eo, Tunc adductus est qui Dæmonio agitabatur, usq; ad finem capitis.

CAPVT IIII

Et iterum cœpit docere iuxta mare) usq; ad illud, ita ut aliud granum adferat triginta, aliud sexaginta, aliud centum: Enarraui hæc in Matthæo cap. 13. ab initio, usque ad illud, Aliam parabolam proposuit eis.

Et dicebat illis, num lucerna incenditur) usque ad finem capitis. Exposita sunt Matthæi cap. 5. in illud: Vos estis lux mundi. Hoc solum prætermisi.

Qua mensura metimini, alij metiẽtur uobis, & adijcietur uobis qui auditis.

Hoc prouerbio dominus ostendere uoluit, tanto plus nos supernæ scientiæ, ac inde omnimodæ fœlicitatis percepturos, quanto & largiore fidei mensura animũ audito uerbo & mensi fuerimus, & ex promptiore præcãdi Euangelij studio, illud alijs communicauerimus, unde subijcit, Et adijcietur uobis qui auditis, id est, iuxta uulgatum prouerbium, quia benigna auditionis mensura uerbis meis auscultatis, unde indubiè idem & fideliter prædicabitis, uicissim bona mensura uerum intellectum, & cœlestem sapientiam admetietur uobis pater supremus. Hæc uerbo quoque attigi in Matthæo cap. 7. in illud: Et qua mensura metimini. De altero prouerbio, Nihil manet occultum, dictum quoq; est in Matthæo cap. 10. in illud, Nihil tectum quod non, &c.

Et dice-

Et dicebat,sic est regnũ Dei) usq; ad illud: Seorsim aũt discipulis suis exponebat omnia.Ista ordine enarrata sunt Matth.cap.13.ab illo. Aliã parabolã proposuit eis.

Et ait illis in die illo cum facta esset uespera)usq; ad finem capitis. Hæc explanaui Matth.cap.8.in illud.Et cum esset ingressus nauem.

CAPVT V.

Et uenerunt traiecto mari in regionẽ Gadarenorum)usq; ad illud,Et omnes mirabantur.Exposita sunt Matth.cap.8.in illud,Et cum uenisset in ulteriorẽ ripam.

Et cum traiecisset Iesus naui rursus in ulteriorẽ ripam)usq; ad finem cap. Tractata sunt Matth.cap.9.in illud:Hæc cum illis loqueretur.

CAPVT VI.

Et egressus est illinc,uenitq; in patriam suam) usq; ad illud, Et obambulabat per uicos undiq; circumiacẽtes,docens.)Exposui hæc Matthæi cap.13.in illud,Et cum uenisset in patriam suam.

Et accersit duodecim,cœpitq; eos mittere binos) usq; in illud, & ungebant oleo multos ægros & sanabãt.) Explanata sunt Matth.cap.10.in illud.Et accersitis duodecim & quæ sequuntur.De illo præterea: Excutite puluerem in testimoniũ super illos,quædã dicta sunt Matth.cap.8.in illud.Sed abi ostende te sacerdoti.

Et audiuit rex Herodes,dicebatq;) usq; in illud, conueneruntq; ad illum.Ista explicata sunt Matth.cap.14.ab initio.

Et egressus uidit turbam multam)usq; in illud, quia erant uelut oues non habentes pastorem) Hoc enarraui Matth.9.in illud:Cum uidisset aũt turbas.

Et cœpit illos docere multa) usque ad finem capitis, explicata sunt omnia Matthæi cap.14. ab illo: Porrò cum appetisset uespera, ad finem usque capitis,Adhæc etiam Ioannis.cap.6.

CAPVT VII.

Et conueniunt ad eum Pharisæi) usq; ad finem capitis. Totũ hoc caput enarratũ est Matth.15.ab initio,usq; ad illud.Iesus aũt uocatis ad se discipulis.

CAPVT VIII.

In diebus illis cum turba admodũ multa esset) usq; ad illud. Venit in partes Dalmanutha. Tractata sunt Matth.ca.15.in illud: Iesus aũt uocatis ad se discipulis suis.

Et egressi sunt Pharisæi,cœperuntq; disputare cum illo)usq; ad finem capitis. Omnia ista ordine explicata sunt Matth.cap.16.ab initio usq; ad finem capitis.Quam quam illud: Quemcunq; puduerit, tractatum sit & Matthæi cap.10,in illud: Qui confitebitur me coram hominibus.

CAPVT IX.

Et dicebat illis,Amen dico uobis) usq; ad illud,donec uiderint regnum Dei uenisse cum uirtute. Hoc enarratum in Matthæo cap.16.in illud sub finem.Amen dico uobis,sunt quidam hic.

Ac post sex dies assumit Iesus Petrum & Iacobum)usq; ad illud,& timebant eum interrogare:Explanata sunt ordine in Matthęo cap.17.ab initio usq; ad illud:Cum autem uenisset in oppidum.

Et uenit Capernaum , & cum uenisset in domum) usq; ad illud,non me recepit, sed eum qui misit me. Tractata hæc omnia sunt in Matth.cap.18. ab initio , usq; ad illud: Væ mundo ab offendiculis.Præterea illud hic: Quisquis unũ ex talibus pue tis) expositum est & in cap.10.Matth.in illud:Qui recipit uos.

Respondit autem ei Ioannes dicens:Præceptor) usq; ad illud, nequaquam perditurus est mercedem suam.Explanatum hoc inuenies infra in Luca cap.9. in illud: Respondens autem Ioannes &c.

Et quiſquis offenderit unum ex puſillis) uſque ad illud & ignis non extinguitur. Expoſui in Matth.cap.18.in illud, Væ mundo ab offendiculis.

Nam omnis homo igne ſalietur) uſq; ad finem capitis,Enarratū eſt Matth.cap.5. in illud. Vos eſtis ſal terræ.

CAPVT X.

Et cum inde ſurrexiſſet,uenit in fines Iudææ) uſq; ad illud,ac in ſeculo uitam æternam. Tractata ſunt in cap.19.Matth.ſub finem capitis.

Multi aũt primi erunt poſtremi) uſq; ad finẽ capitis.Expoſita ſunt in Matth. cap. 20.ab illo,Et aſcendens Ieſus Hieroſolyma,uſq; ad finem capitis.

CAPVT XI.

Et cum appropinquant Hieroſolymis ad Bethphage) ad finem uſq; capitis, explicatum eſt in Matthæo cap.21.Quanquam iſtuc:Et cum ſteteritis orantes,uſque ad illud, Veniunt rurſus Hieroſolyma enarratum etiam ſit in cap.6.Matthæi in illud, Et cum oraueris &c.

CAPVT XII.

Et cœpit illis per parabolas loqui) uſq; in illud, ſciebant enim quòd aduerſus illos parabolam dixiſſet. Explicata ſunt in Matth.cap. 21.ab illo, Aliam parabolam audite,uſq; ad finem capitis.

Et relicto illo abierunt,ac mittunt ad illum) uſq; ad illud, & unde filius eius eſt? Explanaui iſta in Matth.cap.23.ab initio.

Et cum ſederet Ieſus ex aduerſo Gazophilacij) uſq; ad finem capitis, Tractatum eſt in Matth.cap.23.proxime ſub finem.

CAPVT XIII.

Et cum exiret è templo,dicit illi quidam è diſcipulis illius) uſq; ad finem capitis. Omnia tractata ſunt Matth.cap. 24. At illud, Cœlum & terra tranſibunt &c. explicatum etiam eſt Matth.cap. 5.in illud,Donec prætereat cœlum & terra. Item illud,Cauete uobis,uſq; ad hoc,Porrò cum uideritis abominationem,enarratum eſt Matth.cap.10.in illud,Cauete ab hominibus.

CAPVT XIIII.

Erat autem paſcha,& azimorum dies futuri poſt biduum) uſq; ad finem capitis, Omnia explicata ſunt Matth.cap.28.& Ioannis cap.18.

CAPVT XV.

Et confeſtim diluculo concilio inito ſummi ſacerdotes) uſq; ad finem capitis,tractata ſunt ſingula Matth.cap.27.& Ioan.cap.19.

CAPVT XVI

Et cum præteriſſet ſabbathum, Maria Magdalene) uſq; ad finem, explanatū eſt Matth.cap.28.& Ioan.cap.20.& 21.

FINIS.

EVANGELIVM SE-

CVNDVM LVCAM.

QVONIAM complures aggressi sunt contexere narrationem earum, quæ inter nos certissimæ fidei sunt, rerum, sicuti tradiderũt nobis hi, qui ab initio suis oculis uiderant, ac pars aliqua fuerant eorum quæ narrabant, uisum est & mihi, ut cunctis ab initio exacta diligentia peruestigatis, deinceps tibi scriberẽ optime Theophile, quò agnoscas eorum de quibus edoctus fueras, certitudinem.

Marcum ueterum quidam ex ore Petri, Lucam ex ore Pauli, sua Euangelia scripsisse affirmãt: sed ex hoc prologo satis liquet, Lucam non à Paulo, qui post necem Stephani Christum primum agnouit, sed ijs qui ab initio suis oculis gesta domini uiderant, atq; pars aliqua eorum quæ narrabant, fuerant, quæ scripsit accepisse. De Marco, cum ipse de se nihil testetur, nihil quidem est, quod certo affirmare ausim. Ex consonantia autem cum Matthæo & Luca facile apparet, aut ipsum domini gestis interfuisse, aut ab ijs postea qui eis interfuerunt, illa didicisse. Cur autem uel ij duo post Matthæum, uel Matthæus post hos, sua Euangelia scripserunt, cum eadẽ tamen omnes tres narrent, caussam hanc puto probabiliorem, quòd in diuersis, & multum à se dissitis regionibus illa cõscripserint, ita ut ad eam in qua quisq; regione fuerit, aliorum scripta non facile peruentura sperauerit. Cui nanq; dubium eos, qui mira ista domini gesta, & saluberrima uerba, fide ab initio perceperũt, instituisse prædicatoribus suis, ut literis illa mandarent, ne qua eorum exciderent, hocq; pacto alijs alia Euangelia conscripta fuisse.

Euangelistæ diuersis scripserunt.

Hanc uero occasionem illico Satanas arripiens, suos quoq; Euangelistas Ecclesijs obtrusit, qui dicta & facta domini conscripturos sese reciperent quidem, sed iuxta immiscerent sua somnia, uanaq; commenta, quo pacto euenit, sicut natura hominum fictis mire fauet, quod uel oblectatio quæ ex fabulis, apologis, gestibus histrionicis, pictura, & omne genus fictionibus percipitur, probat, ut falsa plurimi ueris præferentes, factitium sibi Christum formarent. Sic receptus à plurimis fuit Liber de infantia Saluatoris, cum multis alijs Euangelijs, & scriptis non apocryphis modo, sed simpliciter pernicijosis, cum quibus postea nõ leue sanctis Episcopis certamen fuit. Hoc malum, iam Lucæ tempore inualescere cœperat, unde studio ueritatis & synceri Christianismi, cum in ea regione, ut mihi nõ est dubium, neq; Matthæi, neq; Marci Euangelia extarent, compulsus fuit, ut & ipse Euangelion conscriberet, quo non tam hic Theophilus, ad quem peculiariter illud scripsit, quàm & alij missis nugis certitudinem haberent eorum, de quibus fuerant edocti. Verum ut aliquoties in Matthæo dixi, nequaquã etiam hic suo ordine, quo gesta sunt omnia conscribere instituit, satis habuit quædam domini dicta & facta, è quibus dominus noster Iesus Christus & seruator noster esse agnosceretur, fideliter narrasse, ut cuiusq; narrandi occasio, uel ex prænarratis, uel aliunde sibi incidisset. Perturbatior tamen ordo, in hoc & Marco, quàm Matthæo existit, quare enarrationem historiæ huius sanctæ, quam ferè eandem hi tres conscripserunt, secundum ordinem à Matthæo obseruatum, contexere mihi uisum est.

Cur Luc. Euãgelion scripserit.

Discamus autem hinc, Lucæ exemplo synceritati & certitudini in rebus Dei studere quàm diligentissime, ne quãdo humana cõmenta pro oraculis Dei amplectamur. Cumq; cuncti mortales, quamlibet sancti & docti, ut homines tamen sunt, ita & humana suis admisceant, quicunq; tale aliquid inter sermones Dei nomine Ecclesijs commendatos, animaduerterimus, quicunq; & quantuscunq; demum eius

Quantopere synceritati et puritati uerbi Dei studendũ.

autor exiſtat,prodere illud & notare ne negligamus. Quicquid enim non Dei,ſed c
hominis proprium uerbum fuerit,mendacium ſit,oportet,iam mendaciũ,pro uerbo Dei amplecti,quanta eſt creatoris noſtri contumelia? Ad hæc ſi quis inter amici cibos,uenenatam herbam aliquam admixtam uideret,non illico eius admoneret. Atqui nulla herba,tam nocere poteſt uitæ corporis,q̃ uerbum humanũ fidei, quæ uita eſt ſpiritus. Proinde qui fidi miniſtri fuerint conſtituti, ut familiæ eius cibũ ſalutis præbeant,ſi quando,ut hominibus nunq̃ non contingit, humanorũ cõmentorum uenena,imprudentes, cibis uere cœleſtibus, intermiſceant, admoneri eius, cum ſe,tum fratres,non ferre modo debent æquiſſime,ſed orare etiam. Vnde Paulus,uno & altero prophetante, reliquos iudicare uoluit, nimirũ, ne quid humanũ Eccleſijs nomine uerbi Dei obreperet. Hic certe uidemus Lucã, cõplures illos,qui aggreſſi fuerant contexere narrationẽ geſtorum domini, nullius inſignis mendacij,aut erroris notare, ſed tantũ incertitudinis, & tamen ſatis id cauſſæ ratus eſt,ut & ipſe horũ narrationẽ conſcriberet. Certe ſi in hac uita nihil habemus ſalubrius uerbo Dei,par eſt,ut non minus ſynceritati eius conſeruãdæ & illuſtrandę ſtudeamus,atq̃ Satanas fermentare illam & corrumpere continuo laborat.

CAPVT PRIMVM.

ERAT in diebus Herodis Regis Iudææ ſacerdos quidam, nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron,& nomen illius Elizabet. Erant autem iuſti ambo coram Deo,uerſantes in omnibus præceptis & iuſtificationibus domini irreprehenſibiles, nec erat illis proles, eò quod eſſet Elizabet ſterilis, & ambo prouectæ iam eſſent ætatis.

Maieſtas Euãgelij cõmendatur.

Ad cõmendandum pretium Euangelij, & tempus acceptabile, quod Euangelio d
in orbe ſonante, exortũ fuit, fecit aliquid & Ioannis, primi Euangeliſtæ tam miraculoſus ortus, quare cum Lucæ, ut & aliorũ Euangeliſtarũ, hic ſcopus fuerit,ut ex ijs quæ conſcriberet,gratia Dei,facta hominibus per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ probe agnoſceretur,tantoq̃ auidius ab electis reciperetur,etiam quæ diuinæ bonitatis miracula circa huius præcurſoris domini ortũ contigerunt,narrare uoluit. Omnia enim hæc magnifice adeò benignitatẽ Dei referunt, & egregie teſtãtur, tum uere dies,annumq̃ gratiæ illuxiſſe,& uelut ſalutiferã diei diu expectatæ,in qua noſtra redemptio perficeretur,aurorã fuiſſe exortam. Proinde ut rem eximie memorabilem, ortum hunc Ioannis diligenter deſcribit, memorato qui tum apud Iudæos rerum potiebatur Principe, memoratis etiã,genere, dignitate, & pietate parentũ, dominiq̃ mirifica erga illos dignatione. Quæ omnia maieſtatẽ Euãgelij, gratiæq̃ Dei immenſam magnitudinẽ,quæ in his tam præclare uiſendã ſeſe exhibuit, nobis ita cõmendare debent,ut ea omnia quæ tanti uidentur Deo eſſe, & quidem noſtri cauſſa,& nos maximi ęſtimemus, ſummaq̃ & auiditate,& gratiarũ actione amplectamur. Deinde monemur,ut Euãgelion prædicandũ iuxta doctrinam Pauli, probatiſſimis,& modis omnibus ſanctiſſimis cõmittamus,ſicut hic uidemus omnia Ioannis præcipua ſanctitate fuiſſe uiſenda. Nam & ſi poſtea Chriſtus ad demonſtrandam exuberantẽ bonitatẽ & gratiã Dei,qui ex ijs quæ non ſunt,eximia gloriæ ſuæ uaſa facere poteſt & ſolet, Matthæũ publicanũ, & alios rudes admodũ in Apoſtolos adſumpſit,nobis tamen haud licet,niſi per omnia inculpatos,& ad regnũ cœlorum doctos,id eſt,quos uidemus diuinitus,ad prædicandũ Euangelium uelut deſignatos,prædicandi eius muneri præficere. Quia nõ eſt in manu nobis ſicut Chriſto,ut ſpiritũ donemus,cuius uirtute & inepta ruditas, ſumma pietatis eruditione, uitæq̃ prioris ſordes,incõparabili ſanctimonia cõmutentur, ac penitus obliterentur. De his plura in Matth.cap. 4. in illud: Vidit duos fratres,Simonem. Attamen dum

A dum non licet habere, qui Paulino Canoni, quẽ.1. Timoth.3.& Tit.1.legimus,per omnia respondeant, detur saltẽ opera, ut deligantur ad Euangelicam prædicationem,qui illi canoni accesserint propius. Ioannes ergo non tantum propria sanctitate conspicuus fuit, sed parentes quoq; habuit pietatis nomine laudatissimos, & præcipua dignitate præstantes. Vtrunq; nimirum ex sacerdotali genere,& in præceptis atq; iustificationibus domini irreprehensibiles. Fuit autem Zacharias de uice Abia,quæ,ut.1. Chron.24.legimus,inter uiginti quatuor,octaua fuit.Dauid enĩ ex filijs Eleazar, & Ithmar, uiginti quatuor Principes familiarũ,per sortem constituerat,qui per uices sacerdotio fungerẽtur.Octaua aũt sors Abia obuenerat.In huius iam loco & ordine sacerdotẽ agebat hic Zacharias.Is cum uxore, quã & ipsam de sacerdotali tribu duxerat, ut sacerdotẽ decebat, sancte adeò uitã instituerat,tam præcepta,quibus uitæ institutio continetur,quàm iustificationes,in quibus cultus Dei situs erat,quæ חקים in scripturis,id est,statuta & cærimoniæ uocãtur,diligentissime obseruãs,ut esset utercq; plane irreprehensibilis.Indubie sicut Paulus requirit Episcopũ irreprehensibilem,hoc est,ita uixit,ut iure à nemine reprehendi possit, nimirũ non solum à malo,sed etiam ab omni mali specie abstinens. Elizabet sterilis erat,sed ut miraculo postea tanto fœlicius mater fieret,ad exemplum Saræ.Nomina quoq; horum pietati pulchre respondebant. Zacharias enim qui lingua sancta זכריה dicitur, significat memorem Dei.Elizabet,si id nominis est, quod uxor Aaron habuit,id quod uerisimilius est, nempe אלישבע id est, Elischeba, Dei mei iuramentum,significat.Si uero אלישבט id est,Elischabet,dicta fuit, significat hoc nomen,Dei mei uirga,qualis sanè hęc mulier fuit,quę tam insignem fructum protulit. Si denicq; אלישבה id est,Elischabeth,dei mei quies significat, quæ & ipsa significatio huic mulieri haud male quadrauit, ut ex qua natus fuit, qui sempiternã

Zachariæ. Elizabet.

B demum & beatam quietem per Christum futuram prædicauit.

Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ coram Deo, secundum consuetudinem functionis sacerdotalis, fors illi obuenit,ut odores incenderet,ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis. Apparuit autẽ illi Angelus Domini, stans à dextris altaris, in quo thymiamata solent adoleri.Et Zacharias turbatus est eo uiso,ac timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia,quoniam exaudita est deprecatio tua.

Vt per uices sacerdotio fungebantur, ex institutione Dauid erat, ut iam dictum est.Tempus thymiamitis,fuit quotidie mane & sub uesperã,ut legimus.2.Mosch.30.Apparuit Zachariæ Angelus,in sacris operanti, quia tum ad percipienda diuina,mens eius aptior fuit.Indubie enim ablegauerat tum ab animo alias curas uniuersas. Terretur uiso Angelo,ut sanctos ferè omnes legimus ad conspectum Angelorum territos,eò quod natura hominis, propter præcellentiam, gloriæ diuinioris nequeat non turbari.Sentit enim se ab illa immutandam. Consolatur autem eum illico Angelus, quia & si corruptibile hoc interire oporteat,& immutari, fit tamen hoc,ut incorruptibilitas & immortalitas percipiatur. Ita quacunq; re electos suos Deus terret,ut in bonum ipsorũ id faciat, ita etiam ipsos in tempore suis promissis consolatur, & ad spem bonam erigit.Exauditam Zachariæ precationem,utiq; pro liberis, Angelus memorat. Quo uidemus sanctos citra offensam Dei,& pro liberis atq; externis bonis alijs rectissime Deum orare, si præmittant animo hæc: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat uoluntas tua. De quo in Matthæo octauo,in historia leprosi.

Conspectus Angelorũ terret cunctos.

Vxorq; tua Elizabet pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem, & C
erit gaudiū tibi & exultatio, & multi ſuper eius natiuitate gaudebūt. Erit enim
magnus coram Domino, & uinum, ſiceramq; non bibet. Et ſpiritu ſancto re-
plebitur iam inde ab utero matris ſuæ, multosq; filiorum Iſraël conuertet ad
Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum cum ſpiritu & uirtu-
te Heliæ, ut conuertat corda patrum ad filios, & inobedientes ad prudentiam
iuſtorum, ut paret Domino plebem perfectam.

Deus iſs, quos ad res magnas olim delegit, & nomina illis rebus reſpondentia
indere fuit ſolitus, uti in Abraham, Sara & Iacob exempla habemus. Sic et domino
noſtro Ieſu nomen inditum fuit, & ipſe Apoſtolis ſelectioribus poſtea nomina mu
tauit, de quo in Matthæo. 5. ab initio. Hinc & Ioāni, qui Chriſtum præſentem iam
orbi indicare & prædicare debebat, nomen hoc diuinitus impoſitum fuit priuſquā
naſceretur. Gratiæ & benignitatis ſummæ præco eſſe debebat, inde & à gratia no-
Ioannes quid ſignificat. men accepit. Siquidē quod nos Ioannes legimus, Ebr. יחנן id eſt, Iochanan, dicunt,
à uerbo יבן id eſt, gratificauit, beneuolus fuit, donauit. Vnde Iochanan, uel ut nos
loquimur, Ioannes, gratioſum ſignificat, quem Germanice huldrych uocamus. Et
ſanè gratioſus hic Zachariæ filius fuit, quē ad tam inſigne munus Euangelij Deus
tantis miraculis delegit, maioremq; quàm quiſquam ante eum beneficio demereri
genus humanum dedit. Nam dedi ei Chriſtum omnis gratiæ & miſericordiæ au-
torem mundo indicare digito, & prædicare clarius, quàm ulli unquam propheta-
rum qui ante eum fuit. Hinc recte Angelus dicebat: Et erit gaudium tibi & exulta-
tio, & multi natiuitate eius gaudebunt. Nimirum quòd præcurſor futurus eſſet ſal
uatoris omnium, tam anxie adeò electis expectati. Et hæc ſanè eius magnitudo co-
ram domino, & præcellentia fuit, quare & à Chriſto maior inter omnes natos ex
mulieribus, pronuntiatus eſt, de quo in Matth. 11.

Per id quod Angelus prædixit eum nec uinum nec ſiceram bibiturum, prædixit
enim fore Nazarenū, hoc eſt, domino ſanctificatum. De Nazaręorū uero obſerua-
tione legimus. 4. Moſch. 6. Abſtinere oportebat huiuſmodi à uino & ſicera, quod
Ebraice שכר Schecar dicitur. Id Ebræi dicunt uinum ſignificare defecatius ac ita
meracius. At quia diſcrimen inter יין quod uinū Ebręris ſignificat & שכר ubique
tam diſerte ponitur, uidetur שכר fuiſſe potus ille, quem ex carycis, fructu palmę cō
ficere ſolebant. Et hoc ergo delicatiore, ſcilicet, potu cum uino abſtinere oportebit,
נזירים id eſt, Nazirim, toto eo tempore, quo eos oportebat eſſe Nazaræos, id eſt,
ſanctificatos & ſeparatos domino. Eo abſtinentiæ genere electi ſubinde ſe domino
addictius conſecrabant. Noſtri monachi uideri uolunt illos referre, ſed cum à mul-
tis ſeſe abdicent, quæ haudquaq; perinde diuinarū rerum meditationē impediunt,
ut ſunt uaria genera ueſtium & ciborū, quorum illi uſum reſpuunt, uinum tamen
largiſſime omnes bibunt, & ad fouendam religionē ſuam, multo quàm alij purius
& meracius. Deinde quò ſibijpſis, & pauculis uiuant, per totum uitæ tempus ad il-
las ſuas fictas abſtinentias ſeſe uotis alligant, cum obſeruatio Nazaræorū ad tēpus
duntaxat duraret. Sed non eſt mirū, ſi inuentum hominū, ſtatuto Dei diſſimile ſit.

Ioannes Prophetas qui ante eum fuerant, diuinitate prædicationis ſuperare de-
bebat omnes, & erat peculiariter genti Iudaicæ Propheta deſtinatus, quare opor-
tuit ipſi nihil ad ſummam ſanctimoniam, uel in externis deeſſe, ne ab ipſo occaſio
eſſet Euangelij, quod prædicaturus erat, reijciendi, quanquā ne ſic quidē reprobis
conſultū fuerit: ubi enim omnia in eo uiderēt, homine maiore, dicebāt eum habere
dæmoniū, de q̄ Matth. 11. Vt aūt ſolida ſanctitate præſtaret, fuit ſpiritu ſancto reple-
tus, iā inde ab utero matris ſuæ. Vnde in puero etiānū futuræ ſanctitatis, p pieratis
portione

portione præludia uidebantur. Neq; enim credendum est, quæ uiri sunt, puerũ ad huc gessisse, sed indubie spiritu plenus, puerum egit plane diuinum & admirandũ, sed tamen puerum. De his nonnihil, in Matth. cap. 19. De functione uero Ioannis, plura diximus in Matth. 3. Ea erat, ut conuerteret multos filiorum Israël ad dominum Deum ipsorum, & ut illum præcederet Christum, in quo se dominus Deus Israëlis, populo suo proxime adiunxit, quiq; is est, cuius nomen quo electis uocaretur, fore יהוה צדיקנו Iirmiach 23. prædixit, dominus iustus noster, & præcederet eum in spiritu, & uirtute Heliæ. De his diximus etiam quædã in Matth. 11. in illud: Nam omnes prophetæ, & ipsa lex.

Et dixit Zacharias ad angelum: Quo argumento istud cognoscam? Ego enim sum senex & uxor mea prouectæ ætatis est. Ac respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto in conspectu Dei, missusq; sum, ut loquar ad te, & hæc tibi læta nuntiem. Et ecce futurum est, ut sis tacitus, nec fari possis ad eum usq; diem quo hæc fiant, eo quòd non credidisti uerbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat populus expectans Zachariam, & mirabantur quod moraretur in templo. Egressus autem non poterat loqui illis. Et cognouerunt, quòd uisionem uidisset in templo. Et ipse innuebat illis, permansitq; mutus. Et accidit, ut impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabet uxor eius, & occultabat se mensibus quinq;, dicens: Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus me respexit, ut auferret probrum meum inter homines.

Hic contra quàm fecerat Abraham, considerauit corpus suum iam emortuum & emortuam uuluam Elizabet, cum tamen haud quaquam eousq; ætatis prouecti essent, quo Abraham & Sara fuerant, igitur de hac sibi licet per angelum exhibita promissione dubitauit, & mutus factus est, ita si nos ipsos spectemus, fide infirmari oportet, si autem Dei potentiam & bonitatem, nihil est creditu difficile. Angelus ergo ut Zachariam à consideratione ætatis suæ & uxoris ad cogitandũ, per quem & à quo ista sibi nuntiarentur prouocaret, ait: Ego sum Gabriel, qui asto in conspectu Dei, missusq; sum, ut loquar ad te &c. Quasi diceret: Quid tuam & uxoris ætatem consideras, considera potius, quis ego sim, hæc tibi nuntians & à quo missus? Angelus, hoc est, nuntius Dei sum, asto in conspectu Dei missusq; sum ut hæc læta tibi nuntiarem: tam igitur quæ nuntio, uana esse nequeunt, quàm Deo aliquid impossibile. Quodq; te magis ad spem erigat, ego sum Gabriel, fortis princeps Dei, qui & Danieli futura multa olim prædixi, certo igitur euentura quæ à me audiuisti ne dubites. Quod autem non illico uerbis meis fidem habuisti, loqui non poteris, donec quæ prædixi fiant.

Hic obseruandũ, preces sanctorum, etiã cum ipsi omnem earũ rerum quas petierunt, spem posuerint, eoq; precari desierint, nequaq; ad Deum cassas tamen haberi: dixerat iam Zachariæ angelus, exaudita est deprecatio tua, unde notatur, quòd pro prole Deũ orauerat. Cum aũt nuntianti angelo eam precationem iam exaudiram esse, non credit, rursum colligitur, pridẽ eum precari desiisse, spemq; prolis posuisse, alioqui angelo credidisset. Nequaq; enim precari potuit, quod iam non sperabat sese impetraturũ. Habent ergo apud Dei bonitatẽ locũ adhuc preces nostræ, cum etiam nos eas, tanquã irritas neglexerimus, & ab eis defecerimus. Discamus ergo, ut confidenter ita & perseuerãter orare, neq; dubitare, quicquid saluti esse nobis & cõmodo poterit, suo tempore nos à domino accepturos.

Grauida facta Elizabet, occultauit se mẽsibus quinq;, forte quòd uoluit reipsa, iã

utero

utero, scilicet, tumente, Dei erga se bonitatẽ prædicare, ne si ante prædicasset, quod C inter homines uersans, præ immenso ex dono Dei gaudio omittere non potuisset, irrisa fuisset, quippe quæ in ætate tam aliena, impregnatam se gloriaretur. Postea ergo quàm & uterus testabatur Dei erga se bonitatem, progressa est in publicum, illamq; & re & uerbis extulit, glorians dominum à se probrum suum inter homines abstulisse. Cũ enim benedictio domini sit fructificare & multiplicari. 1. Mosch. 1. recte probrum uocauit sterilitatem.

In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen uirginis Maria.

Quo declararet Deus quantum donum orbi donaret, misso Ioanne, prophetarũ maximo, multis miraculis ortum eius illustrem reddidit, & angelo præterea nuntio eum patri nasciturum prædixit. Vt ergo incomparabiliter maior Dei gratia est, quòd filium suum seruatorem nobis donauit, ita multo magis decuit, ut huius ortus miraculis coruscaret, parentiq; antea nuntiaretur. Missus itaq; à Deo fuit Gabriel, quo Deus futura, nouissimis diebus & antea suis annuntiari fecerat, in ciuitatem Galilææ &c. Cur in Galilæa & Nazareth uiculo obscuro, Christum matrem habere & educari cõuenerit, dictum est in Matth. cap. 2. In illud: Profectus habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareth. Cur aũt nasci à uirgine, & despõsata tamen, dictum est in Matthæo capite primo in illud: Cum mater eius Maria esset desponsata. Et in illud: Deprehensa est grauida à spiritu sancto.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratiosa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Supremũ diuinæ bonitatis erga mortales beneficiũ, Angelus iam exhibendum orbi, & exhibendum per Mariam nuntiare uoluit, ita ergo eam salutauit, ut animũ eius ad expectandũ eximium aliquid, ac lætissimum erigeret. Primum gratiosam salutauit, quod mihi cum eo, quod in scripturis subinde legitur, & mox ab Angelo subijcitur, inuenisti, uel nacta es gratiã apud Deum, idem esse uidetur, unde mox subiunxit: Dominus tecum, quod illius explicatio & probatio est. Qui enim gratiam & fauorem apud Deum nactus fuerit, cum eo sanè Deus est, & facit, idq; benedictione illico sua, hoc est, admirandis donis declarat. Hinc & hic tertium est: Benedicta tu inter mulieres. Benedictam uero inter mulieres, pro eo dixit Angelus, quod est, donis Dei nobilitatam præ mulieribus. Etenim facta filij Dei mater, dignitate super omnes mulieres euecta est. Siquidẽ omnis pro les, domini benedictio est: filium Dei, uice prolis accepisse, tanto maior benedictio existit, quanto ipse præstat filijs hominum, præstat autem infinito: recte igitur Angelus Mariæ dixit: Benedicta tu inter mulieres, id est, præ omnibus mulieribus. Qui autẽ ordo diuinæ dignationis hic in Maria descriptus est, is suo modo in electis omnibus ita se habet: Primum est gratia & beneuolentia Dei, qua nobis Deus ultro fauet et est beneuolus: proximum, ut nobiscum sit, hoc est, faciat, id denicq; declaratur per benedictionẽ eius, qua donat nos suo spiritu, spiritu innocentię & pietatis, quẽ & reliqua bona comitantur. Sic Maria quoq; in primis, hoc spiritu benedicta fuit, licet hic de ea potissimũ Angelus benedictione loquatur, quæ peruenit ad electos omnes, cuius, scilicet, annuntiandæ caussa aderat.

Aue gratiosa

Benedicta inter mulieres.

Hæc discere oportebat, ex hac salutatione, ut agnosceremus nemini uel tantillũ boni adesse posse, nisi per domini benedictionẽ, eam uero sola Dei gratia, nulloq; nostro merito cõtingere, cuicunq; cõtigerit, cũ male cõciliati quidã studio uentriũ suorum docuerint, ex hac salutatione multoties repetita, contexere serta & coronas uirgini Deiparæ, quasi non infanda blasphemia sit Dei cum primis, tum & uirginis sanctæ, ac etiam Angeli, sine mente, syncerocq; pietatis studio, uerba ista sanctissima

Blasphemant Mariam qui sine pietatis studio eam salutant.

sanctissimâ recitare. Prætereo innumeras alias, ad quas uerbis istis abuti illi docuerunt, superstitiones. Qui igitur Christi matrẽ uoluerit salutare ut gratum ei sit, Angelus sit oportet, à Deo missus, hoc est, spiritu Dei præditus, quo nihil nisi Dei gloriam quærat. Amat enim ipsa super omnia Deum, unde nemo ei gratificabitur, nisi qui in primis fide uera gratificari studuerit Deo. Cæteri ita salutabunt eam, ut illi dominum nostrum Iesum Christum, qui conspuentes ipsum dicebant: Aue Rex Iudæorum, simul cædentes faciem eius palmis.

Illa uero cum uidisset, turbata est super oratione eius, & cogitabat qualis esset illa salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Is erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Esa. 7.

Naturæ humanæ ingenium Maria hic retulit: nam natura nostra ut dictum supra, à diuiniore immortalitatis luce terretur, eo quòd sentiat se ab illa absorbẽdam. Consolationem aũt mox Angelus adiecit, gratiæ enim Dei nuntius erat, non iræ. Ne timeas, inquit, Maria, gratiam nacta es apud Deum: Ecce concipies &c. Gratiæ enim incomparabilis declaratio fuit, quod matrem eam unigeniti sui Deus elegerit. Porrò uaticinium Ieschа, 7. ad quod Angelus hic allusit, tractatum est in Matthæo, cap. 1. Ibidem & de nomine Iesu, & de regno Christi, de quo & locis alijs cõpluribus. Domus Iacob autem, electi sunt, posteri Abrahæ & Israëlis ex promissione, de quo. .& 9. Roman. Regnabit super hos Christus suo spiritu, eos saluans in æternũ, hoc est, donec ultimus hostis à domino conficiatur, & sit iam Deus omnia in omnibus, de quo 1. Corinth. 15.

Dixit aũt Maria ad Angelum: Quomodo erit istud, quandoquidẽ uirum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Atq; ecce Elizabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ dicebatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum. Dixit aũt Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Ac discessit ab illa Angelus.

Desponsata erat Ioseph, & tamen rogat, quomodo mater fiat. Etsi enim uirũ tum nondum cognouisset, sciebat tamen coniugij iura esse, ut porrò cognosceret, ac ita non uidetur caussa cur ambigeret, quomodo, aut à quo posset. Videtur ergo mihi, ubi audiebat se Messiah matrem fore, & homine maiore filium se pariturum, simul etiam suspicatã esse, aliam quàm à uiro conceptionẽ, & ideo rogasse, quomodo mater futura esset, quę uirũ nondũ cognosceret. Quasi diceret: Virũ non cognosco, et si uiro desponsata sim, tu uero mihi narras de filio, quem saluatorem mundi sim paritura. Si quid huius ad sponsum meum pertineret, ipsi hæc oporteret narrari. Nunc mihi ea narras, adhuc inexpertæ uiri, & diuinum plane partum annuntias. Hæreo igitur quo pacto eius matrem fieri me oporteat, an coniunctione uiri, à qua adhuc aliena sum, an alia forte ratione diuiniore. Cui Angelus respondit, spiritum sanctum super eam uenturum, & uirtute altissimi obumbrandam, quod idem est, eoq; sanctum id, quod ex ipsa nasciturum erat, uocandum esse filium Dei, ut qui ex tra semen uirile esset nasciturus, atq; adeo expers omnis peccati, unde & Dei filius uocatus est, etiam ut homo, nec id solum ut sancti alij, propter spiritum & studium Dei, sed etiam quòd ex nullius patris hominis semine esset procreatus,

quanquam

quanquam uerus tamen homo ex ipsa uirgine natus, qui haberet secundum carnē C
& matris causſa, patres & hominibus & maiores, quos mater, scilicet, habuit, unde
& filium hominis, id est, uerum hominem ubicp in Euangelijs sese appellauit. Ho-
stia pro peccatis electorū omnium esse debuit, qua illi penitus expiarentur: Igitur
absq peccato illum nasci oportuit, atcp adeò ex spiritu sancto nō ex uiro. Vir enim
similem sui, hoc est, peccatorem genuisset. Adiecit uero Angelus ad confirmatio-
nem tantæ rei exemplum Elizabeth, in qua similiter Deus dignationis suę miracu
lum ostenderat. Sic copiose Deus suos docet, consolatur, fidecp firmat. Quod utinā
& nos docendi copiose & benigne quoscp studium imitari, quàm præscribere tan-
tum credenda, & si quis ea non protinus recipiat, eum Satanæ dedere mallemus.

Ad hæc Maria Domino se cōmisit, quamlibet supra captum suum omnia essent,
quod ex sequentibus satis patet: Ecce ancilla Domini, inquit, fiat mihi &c. Sic solēt
credulę Deo mentes, etiamsi multo maiora promitti sibi audiāt, quàm uel se digna,
uel captui suo æqua agnoscant persuasi siquidem sunt Deo omnia possibilia, & di-
uinæ bonitatis nullū esse modum, ideo bonitati eius sese contradunt, precantes ut
uerbum domini in se impleatur. Hac demum fide, mater seruatoris nostri Maria fa
cta est, quam si imitari possemus & nos, matris, fratrum & sororum loco Domino
haberemur, de quo Matth. 12. sub finem capitis.

Exurgens autem Maria in diebus his, abijt in montana cum festinatione
in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, ac salutauit Elizabet. & fa
ctum est ut audiuit salutationem Mariæ Elizabet, salijt infans in utero eius.
Et repleta est spiritu sancto Elizabet, exclamauitcp uoce magna, & dixit: Be
nedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi,
ut ueniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est uox salutationis
tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Et beata quæ
credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino.

Cum in rebus quibuslibet uerum sit, simile simili gaudere, & Deum semper simi
lem ad similem ducere, in rebus Dei est id tanto uerius, quanto hæ syncериores &
solidiores sunt, sunt autem uel solæ syncerae & solidæ atcp iustæ amicitiæ capaces.
Sic deipara uirgo, benedicta inter mulieres, ubi benedictā Elizabet audiuit, quam-
uis uirgo, & insueta proculdubio peregrinationis, è Nazareth in Iudæā usq abit,
cognatam suam, de benedictione sibi facta exhilaratura, & de ea quæ illi contige-
rat ei congratulatura. Ita non corpore solum, quanquam etiam corpore, uerum po
tissimum animis iungit, quoscunq uere possidet spiritus Christi. Hinc tam ardens
Paulo desiderium erat, fratres identidē inuisendi, hinc tam multa fratrū salutatio.
Vnde omnino uerendum hodie multis, qui inter primos renati Euangelij uindi-
ces sese numerant, perparum adesse adhuc spiritus Christi, quòd amicitiæ & con-
iunctionis, atque familiaritatis erga fratres tam paruam habere rationem agno-
scuntur. Vere si cui Christus recte cognitus sit, is non poterit non ardentissime eò
rapi, ubi habitare illum credat, hoc est, ad omnes, qui uel ore nomen eius confiten-
tur, nec factis negant.

Infans salijt in utero matris ad præsentiam Mariæ, ita nimirum mater eius gaude
bat. Quanquam autem naturale sit matribus grauidis subito gaudio affectis, infan
tes dum mensem quintum superarint, sese in utero mouere, ac uelut exilire, tamen
simul indicium quoddā gratię orbi per Christum exhibendæ fuit ista infantis Ioan
nis exilitio. Cuius specimen clarius in eo editū fuit, quòd mater Ioannis, simul atcp
salutationem Mariæ audiuit, repleta fuit spiritu sancto, eiuscp instinctu recondita
Dei agnouit. Vnde illa, scilicet, exclamatio erat: Benedicta tu inter mulieres &c.

Et unde

A Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini ad me: Beatã uero pronuntiauit Mariã quòd credidisset, inde affirmans perficienda quæcũq; illi à domino fuerant dicta. Experta enim in marito erat, q̃d displiceret Deo, uerbis suis fidem negare, quanq; & ex eo beatã Christi matrẽ pronuntiarit, quòd à benedicto fructu uentris eius, sentiret iam toti orbi salutem adferendam. Sic gaudio & exultatione plena sunt omnia, ubi Christus præsens agnoscitur.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominũ. Et exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo. Quia respexit ad humilitatẽ ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt oẽs generatiões. Quia fecit mihi magnifica qui potẽs est, & sanctũ nomẽ eius. Et misericordia eius in progeniẽ & progeniẽ, timẽtibus ipsum. Præstitit robur per brachiũ suũ, dispersit superbos cogitatione cordis ipsorũ. Detraxit potentes de sedibus, & euexit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerũ suũ, ut memor esset misericordiæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, ipsi Abrahã & semini eius in æuũ. Mansit aũt Maria cum illa circiter mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Exultante tam effuse sancta Ioãnis matre, ob Christi seruatoris in Maria præsentiam, nõ potuit nõ & ipsa, quæ illũ gestabat utero, pariter exultare, & Dei bonitatẽ prædicare. Hinc ergo in celeberrimũ illum hymnũ erupit: Magnificat anima mea dominum &c. Quo hodie cum ipsam, tum Deũ impie irrident, quicunq; illũ, magnis quidẽ uocibus, sed sine mente, soliusq; pecuniæ caussa decantant. Prædicauit aũt Deũ Maria hoc hymno, potissimũ ab eo, quòd exaltat humilia, depressis superbis, et quòd saluatorẽ iam misisset Israël. Magnificat, inquit, anima mea dominum, *Magnificat anima mea Dominum.*
B & exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo, omnes enim uires eius flagrabãt studio Deum extollendi, & exultabat præ gaudio, de bonitate eius totus spiritus ipsius, Seruatorem suum, more Psalmorum uocat, quòd mens tota iam arderet in consideratione salutis, quam operari in ipsa cœperat.

Memoratura uero, ut in laudando fit, Dei beneficia & decora, primũ admiratur, quòd se humilẽ adeò & contemptã ita respexisset, adeoq; rationẽ sui habuisset, ut filio suo matrẽ delegisset. Id nanq; est, quod ait: Quia respexit &c. Satis explosus priorem eorũ error est, qui hic per humilitatẽ uirtutem illam modestiam intellexerũt. Prædicat enim Dei ineffabilem dignationẽ ex eo, quòd se abiectã adeò ancillã respexisset, hoc est, rationẽ adeò sui habuisset, unde beatã se omnes gentes essent prædicaturæ. Beatam aũt uere prædicant, quotquot Christũ agnouerint totius fœlicitatis autorẽ, quem hominẽ per eam accepimus. Hæc illa magnifica sunt, quæ tertio uersu sibi feciſſe Deũ gloriatur. Nemo aũt de solo eo, quòd carnalis mater Iesu esset facta, hæc Mariam canere putet, sed quòd simul fide ei, quẽ erat paritura, iam insita esset, & æternę salutis per ipsum perficiendæ compos. Alioqui ita anima & spiritus eius, in Deo exultare, haudquaq; potuissent. Porrò illud: Et sanctũ nomen eius. Et misericordia eius in progeniem & progeniem timẽtibus eum, uelut Epiphonema laudis præmissis subiectum est, more in reliquis scripturis celebri, in Psalmis celeberrimo. Hunc uero sensum habent: Proinde sanctũ, hoc est, glorioſum & augustũ est nomen eius, quod celebrari & adorari ab omnibus debeat, & misericordia, bonitasq; eius, timentibus ipsum, perennis adest, neq; ullo seculo desideratur. *Quia respexit.*

Quæ sequuntur usq; ad ultimũ uersum, uidentur hunc sensum habere: Fecit me, cum dominus ut semper solitus est, humilẽ me exaltauit, & benedictã reddidit inter omnes mulieres, cum interim multos magnos & superbos deiecerit, & maledictis affecerit. Hoc enim perpetuo consueuit, ut potentiã suam declaret, superbos dispergit cogitatione cordis ipsorũ, dum omnia ipsorũ consilia impedit, & adigit eò *Fecit potẽtiã per brachiũ.*

furoris,ut ſibijpſis mala accerſant,eſt enim idem cum illo:dominus diſſipat concilia gentium,cogitata populorum differt,Pſalmo triceſimotertio. Quanquã paſſim Pſalmi canant, ut ſoleat Deus impios ſuis ipſorũ conſilijs illaqueatos perdere. Sic Pharaoni,ſic Sichon Regi Amorreorũ, ſic Og Regi Baſchan, & innumeris alijs euenit.Sic etiã deponit potentes de ſedibus,& euehit humiles. Eſurientes ſatiat bonis,& qui abundare ſibi omnibus uidentur,reddit mendicos, facit perpetuo ut primi nouiſſimi,& nouiſſimi primi fiant,quo potentia ſimul & bonitas eius magnificentia effulgeant. Similia cecinit & Channah mater Schmuëlis. 1.Schmuël.2. & multi Pſalmi.Summa uero omniũ eſt:Deũ humiliare eos qui ſeipſos exaltant,& exaltare qui ſe humiliant. Hoc præclare in Maria demonſtrauerat, unde hæc ipſa cecinit. Non eſt aũt diſſimile uero, eam pariter reſpexiſſe, in tyrannidẽ Herodis, & impios alios, qui tũ populũ Dei inique premebãt, ut quos miſere perituros præuideret,ſicut pios exaltandos,incarnato iam Rege & liberatore ipſorũ Chriſto. Forte etiam cogitauit maiorũ ſuorum ſplendorẽ,& Regiã potentiã,quæ cum illi impij fuiſſent, in nihilum adeò redacta fuerant,quæ nunc per ſuam tam humilis & abiectę matris prolem præſtantius erat, quã unquam illa maioribus ſuis contigiſſet, reſtituenda.

In duobus ultimi uerſibus,de ſalute iam tum exhibenda Iſraëli cecinit, gratulãs illi,quòd eum dominus ſuſcepiſſet, nimirũ ad ſaluãdum Iſraëlem dicit ſeruũ ſuum, hoc eſt,populũ electorũ, qui ſoli Deo ſeſe ſeruos exhibent, ſicut dicit patribus promiſerat Abrahã & ſemini eius. Promiſerat enim ſe Deum his fore,& eis benedicũ 1.Moſch.17.hoc eſt,eos ſaluaturũ à peccato & morte,hæc iam ſalus, cum per Chriſtum perfecta ſit,recte Maria cecinit,ſuſceptũ Iſraëlem à domino, cum Chriſtũ iam ſuum in carnẽ miſiſſet. Tria igitur in hoc hymno obſeruanda ſunt,primũ,ardor ille prædicandi Deũ,quo uirgo Chriſti Mater flagrabat,ut & anima eius Deũ magnificaret,totuſcꝫ ſpiritus in eo exultaret. Sic ſanè afficiuntur qui ſalutem à Deo uere perceptã agnoſcunt. Sine enim huiuſmodi affectibus Deus irrideri poteſt, laudari non poteſt. Deinde obſeruandũ opus illud Dei, quod hic celebratur, & in quo totus ſemper eſt,nempe quòd celſa deprimit, & attollit humilia, ne uel nobisipſis, ſi quæ donat Deus, aliquid arrogemus, uel ſi contingat eſſe humiles, nobis diſpliceamus. Poſtremo quòd donato Chriſto, uere demũ Iſraël ſuſceptus à Deo,id eſt, ad ſaluandũ aſſumptus canitur. Hinc enim colligẽdũ eos ſolos ueros Iſraëlitas eſſe, qui Chriſtũ ſaluatorem fuerint amplexi. Necꝫ enim omnes,qui ex Iſraël ſunt,Iſraël apud Deũ cenſentur, ſed tantũ qui participes ſunt promiſſionis, uti multis Paulus probat Rom.9.Gal.3. manſit aũt Maria cum Elizabet circiter menſibus tribus,tam diu detinuit eam mutua illa ex Dei bonitate gratulatio, & illius beatiſſima cõmoratio. Sed quemadmodũ uel ſola eorũ, quos gratia Dei conciliat amicitia, uera eſt,ita nõ poſſunt illico,qui in domino cõuenerunt à ſe inuicẽ diuelli, niſi diſtrahat eos eadem,quæ cõiunxerat,gloria Dei,cui diſiuncti corporibus magis, quàm iuncti inſeruire poſſint,animis tamen nuncꝫ,non coniunctiſſimi perſeuerant.

Elizabetæ uero impletũ eſt tẽpus pariendi,& peperit filium. Et audierunt uicini,& cognati eius, quòd magnifice Dominus miſericordia ſua uſus eſſet erga illam,& gratulabãtur ei. Et factum eſt in die octauo,uenerũt ad circundendum puerum,& uocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondens mater eius,dixit:Nequaquam,ſed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam:Nemo eſt in cognatione tua qui uocetur iſto nomine. Innuebant autẽ patri eius,quî uellet uocari eum. Iſcꝫ poſtulatis tabellis ſcripſit,dicens: Ioãnes eſt nomen eius. Et admirati ſunt uniuerſi. Apertũ eſt aũt os eius illico,& lingua eius,& loquebatur laudãs Deũ. Et peruasit timor omnes uicinos eorum,

& per

& per omnem montanam regionem Iudææ diuulgabãtur omnia uerba hæc, & posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quisnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo.

Vicini & cognati congratulabantur Elizabeth, quòd magnifice Deus suam bonitatem in illã exercuisset, sic solet dilectio congaudere gaudẽtibus. Nomen patris uolebant infanti indere, etiã inuita matre, ut patre idẽ iubente magis patefieret mysterium in hoc nomine latere, & omnino ad eximia quædã infantẽ diuinitus destinatũ. Quod aũt illi dicebant, neminẽ in cognatione Zachariæ esse, qui Ioãnes uocaretur, de præsentibus tantũ, aut qui non diu adeò defuncti, ex familia illa fuerant, intelligendũ est. Nam inter maiores eius plerique hoc nomine uocati fuerant. Vt & is qui sacerdotio functus fuerat, cum templũ per Schlomoh regẽ ędificabatur. Pulchre uero cõuenit, ut quo nomine sacerdos Salomonis typici, hoc & ueri uocaretur. Omnino enim hic noster Ioãnes incipiẽte iã regno Christi, & assurgẽte spiritualis structura tẽpli, ueriore sacerdotio functus est, docendo plebem scientiã saluificam.

Nostri homines indendo pueris suis nomina, uaria nonnunquam respicere solent, sicut & olim solebant: ut autem superstitiosum est, eius diui nomen infanti dare, cuius festum homines eo tempore quo natus est, ordinauerunt celebrandum, atq; inde sperare, illum diuum puero fore tutelarem Deum, ita religioni cõsonum fuerit, sanctorum qui uere fuerunt, quos diuinæ aut aliãs certiores literæ celebrãt, nomina, infantibus dare, Vt inde ad illorum æmulationem ex nomine prouocentur. Sic & probabile fuerit dare nomina, quæ ex significatu suo pietatis admoneãt. Maiorũ indere nomina, ethnicã ambitionẽ resipit, immortalitatẽ suam in posteris statuentium, & si possit ex innocenti quoq; illorum amore fieri.

Quæratio nomina indẽdi pueris deceat christianos.

Hæc omnia inuulgata fuerunt per montana Iudææ, ut timor uicinos omnes peruaderet, ponebant hæc in cordibus suis dicentes: Quis putas puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo.

Hoc enim quod uiderant manum domini, hoc est, singularem potentiam Dei, in uarijs adeò miraculis circa puerum fuisse exertam, causa erat, ut magna de puero expectarent, & tanquam ob præsentiorem Dei maiestatẽ, timerent. Sic sanè corda hominũ cõparata sunt, ut tanto Deum magis uereantur, quanto potentiã illum clarius exerere animaduertunt. Hinc omnia portẽta & prodigia quæ certo Dei potentiam referunt, homines terrere nõnihil solent. Ex his omnibus nos discere debemus, si præcursoris tantum ortus, tot diuinæ potẽtiæ miraculis inclaruit, longe augustiorem fuisse ortum Christi, augustissimum autem id, cur uterq; natus est, uixit, & rursus mortem oppetijt, nimirum regnum Dei, & prædicatio Euangelica, cui habentes fidem, regni Dei ciues constituimur. Par igitur est, ut hæc sit nobis maximi, quam tanti uidemus fuisse Deo.

Mirari quis possit, qui tanta miracula, quę & circa Ioãnis, & postea domini quoque ortũ acciderũt, potuerint adeò obliterari, ut nihil prorsus legamus ob ea Christum cum prædicare inciperet, maioris habitũ, quod haudquaq; accidisset, si horũ tantorum signorum aliquid in hominum memoria tum fuisset reliquũ. Sed ita capiunt in hominibus res diuinæ, præsentibus quidem attoniti reddũtur, ubi autem transierint, minimo tempore aboletur semel omnis eorum memoria. Quanq; ut antea Christum pati quàm glorificari oportuit, ita selectis aliquot prima hæc miracula consolationi esse uoluit, publicari ad omnes non uoluit.

Vnde factum ut tanta prodigia uelut obliterata fuerant.

Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, prophetauitq;, dicens: Laudandus Dominus Deus Israël, quia uisitauit & fecit redemptionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locu-

tus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt Prophetarum suorum. Fore ut c
seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Spiritũ filiorum Dei, & Zacharias & Elizabet pridem habuerant, unde irrepre-
hensibiles in præceptis & iustificationibus Dei usq; uixerũt. Verũ quòd dum pro-
phetarẽt, repleti spiritũ peculiariter scribũtur, perinde est, atq; si scriptũ fuisset, arri-
puit, uel afflauit eos peculiariter spiritus domini. De his in Matth. 3. cap. Huius hy-
mni plane Euangelicissimi, horrẽdus abusus, sic ut & Mariani, inoleuit, dum quoti-
die solius pecuniæ & uentriũ caussa, sine mente & fide, magnis uocibus clamatur,
magis q̃ canitur. Dominus uindicet uerbũ suũ, ab impiorũ blasphemijs. Est aũt hy-
Summa huius cantici. mnus gratiarũ actio & laus Dei, qui iuxta promissiones suas sanctis factas, Christũ
suum tandẽ miserit, per quẽ electi, malis omnibus liberati, pie & sancte atq; fœlici-
ter uiuant. Tum & pueri officium, qui Christũ docere debebat, eo à patre prædictũ
est. Dominũ Deum Israël iure uocat, quia uero Israëli sese Deũ semper exhibuerat,
& ab illo agnitus atq; adoratus usq; fuerat, iuxta fœdus, quod cum Abraham ice-
rat. 1. Mose. 17. Visitasse eum, & redemptionẽ fecisse populo suo prædicat, quod idẽ
est: cũ enim seruatorẽ populo suo dedit, declarauit se eius rationẽ habuisse, id quod
Quid uisitare. est פקד id est, ut uulgo reddi solet, uisitare. Cæterũ uisitare in utranq; partẽ in scri-
pturis accipitur. Significat aũt, ut dixi, proprie rationẽ alicuius habere. Inde dici-
tur Deus uisitare peccata, cũ ea punit. Pœna enĩ declarat illa Deo esse animaduer-
sa. Sic in bono uisitare dicitur, quos beneficijs afficit, per quæ, scilicet, declarat se il-
lis adesse & eorũ habere curam. Sic uisitauit Ebræos, cum ex Aegyptiaca liberaret
seruitute. Nulla aũt præsenti uisitationi quã Zacharias præd cat, uisitatio Dei con
ferri potest, quia hac in filio suo, quo nihil præstabilius est, populũ suum inuisit, ra-
tionemq; eius se habere testatus est. Per eum enim plena ab omnibus malis populo
Dei redemptio perfecta est. Hinc canit Zacharias, erexisse dominũ cornu salutis in
domo D uid, hoc est, potentiã saluificam, nempe per Christũ suum, saluatorem o-
mnium in se credentiũ, cui omnẽ potestatem dedit in cœlo et terra. Nam ut anima-
lium cornutorũ robur, per cornua exercetur, in scriptura per cornu metaphoricõs
potentiã significare solet. In domo Dauid hoc cornu erectum est, quia secundũ car-
nem ex posteritate Dauidis dominus noster natus est. Id iam dominus per multos
Prophetas, qui diu ante fuerãt, promiserat, hinc canit dehinc Zacar: Sicut locutus
est per os sanctorũ, qui à seculo, id est, multo antè fuerunt, Prophetarũ suorũ, nempe
Ieschaeiah, Iirmeiah, & aliorũ. Hi sanè oẽs prædixerũt electos per Regẽ hũc salua-
torem, ex domo Dauid nasciturũ, ab inimicis, & omnibus odientibus eos, liberan-
dos. Quę liberatio in eo sita est, quòd nihil prorsus à dilectione Dei, quæ in ipso Re
ge Messiah exhibet, illos separare possit, & necesse præterea sit, ut oĩa adiumẽto eis
sint in bonũ. Ro. 8. De hac liberatiõe glorioſa uaticinati sunt Prophetæ ad unũ oẽs.

Vt uteretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset testaméti sui
sancti, præstarẽtq; iusiurandũ quod iurauit ad Abrahã patrem nostrũ, ac da-
ret nobis. Vt sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati seruiremus
ipsi. Cum sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ nostræ.

Quod misericordiã hic legimus, Ebraice חסד est, id est, effusa bonitas. Hanc ple-
nissime demum patribus Deus exhibuit, cum Christũ suũ donauit, per quẽ uniuer
si semel, quotquot ab initio electi fuerunt, beantur. Tum memorẽ sese demonstra-
uit fœderis, quod cũ Abrahã icerat, id hic testamentũ dicitur. Fœdus illud est, quo
pollicitus fuerat se fore Abrahæ & semini eius, Deum, ipsumq; & posteritatẽ suam,
habiturũ sibi peculiarẽ populum. 1. Moscheh. 17. Tum quoq; præstitit, quod Abra-
ham iurauerat. 1. Mos. 21. benedicturum, scilicet, se illi, & semen eius se multiplica-
turum, ut posslideret partes inimicorũ suorum, & benedicendas præterea in semi-
ne eius

A ne eius omnes gentes terræ. Huc respexit Zacharias, unde subiicit: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus ipsi, cum sanctitate & iustitia corã ipso. Hæc benedictio est, quam populo Dei Christus benedictũ semen Abrahæ attulit, hæc illorum uictoria. Sic portas inimicorũ suorũ possident, id est, domini omniũ cum Christo rege suo existunt. Ea hic in fide incipit, consummabitur demum, cum regnum Christi consummabitur.

Sanctitas est, ab omni peccato puritas, iustitia, totius uitæ decentissimus modus, et dilectio in omnes officiosa. His uere Deo seruitur. Sic Deo rite gratificamur, imaginem eius, qui ab omni malo purissimus, & in uniuersa existit beneficentissimus, referentes. Hoc seruitium, hunc cultum solum probat, quare addit: Coram ipso, id est, ipso approbante. Quia denique nihil uere bonum, quod finem accipit, addit: Omnibus diebus uitæ nostræ. Nec enim pietas est, quæ finem nouit. Deus æternus est, & nõ mutatur, quem qui agnouerit, in æternũ auelli ab obseruantia eius haud poterit, nihil siquidem melius eo poterit inuenire.

Et tu puer Propheta altissimi uocaberis, præibis enim ante faciem domini, ad parandum uias eius. Ad dandam scientiam salutis populo ipsius, per remissionem peccatorum eius. Per uiscera misericordiæ Dei nostri, quibus uisitauit nos oriens ex alto. Vt illucesceret his qui in tenebris & umbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.

Hæc de pueri futura functione cecinit. Qui Propheta altissimi, & plus q̃ Prophetа iure uocatus fuit, de quo in Matth. cap. 11. Ibi etiã de eo, quòd ante faciẽ domini præiuit ad parandũ uias eius. De quo & 3. cap. ab initio, & postea in illud: Hic enim est ille, de quo dixit Propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto. Porrò quam Ioannes dedit scientiam salutis, quæ quidẽ salus remissio est peccatorũ, proueniens ex
B abundanti Dei bonitate, quæ idiotismo Ebræo, Viscera misericordiæ uocatur, fuit doctrina illa, qua populũ agnoscere sua peccata, & credere Christo docebat. Vere enim id percepisse, est scientiã habere salutis, fidem nimirũ, qua iustificamur & saluamur. Sicut aũt ipsa peccatorũ remissio, ita & hæc fides ex solis uisceribus misericordiæ, id est, effusissima quadã bonitate Dei contingit, nullis nostris meritis. Hac uisitauit nos oriens ex alto, nimirũ sol ille iustitię, de quo Maleaci ultimo, Christus seruator. Qui illuxit ijs, qui in tenebris & umbra mortis, in ignorantia, scilicet, Dei sedebant, & illuxit, ut cognitione Dei per ipsum percepta, luce uitæ, scilicet, dirigãtur per spiritũ eius in uiam pacis, uitam securitate de beneuolentia Dei beatã, unde ea animi tranquillitas obuenit, ut boni omnia consulamus, & quantũ in nobis est, pacem cum cunctis hominibus habeamus. Iure aũt, cum certa Dei cognitio uita æterna est, umbrã mortis uocat Dei ignorationẽ, qua detinentur, quibuscunq; sol ille iustitiæ Christus, ex alto non fuerit exortus. Hæc Ioannes docuit, hanc scientiam salutis populo Dei dedit, hæc prophetia eius fuit, unde Propheta & plusquam Propheta à Christo ipso uocatus est. Hac denique domino uiam muniuit, & ante faciem eius præiuit, & corda populi ad Deũ conuertit. Quæ omnia cum futura pater eius per spiritum nosset, ad suũ ipsius & aliorum consolationem ea ita cecinit. Ea itaq; ut diuinissima sunt, & nihil nisi ipsissima Euangelia, ita à contritis corde duntaxat, & spiritu sancto repletis, digne & cum fructu canentur, unde ut dictum, horrenda Dei contumelia est, sanctissimo hoc hymno quæstum facere, & quidem ad alendũ omne genus flagitiorum, ac impietatis, ad oppugnãdum denique pietatem, ac quicquid honestum, gratum ue Deo fuerit.

Puer autem crescebat & corroborabatur spiritu, & erat in desertis, donec ueniret dies, quo ostendendus erat apud Israëlitas.

Ab utero ſpiritu Dei prædítus fuerat,pro cuiuſcꝫ igitur ætatis portione, ille ſeſe magis ac magis,cum in uerbis,tum factis eius exeruit,id uero eſt quod ait:Et corroborabatur ſpiritu. Vt autem in deſerto egerit, & de uitæ eius ratione, fuſe dixi in tertio Matthæi in illud:In deſerto Iudææ.

CAPVT SECVNDVM.

FACTVM eſt aũt in diebus illis:Exĩt decretum à Cæſare Auguſto,ut cẽſeretur totus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrenio.Et ibant omnes ut profiterẽtur in ſuã quiſcꝫ ciuitatẽ.Aſcendit aũt & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam,in ciuitatẽ Dauid,quæ uocatur Bethleem, eo quòd eſſet de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria deſponſa ſibi uxore, quæ erat prægnans. De cenſu hoc dixi in Matth.17. in illud:Cum aũt ueniſſent in oppidum Capernaum.Dimidiam ſicli partem,nempe binas drachmas penſitare ſingulos oportebat,quantũ,ſcilicet,olim Iudæi tabernaculo domini,ex lege obtulerant. Totum orbem dicit,intelligẽs ditionem Romanorũ,qui iam maximam orbis partem occuparant. Obſeruandum hic,ut nihil fortuito fiat, etiam quæ maxime fieri fortuito uidentur. Naſci dominum Bethleem diuinitus ſtatutũ, & per Vatem prædictum erat,id ut fieret oportuit occaſionẽ eſſe,qua illic Maria perueniret.Ea ſumpta ab hoc cẽſu fuit,ut ita Chriſtus liberator Iudæis promiſſus tum naſceretur,cum ipſi ſumma ſeruitute à gentibus premerentur. Nam ablato ſceptro à Iuda naſci debuit.Id tamen ſceptrũ nequaqꝫ ſecundum carnẽ uoluit reſtituere,quia regnũ eius non eſt de hoc mundo,ſed in ſpiritu, ut corporibus omnibus ad ſeruiendum obnoxijs,ſpirítali libertate fruantur filiorum,quotquot ipſi nomen dederint.

Chriſtus natus eſt ablato ſceptro.

Accidit aũt cum eſſent ibi, completi ſunt dies pariẽdi.Et peperit filium ſuũ primogenitũ,ac faſcijs eum inuoluit, reclinauitcꝫ eum in præſepi, quòd non eſſet eis locus in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eadem uigilantes,& excubantes excubias nocte ſuper gregem ſuum.Et ecce Angelus Dominus aſtitit illis,& claritas Domini circunfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus:Ne timeatis.Ecce enim annuntio uobis gaudiũ magnum, quod futurũ eſt toti populo,quia natus eſt nobis hodie ſeruator,qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc uobis ſignum:Inuenietis infantem faſcijs inuolutum,poſitum in præſepi.Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo,ac in terra pax,hominibus bona uoluntas.

In ſumma tenuitate & paupertate naſci dominus uoluit, ut contemptũ doceret mundi,& ad cœleſtia ſuſcipienda prouocaret.Hinc matri ſuæ grauidæ,haud commodior ad pariendum locus,quàm iumentorum ſtabulum,contingere in diuerſorio potuit, cum indubie commodiſſima loca, multi impij occuparẽt ad delitiandũ. Hic uideas quàm uariet iudicium mundi,à iudicio Dei. Diſcant autẽ hinc diuites ſeculi,ne ob diuitias ſibi placeant,& pauperes, ne ſibi ob tenuitatem diſpliceant.Et hæc præſtat expendere, quàm de ratione pariendi, qua Ieſum Maria enixa eſt,anxie diſputare,& noſtris cõmentis ueritatem Dei obſcurare. Verus homo fuit dominus noſter,ueram matrẽ habuit, igitur naturali quoqꝫ ratione eum peperit.In quo quanto magis ſeſe ad creaturæ noſtræ infirma demiſit, tanto maiorẽ erga nos dilectionem declarauit,quæ perpenſa,& fidem in ipſum, & dilectionem in proximos, cum omnimoda modeſtia in nobis merito augebunt.

Modeſtiam

Modeſtiam alere & illud debet, quòd paſtoribus primum partus hic diuinus re uelatus fuit. Quòd aũt per angelos fuit indicatus, in eo declarata eius diuinitas eſt. Par enim erat, ut regem cœlorum, cœleſtes item nuntij, natum primum renuntiarent. Gaudium magnum renũtiare ſeſe affirmant, quod futurum eſſet toti populo, ubi populum intelligi oportet electorum, non omnium qui ſecundũ carnem Iſraëlitæ erant. Nam multis in Iſraël dominus in ruinam poſitus eſt.

Hymno ſuo angeli ea cecinerũt, quæ per Chriſtũ tum natum futura erant. Gloria enim Dei mirifice illuſtrata eſt, ubi ſpiritu Chriſti tam multi ipſum Deũ agnouerunt & adorauerũt. Pax in terra beata confecta eſt, dum plurimis adeò per Ieſum Chriſtũ, aditus ad patrẽ contigit, de cuius gratia qui ſecuri facti fuerint, ita pacatis & tranquillis animis exiſtunt, ut boni omnia conſulant, & pacẽ quantũ in ipſis eſt, cum omnibus hominibus habeant, pace fruentes, quæ ſenſum omnem ſuperat.

Hæc pax filia eſt τῆς εὐδοκίας, id eſt, bonę uoluntatis, uel beneplaciti, quod Ebręis רָצוֹן dicitur. Vnde tempus Chriſtiannus רְצוֹן id eſt, beneplaciti dicitur, Ieſcha. 61. & 49. tempus ratzon. De hac Pſal. 5. Quoniã tu benedices iuſto domine, ſicut ſcuto beneplaciti circũdabis eum, hoc eſt, beneuolẽtia & fauore undiq; munies eum. Vbi ergo pater optimus, filiũ ſuum hominibus dedit, quo nihil habuit diuinius, & ideo cum ipſo donauit omnia, certe bonã ſuam erga illos uoluntatẽ ipſis declarauit, & beneplaciti ſui annũ oriri fecit, quo in dilecto ſuo filio, charos ſibi & gratos reddidit quàm plurimos. De qua bona uoluntate & beneplacito, Ephe. 1. Prædeſtinauit nos, ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtũ in ſeſe, iuxta beneplacitũ uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos nos reddidit per dilectum.

Ad hunc modum, bonã uoluntatem, quã fore hominibus Angeli nato Chriſto cecinerunt, conformius ad ſcripturã interpretabimur, quã ſi accipiamus, pro beneplacito quod in electis eſt, dum omnia boni conſulũt. Magis enim de Dei erga homines bona uoluntate, q̃ hominũ erga Deum Angeli cecinerunt. Sed & beneplacitum illud piorum, quo omnia Dei probant, in pace illa incluſum eſt, quam dominus terrę dedit per Chriſtum. Qui enim uere eam pacem nactus eſt, omnia à propitio ſibi Deo immitti, & optima eius uolũtate diſpenſari nihil addubitat, hinc ad oĩa eſt animo tranquillo, & in domino gaudẽte. Angeli utiq; uoluerũt ſignificare iam fore præſtanda quæ futura tẽpore Chriſti uates prædixiſſent, ij prædixerant tẽpus fore, quo Deus bene uellet hominibus, id iam ergo præſtandũ Angeli prædicauerunt. Et ſicut terra & homines pro eodẽ accipiuntur, ita perparum intereſt, inter pacem quam terræ, & bonã uoluntatẽ, quam fore hominibus cecinerunt. In eo enim quòd Deus pacem nobis erga ſe dedit, bonã ſuã uoluntatem erga nos declarauit, et ex eo quòd nobis bonã uoluntatem ſuã explicauit, pacem iſtam donauit.

Bona uolũtas Dei erga nos hic prædicatur, nõ noſtra erga Deum.

Obſeruandum aũt neq; Deo gloriam dari, neq; hominibus poſſe cõtingere uerã pacem, gratiamq;, uel bonam uolũtatem Dei, ſine Chriſto. Vt ergo contẽptus Dei eſt apud Hypocritas, ita nulla conſcientiæ tranquillitas, neq; cum hominibus concordia, quia abeſt beneplacitum Dei. In ſolo enim dilecto ſuo Ieſu Chriſto, Deus charos ſibi reddit, quotquot in hoc ſelegit.

Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, & homines paſtores loquebantur inter ſeſe: Tranſeamus iam Bethleem uſque, & uideamus hoc quod audimus accidiſſe, quod Dominus aperuit nobis. Et uenerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepi. Cum uidiſſent autem, diuulgauerunt de uerbo, quod dictũ erat ipſis de puero hoc. Et oẽs qui audierũt, mirati ſunt de his quæ dicta erãt à paſtoribus ad ipſos. Porrò Maria cõſeruabat oĩa uerba hæc, cõferẽs in corde ſuo. Et reuerſi ſũt

pastores,glorificantes ac laudantes Deum super omnibus, quæ audierant & c
uiderant, ita ut dictum fuerat ipsis.

Quod audierant etiam uidere uolebant, sic Fides ad opera trahit, & efficit ut totis uiribus eò propendeamus, ubi Christum, hoc est, ubi opera esse,quæ deo probantur,agnouerimus.Sic ubi uera est fides Christi,adglutinabit ea nos inuicē,& ministris eius faciet adesse quàm officiosissime. Neque plus offendent ipsorum sordes, q̄ hosce pastores offenderunt, sordes Christi, quem mundi seruatorem in præsepi positum,inuenerunt. Verbo enim fides nititur,& nequaq̄ eo quod uidetur. Inuulgarunt hi quidem statim quæ uiderant, sed nullos legimus ob id puerum cum matre magnopere honorasse,præter Magos alienigenas, quiq̄ à longinquo adeo perstellam adducti, uenerant. Nondum enim erat tempus gloriæ Christi,humilitatis erat.Mirati tantū homines fuere quæ à pastoribus audierant. Multis etiam sine dubio deliramenta uisa sunt. Sic se habet ad diuina ingenium humanum, ubi abest spiritus dei.Maria aūt conseruabat omnia hæc,conferens in corde suo.Ita pij solent in operibus dei cogitandis immorari, unde & pietas mira percipit incrementa.

Christus eo loco inuenitur ubi caro minime putat.

Et postq̄ consummati sunt dies octo ut circumcideret puer, uocatū est nomen eius Iesu, quod uocatum erat ab Angelo priusq̄ in utero conciperetur.)

Post octo dies circunciſus puer fuit secundum Legem, quam etiam cærimonijs uoluit sancte obseruare, licet dominus esset omnium, donec morte sua illas aboleret,quia per omnia seruí formam præ se ferre statuerat.Eo docuit nos,ut receptis legibus & moribus,quatenus cum pietate non pugnant,diligenter nos accommodemus,& si nonnnnq̄ nostra causſa,nulla sit eorum necessitas. De nomine Iesu dixi in Matthæum cap.1.in illud:Et uocabis nomen eius Iesum.Dedit deus Abrahæ initiationis symbolum, Circuncisionem in membro genitali, quo significare uoluit, totā naturā deprauatā esse,eoq̄ in ecclesia eius, expectandā & meditādā eius innouationem.Mulier cōdita est,ut caro uiri habeatur, & eundem cum ipso hominem cōstituat,satis igitur fuit renouationis mysteriū in masculis repręsentari, præsertim in generatione præcipuā adhibentibus operā.Omnibus uero quomodolibet in potestate populi Dei constitutis,dari eam oportebat.Filiorum enim Dei est,adducere Deo quoscunq̄ possunt.De quo plura in tractatu de baptismo, Ioan.1.

Et posteaquam completi fuissent dies purgationis eorum secundū legem Mosi,adduxerunt eum Hierosolymam,ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur, & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini,par turturum,aut duos pullos columbarum.

Leuit.12.

De lege purificationis legimus.3.Moscheh.12. Huic seruator noster,ut & circumcisionis legi,sese subdere uoluit,nulla sanè necessitate,sed quòd seruum sese exhibere per omnia statuisset. De primogenito sistendo Domino. 2.Mos.34. & locis alijs legitur.In ea religione traditum est totum populum Dei esse oportere, & ei cuncta in gloriam Dei usurpāda esse:per primogenita enim quibus in hominibus reliqui addicti erant,cætera omnia Deo sanctificabātur. Eo quòd impura à partu mater & infans haberētur, indicatū fuit, peccato obnoxios nos nasci,quæ tamen impuritas, Dei bonitate ab electis aufertur, dum ipsi sacramentis eius consecrantur. Puellam enixa mulier diutius impura erat, quòd peccatum per mulierem primū receptum fuit. Primogenita omnia sancta Deo erant, eo significatum est, quicquid in nobis præstantissimum fuerit,id potissimum debere consecrari Deo.

Exodi.34. Num.8.

Et ecce homo erat Hierosolymis cui nomen Simeon,& homo iste iustus ac pius expectās cōsolationē Israël,& spiritus sanctus erat super eū. Et respōsum acceperat

A acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christũ Domini. Et uenit per spiritum in tẽplum. Et cum inducerent puerũ Iesum pa rentes, ut facerent secundũ consuetudinẽ legis pro eo, ipse quoq; accepit eum in ulnas suas, & laudauit Deũ, ac dixit: Nũc dimittis seruũ tuum Domine se cundũ uerbum tuũ in pace. Quia uiderũt oculi mei salutare tuũ, quod parasti ante faciẽ omniũ populorũ. Lumen ad reuelationẽ gentiũ, & gloriã plebis tuæ Israël. Et erat pater & mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariã matrẽ eius: Ecce positus est hic in ruinã, & in resurrectionẽ multorũ in Israël, & in signũ cui cõtradicitur. Quin & tuã ipsius animã penetrabit gladius, ut retegãtur ex multis cordib. cogitatiões.

Ad Mariæ, Iosephi atq; aliorũ aliquot electorum consolationẽ, uoluit dominus Christi sui ortum multis modis illustrem reddere. Porrò ex huius Simeonis expe ctatione liquet Christũ in idipsum tempus, quo natus est, ipsum à pijs fuisse expe ctatum. Nam pleræq; Prophetiæ, ut de sceptro non auferendo à Iuda, de hebdoma dis Danielis, atq; aliæ hoc ipsum tẽpus designarãt. Vtq; loquũtur quicunq; credũt, nec possunt sibi retinere, quæ saluti queant esse multis, ita dubiũ non est, multos tũ sanctiores & Simeoni similes, de instanti Christi aduentu populũ admonuisse. Sed quia carnalia quærentibus Christus nullius æstimatur, surdis de Christi aduentu isti prædicarunt. Rarissimi in populo supererant, qui Deum uere agnoscerẽt. Ver gebant nanq; ad obcæcationem & excidium. Obseruandũ uero, quòd hic Simeon tanquã ab exímia uirtute laudatur, quòd expectarit consolationẽ Israëlis, quo no mine legimus laudatũ & Ioseph ab Arimathæa. Nam regnum Dei quod hic expe ctauerat, ipsa erat Israëlis consolatio. Notatur his, quod reliquũ uulgus, de regno Christi & Dei, atq; inde consolatione Israëlis nihil fuerit solicitũ, sicut animalis ho mo non sapit spiritalia. Sed & Paulus coronã iustitiæ promittit, diligẽtibus aduen tum Christi & regnũ eius. 2. Timoth. 4. Summe nanq; colitur Deus, ubi digne æsti matur eius gratia, & auide expectatur, quã pollicetur, redemptio. Vt ergo hic Si meon ardẽter aduentum Christi expectabat, & illo ipso quidem tempore quod in dicarant Prophetiæ, ita consolari eum uoluit dominus, primũ de uidendo seruato re promissione, deinde eiusdẽ quoq; exhibitione. Venit ergo spiritu monitus in tẽ plum, ut filij Dei spiritu semper aguntur, cum puer inferretur, atq; agnitũ illũ acce pit in ulnas, laudauitq; Deum, dicens: Nunc dimittis seruũ tuum &c. Quasi dice ret: Iam lubens ad patres meos concedã, secundũ uerbum tuum, nam hactenus ui tam mihi prouecturũ pollicitus es, iam pax mihi, & sanctis erit, nato eo, per quem sanctificabuntur omnia. Viderunt oculi mei saluatorẽ, quem omnibus populis mi sisti. Gentibus, ut reuelata eius ueritate ab impietate sua resipiscant, & missis tene bris rationis humanæ, ipsum lucem mundi sequantur. Iudæis, ut impletis iam pro missionibus, ab umbris cærimoniarum & onere legis liberati, te in spiritu & ueri tate colant, tua iam gloria plenissime apud ipsos coruscante, Vt regnum spiritus, quam legis, necesse est, glorioſius fore. 2. Corinth. 3. pleniore in sanctis iustitia efful gente. Hinc notatur quàm horrenda Iudæorum huius seculi cæcitas sit, quòd à re gno Christi gentes alienas habendas uolunt, cum ut hic Simeon, ita uates omnes, illas Christo accessuras prædixerint.

Expectans cõsolationem Israel.

Verũ ne quis putaret hanc gloriã fore omnibus qui carne Israëlitæ essent, postq; puero & adstantibus benedixisset, id est, fausta fuisset precatus, dixit ad Mariã ma trem eius, ad quam plusculũ puer, & quæ circa puerũ gerenda erant, pertinebant. Ecce positus est hic &c. Id alijs uerbis apud Ioannem. 9. Dominus ita testatus est: In iudiciũ ego in hunc mundũ ueni, ut qui non uident, uideãt, & qui uident cæci fiãt.

In ruinam multorum.

Dum

Dum nanq; regnũ & iuſtitia Dei palam annuntiatur, ſicut fieri oportebat poſt ad-
uentum Chriſti in carnẽ, quos Satanas tenet captiuos, exagitat & impellit, ut quo
clarius ipſis ueritas Dei offertur, eò oppugnent illam fuſius, eo ſicut cõplent ſuam
impietatẽ, ita furore et amentia percutiuntur, ut multos uideas & ſenſu cõmuni de-
ſtitui, de quo in Matth. cap. 13. Id ſanè euenit Iſraëlitis prædicante illis domino, cum
per ſe, tum per ſuos Apoſtolos. Qui enim ut ſibi uidebantur egregie uidere & ſape
re, offenſi doctrina Chriſti, excæcati adeò fuerunt, ut nihil ad ſummã ſæuitiã, in ser-
uatorem ipſum, atq; eos qui ipſum annuntiabant, reliquũ facerent, donec prouo-
cata ſatis contra ſe ira Dei, excinderentur funditus, paſſi ruinã irreparabilem. Inte-
rim ijs quos Deus electos in ea gente habuit, & ſi nõ adeò multos, in reſurrectionẽ
In reſurrectionem. Chriſtus poſitus eſt. Nã agnoſcẽtes omnia præ eo ſtercora eſſe, ipſum fide amplexi,
per eũ et ſalutẽ cõſecuti ſunt, et à ruina, inuecta per primũ hominẽ, reſurrexerũt. Idẽ
& Ieſcha. 8. prędixit: Dominũ exercituũ, inquit, ipſum ſanctificetis, & ipſe timor ue
ſter et ipſe pauor ueſter. Et erit in ſanctificationẽ, et in lapidẽ offendiculi, & in petrã
ruinæ, duabus domibus Iſraël in laqueũ, & intẽdiculã habitanti Ieruſalẽ, & impin-
gent inter eos multi &c. Ergo qui Ebræorũ dominum, in Chriſto ſuo ſeſe exhiben-
tem ſanctificarunt, hoc eſt, magni habuerunt, & ut Deum ſuum receperunt atq; a-
dorauerunt ipſum timentes, & ad uerbum eius pauentes, ñ ſalutẽ ab ipſo conſecuti
ſunt, Chriſtũ experti lapidẽ pretioſum in fundamentis Tzion poſitũ, Ieſcha. 28. &
1. Pet. 2. quo utiq; ſubnixi in ædificio Dei hæſerunt, qui aũt Chriſtum reiecerunt, ñ
& patrem reiecerunt, factusq; eſt illis dominus, in lapidẽ offendiculi, & tendiculã,
& impegerunt, ceciderunt, contriti ſunt, illaqueati & capti. Illud: Et erunt in ſanc-
tificationem, & in lapidem offendiculi, interpretari quidã ſolent, ut ſanctificatio
credẽtibus, & offenſio incredulis tribuatur. Sed quia ſanctificari Deus in hoſtibus
ſuis dicitur, dum glorioſe ſe de ipſis ulciſcitur, & ſanctificatio hæc cum offenſione
ita iungitur, ut omnino pro eodem utranq; poſitam appareat, perpendat Chriſtia-
nus, an uates non & malis ſanctificationẽ recte tribuat, ſimul cum offenſione. Prius
enim hortatus eſt uates pios, ut dominum timeant atq; glorificent, id eſt, ſanctifi-
cent, mox prædicit malis timere dominũ nolentibus, & ad humana præſidia con-
fugientibus, eundẽ Deum, quẽ ñ ſaluatorem, ipſos experturos exterminatorẽ, qui
ſeipſum in eis ſit ſanctificaturus, hoc eſt, potentiã ſuã magnificaturus, eo quòd ipſi
eum cõtemnerent, & ſanctificare nollent. Ebræi מקדש hic non pro ſanctificatio-
ne, ſed arce accipiunt, quaſi dixiſſet, ſe futurũ pro arce, nõ inuicta ſolum impijs, ſed
& ad quam perirent, moliti eius oppugnationẽ. Sicut ergo in ruinam multis Iſraë-
litis Chriſtus poſitus erat, & id ideo, quod multi incitati à Satana, gratiam eius erãt
In ſignum cui contradicitur oppugnaturi, recte Simeon ſubiecit: Et in ſignum cui cõtradicetur. Signũ eſt Chri-
ſtus regni Dei, ideoq; omnis gratiæ & beneuolẽtiæ erga genus humanũ, ad quod
confluũt uniuerſi electi, iuxta illud Ieſcha. 11. Et erit in die illo radix Ieſchai, quæ ſtat
in ſignum populorum, eam gentes quęrent. Hunc cum pauci Iudæorũ recepiſſent,
uellent aũt nihilominus iuſti haberi, neceſſe fuit, ut ipſi contradicerent, quod & ad
inſaniam uſq; fecerunt, hos reprobi ex gentibus poſteaq; & ipſis prædicatus Chri-
ſtus eſt, & ita ad eos quoq; hoc ſignũ, ut ibidem uates futurũ prædixit, delatũ, imira
ti ſunt, & ipſi Chriſto cõtradicentes. Sic Chriſtus in ſignũ poſitus fuit, electis quidẽ
ſalutis, reprobis aũt perditionis, q̃a hi cõtradicere ei quã adorare ipſum maluerũt.

Addit poſt hæc peculiariter ad Mariam matrem: Quin & tuam ipſius animam
penetrabit gladius, hoc libenter de afflictione, quam crucifixo filio experta eſt, acci
pio, quo ſanè tempore cogitationes reuelatæ ſunt ex multorum cordibus. Qui im-
pij erant, in ſpeciem tamen Chriſtum amplexi, tum ſe prodiderunt, ſicut & ñ qui
Chriſtũ pluris fecerant, quàm palam præ ſe tuliſſent, ut Ioſeph ille, & Nicodemus.
Et ſemper quidem dum Chriſtus uel in ſuis patitur, recondita cordium multorum
patefierĩ

A patefieri ſolent. Hæc prædici uirgini oportuit, nimirum quo animus eius ad futu-
ros caſus roboraretur. In quo diſcere debemus, quomodo Chriſtus proximos ſuos
habeat. Ipſe per crucem ad gloriam peruenit, eadem uia ducit & ſuos.

De cõpaſſione D. uirginis multi multa cõmenti ſunt, & feſta ei atq; ſacra dicarũt,
quã potius & ipſi crucẽ poſt dominũ ferendo imitari debebant. Sed ut alieniſſimi
ab omni cruce eſſent, & ad omne genus delitiarũ inexhauſtos haberent pecunia-
rum aceruos, quid uirgo ſancta & Chriſti mater paſſa eſt, id magnifice interim ia-
ctarunt, addentes etiam ſuo more multa mendacia, ad hæc robuſtis uocibus, ſtre-
pitu organorum muſicorum, ornatu ueſtium, & id genus nugis, ea uenerari ſeſe ſi-
mularunt. Hos Deiparæ non cultores ſed hoſtes mittamus, & compatiamur cum
ea uere domino, dum contradici illi & crucifigi eum in ſuis uidemus, liberaq; con-
feſſione ueritatis, & officijs erga adflictionem perferentes dilectionis, id præ nobis
feramus. Sic demum compaſſionem D. Virginis, recte coluerimus, cum, ſcilicet,
eam imitabilem nobis eſſe fuerimus teſtati.

Quomodo eã paſſio D. uirginis uenerãda.

Et erat Anna Prophetiſſa filia Phanaël de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in
multã ætatẽ, & uixerat cum uiro annis ſeptẽ à uirginitate ſua. Et hæc uidua an-
norũ fermè octoginta quatuor, quæ nõ diſcedebat de tẽplo, ieiunijs ac depre-
cationibus ſeruiẽs nocte ac die. Et hæc eadẽ hora ſuperueniẽs, uiciſſim cõfite-
batur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptio-
nem Hieroſolymis.

Hoc alterũ teſtimonium fuit de domino, & ipſum ab inſigni teſte, nempe Prophe
tiſſa, eaq; pietatis ſtudijs deditiſſima. Perpetuo enim templo adhærebat, ieiunijs ac
deprecationibus ſeruiens die ac nocte. De munere prophetandi, fuſe dictum eſt in
Matthæo cap. 11. ſub finem, de ieiunijs & precibus cap. 6. Vidua iam hæc erat & pla
ne deſolata, nõ habẽs quibus inſeruiret, unde nihil aliud negotij iam ei erat, quàm
ut (ſicut & Paulus docet. 1. Timoth. 5.) perſeueraret in obſecrationibus & precatio-
nibus, noctu dieq;, id eſt, continuis cum Deo colloquijs. Cumq; ſeria cum Deo col
loquia & ieiunia requirunt, ut in Matthæo abunde dictum, conſequens erat, ut &
ieiunijs uacaret. Verum ut uirgo cum parentibus, & uxor cum marito, uixit, offi-
cijs inſiſtens, quæ perſonæ quas ſuſtinebat, requirebant, ita dubium non eſt eam,
cum iunior uidua eſſet, & uel filios uel nepotes adhuc haberet, illis quoq; inſeruijſ-
ſe, & propriam domum pie tractaſſe, uicemq; maioribus ſuis rependiſſe, id quod
Paulus affirmat honeſtum eſſe, & coram Deo acceptum. Vbi autem uere uidua,
& deſolata euaſit, nec aliud iam haberet quod ageret, quàm ut cum Deo collo-
queretur, atq; pro cõmunibus populi Dei neceſſitatibus oraret, tota eo in fuit. Nõ
quòd uitæ neceſſaria præterijſſet, aut omnino nihil egiſſet aliud, quam precari, ci-
bo quoq; neceſſario & ſomno fuit uſa, & in præſenti quidem de domino propheta
uit. Vnde quod Lucas ſcribit, eam à templo non diſceſſiſſe, ieiunijs & deprecatio-
nibus ſeruijſſe die ac nocte, ita intelligendum eſt, quòd hæc præcipua fuerint quæ
egerit, totaq; in his, ut dici ſolet, fuerit. Sicut iuſtus dicitur meditari in lege Dei die
noctecq;. Et eum qui frequentiſſimus in labore eſt, dicimus continuo ſine intermiſ-
ſione dies noctesq; laborare. Porrò cum eſſet iam prouectæ ætatis, non ieiunauit
ut carnem mortificaret, ſed quia continuo ſtatas ſuas orationes, hoc eſt, colloquia
cum Deo habebat, earũ etiam cauſſa, ſtatuta ſua ieiunia habuit, ſed procul dubio
huc ardore precãdi rapta, quò expeditius & intentius cum Deo colloqueretur, ne-
quaquã uero ut uires corpuſculi frangeret.

B Si qui pietatẽ oppugnãt, hunc locũ diuexant, ut probent inter bona opera cenſen
da, uerſari in tẽplis, & incumbere ieiunijs & precationibus, cum ipſi tamen tẽplis,

nunquam

De ieiunijs et precibus disputant, quibus nihil minus cognitũ est, uel amatur.

nunquã niſi pecuniæ cauſſa adſint, neq; alterius gratia preces ſimulent potius, quã c uere fundant. Ieiunia aũt eiuſmodi habeant, ut ſint duplicatæ crapulæ. De templis non eſt, quod Chriſtiani ſoliciti ſint, in omni ſiquidem loco adorãdus Deus eſt, ſed in ſpiritu & ueritate. Vera aũt ieiunia & preces, utinã haberemus frequentiſſima, ſed ſyncera, & factitijs plebi nemo imponeret, prætextuq; eorũ uoluptates malas a leret. Sed de his in Matthæo ſexto. Verũ nequã Nonnarum inſtitutum robur hinc nullũ habebit. Hæc enim Prophetiſſa, nõ uirgo, neq; uxor fuit, ſed neq; uidua quidem quæ haberet ſuos quibus inſeruiret. In templo egit, ſed ſua ætate, dum proximis iam nulla alia re poſſet prodeſſe. Sicut & Chriſtus noctu potiſſimum precationibus operam dedit, dum, ſcilicet, proximis, commodare aliâs non licebat. Sed frustra cum iſtis agas, qui totius pietatis rationem ignorant.

Hæc ergo ſancta mulier, & laudatiſſima Prophetiſſa, ut in ore duorum teſtimonium de domino noſtro firmius cõſiſteret, eadẽ hora, nimirũ cum à Simeone puer prædicaretur, & futura de ipſo prædicerẽtur, ſuperuenit, & uiciſſim cõfitebatur domino, hoc eſt: dominum collaudabat, atq; loquebatur de illo omnibus qui expectabãt redemptionẽ per Chriſtũ, utiq; perficiendã Hieroſolymis. Qui enim huiuſmodi Hieroſolymis erant, indubie perpauci, frequentes in tẽplo conueniebãt, forteq; tum plericq; eorũ aderant. Sic de Chriſto loquũtur quicunq; ipſi credunt, & loquũtur ijs, apud quos uerbũ Euangelij ſuum fructum facturum ſperant.

Et ut perfecerunt omnia ſecundũ legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth. Puer autem ſuccreſcebat, corroborabaturq; ſpiritu, & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat ſuper illum.

De ordine hiſtoriæ huius & conſonantia cum narratione Matthæi, qui deportatum puerũ in Aegyptũ, poſt Magorũ adorationẽ memorat, diximus in Matth. ca. 2 in illud: Tum Herodes ubi uidit ſibi illuſum eſſe à Magis. Cæterũ illud: Puer corroborabatur ſpiritu &c. Ita ut illud de Ioanne paulo ſuprà, intelligendũ eſt, nimirum quòd uirtus diuini ſpiritus cum incrementis ætatis & corpuſculi, magis ac magis ſeſe exeruerit, unde & ſapientia atq; gratia Dei amplior cõtinuo in ipſo apparebat.

Et ibant parentes eius quotannis Hieroſolymã in die feſto Paſchæ. Et cum factus eſſet annorũ duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymã, ſecundũ conſuetudinem diei feſti, conſummatisq; diebus cum redirent illi, remanſit puer Ieſus Hieroſolymis, & nõ cognouerunt parentes eius. Cæterũ rati illũ eſſe in comitatu, uenerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos. Et cum nõ inueniſſent eum, reuerſi ſunt Hieroſolymã quærentes eum. Et accidit poſt triduũ, inuenerunt illũ in templo ſedentẽ in medio doctorũ, audientem illos, & interrogantẽ eos. Stupebant aũt omnes, qui eum audiebãt, ſuper intelligẽtia & reſponſis eius, & uiſo eo admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili cur feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt quòd quærebatis me? an neſciebatis, quòd in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et illi non intellexerunt ſermonẽ quem locutus eſt ipſis. Et deſcendit cum eis, uenitq; Nazareth, eratq; ſubditus illis. Mater autem eius conſeruabat omnia uerba hæc in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum atq; hominem.

Maribus præceptum duntaxat erat, ut ter in anno apparerẽt in loco ubi tabernaculum fœderis eſſet 2. Moſch. 23, nimirum ut legem Dei populus certius diſceret, et animi ex conuentibus illis magis coaleſcerent, uerum qua erat in Deum Dei para uirgo

A uirgo pietate, comitem marito ad locum Dei quot annis in festo paschæ, sese ultro adiungebat. Quòd uero seruator iam duodēnis se ab illis subduxit, & ipsis redeuntibus mansit Ieruſa em, aliquod ſpecimen ſui edere uoluit, inde eſt quòd ſedens in medio doctorum audiebat illos, & interrogabat, ut omnes ſtuperent ſuper intelligentia & reſponſis eius. Sic ſubinde radiolum aliquem emittere ſolem hunc oportebat ad confirmandā fidem, cum parentum ſuorū, tum & aliorum, qui ſalutem ab ipſo Iſraële expectabant. Ioſeph & Maria dolentes ipſum quæſierant, ueriti fortaſſe, ne ipſorum culpa offenſus, nollet porrò ipſis miniſtris uti. Huius admonitus, anxietate ipſorum cōtempta reſpondit: Quid eſt quòd me quærebatis &c. Et docuit, Dei mandata, omnibus affectibus carnis proponere.

Parentes reſponſum haudquaq; plane intelligebant, Maria aūt omnia iſta in cor de ſuo conſeruabat. Et ſi enim ſcirent ipſum Chriſtū eſſe, ratione tamen, qua ille munus ſuum obiturus erat, & conditione eorū quibus ſubinde illi proludebat, haudquaquā cognoſcebant atq; ideo perpetua quadā admiratione, circa ipſum, & quæ gerebat, tenebantur, præſertim ſi quando clarius Dei ſpiritus, in ipſo ſeſe proderet. Nec propterea quòd pleraq; huiuſmodi ignorarunt infœliciores erant. Satis nanq; unicuiq; eſt, tantum operū Dei nouiſſe ut unice ipſum amet, & uolūtati eius dextre ſeſe accōmodet. Ita ſatis Mariæ & Ioſeph erat, noſſe Chriſtū præſentē ſe habere, ut ipſi ſtudioſe inſeruirent, eſſentq; patri ex animo grati, qui orbem, præcipue autē ludæos tanta gratia eſſet dignatus. Reliqua reuelanda eis in ſuum tempus differebantur. Hoc pacto & alios ſanctos ductos à Deo legimus. Qui uere itaq; pij ſunt, abūde ſatis habent, noſſe bonā Dei erga ſe uoluntatē per Chriſtū, & in quibus Deo gratificentur. Impij his præteritis ſecreta Dei rimari uolunt, hinc tantum eſt apud eos cōtentionum & diſputationū friuolarū. Vera Theologia ſcientia eſt, pie & beate uiuendi. Sine quo multa noſſe, & uarijs de rebus poſſe diſſerere, etiam dęmonum eſt.

B Deſcendit aūt Ieſus cum parentibus uenitq; Nazareth, & erat illis ſubditus, utiq; laborans manibus, & reliqua uſibus ipſorū inſeruiens, de quo dixi in Matth. cap. 3. in illud: Tunc accedit Ieſus à Galilæa ad Iordanē. Vt uero Euangeliſta Chriſtū omni ætate diuinitatis ſuæ radios emiſiſſe oſtendat, iterum adijcit: Et Ieſus proficiebat, ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines, quod nihil aliud eſt, q̄ cōtinuo ut ætate maior euadebat, ita illuſtrior reddebatur ſapiētia, gratioſiorq; hominibus apparebat, ſed in ſolidis uirtutibus, ut ita in gratia Dei uideretur creſcere, quāto, ſcilicet, illa magis ac magis in dictis & factis eius ſeſe promebat. Verus homo fuit, & ut uerus homo ſemp uixit, ſed ita ſe cōtinuo prodēte in ipſo ſpiritu Dei, ut ſimul maior hoīe appareret, ijs præſertim, q̄bus datū erat diuina cognoſcere. Quæ ſuperioris ſeculi Theologi de conſummatione domini noſtri ut hominis, in inſtanti ut loquūtur, cōceptionis perfecta, diſputant, ipſis relinquamus, nam ex ſe illa cōmenti ſunt.

CAPVT III.

Anno aūt decimoquinto imperij Tiberij Cæſaris) uſq; ad illud, euāgelizabat populo.) Hæc ſunt explicata Matth. 3. ab initio, uſq; ad illud: Tunc accedens Ieſus.

Herodes aūt Tetrarcha, cum corriperetur ab illo) uſq; ad illud, & incluſit Ioannē in carcerē.) Enarratū eſt in Matth. cap. 14. in illud: Audiuit Herodes.

Factū eſt aūt, cum baptizaretur omnis populus) uſq; ad illud, in te complacitū eſt mihi.) Explicata hæc ſunt in Matth. cap. 3. in illud: Et baptizatus Ieſus,

Et ipſe incipiebat eſſe fermè annorum triginta) uſq; ad finē capitis. Hæc enarrandi in explicatione Genealogiæ, quam Matthæus initio ſtatim ſui Euangelij poſuit.

CAPVT IIII.

Ieſus aūt plenus ſpiritu ſancto, regreſſus à Iordane) uſq; ad illud: & glorificabatur ab omnibus.) Enarrata hæc ſunt in Matthæo capite quarto ab initio, uſq; ad illud: Vt impleretur.

Et uenit Nazareth,ubi erat nutritus,& intrauit) uſq; ad illud: Nonne hic eſt fi/ C
lius Ioſeph?) Tractata ſunt in Matth.cap.13.in illud: Et cum ueniſſet in patriã ſuã.
Item quarto in illud.Et relicta Nazareth.

Et ait illis: Omnino dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice,cura teipſum.
Quæcunq; audiuimus facta in Capernaum,fac & hic in patria tua. Ait autẽ:
Amen dico uobis, Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Sed in ue/
ritate dico uobis,multæ uiduæ erant in diebus Heliæ in Iſraël quãdo clauſum
eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna per o/
mnem terram,& ad nullam illarum miſſus eſt Helias, niſi in Sareptha Sido/
nis ad mulierem uiduam.Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Heliſæo prophe/
ta,& nemo eorum mũdatus eſt,niſi Naaman Syrus. Et repleti ſunt omnes in
ſynagoga ira,hæc audientes.Et inſurrexerunt eiecerunt̃q; illũ è ciuitate,& du/
xerũt illum uſq; ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædifi
cata,ut præcipitarent eum.Ipſe autem tranſiens,per medium illorum ibat.

In eo quòd dominus agnouit ſibi non tanta in patria,quanta Capernaum, ſigna
edenti,obijci potuiſſe prouerbium iſtuc,medice cura teipſum,indicauit hunc ordi/
nem dilectionis naturæ inditũ,ut quiſq; ſuorum primã curam habeat, quare qui id
temere negligat,eum ſcribit Paulus eſſe infideli deteriorem.Nam etiam qui fide ca
rent,natura duce ſuis proſpiciũt,ſibiq; ipſis factum putant, quod benefecerint illis.
Sed aliud eſt corporis neceſſaria miniſtrare, aliud miracula Dei. Quanquam & in
omni beneficentia,in primis ſpectanda ſit Dei uoluntas, quæ quidẽ dum aliud ipſe
non iuſſerit eſt,ut quiſq; in primis curet carne proximos,dum aũt Deus ſecus præ/
cipit, iam à naturali illo ordine recedere oportet. Id obſeruauit illa mulier,de qua
hic ſeruator meminit,dum Helię priuſquam filio cibum iuſſa ab illo pararet.Porrò
ut in beneficijs illis uulgaribus dum abeſt mandatum peculiare,corporum cogna/
tio non indigne conſideratur,ita conſiderãda eſt & ſpiritalis,dum diſpenſanda ſunt
ſpiritalia. Quò ergo iſtuc municipibus ſuis perſuaderet,offenſam enim quo ad lice
bat ſemper fugit,duo iſta exempla,Heliæ & Eliſæi adduxit,qui omniũ maximi pro
phetæ ſua miracula non ſolum alterius ciuitatis Iudæis,ſed gentibus,& à tota Iſraẽ/
lis R.pub.alienis,Deo ſic uolẽte,fecerant. Simul tamen notauit dominus ſuorum
infidelitatẽ,qua,ſcilicet,prohibebaṫ,ne ſigna multa apud ipſos ederet. Tecte enim
illos aſſimilauit maioribus eorum,qui tempore Heliæ & Heliſæi inſigni impietate,
Deo & uiris illis ſanctis aduerſati fuerant,eoq; indignos ſeſe fecerãt, ne illi uirtutes
beneficas multas apud eos facere poſſent.Quod etiam intellexerũt. Inde enim tan/
ta fuerunt ira in dominum accẽſi, ut uellẽt ipſum è colle dare præcipitem, ſed tranſ/
iuit,& per medium illorum abijt, ſeruante eum manu patris, quia nondum uene/
rat hora eius.Hiſtoria prior.1.Reg.17.poſterior.2.Reg.5.legitur.

Et deſcendit Capernaum ciuitatem Galilææ)uſq; ad illud:quia cum poteſtate cõ
iunctus erat ſermo ipſius.) Explanatum eſt Matth. 4.in illud: Et relicta Nazareth.
Item ſeptimo in illud:Et factum eſt cum fuiſſet Ieſus.

Et in ſynagoga erat homo habens ſpiritum dæmonis immundi)uſq; ad finem ca
pitis. Tractata hæc ſunt in Matth.cap.8.in illud: Et cum ueniſſet Ieſus in domũ Pe/
tri,uſq; ad finem capitis.

CAPVT V.

Factum eſt aũt cum turba immineret ei,ut audiret uerbum Dei)uſq; ad illud,reli/
ctis omnibus ſequuti ſunt eum.) Hoc expoſitum Matth.capite quarto in illud: Vi/
dit duos fratres.

Et accidit

Et accidit, cum esset in quadã ciuitate, & ecce uir plenus lepra) usq; ad illud: quẽadmodum præcepit Moses in testimoniũ illis.) Tractata sunt cap. 8. Matth. in illud: Et ecce leprosus.

Peruagabatur aũt magis rumor de illo) usq; ad illud: ab infirmitatibus suis.) Explanatum est Matth. 4. in illud: Et dimanauit fama illius.

Ipse aũt agebat in secessu in desertis, & orabat.) Explicatum est Matth. 8. in illud: Cum uidisset Iesus turbas multas. De secessu uero ad orandũ dicta pleraq; Matth. 6. in tractatu de Oratione.

Et factũ est quodã die, & ipse docebat) usq; ad finẽ capitis. Tractata sunt Matth. 9. ab initio usq; ad illud: Hæc cum illis loqueretur.

CAPVT VI.

Accidit aũt, ut in sabbatho secundo primo transiret per sata) usq; ad illud: & colloquebantur inter sese, quidnam facerent Iesu. Hæc explicata sunt Matth. cap. 12. ab initio usq; ad illud: Tunc adductus est ad eum.

Factum est aũt in illis diebus, exijt in montem ad orandum) usq; ad illud, Estote ergo misericor les sicut & pater uester misericors est.) Hæc tractata sunt Matth. 5. per totum caput.

Nolite iudicare, & non iudicabimini) usq; ad finẽ capitis, Ista explanaui Matth. cap. 7. Illud præterea: Non est discipulus supra magistrum explicatum, quoque est Matth. cap. 12. in illud. Non est discipulus &c.

CAPVT VII.

Cum aũt consummasset omnia uerba sua audiente populo) usq; ad illud: inuenerunt seruum qui languerat, sanum.) Enarraui ista Matth. 8. in illud: Porrò cum ingressus fuisset.

B Et factũ est deinceps, ibat in ciuitatem, quæ uocatur Nain) usq; ad illud: Et iustificata est sapientia à filijs suis omnibus) Hæc explicata sunt omnia in Matth. 11. ab illo: Ioannes aũt cum audisset, usq; ad illud: Tunc cœpit exprobrare.

Rogabat aũt illum quidã è Pharisæis, ut caperet cibum cum ipso. Et ingressus domum Pharisæi, accubuit. Et ecce mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, stansq; ad pedes eius à tergo flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes eius, & unguento ungebat.

Dominus nullã docendi occasionẽ præteribat, hinc ad quoscunq;, à quibus ulla spes fructus esset, uocaretur, ire sustinuit, conuiuiaq; minime detrectauit. Sic ergo malos & peccatores uitare debemus, ne peccatis ipsorum uideamur consentire, né ue utilem eis seueritatẽ prætermittamus, at si quacunq; in re illis ad bonũ iungi possumus, occasionẽ lucrandi eos posthabere haudquaq; debemus. Verum nostri cõmodi, & uoluptatis caussa posse flagitiosis conuiuere, & ad mala eorũ cõniuere, eorum est, quibus gloria Christi susq; deq; habetur. Necessaria tamen uitæ, quam libet malis & deploratis negare haudquaq; debemus, quia inimicus quoq; nobis pascendus est. Sic sese Christus habuit, & habẽt se, quicunq; eius spiritu fuerint prediti. De domino id uel ex præsenti historia liquet: laborabat hic Simon, & forte alij quoq; Pharisæi, qui simul aderant ad conuiuium, fiducia iustitiæ propriæ tumidore, hos ergo curare uoluit, cum exemplo peccatricis, tum uerbis suis, & hac quidem caussa, conuiua eorum esse sustinuit, ut nihil sibi ab illis quærens, ita nihil quoq; ad morbos eorum conniuens.

Hanc uero peccatricem, haudquaq; fuisse Mariam illam sororem Lazari, de qua Ioannes duodecimo meminit, à qua scribunt unctum dominum, quæq; dominum

ſtatim ſupplicium aditurũ unxiſſe,& à Matthæo atq; Marco ſcribitur,ſed neq; Ga/ c
lilæam illam Mariam de qua Lucas ſequenti capite, dixi in Matth.cap.26.in illud:
Cum autem Ieſus eſſet in Bethania domo Simonis.

Vim uero uiuæ pœnitentiæ in hac mulierecula uideas, quæ Ieſum, neminẽ ueri/
ta,in conuiuiũ uſq; ſecuta fuit,largiterq; adeò fleuit, ut rigaret lachrymis pedes do/
mini. Senſerat peccati aculeũ, ſenſerat Dei gratiã in Chriſto,hinc nihil eam pude/
bat,nihil uerebatur,dũmodo animi ſui dolorẽ ei patefaceret,à quo ſperabat conſola
tionẽ.Sic nullo opus erit præcepto,quo ad confitenda ſua peccata homines cõpel/
lantur,ſed Chriſto ipſo cordi ſimul peccata,& ſpẽ ſalutis in ſe demonſtrãte. Cæterũ
de uera pœnitẽtia,atq; uera peccatorũ cõfeſſione,dictũ fuſe in Matth.eſt cap.3.in il/
lud:Confitẽtes peccata,& cap.4.in illud:Et ex eo tẽpore cœpit Ieſus prædicare &c.

Videns autẽ Phariſæus,qui uocauerat eum,ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet
Propheta,ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier,quæ tãgit ipſum, quia peccatrix
eſt.Et reſpondens Ieſus,dixit ad illum: Simon, habeo quiddam quod tibi di/
cam.At ille ait:Magiſter dic. Duo debitores erant cuidam creditori, unus de/
bebat denarios quingentos,& alter quinquaginta.Cum autem illi non eſſent
ſoluendo,condonauit utriſq;:horum igitur dic uter eum plus diliget:Reſpon
dens Simon,dixit:Exiſtimo quòd is cui plus condonauit.At ille dixit ei:Recte
iudicaſti.Et conuerſus ad mulierem,dixit Simoni: Vides hanc mulierem? In/
trauí in domum tuam,aquã pedibus meis non dediſti, hæc autem lachrymis
rigauit pedes meos,& capillis capitis ſui exterſit.Oſculũ mihi non dediſti,hæc
autem ex quo intraui,non ceſſauit deoſculari pedes meos.Oleo caput meum
non unxiſti,hæc autem unguento unxit pedes meos, propter quod dico tibi: p
Remittantur peccata eius multa,quoniam dilexit multum.Cui autem minus
remittitur,is minus diligit.Dixit autem ad illam:Remittuntur tibi peccata. Et
cœperunt qui ſimul accumbebant,dicere intra ſe:Quis eſt hic,qui etiam pecca/
ta remittit?Dixit aũt ad mulierem:Fides tua te ſaluam fecit,uade cum pace.

Agnoſcunt facile ſuos filij Dei.

Non Prophetæ ſolum,ſed omnes quoq; ſpiritu Dei prædíti facile agnoſcunt, &
eodem ſpiritu donatos,& illi aduerſantes,hinc cum dominus mulierculam hanc à
ſe non repelleret, putabat Simon eum latere qualis eſſet,eoq; ſpiritu Dei non ita ut
iactabatur eſſe prædítũ. Dominus aũt nõ modo nouerat,ſed uoluerat etiã hanc ad/
eſſe,exẽploq; eius ſuperciliũ Phariſæi deiícere.Propoſita ergo ſimilitudine,de duo/
bus debitoribus, eidem creditori obſtrictis,quorum alter creditori quingentos de/
narios debuiſſet, alter quinquaginta, quibus creditor utriſq; debitum donaſſet,ro/
gabat Phariſæum,utrum debitorũ,magis diligere creditorem cenſeret,qui reſpon/
dit,eum cui creditor plus donaſſet. Hac reſponſione probata, dominus conuerſus
ad mulierem,enumerabat Phariſæo mulierculæ huius in ſe officia,quibus ea dilige
re ipſum multo quã Phariſæus ardẽtius teſtata fuerat,indeq; colligebat, plus etiam
peccatotũ ei eſſe condonatũ,eoq; iam non eſſe peccatricem ipſi contemnendã,ſed
obſeruandam ſororem,ut cui Deus omne debitum remiſiſſet.

Habet ergo reſponſio domini hunc ſenſum: Simon tibi uideor parum Propheta,
quòd hanc à me non repello, ſed patior oſculari & ungere mihi pedes: nam puras
inopem adeò me ſpiritus,ut ignorem qualis ea ſit,nimirum peccatrix. Falleris mul
tum,mihi egregie cognita eſt,atq; adeò minime repellenda,imò fouenda, & uobis
in exemplum cõmendanda. Peccatrix fuit, id clam me non eſt,ſed quæſo attendas
quid effuſæ iſtæ lachrymæ eius, & præclara iſta ardentiſſimæ erga me pœnitentiæ
prædicatorem dilectionis officia ſibi uelint. Tu tibi uideris me non uulgariter ama
re,eaq;

re,eaq; cauſſa conuiuio huic adhibuiſti, ſed conferas obſecro tua in me illius officijs. In tuam domum ueni uocatus,non illius,tu tamen ne uulgarem quidem aquã dediſti pedibus meis,illa cuius hoſpes non ſum, in domo aliena,etiã lachrymis ſuis rigauit pedes meos,& capillis capitis ſui exterſit. Ori meo tu oſculum non dediſti, quod uulgariſſimum amicitiæ ſignum eſt,hæc ex quo intrauí,non ceſſat oſcula imprimere pedibus meis. Vel ſimplici oleo caput meum, quod item triuialibus amicis fieri ſolet,non unxiſti,hęc autem unguento unxit pedes meos. Vides ergo te ab hac amore erga me longe ſuperatum? At ís ſum qui remiſſionem peccatorũ doceo & prędico,prędter hanc nihil eſt,quòd iſta à me acceperit,aut etiam expectet. Ergo Simon ut iſtam uides me multo quàm tu, ardentius amare, ſcito quòd plus etiam ei, quàm tibi à me condonatum eſt. Multis peccatis obnoxia fuit,fateor,at iam nõ eſt, alioqui me quo nemo peccata magis odit,auerſaretur,non diligeret,ſed remiſſa illi peccata ſunt,amplexa innocentiam eſt,atq; hinc eſt ardẽs iſte in me amor,hinc iſtæ lachrymæ,hinc iſta officia. Tu minus & illa me diligis,ideo etiã minus peccatorum tibi remiſſum eſt. Cui enim minus remittitur,is minus diligit. Sicut ſi creditor quiſpiam duobus debitoribus,quorũ uterq; ſoluendo nõ eſſet, omne debitũ donet, ſed alteri maius,is indubie ab eo debitore plus diligeretur,cui plus donaſſet.

Plus dilexit & plus ei remiſſum eſt, ergo non debet à bonis repelli.

Hinc iam liquet,dominum uoluiſſe Simoni probare,huic mulieri multa ſua peccata iam tum condonata fuiſſe,eoq; non iam peccatricem eam eſſe,& à ſe repellendam,ſed magis reſipiſcentem, & ideo ſuſcipiendam & amplectendam, & probare hoc per ardentẽ illam erga ſe peccatorũ ſaluatorem dilectionem, quam rigando lachrymis, oſculando & ungendo ſibi pedes fuerat teſtata. Monuit autem ſimul omnes peccatores eſſe, neq; quenquam ſua poſſe peccata eluere, ſed opus omnibus eſſe miſericordia Dei illa condonante. Condonata autem eſſe,dilectione erga condonantem dominum probari. Condonatio igitur fide percipitur, & percepta dilectione comprobatur.

Vnde cum ad corroborandum cor mulieris huius dominus dixiſſet,remittuntur tibi peccata,& id conuiuas nonnihil offendiſſet,dixit ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit,uade in pace. Quaſi diceret: Aio tibi remiſſa eſſe peccata, hoc iſtos offendit,quia mihi non credunt, non agnoſcunt me Chriſtum eſſe, quin in hoc ueni,ut populum meum à peccatis ſuis ſaluem. Tu autem id credidiſti, & prædicanti reſipiſcentiã,& peccatorũ remiſſionẽ fidem habuiſti, cõuerſa à uijs tuis prauis, indeq; ut ſaluatorem me tuum impenſiſſime obſeruare te modo & colere declaraſti,amorem mei teſtata ingentem. Vade ergo in pace & ſis animo tranquillo, peccatorum tuorum pater nunquam recordabitur,fides tua in me ſaluam te reddidit, credidiſti me poſſe tibi gratiam patris reſtituere,& peccatorũ tuorum impetrare ueniam, en habes reſtitutam & impetratam,& ſicut credidiſti, ita accepiſti, abi iam ſecura omniũ ad tua,filia Dei euaſiſti. Ita ſimul in his,ſaluatorẽ ſe,per quem ſolum peccatorũ condonatio quęrẽda ſit,ſeſe prędicauit,atq; Phariſæos præſentes & quòd ſibi ipſis plus æquo fiderent,& præ ſe alios contemnerent,caſtigauit. Neq; dubium quin id pleriſq; eorum,ſi non in præſenti,tamen in poſterum mire profuerit.

CAPVT VIII.

ET factum eſt deinceps,& ipſe iter faciebat per ſingulas ciuitates & caſtella prædicans & annuntians regnum Dei, & duodecim cum illo, ſimulq; mulieres aliquæ quæ erant ſanatæ à ſpiritibus malis & infirmitatibus. Maria quæ uocatur Magdalene de qua ſeptem dæmonia exierant,& Ioanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

De eo quòd dominus omnia peragrabat, annuntians regnum Dei, dictum in

Matth. est cap. 4. in illud : Et circumibat totam Galilæam . Quòd uero ab istis mu- C
lierculis uitæ necessaria accepit, seminans spiritalia, in se ipso cõfirmauit, quòd suos
docuit, operarium cibo suo dignum. De quo Matth. 10. in illud: Sed in quamcunq;
ciuitatem aut uicum fueritis ingressi. In mulieribus aũt istis, exemp ũ est gratitudi-
nis. Confutatur uero hic error Gregorij, qui per septem dæmonia, intelligit septem
peccata capitalia. Cũ aperte hic Lucas testetur, à spiritibus immundis liberatas has
mulieres fuisse. Notatur etiã, quàm humiles quæstores dominus rex cœlorũ in his
mulieribus habuerit. De his & in Matth. cap. 28. paulo post initium.

Cum autem turba plurima conueniret) usq; ad illud, & fructum afferunt per pa-
tientiam.) Explanata sunt Matth. 31. in illud: In die uero illo egressus Iesus.

Nemo uero cum lucernam accẽderit, operit eam uase) usq; ad illud: & in propa-
tulum uenturũ.) Istuc tractatũ est in Matth. 5. in illud: Neq; accendunt lucernam.

Videte ergo quomodo audiatis) usq; ad illud: auferetur ab illo.) Explicatum est
Matth. 13. in illud: In die uero illo.

Venerunt aũt ad illum mater & fratres eius) usq; ad illud: qui sermonem Dei au-
diunt, & faciunt illum.) Enarraui hæc Matth. 12. in illud: Ecce aũt & fratres.

Factum est aũt quodam die, & ipse ascendit in nauim) usq; ad illud : Et abijt per
totam ciuitatem prædicans quæcunq; sibi fecisset Iesus.) Hæc omnia explanata le-
gis Matth. 8. ab eo: Et cum ingressus nauem, usq; ad finem capitis.

Factum est aũt cum rediret Iesus, excepit illum turba) usq; ad finem capitis. Hæc
enarrata sunt Matth. 9. in illud: Hæc cum illis loqueretur, ecce primas.

CAPVT IX.

Conuocatis aũt Iesus duodecim, dedit illis potestatẽ) usq; ad illud : euangelizan-
tes & curantes ubiq;.) Tractata hæc sunt Matth. 10. in illud : Et accersitis duode-
cim. Illud præterea : In testimoniũ aduersus illos, explicatum etiam est Matth. 8. in
historia leprosi.

Audiuit aũt Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo) usq; ad illud: Et subla-
tum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.) Hæc explicata sunt
Matth. 14. in illud: Audiuit Herodes.

Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli) usq; ad illud : qui
non gustabunt mortem, donec uideant regnum Dei.) Hæc tractata sunt Matth. 16.
in illud: Cum aũt uenisset Iesus in partes. Præterea explicatum est illud: Si quis uult
post me uenire. Matth. 10. in illud: Qui amauerit patrem.

Factum est aũt post hæc uerba ferè diebus octo, & assumpsit Petrũ) usq; ad illud:
Et timebãt eum interrogare de hoc uerbo.) Hęc explanata sunt Matth. 17. ab initio,
usq; ad illud: Cum aũt uenissent in oppidum.

Intrauit aũt cogitatio inter eos, quis eorũ maior esset) usq; ad illud : Nam qui mi-
nor est inter omnes uos, hic erit magnus.) Explicatum est Matth. 18. ab initio.

Respondens aũt Ioannes, dixit: Præceptor, uidimus quendam sub nomine
tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, qui nõ sequitur nobiscum. Et
ait ad illũ Iesus: Nolite prohibere. Qui enim nõ est aduersum nos, pro nobis est.

Etiam mali ab initio mira culà fecerũt.

Quo potentia Christi magis declararetur in nomine eius, etiam mali ab initio re-
gni eius uirtutes fecerunt. De quo Matth. 7. in illud: Multi dicent mihi in illo die,
domine, domine. Hac caussa & in hoc quem Ioãnes narrat à discipulis prohibitum,
siue malus siue bonus fuerit nomẽ Christi adeò extitit efficax, ut dæmonia ejceret,
neq; sequebatur tamen dominum, hoc est, non comitabatur ipsum cum illis duode
cim, qua utiq; caussa eum prohibuerant. Sed quia tempus erat, ut etiam perparum
probatos ad impiorum, scilicet, condemnationẽ, & piorum consolationem miracu
la ederentur, Christus noluit eum prohiberi, Adijciens pro ratione illud prouerbij,

Qui

A Qui non est aduersum nos, pro nobis est, & in Marco, Nullus enim est, qui si fecerit uirtutem propter nomen meum, possit cito male loqui de me.

Hinc ergo discimus, nullam qualemcunq; gloriæ Christi confessionem ac prædicationem esse reiiciendam, sed potius monendos eos, qui id non satis decenter faciunt, ut quod in eis adhuc desideratur, sarciant, & non absterrendos ab eo, quod per se ad gloriam Dei facit. Ita hodie inuenias multos cum principes, tum alios, qui gloriæ Christi fauent, & in aliis promouent, in se ipsis non adeò, praue, scilicet, uiuentes, & uoluptatibus inseruientes. Hos Anabaptistæ, cum quibusdam aliis incõsultis fratribus prorsus damnant & abiiciunt, ut indignos, qui quicquam pro Christo uel dicant, uel faciant. Indigni quidem huiusmodi sunt, qui Christum prædicẽt, quem nondum dominum & seruatorem suum plane agnoscunt, eoq; nemo huiusmodi ad Episcopi, aut Euangelistæ, munus deligi debet, sed dum ultro pro gloria Christi aliquid dicunt aut faciunt, idq; indubie diuinitus instincti, unde, scilicet, omne bonum prouenit, nequaquã prohibendi sunt. Si enim non sunt aduersum nos, pro nobis sunt. Et si quid pro Euangelio fecerint, non poterunt cito de eo male loqui. Domini opus est quod agunt, id nemo remoretur. Sed moneat potius eos qui poterit, ut quàm syncerissime Christo sese dedãt, atq; quod faciunt bonũ, non omittant, uerum addant potius, & reliqua quæ negligunt. Sic & Paulus gaudebat Christum prædicari etiam per occasionem, Philip. 1.

Prohiberi nõ debent regnũ Dei quomodolibet promouentes.

Occasio, quòd Ioannes hæc domino diceret, uidetur fuisse, quòd dominus dixerat de puero, quem in medium ipsorum statuerat. Si quis talem puerum receperit in nomine meo, me recipit, et qui me recipit eum qui me misit. Hinc ergo motus Ioannes forsan fuit, ut de eo, quem eiicere dæmonia in nomine Iesu prohibuerant, uelut interrogaret, num iure eum prohibuissent, quando recepisse tantum puerum in nomine eius, res esset ipsi tantopere grata. Quasi diceret: Est tanti aliquid tuo nomine fecisse, ut te & patrem is susceperit, qui tantum puerum talem in nomine tuo

B suscipiat, quid est sentiendum de ijs, qui in tuo nomine uirtutes faciunt? Nos talem quempiam, qui in nomine tuo eiiciebat dæmonia, prohibuimus, eo quòd non sequeretur nos. Lucas habet nobiscũ, id est, non ageret in nostro comitatu. Vereor ut recte fecerimus. Respondit ergo Christus, non debere huiusmodi prohiberi, & pergit cõtinuo hortari eos, ut sibi præcellentiã non quærerẽt, satis superq; ipsos magni esse patri, adeò, ut si quis eis tantũ poculũ aquæ dederit, mercedẽ suã habiturus sit. Vnde in Marco sequitur. Quisquis enim ad bibendum dederit uobis calicẽ aquæ nomine meo, quòd sitis Christi, amen dico uobis, nequaq; perditurus est mercedẽ suam. Hoc aũt tractatum est in Matth. cap. 10. in illud: Qui recipit uos, me recipit.

Occasio huius responsionis, uel interrogationis potius.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciẽ suam obfirmauerat, ut iret Hierosolymam, & misit nuntios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi, & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis Hierosolymam. Cum uidissent autem discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, uis dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos, quemadmodum & Helias fecit? Conuersus autem Iesus, increpauit illos, dicẽs: Nescitis cuius spiritus estis uos. Filius enim hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Et abierunt in aliud castellum.

Hora appropinquante supplicij, locum quoq; supplicij uoluit adire. Cumq;, ut uerisimile est, multam turbam secum duceret, quod uel ex initio. 8. cap. supra coniicitur, præmittere solebat nuntios, qui sibi & ijs quos secũ habebat, uitæ necessaria parerent. Si ergo, cum in quandã Samaritanorũ ciuitatẽ fuissent ingressi paratũ ea domino, & ijs qui cum illo erant, ciues illos repulerunt, nolentes dominum intra sua

mœnia admittere, eo quòd uiderent petere eum Hieroſolyma, neq; dubitarẽt, quin propter feſtiuitatẽ, & cauſſa adorationis in tẽplo Hieroſolymitano hoc iter ſuſcepiſſet. Id enim Samaritani indigniſſime ferebant, habentes templum propriũ in monte Garixin, extructum à Sanabalatho præfecto Darij, in gratiã Manaſſe generi ſui, ſacerdotio Hieroſolymis pulſi, in quo ita contendebant adorandũ, ut hinc plerunq; ſeditiones & cædes deſignatæ inter Iudæos & Samaritas fuerint. De quibus legis apud Ioſephum lib. 11. cap. 7. & 8. & ſequentis lib. cap. 1. Huius montis meminit mulliercula illa diſputans cum domino apud fontem. Ioan. 4. Hi ergo Samaritæ, nullo peculiari odio domini, ſed ob illam de præſtantia templorũ contentionem, ipſum & ſuos recipere noluerũt, ut quos putarent ſuũ templum cõtemnere, & petere Hieroſolymitanum. Hanc repulſam Iacobus & Ioannes optabant ulciſcendã deuocato è cœlo igni, qui illos uoraret. Vti Eliah olim perdidit tres quinquagenarios cũ quinquaginta ſuis, 2. Reg. 1. Horum zelum igitur dominus increpuit, dicẽs: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis uos. Filius enim hominis non uenit ad perdendũ animas hominũ, ſed ad ſaluandum, & abierunt in aliud caſtellum.

Spiritus Chriſti ſalutem hominũ quærit.

Etſi enim etiam in ruinam multorũ dominus poſitus eſſet, atq; ipſos Apoſtolos oporteret multis odorem mortis offundere per Euangelion, quod in ſe odor uitæ eſt, nolebat tamen, ut tam procliues eſſent ad petendã ultionem eorum qui peccaſſent: præſertim ſi id in ſe præcipue peccatũ eſſet, uerum in omnibus præ ſe ferre ut ſuum ſpiritum, id eſt animum, qui ſaluare multos quæreret, perdere neminem. Hoc ita dominus ſtuduit, ut Iudæos, quos à perditione ſui reuocare non poſſet, defleuerit etiam. Adeò erat alienus ab animo ulciſcendi ſe de illis. Quin dum crucifigeretur, orabat pro ſibi mortem inferẽtibus. Porrò repulſus hic à Samaritis, nihil tamen ob id earum rerum, quæ ſibi neceſſariæ erant deſiderauit, fuit enim receptus alibi. Ita quamlibet repellamur à multis, nihil tamen nobis deerit, ſemper futuris qui nos recipiant, & neceſſaria ſuppeditent.

Factum eſt autem, ambulãtibus illis in uia, dixit quidam ad illum) uſq; ad finem capitis. Tracta ſunt Matth. 8. in illud: Et cum audiſſet unus ſcriba.

CAPVT X.

Poſt hæc aũt deſignauit dominus & alios ſeptuaginta) uſq; ad illud: dicebat ergo illis.) Tractatum eſt Matth. 10. proxime ſub finem.

Meſſis quidem multa, ſed operarij pauci) uſq; ad illud: extrudat operarios in meſſem ſuam.) Explicatum Matth. 9. in illud. Tunc dicit diſcipulis ſuis.

Ite, ecce ego mitto uos ſicut agnos inter lupos) uſq; ad illud: Sodomis in die illo remiſſius erit, quàm illi ciuitati.) Enarrata ſunt Matth. decimo in illud: Ne poſſideatis aurum.

Væ tibi Chorozain, uæ tibi Bethſaida) uſq; ad illud: niſi filius, & cui uoluerit filius aperire.) Explanata ſunt Matth. 11. in illud: Tunc cœpit exprobrare. Cæterũ illud: Qui uos audit, tractatũ etiam eſt Matth. 10. in illud: Qui recipit uos.

Et conuerſus ad diſcipulos ſeorſim dixit: Beati oculi) uſq; ad illud: & audire quæ auditis, & nõ audierũt.) Iſtuc enarraui Matt. 13. in illud: Veſtri uero beati ſunt oculi.

Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens) uſq; ad illud: Vade & tu fac ſimiliter.) Explicata hæc ſunt Matth. 22. in illud: Et interrogauit eum unus de proximo. Item dicta pleraq; ſunt Matth. 5.

Factum eſt autem dum irent, ut ipſe intraret in quoddam oppidulum. Ac mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam aſſidens ad pedes Ieſu, audiebat ſermonem illius. Martha autem diſtrahebatur circa frequẽs miniſterium, quæ aſſiſtens ait: domine, nõ eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ut ſola miniſtrẽ? dic ergo illi

illi ut me adiuuat: Et respondens dixit illi Iesus, Martha, Martha solicita es, & tumultuaris circa multa. Atqui unum est necessarium, Maria bonam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.

Bone Deus, quàm misere torta hæc lectio est, ut assumptioni diuæ uirginis, Christi matris responderet. Multa quoq; de uita actiua, & contemplatiua, in hunc locũ congesta sunt, quæ ut non damno, ita malo simplicem historiam sequi. In Martha est exemplum laudatum hospitalitatis, & officiosæ charitatis, quæ circa plurima distrahi, & tumultuari cogebatur. Cupiebat enim domino, & ijs quos secum adduxerat, diligenter omnia & affatim administrare. In Maria exemplum propositũ est sitibundæ fidei, et amoris Dei ad cœlestia iugiter anhelantis. Christus itaq; Marthã non uituperauit, sed Mariam ei prætulit, ut quæ meliorem partem elegisset, nimirũ uacans audiendo suo sermoni. Quod unum uere necessarium est, nam sine auditu uerbi Christi nihil boni adesse potest, ubi aũt ille adest, nihil potest boni desiderari. Quærentibus enim regnũ & iustitiam Dei, omnia alia adijciuntur.

Martha exẽplum hospitalitatis & charitatis.

Ita unum illud necessarium, ferè pro auditu, fideq; sermonis Christi interpretari solent, & consonat Analogiæ fidei interpretatio. Sed cum orationis filum perpẽdo, & occasionẽ huius dicti, uidetur mihi responsio Christi, hunc sensum habere: Martha Martha, admodum solicita es, & ad nimis multa distraheris. Non oportebat circa tam multa tumultuari, uni rei intentã esse præstiterat, neq; enim tam multa simul recte curabis. Verũ ne sis inscia, soror hæc tua, quã accusas, meliorẽ certe q̃ tu partem elegit, fruitur cœlesti cibo qeta, cũ tu circa externa ista plus nimio perturberis.

Nequaq; aũt hæc putemus dominũ dixisse, quòd probare uoluerit ignauam istã Monachorũ & Monacharũ uitam, qui uentris caussa ab officijs uitæ præsentis erga suos sese subducunt, & saginandos in cœnobia, recludunt, iactantes se cum Maria meliorem partẽ elegisse. Etenim non plus hic locus istis patrocinatur, quàm iste Matth. 26. & Matth. 14. Vbi hanc eadem Mariam dominus excusabat, quòd pretiosum adeò unguentum super se effudisset, affirmãs eam in se fecisse bonum opus, illis patrocinatur, qui præteritis pauperibus omnia in lapides & ligna, statuas, scilicet, ornamenta templorũ, & sacerdotum insumunt. Etenim dominus plus satis satagentem circa ministeriũ Martham, & amice questam de sororis otio uoluit monere ut solicitudinis aliquid remitteret, tum excusare, sororẽ quæ nõ ad nugas, ut Monachi & Monachæ, sed audiendum cœlestem sermonẽ, ad pedes ipsius desidebat, simul denicq; indicare, quàm præstarent spiritalia corporalibus. Dum autem & hæc necessaria sunt, fidem abnegauit, & infideli deterior est, qui ea ministrare neglexerit ijs, quos in hoc à domino accepit sibi oblatos.

Cœnobitæ nostri, nihil minus quàm Mariam imitantur.

Sed quid isti se Mariæ conferunt, quibus nemo est, qui minus sermonem Iesu ferat, & plus tumultuetur circa curas uẽtris? Negligat ergo ministrare corporibus, qui occasionem & animum ad audiendum sermonem Iesu Marię parem habuerit, cuicq; soror fuerit ita curans omnia, ne cui ad se pertinenti quid desit. Si minus, sciat quisq; consummationem legis esse charitatem, eamq; præstandam opere & ueritate. Tum meminerit hæc Marthæ opera in supremo iudicio magnifice memoranda à domino, tanquam sibiipsi exhibita, quæcunq; exhibita fuerint uel minimis suis, germanaq; esse synceræ fidei testimonia.

CAPVT XI.

Et factum est cum oraret quodam in loco) usq; ad illud: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.) Tractatum est Matth. sexto, in illud: Ad hunc modum orate uos.

Et ait ad illos: Quis uestrum habebit amicum) usq; ad illud: quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se.) Ista enarraui Matth 7. in illud: An quisquam uestrum est homo.

Et erat

Et erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum) usq; ad illud: & ecce plusq; Iona hoc in loco.) Hæc explanata sunt Matth. 12. in illud: Tunc adductus est ad eum.

Nemo lucernã accendit, & in abscondito ponit) usq; ad illud: ut cum lucerna fulgore illuminat te.) Enarrata sunt Matth. 5. in illud: Vos estis lux mundi.

Et cum loqueretur, rogauit illum quidẽ Pharisæus, ut pranderet apud se) usq; ad finem capitis. Omnia hæc explicata sunt Matth. cap. 23.

CAPVT XII.

Cum aũt conuenisset innumera turbæ multitudo) usq; ad illud: quod est hypocrisis.) Tractatum est Matth. 16. in illud: Et cum uenissent discipuli eius.

Nihil enim opertum est, quod non reuelabitur) usq; ad illud: prædicabitur in tectis.) Explicatum est Matth. 10. in illud: Nihil enim tectum.

Dico aũt uobis amicis meis: Ne terreamini ab his) usq; ad illud: negabitur coram angelis Dei.) Enarrata sun Matth. 10. in illud: At cum tradiderint uos.

Et quisquis loquitur dictum in filium hominis) usq; ad illud: nõ remittetur.) Tractatum est Matth. 12. in illud: Propterea dico uobis.

Cum aũt adduxerint uos ad synagogas) usq; ad illud, quid oporteat uos dicere.) Tractatum in illud Matth. 10: At cum tradiderint uos.

Ait autem ei quidam de turba. Magister dic fratri meo) usq; ad illud: & si in tertia uigilia uenerit, atq; ita inuenerit, beati sunt serui illi.) Tractata hæc sunt Matth. 6. in illud: Ne sitis soliciti.

Hoc autem scitote, quòd si scisset paterfamiliás) usq; ad illud, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.) Enarrata sunt in Matth. uigesimo quarto, in illud: Vigilate ergo.

Ignẽ ueni missurus in terrã, & quid uolo) usq; ad illud: & nurus aduersus socrum suam.) Explicatũ est Matth. 10. in illud: Qui amauerit patrem.

Dicebat autem & ad turbas: Cum uideritis nubem orientem ab occasu) usq; ad illud: donec ultimum etiam minutum reddas.) Explanatum est Matth. 16. ab initio. Et quinto in illud: Habeto beneuolentiam.

CAPVT XIII.

ADERANT autem quidam eodem in tempore nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinẽ Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorum. Et respondẽs Iesus dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præcũctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico uobis, imò nisi resipueritis, omnes similiter peribitis, Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos, putatis quòd debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hierosolymis? Non, dico uobis, immo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.

Ratio humana peccatum à pœna æstimat.

Ita ratio solet humana, peccatum à pœna æstimare, cum nequaquam Deus pro ratione peccatorũ, externas illas & spectabiles pœnas sumat. Nam ita sæpe Deus res uitæ præsentis dispensat, ut impijssimi cum pace, ut uidetur, atq; omnimoda rerum affluentia hinc migrent: & contra sanctissimi nunquam non adfligantur, uti in diuite epulone, & Lazaro mendico exemplum propositum est. Quin idem & in domino nostro Iesu ipso, apparuit. Contra hunc uero humani ingenij errorem, totus liber Iiob disputat. Huiuscemodi fuisse uidentur, qui hic domino nuntiarunt de ijs, quorum sanguinem Pilatus cum sacrificijs miscuerat, hoc est, ut equidem intelligo, inter sacrificandũ interfecerat: uel ut alij, quod insigniter scelerati cũ fuissent, uice pecudũ mactauerat, mixto ipsorũ sanguine cum sanguine hostiarum, qui alias offerri solebat, ritu Iudæis ex lege instituto. Vtcunq; uero cum his res habuerit, hi qui

hi qui domino hæc renuntiauerunt, in ea ſententia fuiſſe uidentur, quaſi illi præ aliis peccatores fuiſſent, qui tam crudelem pœnam dediſſent, quare uelut corrigens illorũ opinionem reſpondit eis: Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galileis peccatores fuerint, qui talia paſſi ſunt? Non dico uobis, imò niſi reſipueritis omnes ſimul peribitis. Et adiecit aliud de decem & octo Hieroſolymitanis, ſuper quos turris in Siloë ceciderat, illos negans peccatores fuiſſe præ reliquis Hieroſolymitanis. Significauit aũt horum ultionem portendere, quid & reliquos, niſi reſipiſcerẽt, maneret. Vnde ſubiecit, omnes ſimul perituros, niſi reſipiſcerent; non eodem quidem genere mortis, ſed non minus crudeliter & inopinato.

Docuit ergo his, ex ultione, quæ de alijs ſumitur, non collígendũ illos fuiſſe peccatores, ſed potius & nobis iram Dei imminere, cuius uindictã haudquaq; ſumus euaſuri, niſi reſipuerimus, quandoquidẽ & ipſi peccatores ſumus. Et ſanè dum ſingula hic uerba excutio, nequaq; diſſimile uero apparet, iſtos, qui de crudelitate Pilati nuntiarunt, non tam cæſos ab illo, quam ipſum cæſorẽ uoluiſſe apud dominum accuſare, eoq; quaſi calamitatẽ gentis ei conqueri, dominũ aũt quò illos ad pœnitentiam prouocaret, interpretatum fuiſſe, eam ſæuitiã à Pilato deſignatã, Dei ultionem ob eorum peccata de cæſis illis diuinitus ſumptam, ac ita monuiſſe præſentes, ſimilia eis expectanda, niſi reſipiſcerẽt. Prior enarratio pluribus quidem probatur, hæc tamen non omnino abſurda uidebitur ei, qui perpenderit ſingula: utrauis aũt uerior ſit, id enim perparũ refert. Duo hæc diſcere hic debemus, ut omnem quidem calamitatem, pœnam peccatorũ agnoſcamus, & ideo ad quamlibet iræ Dei & contra nos, niſi reſipuerimus deſæuituræ, admoneamur: ſed ne ex ultionis modo, peccatorum modum ſtatuamus, eos, ſcilicet, iudicantes ſceleratiores, qui hic ſint calamitoſiores. Nam ut iudicium Dei à domo Dei incipit, ita hic ut dictũ, plerunq; ſanctiores aduerſis grauius quibuslibet impijſſimis exercentur. Et Chriſtus omnium uiſus eſt calamitoſiſſimus, qui tamen omnis peccati expers erat. Nos tamen nunq; non meritas pœnas perſoluimus.

Ex ultione peccatum inſigne non colligendum.

Dicebat & hanc ſimilitudinem. Arborem ficí habebat quidam plantatam in uinea ſua, & uenit quærẽs fructum in illa, & non inuenit, dixit autem ad culto-rem uineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo uenio quærens fructum in ficu hac, & non inuenio, ſuccide illam, ad quid uel terram occupat? At ille reſpondens, dixit illi: Domine, ſine illam & hoc anno, donec fodero circum illam, & miſero ſtercus: & ſiquidem fecerit fructũ, ſin minus, in poſterum ſuccides eam.

Imminebat gẽti Iudaicæ grauiſſima Dei ultio, huius itaq; eos dominus ſæpe monuit quo ad reſipiſcentiã permoueret. Aſſimilauit uero hanc gentem, ut & alias, arbori propter ſterilitatem excindendæ. Eo uero quòd cultorem uineæ in parabola facit dominum uineæ pro ficu orare, ut uel annum unũ adhuc eam permittat, ſe foſſurum circa eam, & ſtercus immiſſurum, & ſi nec culta hoc modo fructum tulerit, tum excindat, uidetur ſeipſum adumbraſſe qui utiq; cultor uineæ paternæ eſt, & tũ aderat genti Iudaicæ, ut eam ceu uineam excoleret fructiferamq; doctrina & miraculis ſuis, redderet. Minatus ergo hac parabola ipſis fuit, ſi ſteriles eſſe perſeuerarẽt, foſſi iam & ſtercorati à ſe, hoc eſt cœleſti doctrina exculti, nihil reliqui fore, quo minus uelut infrugifera ficus excinderentur. Hæc indubie multi Iudæorum recte intelligentes, ipſi ſeruatori ſuo crediderunt, atq; per eum fructiferi reddíti, mala quæ obſtinatos manebant, effugerunt.

Docebat aũt in una ſynagogarũ ſabbatis, & ecce mulier) uſq; ad illud: & omnis populus gaudebat ſuper uniuerſis quę cum gloria fiebant ab eo.) Hęc tractata ſunt Matth. 12. in illud: At ille dixit, Quis erit ex uobis.

Dicebat

Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile faciam illud) usq; ad illud, C abscondit in farinæ sata tria, donec fermentetur totũ.) Istuc enarraui in Matth. cap. 13. in illud: Simile est regnum cœli grano.

Et ibat per ciuitates & castella docens & iter faciens Hierosolymã.) usq; ad illud: uos autem expelli foras.) Explanata hæc sunt Matthæi cap. 7. in illud. Discedite à me operarij.

Et uenient ab oriente & occidente & aquilone & austro, & accumbent in regno Dei.) Istuc tractatum est Matth. 8. in illud: Dico aũt uobis quòd multi.

Et ecce sunt postremi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt postremi.) Explicatum est Matth. uigesimo ab initio.

Eodem die accesserunt quidam Pharisæorũ, dicentes illi: Exi) usq; ad finem cap. Ista enarraui in Matth. cap. 13. in illud: Ierusalem Ierusalem.

CAPVT XIIII.

Et accidit ut introierit in domum cuiusdam principis Pharisæorũ sabbatho) usq; ad illud: & non poterant ad hæc respondere illi.) Tractatum est Matth. 12. in illud: Quis ex uobis homo.

Dicebat aũt & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo) usq; ad illud: & qui se deijcit extolletur.) Explicatũ est Matth. 23. in illud: Nolite uocari Rabbi.

Dicebat autem ei, qui se inuitauerat, cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos diuites, ne quando & ipsi te uicissim inuitent, ac rependatur tibi beneficium. Imò cum facis cõuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non possunt rependere tibi, rependetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Dominus conuiuijs interfuit.

Vide quod supra 7. dixi. Ad conuiuia dominus quidem uocatus uenit, & non facile quenq; conuiuatorẽ respuit, sed ubiq;, siue apud Pharisæos, siue publicanos cõuiuaretur, sui similis perseuerauit, cibum sumpsit corporis, & cibum apposuit uicissim animis. Ita in hoc conuiuio, primum omnes, ueram sabbathi obseruationẽ, quæ commoda fratrum non negligeret, docuit, mox conuiuas, quòd uidisset primos accubitus quærere, admonuit modestiæ, utq; seipsos potius humiliarẽt, quò à Deo & hominibus exaltarẽtur. Postremo itaq; & conuiuatorẽ monet misericordiæ in pauperes, iubetq; ad conuiuium uocare, non diuites, qui uicissim ipsum inuitent, & leuicula adeò mercede officium rependãt, sed pauperes quorũ caussa cum ipsi rependere nequeant, Deus rependat, in resurrectione iustorum.

Cur amici nõ inuitandi.

Summa aũt eius, quod hic docere uoluit, est, ut in benefaciendo, nõ nosipsos, sed proximorum necessitatẽ spectemus, nequaq; nos humanos & benignos arbitrãtes, si humanitatẽ erga eos demonstrauerimus, qui paria nobiscum faciunt. Nobis ipsis enim non proximis benefecerimus, si in eos duntaxat fuerimus liberales, qui possint uicem nobis rependere. Nequaq; tamen per hæc damnauit, etiam amicos, fratres & cognatos in tempore, alendæ dilectionis caussa, conuiuijs adhibere, sed tantum ne id, misericordiam et benignitatem nobis dignã interpretemur. Verũ si Anabaptistas sequi libeat, & alios quosdam, peccatũ faciemus, parentes, cognatos, fratres & amicos, ad conuiuia nostra inuitare, si habeant unde nobis rependant. Clarum enim & apertũ uerbum: Noli uocare amicos tuos &c. Syncerus aũt oculus uidebit, hic Christũ nihil tale docere uoluisse, sed tantũ, ne in eos solum humani & liberales essemus, qui paribus officiolis nobis rependerent, sed potius in eos, qui necessitatem paterentur, quorũ caussa repensurus sit Deus in futuro.

Hæc cum audisset quidam de simul accumbentibus, dixit illi: Beatus qui comedit panem) usque ad illud: nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meã.) Hæc tractata sunt Matth. 22. in illud: Simile est regnũ cœlorũ homini Regi.

Ibant

A Ibant aũt turbæ multæ cum eo,& conuerſus dixit ad illos)uſq; ad illud:nõ poteſt meus eſſe diſcipulus.)Hæc explicata ſunt Matth.10.in illud: Qui amauerit patrem.

Quis enim eſt ex uobis, qui uelit turrim ædificare, quin prius ſedens computet ſumptus,an habeat quibus opus eſt ad perficiendum,ne poſtquam poſuerit fundamentum,nec potuerit perficere,omnes qui uiderint,incipiant illudere ei,dicentes:Hic homo cœpit ædificare,nec potuit conſummare? Aut quis Rex proficiſcens ut committat prælium aduerſus alterum Regem, nónne ſedens prius cogitat,an poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit contra ſe?alioquin adhuc illo longe agente, legatione miſſa,petit ea quæ pacis ſunt.Sic ergo omnis ex uobis,qui nõ renuntiat omnibus quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Duo ſimilia proponit,quorum utroq; monet,non fœdum ſolum,ſed ſummi periculi plenum eſſe, poſt receptum Euangelion ad ſeculum hoc rurſus deficere, ſicut fœdum & damnoſum eſt,in ædificium domus ſumptus feciſſe, neq; potuiſſe perficere.Sic enim pecunia,& domo carendum eſt.Ita ſi imparibus copijs hoſti occurratur,impenſæ perduntur,& uita multorũ in diſcrimen adducitur. Monet ergo eum qui ſibi uelit nomen,dare & diſcipulus ſuus eſſe, rem arduam & maximi ſumptus moliri, quapropter neceſſe ſit, ut uires hic ſuas libret, & eorum quæ inſumenda ſunt rationem ſubducat.Etenim inſumenda inhoc ſunt omnia,facultates uniuerſæ, omnes amici,nomen uita,ac quicquid demum homo in hac uita habere poſſit. Vnde ait, colligens ſimul & explicans, id quod docere per haſce ſimilitudines uoluit: Sic ergo omnis ex uobis,qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet,nõ poteſt meus

B eſſe diſcipulus.

Vide,qui non renuntiant omnibus quæ poſſident,non poſſunt eſſe Chriſti diſcipuli, ergo quicunq; ab Euangelio reſiliunt, eò quòd non omnibus renuntiauerũt, ij nunquam etiam diſcipuli Chriſti fuerunt. Et hi, ei qui inopia impenſarum ædificium domus cogitur relinquere imperfectum,uel ei,qui impari exercitu potentiori hoſti occurrit,in eo ſimiles ſunt, quòd iacturam faciũt, omnium eorum operum, quæ cauſſa promerendi regni cœlorum fecerunt, & præterea adducũt ſe eo, ut negantes Chriſtũ,ſemel ſeipſos totos peſſundent,& in æternum diſcrimen adducant. Faciunt ſiquidem huiuſmodi multa ſæpe & difficilia opera, ut in cœnobitis & alijs pleriſq; uidere eſt,ſed dum ſeipſos abnegare nequeunt, & ſua ubiq; quærunt, eum fructum ex omnibus quæ fecerunt, percipient, quem is ex impenſis ſuis, qui domum nõ potuit perficere,& qui in imparẽ hoſti exercitũ, ſua omnia profudit. Non tantum enim non prodeſſe ſibi ea,ſed obeſſe maxime,nimirum, quod eis fiſi ſint cõtempto Chriſto,tandem ſentient.Proinde qui Chriſti diſcipulus eſſe uolet,antea ſecum perpendat,an ſit ſibi datum,omnibus ſemel, etiam animæ propriæ renuntiare,quod,cui datum non fuerit,is Chriſti proditor eſſe poterit, diſcipulus eſſe nõ poterit.Dolendum uero eſt,hoc hodie pleroſq; tam parum perpendere,hinc enim tanta ſcandala negatorum proueniũt. Dum enim Euangelion abſq; tentatione primũ prædicatur,plurimi ubiq; accedunt,qui etiã de futura per crucem probatione moniti,nihil conſtantiæ non pollicentur,ea autem ubi non, dico, uenerit, ſed tantum leuiter minata fuerit,reſiliunt miſeri illico,& occaſio fiunt ruinæ plurimis.Quanto præſtiterat hos,ab Euangelio nunquam ſtetiſſe?

Sal eſt bonum,ut hic dominus ait,ita præclara res eſt,eſſe Chriſtianum,& credidiſſe Euangelio,ſed ſicut ſal quod ſapidum omnibus cibis ſaporem addit. Inſipidũ autem,adeò nullius uſus eſt,ut nec in terram,neq; in ſterquilinium utile ſit,ut prorſus illud abijci oporteat,ita qui citra plenam abnegationem ſui & omnium, Chriſti

erunt,quotquot externa ista nimium amauerint,eoq; non benigne dispensarint. Sic hæc Christi animaduersa & credita pridem fuissent,non secure adeò,doctrinam salutis,& responsa in rebus Dei,ab antecclesiasticis uulgo omnes petijssent,quos tam infideles iniqui mammonæ dispensatores esse constat. Qui non tantum sibi credita fideliter nequaquam dispensarunt, sed dispensanda alijs, imò ipsis pauperibus iam dispensata, etiam rapuerunt, idq;, ut omnia in flagitiosissimos usus conuerterent. Quod quid aliud sit,quã domini bona dilapidare nequissime? His ergo in iniquo mammona infidelissimis Christus uera,scilicet, & propria electorum bona, contra suum hoc uerbum, credidisset? Nihil igitur nisi pernicioſa referre mendacia ab eis potuerunt, quicunq; ab ipsis uitæ doctrinam petierunt. Infideles sanè & in multo fuerunt, quod tamen nunquam habuerunt, nimirum cum meras impostoras pro uiuifico Christi Euangelio uendiderunt. Vtinam uel nunc tandem post irreparabilia damna,quæ isti dederunt,agnosceret mundus nihil posse bonorum cœlestium apud eos inueniri,quibus inest cupiditas præsentium,atque ideo & dispensandi ea infidelitas. Nemo potest duobus dominis seruire,ita isti mammonæ,& Christo pariter esse addicti nequibunt.

Hæc omnia Pharisæi audiebant,& quia auari erant,deridebãt illum,quibus dominus: Vos estis qui iustificatis uos ipsos coram hominibus,Deus autẽ nouit corda uestra. Quia quod hominibus excelsum est,abominandum est coram Deo. Homines enim externam speciem mirantur, & ab externis iudicant, iam ea ferè splendidiora sunt apud falsos hypocritas,q; synceros filios Dei:hinc fit,ut nihil ferè apud homines in pretio sit,quam quod Deo est abominandum. His uoluit dominus Pharisæos monere, ne sibi ob uulgi admirationem placerent, quando abominatio sit Deo,quod hominibus excelsum & eximium habetur, & is demum probatus sit, quem probauerit Deus. Illud: Nemo seruus,tractatum etiam est Matthæi sexto in illud:Nemo potest duobus.

Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum Dei annuntiatur,& quiuis in illud uim facit.) Istuc explicatum est Matthæi undecimo in illud: Porrò à diebus Ioannis.

Facilius est aũt cœlum & terram præterire,quam legis unũ apicem cadere.) Hoc tractatum est Matth.24.in illud:Cœlum & terra transibunt. Item in illud Matth.5. Amen dico uobis donec prætereat cœlum.

Quisquis dimittit uxorem suam & alteram ducit,adulterium cõmittit, & qui dimissam à uiro ducit,adulterium cõmittit.)Enarratum est in illud Matth.5. Dictum est autem,Quicunq; repudiauerit.

Homo quidam erat diues,qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendide. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulcerosus,cupiens saturari de micis quæ cadebãt de mensa diuitis. Sed & canes ueniebant,ac lingebant hulcera eius. Accidit autem ut moreretur mendicus,& deportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues,ac sepultus est, atq; in tartaro sublatis oculis suis cum esset in tormentis,uidit Abraham eminus,& Lazarum in sinu eius,& ipse clamãs, dixit:Pater Abraham,miserere mei, & mitte Lazarum,ut intingat extremum digiti sui in aquam,ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham:Fili,recordare quòd receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala,nunc aũt hic solatio fruitur,tu uero cruciaris. Et super hæc omnia, inter nos & uos hiatus ingens firmatus est, ut ñ qui uolunt hinc transire ad uos,non possint,neq; inde huc transcendere. Ait aũt: Rogo ergo te pater

te pater, ut mittas eum in dominum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testificetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus. Ait illi Abrahã: Habent Mosen ac Prophetas, audiãt illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Ait aũt illi: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Quod superiori parabola Christus egit, idẽ & præsenti, siue parabola, siue exemplo agit, nempe ad studiũ benignitatis in inopes hortatur. Vt aũt parabola superior atq; ea, quæ parabolæ aperto sermone subiecit, inuitamenta habent non parũ illicibilia ad hoc, ut benignitate in egentes paremus nobis æterna habitacula, & idonei reddamur, quibus uera bona, & thesaurus uitæ æternæ cõmittantur, ita hæc siue historia, siue parabola, quanq; mihi historia uideatur, sed qua res futuræ uitæ ad modum præsentis describantur, habet quo à facultatũ abusu deterreat, & ad benignitatem quodãmodo compellat. Quem enim exemplũ diuitis huius nõ perterrefaciat, indeq; ne Lazaros mendicos neglígat, quasi necessitate quadam adigat?

Pauperibus aũt in Lazaro ingens proposita consolatio est, quibus futuræ uitæ fœlicitas, abunde præsentis erumnas & adflictiones compensabit.

Sinum Abrahæ indubie intellexit Ecclesiam beatorũ, in fide quiescentiũ, de cuius statu non est quòd multis inquiramus, quẽ scimus oportere esse fœliciſſimũ, magis inquirenda ea sunt, quibus ad illum pertingamus. *Sinus Abrahæ*

Angelorum quoq; ministeriũ hic agnoscimus, qui adesse ijs ad æterna bona solent, quibus homines dedignati fuerint ministrare ista caduca.

In tartaro demũ, in tormentis, diues Lazarũ agnoscit, & opem ab ipso, sed frustra orat, quẽ facere, scilicet, sibi amicũ ex iniusto mãmona hic neglexerat.

Nota aũt quòd hic diues non simpliciter scribitur esse, ἐν τῷ ἅδῃ, id est, in inferno, sed & in geenna, quia in tormentis & flamma. Id aũt geenna ignis dicitur, Matth. 5 ubi de ea fusius annotaui. Omnino enim שאול id quod Græci ἐν ἅδῃ, Latini infernum reddere solent, in scripturis sepulchrũ, atq; inde statum mortuorũ significat, qualiscunq; sit, siue fœlix & cum beata quiete, qualem Iacob & sancti alij ad infernum descendẽtes experti sunt, siue infœlix & quo mortui flammis, id est, potentiſſimis & incomparabilibus tormentis excruciantur, qualem experiuntur reprobi. Et hic proprie geennan non simpliciter infernus, qui statum mortis qualemcunq; significat, uocatur. Vnde quod Channah mater Schmuelis, canit: Dominus occidit & uiuificat, idem cum eo est, quod mox in eodem uersu subijcit, dominus deducit ad inferos, & reducit. Occidere enim & deducere ad sepulchrũ, uel statum mortuorum & uiuificare, atq; è sepulchro, uel statu mortuorũ reducere, perinde est. De his & in Matth. cap. 27. Post tractatum illud: Eli eli lama, &c. *De inferno.*

Præterea animaduertendũ est hic dominũ res futuræ uitæ, ad modum rerũ præsentis uitæ proponere, quas, scilicet, aliter cognoscere nequimus. Igitur quæ corporalia hic scribuntur, ut uisus distantia, exustio linguæ, refrigeratio, digiti in aquam intinctio, hiatus &c. omnia spiritualiter accipienda sunt. Vidit enim eminus Abraham, & in sinu eius Lazarũ hic diues, dum agnouit quã impie Lazarum neglexisset, nunc beata quiete cum patre credentiũ fruentem, cum ipse flãma tam dira excruciaretur, id est, indicibilibus & omnia superantibus tormẽtis, sicut igni nihil est efficacius. Petit extremo digiti Lazari linguã suam refrigerari, dum frustra optat, uel minimam portionem quietis, qua Lazarus fruitur. Negatur hoc ei, dum agnoscit omnem spem refrigerij sibi ademptam. Abraham hiatum esse inter eos, qui in sinu suo quiescunt, & qui in flammis excruciantur, ut neutri ad alteros queant accedere affirmat, dum agnoscit æternam fore à beatis, reproborum separationẽ. Alioqui spiritus, neq; oculos, linguam, aut digitos habent. *Spiritalia tanquam corporalia describuntur.*

Tandem ubi uidet de se actum esse, optat Lazarum à se tam infœliciter contemptum, saltem suis agnosci, & moneri eos, ne similiter abutentes opibus, posthabeāt pauperes. Hoc torquet quosdam, quòd alienum putent à damnatis, ut cuiquam bene uelint. Me autem non torquet, quòd uideam dominum hæc ad erudiendum & monendum uiuos dixisse, non ut rationem geennæ, aut singulos affectus in ea excruciatorum explicaret. Iam omnibus uerbi Dei contemptoribus, illa cogitatio animo obuersari solet, quam & moniti de geennæ cruciatibus proferūt. Si quispiam rediret, inquiunt, ex inferis, id est, mortuis, & attestaretur nobis, quomodo illic res haberet, nemo adhuc illinc rediit, qui uel de piorum fœlicitate, uel impiorū cruciatibus aliquid narrasset. Hanc iam cogitationem uoluit dominus hic castigare, & in hoc proposuit hunc diuitem orasse, ut Abraham ad fratres suos Lazarum mitteret, responsumq; accepisse, Mosen illos habere & prophetas, quos audire debeāt. Cūq; ille plus monendos assereret, si quis ex mortuis ad eos iuisset, dictum ei est: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. His enim significauit, nos scripturam habere, de his satis testantem, ad quam mortuorum testimonium nihil possit adijcere, eoq; frustra eorum in hanc uitam reuersorum testimonium peti. Præterea non est summis illis geennæ cruciatibus indignum, impios etiam suorū caussa adfligi, neq; ob id boni sunt, si metu, ne & sui eo, ubi ipsi sunt ueniant, torqueantur.

Summa uero omnium, quæ hic dominus monere uoluit, est, ut præsentibus bonis recte utamur, & pauperes non negligamus, alioqui bona nostra nos hic percepturos, alibi sine spe refrigerij excruciandos. Eoq; scripturæ auscultandum, & quid nos deceat, abunde præcipienti, & quæ nos maneant, aperte satis prædicenti. Frustra uero à mortuis testimoniū peti. Atq; hinc aperto apertius docemur, à mortuis nihil omnino scisscitandū esse, id quod diligenter adeò & in lege sua dominus prohibuit. 5. Mosch. 18. & alibi, itē Iescha. 8. Bona & salubria omnia, abundātissime in scripturis proposita sunt. Quibus sanè qui fidem habere dubitat, is ut spiritu Dei uacat, ita ne Christo ipsi in carne redeunti, & omnibus Angelis, ne dum mortuis unquam credet. Hinc obseruandum ergo, quanti nobis scriptura esse debeat.

Nihil à mortuis querēdū

CAPVT XVII.

Ait aūt ad discipulos: Fieri non potest, quin ueniāt offendicula) usq; ad illud: Pœnitet me, remittes illi.) Tractatū est Matth. 18. in illud: Væ mundo ab offendiculis.

Et dixerunt Apostoli domino: Adauge nobis fidem) usq; ad illud: Eradicare & transplantare in mare, & obedisset uobis.) Explicatum est Matth. 17. in illud: Tunc accedentes discipuli ad Iesum.

Quis autem uestrum habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso ab agro dicat, statim transi & accumbe. Ac non potius dicit illi, para quod cœnem, & præcinge te, ac ministra mihi donec edero & bibero, & post hæc, edito & bibito tu? Num gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperata fuerāt? Non puto. Sic & uos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

Summa huius est: Serui Dei sumus, quanti sumus, ipsius nimirum figmentū: ipsi igitur per omnia uiuere nos decet, idq; si cui daretur, quod tamen mortali datum nemini est, adhuc nihil meruisset, fecisset enim quod debuisset, neq; maiores gratiæ ei deberentur, quàm quis seruo suo habeat, cum ille fecerit quod officij sui sit. Sinit herus eum nihilominus seruum manere, & reuersum ab agro iubet sibi cibum ministrare, & tum demum & ipsum cibum sumere, cumq; perfecerit, quæcunq; illi imperauit, ne tantillum propterea illi gratiæ habet: debuit enim ea, quia seruus est. Ita nos, cum etiā uidemur omnia fecisse, dicere, & uere quidem debemus: Inutiles serui

a ferui ſumus. Nam quid nos utilitatis adferamus Deo? Iam quid dicemus nos, qui a deò nihil eorum, quæ præcepta ſunt, recte perficimus? Faceſſant ergo hoſtes gratiæ Dei, qui meriti humani, uel meminiſſe audent. Quàm incognita eſt illis Dei maieſtas, noſtraq; indignitas. Diligere Deũ ex toto corde debemus, & quis eſt qui hoc præſtet? Iam ſi etiam præſtaremus, id, ſcilicet, præſtaremus, quod debemus. Gratia itaq; Dei, & merito domini noſtri Ieſu Chriſti nitemur, mittẽtes infelices iſtos meritorum architectos.

Et factum eſt dum iret Hieroſolymam, & ipſe tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quendã uicum, occurrerunt ei decem uiri leproſi, qui ſteterunt procul intentaq; uoce, dixerunt: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. Quos ut uidit, dixit illis: Ite, oſtendite uos ſacerdotibus. Et factum eſt, ut inter eundum, mundati ſint. Vnus autem ex illis ut uidit quòd mundatus eſſet, regreſſus eſt, cum uoce magna glorificans Deum, & procidit in faciem ad pedes eius gratias agens ei, & hic erat Samaritanus. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nónne decem mundati ſunt? Nouem autem illi ubi? Non ſunt reperti qui redierint, ut darent gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, fides tua te ſeruauit.

Quicquid in hac hiſtoria obſeruandum eſt, annotatum eſt in Matth. capite. 8. in hiſtoria leproſi. Niſi quòd hic præterea, & in Samaritano, qui unus ex decem, & quidem alienigena domino acturus gratias rediit, oſtenſum eſt, & paucos electos eſſe, & ex nouiſſimis primos fieri. Denique Euangelion à Iudæis, ad Gentes fuiſſe transferendum.

b Interrogatus autem à Phariſæis, quando uenturum eſſet regnum Dei) uſq; ad illud: Memores autem eſtote uxoris Lot.) Hæc tractata ſunt Matth. 20. in illud: Tunc ſi quis uobis dixerit.

Quicunq; quæſierit animã ſuam ſeruare, perdet illã, & quicunq; perdiderit illã, uitam illi parabit.) Enarratũ eſt Matth. 10. in illud: Qui amauerit patrem.

Dico uobis, in illa nocte erunt duo in lecto uno) uſque ad illud: Explanata ſunt Matth. 24. in illud. Tunc duo erunt in agro.

CAPVT XVIII.

Dicebat autem & parabolam ad illos huc ſpectantem, quòd oporteret ſemper orare) uſq; ad illud: Veruntamen filius hominis cũ uenerit, an reperturus eſt fidẽ in terra.) Iſta explicata ſunt Matth. 7. in illud: An quiſq; eſt ueſtrum homo.

Dixit aũt & ad quoſdam, qui in ſe confidebant, quòd eſſent iuſti) uſq; ad illud: omnis qui ſe extollit, humiliabitur, & qui ſe humiliat, extolletur.) Tractatum hoc eſt Matth. 23. in illud: Vos aũt nolite uocari Rabbi.

Afferebat autẽ ad eum & infantes, ut eos tangeret) uſq; ad illud: & in ſeculo uenturo uitam æternam.) Hæc tractata ſunt Matth. cap. 19. in illud: Tunc oblati ſunt ei paruuli.

Aſſumpſit autem Ieſus duodecim & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam) uſq; ad illud: nec intelligebant quæ dicebantur.) Iſtuc explicatum eſt Matth. 20. in illud: Tunc aſcendens Ieſus.

Accidit aũt cum appropinquaſſet Hiericho, cæcus quidã ſedebat iuxta uiam) ad finẽ uſq; capitis. Explicata ſunt Matth. 20. in illud: Et egrediẽtibus illis à Hiericho.

CAPVT XIX.

Et ingreſſus, perambulabat Hiericho. Et ecce uir nomine Zacheus) uſq; ad illud: Venit enim filius hominis quærere & ſeruare quod perierat.) Hæc tractata ſunt Matth. uigeſimo primo ab initio.

Hæc

Hæc illis audientibus,adiiciens dixit parabolam,eo quòd esset prope Hierosolymam)usq; ad illud:Et his dictis,ibat pergens ascendere Hierosolymã.) Hæc tractata sunt Matth.25,in illud:Sicut enim homo peregre proficiscens.

Et factum est cum appropinquasset in Bethphage)usq; ad finem capitis.Hæc omnia tractata sunt Matth.21.in illud:Et cum appropinquasset Hierosolymis.

CAPVT XX.

Et factum est in uno dierum illorum,docente illo populum in templo) usq; ad illud:super quem autem ceciderit,comminuet illum.)Hæc tractata sunt Matth.21.in illud:Et cum uenisset in templum.

Et quærebant principes sacerdotum & scribæ iniicere in illum manus eadem hora)usq; ad illud,Dauid ergo dominum illum uocat,et quomodo filius eius est:)Ista enarrata sunt Matth.22.ab illo:Tunc abeuntes Pharisæi,usq; ad finem.

Audiente uero cũcto populo,dicit discipulis suis:Cauete à scribis) usq; ad finẽ capitis, Hæc tractata sunt Matth.23.in illud: Væ uobis scribæ & Pharisæi.

CAPVT XXI.

Respiciens autem uidit eos qui mittebãt munera sua in gazophylacium diuites) usq; ad illud:hæc aũt ex penuria sua uniuersam substantiam quam habebat, misit.) Istuc explanatum est Matth.23.sub finem.

Et quibusdam dicentibus de templo, quòd pulchris lapidibus ac donis ornatum esset,dixit)usq; ad finem capitis.Hæc omnia tractata sunt Matth.24.per totum caput. Illud præterea cœlum & terra transibunt explicatum etiam est Matth.5.in illud:Amen dico uobis donec transeat cœlum.

CAPVT XXII.

Instabat autem dies festus azymorũ,qui dicitur pascha)usq; ad finem capitis. Totum hoc caput enarratum est in Matth.cap.26.

CAPVT XXIII.

Et surgens uniuersa multitudo eorum,duxit illum ad Pilatum) usq; ad finem capitis.Hoc caput explanatum est Matth.27.item & præcedens, explicata sunt etiam in Ioanne.18.&.19.

CAPVT XXIIII.

Vno autem sabbathorum profundo diluculo uenerunt ad monumentum)usque ad finem capitis. Caput istud ultimum explicatum est Matthæi uigesimo octauo, & Ioannis 20.&.21.

EVANGELII LVCAE FINIS.

PRVDENTIA ET PIETATE ORNA-

TISSIMIS MAGISTRATIBVS, STVDIO CHRISTI flagrantibus Ecclesiarum ministris, per ciuitatem & ditionem Bernatium, Martinus Bucerus incrementa precatur agnitionis Dei.



AM egit uobiscum, & cum plæbibus uestris benigne & magnifice pater noster cœlestis, uiri pientissimi, adeò opulente in uos effudit spiritum suum, ut bonitati eius gratiæ agi iure debeant à Christi studiosis uniuersis, sitq; ex officio omnium, quibus quanta uobis diuinæ dignationis lux affulsit, cognitum est, id quantum possunt, inuulgare & prædicare. Hinc cum bonam eorum partem, quæ in uobis præclare spiritus Dei præstitit, coram uiderim, & meas esse partes duxi, dare operam, ut ea uel aliquatenus fratribus innotescant. Nam pro dignitate illa prædicare, Paulini, non mei spiritus fuerit. Quantulumcunq; tamen erit quod potero, scio me ingentem eo gratiam à sanctis, qui hæc legerint, initurum. Cum enim ardentiss. illi uotis continuo orent sanctificari ubiq; nomen patris cœlestis, & obtinere passim regnũ Christi, perpaucos tamen uidẽt tam inter Ecclesiarum ministros, quàm principes & magistratus, qui Euangelion regni, non pro uiribus oppugnẽt, paucissimos qui in prouehendo eo munus suum digne obeant, quare cum legent utroscq; uos, tam uerbi, quã gladij ministros, ita gloriæ illustrandæ Christi esse studiosos, ut unà cum plebibus uestris, totos uos ipsius spiritui commiseritis, & semel in tam lata ditione omnem superstitionem atq; idololatriam eliminaueritis, dici non potest quantum hinc in Domino gauisuri sint, quantumq; cum ad agẽdas illi gratias, tum ad æmulandum tam præclarum exemplum, sese effusuri. Sciant hi ergo uos pridem Euan-
B gelio Christi seruatoris nostri fuisse donatos, sed tantis conatibus, ut solet, & artibus, semper principem tenebrarum illi restitisse, ut diu admodum apud multos in dubio fuerit, utri essetis toti cessuri. Sed uicit tandem Satanam Christus, cessitq; ira gratiæ. Quoq; maiore gloria, de hoste suo apud uos dominus triumpharet, indicta est publica de religione collatio & Disputatio, non ut ea primum discereris quę sequeremini, sed ut palàm omnibus fieret, q̃ certa & inuicta essent, quæ sequi iam cœperatis, indeq; & Satanæ satellites confunderentur, & infirmiores ex fratribus & membris Christi apud uos corroborarentur. Quemadmodum olim Antiochẽni, cum pertinacioribus Iudæis quibusdam, Pauli & Barnabæ autoritas satis non esset, miserũt consultum Apostolos primores, non sane ut ab illis ueritatem primũ discerent, quam ex uerbo Dei iam tenebant, sed ut Iudæi illi Apostolorum testimonio compescerentur, & qui erant fide imbecilliores, solidarentur. Huic Disputationi initio Satan, ut sæpe ei Dominus quamlibet uersipelli imponere solet, non parũ fauebat, sperans se per suos, si nihil aliud, saltem hac disputatione Euangelico cur… sui, remorã iniecturum. Vbi autem sensit, in eo consilio præsentius sese exerere numen Christi, facile cõiecit, secus atq; cogitarat, euenturum. Omnia igitur in diuersum uertit, & primum auertere Disputationem summa ui conatus est. Hinc illico habentur comitia à Confœderatis, captantur uaria consilia, scribuntur ad uos literæ, quibus acriores ab Heluetijs non legistis, & inuulgantur: negatur fides tuti itineris præconibus Christi, scribunt Episcopi & ab incepto uos modis omnibus dehortantur, neq; desunt minæ. Scribunt & Episcopis formidabiliores. Et ne quid à parte magistrorũ nostrorũ cessaretur, scripsit ad uos ex horũ numero Ioannes Cochleus homo contra Christũ impudentia & audacia ubiq; irrisa quidẽ & frustrata, inuicta tamen & nusq; se non ingerente. Cum uero hac uia non succederet, confortante uos spiritu Domini, alia rem aggressus est, quumq; auertere Disputationem

Vt Euangelio Bernæ Satan restituit.

non posset, reddere ingloriã enixe laborauit. Hac caussa eundẽ omnibus suis cele-
brioribus satrapis ac ducibus animũ dedit, ut infandũ facinus clamarẽt, uos auſos
de religione Disputationẽ instituere, summũq; piaculũ, uoce & literis testarẽtur, si
Conatus Satanæ ut disputationem redderet desertam. quispiam hanc Disputationẽ adiret, nihil memores, quam paulo ante ipsi magna
caterua, & maiore põpa, ad Disputationẽ uenissent Badensem, ubi uictores haben-
dos se, priusquã non dico uicissent, sed pugnassent, sciebant. Episcopũ quoq; quem
facturum maiorẽ iacturam timebat, equo deiecit, quo læso crure, ad sua negotia re-
duceret, tum impetrauit ille edictum, idq; ab eo Ioue, à quo nõ multa antea accepe-
rat, ut & doctos suos colore aliquo, à disputatione reuocaret. Spes siquidẽ erat, Sa-
tanæ si nulli ex triarijs suis deuincerentur, nullius fore nominis uictoriam Christi.
Vt aũt id apud suos, quibus nihil nõ offendiculo est, obtinuerit, utiq; filij Dei, quos
ille hactenus in suis castris detinuit, de quibus dominus noster tantũ solicitus est,
aliud cogitabunt, nempe nihil penitus in scripturis præsidij habere omnes Euange
lij nostri hostes, eoq; indubitato mendacia sectari, quando ad tam libera comitia,
sed in quibus scripturis agendũ erat, uenire non fuerint ausi. Eo certe nos & Euan-
gelion Christi odio insectantur, ut si uictoriæ aliquid sperare potuissent, nulla eos
impedimenta detinuissent, quo minus cominus nobiscum decertassent. Nequicq;
igitur tentante omnia Satana, cœpta sancta Disputatio est eo die, in quem indicta
erat. Quanquã aũt ab hoste ueritatis nihil præteritum sit, quo desertã illam redde-
ret, aderat tamen ingẽs numerus omne genus hominũ, multi docti & pij, quicquid
nugiuẽdus ille scribat, qui plenã mendacijs Epistolam, de hac Disputatione nuper
inuulgauit, tam grauis testis, ut adscribere nomen suum nõ sit ausus. Ordinatis igi-
tur præsidibus uiris doctissimis iuxta ac grauissimis, quorũ partes erant, leges dispu
tationis tueri, ut ex scripturis tantum, & ut par erat grauiter atq; religiose ab omni-
bus, proposita axiomata excuterentur, constitutis item quatuor iuratis scribis, qui
singula ultro citroq; dicta, summa fide exciperent, disputandi facultas omnibus o-
blata est. Primũ itaq; axioma, quod inter cætera, Christũ unicum esse Ecclesiæ ca-
put adserit, *Bechtoldus Haller Ecclesiastes Bern.* Bechtoldus Hallerus uir pie doctus simul & prudẽs, quo ministro Euã-
gelion Bernæ fœliciter plantatũ est, diuq; rigatum, scripturis cõmunitum, aduersa-
rijs per scripturas si possent, impugnandũ exposuit. Contra hoc inter cæteros pro-
dijt, Alexius Grad Dominicalis, tum Nonnarum illic à Confessionibus, & quic-
quid uspiam scripturæ de dignitate, uel Petri, uel Apostolorũ habent, in hoc produ
xit, ut probaret, & pontificẽ Romanũ caput Ecclesiæ habendũ. Quam uero dextre
hæc & fortiter, uel hinc licet lector conijcias. Cephas dicebat se in uocabularijs le-
gisse, caput significare, igitur Petrum caput fuisse Ecclesiæ, quẽ Cephas Dominus
cognominasset. Non uiderat enim quod ipse Euangelista, Cephas petram signifi-
care testatus est. Eandẽ post hunc, cantionem cecinerunt parochus Cellæ Abbatis,
admodum uocalis, & cedere uero nescius, ac alij quidã. Sed dum scriptura aperte
1. Corinth. 5. adeò summos etiam in Ecclesia, & nominatim Cephã, nostros esse adfirmat, nos ue-
ro Christi, non illorum, plantantẽ quoq; & rigãtem nihil esse, facile tueri fuit, unũ
Christũ Ecclesiæ suæ caput esse, à quo solo nimirũ regeneratur & gubernatur, nul-
la creatura quicq; potestatis in animos sanctorũ, quæ sola uere spiritualis dicitur,
habente. Interim sacro Ecclesiæ ministerio nihil detractum est, & agnitum est, qui
eo recte funguntur eos esse & dici debere Episcopos pastores, salutis adminis̃tros,
agẽte per eos spiritu Christi, salutẽ omnem nostrã perficiente. At caput esse eccle-
siæ D. Paulum merito uni domino Iesu tribuere, quũ unus sit, qui illam suo spiritu
mouet uiuificat, & perpetuo animat atq; regit, cuius ministri sunt, quicunq; hæc
mysteria eius dispensant. Dum uero ista tractantur, aduenit Tregarius Prouincia
li Augustianorũ, uetus noster antagonista, neq; excitus conuitijs, ut nugator ille,
cuius memini, in Epistola sua uanissima sparsit. Nam cum V. Capito & ego, pridie
quam

quàm disputari cœptũ esset, à clarissimo Bernatiũ senatu orassemus, ut denuo hunc & Murnerũ uocarent, miserant illi tabellariũ continuo ad Senatũ Friburgensem & Lucernanũ, secundo euocatũ illos, quibus præter summã securitatẽ, etiam sumptus promiserũt, si forte illos essent caussaturi. Nihil enim Senatus & populus Bernatium prius habebat, q̃ aduocare ad hanc disputationẽ quicunq; erant inter hostes Euangelij ipsis prædicati celeberrimi, & habebantur ad oppugnandũ illud instructissimi. Nos quoq; eodem tabellario Tregario & Murnero scripseramus, monuimusq; omnibus, ut aduenirent, flagitaueramus. Lucernanus uero Senatus rescripserat: Murnerũ quidem paratũ fuisse ut ueniret, sed se prohibuisse eum, idem respondit Murnerus nobis. Tregarius aũt aduenit, tandemq; prodiẽs præfatus est, sed neque Episcopi, neq; magistratus sui nomine, sed suo disputaturũ, uellecq; ut quicquid disputaret, catholicæ Ecclesiæ suæ nequaq̃ fraudi esset. Quæ uero disputãdo adduxit, omnia huc torsit, ut persuaderet non esse Bernatium quicq̃ de religione, & dogmatis ab Ecclesia receptis statuere, sed Conciliorũ responsa ipsis & omnibus expectanda. Id aũt nequaquã certis scripturis, ut acta testantur, sed ex eo conatus fuit probare, quòd Euangelia essent iudicio Ecclesiæ recepta, ex quo uolebat consequi Ecclesiã, unam fidei omnis iudicẽ esse audiendã. Ecclesiæ aũt nomine Conciliũ intelligebat, cæteros omnes aiebat posse errare, ideoq; doctrinæ arbitriũ, nullis alijs permittendũ esse. Tũ adducebat quod Boëmi in multas essent sectas scissi, & quòd nobis in quibusdã cum Luthero non cõueniret. Hæc hominis cõmenta, & antea nota nobis, facile fuit reijcere, cum satis pijs constet, iustum sua, non Conciliorũ & Pontificũ fide uiuere, eoq; oportere nõ solum singulas Ecclesias, sed singulos quoque homines per se scire, quæ Deus iubeat, quæq; promittat, præsertim ut uel hæc cognoscant, à Christo sibi omnia expectanda, omneq; pietatis studiũ in dilectione proximi consummandũ. Iam cum his ex diametro pugnent, dogmata & instituta Romanensium ea quidẽ cuncta, quæ nos uerbo Dei arguimus & conuellimus id quod uel puero liqueat, sacras tantum literas legenti, quæ ratio sit, in his consulta expectare Conciliorũ, quæ tam raro coëunt, & eiusmodi iam aliquod seculis coierunt, ut minus insanũ sit è pumice aquam, quã ab illis doctrinã petere pietatis? Passim extant scripturæ, neq; desunt qui eas fideliter populis proponant, reliquũ ut fide percipiantur, non modo Conciliorũ, sed nullius omnino creaturæ est. Solus siquidem pater per Christũ spiritũ donat, qui omnem ueritatem inducit, & donat ijs, quos ad id ante conditum mundum delegit, nõ ijs modo, qui audierint Concilia. Quòd interim scripturas, non ad eundẽ modum, omnes in omnibus accipiunt, in caussa est, quòd nõ pariter omnibus spiritus donatur, quod multi etiã hypocritæ filijs Dei semper admixti sunt, quòd deniq; soli Christo suo hũc honorẽ pater dedit, ut sit infallibilis sanctorũ magister, alios quamlibet sanctos & doctos, oportet ut se esse homines alicubi prodant, quò electi discant ab uno Christo in omnibus pendere. Deniq; ubi filij Dei sunt, ubi regnũ Christi, ibi ut omnia turbet Satanas unice laborat, de ijs enim quos iam in sua potestate habet, q̃d esset solicitus? Ad hæc uisum est patri cœlesti, suos per sectas probare. Proinde, tam nõ euincit apud Pontificios esse ueritatẽ, apud nos uero errores, quòd illis multis in dogmatis conuenit, apud nos paucos doctrina uariet, & cooriantur scismata, quã non probat ueritatẽ habere Machometanos, & Apostolos sectatos fuisse mendacia, quòd illi multo plures quã Pontificij, in Alcorano multis iam seculis consentiũt: hi aũt tam raris Ecclesijs eandẽ de cærimonijs Mosaicis sententiã non potuerũt approbare. Euangelion thesaurus est uitæ æternæ, pauci electi quibus ille donetur, hos ergo paucos ut turbet Satan totis uiribus laborat. Reliquæ multitudini nõ est curæ religio, fucum tantũ uolunt, qualiscunq; igitur eis obtigerit, in eo facile consentiunt. Contra hæc cum nihil posset scripturis Tregarius, & lex disputationis nõ permitteret alia ingerere,

quia ad inquirendũ quid doceret ſcriptura Dei,nõ quid ferrent cõmenta hominũ, C
inſtituta erat Diſputatio,iactabat ille nõ ſatis ſibi eſſe ad diſputãdũ libertatis, eſſeq;
uenenũ præſentiſſimũ,uelle ſcripturis tantũ ſcripturas explicare:quaſi uero id non
in omnium ſcripturarũ explicatione obſeruetur, & ipſe laturus eſſet, ſi quis in ſuo
Mari magno,aut alia quapiã Bulla,uellet ſuo arbitratu quippiã interpretari, quod
non ex ipſius Bullæ uerbis poſſet euincere:Quæ igitur impudentia,poſtulare ut in
ſcripturis Dei,alia quàm quæ ex ipſis ſcripturę uerbis proferatur interpretatio, ad-
mittatur:cum quæ Dei ſunt,nemo noſcat niſi ſpiritus Dei? Sed quia quærebatur il
li occaſio è pugna dilabendi, neq; præſides diſputationis, neq; clariſſimus ſenatus
hominẽ exorare potuerũt,ut ex ſcripturis diſputaret.Ibi uero nos V. Capito & ego
Quid oratũ à Tregario. à præſidibus obnixe orauimus,ut permitteretur ei obijcere quiduis, nos tantum re
ſponſuros ad ea,quæ è ſcripturis uiſus fuiſſet cõtra nos iaculari,ſed obſtabat lex di-
ſputationis,et Senatus uidens quæri anſam extrahendi tempus,id permittere nole-
bat. Tum aũt orauimus Tregariũ multis,& duos ex præſidibus interceſſores adhi
buimus,ut ſi noſtra alijs quã ex ſcriptura ductis rationibus ſe confutaturũ ſperaret,
quanq; ex ſcriptura,docente quicquid bonũ & uerum eſt, abunde poſſit confutari
quicquid malũ & falſum eſt,ut illas conſcriberet,nos daturos operã,ut excluderen
tur,tãtum in præſens uellet axiomata propoſita,ex ſcripturis, ſi poſſet, oppugnare.
Nam in primis duobus axiomatis cõtinebatur,quicquid contra eum nos quidem
habebamus,nẽpe de autoritate Eccleſiæ & Conciliorũ.Sed cum ſcripturis ualeret,
quantũ ſua paradoxa,& quæ diſputata ab ipſo acta referent,teſtantur, fruſtra homi
nem orauimus,quo ſatis teſtatus eſt,id ſe nõ potuiſſe,eoq; noſtra uera, & iuxta ſcri
pturas eſſe,quicquid glorietur,uel ipſe,uel alij,& quicquid mẽtiatur,ille cuius me-
mini ἀνώνυμος ſcriptor Epiſtolæ.Poſt hæc ergo propoſitũ ſecundũ axioma fuit,con-
tinens Eccleſiam nulla dare præcepta,quæ nõ ex uerbo Dei manent. Contra hoc,
cum ijs quos nouimus,quidã cognomento Litera,ludimagiſter Zofingen. homo
ut apparet minime malus, & Aegidius quidã ſacrificus,& alij nõnulli, quæcunq;
ſcripturæ memorant de traditionibus Apoſtolorũ, de ieiunijs, precibus,cœlibatu,
& id genus,fortiter obiecerunt,ſed quia ex ijs omnibus nõ potuerunt probare,ius
unquã hominibus factum,ut hæc ad certa loca, tẽpora, & perſonas adſtringerent,
tum ex ijs inſtitutis conſcientiã ligarent, concedereq; coacti fuerũt, eſſe doctrinam
dæmoniorũ,cibis aliquibus interdicere,à cõnubio arcere,Axioma nihil mouerũt.
Et nos enim ieiunandũ eſſe, precandũ, & caſte uiuendũ docemus, ſed quia ſpiritũ
dare,ſine quo nihil horum recte fit,nemo niſi Chriſtus poteſt,nõ poſſunt de ijs alia
quàm ipſa ſcriptura habet,ab eccleſia quidẽ Chriſti, præcepta dari: uiuit enim illa
& agit omnia,ſpiritu ſponſi ſui.Certa ſuplicandi publice & ieiunandi tempora ſta
tuere, & ſanctis hortationibus ad hæc plebem inuitare miniſtri poſſunt, præce-
ptis autem animos religione obſtringentibus indicere non debent. Ad eum mo-
dum,& contra tertium, quod omnẽ peccatorũ expiationẽ, totumq; ſalutis meritũ
Chriſto uni tribuit,ijdem produxerunt quicquid ſcriptũ eſt de bonis operibus,&
promiſſa illis mercede,ſed dum euincere nequiuerũt,aliquid huius à nobis eſſe,ſed
fateri eos oportuit,omnia eſſe opera ſpiritus Dei in nobis,nobis gratuito donati,tũ
etiam agnoſcere,nulla quãlibet ſanctorũ bona opera eo cõferre,ut legi Dei ſatisfa-
ciant,peccatũ expient, ſed ſpem cunctam ſalutis una miſericordia Dei ex ſolo me-
rito Chriſti niti oportere,neq; hoc ab eis Axioma labefactari potuit. Quarum axio
ma quòd negat poſſe ſcripturis probari, in pane Euchariſtiæ corpus Chriſti ſumi
ſubſtantialiter & corporaliter,oppugnarunt ſaniores, qui cætera nobiſcũ faciunt.
Hi primũ obiecerunt illud Ioan. 6.Panis quẽ ego dabo,caro mea eſt, pro mundi ui
ta,cum aũt oſtenderetur eo loci Chriſtum de eo pane loqui, quẽ qui edit, habet ui-
tam æternã,nõ de pane Euchariſtiæ quẽ multi edunt, qui in æternum uitæ Dei ex-

perces

pertes sunt, obiecerunt illud: Hoc est corpus meũ, sed dum ipsi quoq; fatentur, panem nõ idem fieri, quod corpus Domini, eoq; nõ simpliciter, sed tropicõs hæc uerba accipiẽda esse, ut intelligas in pane corpus Christi esse, nec tamen hunc suũ tropum possent scripturis euincere, nõ enim dixit Dominus, in hoc, sed hoc est corpus meum, relicto nobis hoc loco, adduxerunt illud: Panis quẽ frangimus, nunquid cõmunicatio corporis Christi est, ad quẽ locum responsum fuit, fide & cultu cõstare κοινωνίαν, id est, societatẽ ueram corporis & sanguinis Domini, sicut κοινωνὸς Dæmoniorum Paulus ibidẽ uocat, qui in cultu aderãt idolorum, uescentes idolothytis, in quibus tamen nõ erant Dæmones corporaliter. Ipsi κοινωνίαν uertebant distributionem, eo quòd Paulus alicubi hoc nomine uocat, societatẽ quam sancti ineabant, cõtribuendo, quod egentibus mitteretur Ierusalẽ, sed satis constat ne in his quidẽ locis κοινωνίαν, pro distributione accipi. Societatem ierant cõmunionis collationis in subsidiũ sanctorũ, qui in Iudæa egestate laborabant, hãc collationẽ uel societatem collationis Paulus κοινωνίαν uocat. Multo imbecillius pugnatũ est cõtra Axioma quintũ, quod missam negat esse sacrificiũ, & affirmat esse blasphemiam, In hac enim uulgo iam aliquot seculis tantũ uẽditur applicatio meriti Christi uiuis & defunctis, sine ulla fida prædicatione pœnitentiæ & fidei, sine cõmunione, sine omni mente & studio eorũ, quæ in tanto sacro agi & administrari dominus uoluit, ad augendam modo ipsis quidẽ missantibus insolentiã & luxum, plebi uero superstitionem missantibus quæstuosam, quis hæc tam abominãda illo prætextu tueri queat? Nihilo fœlicius & reliqua axiomata impugnata sunt, quæ prioribus, scilicet, nituntur. Id legent & agnoscent ex actis, quicunq; possunt cognoscere uerũ. Neq; morabuntur, quod modo quidã Euangelij hostes iactant, facile nobis fuisse uincere antagonistas tam inermes. Primũ illi nihil minus quã inermes se agnoscunt. Deinde si inermes fuerunt, stupa, nõ arma erunt quicquid primi illi θεόμαχοι Eccius, Faber, aliiq; huius monetæ, hactenus cõtra nos scripserunt, nam nihil eorũ, quæ isti in magnifica eorum Disputatione Baden, & alias hactenus produxerũt, illi præterierũt. Ad hæc satis fortiter, hoc est, cõfidenter horum tela torserunt. Plericq; enim Eccium Baden audierant. Postremo cur non uenerunt armatiores? In tempore Eccius & alij, ad hanc Disputationẽ uocati sunt. Sed quid facerent in luce sutores mendaciorum? Vbi scripturis, & nõ ui res agitur, sciunt isti nihil sibi uictoriæ sperandũ. Pietatis causſam, præter Bechtoldum Bernatiũ Ecclesiastem, præcipue defenderunt Huldrychus Zuinglius, qui sic Tigurinã Ecclesiam per Euangelion & genuit & educat Domino, ut plurimũ sanè illi debeant, quotquot sunt Ecclesiæ per omnem dictionem Heluetiorũ, quanq; & alias nõ parũ sanctis scriptis iuuerit, & Ioannes Oecolampadius pastor Ecclesiæ Basiliensis, qui & ipse de omnibus Christianis sacratissimis suis lucubrationibus perquàm egregie meritus est. Quod enim Capito & ego cõtulimus, præcipue contra Tregariũ & Alexiũ, cuius memini, fuit, quanq; illi, quos dixi, citra nostrã operã, & his satis facere potuissent. Ne aſymboli essemus, uidebatur fratribus, & nos aliquas defendẽdæ pietatis partes agere. Quam aũt dominus causſæ nostræ, imò suæ fauerit, quamq; eã probarit, uel hinc piis liquere poterit, quòd mox quàm finita esset Disputatio, id quod factũ est xxvi. Ianuarij, cum incœpta fuisset vi. eius mensis, unanimi Senatus cõsulto, à Senatu & diacosijs, quos maiorem Senatũ uocant, decretum sit, omnes Missas, aras, statuas, & quicquid superstitionis contra uerbum Dei inuectũ est, simul tollendũ in urbe Bernen. & tota eorum, quæ admodũ ampla est, ditione, ubi modo Ecclesiæ ueritatem de his doctæ sint. Iam interea certiores facti sumus, tam sanctæ reformationi, propè omnes consensisse. Cui aũt dubium esse possit, in tanta urbe, tam lata ditione, plurimos esse filios Dei, quos cœlestis pater, post tam sedulas preces, post diligentẽ adeò scripturarum perueſtigationem, & collationẽ haudquaq; subscribere errori passus sit. Sunt

urbes magis auguſtę, regna multo ſpatij maioris, qui diuerſam doctrinã mordicus c
tenent, at his de doctrina Chriſti, quã nos profitemur, nunquid cõtigit niſi horren-
da audire mendacia? Nulla aũt regio eſt, quæ ſi edoceri ſe de Chriſti negotio quod
gerimus paſſa ſit, quæ nõ ueſtigio illud etiã receperit. Non quidem conſentienti-
bus omnibus, ſunt enim ubiq; uaſa iræ, at nemine contradicente, cui & religio &
innocentia cordi eſſet. Alios, qui uel ita perſuaſi ſunt, uel ui huc adiguntur, ut pia-
culum putent, aut ut capitale periculum metuant, uerbum, de ijs quæ ex ſcripturis
docemus, audiſſe, quid mirũ ſi noſtris parũ æqui uel ſint, uel eſſe ſe ſimulent? Præſer
tim cum ſuperſtitio uetus, tot modis blandiatur ſceleratis, totq; polliceatur contra
uiam Dei præſidia, eaq; citra hoc, ut uita immutetur, noſtra aũt quæ Chriſti doctri-
na eſt, totũ innouari hominem requirat, nec quicq; pro Dei cultu, bonó ue opere a-
gnoſcat, niſi adſit ſolida uitæ puritas, & in quoslibet ardens officioſitas.

O ampliſſimã igitur in uos Bernates, & nunquam ſatis prędicandam Dei boni-
tatem. O nimis rarum non noſtris ſolum ſeculis exemplum. Nam & apud Iudæos,
ſoli Chizkijah & Ioſchijah penitus abominationes omnes ſuſtulerũt. Ingẽtes pro-
fecto gratias optimo patri noſtro agere pro uobis debent, quicunq; nomen eius ſe-
rio orant ſanctificari, & dare operã, ut tam præclarũ & imitabile exemplum pluri-
bus commendetur, fundere deniq; preces ad Deum ardentes, ut quod tam magni-
fice in uobis cœpit, magnificẽtius perducat, quo in gloriam ipſius plurimos exem-
plo ueſtro, ad ſimilia prouocetis. Equidem ut teſtarer, quãti mihi ſit, uiri fratres ob-
ſeruantiſſimi, ueſtra ad Deum tam plena conuerſio, nuncupare uobis decreui, quã
hiſce diebus in Euangelion Ioannis Enarrationẽ ſcripſi, ſperans nõ omnino abiq;
fructu legendam à plærisq; Eccleſiarum ueſtrarum miniſtris, qui in ſcripturis non-
dum adeò ſunt exerciti. Non quòd mea hæc cupiam præferri, ijs, quæ tam ueteres,
præcipue Chryſoſtomus & Auguſtinus, quàm recentes quidã, præcipue Eraſmus
Roterodamus, Philippus Melanchthon, & Ioannes Brentius in hunc Euangeli-
ſtam præclare ſcripſerunt, ſed quòd fortaſſe & in his inſunt, quæ in præſenti tempe-
ſtate, frugem aliquam lecta rudioribus adferant. Dedi nanq; operam omnia Euan-
geliſtæ ſuo ordine ſyncериter enarrare, non tantum in quędam annotare, & contra
eos, quos modo Satan immittit errores, diligenter fratres munire, iudicium ſit pe-
nes ſanctos. Boni quicquid hoc eſt officioli, uiri cordatiſſimi conſulite, & in adfe-
renda gloria Chriſti Dei noſtri, ſtrenue pergite. Argentorati x v. Calend. Aprilis,
Anno nati Seruatoris M. D. X X V I I I.

RETRACTATIO.

Ne cui offendiculo ſit hæc mea præfatio, monendos lectores putaui de quarto
axiomate, in Diſputatione Bernenſi excuſſo, quod erat: Sumi et manducari corpus
& ſanguinem Domini in pane & uino realiter & corporaliter, probari per ſcriptu-
ram non poteſt. De hoc axiomate non conuenit in diſputatione cum ijs, qui illud
impugnabant, & ſi illi Chriſtum nobiſcum uere prædicarent. Hoc autem omnino
inde factum eſt, quod illud edi in pane corpus domini realiter & corporaliter non
eodem modo intelleximus, id quod tum quidem non animaduertimus, poſtea aũt
indubitato cognouimus. Illis ſiquidem qui axioma oppugnabãt, ea locutio perin-
de accipiebatur, atq; ipſum uerum domini corpus uere & re ipſa in Euchariſtia per
cipi cum pane, qui corpore ſumitur & editur, ſacramẽtalem modo unionem inter
panem & corpus domini ſtatuere uoluerunt, ut non ſint in ſacra domini menſa in-
ania rerum ſymbola panis & uinum, ſed ſimul res ipſę corpus et ſanguinis domini,
id eſt, dominus ipſe. Nobis aũt intelligebatur, edere corpus domini realiter & cor-
poraliter, pro eo, quod eſt, manducationẽ oris in ipſum pertingere corpus domini,
quod circumſcriptũ & incluſum ſit in pane phyſica ratione. Id quia nulla ſcriptura
affirmatur, aut euincitur, uidebatur aũt iſtis uerbis, edi corpus domini in pane rea-
liter

liter & corporaliter ſtatui,& propoſitum axioma illud eſt,& defenſum.Nihil enim amplius reijcere uoluimus, ꝙ corpus Domini non miſceri cum pane,aut includi in pane phyſicõs & localiter. Inde à noſtris ea potiſſimum loca adducta fuere,quæ ſunt de ueritate humanæ naturæ in Chriſto,& adſcenſione in cœlos.Nam agnoſcimus nos,agnouit id plane & Oecolãpadius, Zuinglius nõ repugnauit, hiſce uerbis domini,Accipite,hoc eſt corpus meũ,&c.& uerbis Apoſtoli,panis quẽ frangimus nunquid eſt cõmunicatio corporis domini &c.omnino uerã ueri corporis & ſanguinis domini præſentiam & exhibitionẽ euinci.Quare quæcunq; in actis huius diſputationis edita ſunt, de hoc loco, ea oro te pie lector ſic accipias, ut ſcias à nobis non omnem Domini in ſacra cœna cum ſymbolis pane & uino præſentiam,ſed circumſcriptiuam modo & quę naturali unione corpus domini pani miſceat,negari,quã,ſcilicet,ab ijs, qui tum aduerſabantur noſtro axiomati ſtatui perſuadebamur.Id ſic habere ipſa acta teſtantur.Supra quoq; in retractatione de ſacra Euchariſtiæ enarrationi capitis xxvi.Matthæi inſerta, id ex ipſis ſcriptis Oecolampadij manifeſtum feci.

Teſtimonium præterea præbui hac præfatione pietati & doctrinæ Zuinglij & Oecolampadij,qui uiri tracti ſunt in magnã et publicã Chriſtiani orbis inuidiã,tam quam de ſacramentis, Zuinglius etiam de peccato originali, & alijs quibuſdã ſcripturę locis non recte ſenſiſſent & ſcripſiſſent.Hanc itaq; laudẽ optimo lector quam iſtis hoc loco tribui,ſcito me eis nulla conſcientia errorũ detuliſſe,et deferre hodie. Equidem utrunq; non ſemel de primis capitibus religionis noſtræ diſſerentem audiui,nec potui aliud percipere quàm eos ſentire,& docere omnino cõſone ijs,quæ Marpurgi cum M.Luthero & alijs ſubſcripſerunt,de ſacra trinitate,Chriſto domino,uero Deo & uero homine,naturis inpermixtis, in eadem autem perſona unitis, de peccato originali, de iuſtificatione, de ſacramentis & reliquis omnibus. Marpurgi enim de omnibus religionis noſtræ dogmatis conuenit,excepta ſola præſentia domini in cœna corporali. De quo tamen loco ideo tum non cõuenit, ut equidem iudicare poſſum,qui ibi adfui, quòd non poſſent tum uerba inuenirí, quibus ſic præſentia Domini uera in cœna exprimeretur, ut non uideretur aliquid inferri commixtionis phyſicæ corporis Chriſti cum pane, uel localis in pane incluſionis. Et quibus rurſus iſta commenta ſic excluderentur, ut tamen in confeſſione ueræ præſentiæ Chriſti in cœna nihil deſideraretur. Poſtea autem Dominus ea uerba dedit,ut ſuprà in retractatione de ſacra cœna expoſuimus.Proinde quas laudes his uiris tribuo, uel hinc,uel alibi,tribuo & orthodoxis,qui crediderunt & docuerunt in cæteris dogmatis religionis noſtræ, ut habent articuli Marpurgi ſubſcripti, in dogmate ſacræ Euchariſtiæ ſecundũ ea,quæ ſuprà ex ipſorum uerbis adduxi. Meã uero fidem atq; doctrinã æſtimari peto ex hiſce enarrationibus nunc retractatis,no ſtriſq; in epiſtolam ad Romanos commentarijs. Quæcunq; in contentione ſcripta ſunt,tam à me ipſo,ꝙ ab illis,quæ cum ueritate Chriſti, ut ea in articulis illis Marpurgicis,deinde confeſſione Cæſari oblata Auguſtæ in comitijs eiuſq; Apologia, expoſita eſt,nõ plene conſonare,aut fidis huius ueritatis adminiſtris detrahere aliquid ulla ratione uidentur,ea nõ modo nõ laudare,ſed nec agnoſcere uolo. Quid uero agnoſcam quid minus de ijs,quæ in contentione ſunt impacta nobis ab antagoniſtis,expoſui in retractationibus de Baptiſmate & Euchariſtia.Et ab illis pleraq; ſcripta ſunt humanitus, Dominus condonet nobis quicquid peccauimus, & in puritate doctrinæ ſuæ omnes uniat, unitosq; conſeruet, Amen.

ENARRATIO MAR-

TINI BVCERI IN EVANGELION, SE/cundum Ioannem.

Quid Euangelion.



VID Euãgelion ſecundũ ſcripturas proprie ſignificet, fuſius & cõmunitius in Enarratione Matthęi diximus. Igitur ſatis ſit monuiſſe Euangelion eſſe publicã, pridẽ adeò ac multoties promiſſę, electisq; diu ac multũ expectatæ, demũ uero per Chriſtum Ieſum partæ, & exhibitæ ſalutis, renuntiationẽ atq; prædicationẽ. Promiſſiones diuini fauoris & multiplicium beneficiorũ, quas ſcripturæ, ἐπαγγελίας, non σὐαγγελια uocant, ut nõnihil in ſe Euangelij, quandoquidẽ benignitatẽ Dei renuntiant, cõtinent, ita Euãgelia nõniſi κατ᾽ ἐξοχὴν, dici poſſunt, iſs præſertim qui ſcripturarũ nomenclaturã ſequi uolunt. Eæ nanq; Euangelij nomen, tam apud Prophetas, q̃ Apoſtolos, præconio regni Chriſti, quod patribus quidẽ promiſſum, & per Prophetas prędictum fuit, ſed per Apoſtolos demũ in orbe publicitus ſonuit, uulgariq; cœpit, peculiariter tribuũt. Ebraice dicitur בשורה. Reliqua de his in Matthæo.

ἐπαγγελίαι & σὐαγγελια differunt.

Ioannes igitur, qui hiſtoria hac, quam enarrandã ſuſcepimus, unũ id agit, ut hoc ipſum Chriſti regis & ſeruatoris noſtri præconiũ explicet, & quantã ille ſuis ſalutẽ, uitam et fœlicitatem, homo factus, pro noſtris peccatis mortuus, & in immortalem ac beatam uitam à mortuis reuocatus, parauerit, orbi renuntiet & exponat, appoſite hanc hiſtoriã Euangelion uocauit. Quę ſanè Euangelij titulo tanto, q̃ reliquorũ Euangeliſtarũ hiſtoriæ dignior habetur, quanto ea luculẽtius & plenius, quod diu & anxie ſancti deſiderarunt expectaruntq; Chriſti regnũ, adnuntiat & inuulgat. Siquidem diuinitatem domini, redemptionisq; myſterium, multo tum diligẽtius, tum explanatius, quàm Euangeliſtæ reliqui exponit & deprædicat, narratione nimirum, & altius petita, & plura, quæ uim ac naturam regni Chriſti exprimãt, commemorante, ut profecto digna ſit, quæ ad uerbum à Chriſtianis ediſceretur. Hoc futurum proſpiciens Dominus, hunc noſtrum Euangeliſtam filium tonitrui cum patre appellauit, id eſt, ut Marcus habet, Βοανηργές, ſed uoce nonnihil immutata. Nam Chaldaice בני ארגש Bnaia regeſch, Ebraï. בני רגש id eſt, Bne regeſch dicendum erat. Immutantur enim Ebrea nomina, dum à Græcis & Latinis uſurpantur pleraq; omnia. Cæterum iuſta cauſſa Dominus, filijs Zebedæi, uel ob unum Ioannem, hoc cognomenti indidit, qui ueri Iouis tonitru, Verbum, quo uniuerſa mundi machina, ut condita eſt & gubernatur, ita inſtauratur ac renouatur, tam clare ac magnifice in orbe ſonuit, ut nemo unquam uel clarius uel magnificẽtius. Hinc uero & eius ratio apparet, quo ſe à Domino peculiariter dilectum gloriatur. Vere enim peculiaris atq; eximiæ dilectionis eſt, quod Chriſtus ſe illi familiariter adeò inſinuauit, cognoſcendũq; tam ſublimiter, & prædicandũ tam luculenter donauit. Iſtud nanq; certum dilectionis ſuæ eſſe argumentũ, ipſe pronũtiauit, cum apud hunc noſtrũ Euangeliſtã infrà cap. 15. ait: Vox dixi amicos, quia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos, & conſtitui uos, ut eatis & fructum afferatis, &c. Plura de laudibus huius Euãgeliſtæ nõ uidetur hic eſſe memorãdi locus, ubi de laudibus agitur Chriſti. Neq; poteſt ille prędicari ab homine cumulatius, q̃ eum hæc ipſius prædicet hiſtoria, cœleſti ſapiẽtia, ut nullus alius liber, fœcũda. Nã quæ præter iſta, uel Eccleſiaſtica hiſtoria uel autores alij de eo narrant, quoniã inter ſe nõ cõſentiunt, incertiora ſunt, q̃ ut hic loci de iſs uerba

Ioannis hiſtoria Euangelij nomine præ alijs digna.

Ioannes filius tonitrui.

ijs uerba facere conueniat. Cauſſam autem cur Ioannes Euangelion ſcripſerit, fuiſſe exiſtimo, ut diuinitatem Chriſti, iam tum à Carpocrate, Corintho (Cerinthum alij uocant) & Ebione hæreticis labefactari cœptam, plenius aſſereret, & indicatam ab alijs Euangeliſtis magis, quàm prædicatam, clarius Eccleſijs exponeret. Nam quod quidam ſcriptum reliquerunt, Ioannẽ, ut adijceret, quæ dominus primo prædicationis ſuæ tempore antequam Ioannes Baptiſta eſſet in uincula coniectus, geſſit, hanc hiſtoriam cõpoſuiſſe, infirmius mihi uidetur, quàm ut ipſum auſim affirmare. Non enim quicquam huius generis, præter unum nuptiarum miraculum oſtendi poterit, de quo conſtet, ante Baptiſtæ uincula eſſe factum. Deinde non tantum παραλειπόμενα, hoc eſt, ab alijs relicta Ioannes conſcripſit, quandoquidem non pauca, & memorata alijs, ipſe quoq; narret: quanquam illa ſic ferè narret, ut occaſionem ex eis ſibi ſumat narrandi ſermones Domini & dialogiſmos, cœleſti doctrina fœcundiores. Id quod in ſexto capite ſatis liquet, ubi memorato ut ex quinque hordeaceis panibus dominus quinq; hominum millia pauerit, quod factum & apud alios Euangeliſtas legitur, cõtinuo diuinum illum de cibo cœleſti ſermonem, miraculi occaſione habitum, ſubtexit. Idem & narrata ſanatione eius, qui triginta & octo annos ad probaticam piſcinam iacuerat, obſeruauit. Subiunxit enim præclaram admodum, quam de diuinitate ſua dominus & cum patre æqua uirtute, eius facti occaſione, orationem ad Iudæos habuit. Sic & reſuſcitati Lazari hiſtoriam magis adeò retuliſſe uidetur, ut ſaluberrimam domini de fide & reſurrectione doctrinam, quæ in reſponſis eius ad Lazari ſorores legitur exponeret, quàm ut miraculum memoraret. Quinq; enim duntaxat & ijs quæ dominus in mortali corpore miracula fecit, tota hiſtoria ſua memorat: in recenſendis aũt domini ſermonibus, & eiuſmodi quidem, qui diuinitatem eius luculentiſſime teſtantur, reparatio noſtræ arcanum, demum & germanæ pietatis rationem apertiſſime explicãt, nihil non abunde & copioſe exponit.

Quæ fuerit ſcribendæ huius hiſtoriæ cauſſa.

Quo conſilio Ioan. miracula pauca conſcripſerit.

Quinq; tantũ ſigna Domini ante reſurrectionem facta Ioan. narrat.

Proinde uero ſimile mihi quidem eſt, Ioannem multo grauiore conſilio quàm ut præterita ab alijs geſta domini ſublegeret, quorum in totum pauca adeò cõmemorat, Euangelion hoc ſuum conſcripſiſſe, nimirũ, ut ſicut dixi, periclitantem iam tum fidem ſeruatoris hoc ſuo ſcripto ſuffulciret, myſterio Chriſti paulò clarius quã ab alijs factum, expoſito. Cœperat ſiquidem iam tum fides in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per eos, quos Ioannes in Epiſtola ſua Antichriſtos uocat, haudquaquam leuiter oppugnari, alijs eum filium eſſe Dei negãtibus, ut Cerintho, & Ebione, alijs blaſphemantibus eum non uere in carnem ueniſſe, quam blaſphemiam poſtea & Marcion Ponticus proſecutus eſt. Nam quotieſcunq; ueritas in orbe lucet, pater mendacij innumera illico contra eam errorum figmenta excitat. Hinc ergo ſanctum Dei Apoſtolum compulſum ad ſcribendũ arbitror, ut prædicati à ſe Euangelij monumentum Eccleſijs relinqueret, quo freti, electi, in fidei ſyncerítate perſiſtere, & ab irruentibus omne genus erroribus animos ſeruare intemeratos poſſent, quare ea quoque potiſſimum commemorauit, quæ quid Chriſtus ſit & poſſit, quid eſſe denique nobis uelit, clariſſime ob oculos ponunt. Hęc nanque qui recte tenuerit, ut uitam tenet æternam, ita contra quamlibet tentationem abunde cõmunitus fuerit.

Hic ergo ſtatus & ſcopus in hac ſacra hiſtoria eſt, dominum noſtrum Ieſum, non hominem tantum, quanquam & hominem cauſſa tollendi noſtra peccata, ſed & Deum eſſe ac ſaluatorem omnium in ſe credentium, hoc eſt, eorum quos illi pater ab æterno in hanc ſortem deſtinatos donauit, quorum peccata morte ſua expiauit, ita ſpiritu ſuo ſit penitus repurgaturus, donec diuinitatis, per omnia iuſti & beati, plene participes euadant, quos interim ſuo ſpiritu, ad hoc præcipue agit, ut bonitatem Dei in mundo deprædicent, eaḿ que beneficijs in proximos exprimere ſtudeant,

Quis ſcopus & ſtatus huius hiſtoriæ.

ſtudeant, pro quibus ſaluberrimis officijs, à mundo odio haberi eos, & perſecutionem ſuſtinere oporteat, in quibus autem ipſe eos tamen ſeruat ſuperioresq; reddit, dum ereptos ex hac uita, ad ſe transferat in manſiones cœleſtes. Natos autem eſſe ex Diabolo quoſdam, id eſt, à Deo reiectos, eos Chriſti uerbum audire non poſſe, eiſq; Chriſtum ueniſſe in iudicium, & ſcandalum.

Quæ propoſitio.

Cur Euangeliſta citra proœmiũ & ſimpliciter narrat.

Cum uero in modum hiſtoriæ hæc de Chriſto narrare Euangeliſt. inſtituerit, nõ eſt quærenda propoſitio, quam poſtea argumentis probet. Propoſitio hæc eſt, Euangelion Ieſu Chriſti, id eſt, præconium, quo eius ortus, uita & uirtutes explicantur. Citra proœmium hiſtoriam orditur, quia ſolis electis Chriſti ouibus, quæ paſtoris ſui uocem, per ſpiritum ſatis agnoſcunt, teſtificari de ſuo paſtore uoluit, id quod præcipuum erat Apoſtolorum officium, iuxta illud: Eritis mihi teſtes Hieroſolymis, in Iudæa &c. Actorum primo. Item in hoc Euangelio decimoquinto: Quia & uos teſtes eſtis. Hoc enim ſimplicius Apoſtoli de Domino noſtro teſtimonium cum ſermone, tum ſcripto tulerunt, quo de uirtute ſpiritus cooperantis & teſtimonium ipſorum in electorum cordibus confirmantis & obſignantis, erãt certiores. Sentiebant ſiquidem & experiebantur, ſe idoneos, ut miniſtri eſſent noui teſtamenti, non literæ ſed ſpiritus, diuinitus factos, plantationi eorum & rigationi Domino incrementum ubiq; adijciente, ne inanis & mortua doctrina, qualem literæ continent, ſermo eorum eſſet. Hac itaq; ſpe freti ut libere & confidenter, ita ſimpliciter & citra artificium rationis, Euangelion & annuntiarunt & ſcripſerunt. Quare nemo hic aliud, quàm ſimplex & apertum, ſed diuinum & certum de Domino noſtro Ieſu Chriſto teſtimonium expectet, id qui ſpirituales fuerint, quosq; uocare dominus dignatus fuerit, agnoſcent, qui ſpiritu uacant, quod uel reprobi ſint, uel nondum tempus à patre definitum quo uocentur, appetierit, ijs uti animalibus hominibus, nullis etiam, quamlibet artificioſe adductis, tam ſcripturis, quàm rationibus, hoc cœleſte teſtimonium perſuaſeris. Quibus igitur mens domini contigit, cœleſtem hunc præconẽ & teſtem, pronis animis exaudiamus, renuntiantem & teſtantem, quibus uita conſtat beata & æterna.

1. Corinth. 3.

CAPVT PRIMVM.

Sect. 1. IN principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat illud uerbum. Hoc erat in principio apud Deum.

Sect. 2. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.

Sect. 3. Erat homo miſſus à Deo, cui nomen Ioannes. Hic uenit ad teſtificandum, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per ipſum. Non erat ille lux illa, ſed miſſus erat, ut teſtaretur de luce. Erat lux illa, lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In ſua uenit, & ſui eum nõ receperũt. Quotquot aũt receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet, his qui credidiſſent in nomen ipſius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt.

Sect. 4. Et uerbum illud caro factum eſt, & habitauit in nobis, & conſpeximus gloriam

A gloriam eius, gloriam uelut unigeniti à patre, plenus gratia & ueritate.

Sect. 5. Ioannes testificatur de ipso & clamat, dicens: Hic erat de quo dicebam, qui cum me sequeretur, antecessit me, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christũ exorta est, Deum nemo uidit unquam, Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Sect. 6. Et hoc est testimoniũ Ioannis, quãdo miserant Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, inquiens, non sum ego Christus. Et interrogauerũt eum: Quid ergo? Helias es tu? Et dicit: Non sum. Es tu propheta ille? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus ijs qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego uox clamãtis in deserto, dirigite uiã domini, sicut dixit Esaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Helias, neq; propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo aqua, sed in medio uestrũ stat quem uos nescitis. Ipse est qui cum me sequetur, antecessit me, cui ego non sum dignus ut soluam corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

Sect. 7. Postero die uidet Ioannes Iesum uenientẽ ad se, & ait: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatũ mundi. Hic est de quo dicebã, post me uenit uir, qui me antecessit, quia prior me erat, & ego nesciebã eum, sed ut manifestus fiat Israëli, propterea ueni ego aqua baptizans. Et testificatus est Ioãnes, dicens: Vidi spiritum descendentẽ specie columbæ de cœlo, & mansit super eum & ego non noueram eum, sed qui misit me, ut baptizarẽ aqua, is mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentẽ ac manentẽ super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi, & testificatus sum hunc esse filium Dei.

Sect. 8. Postero die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & intuitus Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus ille Dei. Et audierũt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & conspicatus eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur, si interpreteris, magister, ubi habitas? Venite & uidete. Venerunt, uideruntq; ubi maneret. Et apud eum manserunt die illo, hora autem erat fermè decima. Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant à Ioanne & secuti fuerant eum. Repperit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei, inuenimus Messiam, quod est, si interpreteris, unctus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis.

Sect. 9. Postero die uoluit Iesus exire in Galilæam, & repperit Philippum, & dicit ei: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Repperit Philippus Nathanaël, & dicit ei: De quo scripsit Moses in leges & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph Nazarænũ. Et dixit ei Nathanaël:

nael: A' Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & uide. Vidit Iesus Nathanaël uenientē ad se, & dicit de eo: Ecce uere Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël: Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus uocaret, cum esses sub ficu, uidebam te. Respondit Nathanaël & ait ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille rex Israël. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, uidebam te sub ficu, credis, maiora his uidebis. Et dicit ei: Amen amen dico uobis, posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes ac descendentes super filium hominis.

ENARRATIO SECTIONIS, I.

IN principio erat uerbum.) PARAPHRASIS. De Domino nostro Iesu Christo narraturus & testificaturus, primum omnium affirmo, non nuper eum è Ioseph, quod impij quidam impie dicunt, ortū, quanq̄ uerus sit è Maria uirgine homo natus, sed aio initio eum antequam quicquam esset, uerbum, oraculum, uirtutem, & gloriam Dei fuisse, & apud Deum fuisse, ne quis, cum nihil dum esset pręter Deum quærat ubinam fuerit, quin Deus ipse erat hoc uerbum, ne quis existimet nos duos deos facere. Verbum nanque sapientia & uirtus omnium effectrix, nullum substantiæ à Deo discrimen habet. Vt iterum ergo dicam, uerbum, quod in carne nobiscū conuersatum est, et morte sua electos redemit, dominus noster Iesus Christus, quē prędicamus, nequaquam nuper cœpit, sed initio ante omnia fuit, & apud Deum fuit, nihil enim dum in quo apparuisset, præter Deum, qui substantia idem uerbum est, erat.

ANNOTATIONES.

1. Moseh. 12. Quo diuinitatem domini Iesu Ioannes exprimeret, & in Epistola sua, uerbum uitæ, quod ab initio fuit, eum uocauit. Verbo scriptura testatur Deum omnium condidisse & gubernare, quo nimirum immensam eius potentiam nobis commendat, quandoquidem eorum duntaxat, qui summa potestate pollent, sit, uerbo quæ uolunt efficere. Deus autem, non paucula aliqua & incerta, ut quamlibet summi reges, sed cuncta & de nihilo, uerbo suo creauit, & eodē seruat, agit, immutat, instaurat, perficit, hoc est, omnia, ut Apostolus ad Ephes. 1. scribit, in omnibus implet. Iam Dominus noster Iesus Christus, is est, per quē creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, uisibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominatiōes, siue principatus, siue potestates, omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt, &c. Hæc Paulus Coloss. 1. Epistola ad Heb. item testatur, condita esse per eum secula, hinc & splendorē gloriæ Dei, & expressam imaginem, id est, χαρακτῆρα, substantiæ illius, qui moderatur omnia uerbo potētiæ suæ, id est, sua uirtute, eum appellat. Etenim dum uerbo hoc suo Deus, sua ineffabili uirtute, omnia condidit, pulcherrimoq̄ indito rebus ordine, sapientissime iuxta administrat, cœpit gloria bonitatis Dei relucere & imago Dei apparere mundo tam mirabiliter fabrefacto.

Cur Christus uerbum appelletur.

Splendor gloriæ & imago Dei.

Paulus ad Colloss. ex eo quòd omnia per Christum facta sunt & reguntur, eum primogenitum omnis creaturę uocat. Nam ut primogenito ex lege Dei, imperiū est in reliquos fratres, ita uerbum patris, uerbo potentiæ suæ, hoc est, sua uirtute, & plenissimo imperio, cuncta moderatur, atq̄ gubernat, existens ipsa Dei uirtus & potentia. De quo & Psal. 33. Per uerbum Domini cœli facti sunt, & per spiritum oris omnis ornatus eorum. Vbi Psalmographus pro eodem accipit uerbum, & spiritum oris Domini, nimirum pro uirtute, potentia, & efficacia Dei, qua creata omnia sunt, & consistunt.

Primogenitus omnis creaturæ.

Verbum & spiritus oris Dei idem.

Schlomoh

A Schlomoh eandem hãc DEI uirtutem ſapientiæ nomine ſignificat,& per proſo- *Sapientia Dei*
poeiam inducit,de ſe prædicantem per ipſam omnia condita, & ipſam ante omnia formatam apud Deum,iugemq; ei fuiſſe oblectationem, tum & in orbe terrarum. bonitatis ſuæ luſum deprompſiſſe,& apud homines quoq; beatam oblectationem exhibuiſſe.Lege caput octauum Prouerbiorum.

Vt uero eodem loci,ſapientia de ſe prædicat:Meum eſt conſilium & æquitas,in telligentia & fortitudo,per me reges regnant, & conſiliarij iuſta ſtatuunt: ita recte *Lex quoq; per Chriſtum data.*
affirmauero,incomparabilẽ illam ſapientiã, quam miniſtro Moſcheh accepimus, eidem uerbo patris,acceptam ferendam,ipſumq; eſſe mediatorem illum,per quem latam Paulus.Gal.3.legem meminit, tametſi ex recentioribus quidã Moſcheh illũ intelligant. Certe quicquid unquã boni mundus accepit, quandoquidem Dominus Ieſus is eſt,qui ſua uirtute portat & moderatur uniuerſa,impletq; omnia omnibus,ab eo id donatum eſſe,& depromptum,confitendum eſt.

Quare equidem Chriſtum noſtrum,illum יהוה fuiſſe,nihil dubito,qui patribus *Chriſtus ille adorandus יהוה*
locutus fuit,tantaq; illis beneficia partim exhibuit,partim promiſit. Nã Deum nemo unquã uidit,unigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis.Infra. Patrem nemo nouit niſi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Matth.11. unde quicquid diuinitus,hominibus dictum factum ue eſt,opus fuit Verbi,quod erat initio, per quòd ſunt facta omnia.Id quod & Ioan. in ſequentibus teſtificatur.Quapropter cum יהוה eſſentiam, uel autorem eſſendi ſignificet, idq; uere ſit æternum uerbum patris,hoc ipſo ineffabili illum nomine deſignatũ fuiſſe, credo.Certe Iirmiah prædixit, eum hoc nomine uocandum. Qui ubi homo natus fuit,nomen accepit יהשוה,in quo nomine inſunt,omnes ineffabilis illius nominis literæ,& adiectum præterea eſt, ש ex uerbo ישע, quod ſaluauit ſignificat,quo indicaretur aduenifſe
B demum,qui eſſet inſtaturaturus omnia,& populũ ſuum, id eſt, electos ſaluaturus, ſicut per eum condita omnia ſunt & ſubſiſtunt,ut idem reparationis,qui & eſſendi autor agnoſecretur. Si quis aũt motus ex eo, quòd Angelus iubens puerũ Ieſum uocare,quòd eſſet ſuum populum à peccatis ſaluaturus,putet idem nomen Domino fuiſſe,quod ſucceſſori Moſcheh יהושע,quod propriè ſaluatorẽ ſignificat,certio ra uidetur ſequi,quàm ij qui יהשוה uocatum exiſtimant, ex eo ſolum quòd uates prædixerit nouo nomine uocandum,Sunt etiam in nomine יהושע omnia elemẽta,nominis ſacri יהוה,niſi quòd ר non repetitur. Tum uere nouum hoc ipſum nomen Domino inditum eſt,cum nullus alius ita ut ipſe ſeruator unquã uocari potuerit,A peccatis enim eoq; & à morte ac omni malo ſuos liberat & ſeruat.

Ex his liquere iam exiſtimo,cur Ioannes,diuinitatem Domini uoleris prædicare,Verbum eum uocauerit, nimirum quòd uerbum Dei, uirtutẽ & potentiã Dei, *Cur apud Deum.*
per quam facta ſunt & conſiſtunt omnia,ſignificat.Hoc uero initio fuiſſe, quod idẽ eſt,atq; ante res conditas,propter negantes diuinitatem Chriſti,adſeruit,cui conſequens erat,ut iuxta adſereret & apud Deum illud fuiſſe,cum præterea nihil dum eſſet,& Deũ ipſum, uerbũ fuiſſe, ne,ſcilicet,duos docere deos uideretur.Quod Græce Euangeliſta λόγος habet, orationem,uel ſermonem, potius quàm uerbũ ſignificat,licet & alia ſignificata habeat.ideo ueteribus quibuſdam & recentibus,ſermonem hic legere magis,quàm uerbum,placuit.Multa quoq; diſputata ſunt de interno uerbo,hoc eſt,mentis conceptu,dictóue,ut illud dicentem referat. Quæ omnia dum nihil impium docent,nullus quidem damnauero.Id tamen inficiari nemo poteſt,Euangeliſtas ſic uſos fuiſſe lingua Græca,ut multis in locis eum,qui uelit germanum ſenſum aſſequi, oporteat Ebræam potius phraſim & proprietatem,quàm Græcam inconſilium adhibere.Ita indubie quòd hic noſter λόγος dixit,pro eo uſurpauit,quòd Ebrei רבר dicunt. Vbicunq; enim in ſacris uoluminibus legitur ויהי רבר יהוה,id eſt,Et factũ eſt uerbũ domini,ibi Græci habẽt, ἐγένετο λόγος κυρίου,quan

quam inuenias alicubi &, ῥῆμα. Qui itaq; certo uolet cognoscere, quid hic Ioannes dicere uoluerit per λόγος, ei certe non tam considerandū erit, quid λογος Græcis quā רבר significet Ebræis. Hoc autē usurpatur Ebræis, pro re, negotio, iussu, ut Ieschaiæ cesimonono legimus: Non erat רבר, id est, res ulla, quam Chizkiah rex, legatis Babylonijs non ostenderit. Et 1. reg. 11. Nam erat uerbum regis urgens, id est, negotiū uel mandatum. Pro iusso aut præcepto passim accipitur, cū custodire, aut transgredi uerbū Domini, pro obseruare, uel negligere iussa Dei ponitur. Hinc autē quòd רבר, Ebræis idem pollet, quod nobis res, sunt qui putent, illud, in principio erat uerbum, idem esse, atque res illa, id numinis quod prædicamus, initio ante omnia fuit, &c. Sed mihi uidetur altius quid, & reconditius esse, quod Euangelista hic dicere uoluit. Id sane abunde liquet, hoc Euangelij sui procœmio, uoluisse prædicare seruatorem nostrum, esse illam uirtutem Dei, per quam facta sunt omnia, quæq; se in rerum creatione, subsistentia atq; gubernatione tam præclare prodidit, atque ostentat, adeoq; ipsum Deum esse, non hominem tantum, quod Hæretici illi blasphemabant, contra quos præcipue hæc scribere in animum induxerat. Iam cum uerbo, hoc est, iussu, imperio imo nutu suo, exerta, scilicet, uirtute sua, deus omnia cōdidisse atq; seruare, & cū doctrina legis & prophetarū, tum spiritu intus omnia docente & uiua reddente, perficere, in scripturis prædicetur, omnino in hac sum sentētia, Euangelistam ideo Domino nostro, uerbi Dei, appellationem tribuisse, ut indicaret, hūc ipsum esse, uirturem illam, qua se deus exeruit suamq; tam mirifice potentiam & bonitatem declarauit, & cum hunc mundum, machinam adeò stupendam, præcipue autem hominem ad suam imaginem formatum condidit, & cum spiritu suo, eadem tam præclare conseruat ac perficit, tum esse eum, qui omnia diuina nobis reuelarit, Deum enim nemo uidit unquam, qui est in sinu patris reuelauit nobis. Nam prepulchre uidetur alluisse ad id, quod identidem legimus factum, est. רבר, id est, uerbum ad hunc aut illum. Quicquid enim unquam Dei sese prodidit, uel uerbo, id Christus noster fuit, uirtus illa patris sempiterna. Magis itaque arridet, ut sic Ioannem hoc nomine Verbum usum dicamus, ut illud oraculum, iussumq;, ac inde uirtutem & imperium significet omnia regentis & uiuificantis dei. Et si meo arbitrio reddere deberem istuc ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, mallem reddere: In principio erat oraculum, uel si à uerbo permitteretur recedere longius, uis illa, numen ue. Omnino enim numen dei, rebus creatis, & uita donatis, actuq; eorum, maxime aut beneficijs Israëli collatis, exertum, prolatum, & humano captui, intercedente tamen lumine spiritus superni, uisendum exhibitum est, tum aūt multo plenius, cognosci cœpit, quando hominem induit, in eoq; regnū dei administrare cœpit. Obseruationes, Obseruandū primum ut paucis, circunspecte tamen & religiose, de diuinitatis mysterio Euangelista disseruerit, quod si imitari olim Christiani uoluissent, non tam misere & periculose dissectæ Ecclesiæ fuissent, neque præbita causſa Sophistis, impuris suis figmentis diuinam maiestatem contaminandi. In cognitione diuinitatis salutarem, non nisi per mediatorem hominem Christum Iesum peruenimus. Quare operæpretium est, ut cum Paulo ante probe discamus Iesum Christum, & hunc crucifixum, quo nobis ipsis displiceamus, carnisq; nostræ quam professi sumus mortificationem, gnauiter prosequamur. Sic & exaltati Christi gloria nobis conspicietur, indeq; & diuinitas, in nouam, scilicet, & cœlestem iam creaturam renouatis. Principio satis nobis fuerit agnouisse Dominum nostrum Deū esse eundem natura cum patre, & rerum omnium opificem, quandoquidem maledictus sit, qui confidit in homine. Reliqua eò cotidie percipiemus plenius, quo in noūitate mentis plus promouerimus. Mundi enim corde Deum uidebunt.

Quomodo in cognitionem Dei rite peruenimus

Obseruandum item quemadmodum dicitur ex malis moribus bonas leges prouenire, ita Dei bonitate fieri, ut pestilentiū occasione errorū, saluberrimas Ecclesia doctrinas

doctrinas recipiat. Nam quod Cerintus & Ebion, & similes diuinitatem Domini nostri Iesu Christi impie negarunt, Ioanni tam magnifice de ea testificandi data occasio est. Ita electis, & mala bono sunt. Monemur denique hinc non esse desponden-
dum animum, quòd & nostra tempestate magnum impiorum dogmatũ uidemus prouentum, iacula sunt satanæ contra saluificam ueritatem Euangelij, quæ si non ferendum, si ijsdem nos uetus hostis, quibus primã illam Christi Ecclesiam, machinis petat, dum id argumento est indubitato, eodem nos quo illi uerbo uitæ esse donatos. Proinde excitent ista nos ut uigilemus, & caute contra uersipellem hostem stemus, in abnegatione nostri, Christique admiratione continuo proficientes, non uero deijciant, ut fiduciam spemque ponamus meliorem, promouendi Christiani-
smi alacritatem remittentes.

Hodie multa insana fingi dogmata, ex citare debet, ad uigilandũ. non deijcere ad desperandum.

ENARRATIO SECTONIS, II. PARAPHRASIS

Omnia per ipsum facta.) Aeternitatẽ igitur diuinitatemque Domini Iesu, qui uerbum patris est testatus, iam ut sese orbi insinuarit testabor. Primum creatione id fecit, nam per ipsam facta sunt omnia, ut nihil omnino sit, quod ipse non ediderit. Deinde & conseruatione actuque. Nam ipsius beneficio uiuunt omnia, & quo sublimiore ac præstantiore uita homines, eo præsentius uim uerbi experiuntur, estque plane uita ipsa, illis lucerna, qua autorem uitæ Verbum, & in illo partem agnoscere debebant, essecque inde beati. Vt enim inuisibilia Dei, hoc est, eius æterna potentia & diuinitas, ex condito orbe, ijs, scilicet, rebus omnibus, quæ factæ sunt, intellectu peruidentur, ita peculariter ac certius hoc fit, ex nunquam satis admirato hominis opificio, maxime autem omnium, ex consideratione uitæ intellectualis, quę tanquam clarior quidam, quàm in ulla uisibili creatura reluceat, diuinitatis radius nobis affulsit. Vita ergo omnium, præcipue autem hominum, lux ipsis à condito iam orbe luxit, Deumque omnium opificem uisendum exhibuit, uerum illi priuati pridẽ spiritu diuinitatis scrutatore, nihil eius uiderunt: lucet nanque lux hæc in tenebris, excæcatis mortalibus ad unum omnibus. Ideo licet Verbum Dei & potentia, clarius meridiana luce in omniũ oculos usque incurrat, tamen tam non comprehenditur ab humanis mentibus, quàm sol ab oculis cæcorum. Tenebræ etenim sunt, mentes mortalium omnium.

Rom. 1.

ANNOTATIONES.

πλεονασμὸς iste, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factũ est, Ebraismus est, qualibus scriptura abundat. Facit uero ad expressionẽ eius, quod de Verbo prædicare instituit, nempe ipsum autorẽ esse omnium. Malo autẽ sic legere, quam ut quidã, illud (quod factum est) iungentes sequentibus. Videtur siquidem Euangelista si hoc uoluisset, fuisse dicturus. Quod factũ est, in ipso uiuit, non est uita. Non enim facile similis loquendi modus ex scripturis proferetur, Ad hæc Nonnus uetustissimus huius Euangelij paraphrastes, ut nos, locũ hunc legit.

Sine ipso factum est nihil.

Illud (in ipso uita erat) idem pollet, quod per ipsum, uel ab ipso uita est, hoc uel patrum Ebraismis assueti non ignorant. Certe quem locũ Psal. 33. paulo ante adduxi, si quis uerbo uerbũ reddere uelit, legendus erat: In uerbo Domini cœli firmati sunt &c. Nam ברבר יהוה Eb. legitur. Quis autem dubitet, id (in uerbo) interpretari (per Verbum)? Simile uero est illud Pauli in actis: In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Quod Psal. 104. his uerbis canit: Abscondes faciem tuam, turbabuntur: auferes spiritui eorum, peribunt & in puluerem suũ reuertentur. Emittes spiritum tuum, creabuntur & renouabis faciem terræ. A spiritu enim, hoc est, uirtute Dei esse omnem uitam adfirmat, hæc autem & Verbum est, & à Verbo per quod facta sunt, & seruata consistunt omnia, suppeditatur.

In ipso uita erat

Vitam uocat lucẽ hominũ, nihil enim est quod præsentius Deũ exhibeat, quàm

uita, præsertim uita hominum. Hac enim præsentem adeo & familiarem sese Deus
Vita erat lux nobis adiunxit, ut tangere eum, ut Pauli uerbo utar, debuerimus. Sed quid? nulli erat hominibus oculi, nō tenebrosæ, sed tenebræ ipsæ erāt mentes illorū. Satis igit splenduit lux, sed tenebræ humanarū mentium eam comprehendere nequiuerunt.

OBSERVATIONES

Obseruandū, nihil penitus esse quod nō ut opus est, ita et in plena potestate sit Domini nostri Iesu Christi. Hic igitur cū frater noster esse uoluerit, & eam dilectionē exhibere, qua nequeat cogitari maior, quid à creaturis metuamus, aut cur defutu/rum aliquid nobis timeamus? Quin admoneat nos seruatoris nostri, quicquid o/mnino in mūdo aspexerimus, lux bonitatis eius in omnibus egregie relucet, quod utiq; nos monere quoq; debeat, ut summa temperantia, animiq; gratitudine rebus omnibus utamur. Animaduertendū quoq; mentes hominum spiritu nondū renatorum, nō tenebrosas, sed per auxesim, uel nimis plenam similitudinē tenebras ip/sas uocari. Et cur nō? quando ψυχικῶ homini, quæ Dei sunt, & quibus ideo æterna uita cōstat, apertissime atq; certissime, nempe oraculis Dei proposita, stulcitia sunt, neq; potest ea agnoscere. Et quis nō, si quid tenebris obscurius sit, uocet, in Deo ac uerbo eius uiuere, moueri, esse, & portari, & bonitatē eius ubiq; præsentissimā sen/tire, nec tamen illum uidere?

His nequaquam aduersatur, quod Paulus Romanis scribit, homines cognouisse Deum, sed non ut Deū glorificasse. Ipsum nanq; mundi tam mirabile opificium,
autorem suum satis prædicat, unde potuerunt Dei beneficio, ex conditis ab ipso re
Quantum de Deo ex creaturis cognoscitur. bus, æternam potentiā atq; diuinitatem eius intellectu satis uidere, ut plane uide/runt, quod & cōmune illud omnibus mortalibus religionis studiū excitauit, suffe/citq; hæc cognitio ut inexcusabiles redderentur, cum quem optimū agnouissent, eoq; non nisi solida bonitate delectari dubitare nequiuissent, cultu innocentiæ & bonitatis uenerari negligerent. At nihilominus bis cæci, ac meræ tenebræ fuerūt, quòd tam manifesto sese insinuantē Deum nō ita uidere potuerūt, ut ex animo eū amassent, ueroq; & grato illū cultu fuissent uenerati, id quod indubie fecissent, si eū
Quatenus impij Deum cognoscunt. recte planeq; agnouissent. Quis enim famelicus, cibū præsentē opiparū & salutarē non auidissime arripiat? Ita cor hominis boni semper cupissimū in Deū omnis bo/ni fontē, qui nō raperetur totū, si plane eum agnosceret? Adest igitur aliquis etiā in deploratis dei sensus, qui satis ad id sit, ut olim se ipsos condemnēt, qui ei quē agno uerunt, nō etiam eum quē solum gratū illi sciuerūt, cultū exhibuerint. At tantus il/lis Dei sensus adest, ut uere diligere ac suspicere Deū possent. Rapit enim transuer/sum eos uis satanæ cui obnoxij sunt, ut in corde dicāt: nō est Deus nō quòd hoc ip/sorum cōscientia dictū ratum habeat, nā secus esse arguit, uel illa, qua trepidāt ubi nō est caussa formido, uerū ita torquet eos malitia, cui addicti sunt, ut Deum recla/mante corde, cōtemnant tamē secum, & negēt apud alios. Neq; mihi quisquā facile persuadebit, uel Epicureos, aut quoscūq; alios, qui Deos esse, & futurū iudicium ne garunt, nō sensisse in animo sententiæ suæ cōtradictionē, magisq; optasse nullos es se Deos, quàm ita penitus credidisse, utcunq; ore contrarium affirmarent. Proinde impij uidentes cæci sunt, neq; enim possunt plane uidere, & inde amare quod bo/num est: eo usq; uidēt, ut licet uelint, acti, scilicet, à satana, animo tamen nō possint auersari. Id quod satis erit, ut cōtra seipsos olim sint pronuntiaturi, excusaturi mi/me. Vt igitur magis miserandus esset, qui uidens & sentiens cibū salutarē, malitia tamē abstractus, cuperet, sentire eum esse noxiū, idq; mentiens pronuntiaret, atq; hinc nolens gustare eum, fame interiret, quàm qui errore tantū abductus, simplici/ter toxicū fuisset arbitratus, atq; ita abominatus illum, gustareq; nō ausus, periisset. Ita longe peius, est uidendo cæcū esse, id est, cognitā aliquātisper ueritatē auersari tamē, idq; indubie quia plane nō penitus sit cognita, quā prorsus nihil eius adhuc agnoscere.

A agnoscere. Hi simpliciter cæci uocantur, illi uidentes cæci, hi pecatũ non habent, illorũ peccatum manet. Infra 9. Hi cũ Paulo misericordiam cõsequuntur, quod peccent ex sola ignorantia, illi neq; hic, neq; in futuro sperare ueniã possunt, quòd peccent prudentes, & ideo in spiritum sanctum.

Ita siquidẽ res hominũ comparatæ sunt, primũ ex æquo cæci sunt quotquot homines nascuntur, deinde illuminantur, alij plene, ut Deũ & agnoscãt & colant, alij eo usq; ut quid Deus sit ac uelit sentiant quidẽ aliquatenus, at captiuos cũ illos satanas detineat, efficit, ut quẽ cognoscũt, glorificare ut Deũ nequeãt. Vniuersi itaq; mortales tenebræ & cæci sunt qui in totũ innouantur, ut lux fiant, ij ueritatẽ uere suscipiunt, qui nõ innouantur, & si quæ Dei sunt intellecta peruideãt, siue docti ab operibus Dei, siue à uerbo Dei administrato per homines, lucẽ uident quidẽ, at nõ comprehendunt, hoc est, nõ uidẽt penitus, filij alioqui lucis euaderent, ac raperent in id, quod uere optimũ agnoscerẽt. De his & infra, aliquoties dicẽdi occasio dabit.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Fuit homo missus à Deo) Vbi itaq; homines Verbum Dei, licet radij eius ex admirando mundi hominisq; tũ opificio, tum cõseruatione relucentes omnia clarissime perlustrarẽt, agnoscere nõ possent, nã quod lux in illis est, tenebræ erant, mens, scilicet, & ratio, aduenisset uero tandẽ tempus, quo illud orbi reuelandũ erat, primũ eius pręconẽ Deus misit Ioannẽ Baptistã, qui suo illud orbi testimonio ita cõmendaret, ut per eũ homines persuasi crederẽt, & Verbũ hoc, diuinã uirtutem amplecterentur, nõ Iudæi solũ, quanquã his peculiariter Verbi reuelatio fuisset promissa, sed omnes mortales quare ille & militibus & publicanis Euangelion annũtiabat. Ex hac uero noua, & ad quoslibet citra discrimẽ habita, de regno cœlorũ prędicatione, non pauci hunc Ioannẽ esse illã mundi lucem, quæ uulgo appellabatur, & Verbũ per quod omnia facta sunt, arbitrabantur, at nõ erat is illa lux, sed missus in hoc dun B taxat, ut testis illius lucis esset. Lux illa uera erat, quæ omnẽ hominẽ uenientem in hunc mundũ, id est, quicunq; omnino in hãc uitam eduntur, illuminat, cum luce, quæ uita est, tum lampade intelligentiæ, qua æternã potentiã Dei, & diuinitatẽ agnoscere queant. Licet autẽ Deus electis duntaxat donet illã lucem plene agnoscere habet tamen electos suos nõ solũ inter Iudæos, sed etiam inter omnes qui in hunc mundũ ueniunt. Caussa uero quare Iannes pręco Verbi pręmissus à Patre fuit, erat quòd hic Dei filius, hoc uitæ uerbũ, hæc salufica lux, in mundo iam inde ab initio lucebat, portans, uiuificans, & moderans cũcta uerbo uirtutis suę, nec tamẽ à mundo cognoscebatur, imò ne Iudęi quidẽ, cũ ad eos peculiari & in Prophetis prędicta ratione uenisset, ipsum suscipere sustinebant, Cum ergo mundus per collatã sibi sapientiã, uimq; intelligẽdi, Deũ ex eius sapientia, in rebus omnibus mirifice relucẽte, cognoscere rite nõ potuit, uisum Deo est per stultã humanę rationi prędicationẽ homines saluos facere. Quid enim uulgi hominũ iudicio stultius, fide in eũ, tam humilis in carne apparuit, ac tandẽ ignominiose adeò cruci suffixus interijt, iustitiam expectare & fœlicitatẽ omni cogitatione cõsummatiorẽ? Hanc igit prædicationẽ Ioannes apud Iudæos auspicatus est, effecitq; ut aliqui tamẽ Verbũ reciperẽt, hoc est, in nomen eius crederent, certa fide illũ uti Meschiah Domini & saluatorẽ, quo nomine ueniebat, amplectentes, seseq; illi totos cõsecrantes. Atq; his demũ à uerbo potestas cõtigit, ut filij Dei uere essent, mente Dei & uita prędití. Idq; nequaquam ideo quòd carne ex Abraham genus ducerent, nõ enim hic sanguinis & carnis, aut parentum ulla ratio habetur, sed quòd nati essent ex Deo, hoc est, ante cõditum in id electi, ut filij & hæredes Dei euaderent.

1. Cor. 1.

ANNOTATIONES. Quibus rationibus Verbum orbi penitus demũ reuelatũ sit Euangelista narraturus, narrato, ut illud se ex orbis & hominis opificio, à mũdi creatione luculentissime uisendũ exhibuit, licet cęci homines uidere id nequiuerint,

Quibus modis Verbi facta sit reuela-

tio, et cur præterita, quæ facta per Legẽ est, & prophetas.

rint, continuo subiecit, testimoniũ Ioannis prætermissa ea uerbi reuelatione, quę facta est per Patres, Legẽ & Prophetas. Caussa huius mihi quidẽ uidetur fuisse, quòd Euangelista statuisset de ea uerbi reuelatione potissimũ loqui, qua illud nõ Iudæis tantum, sed & toti orbi reuelatũ est, quæ prima certe ex nunquã satis admirata machina, gubernationeq́ mundi, uitaq́ omniũ gentiũ oculis exposita, facta fuit, & fit perpetuo, multo potentissima autẽ ex Euangelio, cunctis creaturis prædicato. Ad hæc uidemus, ut properarit ad præcipue institutã sibi Verbi, ex proprijs eius dictis & factis renuntiationẽ atq́ præconiũ. Vix enim uno & altero uerbo, & æternitatẽ & diuinitatẽ eius testatus, mox indicauit, ut illud se rerũ & conditione, & actu prodiderit, quod & ipsum perpaucis fecit, ac continuo ad testimoniũ Ioannis transitũ facit. In quo narrando, quod propius ad institutũ suum, nempe prędicationẽ Verbi iam incarnati faceret, paulisper immoratus quidẽ est, longissime autẽ hęsit in recensendis Verbi, iã hominis, gestis & sermonibus, quod nimirũ haudquaquã aliunde clarius uirtus eius, uoluntasq́ saluifica pernosci queat. Postremo, uerbũ in Lege magis adumbratũ, quã reuelatũ fuit, Prophetæ etiã suis uaticinijs tectius locuti fuere, quàm ut paucis potuissent explicari, cõtentus ergo Euangelista narrasse ex quibus clarissima Verbi uis cognosci potest, umbras legis unà cũ Prophetarũ oraculis prętérijt. Quę uero nato & adhuc puero Christo mira acciderunt, eumq́ esse orbis saluatorem clare admodum indicarunt, ideo uidetur Ioãnes præterijsse, quòd fuse à Matthæo & Luca narrata erant. Instituisse etiam apparet ea potissimum narrare, quæ diuinitatem & proprium Christi officium, proxime exprimunt.

De missione & officio Ioannis, simul & eo, quod ipse lux habitus est, cõtra quod per occupationem initio statim Euangelista testatus est, infrà dicet plura.

Credere in nomen Iesu.

Credere in nomen, uel nomine Iesu, idiotismo Ebræo idẽ significat, atq́ credere in Iesum, uel Iesu, hoc est, certum de eo esse persuasumq́ habere, quòd is sit, quẽ Prophetæ illũ, & ipse quoq́ semet esse dixit, nimirũ filiorum Dei caput & seruatorem. Hoc ipsum igitur ut electis Ioannes persuaderet, in uirtute & spiritu Elijah fuit Domino præmissus.

Verbũ illuminat oẽm hominem.

Illud ἐρχόμενον. id est, uenientẽ, malo cũ homine coniungere, quã cũ luce, eo quòd lux hæc nõ solũ, cum uenit amicta carne in mundũ, sed antea quoq́ & semper illuminat homines quoslibet. Sic etiã legit Nonnus: καὶ γὰρ ἑοῦ μετὰ πατρὸς ἐτήτυμον ἀρχεγονὸν φῶς, Μουνογενὴς λόγος ἦεν, ὃς ἀνέρα πάντα καθαίρει. Πνευματικαῖς ἀκταῖς καταυγάζων φύσιν ἀνθρώπων ἐρχομένων ἐπὶ γαῖαν, id est: Erat enim uerũ cum Patre suo, & æternũ lumẽ, unigenitus sermo, qui omnẽ hominem lustrat. Spiritalibus radijs illuminãs naturam hominũ uenientium in terrã. Testificari enim Euãgelista de Verbo collato Ioanni uoluit, & prædicare illud nõ esse paruæ tantũ regionis, per externam prędicationẽ, lucernam, uti Ioannes erat, sed eam lucẽ, qua nõ modo externe, sed & interne, neq́ Iudæi solũ, sed quicunq́ omnino in hũc nascerentur mundum, illuminarentur, reprobi, ut tandẽ à ueritate ipsa coacti Deo dare gloriã, & contra seipsos pronuntiare cogantur, electi, ut in filios Dei renouati ęternũ beatę lucis cõsortium cõsequantur. Hunc locũ Catabaptistę illi, qui contendunt tandẽ omnes homines saluandos, in erroris sui cõfirmationẽ adducunt: Verbũ, inquiunt, illuminat omnes: omnes igitur seruantur. Nõ attendunt autẽ miseri, quamuis dixerit, omnẽ hominẽ, qui in hunc mundũ nascatur, per Verbũ illuminari, simul tamẽ dixisse, mundũ illud nõ agnoscere, imò ipsum à suis quoq́ reijci. deniq́ aperte declarasse, qui lucis huius participes reddantur, nempe qui nati sũt ex Deo, nõ qui ex sanguinibus &c. Sed quid hæc ad contentiosos? Satis sciunt, ut in scripturis, uniuersitatis uoces identidem accipiãtur. Prædixit suis Christus, eos odio futuros omnibus hominibus: & in eadẽ oratione testatus est, si quid quisquã pro nomine ipsius relinquere, eum id centuplũ etiam in hac uita recepturũ, suos parẽtes, fratres, liberos &c. Si hic iam nihil

A hil possit excipi, quum dixit seruator, eritis odio omnibus, ubi erunt illi, qui paren
tum & fratrum uice sunt ijs, qui suos pro Christo parentes & fratres deseruerũt.
Mundum hic pro uniuersitate hominũ, ut & propria Verbi pro Iudæis Euange
listam usurpasse, satis in aperto est: Neq; tamẽ hoc dicto affirmare uoluit, neminem *Quid mundus*
omnino mortaliũ credidisse, quare illico subiecit: Quotquot receperũt eum. Mun
dus enim dicitur nõ cognouisse quum maior mundi pars nõ cognouit. Ita sui eum
non receperunt, id est, ex suis plurimi. De mundo siquidẽ in uniuersum loquutum
indicio est, quod adiecit: Et mundus per ipsum factus est, alibi accipitur mũdus pro
reprobis tantũ, ut cum ait Dominus ad discipulos: Ego elegi uos de mũdo, mundus
me odio habuit &c. Iudæi uero propria Verbo dicti, nõ tam ob carnalẽ cognatio- *Ioannis. 15.*
nem (quantula enim carnis, hoc est, personæ, apud Deũ ratio:) quã propter electos
ex Iudæis, quorũ gratia totus populus, סגולה, id est, peculiũ Deo uocatus est. Quẽ-
admodum & apud nos nomine regni cœlorum gaudent, qui olim quòd scandala
sunt & zizania, de regno tollentur.
Illa uero congeries uerborũ. Non ex sanguinibus &c. nihil aliud significat, quã *Non ex san-*
natiuitatem carnalem: ἀντιθεσιν enim Euangelista facit generationis carnis & spiri *guinibus.*
tus, illam reijciens, hanc statuens. Quare idem est ex uoluntate carnis & uiri nasci,
atq; ex sanguinnbus. Qui enim ex sanguine (sanguinibus Ebraismus est) hoc est,
naturali semine nascitur, idem ex uoluntate, hoc est, desiderio carnis, id est, naturę,
& uiri nasci recte dicitur. Adsuescendũ est istiusmodi & idiotismis, & redundanti
bus uerborũ aceruationibus, quibus ut Ebræorũ, lingua, ita Ioannes, qui Ebræus
fuit admodum abundat.
Postremo illud: Sed ex Deo nati sunt, in Paraphrasi interpretatus sum, idem esse *Sed ex Deo*
B quod ante secula ut filij sint & hæredes Dei, electi sunt, huic forsan quis putet pug- *nati.*
nare, quod Ioannes ante hoc scriptũ reliquit. Iis qui credunt in nomine eius dedit
potestatem filios Dei fieri. Si nanq; hi ante creatũ mundũ electi & destinati sunt, ut
Dei filij sint, qui quadrat, quòd credentibus demũ fiat potestas ut filij Dei euadant?
Sed animaduertendum tametsi nemo unquam crediturus, ac filius Dei futurus sit,
nisi quem in hoc Deus ab initio elegerit, uocat enim & sanctificat quos prædestina
uit, & dat filius æternam uitam ijs duntaxat, quos ei dedit Pater, pro mundo reli-
quo ne orat quidem, hanc tamẽ gratuitam adoptionem tum demũ sentire electos,
cum Christum fide agnouerint, donati spiritu sancto, in quo Deũ Patrẽ per Christũ
inuocent. Ioannes igitur his uerbis uoluit significare, sortem filiorũ Dei ijs qui cre-
derent in Christum, quocunq; de sanguine essent nati, cõtingere, neq; referre quos
homines parentes haberẽt, ut falso Iudæi arbitrabantur, sed ut ex Deo nati, hoc est,
electi essent. Sed de natiuitate ex Deo, qua Ioannes electionem significat, & non in
frequenter uerba facit, infra suis locis plura.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Et Verbum caro factũ est.) PARAPHRA. Dixit Ioannẽ missum, ut de Verbo
testificaret, quod neq; mundus, licet per illud factus & uiuens, neq; Iudæi licet illi
peculiaris populus, agnoscebant, etiam cum noua iam & familiari quadã ratione
præsens illis esset, Si quis iam & meo testimonio scire cupiat, quænam ista noua ra
tio præsentiæ, qua Verbum in propria, id est, ad Iudæos peculiariter uenit, fuerit,
quanquam qui ante me Euangelia scripserunt, Matthæus & Lucas abunde expli-
carint, paucis tamen quod res est, & ipse memorare non grauabor: Verbũ caro fa-
ctum est, & iam uerus homo sicut & uerus Deus habitauit uersatusq; est inter nos,
reliquis hominibus similis. Et quanquam omnino humanã & seruilem uiuendi ra
tionẽ exhiberet, simul tamẽ eis de se diuinitatis radios identidem emisit, ut gloriã
& magnificentiam eius tanquã gloriam & magnificentiã unigeniti, ęterni patris,
qua ab eodem patre ornatus fuit, spectauerimus contemplatiq; simus, non tantum

ſemel atq; iterum aſpeximus Plenus nanq; erat gratia & ueritate, hoc eſt, in omnibus incõparabiliter gratioſus atq; amabilis, tũ uera, omnigena abſolutaq; uirtute & ornatus & conſpicuus. Hæc uidimus, & experimento multiplici & cotidiano cognouimus, ideo & teſtari audemus.

Ratio ordinis

Annotationes. Verbũ caro factũ.) Per parentheſin quandã, hæc oratio ab Euangeliſta hiſtoriæ hoc loco inſerta uidetur, qua exponere uoluit, quo nam pacto, Verbum ad ſuos peculiariter uenerit. Eraſmus tamẽ Roterodamus, per quẽ eam nobis lucernã, ad uidendũ quæ ſcripturæ docẽt, Deus accendit, ut ís ſanctis & intelligentibus, quanta ueritatis lux illius lucubrationibus illata orbi ſit, ſummo ſane in pretio iure habeatur, hæc in Paraphraſi ſua proximæ præcedenti ſententiæ, qua Euangeliſta teſtificatus eſt, dari credentibus Chriſto, filijs Dei eſſe, tanquã ratione cauſam q; connectit. Neq; ab re quidẽ, omnino enim quod credentes Chriſto filij Dei euadant, hinc eſt, quòd in Verbo ſuo Deus ſuſtinuit fieri homo. Attamẽ puto non obſcurũ eſſe, etiã hiſtoriæ rationẽ popoſciſſe, ut ſentẽtia hęc inſereret. Dixerat enim Euãgeliſta, Ioannẽ miſſum, ut teſtaret de æterno Verbo, quod iam pridẽ in mũdo eſſet, nec cognoſceret, atq; nuper ad ſuos peculiariter ueniſſet, neq; fuiſſet tamẽ ſuſceptum, & nondũ dixerat, quo nam modo illud adueniſſet. Id ipſum igitur cũ ante illud: Fuit homo miſſus, nõ memoraſſet, hic narrationi teſtimonij Ioannis immiſit, facta tranſpoſitione, quæ ut ſcripturę, ita & huic Euangeliſtæ haud quaquã inſolens eſt. Certe mox poſt hanc interiectã ſententiam, teſtimonium Ioannis proſequitur.

Caro.

Carnem pro homine poſitã hic, ut in ſcripturis paſſim ſolet, notius eſt, quàm ut eius lector admoneri debeat. Eſt autẽ in ea appellatione, admonitio humilitatis noſtræ, ut & apud Latinos in uoce, mortales, & Græcos, in nomine θνητοι, quare commodũ ea hic Euangeliſta uſus eſt, ubi quouſq; ſe Verbũ noſtræ ſalutis cauſſa demiſerit, narrare inſtituit. Sic & illud: habitauit in nobis, id eſt, uerſatus eſt inter nos in ſimilitudine hominũ factus, ut Paulus loquitur, & figura repertus ut homo, Chriſti humilitatẽ exprimit in qua inter diſcipulos, in ſeruili forma, & ad modũ aliorũ hominũ uixit. Habitauit In nobis eſt, ἐσκήνωσεν quod quidẽ propè ad uerbũ ſignificat habuit ſuum apud nos tabernaculũ: fuit in contubernio nobiſcum.

Habitauit in nobis. Philip. 2.

D

Illud uero: Vidimus gloriã eius &c. Euangeliſta diuinitatem nunquã non relucentẽ ex dictis & factis Domini teſtat. Quæ ut præcipue in monte Thabor, à tribus diſcipulis ſpectata eſt, tũ reliqua uita, totq; præclaris geſtis & miraculis, qualia ante eum nemo uidit ita glorioſa reſurrectione atq; aſcenſione, pluſquã magnifice ſane reſplenduit, uiſendaq; omnibus diſcipulis patentiſſime exhibita eſt. Nam quod ſequitur: Plenus gratia & ueritate, ſubaudi, erat, præcedentis ratio uideri poteſt: quaſi Euangeliſta dixiſſet, ſpectaſſe nos dixi, & plane contemplatos fuiſſe gloriã Verbi, nõ ſemel duntaxat atq; iterũ aſpexiſſe, quia plenus erat gratia & ueritate, omnia in eo adeo erãt diuina quadã elegantia ſuſpiciẽda, ut nihil poſſit fingi eo gratioſius, omnia quoq; eius abſolutã adeo & inimitabilem uirtutem præ ſe ferebant, ut nemo poſſet illum homine eſſe maiorem, dubitare. Nuuquã igitur non unigeniti Dei & ante omnia dilecti in illo gloria refulſit.

Gloria unigeniti

Gratia quid,

Gratiæ nomine Euangeliſtã exiſtimo uoluiſſe exprimere, quod Ebr. חן id eſt, chẽ uocant, quæ omnino appoſite Latinis gratia, qua nimirũ quis fauorabilis & gratioſus exiſtit, cui facile quiuis bene uelit, dicitur. Sic multoties ſane in ſcripturis legimus: Si inueni gratiam in oculis tuis, pro eo, quod dicimus: Si mihi eſt apud te alicuius gratia, ſi mihi faues, ſi me amas. Hinc in ultimo prouerb. Fallax eſt gratia, & uana res forma, mulier timẽs Deũ, illa laudabitur. Quib. uerb. apparet ſigilatim carnẽ, incertã fallacemq; eſſe rẽ, ſi quę amabilis ſit & gratioſa ob formã duntaxat, certũ autẽ bonum eſſe timorẽ Domini, Proinde quòd Chriſtũ Euangeliſta prædicat plenũ gratia, eo ſignificat uſum per omnia diuinũ adeò apparuiſſe, ut & Dei erga eum fauor egregie

A egregie declararetur, & omniũ bonorũ fauore simul iudicaretur dignissimus.

Veritas uero, qua item plenum Christum Ioannes testatur, opponitur uanitati & mendacio, cuiusmodi est omnis homo. Nam nemo est qui boni ex se ac solidi aliquid habeat. Christus autẽ ueritas erat & ueritate plenus, quia ipsa Dei sapientia & Dei iustitia firma, certa, plena & æterna, Hæc ueritatis in Christo plenitudo passim à prophetis prędicta est. Psal. 45. Magnifico splẽdore tuo feliciter ingreditor, in equitans ita, ut Veritas, & modesta ac mansueta iustitia tua emineat. Quocũq; uertes dexterã tuam edet admiranda stupendaq; facinora, ipsa se dirigens & docens. Psal. 89. Fides mea & benignitas mea cum ipso. Ieschaiah. 16. sub typo Chizkijah regis: Firmabitur thronus benignitate, sedebitq; super eum in ueritate, in tabernaculo Dauid qui iudicet & inquirat uidicium, & persequatur iustitiam.

Cæterũ ex uarijs scripturę locis colligitur אמת Ebręis significare, nũc syncerita tem & integritatẽ, nunc certam & plenã beneficentiam, nũc certitudinem & firmitatẽ. In primo significatu, usus ea uoce est Chizkijah Rex, cũ orabat: Recordare Domine quód uersatus coram te fuerim in ueritate, & corde perfecto, egerimq; quòd tibi probatur. Hic ueritas quid aliud est, quam synceritas & integritas? In altero creberrime usurpatur, & iungitur ferè חסך, quod benignitatẽ significat. Sic dicebat ad familiã Bethuelis seruus Abrahã: Si libet facere cum hero meo benignitatẽ & ueritatem, quod idem pollet, ac si dixisset: Si libet hero meo iustã & plenam benignitatem exhibere. Germanice: Vuolt ir an meinem herren, freuntlich und getreulich thun. In hac significatione cõiunctum חסך Deo identidẽ tribuitur, cuius solius bonitas plena & certa existit. In tertio significato usus illa uoce fuit, idem Abrahæ seruus, cum gratias ageret Domino, quòd iter suũ secundum & prosperũ fecisset: Deduxit me, inquiebat, per uiã ueritatis, id est, uiam uerã & optatam, Sic & Chizkijah B gratulabatur sibi, quòd suis diebus futura pax esset & ueritas, ubi ueritatis nomine intellexit, certũ ac firmũ regni statum: quemadmodum pacis nomine, secundum & prosperũ. Hoc iam significato Euangelista Christo ueritatis plenitudinẽ tribuit, significareq; uoluit, quòd uiderunt eum plenũ gratia, qui apud Deũ & homines gratiosissimus & amabilissimus fuerit, ut quẽ ne hostes quidem ullius peccati arguere possent, tum & ueritate, ut cuius omnia sicut optima, ita etiã certissima & firmissima essent, cum in alijs hominibus nihil firmũ, nihil stabile, nihil uerum, nihil propriũ, nihil certũ existat, qui si boni quid cupiãt ac proponant etiã, uires tamẽ nõ habẽt, ut id perficiãt, quare in scriptura, uanitas & mendaciũ, nõ immerito appellant.

Obser. In primis obseruanda hic, & semper animo cogitanda est ineffabilis Dei erga nos dignatio, quòd Verbũ suum, per quod sunt facta omnia, nostri caussa uoluerit carnẽ, hoc est, mortalem & miserũ hominem fieri. Quis miser adeò & calamitosus, quẽ hæc effusissima Dei erga nos dilectio in spem optimam nõ erigat? Certe Angelorũ naturam Deus hoc modo nõ assumpsit. Qui ergo de carne & ossibus sumus Domini, dubitare non possumus, quin omnia ille nostri caussa sit facturus. Sumus autẽ uere caro & os eius, quotquot ipsius spiritu docti, agnoscimus, hæc illũ gratia nostræ redemptionis factũ. Destinata huc à Deo erat ingens hominum multitudo, ut in eis ipse esset omnia, ideo tota de integro reparanda erat, tota enim prolapsa in peccatũ fuerat adeo, ut nullus esset in eis uirtutis sensus reliquus. Reparari autẽ non potuit, nisi uetustate extincta, & Deo ultroneo animo sacrificata. Id cum nemo alius posset, quod sui amor, in omnibus radices altissime egisset, aduẽit Verbum Patris, humana carne uestitum, unigenitus Dei, in quem sacrum uolumen respexit, quoties sacrificiorum suaueolentium meminit.

Is est qui Patri dixit: Sacrificiũ & munus noluisti, aures ꝑforasti mihi (ut essẽ tibi in ęternũ seruus) holocaustũ & sacrificiũ expiationis nõ postulasti, Tunc dixi: Ecce ueni, in uolumine libri scriptũ est de me, ut facerẽ gratum tibi quod neq; brutę illæ hostiæ,

Quæ significat אמת. id est, ueritas. Iescha. 36.

Heb. 1.

Psal. 40.

hostíæ, neque offerentes illas potuerunt: nam lex & doctrina tua in intímis meis est, cum intímum aliorum mortalium obtineat lex peccati. Euangelizabo iustitiã in concione magna, en labia mea non continebo. Domine tu nosti, iustitiam tuam nõ abscondam in corde meo. Idẽ & salutem tuam annuntíabo, nõ dissimulabo benignitatẽ & ueritatẽ tuam, in concione magna. Voluit nanq; Pater ex hominibus Deos facere, sed id per hominem qui Deus iam esset, ideo Verbum eius Deum, hominem fieri oportuit. Cũ iam arcanæ literæ ἀποθέωσιν, id est, deificationem electorum ubiq; uel promittant uel doceãt, & illa nullis nisi per Verbum incarnatũ contingat, nihil omnino in scripturis legitur, quod non suo modo ad Verbum respiciat, finem & perfectionẽ legis, hoc siquidem autore & mediatore diuinitatis omnia ad nos perueniunt & perficiuntur. Huius ergo admonere nos, & in spem sortis diuinæ penitus olim consequendæ erigere debet, quòd Verbum caro factum est, quod in hoc ipsum assidue sane recogitandum, pieq; expendendum nobis fuerit. Indubie enim diligenter perpensum in quauis tentatione animum facile confirmabit, & fiduciam in Dei bonitatem mirifice augebit. Tum monebit quid & nos proxímis facere deceat, quando propter nos Deus homo factus est. Certe quẽ hæc Verbi humiliatio rite considerata, non lubentem reddíderit, ut ad quæuis se officia erga proximũ demittat, quamlibet ipse sublimi loco constitutus, is per se nihil prorsus officiosum efficiet

Inter quos uerbum habitauit,

Considerandum & illud: Habitauit in nobis. Quid enim humílius & abiectius coram mundo ijs inter quos Verbum homo factum, habitauit, uixitq;? Cur igitur nobis adeo seculi fulgur oculos perstringit, & non malumus uersari apud eos, quibus nos consulere possumus & debemus, atque eos à quibus nobis emolumenta speramus? Profecto fides in Verbum, naturam & indolem Verbi respit. Sed ne hoc prætereundum: Et uidímus gloriam eius. Viderunt hanc abunde & hostes Christi Iudæi, sed ut odio eius inflammarentur ad sui perniciem, non ut digne susciperent illum ad sui salutem. Et hinc ergo animaduertendum, ut humília Deo placeant, displiceant celsa. Libeat itaq; tandem & nobis mundo nihil esse, ut Deo simus, inter quos habitare, suamq; gloriã ad salutem reuelare dignetur. Hic locus cũ aliàs, tum in priore ad Corinth. capite primo, & secundo à Paulo tractatur fusius.

Qui ad salutẽ Verbi gloriã uiderunt.

Notandum denique & quæ gloria unigeniti fuerit, quam discípuli in Verbo contemplati sunt. Splendor enim erat diuinæ bonitatis, quæ in omnibus dictis eius iugiter emicabat, quam & in nobis pro nostra portione, si filij sumus Dei, relucere oportet, Etenim quod in monte transformatus fuit, ut gloriæ eius, clarior quædam extitit reuelatio, ipsa tamen gloria, natura erat bonitatis, sese ubique depromentis, id est, exerens se in singulis eius uerbis, & gestis, diuinitas.

ENARRATO SECTIONS II.

Testificabatur autem Ioannes de ipso & clamabat.) PAR. Sed redeo ad institutum de Ioannis testimonio narraturus. Cum ergo reuelandi Verbi tempus adesset, testificabatur ille, atque libere de Domino nostro proclamabat: Hic ille est de quo dicebam, quòd prædicatione esset me secuturus, cum tamen ante me sit genitur, utique ante secula: prior enim est, princeps meus, & caput, ficut & omnium, cum sanctorum tum Prophetarum. Is etenim est fons omnis boni, de cuius plenitudine & inexhausta abundantia accepimus, quotquot unquam sanctum aliquid aut salubre, uel ipsi possedimus, uel alijs attulimus. Gratia siquidem super gratiam ab ipso nobis deriuata est. Primum, ab ipso nobis datus est spíritus timoris, quo instar puerorum quos cohercet adhuc pædagogi metus, ad qualemcunque pietatem agebamur, deinde & spíritus libertatis, quo iam excluso omni metu liberi & lubentes ijs quæ probantur Pa ri studemus. Quid dicam? Quicquid omnino gratiæ, & apud Deum & homines recte iudicantes, & ideo ueræ quo-

A quoq; uirtutis,ulli unquã habuerũt,Christi Iesu habuerũt beneficio.Nam & si per Moien Lex data sit,nihil tamen per eum hominibus contigit iustitiæ,qua uere gratia apud Deum & diuinos homines,polluissent.Hæc gratia, ut & ueritas, hoc est, syncera solidaq; iustitia,per Iesum hunc,indubitatum Christum. Regemq; saluatorem confertur.Per quem & Moscheh ipse,didicit & accepit, quicquid sancti, quicquid diuini,quo uel ipse ornatus fuit,uel erudijt alios,unquam habuit. Deũ siquidem nemo unquã uidit nemo cũ immenso,infinito,inaccesso numine congredi potuit mortalium, unigenitus Dei hic Iesus,qui in abdito Patris sinu agit, æternum eius Verbũ,enarrauit,Moscheh,Prophetis reliquis, ac nobis omnibus,quicquid de Deo didicimus.Lux enim est illa uera,quæ illuminat omnem hominem.

Annot.Illud:Qui uenit post me,concorditer omnes de prædicatione intelligũt, de eo autẽ;qui ante me factus est,uariatur.Sua quisq; probet:quid ego secutus sim, pio lectori penes quem iudicium sit,paucis indicabo. Constat ut multa alia nostrũ Euangelistam quæ tamen ad Verbi reuelationem momentũ haudquaquam uulgare habuerunt,præterijsse,ita & ex testimonijs Ioannis duntaxat memorasse,quæ præcipue & luculentissime Verbi diuinitatem exprimunt.Hinc in hoc ipso Ioãnis testimonio quod hic adduxit, quæq; diuinissima inesse, libenter agnosco. Quæ enim Euangelista de Verbi diuinitate testatus est, uoluit eo comprobare. Inducit ergo Euangelista Ioannem ,memorantem ut prædixerit, post se uenturum, id est, prædicaturum,qui tamen ipso esset infinito maior.Dixerat enim,ut reliqui Euangelistæ omnes memorant: Ego baptizo uos aqua, uenit post me potentior,cuius non sum dignus corrigiam soluere calceamenti,is baptizabit uos spiritu. Id ipsum igitur significabunt & ista. Ante me factus est, prior me est &c. & hoc quidem ordine.

Ante me factus est, prior me erat.

B Dixi alium uenturũ post me,cuius dicto audire uos oporteat,qui & illustris futurus sit,me obscurato,magnus,me imminuto, huius caussa est, quòd is longe ante me factus est, initio enim fuit,& sunt omnia per ipsum facta. Etenim licet post me prædicaturus sit,tamen multo me prior est, imò primus meus & princeps est,ipse fons omnis ueritatis, gratiæ & salutis. Hæc exponit deinceps per ea quæ subijcit: De plenitudine eius accepimus omnes,&c.Neq; enim inepte ut caussa huius,ante me factus est,illud,quia prior me erat,etiam hoc sensu subiectum erit ,quo intelligimus p illud prior me erat uel ,primus meus,maior me erat,& Deus meus. Vtiq; quia prior Ioanne, Verbum erat, ipso maior & præstãtior(equidẽ nõ illubens,Primus uel princeps legerem,quando comparatio duorum sit,Euangelista autem habeat πρῶτος)necesse fuit,ut & ante Ioannem esset factus. Neque offendit quod(factus est)potius quam(genitus)Euangelista scripsit,utrunque enim non nisi metaphoricῶs Verbo tribuitur.Et Schlomoh formatam atque constitutam Dei sapientiam dixit prouerbiorum.8.

Vtcunque autem hæc accipiamus,eandem Domini dignitatem, huic nostro significant,quam apud reliquos Euangelistas illud: Fortior uel potentior me est, cuius non sum dignus &c.Et quod illi per baptismum ignis & spiritus exprimere uoluerunt,hic noster,exposuit hic per ista : De cuius plenitudine &. Spiritus utique Dei est,quo solo & gratia & ueritate pollere nobis datur. Hic noster, quòd hæc magis explicaret,adiecit collationẽ cũ Moscheh,& quòd ab ipso unigenito,omnis deo ueritas tradita sit,quã uel Mosch.uel alij Dei homines unquã perceperũt.Plenitudo Christi utiq; est,q; spiritũ absq; mensura accepit,& dedit ei Pater omnia in manus,infra.3.Gratiã pro gratia,intelligo, gratiã super gratiã.Gratia est,qua Deo placemus,gratiq; sumus,id non fit nisi per ipsius spiritũ eius, hũc donat filius.Prior ergo gratia,quã à Verbo accipimus,spiritus fuit timoris,q; ueteres qualicunq; pietate uixerũt sub legis pedagogia.Ab homine enim nihil nisi pecatũ & ignoratio Dei est,

Gratia prior, spiritus timorit.

quibus

quibus homo coram Deo, necessario abominatio quædam est. Hac igitur ceu pue- c
Gratia posterior, spiritus libertatis. rili iustitia per Christū donati fuimus, cum adhuc pueri essemus. Altera gratia, spiri
tus est ille liberior, cui ius filiorum conceditur, per quem sancta fiducia, Deum Pa
trem inuocamus, qui timoris spiritum in seruitutē eliminat, quia dilectio foras pel
lit timorem. Profecto, gratia & quidem ingens erat, quòd uel timore utcūq; Deum
colere, & metu eius, in litera legis, id est, præscriptis eius, citra plenius spiritus arbi
trium & impulsum ultroneum, atq; lubentem, uiuere populo ueteri datum fuit. Ad
Christum enim sic concludebantur, & ab impietate cohercebantur. Atqui multo
maior gratia fuit, cum libertatis spiritum suis Pater dedit, quo iam ad ipsius uolun
tatem animati sancti, libere sponteq; sua, ad ea quæ iusta, sancta & salutifera sunt, fe
runtur. Ex his autem nemo putet me sentire, ueteres, uel externa duntaxat legis ob
seruatione Deo placuisse, uel solo spiritu agente in seruitutē, fuisse ductos. Vt nanq;
& illis præceptum fuit, ut Deum ex toto corde, totaq; anima diligerent: ita sine hac
dilectione, nemo illorum unquam probatus Deo fuit. Cæterum tanta diuinæ boni
tatis cognitione, ac inde ad uiuendum illi tanta pronitate, atq; lubentia, donati nō
fuere, quanta donantur, qui Christo sese dediderunt iam reuelato. Vnde Paulus pri
scos illos non planè seruos, sed filios facit, uerum qui adhuc agant sub pædagogo,
nondum eo spiritu instructi, ut suo ipsorū relinquere eos arbitrio, ita ut ueros Chri
sti discipulos, conuenerit. Quòd uero Moscheh per collationem meminit, occupa
tio quædam est. Moschen enim perpetuò Iudæi iactabant, quanquam ne illi quidē
Collatio Moſche & Chriſti. crederent, ut infrà 8. Dominus eis opprobrat. Tribuit ergo Ioannes Mosche, quod
eius erat, nempe legem per illum datam esse, stetit enim inter dominum, & filios Is
raël, ut annuntiaret eis uerbum domini, ex hac autem lege, quibus per Christum ni
hil adiectū præterea fuit, tam abest, ut gratiam in oculis domini inuenissent, quòd D
tantū rei impietatis facti sint & execrabiles. Execratur enim lex, quotquot non ob
seruauerint quæ præcipit singula. Hinc est, quòd Paulus legem, administrationem
mortis & condemnationis uocat, literamq; occidentem.

Quid enim mihi nisi mortem & condemnationem afferret, si quis ita imperaret:
Numera omnes stellas, & edic nomina earum, aut morieris. Sic Petrus testatur,
quòd onus legis neque ipsi, neque patres eorum potuerunt portare, ideo in omnes
etiam pios ipsa quidem, quamlibet sancte doceret & moneret, ac esset omnino uti
lis & sancta, administratio tamē mortis extitit, ut sanè & nobis existit. Vt enim per
legem ad pietatem erudior, ita simul semper peccati condemnor. Nunquam enim
me, qualem lex requirit, deprehendo. Eoq; ex lege, mors perpetuò mihi intentatur.
Quòd uero & legi uel in parte obtempero, & cōdonandum mihi spero, quòd eam
transgredior, imò quòd omnino legem mihi obseruandam agnosco, omnia hæc
spiritus Christi sunt, qui uiuificat. Huius tam sementem illam, qua donata fuit Ec
clesia ueterum, quàm primitias, quibus nostra ornatur, uni Christo acceptas referre
Lex erudit, monetq; ad pietatem, ſed ſemper ſimul condemnat. oportet. Hoc iam est, quod Ioannes testabatur: Gratia & ueritas per Iesum Christū
facta est. Nam sine numine Christi nihil grati Deo, nihilq; ueri boni, in ullo unquā
esse potuit. Illud: Deum nemo uidit unquam, cum non dubitem cum præceden
tibus, quibus annexum est, suam habere consequentiam, & uideam, satis aper
te, Ioannnem in hoc suo testimonio uoluisse persuadere, ut Christum Iudæi quem
admodum se, ita & Moscheh maiorem agnoscerent, uidetur occupationem in
se habere eius, quod contra Christum Iudæi obijcere solebant, nempe Moscheh
uidisse Dominum, atque cum eo, facie ad faciem, ore ad os fuisse locutum. Hoc er
go uoluit istis uerbis: Deum nemo uidit unquam, reijcere & affirmare Christū eum
esse, qui solus non solū Deum uiderit, sed in sinu quoq; eius sit, id est, in abditissimis
& intimo Dei, nimirū uirtus, sapientia, & æternū uerbū Dei. Quanquā enim Iacob
uidisse Deū facie ad faciē, Mosch. 32. & filijs Israël locutus dominus facie ad faciē. 5.

Mose

A Mose.5 peculiariter aũt ipsi Moscheh seruo quo fidum & certum magis non habebat in omni domo sua, ore ad os, & in uisione uerba fecisse. 4. Mos. 12. legat, nihilominus eidem Moscheh petenti uidere Domini gloriam, Dominus respondit: Non poteris uidere faciem meam, quia nõ uidebit me homo & uiuet. Quibus enim Deus se apertiore uel uisu, uel allocutione reuelauit, eos dicit scriptura Deum facie ad faciem uidisse, & ore ad os loquentem audiuisse, cum tamen ipsam Dei faciem propriam uidere, hoc est, plenam diuinitatis cognitionem assequi nemo potuerit mortalium unquam. Inhabitat enim lucem inaccessam. Nõ potest homo suã ipsius quã est & uiuit, mentem peruidere, quomodo igitur uideret Deum. Cum maximũ igitur Moscheh Deus uellet beneficium præstare, posteriora gloriæ suæ uidere eum fecit, faciem, inquiebat, meam non uidebis. Hæc posteriora, hoc gloriæ Dei tergũ, magna utiq; fuit diuinitatis cognitio, at non plena, ut uisio faciei dici meruisset. Quemadmodum itaq; Dominus iactantibus Moscheh dedisse Man dicebat: Nõ dedit Moscheh uobis panem de cœlo, sed Pater meus dat uobis panẽ de cœlo, illũ uerũ &c, ita Ioannes hic tacite apud se iactantibus, se uelle discipulos esse, Mosch. cum quo Dominus ore ad os locutus fuisset, quiq; Dominum facie ad faciem uidisset, dixit: Moscheh non uidit Deum, & si plenius eum multis alijs cognouerit, ipse enim testatur dixisse Dominũ, Non uidebit me homo & uiuet. Hic Christus aũt quem annuntio, in cœlo est, & apud Deum, in ipso sinu Patris, is Patrem Deum uidet, & cognoscit plenissime. Ab hoc & Moscheh ipse ac quicunq; diuini aliquid unquam uiderunt, perceperunt. Patrem siquidem nemo nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Quin hunc unicum igitur & cœlestem magistrum, qui unus diuina enarrat, agitq; iam inter uos homo, auditis, misso Moscheh, me & Prophetis, quibuslibet: Nam si eos, & quicunq; ex Dei spiritu unquã locuti sunt sancti, audieritis, ad illum communem nostrum Doctorem & Mediatorem uno ore uos ab-
B legant. Ne ergo offendat uos hominis in eo humilitas, ne à Deo, qui in ipso habitat corporaliter, plenissimo quodammodo, excidatis. Vt ab unigenito omnia semper sancti acceperint, & in Sectione. 1. huius capitis quedam diximus.

Cæterum quantum ad significantiã uerborum attinet, quod ait: Nemo uidit unquam Deum, perinde est, ac si dixisset: Nemo audiuit, quare enarrasse unigenitum Dei mox subijcit. Sic infra. 6. cum dixisset Christus: Omnis qui audiuit à patre, & discit, uenit ad me, continuo adijcit: Non quòd quisquam Patrem uiderit, nisi qui est à Deo, is uidit Patrem. Ita &. 1. Mosch. 20. Et populus uidebat uoces.

Obseruandũ, licet Deus unus omnia doceat, quãtopere tamẽ uelit homines hominibus ad ueritatis cognitionem percipiendam ministrare. Super tot Prophetarum oracula, & ipsam Christi de se, cum uerbis, tum operibus testificationem, & ante, & postquam semet ipse proderet, Ioannem quoq; eum suo commendare testimonio oportuit. Cum itaq; uita æterna sit, Christum uere agnouisse, relucet mirifice hic diuina dignatio, quæ adeò nihil omisit, quo ille reuelari, cognosciq; potuit. Deũ Patrem ergo hic imitemur, & cooperarij eius esse studeamus, omnia nostra huc referentes, ut Christus Dominum quam plurimi agnoscant, & in ipso æternum uiuãt. Deniq; cum unus sit, de cuius plenitudine certam gratiam, solidamq; iustitiam omnes electi percipiant, summopere caueamus ne uel nos ipsi uel alij, ad alia deflectant. Animaduertendum iuxta cum per unum Christum gratia & ueritas fiat, omnes eos inuisos Deo, & nihil nisi fucos esse, quicunq; Christum nõ habent, quantalibet sapientia & iustitia uideantur pollere. Neq; prætereundum demũ, quum diuina unius Dei unigenitus narrat, Christianorum esse, ut nulli mortaliũ sese addicant magistro, sed hunc in omnibus orent, ut quæ salutifera sunt, enarret. Deũ enim aliorũ nemo uidit, nemo audiuit, unde incerta esse oportet, imò falsa sunt, quæcũq; sine numine Christi, de Deo affirmauerint. Cõueniebat igitur ut longe modestius,

Euangelizatio per homines non contẽnenda

Sine Christo nihil Deo probatur.

Vnus doctor ueritatis Christus.

in asseuerando,& alijs præcipiendo quidam agerent, præsertim cum homo,quam libet sanctus,non queat nisi plantare & rigare,sit autem utrūq;,nisi Deus incremen tum donet,inane & frustra.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Hoc uero est testimonium Ioannis, quando.) PAR. Ne cui uero suspectum sit hoc Ioannis testimonium,tulit illud domino nostro, non in angulo aliquo, aut co ram paucis,ijsq; humilibus arbitris, neq; tantū coram credulo uulgo, sed respondit id graui quoq; & uerendæ legationi Hierosolymitarum, quæ constabat ex Leuitis & Sacerdotibus,ijsq; ex laudatissima inter Iudæos secta Pharisæorum, quæ legatio percontatum, quisnam ipse esset,peculiariter ad eum fuerat destinata. His ergo ro gantibus,quis ipse esset, an Christus, Helias, uel alius quispiā propheta, nihil dissi mulans,& ingenue ac libere,quod res erat, confessus est, negauit se quidē Christū, Heliā,uel prophetā esse,affirmauit autē uocē esse se clamantē in deserto, ut domino iam ingressuro uia munirēt, cuius Ieschaiah meminit. Rursus uero rogatus ab eis: Cur igit baptizaret,testatus est,aqua se dūtaxat baptizare,sed inter eos stetisse, quē ignorarēt,qui prædicādo post ipsum uenturus esset,ante ipsum autē factus,eò quòd prior ipso esset,cuius nō esset ipse dignus soluere corigiā calceamēti,& hunc baptizaturū spiritu sancto.Hæc in Bethabora facta sunt,circa Iordanē, ubi Ioannes baptizabat,aderatq; ideo,ex omni populi Israēlitici regiōe turba hominū frequētissima.

Annotationes. De illo: Confessus est, & non negauit & confessus est, quidam disputant, & ad diuersa referre uolunt, sed consueta est ista uerborum congeries nostro Euangelistæ. Quòd uero negauit se Ioannes Heliam & prophetam esse, sermoni Christi, qui utrunque esse illum affirmauit, nihil pugnat. Credita est nanq; iam olim Iudæis sicut & hodie παλιγγενεσία,id est,iterata generatio, quam et Pythagoras docuit.Ex qua opinione Herodes putabat Ioannem, quem decollaue rat,in uitam redijsse,& Iesum iam uocari, ex eodem errore & uulgi pars dominum Heliam, pars Ieremiam aut alium quempiam ex prophetis putabat. Obtinuerat si mul apud Iudæos,qui pridem & apud nos error obtinuit,non esse prophetas & sanctos, nisi superioris seculi. Cum ergo negasset Ioannes se Christum esse, rogabant eum legati illi, num Helias esset ille Thesbites, uel alius quispiam ex prophetis in uitam hanc rursum reuersus. Suam enim ætatem non credebant dare propheta. Vtrunq; igitur recte negauit.Et si enim plusquam propheta esset,nēpe clarius Chri stum prædicans, quàm quisquam retro prophetarum, licet etiam spiritu & uirtute uere Helias,non tamen erat ille ipse Helias,qui raptus fuit in cœlum rediturus, aut unusquispiam ex prophetis reliquis,qui uixerant antea,secundum quam opinionē erat interrogatus. Alij hæc aliter interpretantur, sit cuiusque interpretationis tides apud autorem suum,iudicium penes Ecclesiam.

Matth.11.

Luc.1.

Quòd uero se uocem Ioannes clamantem adseruit esse, apposite ad propheræ ua ticiniū fecit. Vaticinatur enim propheta Ieschaeiah.40. unde hic uersiculus desum ptus est,de restitutione & salute populi Iudaici,ab exilio Babylonico. Quæ salus cū umbra fuerit,salutis per Christum partæ, sicut semper minus Dei beneficium admo net maioris, recte ad suam prædicationem Ioānes transtulit, quod dictum est apud Vatem,de uoce annuntiante libertatem à seruitute Babylonis, & habitaturam rur sum Dei gloriā in terra Iehudah,quæ tempore exilij Babylonici deserta erat, & ua sta solitudo.Id quo certius cognoscatur,uolo initium uaticinij,cum sequentibus ali quot uersibus hic subscribere.Postquam Vates Chizkiah regi exilium Babylonicū cap.39.prædixisset,ita 40.rursus ad prædicendum bona reuertitur.

Verba Ieschaiah.

Consolamini inquit,consolamini populum meum. Loquimini ad animum Ieru schalaim, renuntiate illi quòd finitum sit tempus uastitatis eius, condonata iniquitas eius,iamq; satis compensata peccata eius. Vox clare sonans,sternite uiam in de serto

A serto Domino, complanate semitam in solitudine Deo nostro. Omnis certe uallis eleuanda, omnis mons & editior collis humiliandus est, rectūq; quod tortuosum, & planum quod erat saltuosum facere conuenit, reuelabitur enim gloria Domini, & oēs pariter mortales uidebūt, quòd os Domini locutū sit. Vox dicens clama, &c.

His & sequentibus aliquot non paucis uersibus, propheta prædixit, consolandū esse iterum populum domini, & Ieruschalaim læta nuntianda, quia condonatum esset illi peccatum eius, & finita quam sumere de illa dominus decreuerat, pœna, audiendam iam optatam uocem, tum à Coresch rege, tum à sanctis quibusdam uiris Iudæorum, ad repetendam regionem Iehuda hortantibus, ut in deserto & solitudine, nempe Ieruschalaim, & Iudæa tam diu desolata, domino uia paretur, glorioseque rum in medio populi sui habitaturo. Eoq; docere, ut in occursum illius & ad recipiendum eum quàm honorificentissime omnia parent, sicut solent, qui expectatum diu, charumq; principem excipere uolunt. Viam ei hi modis omnibus expediunt, commodamq; reddunt, quicquid editum est deducunt, quod depressum, attollunt, flexuosa dirigunt salebrasq; omnes submouent. Talis iam animus, tale studium debet se suo modo in deserta hactenus Iudæa exerere. Vere enim iamiam seruator aderit, &c. Audiendam præterea uocem, quæ ut uanitatem hominum, ita æternitatem uerbi Dei clarissime prædicet Euangelizandumq; in edito monte, dominum cum robore adfuturum, & suos curaturum benignissime. Quando ergo infinito uerior & præstantior populi liberatio, & gloriæ Dei apud electos per totum orbem restitutio facta per Christū est, appositissime se Ioannes hanc uocem esse dixit, qui iamiam adfore glorioseque & potenter, illum pastorem & reparatorem saluificum omnium filiorū Dei annuntiabat. Hoc nanq; unū ille pro perpetuo, & ardentissimo studio omnium auribus insonabat. Ebræa habent, Parate uiam in deserto. Euangelistæ autē locum hunc citant ut uocem in deserto clamantem, significent, sed in sensu nihil uariatur. Quem enim in deserto clamasse memorant, utiq; hortatum significant, ut & in deserto uia domino pararetur. Desertum autem hoc, & uasta solitudo, in quā uenturam gloriam Dei Ioannes prædicabat, non Iudæa sola, sed & totus orbis fuit, nusquam enim sub Christi aduentum, gloriæ Dei erat locus.

Sensus uaticinij Ieschaiæ. Vt in aduentum Christi uaticinium hoc quadret.

Ad hunc autem modum, pleraq; omnia in Christi regno perfecta, suos in populo ueteri typos habēt, quos scriptura augustioribus ferè uerbis, quàm in illis reexpressum sit, describit, ut mentem spiritu Dei prædītam, semper ad sublimiora, & in Christi regno completa pulchre & certo subducat. Verum ubi deest spiritus Dei, ut & reliqua Dei stultitia habentur, ita mirū non est, huiusmodi quoq; à typis ueteris populi, ad regnum Christi transitiones, tanquam incertas & ridiculas repudiari. Imò ut hos fastidiosos & carnaliter sapientes, à mysterijs suis arceret Deus, pauca certe de Christo, & regno eius, sine inuolucris typorum in scriptura sua commemorauit. Hæc uelim fratres perpenderent, quò certius & grauius possent de citatis ab Apostolis scripturis loqui. Si quis enim hoc loco contenderet, nullam aliam unquā fuisse clamantem uocem, de qua sit Ieschaiah locutus, præter hunc Ioannem, is Iudæis se ipsum propinaret ridendum, & præterea nihil. Vbi autem concesserit uocē eam, de qua propheta hic loquitur, & ante hac auditam, quòd sit omnino magna populi Dei facta per Cyrum liberatio & salus, tum expendat excutiatq; quæ hic de populi liberatione à Vate prædicta sunt singula, facile euincet, probabitq; ijs qui non ultro contendere uoluerint, omnia rectius & plenius quadrare in liberationē factam per Christum, cuius illa per Cyrum facta, typus & umbra quædā fuit, eoq; tum demum plene & perfecte uocem, aduenientis salutis adnūtiatricem sonuisse quando Ioannes eam edere cœpit. Idem si & in alijs locis, per Apostolos adductis feceris, & certiora & planiora multa tibi erunt, quàm fuerint hactenus, longeq; instructior & aduersus Iudæos nostra tueri poteris. Cæterum dictum hoc: Rectam facite uiam

Quomodo ē/ruenda oracula de Christo.

Parate uiam Domino, figurate dictum.

Domino,Metalepsis est.Nihil enī eo uoluit uel uates uel Ioannes significare,quàm scitote iamiam adfore saluatorem,quem diu expectastis, mox uidebitis,qui deserti uestrum sit reparaturus,modo aduentat.Per Prosopopœiam enim,& imitationem, ita loquitur,ac si instar regis terreni ad eos esset uenturus.Sicut enim is rex mox ingressurus certo expectatur,cui uia iam sterni iubet,ita fuit populo illud:Parate Domino uiam,mox adfuturi Domini,potētior & efficacior quædā adnuntiatio,quàm si citra figuram dixisset:Dominus iam aderit: Nec aliud sibi uolunt & quæ sequuntur:Omnis collis eleuetur,&c.id est,complanata reddite omnia, glorioſe & magnifice aderit adeò, ut uniuersi mortales ex tam præclara & liberali beneficentia eius uisuri sint os Domini locutum, salutemq; eam pollicitū esse. Veruntamen quia frustra hic aduentus gloriæ Domini annuntiatur ijs,qui nullo eius desiderio tenentur, apud eiusmodi nihilominus recte uia Domino pręparari dicetur,qui illis fiduciam sui compresserit,suaq; sentire peccata docuerit.

Ego baptizo aqua, inabsoluta anthitesis est,subijciendum enim fuerat,in medio uestrum stetit,quem nescitis,qui baptizat igni & spiritu sancto, id uero in sequentibus memorat.

Luc.3. Insidiose Iudæi Ioannem quis esset, interrogarunt.

Ille post me uenit:Hæc in præcedenti Sectione explicata sunt. Hæc in Bethabara,&c.Hoc quò certius esset testimonium,adiectum est.Et dignum sanè fuit hoc Ioannis testimonium, tam constanter & magnifice primoribus Iudæorū in maxima populi frequentia qui eò loci turmatim accurrebat,responsum,ut diligenter cōscriberetur.Pharisæi,autore Capnione,פרושי,id est, phorschai, tanquam inuestigatores legis dicebantur, quòd excutiendæ legi præ alijs Iudæis studerent. Saniora etiā habebant dogmata,credebant resurrectionem & angelos esse, quod utrunq; Tzadicai quos Saducæos uocant,negant Act.23. Errabant autem statuentes hominem suis uiribus ualere se ad iustitiam attollere. De ijs latius in Matthæum dixi cap.3. in illud:Cum uidisset autem multos ex pharisæis,& 5.cap.in illud:Nisi abūdauerit iustitia uestra.

De baptismo, in sequentem Sectionem dicam. OBSER. Animaduertendum ut personati religiosi,ueræ religioni semper aduersantur. Nā malitioso Iudæos misisse animo suos ad Ioannem,non est dubium.Qui enim eum quem ob uitam sæueriorem dæmonium habere,calumniati sunt,pro Christo suscipere uoluissent? Populus quidem cogitabat:num fortè Christus esset, ut Lucas testatur, ac sacerdotes, & primi Hierosolymis qui clauem scientiæ tulerant, & non solum ipsi regnum cœlorum auersabantur, sed & arcere eò alios quoq; conabantur, eiusmodi cogitationē tam non admittebant,quàm dominari plebi ipsi & soli cupiebant. Neq; potuerunt quidem isti Ioanni non aduersari,qui Christo tam infensi erāt: ex eodem nanq; spiritu Ioannes & synceram pietatem docebat, & illorum hypocrisim grauiter admodum incessebat.Ad uoluntatem satanæ tenebantur captiui, eoq; turbabantur cum de nato Christo tantum leuis rumor allatus esset per magos. Qui igitur nunc tam apertum & simul adeò sæuerum Christi,& talis,qualem ipsi minime uolebant,præconem Ioannem æquo animo sustinuissent? Proinde equidem non dubitarim, misisse istos ad Ioannem interrogatum: num Christus, uel Helias aut propheta esset, non ut tale aliquid esse eum sentirent,multo minus, ut horum aliquo nomine eum susciperent,tanti nimirum Euangelij hostes,& durissime ab illo increpiti,uiperæ et serpentes appellati,sed potius ut occasionē ex responsis eius uenarentur, ipsum oppugnandi & persequēdi.Id & inde colligi potest,quòd cum audissent eum, uocem illam desideratam instantis iam magnæ redemptionis populi Dei afferre,de redemptione illa,nulla cum eo uerba,quod oportebat salutis huius auidos, communicarunt, sed illico conuersi ad expostulationem cum eo, obiurgationemq; rogabant, cur & qua autoritate baptizaret,discipulosq; colligeret,cum non esset Christus,He-

lias

a lias aut propheta. Eo nanq; quod infrà quinto Christus Iudæis opprobrat, quòd ad horam in luce Ioannis noluerint exultare, non plus significatur, quàm quòd Ioanes ad tempus apud multos Iudæorum in pretio fuerit, non autem quòd unquã primo ribus charus, multo minus, quòd Christus eis, Helias uel ꝓpheta fuerit existimatus.

Præterea in Ioanne considerandũ est exemplum grauitatis & cõstantiæ, qui constanter adeo & ingenue Iudæis respondit, quod non tam uerum, quàm ingratum illis nouerat. Quo responso tametsi illi peiores euaserint, quia tamen gloriæ Christi & salutis electorum, non eorum tantum qui tum præsentes aderant, sed & omniũ qui ista legerunt hactenus, & legent deinceps, id intererat, incontanter & aperte de Euangelio, quod rogantibus odor mortis ad mortẽ erat, testificatus est. Referebat etiam, adimi illis excusationem, de quo supra in Sectione secunda. Et nos igitur licet canibus sanctũ, & porcis margaritas, si id nec gloriæ Christi adferendæ, ut uel reprobis adimatur excusationis occasio, interfit, nec ad salutem audientium omniũ Christi faciat, nequaquam obijcere debeamus, attamen ubi spiritus monuerit, qui solus fundendi uerbi Dei tempus nouit, ex Euangelij confessione, alterũ uel utrũq; expectari, non morabimur qui sint, qui eius confessionem requirunt, sed quid Christi nomen queat illustrare, tum proximos ædificare. Orandũ autem diligẽter, quando pretiosissimum margaritũ uerbi, summa cum obseruatione & cautione dispensandum sit, ut ita nos Pater suo spiritu doceat, & agat, ne unquam carnis affectum, pro impulsione spiritus sequamur.

Etiam torãm reprobis adse rẽda ueritas.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Postero die uidit Ioannes Iesum uenientem ad se.) PAR. Adijciam & alterũ Ioannis de uerbo incarnato testimonium, non quidẽ illud responsum principibus Iudæorum, sed apud promiscuam plebem, & charissimos discipulos suos, non tam
b dictum, quàm oblatum, obtrusum, inculcatum. Cupiebat enim electos omnes eõ permouere, ut Iesum æternæ uitæ magistrum, non se tantum præconem eius sectarentur. Cum igitur postridie quàm Iudæis de Domino Iesu fuisset testificatus, uideret eum ad se uenire, uoluntarius testis, imò præco, dixit: En hic ille agnus Dei est, qui tollit peccata mundi, suo omnia sacrificio expiaturus. Hic ille est, de quo dicebam: Post me ueniet prædicaturus, sed ante me factus est, genitus ante secula, quia alius quàm ego, & prior me, ac princeps cum meus est, tum omnium, æternum uerbum Patris. Nemo uero hoc elogium, uel charitati cognationis datum, uel ab humano corde confictum putet. Quanquam enim cognatus meus sit, haudquaquam tamen antehac eum de facie noui, quod utique nemini poterit creditu uideri difficile, qui nouerit me in desertis Iudææ, inter feras, & feris non multum dissimiles, rudes homines à puero uersatum, illum in Galilæa inter fabros operantem, hactenus delituisse. Cũ ergo tam abesset, quo gratiæ eius, uel necessitudini deferre aliquid possem, ut mihi etiam plane incognitus esset, Dominus excitit me, & in publicum protrusum uoluit, ut aquæ baptismo pœnitentium colligerem Ecclesiam, quæ continuo huic filio suo in sponsam per me adduceretur. Atque ita ut Israeli hic manifestaretur, & unicus saluator agnosceretur. Ego ueni, aquæ baptismate ipsi, nõ mihi discipulos conscripturus. Hoc autem pacto ipse eum, quem antea nesciebam (sic testificabatur Iohannes) agnoui. Vidi spiritum tanquam columbam à cælo descendẽtem, & manere super eum. Quod signum agnoscendi eius à Patre qui misit me ad baptizandũ aqua acceperam. Is enim mihi dixerat: super quem uidisses spiritũ descendentem & manentem, eum esse qui baptizaret spiritu sancto. Hoc ergo cũ uidetim, testimoniũ illi, nõ domesticũ sed cœleste, & Patris authoriate nixum, perhibeo, & filium illum Dei unigenitum, omniumque seruatorem esse, palàm prædico.

ANNOT. Quia filium suũ Pater in mundum, hominẽ factũ miserat, ut reposita

in se, omnis peccati expertem, omniũ semel electorum, peccata morte sua expiaret, c
hoc enim piaculũ, diuina iustitia requisiuit, Iohannes agnũ Dei illum, id est, puritatem simul & gratissimam hostiam appellauit, alludens, ut uidet, ad uaticinium Iesch. 53. quo de sacrificio huis agni ille uates copiose & luculenter prędixit. Hunc uero agnũ, affirmat peccata tollere, id est, in se translata abolere, & mundi non ludęorum tantũ. Mors enim eius, omniũ semel, ut dixi, electorũ redemptio fuit, id mox à morte eius, uel eo declaratũ est, quòd Euangeliũ uitæ sparsum est in uniuersum mũdũ, congregariq́, qui dispersi per orbem erant filij Dei illico cœptum. Quam causam oblationis Christi, & Euangelista noster infra. 11. assignat.

Agnus Dei tollens peccata.

Id uero probe notandũ est, ut sciamus quid sanctis Christi litatio proprie attulerit, ne uel ueteribus, quod Christi habuerũt, adimamus, ut quidã, uel quod etiã nobis per eã allatũ est, ignoremus. Nunquã enim suis uel aliorũ hominũ operibus satisfacere pro peccatis conati fuissent, si una Christi morte pro omniũ peccatis satisfactum agnouissent. Etenim ut facta sunt, & uiuũt per Verbũ omnia, ita illuminauit quoq; ipsũ & iustificauit, quotquot de Dei bonitate cõfidentes, peccatorũ unquã remissionẽ cõsecuti sunt, etiã antequã esset factũ caro. Illuminat enim omnẽ hominẽ uenientẽ in hunc mundũ. At semel tamẽ erat per innocentẽ, & libere in gratiam Dei susceptã mortẽ, diuinæ seuertati satisfaciendũ. Eam cũ nemo filiorũ Adã præstare posset, Verbũ hoc, id est, ipsum Deum, hominẽ fieri, & mori pro nobis necessum fuit. Hoc ergo primũ est eorũ, quæ noua orbi attulit incarnatio Verbi. Alterum est inuulgatio Euangelij ad gentes, cũ antea apud Ebræos duntaxat publica esset pietatis doctrina. Tertiũ donũ est Paracleti, hoc est, uis spiritus potentioris liberioriscq́ quàm Ecclesia ueterũ, in uniuersũ quidẽ habuit, per quem credentibus & cęrimoniarũ legis facta libertas est. Consummatiore enim doctore corda formante filiorũ Dei, facessere debuit pędagogia externa illa, in elementis mũdi sita, & obtinente iam in mentibus sanctorũ lege spiritus, magistra pietatis plenioris, nõ fuit necesse ut ad literas, & præcepta externi hominis alligarent. Legis consũmatio dilectio est, quia huc tota scripturę doctrina spectat, ut bonitate Deo Patri reddat nos q̃ simillimos. Quãdo igitur perfectiorẽ multo Christi spiritus in cordibus accẽdit electorũ, & possint uniuersæ legis institutiones, libertas harũ credẽtibus iure facta est, satisq́ habetur, ut moneantur, necubi carnis affectus, pro impulsu huius spiritus sequantur, & quo huius gnauiter imperata faciant, illam ut studeant mortificare. d

Quæ attulerit orbi incarnatio Christi.

Hæc Paulus paucis quidem uerbis, sed luculẽter admodũ scribens Galatis docuit: Christus, inquit, nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus execratio est, scriptum est enim: Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, ut promissionẽ spiritus accipe remus per fidem. Vide hic primũ satisfactionem, nam ab execratiõe legis, cui ex se omnes sancti obnoxij sunt, quod nemo unquam fuerit, qui legis omnia præstitisset, Christus nos redemit. Deinde Euangelij lucem gentibus cõmunicatã, qua utique benedictio Abrahæ promissa, iustitia, scilicet, & salus, ad eas peruenit: postremo & promissionem spiritus, utiq́ exhibitam locupletius, q̃ ueteribus. Nam neq́ illi sine Christi spiritu fuerunt, quando eius fuerunt, & per eũ salui facti sunt. Quapropter confitebimur, eundẽ habuisse ueteres & Deũ, & Christũ, & spiritum sanctũ, sed nõ tam reuelate, nõ tam opulente: id uero de uniuersa eorum Ecclesia loquor, non de singulis. Habuerunt nanq́ aliquot, sed paucos, spiritu multis nostrum incomparabiliter ditiores. Ergo q̃ ampliore spiritu, & ideo maiore quoque libertate sancti donantur, quòd Euangelion omni creaturæ annuntiatur, ea sunt, quæ super benignitatem Dei antea orbi perspectam, à Christo exaltato electi perceperũt, fructum & argumentum reconciliationis hominum cum Deo, morte eius perfectæ. De hac & superis nonnihil in Sectione quarta, in obseruatione prima.

5. Moscheh. 12

Ego non

Ego non cognoscebam eum &c.) His aduersari uidetur, quòd apud Matthæum legimus agnitũ Iohanni Christum, antequam super baptizatum uidisset spiritum sanctum. Confitebatur enim sibi opus esse, ut ab illo baptizaretur. Perpendendum igitur, quòd Iohannes hic nõ dixit, sibi ignotum Christũ fuisse, donec columbę indicio illum agnouerit, sed tantum hoc se signum diuinitus accepisse, quo certus de eo redderetur. Id uidit, & ideo certus factus, aliis eandẽ ueritatem testificatus fuit. Cui non pugnat, quòd spiritu, quo plenus erat, illum nihilominus agnouerit, cum baptismum peteret, antequam ei spiritus in columbæ specie, super eum uisus esset. Quo nanq; suum elogium certum esse persuaderet, memorat, quã euidenti, & infallibili signo ipse de Domino certus euaserit, tacens secretiorem reuelationem, quę haud quaquã tantopere fidem testimonio suo apud populum fecisset. Porro facie tantum ignotum Christum Ioanni fuisse antequam ad baptismum ueniret, crediderim: nam cuius præco extitit antequam uidisset eum, & aliquatenus cognouisse uerisimile est, præsertim spiritu tam plenum. De his fusius Matth. cap. 3. in illud: At Iohannes prohibebat illum. Post quæ & de eo, q̃ spiritus sanctus in columbæ specie super Christum sedit, aliquid annotaui. Summam enim simplicitatem, atq; charitatem ueneratur Christus, nõ tam docturus, q̃ largiturus suis, id columbę simulacrũ indicauit, quo animali nihil & simplicius est, & erga pullos suos affectus ardentioris. Indicatũ præterea eo fuit Iesũ hunc, illũ esse, in cuius persona, apud Iesch. 16. legitur: Spiritus Dominatoris Domini super me, hac causa unxit me, ad Euãgelizãdũ afflictis misit me, ad curandos, qui sunt corde contrito, ad renuntiandum captiuis liberationem &c. Citra modum enim spiritu Dei bono plenus fuit homo Christus.

Quomodo Christus fuerit Iohanni incognitus.

Columbæ species.

Porro de spiritu sancto quo baptizat Christus, multis item disserui in tertium cap. Matthæi in illud: Ego quidem baptizo uos aqua. Est enim uirtus Dei, omnium uiuificatrix, altrix, fotrix, & cõsummatrix, cuius, solius afflatu fit, ut Deum & cognoscamus, & amemus, similésq; tandem illi euadamus. Hanc exercere uirtutem eámque administrare quibus uult, Christi est, Verbi nimirum, per quod omnia ut condita sunt, ita & moderantur atque feruntur, sicut habet Epistola ad Heb. quíq; is est, qui gratiam patris à qua hoc donum uenit morte sua nobis comparauit. Hinc baptizare spiritu, hoc est, immutare spiritu, ad regnum cælorum, hominémque Dei constituere, peculiariter Christo tribuitur, sicut & infra paracletum suis se missurũ, sed à patre pollicetur. Patrem tamen simul missurum illum ibidem adserit, ut quàm unum sit cum patre declararet. Vnde & Actor. 1. eum spiritũ promissionem patris uocat, Luc. ultim. uirtutem. Est enim hic spiritus uirtus ipsissima Dei. Vnde simpliciter eum uirtutem uocat, cum sedere suos Ierusalem iubebat, donec uirtute induerentur ex alto. Deus etenim unus est, neque esse potest, inter ipsum, Verbum eius & spiritum sanctum hanc saluificam & omnium uiuificatricem uirtutem, de qua hic agimus, ullum substantiæ discrimen.

Quid spiritus sanctus.

Qui iam agnouerit, quicquid sapientiæ, uirtutis, & omnino spiritalis fœcũditatis hominibus contingit, id nõ nisi hoc ipso cœlesti afflatu, quẽ sanctũ spiritũ scriptura propter secretã, sed inuictam, omniáq; superantẽ uim, appellat, contingere ei nõ erit obscura ratio, & aliorum, quæ illi scriptura tribuit, nominũ. Ea enim hanc uim diuinam, nunc ignẽ uocat, quia purgat, accẽdit, & uigorem suppeditat, nunc aquã, quia lauat, recreat, rigat & fœcundat, nũc digitum Dei, quia ipsa uirtus Dei est, nũc unctionem, quia diuinis consecrat & adoptat officijs, nunc σφραγίδα & obsignationem, quia eo discernuntur filij Dei, à filijs Diaboli, quicq; eũ habuerint in æternum Domini sunt, nunc arram, quia de plena iustitia ac felicitate olim consequenda certificat.

Hæc cognoscenti obscurũ esse haud poterit, & quid sit, hoc sancto spiritu baptizari. Baptismata Ebræis sicut & gẽtibus fuerunt, quædã quasi lustrationes, & ad rẽ

diuinã faciendã initiationes. Iam cũ ut nati sumus, toti impuri, toti profani sumus, omni mente nostra ad malũ propensa, non iniuria dixit Christus, non uisurũ hominem regnum Dei, quod situ est in solida iustitia, certo gaudio, & æterna pace, id est, fœlicitate, nisi renasceretur, aliusq; & cœlestis fieret. Huius initium in animo fieri oportet, quẽ cum afflat numẽ Dei, cognitioneq; diuinitatis illustrat, & amore eius accendit, ad uitã Deo dignã, cœlorumq; municipatum, ueluti lustratur & initiatur. Quamobrem baptizari spiritu, est spiritu sancto ampliter donari, quo Christi iamsimus, Deum patrem inuocemus, & ad gratiã eius uitã cõparare nostrã satagamus. Est enim in translatione baptismatis significata amplitudo & uis effusior spiritus sancti, qua quasi iunguntur atq; immerguntur qui Christo credunt. Et propter hãc ampliorẽ uim, atq; largitatẽ spiritus sancti, quæ baptismatis similitudine significatur, Dominus ipse, baptisma spiritus sancti, de quo hic Ioãnes loquitur, peculiariter de largissima illa effusione eius ipse interpretatus est. Facta est in die Pentecostes, sic nanq; discipulis loquebatur Act. 1. cum iuberet eos expectare Ierusalẽ promissionẽ Patris, Ioannes baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hosce dies. Sed quod tum uisibili signo factum est, fit uere, etiamsi nullo uisibili signo in Ecclesia quotidie, ut ui largissima spiritus sancti, tingantur, & uberrime perfundantur credentes, non solum ut Christo sese tradant totos, sed etiam ut quisq; munus suum in ecclesia obeat fœlicissime.

Quid baptizari spiritu.

Obseruationes. In primimis considerandum, ut cupide Ioannes dominum Iesum, populo ut unicum saluatorem commendarit, imminuiq; ipse quæsierit, ut ille magnus fieret. Similem ardorem in Paulo legimus, qui se non solum obscuratum, sed anathema esse à Christo optauit, quo Christum tantũ plurimi agnoscerent. Hoc animo si omnes prædili essemus, plus synceri Euangelij coruscaret, & minus multo contentionum perstreperet. Fundamentum ante omnia, si sapientes architecti esse uolumus, nobis ponendum est, id Christus est, ut animus persuasus sit, hunc se iustũ & beatum redditurum, qui & mori pro nostris peccatis dignatus est. Hoc ubi fundamentum collocatum fuerit, etiamsi lignum, fœnũ & stipula superædificetur, saluus tamẽ homo erit, licet per ignem. Quid igitur plus de superstructione quàm de fundamenti collocatione plerisq; soliciti sumus? Et cur quos tenere fundamentum uidemus, etiam si super illud uideantur ædificasse non conuenientia, non ut fratres amplectimur? Quis autem dubitet, fundamentum probe tenere eos, qui Christo omnia sua commiserunt, qui ab ipso omnia expectant, uerbis eius in omnibus fidem habent, & si fortè nõ in omnibus illa intelligant? Quid demum lignum, fœnum et stipula erit, si non falsæ fuerint opiniones, quas tamen homines putent, ad fundamentum Christum pertinere? Iam fit, ut non pauci, eo quòd lignum, fœnum & stipulam in fratribus esse credant, quæ sunt aurum, argentum & gemmæ, fundamentum illos tenere, nimis temere negent, qui sanguine tamen suo Christo inædificatos sese comprobant. His indubie si quod Ioanni fuit, studium esset, ut omnes nos imminueremur, regnaret uero Christus solus, longe moderatius agerent.

Deinde obseruandum, quòd Christus unus is est, qui peccata tollit mundi, qui huic enim testimonio fidem habuerit, omnem erroti ueniam, missis semel omnibus creaturis, ab uno hoc nostro summo pontifice petet, qui unica quoq; pro peccatis propitiatio est, eoq; & unicus mediator, quòd unus, scilicet, possit quæ nos deliquimus, compensare. Homines sancti, ad fidendum Christo, sperandamq; ab ipso peccatorum remissionem atque purgationem, hortari possunt, credentibusq; peccata uere remissa esse testari, nec id tamen nisi acti impulsiq; Christi spiritu, peccata autem ipsi sua uirtute remittere, purgareue, aut etiam fidẽ in Christũ dare uel augere non possunt. Hoc spiritus sancti opus est, eo baptizat unus Christus. Ita in nõie Iesu, sancti fidẽ hanc, atq; per eam peccatorum liberationẽ possunt orare, & uerbo eius adnuntiare

A adnuntiare atq; uice domini etiam exhibere, at nec orabunt pueri, nec impetrabũt, non adnuntiabunt, nec exhibebunt, nisi spiritus Christi uolentis quod orant, impetrant, adnuntiant, exhibent præstare, ad orandum illos impetrãdum, adnuntiandũ, exhibendum, instigarit. Adeò est omnis peccatorum satisfactio, expiatio, purgatio, liberatio, unius huius agni Dei, Iesu Christi, unici nostri mediatoris, redemptoris et sanctificatoris. Sancti siue angeli, siue homines, & hi siue cœlites siue adhuc terrigenæ ad hanc fidem in dominum nostrum, peccatis liberantem, ministri esse possunt, autores & largitores fidei huius esse non possunt. Neq; enim potestatẽ aliam remittendi peccata Ecclesia habet, quã spiritum sanctum, is autẽ credẽtes in Christũ duntaxat peccatis soluit liberosq; pronuntiat, quare & ecclesia peccata aliter remittere non poterit, quàm quòd credentibus in Christum remissa esse agnoscit & testatur. *Quomodo Christus peccata tollit, quomodo sancti.*

Animaduertendũ præterea ex eo, quòd Ioannes de se dixit: Sed ut manifestaretur Isra ẽli, ꝓpter hoc ego ueni baptizans in aqua. Ad qd nãq; in Ecclesia Christi omnis do ctrina & sacræ cærimoniæ institutæ sint: nimirũ in hoc solum, ut Christi notitia apud homines promoueatur, quoniã hac uita æterna constat. In Christũ Ioãnes baptizabat, quia hortabatur ut crederent in eum qui post ipsum uenturus erat, id est, Christum Iesum, Act. 19. In hoc unum ita referam cunctam actionẽ cum doctrinæ, tum cærimoniarum in Ecclesia, ut Christum homines amplectantur, regnicq; eius ciues fiant, & placitis eius sese quotidie magis magisq; addicant.

Huius regni filij & ciues ueteres quoq; fuerunt, sed uulgus sanctorũ hæc nõ tam reuelate atq; potẽter sensit, q̃ sancti qui post mortẽ Christi fuerunt. Spiritus timoris, qui qualicunq; metu Dei illos cõtinebat primas apud illos obtinebat, eoq; multis etiã externis legibus, ut Dei uoci esse morigeri assuescerent, constringebantur. Post glorificatũ autẽ Christũ, nõ accepimus spiritũ seruitutis iterũ in timorẽ. Rom. 8. hoc est, nõ accepimus spiritũ, quo tantũ timeamus Deũ, quemadmodũ fiebat, cum sensu B pietatis etiamnũ pueri sub pædagogo ad honesta agebamur, magis q̃ ducebamur, & ita seruili animo imperata eius faciebamus, ignorãtes quo fine quæq; præciperentur, neq; liberã ad ea propensionẽ sentientes, sed accepimus spiritũ adoptionis, quo uere filij Dei cõstituimur, quo freti inuocamus Deũ, nomine patris, & impulsi eius amore, libero spiritus arbitrio oia nostra eò ordinamus, ut inde utilitatẽ ꝓximi sentiant: in primis autẽ, ut ad eandẽ filiorũ Dei sortẽ perueniãt, quotquot ad eã destinati sunt: qui minus, ut ij nihilominus externa illa à nobis, dum opus habent, & spirita lia respuunt, beneficia percipiant, sicut & patris bonitas solem suum illis & imbrem largitur. Sic animatos esse decebat, quotquot Christo dederunt nomen. Qui enim spiritu Dei aguntur, ij demum filij Dei sunt, & non est Christi, qui spiritum Christi non habet, Rom. 8. Iam ubi spiritus ibi libertas, 2. Cor. 3. ibi & fructus spiritus, quorũ aliqui Gal. 5. enumerantur. *Quid inter sanctos ueteris testamenti, & noui interfit.*

Hunc aũt spiritũ alij alijs habent opulentius, nulli tamen cõsummatũ. Dum nãq; hæc caro, hæc inquã natura nostra uiuit, spiritui aduersat, efficitq; ut quæ spiritu destamur, nihilominus faciamus. Hinc fit, ut cũ Paulo nemo sanctorũ se apprehendisse putet, eorũ autẽ quæ à tergo iam sunt, quæ puerilia fuere elementa, hoc est, rudimenta & institutiones, scilicet, in externis rebus sitæ, quæ remote, non proxime ad pietatẽ momentũ aliquod adferebant, obliuiscuntur, & ad ea, quæ à fronte sunt contendũt, ut apprehendant, in quo & apprehensi sunt in Christo Iesu, plenã nimirum Dei dilectionem, qua penitus Deo euadant similes, Philip. 3. *Spiritus filiorum hic imperfectus.*

Hic uero conatus, hoc studium, opus quidem est spiritus Christi, qui donum est Patris, attamen usum Deo est, ut ipsi huic uerbo doctrinæ & monitionis adminis trationeq; Sacramentorũ cooperarij simus: uoluitq; ut sermo Christi inhabitet in nobis opulente in omni sapientia, ut doceamus & instituamus nos inuicẽ psalmis, hymnis, &c. Colos. 3. Quò itaq; hoc cõmode fieret, uoluit arctissimã uitæ inter suos

societatem

societatem esse, ut alij aliorum membra, uniuersi Ecclesiam uelut corpus unũ constituerent. Hanc regnum cœlorum in Euangelicis literis uocauit, quia uere spiritua lem, uereq; cœlestem uitam ij meditantur, qui coram Deo in hoc suum regnũ peruenerunt. Coram hominibus nanq;, & sati à diabolo, mala zizania, sese admiscent, qui in fine mundi demum omnes eijcientur.

Propter Ecclesiæ societatem conseruandam, instituta sunt symbola.

Quò ergo huiusmodi in domino uitæ societas, ac communio astrictior inter sanctos haberetur, ipsaq; huius communionis exhibitio per ministerium Ecclesiæ grauior atq; efficacior esset, duo symbola ac uelut sacras tesseras dedit, quorum altero in hanc Christi cõmunionem inauguremur, altero in ea instauremur, ac uelut renouemur. Illud baptismus est, hoc Eucharistia, utrunq; ex sacris ritibus, tam per Mosen Indæis, quàm per primos sanctos patres traditis Gentibus desumptum. Multus sanè usus baptismatum Iudæis fuit, non ex lege tantum, sed etiam ex traditionibus patrum, ut Mar. 7. legimus. Quotiescunq; immundus quis censebatur, Ecclesia populi Dei, nisi baptizato, non patebat, ut 3. Mosch. cap. 13. & 15. legimus. Sed & totum populum, antequam Dei legem reciperet, lauare oportuit uestes. 2. Mosch. 19. Aharonisq; & filiorum corpora tingi oportebat, cum consecrarentur, 2. Mosch. 29. & 40. Et in sanctuarium quod uelum intra erat, non licebat sacerdotibus nisi baptizatis ingredi, 3. Mosch. 16. Nõ minus frequentẽ usum baptismatis fuisse Gentibus testantur patres historia.

Ex qbus uidemus baptismatũ usum, ex prisca cum Iudæorũ tum Gentiũ religione mutuatũ esse: omnes enim baptismatis lustrationẽ quandã & peccatorũ ablutionem cum initiatione ad sacras actiones quæsierunt. Sic ergo cũ regnũ Dei non pateat, nisi renatis, & lustratis, nõ aqua tantũ uisibili, quæ per se mentẽ nõ cõtingit, sed aqua & igni cœlesti, hoc est, spiritu sancto (prophani ei & impij nascimur omnes, quia filij iræ) & Christianissimi susceptio, sit nouæ & cœlestis uitæ perceptio, uoluit Dñs, ut qui in suã Ecclesiã externe reciperentur, antea baptizarentur, eoq; significaretur, quicũq; ab ipso alieni sunt, eos impuros et pphanos esse, neq; regni eius municipatũ posse cõsequi, nisi per spiritũ sanctũ, quẽ nũc aquã, nũc ignẽ scriptura uocat, lustrẽtur & mũdentur, hoc est, ea mente donentur, ut toti iam uelint in hoc incũbere, ut uetus homo, natura ista ad malũ tantũ, pna, intereat, nouus autẽ, id est, illa ipsa mens Dei studiosa, quã spiritus Dei in suis format, quotidie incrementũ accipiat, & pietate augeatur, donec totus homo innouatus, imagini Christi per oĩa respõdeat.

Quæ baptismatis significatio.

Hinc baptizatos Paulus ait, in mortẽ Christi baptizatos, & cũ eo sepultos, item ipsum induisse. Baptismo enim in Christi Ecclesiã recipimur, hoc est, in eorũ gregẽ, pro qbus Christus est mortuus, ut & ipsi nobis moriamur, uiuamus autẽ ei, qui pro omnibus mortuus est & resurrexit, moriantur peccato, uiuant Deo, in nouitate uitæ ambulãtes. Quod totũ, opus spiritus Christi est, cui cõsecrantur qui baptizãtur, qui etiã quos apprehenderit, nõ deserit, donec cõformes reddat imagini Christi, uti is nequaquã solus, sed inter multos fratres primogenitus sit. Proinde cũ Christi esse, & ideo hoc spiritu eius innouãdos speremus, qui per baptismũ in Ecclesiã recipiuntur, recte dixit Paulus, in mortẽ Christi eos baptizari, & cũ illo per baptismũ sepeliri, illũq; denicq; induere. Qui enim electi sunt, hæc omnino olim cõsequentur, de reprobis hœdis, qui dum hic peregrinamur, otiibus semper admisti sunt, non fuit ratio, ut Apostolus mentionẽ faceret, cũ scriberet ijs, quos ut esse filios Dei credebat, ita ut digne sua uocatione ambularent, uoluit monere. Quemadmodũ igitur qui Christo à patre donati sunt, ante iacta mundi fundamenta, in hoc ut Christo olim similes euadant, electi & à reliquo mundo segregati sunt, ita præ se ferre hoc ipsum eos, agentes etiamnũ in hoc seculo, addecet, eaq; cauſſa, arctissimæ uitæ inter se cõmunionem, tanquam membra unius corporis habere, & quodlibet membrũ iuxta sibi admensuratũ actum, hoc est, spiritus facultatem, incrementum corporis facere, ipsumq;

Vnde baptismus Christi.

A ipſumq; ædificare, id eſt, conferre in medium quo meliores fratres reddi queant, oportet. Hinc itaq; eſt, quod caput huius corporis Chriſtus, dat alios Apoſtolos, alios prophetas, alios Euangeliſtas, alios doctores & paſtores, alijſue ſpiritus dotibus inſtructos. Nam quicquid huius donat, ad cõmunem Eccleſiæ ſuæ utilitatem donat, ut per aſſiduam doctrinam, & admonitionem, ſancti inſtaurentur, & illa, quæ corpus ſuum eſt, incrementum ſumat, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis ipſius filij Dei, & demum uirum adultæ ætatis Chriſti referamus, adoleſcentes in eum ipſum per omnia, qui eſt caput Epheſ. 4.

Baptiſmo aquæ in externam Dei Eccleſiam, Baptiſmo ſpiritus in internã recipimur.

Hanc itaq; uitæ æternæ ſocietatem, municipatumq; cœleſtem, ritu aliquo ſolenni auſpicari, & uelut in regnum ſuum inaugurari nos domino placuit, tum uoluit redemptionem ſuam nobis commendare, quàm id fert ingenium noſtrum efficaciſſime. Deſumpſit ergo ex innumeris ſymbolis et ritibus, cum ueteris populi Iudæorũ, tum omnium gentium religioſorum, baptiſma, ritum qui & minimi negotij, & maxime uulgaris eſſet, haberet autem ἀντίτυπον et admonitoriã ſimilitudinẽ eius, quo uere & corã Deo ſocietas illa, & municipatus cõſiſtit, id eſt, ſpiritus ſancti. Hic enim unctio eſt, & uera in regnũ cœlorũ inauguratio, teſſera, & σφράγις atq; obſignatio, qua filijs Dei adnumeramur, quæ à mundo ſubducit, luſtrat, purgat & nouos ac cœlo dignos efficit. Vnde Paulus: In uno ſpiritu, in unũ corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes unũ ſpiritũ hauſimus, quod more ſuo de ijs, qui uere Chriſtiani, nõ hypocritæ erãt, ſcripſit. Ex his iam abunde liquere poteſt, quidnam baptiſmus aquæ ſit. Solennis nimirũ in regnũ cœlorũ, id eſt, Eccleſiam hic etiamnũ peregrinantẽ, inauguratio, qua ſignificatur & exhibetur, uirtute quidẽ & opere domini, miniſterio uero Eccleſiæ, remiſſio peccatorum, & ſpiritus Chriſti, quo nobis moriamur, uiuamus Deo, ueri iam ciues regni cœlorum, filij & hæredes Dei, & membra Chriſti.

B Per Ioannẽ hunc ritũ dominus introduci primũ uoluit, quia primus ciues huic regno Chriſti, Euãgelio cõſcripſit, Chriſtus ipſe nõ baptizabat aqua, quod ſpiritus baptiſmus ei prius ſit, & inauguratio per baptiſmũ aquæ, ad eã ſocietatẽ prius faciat, quã ſancti inter ſe in hac uita habẽt externã, unde decebat, ut ipſi ſe mutuo in eã reciperent. Cœpit itaq; hic ritus baptiſmo in Eccleſiã Chriſti, hoies recipiendi, per Ioannẽ, deductus eſt per Apoſtolos, & Apoſtolicos uiros uſq; ad nos. Neq; adultos ſolum, qui fidẽ Chriſti palàm cõfiterent, ſed & horũ infantes ac pueros etiã Apoſtoli baptiſmo in Chriſti Eccleſiã receperũt. Nã Origenes teſtat, hanc traditionẽ ab Apoſtolis Eccleſiæ cõmendatam. Et iure quidẽ. Nõ enim poteſt homo, uel hæc uel alia, prudẽtius Deo diſponere: is autẽ mox natos infantes ſibi cõſecrari, & in externã Eccleſiã cooptari ſuã ueteri populo ſanctiſſime præcepit, eoq; declarauit, quãta cura et ſolicitudine uelit nos dare operã, ut in Eccleſiã ſuã, ubi pietas docet, & ipſius bonitas prædicatur, plurimi ueniãt. Vnde ueteri populo præceperat, circũcidere nõ ſolũ ex ſemine Iſraëlitico natos, ſed quorũcunq; poteſtatẽ haberẽt, etiã alienigenarũ, ſiue nati eis domi eſſent, ſiue nup argento cõparati, 1. Moſ. 17. Quòd igitur tantope Deus olim exegit, nõ modo nũc ipſi nõ diſplicebit, ſed erit lõge gratiſſimũ, qa utiliſſimũ. Quĩ enim nõ utiliſſimũ eſſet, à cunabulis, in populo Dei uerſari, Deoq; dicatũ eſſe?

Baptiſmus per Ioannem cœpit.

Infantes ab Apoſtolis baptizantur.

Certe Chriſto id adeò probabatur, ut arcentibus à ſe pueros diſcipulis ſerio indignaretur. Exiſtimabant enim illi cum infantes qui apportabantur percipere uitæ doctrinam non poſſent, ſine cauſſa Domino eos offerri. Sed quid ſapiẽtia Dei Chriſtus? Sinite paruulos uenire ad me, & nolite eos prohibere, talium enim eſt regnũ cœlorum, à quo pueri tam non debent arceri, ut nemo poſſit in illud recipi, qui non euaſerit puero ſimilis, nihil ſibi uel ſapientiæ, uel iuſtitiæ arrogans & pcipiat ſalutẽ à me nulla ſua opera, & mero meo dono. Etenĩ ut declararet Dñs ſe nõ de ſimilibus tantũ pueris, ſed de ipſis pueris quoq; locutũ, qui oblatos puellos acccepit in ulnas,

Sinite paruulos uenire ad me.

amplexatus

amplexatus fuit, atque impositis manibus benedixit. Vide, indignatus fuit, quòd discipuli, pueros repulissent, tanquam doctrinæ eius non capaces, iussit eos sibi adduci, & prohiberi uetuit. Rationem uero cur hoc uellet, subiecit: Talium est regnum cœlorum. Si iam hæc ratio quadrat, necesse est, ut fateamur regnum cœlorum ipsis pueris assignatum. Si nanque regi alicui offerrentur eruditi, & satellites repellerent eos, rex autem indignatus diceret: Sinite eruditos uenire ad me, talium est enim regnum meum, & qui non fuerit ut eruditus, non erit particeps regni mei. Quis auderet hic dicere, rex non uoluit eruditis suum regnum assignare, sed tantum eruditis similibus?

Baptizatio paruulorum reijci ex eo non potest, quòd contingat baptizari hæreticos.

Sicut pater ergo, ita & Christus in regnum suum pueros recipi uoluit. Saluator enim omnium est, etiam puerorum, imò pueri eo ad ipsius regnum magis idonei sunt, quòd tantum ab ipso fingi, non etiã ipsi per se esse aut sapere aliquid possunt. Nisi igitur iram & indignationem domini in nos prouocare uolumus, pueros ipsi & adducere, & adductos in regnum ipsius recipere debemus. Sunt quidẽ sæpe inter pueros reprobi, id autem dum nobis non constat, nihilominus populo Dei accensere illos debemus, satis tẽpestiue rursum eiecturi eos, cum malis fructibus suis qui sint, & nobis palàm fecerint. Regnum enim cœlorum, simile est agro in quo zizania cũ tritico nascuntur: & sagenæ iactæ in mare, ac malos cum bonis pisces concludenti: nuptijs denique, in quibus & carentes ornatu nuptijs digno recumbunt, postremo sunt in regno cœlorum, qui legem Dei soluunt & soluere docent, sed minimi in eo habentur. Quid? Si etiam solos adultos, baptizemus, multos nihilominus hœdos in ouile Christi admittemus. Non minus olim atq; nunc Deus è medio Ecclesiæ suæ malos eiici uoluit, præsertim cum id pluribus quàm tempore Euangelij præceperit, nihilominus uoluit dominus Iudæos fretos eo, quòd cum ipsis & semine eorum fœdus pepigisset, singulos infantes, non tantum ex ipsis natos, sed & quo modolibet in potestate ipsorum constitutos, sibi initiari symbolo, quod nihilo minoris fuit, quàm sit baptismus: æque enim circuncisio, & baptisma remissionẽ peccatorum & consortiũ uitæ beatæ exhibebat, etiamsi non adeò clare atq; efficaciter.

Ex eo uero quòd & infantibus nostris fœdus gratiæ baptismate confertur, ad Ecclesiam triplex fructus peruenit. Primus pertinet ad totum populũ Christi: admonetur enim eo, Deum etiam puerorum suorum saluatorem esse. Quot enim infra eam ætatem moriuntur, qua agnoscere & confiteri Dei gratiam queant, quos tamen Deus ob sanguinem filij sui, multo ad saluandum, quàm fuerit noxa Adæ ad perdendum, potentiorem, indubie saluat? Hanc igitur suam bonitatem cõmendari populo eo uoluit, quòd in fœdus suum iuberet recipi, etiã recens natos. Alter fructus pertinet peculiariter ad parentes, ac quoslibet puerorũ propinquos, inuitant enim illi ea obseruatione, ut tanto diligentius ad pietatem educent, quos Deo consecrauerunt, meritoq; iam non ut suos, sed Dei filios agnoscãt. Quos etiam considerata hæc Dei erga pueros quos suo fœdere dignatur, misericordia, faciles, alacres, & studiosos reddit, quibuslibet officijs sanctos iam pueros demereri. Tertius fructus proprie ad pueros peruenit, quibus multam ad Dei cognitionem, pietatemq;, occasionem præbet, ei populo accensis esse, & inter eos à puero uersari, inter quos uerbi Dei prædicatio cultusq; uiget. Cum lacte enim reuerentiam Dei imbibunt, quo fit, ut quanquam non raro principes & populi maior pars ad idololatriam deficiant, qualiscunq; tamen metus Dei uerbiq; eius obseruatio, in populo manet reliqua. Hinc olim non paulò facilius prophetæ, ad resipiscentiam populum reuocabant, quàm si metus ille qualiscunq; & reuerentia uerbi in populo exoleuisset: exoleuisset autem, si non ab infantia fœdus Dei illis fuisset inculcatum.

Et nobis quoq; insigniter utile fuit, quòd in qualemcunq; Ecclesiam à cunis omnis populus noster cooptatus est, sic uel aliqua de Christo opinio, & sacrorum librorum

librorum hæsit existimatio, quibus factum est, ut redeunti nuper Euangelij puritati ampla satis fenestra patuerit. Quæ patere haud potuisset, si nulla sacræ scripturæ ratio à populo fuisset habita, idq; indubie esset factum, si Christiani nomen sibi uulgo uendicare non fuissent ausi. Sensim, ut per Syriam, Asiam, Græciam, & alias regiones, quibus principes dominantur lue Mahometana infecti, factum uidemus, etiã apud nos cum nomine, & doctrinæ Christi æstimatio euanuisset, & fuisset prídem Euangeliorum & eorum quæ Apostoli scripta reliquerunt, ea apud nostros autoritas, quæ & apud Turcos. *Vtilitas pædobaptismi.*

Porrò ritum hunc, iam inde ab eo quod populum Deus in terris habere cœpit, ex Dei præcepto obseruatũ, & à Christo tam grauiter confirmatum, tam, totq; nominibus utilem, sicut omnia quæ Deus instituit certum fructum afferunt, conuellere conati sunt homines quidam pernicioſe errantes, id quod pleraq; non tam absurda, quam pestilentia eorum dogmata ab unde probarunt. Mitto enim quæ pauciores inter eos confinxerunt, & dogmatizãt: Spiritum Dei, & legem illam, quam Deus suis promisit in corda se inscripturũ, esse lumen naturæ in uniuersum omnibus mortalibus cõmune: peccatum, falsam duntaxat, & in omnibus spiritibus olim euaniturã opinionem: scripturam impijs duntaxat, pijs uisiones, quibus doceantur, destinatas, nullos esse dæmones, & Christum fuisse illum, qui primis parẽtibus imposuit serpentem, Christum in carne sua habuisse peccatum, diem extremũ post sex, alij, post duos annos futurum, & id genus alia, quæ editis libris communi omnium sententia professi sunt, facile indicant, quo agantur spiritu. Christianum non posse gerere magistratum, neq; imperanti arma, quamlibet licita parere, aut iussurandum facere, non posse uerbum Dei doceri in templis in quibus sint imagines, eos qui rebaptismum illorum cum enumeratis dogmatis non recipiunt, esse uitandos. Cum interim quamlibet sceleratis, modo eorum dogmata nõ impugnẽt, amicis utantur, Munzeriq; cruentam seditionem, item quòd quidã in Oppido S. Galli, fratri suo caput amputauit, cum dixisset, ita patrem, sic enim de Deo loquuntur, uoluisse, pauci inter eos damnent. Nuper Bernæ deinde hic quoq; aliquot audiui qui adfererent, se absq; peccato esse. Quam insaniam sibi persuaserunt alij, & testari uolentes se in statum innocentiæ restitutos, nudi in domibus consederunt uiri & mulieres, nudi de domo in domum transierunt. Quidam etiam eò prolapsi sunt, ut sororũ carnes peterent, cõcumbentesq; cum eis adsererent id nihil esse peccati, carnis tatum esse opus, non spiritus. Horum facinorum oculati uiuunt testes apud S. Gallum, & in uicis regionis Heluetiorũ, quam Cellam Abbatis uocant. *Quales hostes pædobaptismi.*

Post hæc ex eiusdem damnatoribus Pædobaptismi orti sunt Hofmannici, à quodam Melchiore Hofmanno pertinacissimi & perditissimi spiritus homine, qui restituere conati sunt regnũ Israël, occupata urbe Monasterien. in Vuestphalia. Dogmatizarunt, uerbum sic carnem factum, ut una modo humana natura in Christo sit, & ea nequaquã de D. uirgine Maria sumpta. Non doctrina modo, sed & reipsa inuexerunt polygamiam. Repudiarunt coniuges ipsorum furori non consentientes. Regem crearunt, qui minabatur totum orbem se inuasurum. Vocabant urbem suam, nouam Hierusalem. Infandas ediderunt cædes in dissentientes ciues, donec supra quàm annua obsidione ad extremam famem redacti, quæ multos urbe expulit, ut se trucidandos hostibus obijcere mallent, quàm in urbe perire fame, ad extremum per proditionem capta urbe, omnes exterminarentur cum uxoribus & liberis. Huiusmodi furoribus acti sunt, qui Pædobaptismum impugnarunt: nec quisquam in hunc errorem prolapsus est qui non secessionem ab ecclesia fecerit, & alijs quoque erroribus implicitus fuerit, ut uel ex eo uideri possit, quo autore ista opinio excitata sit.

Præcipuæ autem rationes quibus Pædobaptismum reijcere conantur, sunt, Chri

ſtum miſiſſe Apoſtolos ſuos docere & inde baptizare, idq; obſeruaſſe eos. Deinde baptiſmum eſſe ſymbolum mortificationis, cuius ſint pueri expertes. Poſtremo nō poſſe excommunicationem in Eccleſiam reduci, niſi baptizentur, qui ſcientes iugo Chriſti collum ſubmittant. Ad hæc ſæpe illis reſponſum eſt, Matth. ult. quem locum unice urgent, nihil de eo, ut docti modo baptizentur, præceptum eſſe, aut ne pueri baptizarentur uetitū, ſed datum Apoſtolis mandatū, ut & gentibus Euangelion prædicarent, easq; baptiſmo in Eccleſiam Chriſti reciperent, quod in prima legatione eos Chriſtus prohibuerat. Tum & circunciſionem fuiſſe ſymbolum mortificationis carnis, ex Dei tamen inſtituto datam pueris, nondum potentibus meditari mortificationem carnis, ſic dandum & baptiſmum eſſe. Hanc enim mortificationem opus eſſe, non adulti hominis, ſed ſpiritus Dei, eumq; ſpiritū donare patrē quibus uelit. Cum itaq; hunc ſpiritū promiſerit & infantibus debere nos infantiū ſaluatori infantes per baptiſmū offerre, quos ille aliter nequit reddere ſaluos, quā ſi baptizet ſpiritu, & renouet, id quod aquæ baptiſmate ſignificatur & exhibet. Deniq; excommunicationem ſpiritu feruenti ſtudij Dei, & dilectionis fratrū reſtitui poſſe, non autem, negando baptiſma infantibus: neq; enim eſſe hominis proponentis, aut promittentis, ſed Dei miſerentis. Sed hominibus iſtis, tantum ſua placent.

Quæ argumenta Catabaptiſtarum.

Ad noſtra reſpondent nihil ad nos attinere ritum circunciſionis, nos perfectiorē & aliam legem à Chriſto accepiſſe. Verum eo declarant, ſe neſcire Chriſti legē eſſe ſpiritum ſanctum immiſſum cordibus, quo ſancti ad quæq; iuſta & honeſta ultronei ducuntur, & eundem eſſe ſpiritum atq; Chriſtum ueteris & noui populi, etiāſi in nouo ſpiritus Chriſti amplior ſit.

Sunt autem qui erroribus atrocioribus quos paulo antè memorauī Catabaptiſtarum nō conſentiunt, & ſummā fidei tenere uidentur, attamen pædobaptiſmum auerſantur. Ii dicunt quòd Deus, eo quòd infantes ad Ebræos quomodolibet pertinentes, recipi per circunciſionem in ſuum fœdus uoluerit, ſignificarit & portendorit, omnes electos & ſpirituales pueros in fœdus ſuum admittendos, circunciſos ſpiritu, quia unica ſit diuini fœderis teſſera. Nos nō debere in noſtram Eccleſiam recire, niſi qui fructibus hoc ſe ſpiritu prēditos dēclararint, ne hœdos admiſceamus ouibus, & regnum Chriſti quod regnū reuelationis, cognitionis & confeſſionis Dei eſt, dehoneſtemus, cooptando illi, qui nihil dum ſpiritus prę ſe ferant. Addunt ſententiæ ſuæ hanc confirmationem, quæcunq; Iſraëli ueteri acciderunt, accidiſſe in figurā, ſic ſabbathum illorum, ſpiritualis ſabbathi umbram fuiſſe: regnū Dauid, regni Chriſti: ſacerdotiū Aharonis, ſacerdotij Chriſti, ita & circunciſionem carnis figurā fuiſſe, circunciſionis ſpiritus. Vt igitur ſabbathum externum, carnale regnū & ſacerdotium abolita ſunt, & carnalibus ſpiritualia ſucceſſerunt, ita & circunciſionem abolitam eſſe, eiq; ſucceſſiſſe ſpiritualem, ac deniq; in locum circunciſorū infantium, infantes ueniſſe ætatis Chriſti. Hinc uero fortiſſime probaſſe ſe putant nobis ritum illum, infantes in noſtra poteſtate cōſtitutos, exemplo ueteris Iſraëlis promiſcue in Eccleſiam recipiendi, haud quaquam imitabilem eſſe.

Omnia in figura illis contigerunt, explicatur.

Hos ego, & quibuſcunq; huius commenti ſui, iſti fidē fecerūt, moneo & hortor, ut carnis mentē, à motu ſpiritus probe diſcernant, attendantq;, ne ſupra quàm par ſit ſibi fidant. Suū cuiq; natura pulchrum eſt, Cui cū alij aduerſatur, redditur pulchrius. Nouitatis gratia etiā ualde inſidioſa eſt. Excutiam ſimpliciter, quibus hic argumentis nituntur, Dominus det ſuis uidere, quæ ſua, quæq; ſunt carnis. Quod ἄξιωμα fundamenti loco ponunt, Iſraëli in figura omnia contigiſſe, & uideri uolunt ex Paulo 1 Cor. 10, mutuatū, uelim rectis intueantur oculis. Memorat illic Paulus Ebræos olim uſu beneficiorū Dei externo omnes æquatos, poſtea nihilominus punitos eſſe qui illis extiterant ingrati. Hæc tum inquit, nobis typi facta ſunt, ne eſſemus concupiſcentes malorū &c. Narratiſq; aliquot in populum tranſgreſſorē diuinis animaduerſionibus

A uersionibus,iterum subijcit: Hæc omnia acciderunt illis typi,hoc est,sic ut sint nobis typi & exempla, in quos fines seculorũ peruenerunt, unde scripta affirmat propter nostram correctioncm.Hunc iam perpende locum, qui nondum satur es sapientiæ,& discere aliquid sustines,uidebisq; plane pro nobis eum facere,& nequaq; pro aduersarijs.Illi istud:omnia in figura contigerunt,eò rapiũt,quasi moneat Paulus,quæcunq; priscis externa acciderunt,spiritalium fuisse antitypa, & exemplaria quædam,sicut sacerdotium illorum corporale,figura fuit nostri spiritualis,regnum illorum terrenũ,nostri cœlestis,hęc enim ipsi exempla adducunt.At si uolumus ad hunc modum & ea,quæ citato loco Paulus memorat exponere, argumentationẽ Pauli reddemus ineptam.Neq; enim Apostolus eo loci Corinthios conatur à spirituali idololatria,sed à nimio ethnicorum,& externæ idololatrtæ cõmercio reuocare. Cõmodũ igitur obijcit intuendum Israëlem carnalem, qui licet in mari rubro per columnã nubis in Moschen fuisset baptizatus,panem ederet de cœlo deplutũ, aquam biberet de petra miraculo excussam,attamen ubi ingrati cibos Aegyptiorũ concupiscerent,ubi erecto uitulo idololatriam admitterent, ubi cum Midianitarũ mulieribus fornicarentur, ubi Dominum tentarent,ubi murmurarent, senserunt ultionem Dei,& prostrati fuere in deserto.Et monet hæc nobis exempla in illis edita,quo terruit Corinthios,ne peccatis illorum uellent affines esse, ne et ultioni,quã illi experti sunt,affines redderentur.Non facit aũt ex idololatria illorum,fornicatione, tẽtatione & murmure,mala spiritualia,sicut neq; ex ultionibus. Simpliciter monet,quæ acciderint illis peccantibus,& terrere nos debeant,ut quorum ultionis exẽpla expauescimus, & transgressionũ exẽpla abominemur. Delegit nanq; sibi hũc populũ Deus, in quo omnibus gentibus & seculis, gratiæ & iræ suę,mirabiliumq; iudiciorũ suorũ formam deliniaret,& exmpla ederet, è quibus electi,ipsius super se mirificã bonitatẽcognoscere, & ad omnẽ pietatẽ formari cõmodissime possent.

B Nos igitur Paulum hic sequentes,cum sciamus in illo populo typos edidisse Deum, quibus quid sibi placeret, quid secus ,declararit,oculos in typos illos conijci-mus uidemúsq; ipsi placuisseut, à puero, quotquot in populi tum potestate erant, in Ecclesiam eius scholam reciperentur,displicuisse aũt summe,si id fuisset præteritum. Atq; ideo & nos cum Dei populus simus, quoscunq; in nostra potestate habemus,ut offeramus ei per nostrum initiale signum, pæterire tam nolumus, quàm ipsius institutum contemnere,& ei displicere,minitatámq; ultionem expectare. Si quis hic obijciat, uidetis etiam placuisse illi, ut multas ferias,sacrificia,& id genus alia,populuus erus obseruaret,num iam & uos illa obseruabitis?Respondeo.Liber tas uobis spiritus, omnia ad Ecclesiæ utilitatẽ admoderantis facta est, ideo quid in unaquaq; cerimonia ædificationis & nobis esse queat,id amplectimur,tanquam rerum illarum nucleum,reliqua quæ suo tantum tempore,ob maiorem populi rudi-tatem utilia fuere,missa facimus,tanquam testam.Sic utile ueteribus fuit,ut festa, sacrificia, singulas cerimõias legis ad unguem,ut præscriptæ fuere,obseruarent,quo si nihil aliud,saltem discerent iuxta uocem Domini in omnibus uiuere,& humana minime sectari. Id uero nobis nõ esset utile, obscuraret enim gratiam Christi,qua nobis contigit amplior & uirilior spiritus, quàm ut pædagogia huiusmodi elementorum mundi indigeamus. At ut subinde conueniamus tamen,& Verbi Dei tractatione in pietatis studio confirmemur,tum cõmunicatione corporis & sanguinis domini sacrificij Christi, quod cum absoluerit omnia cunctam sacrificandi occasionem ademit,memoriam celebremus,atq; religionis fœdus cum Christo & fratribus uelut renouemus, momentũ ad profectũ pietatis haud modicum habet.Nõ id ex se quidem,illa enim opus solius spiritus sancti est:sed quia Deus hunc obseruari ordinem,& ad opus suum & nos,sed suo actos spiritu, adhibere cooperarios hactenus decreuit.

Quatenus exempla ueterum imitabilia.

Quatenus itaq; inter nos & ueteres similitudo, & paritas quædam est, quòd ut illi, & nos in fide uiuimus, & admonitione externi uerbi in cognitione Dei crescimus, hactenus typum & exemplum conueniendi ad Verbi Dei doctrinam in illis exhibitum, nobis imitabile ducimus. Sic in circuncisione, quòd octauo die, & maribus tantum adhibebatur, missum facimus, illud quia indignum esset libero spiritu alligari certo tempori: hoc quia conuenit signo initiatiuo testari in Christo neq; marem neq; fœminam, sed tantum nouam creaturam æstimari, quia autem experti sumus, ut utile sit ad pietatẽ, ita & Deo gratum ab incunabulis ipsi nostros liberos offerre, hoc tanquam nucleum in obseruatione circuncisionis nobis desumimus, reliqua cum seruiliora sint, quàm ut deceant regnum Christi maxime liberum, tanquam testam abijcimus. Verum hoc delectu, non nostram rationem, sed Verbum Christi sequimur, qui ideo iussit infantes, τὰ βρέφη enim habet Lucas, sibi adferri, quòd talium sit regnum cœlorum, id est, Ecclesia eius. In quam magnifice admodũ amplexando, manus ponendo & benedicendo, oblatos sibi pueros ipse recepit, eò edens exemplum, ut nemo qui nolit eum sibi indignari, repellere ab eius Ecclesia pueros debeat.

His conuicti Catabaptistæ quidam concedunt nobis, ut in Ecclesiam pueros recipiamus, sed non per baptismum, eo quòd Christus oblatos pueros, neq; baptizarit ipse, neq; iusserit baptizari aballjs. Sed ista obiectione ostendunt, neq; tenere se, quàm late pateat libertas Christi, neq; quis sit baptismi usus. Cum Paulus dicat in unum corpus nos baptizari, certe quibus conceditur de corpore Christi esse, ut illi infantibus concedunt, illis negari baptismus non potest. Quos itaq; Christus benedicit, & amplexu inter suos agnoscit, ijs donabit quoq; & peccatis mori, uiuere iustitiæ, huiusmodi sepulti cum Christo iam sunt, ideo cum signatum baptismi habeant, signum quis sanæ mentis illis neget.

Itaq; pædobaptismi impugnatores ut uideri uolunt saniores hũc locum Euangelicum, extorquere nobis contendũt, negantes in Ecclesiã pueros recipiendos, eoq; dicunt, quicquid Christus cum oblatis pueris gessit, non in hoc gessisse, quòd uel alios carne pueros tanti fecerit, aut quicquam eis per ea tribuere uoluerit, sed in illis tanquam typo uoluisse declarare quàm charos habeat spiritales, id est, malitia pueros. Verum isti non perpendunt, quam indignum sit Christo commentũ. Qui pueros benedicendos Christo offerebant, admitti in gregem eius eos petebant, &, scilicet, fefellisset hos summa ueritas, simulans in hos affectum, quem haberet tantũ ad pueros spiritu? Ergo non potuit indicare, quàm charos habeat pueris simplicitate similes, nisi falso præ se ferendo charitatem erga pueros oblatos? Iusta certe fuisset caussa succensendi discipulis, qui pueros repulerant, tanquam indignos regno eius, quod regnum est reuelationis & cognitionis, si uere pueri ad regnum eius non pertinerent. Vtiq; pueros innocentia illi à Christo nolebant repellere, cum ætate infantes repellebant.

Falsa loci huius. Sinite parnulos &c. interpretatio confutatur.

Pro commenti huius sui confirmatione afferunt, quod Christus subiecit: Amen dico uobis, quicunq; non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingredietur in illud. Quo tamen Christus, quàm charos haberet infantes declarauit, Quid? Vos arcendos putatis à me infantes? Tam non sunt à meo regno arcendi, ut nemo, uere in regnum Dei, hoc est, gregem meum recipi possit, qui in illud non tanquam puer fuerit ingressus, nihil sibi ipsi arrogans, atq; à mea dignatione penitus pendẽs, qui isti sunt infantes. Hinc disce Christiane lector, quàm nocens sit res, suo nitu spiritu. Vertant se isti in omnia, quid possunt tamẽ ex hoc dicto, plus colligere, quàm accipere aliquos regnum Dei non sicut pueros, id est, dare quosdam nomẽ Christo sine plena sui abnegatione, & hos non ingredi in regnũ Dei, id est, nõ esse uere atq; coram Deo Christianos, quosdam aũt sicut pueros, penitus sese abnegantes, & eos

uere

uere in illud & corã Deo ingredi? Dixit taliũ est regnũ cœlorum, ut ostenderet oblatos pueros à se non arcẽdos, utq; id magis testaretur, etiam amplexatus eos fuit atque benedixit, &, scilicet, quia uere filij Dei nõ sunt, nisi qui se simplicitate & abnegatione sui, pueris fecerint adsimiles, aliò illud (talium) referemus? Vide quid ualeat inuenti sui amor.

Ex his, qui ea synceriter, & puris animi oculis considerare uolet, facile uidebit, nos uerbo & placito Dei niti, dum ad exemplum circuncisionis, baptismum nostrum administrandum censemus, & ita nostros infantes per illum DEO consecramus, ut prisci suos per circuncisionem. Tum & hoc liquebit, nos dictum illud Pauli: Omnia contingebant illis typi, non aduersarios, hac quidem in disputatione, rite accipere & sequi, eóq; nullius roboris esse, quòd tanto pere axioma iactant. Præcepta ueteribus nobis figuræ sunt, quas ueritatis corpore præsente facessere oporteat, præsertim in hac, qua ipsi eo utuntur generalitate. Omnino enim ex eo sequeretur, etiam externũ usum docendi, atq; magistratũ, sublatum esse. Multa enim de his per Moscheh præcepta legimus, quæ utiq; spirituales & internæ doctrinæ, tum regni Christi in cordibus typi sunt & figurę. Non igitur quicquid externum in Mosche præceptum est ac ideo rerum spiritualium in regno Christi figura & adumbratio, in regno Christi, quatenus id quod hic fide uiuit, & à Domino adhuc peregrinatur abolitum est. Nam etiam nos in carne adhuc uiuimus, quamlibet spiritu, si modo nomem nostrum impleuerimus, adultiores, quàm fuerint ueteres, eóq; & nobis aliquis cęrimoniarum usus est. Id sane Paulus ad Corinthios, & alibi docet apertius, quàm ut quicquã, qui modo illũ cura aliqua legerit, inficiari possit, triplicẽ esse populi DEI ætatẽ, pueritiam, ætatẽ adultiorẽ, pleneq; uirilẽ. Pueritia formata est, ut par erat, multis cęrimonijs externo Verbo adiectis. Plene uirilis ætas ista omnia missa faciet, tum enim cum aduenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. At media ætas, quæ Euangelij Verbo regitur, ut spiritualior est, quàm pueritia, ita non est tota spiritualis, ut erit ætas plene uirilis, uita cœlestis, igitur Verbo externo utitur, & huius caussa externa quoq; societate, & propter hanc signis potissimum duobus, altero quo eam societatẽ auspicamur, altero quo renouamus & confirmamus. *Triplex ætas populi Dei.*

Quia itaq; quantum ad usum attinet externi Verbi, externæ societatis, & uel duarum cęrimoniarum, quæ & ex ritibus legis desumptæ sunt, ueteribus pares sumus haud iniuria spectamus, quid in his illos obseruare Dominus uoluerit. Quantum enim interest, inter cœnas sacrificatorias, & nostram? Admonebãtur illi Christi in carne exhibendi, nos exhibiti: gratias illi agebant Deo, & ad officia pietatis constringebant sese, idem facimus & nos. De similitudine baptismatis nostri, cum baptismatibus ueterum dixi supra. Haud ergo indigna res erit, si consideremus quid placuerit Deo, & quam utilitatem suis attulerit eà cęrimonia, cui nos similem habemus. Mirum autem quod fatentur isti circuncisionem & baptismum similes significatione, & negãt similes usu. Quis enim alius est cęrimoniarum usus quàm qui est ex significatione? Si significant idem circuncisio & baptismus, ut significãt, nempe mortificationem carnis, & uiuificationem spiritus, & Dominus non minus uanitatem detestatus est apud ueteres, atq; apud nos, & tamen circuncisionem signum eorum, qui mori sibi, & uiuere debent iustitiæ, pueris dari uoluit, cur non & nos nostrum illis daremus baptismum? *Recte consuli Moscheh ubi agitur de cęrimonijs.*

Nõ licet inquiunt respicere ad Moscheh in his, præterito Iohãne, baptismi institutore. Atq; hoc dicunt non nulla cum indignatione, Fratres sustinete & nos loqui, & nõ pro nobis, sed instituto Dei respondere, Ministerio Iohãnis accepimus baptismũ signũ, quo colligaꝛ Christo Ecclesia, in qua Christus cognoscaꝛ, postea Christ. & pueros declarauit Ecclesiæ suæ inserendos, baptizamus ergo & illos. Dúmq;

multarũ uere ſpiritualiũ rerũ typis in populo ueteri nobis ſint deliniati, quibus de c
Dei uoluntate etiã noſtris in rebus monemur, quis dubitet in lege illorũ & formas
extare cęrimoniarũ quibus illi tãtũ nõ adobruti fuerãt? Paulus uolens docere, cõ/
mercium externum idololatrarum uitandum, cõmunionis, quam ſacrarij habeant
edentes ſimul uictimas, tanquam exempli meminit, cum ex dictis Chriſti ſatis de
puritate cõmunionis differere potuiſſet. Sic cum de mercede ageret Euangelizan/
tium, nõ eſt ueritus ſuper Verbum Chriſti exemplũ adducere eorum, qui eo quòd
operarentur ex ſacrificijs, inde quoq; uiuebant. Moſcheh dicebat Iſraelitis: Quæ
gens adeo inſignis, cui ſint cærimoniæ, & leges iuſtæ, qualis eſt hæc doctrina, quã
coram uobis hodie explico. Et paulo ante: Hæc ſapientia & prudentia ueſtra co/
ram populis cenſebitur, cum audierint de cærimonijs iſtis omnibus, dicent, ſapiens
ſane & prudẽs eſt populus iſte atq; inſignis. Mira uero ſapientia & prudentia ac e/
tiam præſtantia, habuiſſe cęrimonias nullius uſus, quàm quòd portenderent futura
quædam bona, in nobis demum completa, quæ tum à pauciſſimis ſane uel obſcure
habebantur cognita.

Sed quid uerba prodigo, confutando tam humaniter dicta? Regnum Dauid, re/
gni Chriſti umbra fuit, num igitur nõ fuit illud per ſe quoque utile Iudæis, nobisq;
imitabile, quibus principibus in hac uita, & externo regno opus eſt? Sacerdotiũ A/
haronis, figura fuit ſacrerdotij Chriſti, nunquid ſimul tamẽ utile fuit populo, quòd
ſacerdotes habueruut legis interpretes, & uitæ formatores, in quo imitari illos, ut
ſeligamus qui qui in religione nos erudiant, & inuicem à nobis alantur, & nobis
operæpretium ſit? Sabbathum illorum typus fuit ſpiritualis ſabbathi, ergo nihil
contulit eis, ut ad audiendum Verbum Dei publiceq; gratias agendas Deo, diem
unum in ſeptimana ab operibus corporis uacabant, & peccabimus qui loco eius
Dominicum diem, ad habendos ſacros conuentus feriamur?

Cerimoniæ ue/terum, uon tã/tum ſignifica/tione futuro/rũ fuere utiles.

Sic quæ conſequentia, adoptio puerorum in Eccleſiam Dei per circunciſionem, D
typus fuit adoptionis in regnum cœlorum per ſpiritum, ergo nihil utilitatis attulit
Ebræis ita liberos eorum in Eccleſiam recipi, niſi quòd ſpiritualis adoptionis, olim
reuelandæ plenius admoneret? Fac enim eſſe, ut iſta typi ratio conſtet, quàm nulla
tamen expreſſa ſcriptura docet, nihilominus tam non ſequitur, propterea non iux/
ta fuiſſe conducibilem ritum Ebræis, ita à puero in Eccleſiam Dei recipi, quàm non
ſequitur regnum Dauid, externa ſua adminiſtratione nihil bonæ frugis attuliſſe Iu
dæis, eo quòd umbra fuit regni Chriſti. Opera Dei uana non ſunt, ſol iſte, ſolem cœ
leſtem, uita hæc, uitam æternam, cibus corporis, cibum mentis aliquo modo repre/
ſentat, interim tamen & per ſe ſuam adferunt cõmoditatem? Nõ eſt quicquam tam
minutum in omni lege, quod non ſuam & ſuo tempore utilitatem attulerit, quam

Omnia legis & ſuo tempo/re utilia fuere

ſi adferat & nobis, plane obſeruatu nobis non ſolum licitum, ſed & dignum & de/
bitum eſt. Dilectio quamlibet libera ſit omnium, omnibus tamen ſeruit ad ædifica
tionem. Quid minutius eo, quod præceptum populo erat, onus uentris extra ca/
ſtra deponere & defodere, quod ut admoneat peccata tegenda ne fratres offendãt.
An non & hodie charitas ſordes corporis ab oculis fratrum ſubmouebit? Si autem
ſingulas cęrimonias ad præſcriptum legis hodie uellem obſeruare, non poſſem e/
ius obſeruantię certum oſtendere ædificationis fructum, quia obſcurarem eo glori/
am Chriſti, qui nos ab elementis liberauit, & fratribus nihil adferrem cõmodi. Sa/
tis fuerit ſi baptiſmo pueros Eccleſiæ faciam inſeri: nulla igitur cauſſa erit eos cir/
cuncidendi. Satis poſſum percipere cõmunionem Chriſti & mortis Chriſti memi/
niſſe, & gratias pro ea agere ad menſam Euchariſtiæ: non igitur opus erit tam ua/
rijs ſacrificijs legis: ſatis ſtuduero mundiciei, ſi nihil feram ſordium quod honeſtam
uiuendi rationẽ perturbet: nõ igitur opus erit tam multiplicibus baptimatis legis.

Sed de

Sed de his infra sepius dicendi erit occasio. De typis siue figuris, ut accipiendæ sūt, dicam plura, infra cap. 3, in illud: Sicut Moscheh exaltauit serpentem in deserto &c. Nam & his fratribus, quibus pædobaptismus displicet, & multis etiam alijs, in pleriſque locis hallucinandi occasionem dedit, quod typorum rationem certā, & à scriptura traditam nondum recte tenent. Alterum, quo præcipue nituntur illi saniores, ut sibi uidentur, nostri de pædobaptismo cōtradictores, est, quòd regnū Christi sit regnum cognitionis atq; reuelationis, regnū spiritus, in quo tantum cum ijs nobis negotium esse debeat, qui iam Christum reuelatū sibi per spiritum habeant, eóq; fructibus spiritus polleant. Porrò si isti Pauli scripta, quibus illos ætatis populi Dei gradus, ac inde, quænā sit Ecclesiæ Christi propria conditio, quídque præstet Ecclesiæ ueterum, quóue sit infra futuram, apertissime docet perspicere, aut uellent aut possent hic illos nodus haudquaq; teneret. Est sane Christi regnum spiritu quā fuerit Ecclesia prisca opulentius, maior in eo est Dei reuelatio & cognitio, at sic tamen, ut etiam usum requirat uerbi extrinsecus per ministros administrati, & propter hunc, societatem aliquam in Domino externam, denicq; usum sacramētorum, quibus rebus, nihil nos præ ueteribus accepimus, quam quòd doctrina sit aliquanto clarior, societas latior, & sacramēta pauciora, tanquam augustiora. Quantū autē ad ueritatem attinet religionémq; cordis, æque hanc Dominus à ueteribus exegit, atq; à nobis. Quoties enī & per Moscheh inculcat illud: Diliges, timeáscq; Deū tuū ex toto corde, totáq; anima? Eóq; non minus indigne apud ueteres tulit, si quid cerimoniarū absq; cultu cordis & uero spiritu, adhiberetur, quā si id admittatur à nobis. Id abunde testatur caput primū Ieschaeiah, locíq; similes. Nec uspiā in literis noui testamāti habetur, illico blasphemari nomen Dei, uerbūq; eius indigne tractari, si qui sua inpietate non admittant operationē spiritus, in usu doctrinæ & sacramentorū. Quā multos Christus ipse docuit, qui inde tamen facti meliores nō sunt, quā multos baptizarunt Apostoli, qui tamen spiritus baptisma senserunt nunq;? Sunt ministri spiritus, ministri noui testamēti, utcunque hæc nulli percipiant nisi quibus ea donarit Dominus. Proinde cum Deus, qui fucū apud priscos nō minus quā apud nos detestatus est, tamen insigniri signo mortificationis, ueræq; sanctificationis uoluit pueros, sibiq; consecrari, cúnque Christus ipsa ueritas, infantes suo ipse regno adscripsit, indubie pijs & uerū hac in re uidere potentibus, satis iam probaui, dū in familiam Christi infantes per baptismum recipimus, nos nihil nouo testamento indignum facere, spiritui sancto nō præcurrere, uerbo simboloúe Dei non abuti, nihil mendacij, nihil fuci admittere, sed uoci Domini parere qui uult uerricu lo in mare iacto attrahi putres iuxtà & bonos pisces, qui iussit quoslibet ad suam cœnam, ad filij sui nuptias adduci, imò ut ingrediātur compelli. Dū enim ad baptizandum puerum Ecclesia conuenit, prædicatur Dei bonitas, qui quod Abrahæ promisit, & nobis præstare dignatur, ut sit & seminis nostri Deus, cōmendatur bonitas Christi, cui libuit allatos sibi infantes accipere in ulnas, atque benedicere, quíquè dixit, talium esse regnum cœlorum, baptismi denique mysteriū explicamus, eíque ut respondeant uita singulos admonemus. Tum præter parentes, & compatres, atque cōmatres, totam præsentium Ecclesiam, ut Deo educent & instituant, quos illi consecrarūt pueros, obstringimus, damusq;, quoad id nostrū est, operam, ut ab incunabulis Christū pueri, uelut cū lacte matris, imbibant. Nusq; præcepit Christus, ne uerbū, uel symbola eius ijs exhiberemus, qui nulla adhuc spiritus Christi apud se agentis documēta ederent, Christus uult nos homines sibi cooperari, nitentes ipsius promissione. Istis qui in omni actione sacri ministerij uolunt manifesta spiritus sancti in hominibus argumēta cernere, Satan oculos sic defigit in præstissima

Christi

Christi ut eo Christum eis eripiat, nempe qui regnet in infirmis, cúnque uidentur sibi toti in eo esse, ut adueniat & fortunetur regnum Christi, toti illud negligant, quantũq; in ipsis est, impugnent. Habent in Euangelijs, habent in Paulinis literis manifestissime regni Christi latitudinẽ descriptam. Sed sic summa huius contẽplantur, ut infima atque media, non in alijs solũ, sed & in seipsis miserum in modũ transiliant, & nec summam assequantur. Sed sine caussa tam mulis de his memoro, uideo enim eiusmodi esse tentationem, qua suo uoluit tempore CHRISTVS illos teneri, ut in presenti nihil nõ frustra moneatur, Dominus & istos, & nos doceat tandem agnoscere, quid nostrum, quid ipsius sit, ut hoc sedula prece flagitemus, illud assidua diligentia curemus,

De baptismi uero usu & ratione ideo tam copiose hic disserere uolui, quòd Catabaptistæ, ista ignorantes, ubi sibi persuaserunt pædobaptismum Deo abominabilẽ esse cęrimoniam, perniciosam sectam excitarunt, & ut fit à ueritate Verbi Dei recedentes, pestilentissima dogmata non pauca excogitarũt, Excussi & aliorum quorũdam sententiam, atq; argumenta, qui etiamsi illis atrocioribus commentis non sint obnoxij eo tamẽ sunt in errore ut ecclesiã Dei negligant & impugnent etiam, neq; pauca dogmata sectentur omnino perniciosa Vibemus in his studium Christi, sed adeò præter scientiam, imò contra Christi regnum, ut dum soli istuc promouere uideri uolunt, illud grauissime oppugnent.

Errores libere confutandi

Quamobrẽ nostrum fuerit, ut amicitiam in Domino cũ omnibus confitentibus ipsum esse saluatorem nostrum, studiose colere, & infirmos fide, candide blandeq; suscipere, ita etiã dare operam, ut Christi ueritas quàm luculentissime omnibus innotescat, & errores detegantur. Peruersus is candor fuerit, ubi unius & alterius gratia, uerita Christi & recta multorum fides posthabetur. Amabat atq; obseruabat & Petrum Paulus, at ubi ex inconsiderata illius simulatione periculum imminebat recte credentibus, palam illum corã omnibus reprehendit. Atq; utinam hic candor apud Euangelij professores obtineret, ut quisq; libere, sed modeste Ecclesijs indicaret quæ secundũ, quæq; cõtra scripturas esse putaret, iudicio delato sedẽtibus, illæsa interĩ amicitia Christi, quanto plus haberemus ueritatis, & minus contentionũ.

Quantum equidem assequi possum (natura enim errorum est, ut difficile agnoscantur) isti nulla alia ratione pædobaptismum auersantur, quàm quod finxerunt sibi puriorem fore Ecclesiam, si adultos, & notas spiritus præ se ferentes, duntaxat baptizaremus. Sed hoc pacto indubie fieret, ut multæ oues Christi pro hœdis negligerentur. Neque enim omnes parentes eam curam ad pietatem educandi suos, quam illi sibi pollicentur, adhibituri essent. Hęc tamen humana cogitatio, quæque resipit nimium operum nostrorum, & elementi huius æstimationem, ita occupauit illos, ut huc cuncta rapiant, omniáq; quæ contrà obijciuntur dissoluere conentur, eóq; sese in errores profecto graues præcipitent. Humanam dixi hanc esse cogitationem quia nulla scriptura iubet curiose adeò dispicere, ne hœdi in Ecclesiam recipiantur. Bæptizarunt Apostoli sæpe, quibus uix horam de Christo fuerant locuti, quia iuxta parabolam Euangelicam quoslibet Christi nuptijs adducere uolebãt. Baptismo enim recipiebant tantum in scholam pietatis & Christianismi tyrocinũ. Eijcere rursum tũ solebant, cum euidenter satis deprehensum esset ludi docendi operam. Culpant nos illi, q; libertate Christi abutamur, præter uerbũ & exemplum scripturæ nobis pædobaptismum permittentes, cum ipsi tamen omnino nullum habeant uerbum uel exemplũ, quo sententiam suam stabiliant aut nostram reijciant. Iussit Christus prædicare gentibus eoq; baptismo in Ecclesiam recipere, ubi aũt uetuit & pueros recipere? Leguntur baptizasse adultos Apostoli, factum est hoc ut ostenderetur quantum Euangelion fructificarit, non negantur aũt & pueros baptizasse, imo cum le-

cum leguntur totas domos baptizasse, & Paulus eorum liberos sanctos, id est, ad
A Ecclesiam Dei attinentes, quorum alter esset Christianus, pronuntiat, denicp usus offerendi Domino pueros per initiatiuum simbolum ex Lege prídem obtinuisset, non contentiosis satis est coniecturæ, eos pueros quocp tinxisse.

Hũc uero locum Pauli conantur eludere, ubi sanctos pueros fidelium fecit, dicẽtes, sanctos hactenus à Paulo pronuntiatos, quòd usum coniugij nõ impedirent cũ infideli. Et tamen Paulus ex eo quòd sancti haberentur eorũ liberi, quorum alter esset Christianus, probare uult infidelitatem alterius coniugis non impedire usum coniugij. Ideo aliam & notam ac confessam sanctitatem pueris eiusmodi, ex impari coniugio natis tribuit, ut ex qua sanctificationem probaret infidelis cõiugis, id est, fas esse cum eo in matrimonio uiuendi. Quæ iam illa sanctitas puerorum alia, quã qualem scriptura memorare solet, qua ad Dei cultum dicati habentur?

Atcp ita omnibus nudatam scripturis hanc eorum opinionẽ, si quis propius cõtempletur, figmentũ esse humanũ luce clarius apparet. Cum ergo omnia huiusmodi, quãdo pro Dei oraculis obtruduntur, luculenta soleant dare ueritatis damna, qualia sanè multa iam hoc dogma, abusum esse instituti diuini pædobaptismũ, dedit, nemo mihi pius uitio uertet, quòd studiosius illud confuto. Quibus sane hoc persuasum fuit, arbitrati fuere se nõdum baptizatos, tum indignum putarunt se nõ baptizari, sic inuectus est anabaptismus, uel potius catabaptismus. Huic addicti, mox ab Ecclesia agnoscente prædobaptismum, Euãgelion quod in ea prædicatur contempserunt, quẽ postea contemptũ sæue nimis ultus Dominus est, propinando eis calicem tam multiplicíũ & pestilentium errorũ, ut horror sit eorũ tantũ memi-nisse. Hæc cum ita habeant, uæ ei, qui principijs mali huius neglexerit obsistere, si tamẽ charitatem simul exhibeat in eos, quos uidet studio aliquo teneri Dei, etiam
B si id cum errore coniunctum sit. Quę ergo credo, hic professus sum, quas sequor scripturas indicaui, iudicent fratres.

Quæ mala contemptus pædobaptismi dederit.

ENARRATIO SECTIONIS, VIII.

Postero die iterum stetit Ioannes & duo ex discipulis eius.) PAR. Quia in hoc missus Ioannes erat, ut Israëli Dominum Iesum manifestaret, nihil omisit, quod illum commendabilem reddere posset, occasioni prædicandi eius nunquam nõ imminebat, inde cum eum postridie, quàm coram populo, agnum & filium Dei esse fuisset testificatus, iterũ uidisset, præsentibus duobus ex discipulis suis, rursus dixit: En agnũ Dei. Cumcp iam tempus adesset, ut Christus agnosceretur, incrementum huic Ioannis elogio Deus in cordibus illorum duorum discipulorum dedit, ut eo audito, illico Iesum sectarentẽ, rogaticp ab eo, quid sibi uellent, scisciterentur ubi nã diuerteret, Rabbi, id est, præceptorem uocantes, scilicet, auidi iam doctrinæ eius, pa-
raticp se illi in discipulos tradere. Vnde cum eos inuitasset, ut uenirent & uiderent, ubi maneret, illico iuerũt & uiderunt, diemcp illũ, prope uesperã enim erat, nempe hora diei decima, apud eum permanserunt, iudubie multifaria uitæ doctrina ab eo refecti.

Ratio hi storiæ.

ANNOTATIONES

Transit sensim Euangelista narratione, à testimonijs Ioannis, ad testimonia, quæ Domino ipsa sua dicta factacp perhibuerunt. Cumcp officium Ioannis fuerit, Christum Israëli manifestare, & ei prædicationis lampada tradere, commodum huc historiam Euangelista deducit, præteriens proculdubio multa, quæ Ioannes de Domino prædicauit, atcp egregie pro manifestatione eius gessit. Ista enim satis faciũt pijs, & pleracp etiam alij Euangelistæ narrarunt. Rabbi Ebraice רבי significat magister mi. Vnde coniectura aperta est, initio statim ut uitæ doctorem Christum habitum. Talẽ sane eum, & Samaritis illa, de qua infra 4. expectabat. Dicebat nancp: Cum Christus uenerit nuntiabit nobis omnia.

Rabbi.

OBSERVATIONES

Perpendendum primo, ut nullam Ioannes occasionem præterierit Christi prædicandi, sic sane faciunt, quibus Christus recte cognitus est, quique illius ueri existunt præcones. Idem studij atq; ardoris & in Paulo uiguisse uidemus.

Obseruandum deinde ut suo omnia tempore Deus perficiat. Multis & ante cũ populo, tum discipulis suis Ioannes fuerat de Iesu testificatus, in hunc tamen tempo ris articulum seruatum fuit, ut Christus uitæ magister agnosceretur, testimonioq; Ioannis sui discipuli fidem haberent. Dum ergo uerbum Euangelij, non uel fœde à porcis contemnitur, uel insane à canibus repellitur, constanter & spe bona annun tiandum est, patricq; optimo committendum, ut illud efficax reddat, quando & in quibus ipsi fuerit usum.

Denicq; necq; id prætereundum, quòd Christus præceptoris nomine statim, à recte de eo persuasis salutari cœpit. Sic sane eum habent, quicunq; ipsum agnoscunt, atq; ad præscriptũ uerbi eius, instinctumq; spiritus eius omnia sua instituunt. Necq; enim extra modo, sermonibus in literas relatis, uerum intus multo magis per spiritum, de omnibus suos docet, & instruit.

Christus unus uitæ magister.

Memorabilis quoq; Domini erga hos duos discipulos facilitas, probe consideranda est. Prior rogat quid uelint, & ultro inuitat eos ad diuersorium suum: quam tempore minus opportuno, indubie ut apud eum pernoctarẽt, plurimaq; ab ipso audirent. Simus ita & nos expositi omnibus, cum dubitare haud possimus sitientibus doctrinam uitæ, nobis seruatorem esse expositissimum.

ENARRATIO SECTIONIS IX.

Erat Andreas frater Simonis Petri.) PAR. Vt pergã uero narrare, quomodo sensim D. benignitatis sese lumen explicuerit, & Euangelij fermentum, cõspersionem inuaserit, memorandum est, quemadmodũ Christus paulatim innotuerit, & alius alium ad cognitionem eius perduxerit. Alter ex duobus illis, qui Ioannis præceptoris sui uoce excíti, Christum fuerant secuti, Andreas erat frater Simonis, qui à Domino postea Petrus est cognominatus. Hic primus hunc suum germanum fratrem inuenit, dixitq; illi se inuenisse Messiam, id est, unctum, & duxit eum ad Iesum. Is cõspecto illo, ut indicaret ei, ad quantã dignitatẽ uocaretur, dixit ei: Tu es Simon filius Iona, iã uocaberis Cephas, hoc est, Petrus, diuina, scilicet, firmitudine præditus.

AN. Quòd Andreas suũ fratrem Simonẽ in Iudęa, uel reperit uel inuenit, argumentũ est, & eũ religionis caussa Ioannis baptisma adijsse, etiã si forte, nõ fuerit perpetuus illius discipulus. Certe cõiuncte inter se uixisse illos, indicio est quòd simul piscabantur, cũ secundo ad perpetuũ, scilicet, Domini comitatum uocarentur, quã uocationem Matthæus & Marcus memorant. Illud uero, inuenimus Messiam, uidetur cum Emphasi dictum, atq; notare, Christi desiderio mire Simonẽ flagrasse, ut ita hæc Andreæ fratris renuntiatio nõ sine gestiente animo facta uideatur, ac si dixisset: Gaude frater, quẽ utercq; tam anxie expectamus, seruatorem inuenimus.

De nomine Christi in Matthæum dixi fusius. Eb. eum Meschiah uocant, Euangelista autem usum uulgi secutus Meschian scripsit. Nam Chal. משיחא dicunt, ex quo nomine si ח Ebræis notam aspirationis, durioris, uel demas, uel leuius ut quidam proferas, ש uero per duplex ss quod itẽ multi faciunt, exprimas, resultabit Messiah, cui Græci pro natura suæ linguæ, extrita aspirationis nota, & adijcientes s, reddiderunt Messias.

Quare Iesus unctus dictus.

Cur autem orbis saluatorem absolute unctum, populus Iudæorum uocarit, cum præter quàm apud unum Danielem, uix in omni scriptura eo nomine uocatus sit, caussam (quam pluribus tamen tractaui in Matthæo) fuisse puto, quòd unctum noua & diuina unctione, idq; ad regnum cœlorum, saluandumq; omnes in se credentes illũ expectarent. De qua unctione psal. 43. Dilexisti iustitiam & odisti impietatẽ pro-

propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quid enim oleũ lætitiæ quàm spiritus sanctus, qui ut diuinitatis, ita & sempiterni gaudij cõpotes facit? Item Iesaiah. 61. Spiritus Dominatoris Domini super me, quia unxit me, ad Euangelizandum afflictis misit me &c. Vngebantur olim reges, sacerdotes & prophetæ, ac ita ad officia sua initiabantur, iam rex regum Christus est, summus sacerdos, & prophetarum caput, qui non imperio externo modo regis, non brutis pecudibus sacrificat, nõ externa uoce tantum docet & monet, sed spiritu sancto, mentes, sed spontaneas regit ad salutem sempiternam, eo seipsum pro nobis sacrificium perfectæ expiationis obtulit, effecitq; ut & nos gratæ Deo hostiæ euadamus, eodem etiam docet & monet ut quos suo regno donauerit, reddat tandem per omnia iustos, sanctos & beatos. Cum igitur ad tam eximiam functionem Iesus esset destinatus, diuina hac unctione spiritus sancti, iure debuit præ omnibus filijs Dei inungi, atq; eo in regnũ suum, sacerdotium prophæteq; munus, inaugurari. Et hac caussa merito unctus sine adiectione aliqua, per Antonomasiam uocatus est, idemq; id pollet, ac si rex diceretur.

In eo uero quod Iesus Simoni, ut primum adductum sibi per Andreã uidit, dixit: Tu es Simon filius Iona, uidetur uim prophetiæ prodidisse, uti & Nathanaeli paulo post per Philippum aduocato fecisse Euangelista memorat, nisi quis malit scientem iam nomen eius, uoluisse tantum per antithesin, appellationi appellationem conferre, ac si dixisset: audio te uocari Simonem Iona, uerum alius per me eris, ideo & aliud tibi indam nomen, uocaberis posthac non Simon Iona, sed Petrus, diuina enim uirtute ita duraberis, ut plane saxeus futurus sis. Cætærum Cephas Chaldaicum ab eruditis sacræ linguæ censetur, qua lingua uulgo tempore Christi usos Iudæos creditur. Et alia enim Ebræa, libris noui testimenti leguntur interspersa, quæ huius linguę magis quam Bibliacæ, quæ purior & syncerior est Ebræorum lingua habentur. A qua, quàm Chaldaicam uocant, id, differt, quod Italica à pure Latina. Ita Bibliaca Ebræorum lingua כיפא Ceph petra dicitur, illa autem, que Chaldaica dici cœpit כיפא Cepha, cui à Græcis adiecta eorum more litera S, constituit Cephas.

Vocaberis Cephas.

Minutulum, hoc est, quod infra cap. ultimo, Simonem Ioanna, hic & Matth. 16. Iona uocatum à Domino legimus. Verisimile uero est, patrem Simonis יוחנן Iochanan, uel Chald. Iohanna nomẽ habuisse, unde extrita aspiratione ח & in fine adiecto S. factum sit Græcis Ioannes, quod idem postea contrahentes Ionas dixerint. Significat autem Iochanan uel Iochanna, quod nos Ioannes dicimus, gratiosum, quia à uerbo חנן deriuatum est. Nequaquam autem absurda uidetur eorum obseruatio, qui istud: Tu es Simon filius Iona, emphaticõs dictum à Domino putant, in hunc, scilicet, sensum, Noui te qui sis, quo & gratior mihi adueneristi. Simon Iona, id est, Ioanna, non tam uocaris, quàm es, audiens, scilicet, id quod Ebræis hæc uox sonat, & filius Ioanna, id est, gratiosi, cui Deus fauet. Vere enim tibi aspirauit fauor Dei, & audiuit tuas preces, unde & audire te fecit uocẽ fratris tui, ad me uocantis. Gratulare tibi, quòd ad me ueneris, faciam te rupem quandam pietatis & salutis, ideo posthac petræ cognomentum habebis.

Simon fili Ioná.

OBSERVATIONES

Obseruandum primum est, ut se habeat uera Christi cognitio, continuo serpit, quicq; eam nacti sunt, illico eam tanquam uitæ thesaurũ quibusq; charissimis impertire, summopere studeant. Qui credit, loquit. Proinde tenuem ij Christi cognitionem consecuti sunt, quibus tam nullum, aut certe tepidum studium est illam promouendi.

Notanda deinde est uocationis Dei efficacia, simul atque enim Simon à fratre ad Iesum uocatus fuit, secutus est. Sic recipiunt Euangelion quotquot electi diuini

Domini uocatus

tio æquanimiter expectãda ijs, qui Euangeliũ prædicant.

tus uocantur, & à Patre ad filium trahuntur. Nos ergo cũ nesciamus, quando Deo uisum sit, in corde suos uocare & attrahere, usq; ministrare Deo per uerbum Euangelij debemus erga eos, qui nondum porcos se aut canes esse, declararunt. Amplissima est Dei misericordia, & latissime patent tempora uocationis eius, ne conemur nos uel illam astringere, uel hæc contrahere.

Mirandum uero, quòd Dominus eum discipulum, cognomine petræ uel saxi, ob fidei rarum robur, & immotam uirtutem, præ alijs, cum omnes hac ratione petræ & saxa fuerint, ornauerit, quem sciebat præ alijs fidei infirmitate flectendum, imò tantum non commouendum. Quid enim saxeæ fidei reliquum, ubi ad uocem mulierculæ Christum ille negaret, à quo ne morte quidem auellendum se paulo ante persancte iurauerat: Discamus ergo & hinc temere neminem prorsus cõdemnare, agnoscentes longe aliter iudicare Deum atque nos. Indubie ut peculiariter hoc nomine insignitus hic Simõ fuit, ita & peculiari fidei robore fuit præ alijs donatus. Sicut & Ioannẽ Euangelistã experti sumus præ alijs uoce Euangelij tonuisse, quemadmodum illum Iesus Ben regesch, id est, filium tonitrui, præ alijs uocauerat. Sed ut demum uideremus, eam fidei in Simone uirtutem Dei fuisse, item Deum donorum suorum, etiam si ingrati sint quibus ea donauit, non pœnitere, sed perennem esse eius in electos suos fauorem, tantopere emolliri passus fuit hoc saxum, nulli alioqui ferro, nulli igni, aut ui cuicúnque cessurum.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Postridie uoluit Iesus exire in Galilæam.) PAR. Quum in eo sim ut exponam quomadmodum Iesus cœperit innotescere, & discipulos colligere, adijciam & uocationem Philippi atq; Nathanaëlis. Vocando enim hunc, ut diuinitatẽ suam Iesus paulo clarius exeruit, ita etiam perfectius fuit agnitus, atq; insigniori cõfessione celebratus. E` Iudæa reuertebatur in Galilæam, ibi repertum Philippum municipem Andreæ & Petri, iussit se sequi, quod cum is continuo fecisset, reperit mox Nathanaëlem, nuntiauitq; ei, non absq; gestiente gaudio, inuenisse se, de quo Moscheh & Prophetæ scripsissent, Iesum filiũ Ioseph à Nazareth. Nathanaël miratus, quòd Philippus dixisset à Nazareth, quando ex uaticinio Micah constaret, nasciturum Christum Bethleem, discendi non calumniandi animo dicebat: Potest aliquid exi mium ex Nazareth esse? Philippus autẽ nõ habens quid ad hoc respõderet, an mo tamen persuasus Iesum Christum esse, hortabatur illum ut ueniret ac ipse uideret, quid de Domino esset sentiendum. Paruit ille, incitatus tam læto nuntio, tametsi cũ scripturis prima facie pugnare uideretur, Iesus itaq; conspecto Nathanaële dicebat ad præsentes demonstrato Nathanaële: Ecce uere Israëlita, in quo nihil insynceri. Cumq; ille stupefactus ex hac sui laude, rogasset, unde se nosset, clarius Dominus diuinitatem suam prodidit, dixitq; illi: Cum sub ficu esses, priusquam te Philippus uocaret, uidi te. Istud ita animũ huius percelluit, quòd absenti sibi præsens, id quod Dei est, adfuisset, ut oblitus iam scrupi de loco natali Christi, continuo diceret: Tu es ille filius Dei ille Rex Israël, indubitatus Messias, quẽ hactenus expectauimus. Dominus uero uolens confirmare huius, & aliorum discipulorum fidem, adijciebat ad Nathanaëlẽ: Te adeo permouit, quòd dixi tibi, te mihi absenti corpore sub ficu uisum, maiora his uidebis. Prædico uobis omnibus meis discipulis, uisuri estis apertum cœlum, & Angelos ascendentes atque descendentes, ut mihi, licet filio hominis ministrent, Domino & instauratori suo.

ANNOTATIONES

Ex eo quòd Philippus Nathanaëli dixit: De quo scripsit Moses, in Lege & Prophetis, inuenimus &c. coniectura est, Nathanaëlem scripturarũ studiosum fuisse, atque in eis de aduentu & regno Christi diligenter uestigasse, unde Philippi renuntiatio, hunc sensum uidetur habere: Legem & Prophetas, optime Nathanaël, diligenter

a diligenter excutis, ut de Christi regno, quod uniuersi expectamus certior fias: En inuenimus illum, quem scriptura promittit, & tu tam anxie quæris

Quo autem pacto Lex, Moscheh, & Prophetæ, de Christo prædixerint, dixi non nihil supra in historiam Lucæ, de duobus discipulis qui petierant Emauntem: dicam item infra aliquid in illud: Quemadmodum exaltauit Moscheh serpentem.

Quòd Dominus uere Israëlitam, & sine dolo Nathanaëlem laudauit, ad spiritus synceritatem respexit: carne enim uniuersi mortales mendacium sunt, quia cum Paulo nemo quicquam boni in carne, id est, natura sua deprehendit. De hac synceritate & integritate spiritus, Psalmo tricesimo secundo canitur: Fœlix homo, cui Dominus non imputabit iniquitatem, & in spiritu eius non est dolus. Ab eodem nanque est, ut iniquitatem Dominus non imputet, & ut spiritus dolo uacet, fide nimirum, qua recte & pie de DEO animus sentit, persuasus à spiritu Dei. Hinc quemadmodum homo sperat sibi omnia à Domino peccata condonanda esse, ita nulla ei Dominus imputat, utq; synceriter Deum amat, ita procul omni dolo & hypocrisi, gloriæ Dei studet, atque in ueritate & spiritu Deum ueracem colit. Huiusmodi אמונים illi sunt, id est, fideles, quos raros factos in terra, Psalmo. 12. queritur, & eosdem חסידים, id est, beneficos uocat. Eiusdem enim spiritus Dei est, ut homines ueri euadant, boniq;, sine quo nihil quàm mendacium sunt, & uanitas. Hunc spiritum cum citra mensuram Christus habeat, totusq; purus labis humanæ natus sit, hæc laus, esse absque dolo, Christo propria est, uti illi à Vate Ieschaiah quinquagesimo tertio peculiariter tribuitur. Vere Israëlita.

Cæterum quod dixit, uere Israëlita, idem pollet, ac si quis dicat: Iste uere Christianus est, Israëli enim, id est, populo Dei, accensebantur ex humilibus plurimi, qui nihil minus, quam Israëlitæ, id est, de populo Dei erant, fide, scilicet, principis Dei, & germani Iaacob posteri.

b Tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël. Hæc flagrantis iam fidei, & exultantis inde cordis confessio fuit. Quanquàm enim omnes sancti filij Dei sint, ad cuius, scilicet, imaginem per spirtum eius formantur, unde & Israëlem filium suũ Deus uocat Hosch. undecimo, Dominus Iesus tamen peculiariter & unigenitus filius Dei in scripturis prædicatur, eò quòd in eo solo expressa sit Patris imago, hoc est, plena sapientia, iustitia atque potestas. Hoc de Christo Domino, sub typo Schlomoh pro missum fuit, 2. Schmuel. 7. & 1 Chro. 17. Item Psalmo. 89. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium. Et: Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, & petra mihi salutis. Ego uero primogenitum constituam eum, supremũ Regibus terræ. Item Psal. secundo: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Horũ ergo & similium uaticiniorum Nathanaël doctus, augustiore appellatione Dominum Iesum salutauit, filium Dei & Regem Israël uocans, cum uulgo Messiach Dauidis filium uocare solerent, indéque qui Iesum esse unctum Domini agnoscebant filium Dauidis eum salutabant. De his infra decimo pluribus. Cæterum filius dei Ebræis idem pollet quod Deus, sicut filius hominis, idẽ quod homo. Sic & primo Moscheh sexto filij dei, pro dijs positum est. Vnde constat quod maiorẽ homine Nathanaël dominum agnouerit, confessus eum filium Dei: deniq; uidetur per Antithesin ad nuntium Philippi, Iesum filium Dei uocasse, quasi diceret: Nequaquam tu filius Ioseph es, ex Nazareth ut te nominauit Philippus, sed Dei filius è cœlo. Filius Dei.

Posthac uidebitis cœlum apertũ.) Quid cœlorum nomine significetur, & quomodo aperiantur, nonnihil dixi, in illud Matthæi tertio: Aperti sunt cœli. Quoniã enim cœli omnibus creaturis præstant, Deo sedes assignati sunt, scriptura sese ad intelligentiæ nostræ, qui omnia cogitatione lacis affigimus, tenuitatem demittente: sic est affixus animus corpori, ut illud uertere eo soleat, quoad eius fieri potest, quo ferẽ ipse, iã quia Deus nulli loco affigi potest, nec uideri corporis oculis, agit animꝰ

excitatus in Deum corpus eo, unde maiestas Dei ex operibus ipsius oculis carnis apparet luculentius. Id uero fit maxime è cœlis, nihil enim corporeum, Deum tam clare & potẽter repręsentat, et exhibet atq; cœli. Ne aũt ex eo quòd cœli sedes Deo dicuntur, putaremus loco, aut ulla sua creatura Deum cõprehẽdi, scriptura Deum immensum & incõprehensibilem passim docet. Hinc ergo quòd cœli uelut peculiaris Dei locus, eo quòd licet omnia in omnibus compleat, in his maiore uirtute, diuinitatisq; suæ explicatione sese ostentet, dici cœperunt, consequenter cœli aperiri dicuntur, cum manifestius se lux diuinitatis aperit, & in cœlum recipi, qui ad præsentiorem diuinitatis perfruitionem admittuntur, & de cœlo uenire, aut mitti, quæcunq; diuiniora habentur.

Ministrantes Angeli.

Cæterũ quòd discipuli uiderũt Angelos ascendentes & descendentes super Christum, declaratio fuit diuinitatis Iesu, & significatio, eum licet filius hominis esset, super omnẽ principatum & potestatẽ tamen regnaturũ, omniaq; pedibus eius subijcienda, & cum patre uniuersa habere cõmunia. Quanq; aũt nusquã nominatim sacræ historiæ huiusmodi aliquid memorent, uti memorant super dominũ cum baptizatus oraret, apertos cœlos, spiritũ in specie columbæ descendisse, uocem patris delapsam: item cum transfiguraretur Mosen & Heliam illi collocutos, indubie tamen quòd hic uisuros Christus promisit, discipuli uiderunt, etiam si id ut multa alia nominatim nusquam descripserunt. Electi enim satis superq; habent ad cognoscendum Christum, in ijs quæ illi in literas retulerũt, reprobis nihil satis esse potest, etiam si singula ordine conscripta haberemus.

OBSER. Primũ considerandũ hic, quòd dominus discedens ex Iudæa, Galilęã repetierit, ex celebri regione obscuram, ex ea in qua tam magnifice à Ioanne fuerat prædicatus filius Dei, in eam ubi ut filius Ioseph contẽnebatur, sic erat uoluntas patris, ea erat Christi uocatio, illi inseruijt, idem studeamus & nos, non dubitantes ibi nos optime esse, & cumulatissime fructũ facturos, ubi nos constituerit Pater.

Quod tertiũ Christus ex Bethsaida discipulũ uocat, iterum monet, quàm delectetur humilibus. Quòd uero ille cõtinuo uocat Nathanaëlem, exemplum est fidei, in salutem aliorũ continuo sese explicantis. Animaduertenda deinde & utilitas scripturæ est, in quo Israëlita sine dolo uersatus, expectatione Christi ad omnem pietatem fuit apparatus. Circa illud uero, quòd inter se Philippus & Nathanaël colloquuti sunt, diligenter obseruandũ, ut se habeant, ad incognitam adhuc ueritatẽ, ueritatis synceriter studiosi. Scripturã habebat Nathanaël, Christũ filium Dei proditurum ex Bethlehem, Philippus aũt nũtiauerat eum filiũ Ioseph, ex Nazareth. Quod ergo Euãgelio Philippi aduersari uidebatur, Nathanaël simpliciter obiecit, cumq; Philippus nodum dissoluere nõ posset, & inuitaret ad uidendũ, tantũ ualuit apud Nathanaëlem ueritatis studiũ, ut illico Philippũ ad Iesum sequeretur, quãlibet cum scriptura pugnare uideretur quod Philippus nuntiauerat. Hinc datum illi fuit, ut mox ita dominũ agnosceret, ut omnis semel dubitatio euanesceret. Sic & nos faciamus, si quid nuntiatur salutare, si quid doctrinæ Dei nomine offertur, etiã si id cum scriptura prima facie pugnare uidetur, non illico resiliamus. Pugnat sępe in specie, quod in re nõ pugnat, proponitur etiã plerũq; ueritas alieno uelata ornatu, uti hic Philippus Iesum filiũ Ioseph prædicabat qui erat Dei, & natũ Nazareth, qui editus erat Bethlehem: quòd si perseueres ueritatẽ inquirere, illa tandẽ sese offeret intuendam ornatu suo. Itaq; si quando nostris nõ queat illico obiectionibus satisfieri, ne sic tamẽ dãnemus quod oblatũ est, ut ampliorẽ ueritatis uestigationẽ repudiemus. Veniamus & nos, & uideamus, hoc est, oblatã ueritatẽ interius cõsideremus, inuocato spiritu Christi. Quid indignius enim homine Christiano, cũ reijcere doctrinã Christi? At citius cũ quisquã putet hoc feceris, si non omnia diligentissime excusseris. Diligentes & meditantes in lege sua die noctuq; requirit Deus. Veni ergo & uide, & uide attente, ne pro filio Ioseph reijcias, qui est filius Dei & saluator tuus.

Non temere reijciendum, quod doctrinæ Dei nomine offertur.

Et per-

A Et perpẽde quantã obiectionẽ cõtra Philippũ hic Nathanaël habuerit,& quàm mutus ille ad eum fuerit,adhuc tamen nequaquàm tam lætum hic nuntiũ contemplit.

Præterea mirari quis possit, cur dominus tam eximie laudatũ à se Nathanaëlẽ, & tam egregie cõfitentem,nõ fecerit unum ex duodecim.In hoc discendum,ut nõ sit uel pietas,uel fœlicitas metiẽda ab officijs. Vita iusti fides est, quã qui cõsumma riorem habet,is beatior est, etiã si ad nihil eximiũ illo Deus in Ecclesia utatur. Manus operosior est in externis,quàm cor sit,nihilominus præstat tamẽ manui cor. Sic inuenias qui in enarrandis scripturis,in exhortandis fratribus, minimũ ualeant,fide tamẽ & dilectione,hoc est ,ipsa pietate omnes antecellant.Quid eiuscemodi ob est,quòd nõ sunt Prophetæ,aut Apostoli,cũ beati sint filij Dei? Saris igit̃ sit cuiq; in corpore Christi esse,spiritu eius uiuere,quẽ cumq; demũ locũ obtineat. quemcũq; actum habeat. Postremo notandũ ministeriũ Angelorũ omnibus qui in domino cõfidunt, cũ Christo esse cõmune, iuxta Psal.nonagesimũ primũ: Angelis suis mandauit de te &c. & Psal.34. Angeli ceu uallo circundant eos qui timent dominũ.

CAPVT SECVNDVM

IT die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus,ac discipuli eius ad nuptias,Et ubi defecisset uinũ,dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.Dicit ei Iesus:Quid mihi tecum est mulier? Nondum uenit hora mea.Dicit mater eius ministris Quodcunq; dixerit uobis,facite,Erant autẽ ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundũ purificationem Iudæorum , capientes singulæ metretas binas aut ternas , Dicit eis Iesus:Implete hydrias aqua.Et impleuerũt eas usq; ad summũ.Et dicit eis:Infundite nunc , & date Architriclino,& tulerunt, Postquam autẽ gustasset Architriclinus aquã in uinum factam,neq; sciret unde esset , sed ministri sciebant , qui hauserant aquã,uocat sponsum,& dicit ei: Omnis homo primo loco bonũ uinum ponit, & cũ inebriati fuerint,tunc id quod deterius est,Tu seruasti bonũ uinum usq; ad hoc tempus. Hoc edidit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.& manifestauit gloriam suam,& crediderunt in eum discipuli eius *Sectio.1.*

Post hæc descendit Capernaũ ipse & mater eius, & fratres eius,& discipuli eius,&ibi mãserũt nõ multis diebus.Et in propinquo erat Pascha Iudæorũ,& ascẽdit Iesus Hierosolymã,& reperit in tẽplo eos qui uendebãt boues & oues & colũbas,& numularios sedẽtes.Et cũ fecisset flagellũ è funiculis. omnes eiecit tẽplo,oues simul ac boues,& numulariorũ effudit æs,mẽsasq; subuertit.Et his qui columbas uendebãt,dixit: Auferte isthinc,nec facite domũ Patris mei domũ mercatus.Recordati uero sũt discipuli eius,quod scriptũ est :Zelus domus tuæ exedit me.Respõderunt ergo Iudæi,& dixerũt ei:Quod signũ ostendis nobis,quòd ista facias? Respõdit Iesus,& dixit eis:Destruite tẽplum hoc,& in tribus diebus erigã illud.Dixerũt ergo Iudæi:Quadraginta & sex annis extructũ est tẽplum hoc,& tu tribus diebus eriges illud? At ille dicebat de templo corporis sui.Cũ ergo resurrexisset è mortuis,recordati sunt discipuli eius, quòd hoc dixisset eis,& crediderũt scripturæ,& sermoni quẽ dixerat Iesus. *Sectio.2.*

Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in *Sectio.3.*

nomen eius, uidentes signa eius quæ edebat. Ipse autem Iesus non credebat c
semetipsum eis, eo quòd nosset omnes, nec opus haberet, ut quisquam testa/
retur de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.

TErtia die nuptiæ factę sunt &c.) Apertior historia est, quã ut Paraphra
sin requirat. ANNOT. Tertia dei, intellige postquã in Galileam Chri
stus uenerat. Mater Iesu erat illic. Id coniecturã facit, nõ fuisse cum do
mino matrem in Iudęa, deinde & familiarem fuisse ijs, quorũ erant nu
ptiæ. Ioannẽ tamen affirmare fuisse hunc sponsum, friuolum est.

Quòd mater filium monuit deesse uinum, dilectioni & humanitati eius tribuere
malo, quàm inanis studio gloriæ, quasi cupiuerit intempestiue ex filij miraculis cla
rescere. Quòd autẽ Christus hic & alibi matrem suam, non matrem, sed mulierem
appellauit, & hic nihil uoluit sibi & illi commune agnoscere, dicens: Quid mihi &
tibi mulier, ab omnibus pridẽ receptum est, ideo fecisse eum, ut declararet se alium
& maiorem esse, quã filium mariæ qui esse credebatur. In hoc enim uenerat, in hoc
omnia dicebat & gerebat, ut quẽ nemo filiũ Mariæ & hominem dubitabat, electi
etiam filiũ dei agnoscerent, à quo salutẽ sperarẽt. Talẽ igitur se gessit, & ideo matrẽ
carnis hactenus nõ agnouit, cęterũ tamẽ nihil quod filij esset, erga illã omisit.

Quod dixerit uobis facite.) Fidei hoc erat quæ nõ dubitabat dominũ inopię in
dicatæ succursurũ. Sic sane sentire solet Fides adfore opẽ domini, quãdo exorauit,
etiam si nondum ea appareat. Motus siquidem est, spiritus Dei oratio, unde mentẽ
Dei in ea homo præsentiscere facile potest.

Erant uero illic Hydriæ lapideæ sex &c.) Marci. 5. legimus Iudæis morem fuisse,
nisi antè manibus fonte ablutis, non capere cibum, & reuersos à foro solitos an/
tea tingi crebro, & uasa abluere. In hũc ergo usum aderant sex istæ hydriæ, capien/
tes duas aut tres metretas. Metreta & cadus eadẽ mensura est, capiens congios de/
cem, & sextarios saxaginta, quæ mensura superat fere congio, eam, quæ Argentora
ti eyn om uulgo dicitur, quarũ uigintiquatuor cõficiunt plaustrũ, quod uocant, id
est, quantũ plaustro commode uehitur. Quanquàm modo soleant ferè supra trigin/
ta omas plaustro uehi. De metreta si libet lege Budæum li. 5. de Asse. Volui hoc an
notare ut uideremus, quã largum fuerit domini beneficium. Ostendũtur enim ua/
rijs in delubris, portabiles hydrię, quasi ex his sex fuerint, quæ uix congium capiũt,
taceo metretam unam. Vbi enim è medio cesserat ueritas Euãgelij, nihil fuit tam ab
surdum quod nõ sit uulgo persuasum. Cũ enim tantũ aquæ, quantũ sex istæ hydrię
ad summũ plene capere potuerunt, in uinum, domini uirtute mutatum fuerit, con/
stat supra dimidiatum plaustrum uini his nuptijs dominum donasse.

Quod uero hydrias implere aqua dominus ministros iussit, inde haurire & ferre
præfecto nuptiarum, quòd uoluit Architriclinum miraculi ignorantem, sponsum
uocare, & de uino tam bono cũ eo disputare, omnia hæc huc iustituta fuere, ut uir/
tus sua commodum innotesceret, & sibi ut seruatori fides haberetur. In omnibus
enim salutem hominum, & non suam gloriam spectauit.

OBSERVATIONES

Perpendendũ probe, quã alia mens domino, ac matri eius sanctissimę fuerit quàm
hodie Anabaptistis, & paulo ante fuerit monachis. Honestas & præclaras nuptias
habuerunt, ut sunt, & cubile eorũ qui in domino cõueniunt, agnouerũt immacula
tum, Heb. 13. Modestam etiã hilaritatem, & frugale cõuiuium nõ fuere auersati, Et
quod mireris, sobrietatis autor, tantũ uini cõuiuis inter quos indubie fuere, qui lar/
gius quã necessitas posceret, biberũt, donauit, & quidẽ optimũ, quale ante in eo qui
dem cõuiuio nõ gustauerãt. Biberant enim cõuiuę, reliquã sitim facile iam aqua ex
tinxissẽt, & si omnino uinũ illis uoluisset donare, potuisset donare & minꝰ, et uilius.
Gloriã suam alia grauiori in re æquè potuit declarare. Multis alijs ad necessitatem
uinum

A uinum deerat,& his ſuppeditauit,ut ſupereſſet. Catabaptiſtę indubie,ſi tum adfuiſſent, grauiter dominum increpuiſſent, ſi non etiam excommunicaſſent. Sed qui Deum uere times,& abſcę fuco Chriſtum amplexus es,mitte iſtos ſupercilioſos beneficiorum Dei contemptores,ſcito omnem Dei creaturã bonam,modo cum gratiarum actione illa utaris,luxum uita, temperatam hilaritatem ne damnato,condi autem illam ubi adfueris,ſermonibus ad fidei ædificationem facientibus. Lætari olim populum ſuum,& epulari coram ſe dominus uoluit. 5. Moſch. 16. idem Deus et nobis eſt,& ſui ſimilis eſt, tantum quod tum præcepit,ut Leuitarũ, hoc eſt,eorum qui ſpiritualia diſſeminãt,peregrinorum,pupillorum & uiduarum, hoc eſt,omniũ gentium ratio haberetur,ne prætereas. Erit,cum dominus & ieiunandi & lugendi occaſionem dabit,tum & in ijs,miniſtrum Dei te exhibeas,lege. 5. Moſch. 14. &. 16. Luc. 14. 2. Corinth. 6. Epheſijs. 5.

Hilaritatem moderatam non damnandam.

Cæterum in matre indicante uini inopiam exemplũ eſt, cum officioſæ dilectionis,aliena incommoda ſua ducentis,tum fidei multa ſpe,ſed uerbis paucis orantis. Nouerat mater nihil minus ferre poſſe filium,quàm ſuorum inopiam,etiam corporalem,quare ſatis habuit,tantum uerbo inopiæ conuiuarum admonuiſſe. Sic ſe habet omnis animus ex fide orans.

In Chriſto uero matri durius reſpondente,& nondum ueniſſe horam ſuam cauſſante,exemplũ eſt,in negotio Dei,carnis affectus ablegandi,& diligenter in omnibus opportunitatem à patre decretam,obſeruandi.

Vini inopia, tanta copia, & quidem præſtantioris commutata, monet adeò nihil poſſe deeſſe habentibus penes ſe Chriſtum, ut ſi quid etiam ad tempus uideatur deeſſe,mox benignitate eius redundet. Quid enim boni deſiderent poſſidentes fontem bonorum?

Ex eo,quòd hoc miraculo,quo Chriſtus gloriam ſuam,id eſt, diuinam potentiã, B ſalutem hominum ubicę curantem,manifeſtauit, diſcipuli adducti ſunt ut crederẽt in eum,in ſententia,ſcilicet, quam de eo conceperant,confirmati,Chriſtũ eſſe eum credentes, apparet,ad quid uera miracula faciant. Vt enim miracula rarę quædam diuinæ uirtutis declarationes ſunt,ita animos electorum attrahunt, ut illam agnoſcant,eicę ſeſe dedant, reprobis uero excuſationem adimunt, & fulgore ſuo peniſus excæcant,ac etiam in furorem agunt,id quod Phariſæis uſuuenille ex miraculis Chriſti Euangeliſtarum literæ teſtantur. Falſa miracula, ad ſuſpicienda cõmenta Satanæ abducunt,qualia fuere,quæ de diuis & eorum reliquijs & ſtatuis,impoſtores iam multis annis apud uulgum iactarunt. Texuntur ex his allegoriæ,ſed nihil,tam Chriſtus quàm Euãgeliſta, allegoricõs in his dixit. Hiſtoria aperta eſt,qua memoratur,ut Chriſtus potentiam ſuam exercuit, & credere ſibi diſcipulos ſuos fecit. Vtinam hæc & nos ita legere & capere poſſimus, ut agnoſcentes Chriſti gloriam,ſeruatorẽ noſtrum ipſum agnoſcamus,qui ut his conuiuijs non eſt paſſus deeſſe uinum,ita & nobis nihil patietur deeſſe,quod ſaluti ſit, præcipue aũt bona ſpiritualia. Hæc certa ſunt,& à ſpiritu Dei nobis tradita,allegorica illa commenta,incerta ſunt,& conficta ab hominibus.

Contra allegorias.

Solet hic tractari locus cõmunis,cõiugium,quid ſit,quibus competat,quo pacto deniq; diſſoluatur. De his fuſe diſſerui in. 19. Matth. Summa eſt: Nõ eſt bonum homini eſſe ſoli, quem ergo aliò non uocauerit dominus, illi in coniugio uiuendum eſt,& ita ut unum uiuat cum cõiuge hominem,idq; perpetuo, niſi aliud uel immittat dominus,uel culpa requirat coniugis.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Poſthęc deſcẽdit Capernaũ.)Et hęc hiſtoria clara eſt,neq; Paraphraſi habet opus.

ANNOT. Vt Prophetæ,ita & Chriſtus in celebrioribus urbibus ferè docuit,ut cõmodius doctrina Dei ſpargeretur, & ibi potiſſimũ uirtus Dei declaretur ad ſaluan-

dum

dum,ubi præcipue uiguisset uis Satanæ ad perdendum. Cæterum de habitatione domini Capernaum,quod oppidum inter Galilææ oppida,præsertim eius quæ lesu patria erat, in qua in præsens uersari ex Patris uoluntate uolebat,frequentius & insignius erat,Matth.4.& Luc.4.plura legimus.Et propè erat Pascha.)Lex in omnibus adhuc uigebat:ad locum igitur tabernaculi ex lege dominus concessit;alibi enim non licebat celebrari Pascha.5.Mos.16.

Reperit in templo uendentes boues & oues.&c.)Hunc mercatū ex auaritia quidem Iudæi instituerant,prætextum tamē aliquem ex Lege habebant.Nam 5.Mos.14 legimus mandatum,ut qui longius à templo habitarent,sua dona domi tienderent,alia ea pecunia empturi in loco Domini.His ergo inseruire, quò commodius inuenirent quod offerrent,uideri uolebant isti,quos Dominus templo eiecit,uenditores & numularij.Cum fecisset flagellū ex funiculis.)Matt.21. Mar.11. & Luc.19.Simile legitur Dominū designasse,postridie quàm insidens asino Hierosolyma fuisset cum ingenti populi applausu ingressus. In Matthæū quædam in hoc anno taui,& locum ex Iesa. 56. adductum,exposui. Hic caussam cur expelleret eos,hanc reddidit. (Simile enim & non idem factum à Ioanne hic narrari existimo) quod deceret Patris domum,facere domum mercatus.Patri enim dicata erat,ut in ea populus conueniret,percepturus legem eius confirmationem fidei in promissiones eius.& gratias ei pro beneficijs,deniq; necessaria ab eo oraturus:illi aūt quos ejciebat,ad lucrum & quæstum abuti ea cœperant,licet prætexerent sacrificiorum cōmoditatem,quam mercatu suo uideri uolebant peregrinis adferre.

Recordati uero sunt discipuli eius &c.)Post resurrectionem,scilicet,cum accepto spiritu scripturas intelligerent,ut ipse Euangelista in sequentibus expouit.Locus uero hic Psal.69.legitur.Queritur illic Vates, se propter Dominū tulisse opprobriū & obductā ignominia faciē suam, alienū factum se fratribus suis, & extraneū filijs matris suæ:his caussam,unde ista sibi acciderint, hāc subijcit: Quoniam zelus domus tuæ exedit me,& opprobria eorum qui tibi opprobrati sunt,ceciderunt super me & fleui &c.Significare enim Porpheta uult,ex studio Dei,& domus eius,id est, cultus eius,qui in domo Domini institutus erat, euenisse,ut omniū etiam domesticorum suorū odio flagraret,& perferret quæcunq; hostes Dei acti à satana,contra uerbū & institutū eius,ausi fuissent. Iam cōstat, ubi fuere perditi istiusmodi contra Dominū cœperint,nihil esse opprobrij,nihil cōtumeliæ, nihil uiolentiæ quod zelantibus Dominū non inferant. Id non solū hostes Christi Pharisæi & sacerdotes, sed & qui hodie Euāgelio aduersantur,satis declarāt.Cum itaq; sicut nemo ardentius pro gloria Patris zelatus unquā fuit quàm Christus,ita nemo peius quoq; acceptus est ab hostibus eius,iure recordati discipuli huius dicti fuere,quod & nemo alius de se rectius dicere potuit,imò in quem unquam plenius quadrarit, id spiritu Christi factū est.Huius enim quanto plus quisq; accepit,tanto feruentius glorię dei studet,malorumq; inuidia sese onerat, & dicti huius ius sibi uendicat. Christus caput sanctorum est,& agit omnia in omnibus,quare quicquid sanctis competit, ipsi in primis competit, quæcunq; deniq; laudes in scripturis tribuuntur,in Christo recte dicuntur completæ. De his suprà in Matthæum circa finem, & infrà in capite quinto plura.

Zelus domus tuæ.

Respondērūt ergo Iudęi.)Nota Euangelistas responsionē uocare,quemlibet ad alios factum sermonē,etiam si nullus ab illis præcessit,ad quē referatur.Sic Luc.14. Cum Dominus,uiso hydropico,legis peritos & pharisęos rogaret: Nū liceret sabbatho curare:Euāgelista pręmisit:Et respōdens Iesus dixit &c.Sic & in pręsenti scribit Ioānes Iudęos respōdisse,cū nihil adhuc uerborū ad eos fecisset dominus, & ipsi dialogismum inciperent. Vnde uident Euāgelistæ respondendi uerbo pro Ebræo נען abusi,quod fere respondere significat,sed accipitur tamen plerunq; pro loqui, sermo nē

Quomodo respōdere accipiatur apud Euāgelistas,

A sermonem ue ordiri ad aliquem, sic Iescha. 14. כלם יענו ויאמרו hoc est, omnes inci
pient loqui, & dicent. Græci ita reddiderunt: πάντες ἀποκριθήσονται καὶ ἐροῦσι, id est,
omnes respondebunt, & dicent. Sic iam & Euangelistæ uerbo ἀποκρίνειν usi sunt in
terdum, etiam pro initio sermonis, non tantum pro eo quod ad alterius uerba rege
ritur. Istuc obseruatum liberabit frustraneis quæstionibus, quibus torquentur qui
dam, dum apud Euangelistas uerbum respondere reperiunt, ubi tamen nihil præ
cessit, ad quod responsio daretur, sicut in loco Lucæ citato, ac alijs pleriſq;.

Quod signum ostendit nobis (Signis legationem suam Moscheh Israëlitis appro
bauit. 2 Moscheh. 4. Poscebant ergo & hi signum, quo agnoscerent, id quod Domi Quod signū.
nus sibi arrogabat autoritatis, à Deo esse ei demandatum, nec uidebant miseri id ip
sum, quòd tam humilis in oculis eorum tantam exerceret potestatē, signum & mi
raculum esse plane stupendum. Nemo enim quamlibet contempto ei fabro & fa
bri filio, ut illis habebatur, audebat obsistere. Matth. 21. Cum secūdo & hoc facinus
designasset, quod describunt Matth. Mar. & Luc. interogauerūt eū principes sacer
dotum & scribæ, & seniores, qua autoritate id faceret: quā quæstionem, alia repulit
de baptismo Ioannes. Hic autem, obiecit quòd alibi signum Ionæ uocat, signum re
surrectionis suæ, signū sane quo electi agnoscunt omnem potestatē Domino à Pa
tre traditam, quoq; idem tandem agnoscent, cum uidebunt eum sedentē à dextris
uirtutis, & uenientē in nubibus cœli. A mortuis enim in uitam sua uirtute redire,
utiq; Deum esse conuincit, & eum cui parere debeant omnia. Hæc aūt nō plane &
apertis uerbis, sed ænigmaticōs, obscuriore, scilicet, allegoria Iudæis respōdit, dic ēs:
Soluite templum hoc &c. corpus suum intelligens, Non enim rogauerant illi ut di
scerent, sed ut calumniarentur. Quare cum obiicerēt templum quadraginta & sex
annis ædificatum, nihil eis respondit. Poscebat enim gloria Dei, ut facto & uerbo
B uiderent se à Domino cōtemni. Cui cum nihil possent cōtrà mali inferre, quod ma
xime cupiebant, eo ipso signi satis habuerunt ad cognoscendam Dei in eo uirtutē,
sed aliò acti à satana, quòd sentiebant, sentire nolebant, quòdq; uidebant, non potu
erunt agnoscere: Præterea dictum Domini & si in præsens, neq; à discipulis quidē
intelligeretur, fructum tamen suum, sed suo tempore attulit, cum, scilicet, dato spiri
tu intellectum fuit. Et ex eo enim quòd resurrectionem suam hic Christus prædixit,
& tam glorioſe resurrexit ut prædixerit, fides in eum ut unicū omnium Dominū &
saluatorem, non solum discipulis, qui hæc audierūt roborata fuit, sed omnibus qui
postea eadem legerunt & audierunt. Quanquam & hic, & dum signi Ionæ memi
nisset, ad id uirtutis suæ miraculū respexerit, quòd spiritu suo, cum mortuus fuisset,
& à mortuis resurrexisset, ad se omnia traxit. Vere enim stupendum portentū erat,
& est hodie nulla ui impediri posse, quin homines certatim salutem ab eo petendā
sibi ducant quē Iudæi dederant neci, regnumq; eius quotidie inualescere, quē Iudæi
crucifixerant, nec uspiam uidebāt. Tum sane si ullo pacto de seruatoris diuinitate
persuaderi Iudæi potuissent, abunde satis argumenti signorumq; habuissent. Cæte
rum quòd Iudæi dixerūt: Quadraginta sex annis templū fuisse ædificatū, conuenit
cum uaticinio Daniel. 9. qui prædixit septē hebdomadibus annorū, id est, 49, plateā
& fossam Ierusalē ædificandā. Neq; obstat quod Ezra & Nehemiah breuius tēpus
uidentē memorare: de cōsummata enim hoc ædificatione Iudæi respōderūt, quę urbis
quidē quadrageſimo anno, ab edicto Artaxersis Lōgimani de reædificāda Ierusalē
& tēplo, cuius meminit Nehemiah, facta est, tēpli uero, 46. His utiq; nō pugnāt hi
storię Ezra & Nehemiah, etiā si dedicationē tēpli antea factā memorēt: dedicarunt
enim templum, quo cultus Dei institueretur, quā primum sacrificia in eo fieri potue
runt. In Matth. 24. plura de his.

Ille uero dixit de tēplo corporis sui. Nota hic quàm incerta doceant, qui singu
lis rebus populi ueteris, certa in regno Christi respondere, tanquam ueritatē typis

contendū t,

contendunt, & inde ex ijs, quæ typis acciderunt, uaticinari uolunt, quæ debeant accidere ijs, quæ typi illi portenderunt. Templum Solomonicum, figura illis est Ecclesiæ, inde ex eo quòd templo illi acciderunt, prædicunt quę debeant accidere Ecclesiæ. Hic autem uidemus Dominum etiam suum corpus, in quo nimirum diuinitas corporaliter habitat, templum uocasse. Similitudinem enim aliquam, cum templo illo habet, & similitudo spectanda est in omni translatione. Libenter tamen fateor, quæ in cultu Dei præcepta sunt ueteribus, fuisse ὑποδείγματα καὶ ἀντίτυπα, id est, exemplaria, cœlestium & uerorũ, ut Epistola ad Heb. 9. affirmat, legemq; umbrã habuisse futurorum bonorum, ut 10. cap. eadem Epistola adserit: hinc tamen nõ sequitur, ut singulis cęrimonijs & institutis populi ueteris, apud nos singula respondeant, sintq; in illis deliniata, quæcunq; accidere debent nobis, sicut etiam non sequitur, illa ueteribus nihil aliud commodasse, quàm quòd futura portenderint de quo supra in caput primum in sect. 7. in ἐκβάσει de baptismo.

Sic res omnes habent, ut imperfectora, perfectorum sui generis umbram quandã contineant, & significationem. Sic domus umbrã habet ciuitatis, & ciuitas regni. Sic herba fruticis, frutex arboris, Sed & spiritualium rerum significationem habẽt nonnullam, corporalia. Notiora enim nos manuducunt in cognitionem eorum, quæ non ita nota sunt, & cum notis tamen affinitatem aliquam habẽt. Sic ergo imperfectus & corporalis cultus Dei, ueteribus præceptus, umbram & significationẽ habuit perfectioris & spiritualis, qualẽ nos habemus, sed quo nec illi pro sua portione destituti fuerunt. Itc uero & noster cum nondum plene perfectus & spiritualis sit, umbrã obtinet plene perfecti & spiritualis, nempe cœlestis, quem expectamus. Interim tamen non oportet in singulis obseruationibus, tam ueterũ, quàm nostris, singulas significationes requirere uitæ insequentis & pfectioris. Habet quilibet status etiam sua propria, & ueteribus multa præcepta fuere, in hoc maxime, ut quãdo quidem caro cęrimonijs carere nõ potest occuparentur ijs quæ Deus præcepisset, ne uel sibijpsis fingerent proprias, uel à gentibus mutuarenrur inuentas à dæmonibus. Sic enim adsuefiebant uoci parere Domini, & in timore eius uersari.

Ordo operum Dei.

Cum ergo resurrexisset à mortuis. Nota ut certis temporibus omnia dispenset Deus. Regnum & gloria Christi est, spiritu suo electos illuminare, & cœlesti sapientia donare. Quia ergo pati Christum ante oportuit, quàm regnum & gloriam suã ingredi. Lucæ. 24. spiritus etiam tam opulente dari non potuit, eo nondum glorificato, infra. 7. Rudiores igitur manserunt discipuli, donec mortuo, & inde glorificato Christo, paracletus ipsis aduenire, nihilominus uitam æternam iam fide possidebãt. Ita citra iacturã salutis est, si interdum quædam ad tempus ignoremus, si modo obsignati sumus spiritu filiorũ Dei, & obtinet apud nos timor & fiducia Dei.

Et crediderunt scripturæ &c. scilicet, iam intellectæ. Et antea enim ueram scripturam nõ dubitabant, sed in Domino uere demum completam, nõ ita agnoscebant.

OBSERVATIONES

Primum circa id, quod Dominus Capernaum cum suis habitauit obseruandũ, ut Dominus inter suos, & in patria donec alio à patre extruderetur, humilis & obscurus degit. Sic & nobis nostræ uocationes nõ sordeant, neq; nostros deseramus, donec ab eis nos abstrahat pater. Quod ad festum ascendit, monet, ut nihil præceptorum Dei quamlibet minutum id sit, nullúmue morem publicum, qui alijs conducat, etiam si nos eo non indigeamus, prætereamus. Contra faciunt Catabaptistæ, qui quòd putant sibi non esse opus publicis cõcionibus, nullas inuisunt & contemptas reddere conantur, quanquam etiam ipsis, non solum Ecclesiæ reliquæ per necessariæ sint.

In expulsione uendentium, exemplum est zeli pro gloria Dei, quem tamẽ moderari oportet à spiritu Dei. Sic enim succedit quicquid tentaueris, quanquã insolens sit,

a sit, quale erat præsens Domini facinus. Sine spiritu nihil recte feceris, si etiam nihil insolens sit. Agi oportet spiritu Dei, qui filij Dei sunt, non sua duci ratione. Is si in nobis obtinuerit & uret nos, quod gloriã Dei obscurat, & cõmodũ contra id, quic quid sit, incitabimur, ac ita armabimur, ut omnia nobis cedere oporteat. Animad uertendum etiam in hoc facto, quam inuisa res Deo sit, sub prætextu cultus eius, nostra quærere.

In eo quòd Iudæi sentientes uim diuinam, & signum plusquam admirandum, signum adhuc postulant, stupor & cæcitas reproborum obseruari debet, quibus ni hil satis ueritatem probare potest, etiam si tangant eam manibus, Nati enim ex Dia bolo, non possunt rebus Dei non aduersari.

Quòd responso suo Dominus magis stupentes illos reddidit, animaduertendum est, iustum iudicium Domini sic poscere, ut uidentes non uideant, de quo infra. 9. plura. Vnde si in sermone sanctorum tales offendantur, animaduertendum ita sem per solere spiritum Domini sua administrare. Excæcat & indurat reprobos, quic quid hic spiritus agat, aut dicat, ut in capite sanctorum Christo, ita & in omnibus membris eius. Vnde mittẽdi nobis sunt, neque cruciare nos debet, si quando ueri tate rite dispensata eos offenderimus. Plantatio sunt, quam Pater cœlestis non plan tauit, quare eradicari eos oportet, utcunque tractentur. Nobis tamen danda sem per opera est, ne nostra culpa illi ansam arripiant, ueritatem blasphemandi: id caue bimus, si in timore & tremore semper uocationi nostræ attendamus, sedulis preci bus ducatum spiritus perpetuo orantes.

Postremo circa id quòd & uerba Domini discipuli à resurrectione eius primum recte cognouerunt, obseruandum, quàm non sit nostrum ueritatem agnoscere, sed tantũ spiritus Dei, qui nobis, licet discipulis Domini, tum datur, cum Patri uisum b est. Nihil igitur sibi caro arroget, sed spiritum illum oremus, qui docet, suggerí tq; omnia, & in omnem inducit ueritatem.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Cũ autẽ esset Hierosolymis.) Neque hæc Paraphrasim requirũt. ANNOTAT. Notandum hic, duplicem esse fidem. Veram enim habentibus, ac per eam, filijs Dei constitutis utique his qui credere in Dominum uidebantur, ipse se credidisset: *Duplex fides.* sed erant, quos signa in admirationem eius adduxerãt, ut esse eum aliquid persua si essent, ac ita in nomen eius crederent, hoc est, eum Prophetam & filium DEI, qui nominabatur, agnoscerent, sed id citra animi innouationem, citráque certã salutis ab eo expectationem. Vt enim eiusmodi DEVM ignorant, neque nosse possunt, ita neque uere in nomẽ Christi possunt, credere, alioqui haberent uitam æternam. Ratio igitur istorum in præsens miraculis conuicta erat, Iesum aliquid magni esse, quæ ratio quàm in præsens illum admirabatur, credens in nomen eius, tam postea fuit eum auersata & detestata, dum sensit illum suis cupiditatibus aduersarium. Sic credunt & illi, qui semini in petrosam terram iacto assimilantur, ad tempus, scilicet, & in tempore tentationis recedunt, Lucæ octauo. Nam sicut dum ratio in Domino agnoscit, quod sibi conducturum arbitrabatur, ipsum amplectitur, quemadmodũ faciebant turbæ à Domino pastæ, & alias quoque adiutæ, ita dum rursus in eo of fendit, quod auersatur, rursus eum reijcit atque damnat. Sic hodie uidemus mul tos qui paulo ante mire Euangelio Christi uidebantur addicti, quia in eo deprehẽ derant, quod faciebat ad cupiditates suas, alius carnis sperabat liberatem, alius opes sibi promiserat sacrificorum, ubi autem Euangelio professii neutrum illis, sed cru cem potius cœpit adferre, tam modo detestantur Euangeliũ, quàm antè probabãt. Isti sunt qui credunt in nomẽ Christi, & ipse tamen se eis nõ credit, nouit enim quid sit in homine, nouit eos nihil minus habere, quàm ueram solidámque in se fidem. Hanc enim qui habent, spiritum Dei habẽt, noui homines sunt, Dominum ut uere

cognoscunt, ita ab eo diuelli nunquam possunt, sese credunt Domino, & Dominus se illis, unum nanque cum ipso sunt, Dominus in illis, & illi in Domino. Hac fide iusti uiuunt, & habent uitam æternam. Ad hæc faciunt & quæ supra in primum caput, in Sectione secunda, de cognitione Dei differui,

Notandum etiam ex eo quòd Iohannes narrat, multos uidentes signa, quæ Dominus faciebat, in nomen eius credidisse, quòd multa ille signa fecerit, quæ tamen Euangelista, memorare non duxit operæpretium, qui enim Christum non agnouerit ex his paucis, quæ conscripta sunt, neque agnoscet eum, si ad unum omnia in literas essent relata.

OBSERVAT. Hierosolymis, dum suæ uocationi Dominus inseruit, inclaruit, ita tũ demum apparebit qui simus, & quid à Domino acceperimus, dum locus & tempus fuerit diuinitus destinatum, & nos uocationem Domini diligenter fuerimus secuti. Interim libenter lateamus, quia non nobis, sed Domino uiuimus & morimur,

Quòd multi fucati Domino credunt, moneat ut nõ multitudine, sed syncera fide auditorum oblectemur. Denique quòd nouit Dominus, quid in homine sit, deterre at nos ab hypocrisi, & confidere faciat, si à Domino pendemus, spiritum eius nos seruaturum, ne quis & nobis periculose imponat. Si enim illi uiuimus, eius in nobis spiritus, quem nihil latet, in tempore omnia præsentiscet.

CAPVT TERTIVM.

ERAT autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quòd a deo ueneris magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis nisi fuerit deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit de integro, nõ potest uidere regnũ dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Num potest in uentrem matris suæ iterum introire, ac nasci? Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ne mireris, quòd dixi tibi, oportet uos nasci è supernis Spiritus ubi uult spirat, & uocẽ eius audis, sed nescis unde ueniat, & quo uadat. Sic est omnis qui natus est è spiritu.

Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei, Tu es ille magister Israëlis, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod uidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia, credituri sitis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur.

2. Iohannis. 4

natur. Qui uero non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij dei. Hæc est autem condemnatio, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsus, quòd per Deum sint facta.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, ac baptizabat. Baptizabat autem & Iohānes in Aennon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & ueniebant ac baptizabantur. Nondum enim coniectus fuerat Iohannes in carcerem. Orta est autem quæstio ex discipulis Iohannis cum Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Iohānem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Respondit Iohannes, & dixit, Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cœlo. Ipsi uos testes estis, quòd dixerim, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi, hoc ergo gaudium meum impletum est, illum oportet crescere me uero minui. Qui è supernis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit supra omnes est, & quod uidit & audiuit, hoc testatur, & testimoninm eius nemo accipit. Qui accepit eius testimonium, is obsignauit, quòd Deus uerax sit. Nam is quem misit Deus, uerba Dei loquitur. Non enim huic ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam: qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

ERat autem homo ex Pharisæis Nicodemus &c.) RAR. Institutū meum est, quædā domini Iesu dicta factáq; narrare, ut ex ijs, seruator orbis æterna Dei uirtus, Deus ipse agnosci queat. Cū igitur capite superiore duo insignia & mira facta eius, ex quibus diuinitas eius clare dignosci potest, memorauí, commodum uisum est, nunc sermonem, quem cū Nicodemo homine Pharisæo, & inter Iudæos principe habuit, adiūgere, in quo dilucide, & quid ut regni eius ciues simus, ipse præstare uenerit, & quid à nobis requirat, suis ipse uerbis explicat. Venerat enim hic Nicodemus ad eū, ut de doctrina uitæ certior fieret, utí ex omnibus gentibus, & ordinibus hominum, Deus aliquos sibi selegit, & filio suo donauit. Tenebatur ergo aliquo studio Dei hic Nicodemus, licet inter Pharisæos, hoc est, grauiores Christi hostes ageret, ad hæc princeps esset inter Iudæos. Hæc sane mūdi celsitudo, multos alios Christo reddebat infensos, dū suam diuinæ gloriæ cedere nequirent, Sed semē Dei, quòd in hoc Nicodemo erat, uincebat omnes has tricas & remoras effecerátq; ut ex signis quę dominus faciebat persuasus iam esset, quòd Dominus à Deo uenisset doctor & magister omnibus aut diēdus. Vnde dicebat: Rabbí scimus quòd à Deo ueneris magister, nemo enim ista signa facere potest, quę tu facis, nisi fuerit Deus cū eo: ut autem simul uideas, magni apud mundum haberí, obstaculo ferè esse ad regnum Dei, nocte uenit hic Iudæorum princeps, indubie quòd sibi à Pharisæis metueret, & nondum posset quæ cer-

nis sunt,cœlesti doctrinę penitus posthabere, quam indubitato tamẽ talem agnoscebat.Iesus autẽ qui pręcipue propter ægros medicus uenit,imbecillitatẽ uiri minime auersatus,continuo sũmã doctrinæ suæ illi proponit.Amẽ amẽ,inquit, nisi quis de integro natus fuerit,nõ potest regni Dei particeps fieri. Natus ex homine, cœlestiaex se nosse & amare,ac ita immortalitatis particeps fieri nequit,quare penitus innouari oportet eos,& alios fieri,qui in regnũ Dei admittentẽ. Id Nicodemus nõ intelligens,dicebat: Quomodo potest homo nasci,iam senex? &c.Iesus igitur explicatius eadẽ illi respondebat:Amen,inquit,amen dico:Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, hoc est,abluatur pecatis & innonetur sacro baptismate,spiritu meo efficaci (externũ enim lauacrũ perse nullius momenti est) in regnũ Dei, ut Deum rite cognoscat,& Deo patre fruatur,ingredi haud poterit. Quód enim ex carne natum est, caro est,nihil nisi homo,unde quæ Dei sunt,percipere non potest,qui nihil q̃ caro est, carnalia is tantum sapit & spirat.At quod ex spiritu natum est,spiritus est,cœlestia sapit & spirat,unde consors est diuinæ naturæ, & particeps regni Dei quicunq̃ spiritu fuerit innouatus,eoq̃ iam ipse quoq̃ spiritus non caro esse cœperit.Ne mireris igitur quod dixi, oportere uos nasci de integro, planéq̃ nouos fieri,cum caro & sanguis regnum Dei hæreditare nequeant. Porro ut cognoscas cuiusmodi sit ex spiritu renatus homo,nouáq̃ ex cœlesti semine facta creatura, considera uentum, is fertur quolibet,nulla re obstante,strepitũ eius audis,uerum unde ueniat,aut quo feratur,scire non potes,sic habet se spiritus Dei, & qui nati sunt ex spiritu. Spiritus afflat quos uult,& uim eius in omnibus quos hic spiritus afflarit,probe sentis. Quis enim nõ uidit in Moscheh,in Eliah alijsq̃ sanctis innumeris,uirtutẽ diuinam,& spiritum cœlestem? Quis non sensit eos alios esse, quàm uulgo homines sunt & nascuntur, & ipsi quoque à parentibus suis nati erant? Sed unde istis uis illa diuinior adesset,quóue eos ageret,qui eodem spiritu non erant prædíti, haudquaquam potuerũt cognoscere, cóq̃ stupori his erant uiri illi Dei & odio,quia carnalibus corũ studijs aduersabantur,Ad hunc modum sunt,quicunque ex spiritu DEI nati sunt. Quos enim in hoc ab æterno delectos uirtus ista Dei renouatrix afflauerit,ita innouat,ita transformat, sic contemptores rerum carnalium, & admiratores reddit cœlestium, ita exuit amore sui & accendit amore proximi, ut stupori sint & portenta quædã hominibus seculi,cunque hos ad cœlestia uocare secum instituunt, odiũ eorum & persecutionem referunt. Vident hi seculi homines sanctos iam esse alios & nouos,sentiunt totos renatos, at unde hæc illis immutatio contigerit, aut quo tandem sit eos actura, prorsus ignorant,uti & Deũ ignorant,cuius spiritus est hæc uis, & energia immutatrix.Proinde cum tam manifestum sit regenitorum ex spiritu,ab alijs discrimen, non debebat tibi Nicodeme esse adeò insolens hic sermo meus, de innouatione eorum,qui in hoc electi sunt,ut regni Dei ciues euadant.

ANNOTAT.Nicodemus princeps Iudæorum dicitur,quod esset inter Iudæos primarius & eximius.Ex principum enim numero & concilio,fuisse eum,& infra. 7.legimus,Sect.ultima.

Denuo de integro.

Quod uerti de integro, considerans hoc, quòd totos innouari nos oportet, alij quidam leguntè supernis,utroq̃ enim modo ἄνωθεν uerti potest,& Nonnus posteriorem sensum uidetur amplexus,cũ in Paraphrasi sua loco ἄνωθεν po uerit ἀθερεως ὠλης, id est, ex ætherea aula. Vulgo legitur denuo,uel iterum. Certum autem est, Dominum uoluisse significare requiri, ut iterum nascamur, ac toti innouemur, id cũ spiritu Dei fiat,è supernis nos renasci nõ inepte dicitur.Infra sane Sectione.tertia ἄνωθεν pro è supernis, ponitur, ubi Ioannes ait qui è supernis uenit,super omnes est.

Videre regnũ Dei.

Videre regnum Dei, Ebraismus est,& idem pollet, quod participem esse regni Dei,unde Nonnus pro eo reddidit,habere ęternum principatum,& Dominus ipse paulo post,ingredi in regnum Dei.Regnum Dei,est iustitia,gaudium & pax in spiritu sancto.

certa perceptio salutis, quæ sita est in iusta Dei cognitione, & obsignatione, S. sancti, quibus hæc contigerũt, ij Deo dicere possunt, rex meus & Deus meus, ij regni eius ueris bonis, sapiẽtia, iustitia, & felicitate, hic partim fruunt, & in futuro plene perfruentur. Cum igitur hæc omnia ab eo pendẽt, quòd suo nos Deus spiritu afflet, illustret, accendat, & ad se rapiat, recte dixit Dominus, neminem nisi renatum, totumq; innouatum posse regnum Dei uidere, hoc est, ingredi, & uerorum bonorum participem fieri. Hoc ipsum aliás, alijs uerbis dixit, neminem posse suum discipulũ esse, nisi qui abnegauerit semetipsum & renuntiauerit omnibus. Hinc Paulus nouum hominem, & nouam in Christo requirit creaturam, quę in nobis cœpit, simul atq; datum nobis est credere in nomen Christi, atq; ita esse filij Dei supra .1. perficitur aũt cotidie à spiritu Dei, qui ad imaginem Christi nos indies magis ac magis reformat, de quibus legis. 2. Corinth. 3. 4. & 5. capitibus & sub finẽ Gala. tertio & sexto, Ephes. secundo & quarto, Colos. tertio. Sed quid opus citare Pauli loca, cum hoc ipsum ut caput doctrinæ Christi, nusquam non tractet?

Ex aqua & spiritu. Per aquam hic libenter baptismum cum Chrysostomo intelligo, non quòd externa lotio per se necessaria sit ad salutem, sed cum symbola uanæ res sint, quando sine spiritu Dei adhibentur, Apostoli non solent de eis loqui, nisi ut uere, & cum spiritu Dei adhibitis. Hinc Paulus Roman. 6. An ignoratis quòd quicunq; baptizati sumus? &c. Et ad Galatas. 3. Quicunq; enim baptizati estis, Christum induistis. Cui iam dubium multos baptizari, qui nihil minus quàm mortem Domini amplectuntur, & ipsam nunquam induunt? Sic Ephe. 5. scribit Christum sanctificare Ecclesiam, cum mundat lauacro aquæ in uerbo. Et ad Tit. tertio scribit, quòd nos Dominus saluauerit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti. Quis autem nesciat, externo lauacro, secluso spiritu Christi, neq; Ecclesiam mundari, neq; nos saluari? Apostolus autem de baptismo rite exhibito loquitur, sic enim est exhibitio remissionis pecatorũ, beneuolentię Dei susciptis nos in filios, consecratio hominis in gregem Christi, cooptatio in eorum numerũ, qui spiritu Dei donati, peccatis cum Domino uere moriuntur, & iustitiæ uiuunt, eóq; uere mundantur, saluantur, regenerantur, & renouantur, non id quidem per externã ablutionem aquæ, & depositionẽ sordiũ in carne, ut Petrus inquit, sed per spiritum Dei, uiuificantem & fouentem nos nostróq; spiritui testificantem, de Dei erga nos beneuolentia, unde bona erga ipsum sumus conscientia. 1. Pet. 3. & ad imaginem Dei transformamur à gloria in gloriam, tanquam ab eodem spiritu Domini. 2. Corint. 3. Hunc uero spiritum Dominus dignatur suis ministerio Ecclesiæ in baptismate exhibere atq; largiri. Ex aqua & spiritu.

Mos scripturæ est, ut symbolis tribuat, quæ symbolis repræsentant, & exhibentur. Hinc Ananias dicebat Paulo: Surge baptizare, & ablue peccata tua Acto. 22. cum iam antea peccatis esset fide purgatus. Baptismo autem, quo Ecclesiæ publici tus inserebatur, & Christo consecrabatur, initiatio eius in Christum, quæ ueram peccatorũ adfert ablutionẽ, repræsentabatur, & publice pręstabatur: igitur dicebatur tum Paulus peccatis ablui, quibus tamen coram deo tum ablutus fuit, cum dicebat: Domine quid faciam? Nihil aliud est & solutio & remissio peccatorum Ecclesię promissa. Neminem utiq; illa soluit peccatis, nulli commissa condonat, nisi Christo credenti. At cui datum est credere, illius iam peccata fide purgata sunt, priusquam Ecclesia ipsum absolutum pronuntiet.

Adeò tamen uult dona sua Dominus, omnemq; salutem Ecclesiæ ministerio exhibere, ut tũ demum plenè & solidè hominibus peccata remissa sint, quando Ecclesia nomine & uerbo Domini hominibus peccata remittit. Sic nanq; etiam tum plenè ipse suos peccatis abluit & regenerat, cũ Ecclesia illos baptizat. Ita si princeps quispiam dicat, qui uolet mihi ministrare, eum ditabo, Quicunque huic promissioni credit,

credit & uult ei ministrare is iam promissionis diuitiarum à principe factę, ex ipsa eius promissione particeps est, & iã est in ministerio principis, cumq; princeps promissi seruans sit, uere ab eo ditabitur. At si ille princeps eũ morem habeat, ut ijs qui suæ promissioni habentes fidem, ministrare ipsi uelint, ea promissio solenniter symbolo aliquo fiat & confirmetur, ipsiq; eodem symbolo ceu publice in ministerium principis inaugurentur, dicentur qui promissionẽ huiusmodi principis amplectũtur, & in ministros se principi addicunt, tum demum principalis promissionis uere participes, & ministri principis esse, quando publice symbolo principis ad id instituto, promissionem eius amplexi fuerint, & ministerium principis professi. Ita apud Deum peccata hominibus remissa sunt, & regeneratio collata, simul atq; illos Deus in uitam elegerit: ut aũt homo hæc apud se etiam uere percipiat & sentiat, eadem Ecclesiæ ministerio percipiat oportet, postquam Deus in hoc ipsum Ecclesiæ ministerium instituit. Id enim quod huius doni nouę & æternę uitæ concipitur, audito Euangelio, non aliter adigit hominem, ut idipsum solenni exhibitione Sacramentorum percipere studeat, quàm is cui princeps prędium aliquod, uel ius ditionis alicuius promisit, eo ipse impellitur, ut prędium illud aut ius ditionis solenni etiã collatione, dũ ea ex more requiritur, à principe percipere quęrat. Remissa peccata erant D. Paulo, & id ipse sensit, renatusq; hactenus fuit, cum diceret: Domine quid me uis facere? Sic erant & illi qui audito Euangelio à Petro, indeq; cõpunctis cordibus Apostolis dicebant: Viri fratres quid faciamus? Item Zacheus cũ diceret: Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus &c. At sicut isti initium hoc regenerationis acceperant, adflati spiritu Christi, ita eodem spiritu acti sunt, ut summo studio hanc ipsam peccatorũ remissionem & regenerationẽ etiam baptismate solenniter per ministrum Ecclesiæ, percipere uellent. Ita plena, solidaq; remissio, solutio, & ablutio peccatorum, quę ut nobis, ita etiam sanctis quibuscum uiuimus rata sit, Ecclesię ministerio, & per uerba & Sacramenta perficitur, quemadmodum in hunc ipsum usum hoc ministerium diuinitus institutum est.

Quid nasci ex aqua.

Proinde quòd Christus hic dixit: Nisi quis natus fuerit, ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, sic intelligo, nisi quis ablutionem peccatorum uerúmque spiritum percipiat, & ita in meum gregem recipiatur, quod ordinaui baptismo fieri, non poterit Deum uere cognoscere, & iustitiæ eius, gaudij & pacis in spiritu sancto, in quibus regnum Dei situm est, fieri particeps, id enim est ingredi in regnum Dei.

Neque uero ex hac expositione sequitur, aquæ baptismũ ad salutẽ per se necessariũ esse, adeò, ut nemo sine eo saluare possit, contra id quod dominus dixit Marc. ultimo, qui non crediderit condemnabitur, omittens baptismum, cum antea dixisset, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Dominus enim spectauit hic, quod habet publicum institutum suum, quod nemo piorum uolens præteribit, aquæ uero his non plus salutem affixit, quàm Paulus & Petrus dum per lauacrum aquæ nos saluos factos affirmant. A spiritu est tota regeneratio, eum qui habuerit, etiam si aquæ baptismum non perceperit, noua nihilominus in Domino creatura est, & ciuis regni Dei, unde & hic Dominus in sequentibus tantum de spiritu, omissa aqua, uerba facit. Aquæ tamen baptismum, externámque in Ecclesiam Dei receptionem, nemo temere negliget pius, cúnque hoc symbolum Christus instituerit ut eo nobis peccata abluantur nouaq; & diuina uita conferantur, hęc in eo percipiunt quicunque eo iuxta Domini institutionem utuntur.

Quod natum est ex carne.) Hoc Prosapodosis est, caussæ redditio, eius quòd præmisit. Nam ideo in regnum Dei nemo nisi renatus ingredi potest, quod omnis natus ex carne, prima illa & naturali natiuitate, nihil sit nisi caro, caro autem nequeat

A nequeat regnum Dei consequi. Cognitione siquidem Dei, regni eius particípes reddimur, hæc enim uita æterna est, iam animalis homo, qui caro est, ea quæ Dei sunt cognoscere prorsus nequit, priore Corinth. secundo: igitur necesse est, alios & spiritales fieri, quicunq; in regnum Dei ingredientur.

Ne mireris.) Hoc iam ex superiori infertur, quasi diceret Dominus: habes Nicodeme causſam, & necessariam quidem, cur dixerim non posse in regnum Dei quenquam nisi denuo uel de integro natum ingredi, noli ergo id mirari.

Spiritus ubi uult spirat.) Hæc superiorum explanatio est. Sunt autem qui non de uento, sed spiritu Dei, hæc intelligant. Spirat utique ille ubi uult, nulloq; creaturæ arbitrio moderari potest, nihil illum prohibere, nihil asscisscere. Electos suos afflat, nouósque reddit, cũ ipsi uisum fuerit. Huius uocem homines audiunt, nam in sanctis loquitur, uerum unde ille sanctis adueniat, quóue iterum abeat, ignorant. Prophetas utique audiebat populus diuina differere, in quo uocem spiritus clare percipiebat: at unde ille spiritus eis adueniret, aut quo abiret, ignorabant. Schaul regem antea spiritu uacuum, spiritus prophetiæ inuaserat, prophetabat ergo, & uox spiritus ex eo audiebatur, uerum unde ueniret illi spiritus, & quo abiret, uulgo nesciebatur. Cumque considero spiritus nomine sine additione, non adeo crebro uentum, sed fere uirtutem Dei in scripturis significari, & quòd docto legis Nicodemo non minus idonea manuductio esse potuerit, ad cognoscendum, quid sit homo renatus ex spiritu, exemplum de spiritu Dei, afflante quos uult, & forte familiarior, quam de uento, hanc sanè expositionem, priori nequaquam postposuero, imò ut uerum fatear, hæc uidetur mihi germanior. Vtramuis autem sequaris, hoc disci ex adducto exemplo Dominus uoluit, natum ex spiritu, eum esse, quem afflauerit, & transformauerit, uirtus Dei, quæ afflat & immutat cœlestésque reddit, B quos destinauerit in numerum sanctorum, Deus. Vnde subiecit: Sic est omnis qui natus est ex spiritu id est, arcana Dei uirtute afflatur, & ad cœlestia rapitur, ut sit omni carni admirationi, quæ euismodi hominem uidet sentique alium & diuinum factum, neque tamen agnoscere potest, unde id illi contigerit, & quem demum finem cum eo facturum sit.

Spiritus ubi uult spirat.

OBSERVATIONES.

Obserua primum Deum ex omnibus hominum ordinibus habere suos. Deinde electos non posse, non tandem ad Dominum uenire. Præterea mundi dignitates ferè impedimento esse. Obserua ueto in Domino, imbecillem adeo Nicodemum non aspernante, sed blande & familiariter docente, quomodo & ut infirmos side debeas tractare, neminem certe, qui de ueritate inquirat abijcere, sed cum omni mansuetudine, & longanimitate eiusmodi erudire. Denique animaduertendum in his, quàm stupeant ad diuina, etiam in scripturis doctissimi, ubi non docet spiritus Dei. Protritam enim in omni scriptura de innouatione nostri doctrinam, magister in Israël Nicodemus capere nõ potuit, quamlibet familiariter à domino traditam.

Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo.) PARAPH. Nondum horarat, ut spiritu plenè Nicodemus omnia edoceretur: stupebat ergo etiamnum, dicebátque Domino. Quomodo possunt hæc fieri? Cui Dominus: Tu magister es Israëlis, & doctor aliorum, & ista tam cantata in scripturis ignoras? Quid enim aliud est cordis circuncisio, uobis diligenter adeo à Moscheh ipso cõmendata? quid toties inculcata populi sanctificatio, quàm ista de qua loquor animorum innouatio, & spiritualis natiuitas? Satis utique omnis scriptura testatur, omnẽ carnem tantum ad malum propensam esse, qui igitur nisi renata, & sanctificata, regnum Dei, quod iustitiæ regnum est, possideret? Quid apertius, quàm quod de regignente,

& innouante ſpiritu, Iirmeiah. 31. Item Iechezkel. 11. &. 36. & Ieſchaeiah paſſim uaticinati ſunt? Id ipſum & Pſalm, pluſquam dilucide canunt: mirandum igitur, quòd tibi ſermo meus tam inſolens uidetur. Sed hæc tibi nequaquam ideo opprobro, quòd deſperare de cœleſti ſapientia debeas. Cœpiſti mihi credere, in eo perita, quæ modo capere non potes, capies poſtea, cum paracletus tibi, me per mortem glorificato, aduenerit. Interim tamen, quæ tibi dixi, uera ne dubites, affirmo enim tibi, ueriſſima eſſe. Nam qui uobis Euangelion regni adnuntiamus, & ad innouationem ueſtri uos hortamur, Iohannes & ego, nequaq; incerta, ſed quæ ſcimus loquimur, & quæ uidimus, hoc eſt, certo cognouimus, teſtamur, uos autẽ teſtimoniũ noſtrum non recipitis, uos, inquam, Iudæi, quibus peculiariter illud miſſum eſt. Agnoſcite hinc quã ſtupidi ad doctrinam Dei ſitis. Terrena ſunt, quæ Iohannes & ego, de reſipiſcentia & uitæ innouatione, neceſſariáq; ſpiritus regeneratione hactenus docuimus, maxime ſi conferas ſublimibus illis miſterijs filijs Dei reuelandis, dum ſpiritus ſancti, uitæq; futuræ in illis opes proferentur. Quis enim non ſentiat, omnes ſenſus & cogitationes ſuas à puero ad mala propendere? Quis neſciat aũt, non niſi iuſtis & ſanctis, poſſe cœli municipatum contingere? Denicq; quis non uideat, niſi ſpiritu Dei, non poſſe nouos & ſanctos renaſci? Quid gitur tam abſtruſum quid adeo cœleſte adhuc uobis dixi? Si autem cum dixi tantum terrena, quæq; ſint rudimenta filiorum Dei, & nõ creditis, neq; poteſtis illa uera agnoſcere, quomodo crediturí ſitis, ſi dixero planè cœleſtia, ſublimiora, illa regni Dei arcana? Vel hinc itaque agnoſcite, quàm uerum dixerim, oportere uos renaſci, & alios fieri. Sic ſanè res habet, quod ex carne natum eſt, carnalia tantum ſapit, & in terram ſemper pronum incumbit. In cœlum, in diuina nemo unquam aſcendit, niſi qui è cœlo deſcendit, filius hominis ille, qui in cœlo ſemper eſt, & diuinitate nunquam non fruitur. Verbum enim patris eſt, & Deus uerus, & homo item uerus in poſterioribus his temporibus factus. Hic ſolus patrem nouit, & notum facere, id eſt, in cœlum ſecum ſubuehere poteſt. Ipſum enim pater, electis omnibus, unicum ſaluatorem propoſuit, ut quicunq; illi fidem habuerint, ſaluatorémq; ſuũ agnouerint, ita ab omnimalo liberentur, & æternam uitam conſequantur, quemadmodum olim à morte ſeruabantur, icti à ſerpentibus, dum ſerpentem æneum á Moſcheh in deſerto ſuſpenſum, adſpicerent. Nam ut exaltatus omni populo cõſpicuus pendebat, ita oportebit & filium hominis, poſtquam morte infra infimos quoſq; deiectus fuerit, factúsque חרל אישים id eſt, minimus uirorum, hominúmq; reiectamentũ, exaltari per Euangelion, uiſendúmq; toti orbi proponi, non quidem oculis corporis, ſed fide mentis. Tanta ſiquidem dilectio Dei erga mundum, hoc eſt, erga omne genus hominũ fuit, ut filium ſuum unigenitum dederit, atq; in hoc omnibus mortalibus propoſuerit, ut omnis qui credit in eum, & eum ſeruatorem ſuum agnoſcit, non pereat, quanquã in ſe nihil niſi peccatum, unde iure perire debebat, deprehendat, ſed habeat uitam æternam, & bonorum omnium ſatietatem, hic ſpe certa, in futuro uero poſſeſſione plena & reuelata. Nam licet plurimis ſit poſitus in ruinam, reprobis ſcilicet, & natis ex Diabolo, qui offenſi eo, impietatem ſuam conſummabunt, & impingentes in eum, confringentur, & tandem cadente illo ſuper eos, cõminuentur, attamen nõ hac cauſſa hunc filium ſuum Deus in mundum miſit, hominem factum, ſed multo magis, & præcipue, ut mundus, omne ſcilicet genus hominum per eum ſaluetur, liberatum omni iniquitate, & donatum plena iuſtitia. Id conſequentur, quicunq; in ipſum crediderint. Etenim qui illo fidit, quíque certa fiducia ab eo pendet, is quamlibet peccator non condemnabitur, ſed olim peccatis omnibus plenè perfruitur illius liberabitur, ueráque iuſtitia donabitur. Qui autem in eum non crediderit, iam condemnatus eſt, uel eo ſolo, quòd non credit in nomen unigeniti filij Dei, hoc eſt, non recipit eum, qui ſolus poteſt peccatis liberare, & iuſtitia

A & iustitia atq; uita donare. Porrò condemnatio hoc ipsum est, & in eo præcipue declaratur, quòd lumen uenit in mundum, hoc est, ueritas & salus per Euangelion adnuntiatur, & omnibus palàm ostenditur, unde salus & iustitia petenda sit, & homines tamen, ij qui non sunt nati ex Deo, magis tenebras, ignorantiam, scilicet omnis boni dilexerunt, quam lucem: mala enim erant opera eorum. Omnia nanq; studia, omnésq; conatus eorum qui ex spiritu nõ sunt renati, praua sunt, idq; quanto plus uetitatis uulgo cognoscitur, tanto magis fit manifestum. Ideo eiusmodi mali homines, mallent cunctos mortales stipites esse, & ignorantiæ tenebris omnia tecta, quàm ueritatis scientia multos pollere, imò sibi ipsi inuident recti scientiam, graueq; est, ubi illa ultro sese illis insinuat, quòd eos si illam admittant, tanto plus torqueat mali conscientia. Quæ autem iam possit maior impietas excogitari, quàm execrari pietatis doctrinam, neq; solum quod rectum est facere nolle, sed ne nosse quidem sustinere, exitialiq; odio persequi eum, qui quod rectum est, uelit indicare? Quis enim dubitet actum de eo ægroto, qui uel meminisse medelæ exhorreat, ita quis nõ agnoscat iam iudicatos & condemnatos eos, apud quos Satan tantum ualet, ut audire non sustineant, & ad necem usq; persequantur eum, qui non modo uitam & felicitatem indicat, sed & largitur, unigenitum Dei? Proinde quod cœpisti Nicodeme, mihi adhæreto, lux mundi sum, & saluator omnium in me fidentium, peccata quidem hominum detego, sed ut illos ipsis liberem, quanq; nunc quædam capere non possis, si à me non defeceris, olim cognosces, & possidebis quicquid bonum est, uitámq; æternam plene percipies.

ANNOTAT. Quod scimus &c. Nisi hoc uelis enallagen numeri esse, ut idem sit, ac si dixisset, quod scio, non uidetur Domino rectius quisquam q̃ Iohānes coniungendus, quum Iohannes eadem omnino de innouatione hominum docuerit.

B Chrysostomus putat hoc intelligi posse, tanquã Dominus id de se & patre dixerit, Testimonium nostrum non recipitis, idem est, quod pauci uestrum recipiunt, alii quot enim illud receperunt. Simile supra habuimus: In propria uenit, & sui eum non receperunt.

Si terrena dixi uobis,) Cœlestis magister omnia cœlestia dixit, ut certe renasci ex spiritu, nihil minus quam terrena res est, attamen terrenum & crassum dici potuit, si id conferas cum eo, quod nos per omnia conformes fieri opertet imagini unigeniti, & prorsus esse deos. Quis enim non sentiat cum Paulo in carne sua nihil esse boni, eóq; immutatione sibi opus esse, eàq;, quam nemo nisi spiritus Dei possit præstare? Nemo ascendit in cœlum.) Hæc & rationem in se continent, quare homines ita stupeant ad diuina & contra hoc malũ consolationem. Rationem: Si enim nemo in cœlum ascendit, non est mirum quòd capere homines cœlestia nequeunt, & Cõsolationem, quòd per Christum queant in cœlum subduci, & cœlestia omnia consequi. Cæterum cœlum, ut suprà dixit, significat, lucem inaccessam quam Deus inhabitat, reuelatũ diuinæ maiestatis splendorem, hunc tam nemo potuit ascendere, præter unigenitum Dei, quàm nemo præter eum, patrem cognoscere. E'cœlo hic uenit dum homo factus est, qui antea tantum Deus erat. In cœlo semper est, quia semper Deus est. Vt filius hominis, definitum à patre tempus in terris egit, postea & homo in cœlum, in inaccessam diuinitatis lucem subuectus, & ad dexteram patris, hoc est in supremam potestatem collocatus est.

Quomodo terrena.

Nemo in cœlum.

Notandum aũt diligentissime quòd Christus filium hominis, id est, hominem (Ebraismus enim est) sese ubiq; appellat. Verbum nanq; caro, id est, uerus homo factum est, semen Abrahæ assumpsit, uerus filius Dauid est salutatus, uere Maria eum hominem peperit. Solum peccatum, quod neq; naturæ hominum, sed morbi est, ille non habuit, cætera in similitudine hominum, hoc est, uerus & aliis similis homo factus est, de ossibus & carne nostra. Verbum carnem factum, credimus,

Filius hominis.

credimus, credere oportet Christū haudquaquam alium hominem fuisse & esse quàm nos sumus, peccato solo, quod non est naturæ, sed morbi, excepto. Carnem enim pro homine, & quidem mortali in scripturis poni, nemo ignorat scripture cōsultus. Euangelista certe Verbū ideo carnem, quàm hominem factum, dicere maluit, ut nobis cōmendaret, summā illam Domini nostra causſa sus. eptam humilitatem. Caro, hominem nequaquā immortalem, inuisibilem & impassibilem, sed mortalem, uisibilem & passibilem in scripturis significat, hoc ut nos immortales & beatos redderet Verbum factum est. Quod ex spiritu sancto conceptus Dominus est, ex eo inferendū est quòd Angelus, qui id primus renuntiauit, ex eo intulit sanctum Dominum, & filium Dei esse, non immortalem, impassibilem, non omnibus secundum hominem præsentem, & Deo æqualem. Homo & Mariæ atq; Dauidis filius ab eodem Angelo nominatur, id esse non poterit, nisi natus sit uerus homo, qualis Dauid secundum uaturam, qualisq; Maria fuit. Deus & homo Christus est, non mixtum ex utroq;.

Quæ ergo hominis sunt, nequaquā Christo adimēda sunt, sicut neq; ea quæ Dei sunt, sed suum utriq; naturæ tribuendum. Alioqui omnis spes nobis resurrectionis, & tota Christo gratia incarnationis tollitur. Qui enim nostri causſa, nostram carnem assumpsisse illum agnoscamus, carnem assumpsit, quæ semper fuerit ubiq; ac uere impassibilis, & tantum uisibiliter, quod quid aliud est, quam in speciem, passibilis? Quomodo stabit argumentum Pauli, si Christus resurrexit, & nos resurgemus, si ille non habuit carnem nostræ parem? Quid enim mirum à morte resurgere carnem, quæ nūquam mori potuit inuisibiliter, & mortua est tantum uisibiliter? Si uero & nos spiritualia corpora nanciscemur, quæ æque ubiq; erūt, frustra carnis resurrectionem speramus. Non enim caro sed spiritus, imò Deus resurget. Non sic Paulus Christum cœlestem Adam, & spiritalem esse prædicauit, sed qui spiritu Dei perfunderet in se credentes, sicut primus Adam genuit ex se, qui uitam haberēt coporalem. Certe dum nos tales futuros pronuntiat, qualis est cœlestis Adam, & imaginē eius gestaturos, sicut gestauimus terreni, omnino eandē Christo, peccato dūtaxat excepto, quam nos habemus, carnem tribuit. Ea autem cum in præsenti conditione immortalitatis capax non sit, oportebit corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc, immortalitatem. Idque non aliunde speramus, quam quòd Christus corruptibilem & mortalem carnem, nempe nostram assumpsit, estq; in ea uere mortuus, uere emisit è corpore spiritus uitæ corporalis, & tamen in triduo, in uitam rediit: igitur & nos in uitam à morte redibimus, sed nostro tempore. Christus enim primitiæ resurgentium fuit, qui ceu signum huius spei in se nobis sustulit. Lege diligenter, quæ Paulus. 1. Cor. 15. scripsit.

Subuertitur hac opinione spes resurrectionis.

2. Cor. 15.

Nō minus uero euertit errorem illorū & quod ad Ephes. 5. Paulus scripsit: Quia membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ossibus eius. Ephes. 5. Qui enim ex carne, & ossibus eius erimus, si ipsius caro & ossa fuerunt semper ubiq;, & impatibilia? Rediuiua ista Marcionis cōmenta, qui gloriæ Christi studetis, fugite, sacram anchorā spei nostræ ne subuertite, & incomparabilem Dei erga nos dilectionē, qui nostri causſa nostrā carnē, Verbū suū, & ne angelos quidem, assumere uoluit, nolite imminuere. Frater noster factus est filius Dei, & eorum quos redimere uenit, carnē uere habuit, in ea uere mortuus est & resurrexit, immortalémq; gloriam introiuit. Cuius & nos credentes ei, quanlibet miseri & mortales, participes erimus. Afermēto igitur hoc pestilenti nimiū, summo studio cauete, quotquot Christum synceriter colitis. Qui plura pro ueritate carnis Christi legere uolet, legat lib. Tertull. de carne Christi, & quæ scripsit contra Marcionem.

Quemadmodū Moses exaltauit serpētē.) Hinc discendū, quomodo figurę & typi in lege deliniati, in Christum adaptandi sint. Verbum est, per quod sunt omnia condita

condita,& reſtaurabuntur,ideo quicquid omnino in orbe eſt,& geritur,ſuo modo Verbum refert,& habet in ſe,unde pia mens excita ſpiritu,in cognitionem Verbi, queat aſſurgere. Multo certiorem itaq; Verbi imaginẽ continent, quæ cũ populo Dei cauſſa erudiendi eius in ſalutẽ per ipſum geſta ſunt. Plus enim quã ullis creatu ris populo Iſraëli diuinitatẽ ſuam exhibuit, cumulato tam raris, tam cœleſtibus,tã diuinis donis & beneficijs. Præterea natura hominum ita comparatũ eſt,ut in om ni rerum genere,quæ uulgatiora ſunt,per ſimilitudinem & analogiam in cogniti onem perducant,eorum quæ ſunt abſtruſiora. Sic ex corporalibus,ſpiritualia intel liguntur,& ex paruis Dei operibus, atq; uiſibilibus,maiora atq; inuiſibilia cogno ſcuntur. Sic ſol iſte uiſibilis, Verbi pios admonet,quod ſol eſt inuiſibilis, illuminãs atq; uiuificans mentes, Atq; inde dies ille corporalis,à ſole uiſibili factus,ſanctos ſi gnificat,qui lux & dies facti ſunt à ſole inuiſibili, Verbo. Ex hac certe analogia ſcri ptura accepit,ut Chriſtum ſolem,& mundi lucem,ſanctos filios lucis & diei,lumi naria, & id genus alia uocet. Ad eundem modum formatis metaphoris ſcriptura plena eſt.

Omnia aliquo modo Verbũ per quod con dita ſunt, re ferunt.

Iam ergo ſicut præſentius ſeſe Verbum populo ſanctorũ ſemper exhibuit,ita neceſſe eſt,certius eius admoneant,quę per Verbum facta illis ſcriptura cõmemorat. Hinc cum ſcriptura Adam commemoret humani generis autorem, & ita Chriſtus autor ſanctorum ſit,uitaq; ſpiritus donatorum,quemadmodum primus Adam autor & initium fuit uitam uiuentium corporis, Paulus Chriſtum, Adam, ſed alterũ, atq; cœleſtem uocauit,uitæq; ſpiritualis & cœleſtis ipſi originem tribuit,ſicut ſcriptura uitæ corporalis originem Adam primo. Hæc iam translatio ex proportione & ſimilitudine ſumpta,nõ ſolum uenuſtior eſt,ſed & ſignificandi, monendiq; uim habet maiorem,quàm ſi ſimpliciter de Domino prædicaſſet, quod caput & autor eſſet uitæ cœleſtis.

Adam typus Chriſti

Sic per Noah ſeruatum eſt genus humanũ à diluuio, ſed in paucis, hoc eſt,octo animabus,quatenus tamen aliquid ſalutis per ipſum factum eſt,admonet eius,qui plene ſaluat mortales omnes, Chriſti. Quiq; ſeruati per illum fuere, umbrã habuerunt,omnium electorum,qui ſaluantur per Chriſtum: utq; nequaquam ſeruati fuiſſent,ſi ſe non commiſiſſent fidei, & arcę Noah, ita nemo poteſt ſalutis uere compos fieri,niſi qui ſeſe cõmiſerit Chriſto,Eccleſiæq; eius nomẽ dederit. Hac ſubducti one uſus eſt Petrus in priore Epiſtola ſua cap.3.

Noah typus Chriſti.

Ita Malcitzedeck rex Salem fuit ſacerdos altiſſimi,& benedixit Abrahæ, longe uerius aũt,rex iuſtitiæ & pacis eſt Chriſtus,uerior ſacerdos, qui ſolus ſacrificio ſuo placare Deum potuit, ueriuſq; Abrahamũ cum omni poſteritate ſua, id eſt,electos benedicit,dum ſolus is eſt,qui ſpiritum donat uiſtitiæ. Hæc ad Heb.7.

Abraham duos filios habuit, alter fuit reiectus, alter electus,in eo oſtenſum eſt, omnia à libera Dei electione pendere,nihilq; referre à quo quis ſecundum carnem naſcatur. Hinc electi ſubinde per translationem Itzchak,reprobi Iſchmaël,in ſcriptura uocantur. Similitudo enim eſt illis cum Itzchak, his cum Iſchmaële. Sic cum huius mater Hagar fuerit domo Abrahæ tandem cum filio pulſa, umbram retulit legis Dei ſecundum literam, citra ſpiritum intellectæ. Vt enim quem illa genuit non potuit hæres eſſe Abrahæ, & moleſtus erat fratri nato ex libera, ita quos lex ſine ſpiritu intellecta gignit,id eſt, diſcipulos inſtituit,quia ſine filiali fiducia amoreq; erga Deum ſunt,in domo Dei non cõſiſtent,ſerui enim ſunt,non germani filij, quare & ueros filios perſequuntur. Hinc D. Paulus Gal. 4. adducens ſcripturam, memorantem quòd Abraham duos filios habuerit,alterum ex ancilla, & alterum ex libera &c. addit,ea eſſe ἀλληγορούμενα,id eſt, per translationem exponit. Quam translationem faciens illico ait: Sunt enim ipſa duo teſtamenta. Nam conſiderauit ſimilitudinem quæ eſt inter ſeruos literæ Legis, & filium Hagar ancillæ, tum inter

inter legem sine spiritu intellectam, & ipsam Hagar seruam, & matrem eius, cui filij ius negabatur. Deinde inter spiritu libertatis præditos, eoq; germanos filios & hæredes Dei, & Iitzchah filiũ Sarah liberæ, qui ex promissione natus, solus Abrahæ hæres factus est. Tum inter Ieruſalem supernam, ueram Ecclesiam sanctorũ, aut certe testamentum & fœdus nouum, quod spiritu Dei in cordibus electorum percurritur, & Sarah liberam, ueri hæredis matrẽ. Præterea notauit & hoc, quòd mons Sina, in quo lex data est, Hagar cœperit uocari, sed & quòd ad Hierosolyma mons ille pertingeret. Et eo enim significare uoluit, legem sine spiritu Christi intellectam nõ nisi seruos, & cum filio Hagar domo Dei pellendos gignere, tales aũt esse et ludæos, sacra sua Hierosolymis habentes, quamlibet carne Sarah matrem iactarent. Vt enim uicini essent Hagar, id est, monti Sina, Hagar cognominato, in quo lex lata fuit, ita & seruilitatem Hagar referrent, neq; plus essent de lege consecuti, quàm corticẽ literæ, unde animis essent nequaq; renouatis, eoq; libertatis ueræ expertes, atq; inde fieret quoq;, ut uera spiritus libertate donatos, persequerentur.

Sarah Ecclesia libertorũ spiritus, & superna Ieruſalem.

Vel hinc ergo clare uidemus, quomodo quæ populo ueteri diuinitus contigerunt, Christi & corporis eius typi, figuræq; & umbræ sint, quaq; ratione debeant explicari. Omnia utiq; quæ suis Deus fecit, opera fuere beneuolentiæ eius, ut ergo iam in Christo summam erga suos beneuolentiam declarauit, eiusq; postquam illum glorificauit, sancti plenius quam ueteres participes redduntur, eorum proſecto quę in Christo nobis donata sunt, in beneficijs, quę priscis sanctis exhibita sunt, similitudinem aliquam atq; umbram licet uidere, & ita per trãslationem, quæ scripta de illis sunt, nostris cum proportione adaptare, hoc est, ἀλληγορεῖν καὶ προσπολογεῖν, ut alia quãm prima facie illa significant, in eis consideranda doceamus. In his autẽ obseruandum, ut similitudo & proportio pateat, ut certa sit, ut sensum fidei seriat. Nam in hoc istiusmodi ἀλληγορίαις adhibentur, ut quæ docentur, clarius & significantius animis hominum commendentur. Peccatur in his igitur, dum aut obscurior similitudo, aut nulla est, aut incerta, quam fidei, quæ indubitatis tantum capitur, sensus non agnoscit.

Sic dum Hieronymus ad Ruffinum in epistola, quæ incipit: Multum in utranq; partem crebro fama mentitur, per duas meretrices, quibus Schlomoh iudicauit. 3. Reg. 3. Synagogam & ecclesiam intelligendas docet, quum sit admodum longe petita & tantum non extorta similitudo, haud potest adeò illa fides uel pasci, uel oblectari. Satis habebit enim pius in eo facto, Domini agnouisse erga Schlomoh adhuc puerum miram adeò dignationẽ, & tum à minori transibit ad id quod maius est, agnoscetq; cum tantum dederit Schlomoh spiritũ Deus, ueriori Schlomoh & filio Dauid, restauratori omnium, datum longe præstantiorem, qui iudex constitutus orbis est, quiq; ut Vates habet, non iudicabit iuxta id quod oculis uiderit, & auribus audierit, sed adeò ualebit timore, id est, pietate erga dominum, ut odorabitur sit, quod res sit, & per iustitiam iudicaturus pauperibus, & per æquitatem arguiturus pro afflictis terræ &c. Iesch. 11. Sic in meretrice pueri sui tam amante, ut aliena uiuũ concedere mallet, quàm uidere ut scinderetur, animaduerte, si hæc mala mulier suum infantem tantopere dilexit, Deum solum bonum, nos iuxta suam promissionem Iescha. 49. infinito ardentius diligere. Hæc & his similia certa sunt, quia patentem spiritui similitudinem atq; proportionem habent, eoq; fidem possunt alere. Quæ autem finxit Hieronymus, ut ingenij acumen referunt, & tanquã ingeniose dicta carnem oblectant, ita fidei non adeò prosunt, quia nihil in eis certi, nihil firmi. Talibus autem typicis, quas uocarunt & allegoricis interpretationibus, ueteres pleriq; adeò indulserunt, ut & planissima Euangelica dicta, ad allegorias eiusmodi traxerint, sed nihilo firmiores, quam quilibet ingeniosior ex Homero & Vergilio quoq; cõfingere possit. At in ecclesia ut sermones Dei, quibus nihil indubita-

intempestiua allegoria Hieronymi.

A indubitatius, omnia nos loqui & scribere addecet. Et dolendum esse & hodie, qui istam allegorizandi sibi licentiam nimis temere permittunt.

Apostolos igitur libeat, qui ueterum quosdam Originem, Hieronymum, ac alios in typorũ explicationibus, & eorum quæ ueteribus contigerunt ad nos translationibus, imitari. Manifestam enim & certam habent illorum translationes & anagogæ similitudinem, patrum uero plerecp, maxime Originis aut nullam aut ualde obscuram. Ne igitur idem & nobis contingat, discernenda diligenter sunt quæ scriptura habet, inde uestigandum quid primum & præcipue spiritus quacp in re uoluerit, qui in omnibus id quidem studet, ut Dei bonitas à nobis agnoscatur, noscp in illam transformemur, sed uarijs id docet & commendat rationibus. Habet siquidẽ scriptura primum manifestas historias operum Dei, præcipue autem eorum, quæ Deus pro suis operatus est. Habet inde uaticinia eorum, quæ pro suis se operaturũ promisit. Habet denicp præcepta quibus docuit, quæ à suis requirat. Ea autem duplicia sunt, quædam enim præcipiunt, quæ Deus ab omnibus & semper requirit, ut quę cũ dilectione ipsius & proximi necessario cõnexa sunt, ut ne adoremus idola, ne furemur, & huius generis alia. Quædam rationes & formas tantum habent, quibus ad tempus populum suum ad dilectionẽ ipsius & proximi utcunc uoluit promoueri, qualia sunt quæ de formis iudiciorum atcp cęrimonijs præcepit.

Scriptura habet historias, uaticinia. præcepta.

In historijs itacp operum Dei, quæ omnia ualde bona sunt, præsertim diligentibus Deum, quibus in bonum uniuersa cooperantur, obseruandum est, uti paulo ante dixi, ut similibus, ad similia transeamus, & à minoribus beneficijs, qualia sunt illa externa, ad maiora, qualia sunt interna, obseruata analogia ascendamus. Sic terra Chanaan admonebit regni cœlorum. Man quo in deserto populus Dei pasceba

B tur, Christi, qui solus ita mentem pascit, ne amplius esuriat. Omnes uero ministri bonitatis Dei, Christum primũ mediatorem, per quẽ cuncta Dei beneficia impertanẽ nobis, & dispensantur, adumbrãt. Hinc in Moscheh, in Aharone, Iehosua, Dauide, Schlomoh & omnibus per quos unquam egregiũ aliquod Dei beneficium hominibus administratum est, typi Christi deliniati sunt. Quia autem in his celebrioribus uiris, typi Christi maxime eminent, sunt etiam ab Apostolis peculiariter notati. Ne ergo in his in dissimilitudinem aut obscuram & extortam, quã fidei sensus respuit, similitudinẽ incidamus, probe perpendendũ, quatenus beneficia minutiora & corporalia, cum maioribus & spiritualibus, item ministri illi diuinæ bonitatis cum Christo similitudinem, aut analogiam habeant. Semper enim cogitandum, quod eiusmodi translationes ἀναγωγαί, id est, subductiones sunt, quibus à minoribus ad maiora animi subducuntur, quapropter necesse est in absurda, nedum incerta illo sese inducere, qui uolunt omnia in typis, Christo & Ecclesiæ adaptare. Itzchak typus Christi fuit, ut enim ille filius promissionis, ita & Christus, imo perfectius Christus. Vt per illum benedictio multis nationibus allata fuit, dum per se & suos posteros, Dei cognitionem docuit, ita multo uerius benedictio Dei orbi allata est per Christum, per quem non solum doctrina, sed & spiritu pietatis donati homines sunt. Secundum hæc igitur, si ab Itzchak anagogẽ ad Christum feceris, certa erit, & idonea ędificationi, sin uoles & reliqua omnia, quæ de Itzchak legis, nempe quòd cæcutiẽti ab uxore & filio impostum fuit, quòd contra oraculum Dei, maiorem filium minori uoluerit dominum constituere, & alia id genus in Christum transferre, dices non infirma solum, sed & inepta multa. Vtcp ingenium in eo ostentare poteris, ita fidem ædificare non poteris.

Sic populus Israël, quòd à Deo in peculiũ electus, mirabilitercp ductus fuit, Ecclesiæ umbram quandã retulit, at si insingulis quę illis acciderunt, quærere uoles quod in Ecclesia respondeat, nugæ erunt multa quæ te fingere oportebit. Idem tibi usu ueniet, si ideo, quòd quædã in Moscheh, in Aharone, Dauide, in Sclomoh ac alijs,

in Christū per analogiam quadrant, uelis omnia illorū Christo adaptare. Proinde diligenter obseruandum, ne quid ad Christum aut Ecclesiam corpus eius, ex gestis ueterū transferamus, quod nō certo ac manifesto quadret. Ad quid enim facta priscorum in Christum & Ecclesiam contorquebimus, cū ille ex suis ipsius factis, quę Euangelistæ memorarunt, prædicauerunt Apostoli, clare adeo sanctis innotuerit, & Ecclesia ex amplissimis quæ à sponso suo accepit donis, sic agnoscatur, ut qui uelit his ex gestis figurisq; ueterum lucem adferre, id faciat, quod qui lucernam adhibeat soli? Vehementer uaria sapientia Dei, nota fit principatibus cœlestibus, per Ecclesiam, &, scilicet, ex factis Abraham, Itzchak, aliorúmue patrum & regum opus erit eruere cognitionem Christi, Ecclesiæq; diuitias: Nihilo prudentius hoc fuerit, quàm si quis ex factis puerilibus, de ingenio uelit disserere uiri. Iam pueri instar fuit populus Legis, quare quæ etiam magnifica illi acciderunt, collata ijs, quæ donata sunt Ecclesiæ, puerilia sunt, & admonere possunt horū, illustrare ea nisi collatione minoris cum maiore non possunt, imò ex his illa lucem accipiunt. Tantum est gratum ac etiam utile uidere, ut Dei bonitas in illis præluserit sibi ad gratiam Christi. Deinde habet & ipsa adhibitio paradigmatum, atq; similtudo, suam gratiā, docendiq; momentum non contemnendum.

Cauendum ne quid torqueatur.

Porrò de uaticinijs sic habet. Quædam aperte, & sine medio typo, de Christo & Ecclesia prædicunt, in ijs nullus est translationis, uel anagogię locus, ita ut sese offerunt, consideranda sunt. Sed sunt minime pauca, quæ de Christo quidem & Ecclesia prædicunt, sed mediantibus ijs qui typum aliquem Christi & Ecclesiæ gesserūt. Sic sane illud quod de filio Dauidis uaticinium 2. Schmuel 7. Chronico. 17. & Psal. 78. legimus, ubi Deus promittit se illi patrem fore, & regnum eius in perpetuum firmaturum, in Christum quidem competit, at non sine medio typo, quem Schlomoh gessit. Vnde & quædam in eo uaticinio proprie Schlomoh competunt, quædam uero augustiora sunt, quàm ut in Schlomonem quadrent, & ea Christo proprie tribuntur. De quo nonnihil disserui, in Epistolam ad Ephes. cap. 5. Simile est uaticinium Iescha. de uoce clamante, de quo supra cap. 1. Sect. 6. Innumera uero sunt huius generis uaticinia, quæ primum typis Christi, inde Christo ipsi conueniunt. In his id obseruandum erit, quod & in historia gestorum. Perpendendum enim quatenus, quæ dicta de ijs sunt, qui umbram aliquam Christi uel Ecclesiæ retulerunt, Christo & Ecclesiæ competant, ne quid illis præter apertam & certam similitudinem adaptetur. Simul obseruandum, quæ in uaticinijs illis typis propria, quæue typos excedunt, & Ecclesiæ, uel Christo peculiaria sunt, ut in uaticinio 2. Schmuel 7. quod de perpetuitate regni prædictum est, in solo Christo, & nequaquam in Salomone aliſue Dauidis posteris completum est. Hæc merito pluribus explicarem, sed cum fere requirant librum proprium, non est uisum in præsenti ab enarrando Euangelista expatiari longius.

De typicis interpretationibus uaticiniorum.

Præceptorum uero quibus ea pręcipiuntur, in quibus per se pietas constat, eadē quæ & uaticiniorum, quæ Christo proprie competunt, ratio est, nullam enim anagogen admittunt. At uero quæ accessoria pietati sunt, quęq; pro tempore illā apud populum ueterem utcunq; iuuerunt, non unius generis sunt, quædam formas iudiciorum ciuilium præscribunt, in quibus potissimum discenda æquitas est, & quam quam ea sola exigatur à nobis, neq; uelit ad rationes illas iudicandi Deus nos adstrictos esse secundum literam, paucos tamen casus esse arbitror, in quibus non prę staret illas Dei leges, quàm diuersas sequi. Potuit enim & Deus salubribus legibus R. Pub. instituere, idq; non paulo prudentius Draconibus, Solonibus, Platonibus, Aristotelibus, Ciceronibus, & id genus sapientibus huius seculi, Sunt deinde uaria de ritibus purificationum præcepta, quæ & ipsa primum nos docent, quàm decenter sine sordibus uersari cum proximis nostris oporteat. Hic nucleus earum legum

Quomodo tractanda sunt præcepta quanq; uaria ea sint.

a gum est,cætera testa sunt,Deinde est à corporali purificatione in his,ad purgationē transeundum animorū, sed cum ultro offerente se similitudine & proportione,ut nihil contorqueas,nihil adferas quod sensum fidei non feriat. In quibus omnibus nobis primum discenda in Deum pietas est,ut illi nos ipsos, & nostra omnia offeramus. Et inde,quia unus Christus est,qui suo sacrificio Patrem placauit,nosq; expiauit,à sacrificijs tam multiplicibus,anagoge facienda est ad unicū Christi,à multis sacerdotibus, ad unum summū sacerdotem Christū, à tabernaculo manufacto ad cœlestia,quorum tabernaculū Mose figurā,umbrā,typum,& exemplū prætulit.

Hæc Epistola ad Ebræos cap.8.9.& 10. egregie tractat,& uel sola docere poterat, quomodo Lex umbram futurorum bonorū,non ipsam imaginem rerum contineat,& quomodo rebus in Christo completis,umbræ Legis sint aptandæ. Meminit siquidem illa cap.9.totius fere apparatus, & supellectilis tabernaculi, & satis tamē habet ex eo quod in sanctum sanctorum Pontifex semel duntaxat in anno non sine sanguine ingrederetur, monuisse per id à spiritu sancto significatū, uiam sanctorū nondum fuisse ante Christum exaltatum reuelatam,quia nondū esset ea hostia immolata,& is sanguis aspersus,quibus sancti uere peccatis mundant, Memorato quidem ornatu interioris sacri, negat nunc sibi de illis rebus sigillatim dicendū, quo & si significarit singula illa,aureum thuribulum,arcā testamenti &c.habere quorū admoneant,attamē cum multiplici religione, & uarijs obseruationibus oporteret summum sacerdotem sacrificium illud in sacro sanctorum semel in anno perficere, ex omnibus nihil aliud quàm unum Christi sactificiū considerandum monet. Sic quàm miris & multis cerimonijs alia quoq; facere sacrificia oportebat, præcipue rufæ uaccę, attamen satis habet monuisse illis omnibus, unum Christi sanguinem significatum.

Cum enim tam gesta ueterum,quàm cerimoniæ umbras duntaxat rerum,quę in
b Christo & Ecclesia completæ sunt,contineant,& nequaquam ipsas imagines, multa habent, quę nequaquam Christo adaptari possunt. Sancti homines peccatores fuere,inde dissimilia multa imo pugnantia Christo in se habuerunt. Qui igitur nō absurda fingeret is,qui uelit illorum omnia Christo tribuere? Sic in ritibus tam purificationum quàm sacrificiorum,plurima præcepta sunt,nequaquā ut singula alicuid in Christo & corpore eius adumbrarent,sed ut rudior ille populus, pro rudi-tate sua, ut natura omnia solemus ad cerimonias,& certos ritus in sacris propendere,in obedientia Dei seruaretur, & ita diuinitus præceptis obseruationibus occuparetur,ut non uel sibi fingeret proprias,uel à gentibus mutuaretur alienas. Videmus enim ita ingenium hominum cerimonijs, & superstitiosis quibusdam ritibus deditum,ut nulla unquam gens fuerit,aut hodie sit,quæ nō innumeras,nisi Euangelio ab illis ad Christū, reuocetur,sibi excogitarit & statuerit. Legatur liber cærimoniarum Pontificis,legantur libri cærimoniarum collegiorum & cœnobiorum & stupebis plane otium, & incredibilem curiositatem eorum,qui tot,tamq; uarias tantoq; ordine,potuerint cærimonias cōminisci. Vt ergo facilē adsuesceret populus ille,in tam multiplicibus cerimonijs uoci parere domini,tantam cerimoniarum faraginem illis Deus præscripsit, ut onus esset importabile, etiam Petro teste Act. 15.Spiritu pueri etiamnum erant, eo plus erat illis cerimoniarum indulgendum, nos spiritu ditiores sumus, acecpimus paucissimas, aliquas tamen, quia nondum toti spirituales sumus.

Quare non omnia typorū rebus ipsis aptanda.

Quare tot cærimoniæ præscriptæ ueteribus.

Hinc factum ut neq; Prophetæ, neq; Apostoli,singulorū rituum significationes mysticas unquam tradiderint,neq; tradentur in posterum,expectamus enim ut nequaquam in ænigmatis tam perplexis,& speculo adeo obscuro, sed facie ad faciē, & sicut est,dominū uideamus. Quare sicut uidimus Apostolos de ipso Christo ex reuelatione spiritus potissimū prædicasse,& nequaquā ex typis,uel gestorū uel cerihh 2 moniarum

moniarum ueterum,niſi quãdo rem habuerunt cum ijs, qui illis geſtis atq; cerimo/ c
nijs plus æquo addicti erant, ita & nos quæ de Chriſto ex Euangelio te nemus in
primis doceamus.Iis probe cognitis poterunt cum fructu & typi proponi,modo re
ligioſe,ita ut Apoſtoli, illos tractemus. Certe Paulus typos perparce adhibuit,niſi
quando pugnandum & fuit cum pſeudoapoſtolis, qui neceſſitatem cęrimoniarũ
Legis conabantur inducere, & de carne Abraham, in præiudicium gratiæ Chriſti
gloriabantur. Aliàs ſatis ipſe & alij Apoſtoli habuerunt exempla ex ſcripturis,&
aperta cum præcepta,tum uaticinia adduxiſſe.

Quæ potiſſ. in ſcripturis ſpectanda.

Proinde qui Apoſtolos uolet imitari,& ſalubria ex ſcripturis in Eccleſia docere,
expendat quàm mirifice in omnibus quæ Deus cum ſuis egit bonitatem ſuam de/
clarauerit,eam & ſibijpſi,& alijs probe commendet, hinc roborabitur fides,accen/
detur Dei amor,is tum impellet ad honeſta omnia, & ab inhoneſtis reuocabit po/
tentiſſime.Simul expendat Deum unum hoc in omnibus quæ ſuis unquam præce
pit,ſiue de moribus ciuilibus,ſiue de cærimonijs præceperit, requiſiuiſſe,ut ipſum
timeremus & amaremus,totiq; ab ipſo penderemus, tum cũ proximis uiueremus
ſumma cum honeſtate,& officioſa dilectione. Hæc aperte ſatis omnia ſcripturę do
cent,cumq; omnia non niſi per Chriſtum nobis poſſunt contingere,illum quoque
omnes ſcripturæ prędicãt.Si typicos pręterea intellectus uoles adhibere,uide quod
ſæpius iam monui,& diligenter adeo agnoſcis obſeruatum ab Apoſtolis,ut probe
conſtet,& pateat ſimilitudo,atq; proportio inter typos illos,& Chriſtum, uel Eccle
ſiam,Ad quod opus eſt te antè ex Euangelicis literis,adeoq; & ſpiritu Chriſti tene
re,quid Chriſto,quid Eccleſiæ,tribuas.Nam ſi ex typo uoles colligere, quod Chri/
ſto,& corpori eius tribuas,idq; Apoſtolicę literæ non docent,neq; ipſe ſpiritus ſanc
to ſanctis reuelauit,nihil ſane docebis, & audies illud uulgatum: Figura nihil pro/
bat

Hæc ſane omnia copioſius:& pluribus exemplis fuiſſent explicanda, adeo pauci p
adhuc id in animum inducunt,ut certa doceant,licentiaq; allegoriarum,quas uo/
cant,minime paucos & hodie nugatores reddit,ex ſolidis Eccleſiæ doctoribus, ſed
ut dixi,proprium hæc librum requirunt.Reuertor igitur ad anagogen, quam Chri
ſtus hic à ſerpente æneo,ad ſe ipſum fecit,in qua uides ut ſimilitudo & analogia pa
teat,ut certa ſenſum fidei feriat,ut adducta ſit non attracta. Victus impatientia uitæ
duriuſculæ qualẽ agebant in deſerto populus Iſraël contra dominũ atq; Moſcheh
murmurare cœperat, eo offenſus Deus immiſit in eos ſerpentes, à quibus plurimi

Æneus ſerpens.

icti peribant. Verum cum ueniam orarent,iuſſit Deus Moſen æneum ſerpentem in
ſignum erigere,promiſitq; ut quicunq; à ſerpente morſus illum aſpexiſſet, ſeruare/
tur,4. Moſcheh. 21. Iam conſidera ut appoſitiſſime hæc omnia in Chriſtum, &
credentes Chriſto quadrent. Omnes enim mortales, quòd domino & uerbo eius
aduerſati ſunt,à ſerpente ueteri homicida ita icti ſunt,ut nequeant nõ perire,niſi alt
unde à morte ſeruentur. Suſtulit igitur ſignum ſalutis dominus,dum Chriſtũ fecit
per Euangelion prędicari eum,in quẽ quicunq; crediderit, certo æternam ſalutem
conſequatur,qua ſola fide denique ſeruantur,quicunq; à morte ſeruantur,reliquis ad

Vaticinium Ieſcha. 11

unũ omnibus pereuntibus,ut omnibus uenenũ peccati,à ſatana immiſſum eſt. Ta/
le uero ſignũ Chriſtũ fore prædixit & Ieſcha. 11. Cum ait:Et erit die illo,ut gentes in
quirant radicẽ Iſchai,quæ ſtabit ſignũ populis,eritq; glorioſa,quam dabit ad ſe con
fugientibus, à labore dimiſſionẽ atq; quietem. Vt ſane militibus,cum ad ſigna ſua
redierint,ſalus & quies eſt,ita apud unũ Chriſtũ certam ſalutem & quietem inue/
niunt electi.Malo autẽ exaltationẽ Chriſti,eam intellgere quæ facta per Euangeli/
um eſt,quã quę per crucem,quod hæc in ſcripturis Chriſti humiliatio,uti & eſt,nõ
exaltatio dicitur.Et aſpectus fidei, non eſt niſi in exaltatum Chriſtum per Euange
lion.Eodemq; ſpectauit infra 12,ubi ait:Cum exaltatus fuero à terra,traham omnes

ad

ad me ipſum. Hic tũ ſimul innuit, quo genere mortis eſſet perimendus, quod ita populus quoq; intellexit, ipſe tamen ut ex eo quod ſequitur, traham ad me omnia, intelligi datur, crucifixionem ſuam exaltationẽ uocauit, nõ tam ideo, quòd eſſet corpore in ſublimi appendendus, quã quòd hac uia erat ad dexterã patris exaltandus. Ad hanc enim cum euectus eſſet, traxit ſpiritu ad ſe omnia.

Nõtandum deniq; hic ad lucem maiorem, eorũ, quæ de ratione rite ducendi in ſcripturis anagogas, diſſerui, narrari in ſcripturis, & myſtica quędã facta, quale iſta cuius hic Chriſtus meminit ſerpentis ænei cõfectio, atq; in ſignum erectio. Talia fuerunt & quibus iuſſus Moſcheh fuit miracula perficere, nempe percuſſio per uirgam maris rubri ut ſcinderetur, percuſſio petræ ut daret aquam. Trina expanſio ſuper mortuum puerum Eliiah, ſeptena lotio in Iordane Naæman principis Syri, & ſimilia. In his quantum ad typicos intellectus attinet idem obſeruandum eſt, quod & in typicis geſtis, atq; cęrimoniis, nimirum ut ſimilitudo eorum, cum iis quibus aptantur, atq; analogia dilucida ſit, & à ſenſu fidei agnoſcatur. *De factis myſticis.*

Cæterum uidetur mihi dominum hæc adhibuiſſe, ut uideremus, quantum ipſi, creaturæ omnes noſtraq; ipſorũ opera inſeruiant, ſic ſane ut per ſe nihil queant effi/cere, & ſit totum opus ipſius, meraq; bonitatis eius dignatio, quòd noſtra ſuis operibus adhibet. Quis non agnoſcat, non fuiſſe uirgæ, neq; percuſſionis Moſcheh, ut mare diuideretur? quis dubitet aſpeſionem luti ſuper oculos, & ablutionem in aquis Siloẽ, cæco nequaquam uiſum reſtituiſſe, ſed nihil etiam momenti ad id per ſe contuliſſe? Cur igitur uoluit dominus iſta adhiberi? Vt equidem ſentio, hac potiſſimum cauſſa, ut doceret non aliter, & alijs in rebus, ſe ſolum omnia perficere, & quòd nos & alias creaturas operibus ſuis adhibet, tanquam cooperarios, id nequaquam facere, quò cõmodius opera ſua perficiat, ſed quò nos aliasq; creaturas, quibus ita utitur, honoret, ſuæq; tanto plenius bonitatis faciat particípes. *Omnia ſolus operatur Deus.*

Quod ergo nos cibo paſcit, ueſtimento, calore fouet, frigore recreat, armis defendit, rebus medicis ſanat, fauore hominum attollit, doctrina eorũ docet, in his & omnibus alijs, quę nobis facit, nihilo plus momẽti adferunt adhibitę creaturæ, quã attulerit, ad reuocandum puerum mortuũ in uitam, trina Elijah ſuper eum expanſio, & quinq; panes duoq; piſces, ad hoc, ut ſatientur quinq; hominum millia. Cõſtat autem quòd hæc & ſimilia per ſe nihil, ad illa opera Dei, quibus ſunt adhibita contulerunt, tantundem iam ex ſe conferunt, & alia quæcunq;. Tantum quòd ſem per fere cibus ad paſcendum, ueſtis ad tegendum, & alia ad ſuos uſus adhibentur, huiuſmodi rebus plus quàm par ſit ineſſe uirtutis arbitramur, nobiſq; cũ abſunt timemus. Cũ per ſe ne pilo quidẽ plus cõferre poſſint ad ea ad quę illis utimur, quàm cõtulerit, ad id, quod è petra flueret aqua, quòd uirga illã Moſcheh percuteret, aut unctio Apoſtolorum ad ſanitatem quam ſpiritus ægrotis reſtituebat, aut denique aſpectus æneí ſerpentis ad id, ut ſanarentur icti à ſerpentibus. Percute ſiquidem & tu uirga petram, inunge q; oleo ægroros, aſpice deniq; ictus à ſerpente ſimulachrũ ſerpentis æneum, & uide quid effeceris. Diſcendum ergo hinc, ut ab uno domino in omnibus pendeamus, agnoſcentes omnia eum in omnibus, & ſolum agere atq; perficere. Hinc uero & illud diſcendum eſt, quî ſymbola ſacramentorũ inſtrumenta ſint ſalutis, quî baptiſma ſit lauacrum regenerationis, panis uinumq; Euchariſtię cõtractio corporis et ſanguinis domini. Certe ex ſe ne aquæ quidẽ tinctio, nec pãis fractio, uinię diſtributio aliqd huius habet, ſed nec miniſter illa adminiſtrãs, at domino cũ uiſum ſit, hęc ſua dona, hiſce ſymbolis ſuis cõferre, tũ ſancti uere adeò ea dona iſtis ſignis percipiunt, quàm uere ſanabant iſti à ſerpentibus, cum freti uerbo domini ſerpentem æneum aſpexiſſent, quamq; uere aquam dedit petra uirga percuſſa iubente domino.

Locum illum 1. Corinthios. 10. Omnia in figura contingebant illis, quem allegoriis ludentes prætexunt, explicaui supra capite primo in digressione de pædobaptismo. De tota autem ratione typorum dixi quædam, & supra cap. 2. Sect. 2.

Add ucunt pro se allegorizantes isti, & quòd dominus à resurrectione discipulis scripta de se in Moscheh, in Prophetis & Psalmis exposuit, uerum quàm certa id ratione fecerit, quæ & nobis obseruanda est, dixi in Matthæo sub finem, ubi huuc locum tractaui. Adferunt & illud quod infra. 5. habebimus: Scrutamini scripturas: Item: Moses de me scripsit. De his ergo loco suo dicam. Vt omnis credens in eum) Credit in eum, qui certo saluatorem illum orbis, & suum agnoscit, de quo & supra Is habet uitam æternam, sed fide. Sensus nanque ille de Deo bonus, quo habet eum sibi patrem, & Christum propitiatorem patris, æterna uita est, sed inchoata, nõdum perfecta, unde & gaudium, atq; pax, pro fidei portione inchoata in credentibus sunt, nondum perfecta. Vbi plena erit dei & Christi cognitio, perfecta & ista erunt, consummataq; uita æterna & beata. Fœtum hominis iam animatum dicimus habere, uitam humanam, & uere habet, quanquam admodum imperfectam. Sic quibus certa Dei contigit cognitio, etiam imperfecta, modo tanta ut amorem dei accendat, uitam utiq; æternam & beatam habent, ea enim nihil aliud est, quàm uita æterna, infra 17. quo autem imperfectior ista cognitio fuerit, eo & uita æterna, id est, gaudium & pax imperfectiora habentur. Vtq; dum hic à domino peregrinamur, ista tantum in spiritu, interiore, scilicet, homine percipimus, ita expers manet illorum hoc corpusculum, quod caro est & sanguis, quæ regnum dei nondum renouata hæreditare non possunt 1. Corinth. 15. Renouata autem illud hæreditabunt, id cum speramus, nondum possidemus, quare fide et spe saluos nos esse Paulus pronuntiat, Roman. 8. Ephes. 2. Certa est autem, & infallibilis horum expectatio, quia arram accepimus spiritus, qui irrefragabile dat nostro spirtui testimonium, nos filios esse & hæredes dei 2. Corinth. 1. Roman. 8.

Vnigenitus Dei. Vt filium suum unigenitum dederit.) Quia de propitiatione hic sermo est, per Iesum ut hominem facta, nam unus Deus, inquit, Paulus, & unus mediator dei & hominum, homo Christus Iesus unigenitus dei, hic etiam ut homo prædicatur, sic & datus in mortẽ est, & inde adorandus omnibus finibus terræ, quòd placuerit patri per eum summatim instaurare omnia Ephes. 1. Vnigenitus autem etiam sic dicitur, quia caput filiorum dei est, & de cuius plenitudine accepimus omnes, ut & nos filij dei essemus. Adhęc, nemo præter eum homo, absque peccato unquam fuit, & dei imaginem plene obtinuit: de quo nonnihil & supra caput. 1. in illud Nathanaëlis: Tu es filius Dei.

Nõ in iudiciũ. Non enim misit Deus filium suum.) His non pugnat, quod infra. 9. dicit: Ad iudicium ueni in mundum, ut non uidentes uideant, & uidentes cæci fiant. His enim significat quid multis aduenerit, hic autem ad quid præcipue orbi, sic accipiendum est, & quod infra. 12. ait: Non enim ueni ut iudicem mundum. Iudicare hic pro condemnare accipitur. Vt ergo peccare non potest ad condemnationẽ, qui natus ex Deo est, Romanos. 8. & 1. Ioannes. 3. domino per spiritum suum tandem omne peccatum expurgante, & ueniam admissorum certo pollicente, atque præstante, ita neque iudicari huiusmodi potest, id est, cõdemnari. Transiuit enim ut infra. 5. dominus ait, de morte in uitam, per Christum, & in Christo certus benevolentiæ dei habet iam uitam æternam, de quo iam dictum. Exolescere igitur tandem oportet quicquid peccati est & mortis. Alij qui in nomen unigeniti non credunt, non habent, neque unquã habere possunt, qui peccatis eos liberet, moriuntur igit miseri in peccatis suis. Proinde eo ipso, quòd non est datum eis credere in Christũ, iam

A sam iudicati & condẽnati sunt, non minus quàm deuotus morti est, cui letali morbo correpto negetur medicus, & cui adiudicato pœnæ capitis non est redemptor. Sic sane illis, à morte æterna, in quam omnes nati sumus, redemptor in æternum negatus est, quibus negatum est ut credant in Christum. Vnus enim à morte liberat, & sola in ipsum fide id ab eo percipitur.

Hoc est iudicium.

Hoc uero iudicium est.) Incertum uideri possit, an intelligi debeat, iudicium & condemnatio non credentium Christo, ipsa est Christi reiectio. Neq; enim alia est impiorum pernicies, quàm quod oblatam uitæ lucem respuunt, & malunt consuetà sectari, hoc est, in tenebris perseuerare: quem sensum in Paraphrasi reddere sum conatus. Vel, hæc est caussa iudicij atq; condemnationis eorum, quod respuunt lucem saluificam. Delucidior tamen & superioribus magis respondens uidetur sensus prior, licet & hic quoq; uerus sit. Nam ut id ipsum quòd homines malunt sua sectari quàm amplecti Christum, iudicium eorum & condemnatio est, ita iudicium & condemnationem eorum tanquam caussa idem perficit, eo quòd ubi Christi cõtemptum homines consummauerint, tum demum bonis omnibus exuti pœnis adiudicantur geennæ. Cæterũ totius perditionis caput & substantia est, non posse Christum propriis cupiditatibus præferre, qua antequam nati iudicati sunt & condemnati, quotquot dãnantur, sicut & apud Deum ante secula condita, saluati quicunq; saluantur. Sicut enim hi electi sunt ante conditũ mundũ, Ephes. 1. ita reiecti alij sunt, item ante conditum mundum. Hæc aũt reiectio tum apparet, cum oblatum gratiæ Euangelion reijciunt, maluntq; ignorare Christum, id est, luce uitæ carere, quàm illum recipere, & ad uitam illustrari. Quo ipso Euangelij contemptu, impietatem quoq; suam complent, id est, caussam præbent, ut & iudicium atq; condemnatio eorum compleatur. Sic Christi reiectio simul & ipsa est condemnatio, pœnaq; impiorum, & caussa condemnationis pœnæq;, quæ tandem de eis sumitur. Tenebræ

Quid tenebræ.

B hic uocantur, Christi ignoratio & quicquid præ Christo homines seculi amãt. Qui nanq; non sunt ex Deo nati, ij quemadmodum nõ possunt audire uerbum Dei, ita necesse est eos ignorantiam Christi, cognitioni eius præferre, atq; ita tenebras præ luce, amare. Hinc est quòd uides hodie multos adeò nihil omniũ rerum audire molestius, quã de Christo, & Euangelio eius. An non uidentur isti tibi iam condemnati, & æterna morte multati, qui nõ possunt non auersari Christi cognitionẽ, quæ est uita æterna? Cumq; tantum bonũ ultro oblatum respuunt, an non uidentur etiam caussam tibi dare multo iustissimã, ut etiam ea uitæ umbra, quam habere uidentur, priuentur? Non habenti enim aufertur, & id quod uidetur habere.

Erant mala opera eorum

Erant enim mala eorũ opera.) Hæc caussa est cur impij Christũ lucem uitæ auersentur, Christus lux Dei est, qua arguitur quicquid malum est. Qui enim non apparet in iustitia, cum ea summæ adhibetur iustitiæ? quî non uideretur stultitia, cum illa primæ cõfertur sapientiæ? Iam caro, in qua nihil boni est, nihil minus potest ferre, quàm id detegi, ideo Christum omnia illustrantem & reuelantem non potest nõ odisse. Et ideo nouos eos fieri, & renasci oportet, qui Christum suscipit. In ijs ergo cum sit nouus homo, & quidem secundum Deum conditus, is non potest autorem suum non diligere, uerbum. Exultat igitur hic nouus homo ad lucem hanc, & Euangelij reuelationem simulatq; illuxerit, sui enim inde sperat instaurationem & consummationẽ. Cæterum illud: Omnis male operans &c. gnome est uulgata, per quam probat ex innata malitia reproborũ fieri, ut Christũ sustinere nequeãt, & est sensus: Vulgo dicitur eum odisse lucem qui perperã agit, cum igitur impij Christũ lucem dei ferre nequeant, certum est eos malos esse, & mala opera eorum. Probare

nanq; uoluit dominus iam condemnatos qui ipsi non crederent, quod tamen de iis intelligit, qui etiam nunquam crediturí sunt, reprobi, scilicet. Adiecit ergo eos luci
Ordo probationis. præferre tenebras, uitæ mortem, quæ ipsa est eorum condemnatio: liquet igitur iã condemnatos, quos uidemus huic condemnationi qua nihil potest fingi horribilius, obnoxios. Vt tamen hoc magis declararet, & causſam simul daret, cur reprobi se auersarentur, addidit opera eorum mala esse, id est, eos nihil posse operari boni. Id uero infertur ex superiori, quòd lucem contemnunt & tenebras amplectuntur. Qui enim non essent perdite mali, qui summam iustitiam & salutem, ultro sese offerentem reijciunt, maluntq; in suis sordibus & tenebris letiferis perire, quàm lucem amplecti, qua iusti fierẽt & salui? Quoniã in Deo sunt facta, id est, per Deũ, qui operatur in nobis uelle & operari: sine eius enim spiritu, nihil boni à nobis fieri potest.

OBSERVATIONES

Obseruanda primum domini mixta lenitate admonendi libertas. Monet indignũ esse magistro in populo Dei, ignorare mysteriũ regenerationis ex spiritu, neq; tamen abijcit tam ignorantem magistrum, sic & nos eos, in quibus uel aliquod ueritatis studium deprehenderimus, libere quidem moneamus, quo seipsos agnoscãt, nequaquam tamen abijciamus. Obseruandum deinde, satis esse ad salutem, si non possis illico omnia Dei mysteria pernoscere, ut animo tamẽ pendeas à Christo, fidasq; eo ut saluatore, Vides enim hic, ut huc hortatus sit dominus Nicodemum, postquam ille quamlibet luculenter arcanũ renouationis explicatum, non posset tamen agnoscere. Quàm multa enim & discipuli licet familiarissime expolita, capere nequibant, Christo Domino tamen usq; adhærebant, animis persuasi, eum uerba habere uitæ æternæ, & esse ab eo expectanda omnia, suo itaq; tempore spiritu illustrati didicerunt, quęcunq; oportebat, & ad salutem ipsorum faciebant. Idem usu ueniet alijs, si discipuli modo Domini esse perseuerent. Eos igitur quos uidemus non posse continuo capere fidei uostræ mysteria omnia, hortemur ut saltẽ hoc agnoscant, Christum esse orbis, & ipsorum saluatorem, & unicum cœlestis doctrinæ magistrum: neq; errare posse, qui uerba eius, & si ea nequeant plane omnia intelligere, uera crediderint, neq; posse plenam tandem salutem non consequi, qui illam ab eo expectauerint. Certe qui uel hactenus crediderint. Dominunq; unicum nostrum doctorem & saluatorem agnouernit, uitam habent æternam, utcunque eam nondum perfectam possideant. Sic possident tamen, ut auferri eis nunq; possit. Sicut itaq; hinc uere sunt filij Dei, ita nequaquam ob ruditatem, qua præpediti, pleraq; Dei cognoscere nequeunt, regno Dei illos proscribamus. Quin exemplo Domini, demus operam, ut quam familiarissime illos doceamus, quæ scire eos referat, sicq; capere illa nondum possunt, hortemur, ut nihilominus, de Domino bene sentiant, non dubitent uera, quæ is docet, neque diffidant daturum illum, ut olim uera omnia cognoscant, & quæcunq; salutaria sunt percipiant.

Circa illud: Quod scimus loquimur, animaduerendũ nihil quenq; docere debere, cuius non sit apud se ipse certissimus. Tanquã sermones Dei siquidẽ quæ in Ecclesia loquimur, esse debent omnia. Cæterũ existimo dominũ hoc dictum, ut gnomen uulgatam, quibus libenter utebatur, hic usurpasse. In sequenti Sect. idem lo annes de domino quo'd non sit locutus nisi quæ uidisset, & audisset, testatur.

In reliquis diligenter obseruandum est, quid de Christo sentiendum sit, solus in cœlum ascendit, solus diuinitatem et immortalitatẽ propriam habet, quia unus est, qui de cœlo descendit, id est, uerus cũ Deus esset, homo factus est, Vnus igitur quoque est per quẽ uitam & salutem & nos accipiemus. Si iam non nisi per illũ, quęque re bona sunt, percipere possumus, agnoscamus quã nihil sit lib. arbitriũ, alięq; uires hominis, quàm nihil omnis nostra iustitia & uirtus. Nemo in cœlum ascendit, nisi

Christus,

Christus, qui igitur illi nõ fuerit per fidem insitus, & membrum eius factus, in cœ-
A lum, id est, in consortium diuinitatis, participationemq; eorũ quæ uere bona sunt, nunquam perueniet.

Obseruandum præterea, circa illud: Sic dilexit Deus mundum, omnia salutis nostræ, diuinæ dignationi tribuenda. Non nisi per Christum renasci in uitam Deo dignam & cœlestem possumus, at quòd Christum accepimus, meræ est dilectionis Dei. Fidere nos bonitate dilectioneq; Dei ista probe pensata facient, siquidem donabit omnia nobis Deus, postquam filium suum donauit unigentum, quo nihil habuit charius, sed iuxta & nos ad redamandum tantopere nostri amantem patrem id ipsum accendet, quod si fiet, diligemus synceriter et proximos, hãc Dei erga nos dilectionem sedulo æmulaturi. Singulari quoq; consideratione dignum, quàm magnifice hic dominus ipse fidem prædicarit, qua nimirum æternam uitam percipimus, & in iudicium nunquam uenimus. Imò ipsa uita æterna est, quia cognitio uera Dei est, quamlibet etiã rudis, si modo uera. Quis iam dubitet sola nos fide iustificari, cum hic Christus pronuntiet, qui illam habuerit, eum habere uitam æternam, qui uero illam non habuerit, in æternum perire? Certe iustum esse, ueraq; uita uiuere, idem in scripturis pollet. Mira uero cæcitas est, pleriscp; tam absurdum uideri, fidei tantum tribui. Quid enim quisquã operetur si nondum uiuat, iam sola fide in Christum, dum animus de eo, ut saluatore suo, persuasus est, homo uitã Dei uiuit, diuina sentit & amat. Quis igitur dubitare potest, nihil posse sine fide boni à nobis fieri, qui quod bonum sit, nisi per fidem cognoscimus. Quis item huc iustitiæ unq; peruenit, ut ea fretus, securus iudicij Dei uiuere possit? Quis tam sui ignarus, qui se legi Dei unquã satisfeciss e existimet? Non est ergo ut homo aut se, à suis operibus salutem speret, sed uidet quisq; sola sibi nitendum esse satisfactione Christi, & misericordia Dei. Iam aũt diserte adeò Christus qui credit in me, habet uitam ęternam,
B id est, qui non dubitat, se per me restitui in gratiã patris & spiritu ueræ uitæ donandum, id quod omnibus polliceor, is certe iam in gratiã patris restitutus est, & meo spiritu uiuit uitam æternam. Id sic esse & geri experimento norunt sancti, dubitare igitur non possunt, sola se fide iustificari, hoc est, credendo in Christum, nullo merito operum se compotes fieri misericordiæ Dei peccata non imputantis, & spiritu Christi, nouam uitam inspirantis, quæ sit bonorum operum fœcundissima. Nam qui fidem hanc habuerint, non possunt non operari quæ bona sunt. Vitam hominis quis uiuat, & nõ habeat opera humana? Ita Dei uitam quis possit habere, ut non & Dei opera operetur? Sed sicut uides etiam infantem hominis uitam habere, eoq; & opera, sed non omnia, tantũ imperfectiora, sic habemus & fide pueros, à quibus si grandium opera requiras, aliás negaturus eos esse Christianos, idẽ feceris, quod qui neget, infantem hominẽ esse, eo quòd nequeat, ut adulti & grandes homines, ingredi, loqui, aliaq; hominum opera præstare.

Posthæc uenit Iesus & discipuli eius.) PARAPH. Cum festum Paschæ egisset dominus Ierusalem, muneriq; suo pro ratione temporis, prædicans Euangelion regni, inseruiisset, in Iudæam cum discessit, ut & illic se saluatorem exhiberet. Nam agens illic, baptismo per discipulos administrato, ciues regno Dei plurimos conscripsit. Cum uero & Ioannes (nondum enim erat in carcerẽ coniectus) eidem regno, baptismate ciues colligeret (baptizabat siquidẽ in Aenon propè Salim propter opportunitatem aquarum, quæ multę illic erãt, plurimis nanq; in locis Iudææ, aquarum inopia est) orta de purificatione quæstio est à discipulis Ioannis cum Iudæis, qui iam forte Christo incipiebant, præterito Ioãne, adhærere, baptizati à discipulis Christi in nomen eius. Cũq; id discipulos Ioãnis, zelãtes pro magistro suo, ureret, ad Ioannẽ retulerũt baptizare & Iesum, uenireq; ad eũ oẽs. Respondit ille: Nemo quicq; istiusmodi sibi usurpabit, nisi datũ fuerit ei cœlitus, ne igitur offendat

uos,

uos, quod ille baptismo discipulos colligit, plurimiq; ad eũ ueniunt, utinã & uos, C
& cuncti mortales illum magistrum agnoscerent, Vos ipsi mihi testes estis, quod
plane dixi me non esse Christum, sed missum ante illum, ut meo nimirum testi-
monio illũ electis cõmendarem. Qui sponsam habet, is sponsus est, amico sponsi sa-
tis est sponsum audire, eiusq; præsentia perfrui. Hoc ipsum meum gaudiũ impletũ
est. Aduenit enim tandem desideratus sanctis omnibus sponsus, hic Iesus uerus &
indubitatus Christus, huius est sponsa Ecclesia sanctorũ, aduenit iam homo factus,
ut eam de carne & ossibus suis assumptã, sibi uniat: prędicabitur enim mox Euan-
gelion eius in uniuerso orbe, adducenturq; prope, qui longe erant, quę que nõ erat
dilecta, dilecta erit. O beatum me, cui datum est tantum uocem eius audire agno-
scereq;. Iam officio meo perfunctus sum, me obscurari, illum uero oportebit illustra-
ri. Qui nanq; è supernis uenit, super omnes est. Neq; enim iste, ut putatis, tantũ ho-
mo, sed etiam Deus est, è supernis uenit, qui fuit initio, & per quem sunt omnia fa-
cta, ideo cœlestia & diuina docebit, cur nõ uenirent ad eum omnes? Qui è terra est,
ut mortales uniuersi, terrena tantum loquitur, & si cui detur cœlestia loqui, necesse
est, ut huius cœlestis in eo spiritus, & non ipsi loquatur. Qui è cœlo uenit, ô discipu-
li, iterum dico, is super omnes est, omnes illi sese tradere in discipulos debẽt. Nihil
incertum ille, nihil quod non habeat exploratissimũ poterit loqui, quæ ipse uidit &
audiuit, certoq; cognouit, ea testatur, sed ô infelicitatem mortalium, nemo, hoc est,
paucissimi testimonium eius recipiunt. At quibus datur illud recipere, ij indubita-
to agnoscunt, tamq; hahent exploratum, quàm quæ consignare solent, quòd Deus
uerax est. & in hoc Iesu iamiã pręstat, quæ unquã sanctis suis promisit. Misit hũc le-
gatũ ad mortales deus, nihil igitur nisi Dei Verba loquitur, in quibus nimirũ deus
summum bonum & pater noster plenissime cognoscitur, indeq; uita æterna perci-
pitur. Neq; enim ad certam mensuram dat deus spiritum, quam transgredi postea D
non possit: dedit mihi sane cumulate suum spiritum, quo baptizaui & docui multa
profecto cum luce & efficacia maiore, quàm omnes qui ante me docuerunt, adhuc
tamen nihil sum collatus huic Iesu. Ipse enim filius Dei est, & à patre ita diligitur, ut
in manus illius posuerit omnia, hucq; illum euexerit, ut uitam æternã habeat, quis-
quis in eum crediderit, discipulusq; eius esse uoluerit, qui uero respuerit eum, uitã
nunquã uisurus sit, in æternum premente eum ira Dei. Tale nihil unquam de me
prædicaui, mittite igitur istum uestrum pro me præposterum zelum, & æquo ani-
mo ferte, ut ego obscurer: præstiterit filio Dei, q̃ mihi auscultetis. Et uos itaq; ad il-
lum concedite, & quoscunq; poteritis simul illi uobiscum adducite, quo audientes
illum, uitam accipiatis æternam, quam frustra à me expectabitis.

ANNOTATIONES.

Cur à Ierusalem in Iudæã

Non perstitit diu Ierusalem dominus, non enim erat hora, ut prorsus ad huc in-
clarescerет. Sub finem uero functionis suæ, frequentius illic egit, & plura designa-
uit, quia appetebat tempus, quo debebat glorificari. In humilioribus igitur regio-
nibus, qualis Galilæa erat, antea effulgere diuinitatis suæ lucem fecit. In pręsenti ta-
men in Iudæam & hac ratione secessisse, moramq; in ea egisse uidetur, ut occasio di-
scipulis Ioannis fieret, de eo, in uicino adeo sibi loco discipulos per baptismum col-
ligente, quærendi, atq; inde tam præclarum, quod hic Euangelista memorat, magi-
stri sui de domino, testimonium audiendi.

Nemo nisi diuinitus missus recte docebit.

Non potest homo accipere quicquã.) Simile est: Quomodo prædicabunt, si non
mittantur. Rom. 10. Cum enim nõ simus sufficiẽtes, ut uel cogitemus aliquid ex no-
bis, quo Paulus 2 Cor. 3. de prædicatione Euangelij proprie scripsit, certum est, ne-
minẽ quicquã rectum & sanctũ, uel docere uel facere posse, quod nõ acceperit cœli-
tus, hoc est, ad quod nõ fuerit impulsus diuinitus. Nõ missi igit̃ & per se currentes,
nõ sunt qui deo homines colligũt, & eius Verbũ annuntiãt, sed qui sua uel aliorum
somnia

A somnia adferunt,& à Deo homines abducunt, sibiq; ipsis obnoxios facere conantur. Vnde Iirmiah.23. Visionem cordis sui loquuntur,non de ore domini. Quapropter dixit dominus infra.10.furari illos, & perdere oues. Iam uerbum domini cibus uitæ est,quare qui fures sunt & latrones eos necesse est nequaquã loqui uerba Dei, sed commenta hominum.

Hinc uides quantũ absint à uero Catabaptistæ, qui negant audiendos etiam qui docent quæ ipsi quoq; uera fatentur, si accipiant salarium unde uiuant, si non sint electi ab ipsis,se enim solos Ecclesiã faciunt. Nam si cõstet etiam huiusmodi sua quę rere,dum Verba Dei prædicant,contemnent nihilominus Deum,qui illos cõtempserint:ideo Paulus gaudebat, Christũ prædicari etiam ab ijs, qui id mala cõscientia faciebant,Philip.1,Missio uera rite Euangelizantiũ: est ad prędicandum gratiã factam per Christũ impulsio. Huc iam nemo nisi unus Deus impellere potest,quia uel cogitare aliquid tale ex nobis nõ sufficimus,ut Paulus inquit,multo minus dare id possunt homines alij,cum plantans & rigans,nihil sint. Quisquis igitur uera unquam loquetur, missum ad id esse eum diuinitus oportet, quacunq; demum id occasione quáue mente loquatur,stabitq; præsens dictum Ioannis:Non potest homo accipere quicquã,nisi fuerit ei datum è cœlo. Vnde cum Caiaphas imprudens uerum de litatione Christi dixisset,ex spiritu loquutũ & prophetasse eum Euãgelista adserit. De his plura in Matth.9.sub finem.

Contra Catabaptistas de uocatione ad prædicandũ.

Habens sponsam.) Parabola est, qua significare uoluit Ecclesiã Christi sponsam esse,& se solidum gaudiũ gaudere, quod audire sponsum, id est,præsentem habere,sibi datum esset.

Qui de terra.) Animalis enim homo non percipit quę Dei sunt,quare neq; loqui de illis potest. Cum itaq; Christus à patre omnia accipit,etiam facultatẽ dispensandi spiritum sanctum,eum doctorem,qui omnia docet,& ad uitam æternã innouat,
B audiẽdus utiq; præ omnibus est. De cœlo uenit,quia Deus homo factus est, ipsum iam audire Deum,quãto optabilius,q̃ audire seruũ Dei? Iure ergo ad eum omnes ueniebant,qui erat super omnes,& solus omnes erudire ad salutẽ poterat.

Qui recipit testimoniũ eius signauit.) Id est,iam certo agnouit, uti ea cognita habemus,quæ in testimoniũ,quòd ita se habeant,obsignamus. Qui enim Christi sermonem recte percepit,ipsum & in ipso patrem,uerũ Deum, in uero Deo agnoscit, certoq; uidet,quòd uerax sit Deus, quæq; unq; sanctis promisit, prolixissime eum in seruatore nostro Iesu Christo præstitisse. In ipso siquidẽ sunt, etiam, & per ipsum sunt,amen,quotquot sunt promissiones Dei. 2.Cor.1. Etenim cũ uerba Dei loquatur,qui ea pernouerit,ipsam ueritatẽ,ipsumq; Deum,certam deniq; bonitatẽ eius, omnia promissa ipsius implentem agnouit,percepit,possidet.

Quòd uerax Deus.

Non ex mensura dat Deus spiritũ.) Bifariã hoc intelligi potest,uno modo,Christo non dari spiritum ex mensura, sed præter mensuram, id est, effusissime,idq; homini. Vt enim Deus est,idem substantia est,quod spiritus Dei. Altero, ut idem sit, ac si dixisset:Non solet certa aliqua & definita mensura Deus spiritum largiri, ut si cui multum de illo largitus sit,non possit alteri largiri amplius,sed pro arbitrio suo unicuiq; illum dispensat,nec ulli tantum contulerit,quin multo plus queat impendere alijs. Infinita est hæc spiritus opulentia. Nolite igitur existimare Deum propterea,quòd mihi plurimũ spiritus sui impertiuit,nõ posse huic lõge plus donare: Hic Iesus ipse Dei filius est, quem præ omnibus pater diligit, tradiditq; ei in manus omnia. Spiritum Dei ipse dispensabit,uitam æternam electis largietur, mundũ deniq; iudicabit,& ut per eum cõdita sunt,ita & restaurabuntur omnia. Videte quãto sit me maior,quantumcunq; præstet illum uos, quàm me audire. Hic posterior sensus,germanior mihi uidetur loci huius intellectus,non enim adiecit Euangelista,ei,aut quid simile,prior tamen quoq; uerus est.

Sed

Sed ira Dei manet.)Quia in peccatis ille manet,omni cogitatione & conatu deo aduersarius. Sic enim nati sumus,indeq; non nisi per Christum possumus liberari.

OBSER. Circa id quòd in Iudæam Christus abijt,baptismo discipulos collecturus,& non ut alias ferè solebat in Galilæam,idq; in loco,ut uerisimile est, uicino ei, in quo babptizabat Iohannes &c. Obseruandum ut commodas operum suorum Deus occasiones injiciat, iuter quas & incidere solent, in quibus non nihil peccatur,spiritu tamen suo,tandem ad optatum sanctis suis finem omnia deducit.Peccatum utiq; erat,præposterus ille discipulorum Ioannis pro ipso magistro suo zelus, interim tamen occasio hic zelus fuit, ut illis Ioannes Christum tam præclare prædicaret.Sic & peccatum illorum,homo eis fuit.

Christus mala uertit in bonũ

Animaduertendum præterea hic, quàm in procliui sit,etiã sanctis,ut autores uel inuiti fiant sectarum. Adeo proni sumus, ut homines pluris æquo faciamus,proq; eis,contra ueritatem æmulemur. Solet nanq; Satanas no minus conari, ut malo sanctis omnia sint, etiam quæ per se optima sunt, quàm Christus suis faciat bono esse, quæ per se mala sunt.Aemulatio discipulorũ pro magistro suo contra Christũ mala erat,uertit tamen eam in bonum illorum dominus,dum occasionem fecit,ut ueritatem plenius edocerentur.Sic optima res erat, quòd hi discipuli Ioannem colerent,uerba enim Dei docebat,hoc autem studij Satan conatus fuit,in rem pessimam uertere,ut quem propter Deum cœperant colere,colerent contra Deum,dum eius præpostero studio,Christo inuidere inciperent,atq; contra eum incitare cuperent, & magistrum suum.

Satan bona in malum.

Caueamus igitur,ne plus æquo homines admiremur,néue in quoquã mortalitũ glorietur,omnia nostra sũt,siue Paul.siue Apollo,siue Cephas &c.Alioqui citius opinione, æmulatio, contentio, & factiones cooriuntur,urproh dolor hodie plus nimio experimur.Christo dedit in manus Pater omnia,is dare potest uitam æternã, cur non huius igitur discipuli, quàm hominum esse malumus? Atq; utinam tanto studio singuli Christo adducere & consecrare suos studeant discipulos, quanto uidemus id fecisse hic Ioannem.Gloriã suam nemini potest cedere Deus, & non est eius maior apud nos gloria,quàm cum ipsum solum eum agnoscimus,qui nos uere sapientes & iustos reddat.Apud quos igitur unquam, uel iustitiæ uel sapientiæ aliquid nos quæsiuimus præterito Deo,illos ita iniustos & stultos fecit Deus,& quidem æquissimo iudicio,ut nemo non uideret nihil minus,quàm iustitiam & sapientiam, apud illos quærendam. Quid enim hodie omnium scelerum notis magis fœdum quàm illi ipsi à quibus paulo ante remissionem peccatorum,spiritum sanctum,regnum cœlorum, & nihil nõ petiuimus? Ita quid stultius & pestilentius unquam in orbe scriptum est,quàm à summis illis Theologis, id quod tot plaustra testantur librorum,quos uel in solas sententias scripserũt? At hi in omnibus quæstionibus,ad religionem pertinentibus,non aliter consulebantur, quàm olim oraculum Dei,uel Prophetæ spiritu Dei pleni. Et hac nostra tempestate,habemus huius luculentia sane,nec minus damnosa exempla, in pernicijs sectis. Vnũ habemus in cœlis magistrum, utinam unum hunc agnoscamus, nullum tamen ministrum eius contempturi. Nam etiam in hanc partem grauissime quidam peccant.Iactãt se solum Christum magistrũ sequi uelle,interim sequunt se ipsos uel erraticos impostores,Christo in suis ministris superbissime contemptos,qui nõ solo spiritu per reuelationes, sed per ministros suos externe quoq; suos docere & instituere statuit. Notandum quoq; hic est, quàm fœde errent, qui Ioannẽ negant Euangelion,ipsamq; Christi doctrinam tradidisse. Quid enim apud ullum Apostolum legas,quo prædicetur Christus,quàm hic clarius & magnificentius? Lex & Prophetæ usq; ad Ioan. à diebus Ioannis,hoc est, ab eo quod ipse cœpit prædicare, regnum Dei uim patitur,adeo cupide in illud multis irruentibus, & prædicari igitur illud oportuit,etiã

Ioan. Baptista clariss. Euangelion prædicauit.

ab

ab ipso Iohannes, in quo doctrina Legis & Prophetarum, tanq; obscurior, finem ac
A cipit, cœptáq; est Euangelica, multo euidentior & clarior. Id factum cum præsens Christi prę̃conium, tum quę supra habuimus, luculentissime testantur. Neq; enim potuit prę̃clarius de Christo Euangelion annuntiari, ut & à nemine unq; annuntiatum est, quàm hic & alibi à Iohanne factum legimus.

CAPVT QVARTVM.



T ergo cognouit Dominus audisse Pharisęos, quod Ihesus plures discipulos faceret, & baptizaret, q̃ Iohannes, quanq̃ Iesus ipse nō baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. Opertebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat ferme sexta, uenit mulier Samaritana, ut hauriret aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi quod bibam. Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei muli er illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cū sis, potum á me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim cōmercium habent Iudæi cum Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis sit qui dicit tibi: Da mihi quòd bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Dicit ei mu
B lier? Domine, neq; quo haurias habes, & puteus profundus est, unde ergo habes aquam illam uiuam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitierit in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam.

Dicit illi mulier: Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neq; ueniã huc ad hauriendum. Dicit ei Iesus: Vade, uoca uirum tuū. & ueni huc. Respō dit mulier, & dixit &: Non habeo uirum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, non habeo uirum. Quinq; enim uiros habuisti, & nunc quē habes, non est tuus uir. Hoc uere dixisti. Dicit ei mulier, Domine, uideo quòd Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quòd Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, uenit hora quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt Patrem spiritu ac ueritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, spiritu ac ueritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quòd Messias uenturus est, qui dicitur Christus, cum ergo uenerit ille, nobis nuntiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tibi. Et continuo uenerunt discipuli eius, & mirabantur, quòd cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit,

quid quæris, aut cur loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, uidete hominē, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci, num hic est ille Christus? Exierunt ergo è ciuitate, & ueniebant ad eum.

Sectio 3 Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, comede. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo comedendum, quem nos nescitis. Dicebant ergo discipuli inter se: Nunquis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus, Meus cibus est ut faciam quod uult is qui misit me, & perficiam opus eius. Nonne uos dicitis, adhuc quatuor menses sunt, & messis ueniet? Ecce dico uobis, attollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniam albæ iam sunt ad messem. Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternam, ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est sermo uerus, quòd alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendum, quod uos non laborastis. Alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.

Sectio 4 Ex ciuitate aūt illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter sermonem mulieris testificantis, quòd dixisset sibi omnia quæcunq; fecisset. Cū uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, ut apud se maneret, & mansit ibi duos dies. Ac multo plures crediderunt propter sermonem ipsius, & mulieri dicebant: Iam non propter tuam orationem credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus, quòd hic est uere seruator mundi Christus. Post duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipse enim Iesus testatus est, quòd Propheta in sua patria honorem non haberet. Cum ergo ueniisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia uidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo, & ipsi enim uenerant ad diem festum. Venit ergo Iesus iterum in Cana Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum.

Sectio 5 Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audisset quòd Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut descenderet ac sanaret ipsius filium, siquidem is agebat animā. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non credetis. Dicit ad eum Regius Domine, descende priusquam moriatur filius mens. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes: Filius tuus uiuit. Sciscitatus est ergo horam ab eis, in qua melius habuisset. Et dixerūt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quòd illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus: Filius tuus uiuit, & credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum edidit Iesus cum ueniisset à Iudæa in Galilæam.

Vi

A VT ergo cognouit dominus, quòd Pharisæi audiuissent.) Apertas satis historias, & sermones habet, totum hoc caput, quare nullas Paraphrases requirit.

ANNOT. Vt ergo cognouit Dominus.) Quia nondum tempus erat, uel ut periclitaretur, uel ut miraculo ab hostibus seruaretur, declinauit furorem Pharisæorum, etiam fugiendi humilitatem, nostri caussa non aspernatus.

Quòd Iesus plures discipulos facit & baptizat.) Baptismus purificatio quædam erat, & in uitam meliorem initiatio: cum ergo Iesus baptizaret per discipulos, uidebant Iudęi illum se profiteri nouum administrum gratię dei & uitę doctorem, id ergo illos urebat, cum omnia sancta & præclara à se peti cuperent, Augebat uero ęmulationem illis, quo plures q̃ Iohannes discipulos adsciscеret. Iohannes intolerabilis eis fuerat, qui potuissent igitur ferre Iohanne illustriorem? Iam enim minuebatur ille, & crescebat hic.

Iesus ipse non baptizabat, baptizabat aũt ministerio discipulorum. Hoc symbolum ministerio Ecclesię deputatũ erat, ad id ministeriũ elegerat Apostolos: ut ergo per hoc Ecclesia debuerat constitui & administrari, ita eos eam tum uoluit huic suo muneri pręparare, & sacrum ministeriũ quodãmodo auspicari, ipse minister circuncisionis erat: nolebat ante glorificari quàm passus esset, eóque Ecclesiæ politiã à morte primum & Apostolorum ministerio instituit. Contentus itaque ipse fuit docere, & signo impositionis manuum spiritum dei & alia dona largiri, baptismi administrationem initio statim Apostolis permisit.

Abijt rursus in Galilæam.) Patriam coluit, quandocunq; uocatio Patris non alio extrudebat: Et ut uideremus humilia primo loco haberi apud Deum, hãc alijs
B Iudæorum regionibus obscuriorem, primum illustrari oportuit. De quo Matthæi quarto. Oportebat eum transire per Samariam.) Ex Galilæa petentibus Iudæam, transeundam Samariæ regionem indicant & alia Euangeliorum loca, ut Lucæ. 9. Vbi narratur, quòd Samaritæ noluerunt Iesum cum suis admittere, eò quod peteret Ierosolyma. Aegre enim ferebant suo pręterito, illorum templum & festa frequẽtari. Dictam Sychar.) Sichimam adiacentem monti Garizin, qui montibus Samarię celsior est, scribit Iosephus fuisse Samaritis, tẽpore Alexandri Magni metropolim. Hinc uerisimile est, ab Euãgelista uocatã Sychar. Certe nomẽ Sichimę, à Schecẽ quã alias Sichẽ uocãt, ubi habitasse Iaacob legimus. 1. Mosch. 33. deductũ crediderim. Cũ igitur hic Euãgelista prędij meminerit, quod Iaacob filio suo Ioseph dedit, de quo uidet̃ loqui, quod. 1. Mosch. 48, legimus, itẽ & fontis Iaacob, Sychar eandem quę Sichima Iosepo dicit̃, fuisse existimo. Ad quod & hæc cõiectura accedit, quòd Samaritis muliercula Domino dixerit: Patres nostri adorauerũt in mõte hoc, quasi demonstrans montem, id quod sane arguit montẽ uicinum Sychar fuisse. Iam scribit Iosephus, Sichimam positam iuxta montem Garizin, eadem igitur est, quæ Sychar.

Hora erat quasi sexta.) More suo diligenter omnia Euangelista describit, quanq̃ in hoc caussam quoq; indicarit, cur pro cibo miserit Dominus, meridies enim erat. Simul ex eo apparet fuisse Domino occasionem, ut potum à muliercula peteret.

Quomodo tu qui Iudæus es.) Chutæi erant Samariæ regionem inhabitantes, translati à Perside, à flumine Chuta, ut scribit Iosephus lib. Anti. 9. sub finẽ. Eorum meminit &. 17. capite. 2. Regum. Hi ut primũ deducti in Samariam erant, neq; Deum colerent, immisit in eos leones, unde compulsi religionem quidem Dei partim amplexi fuere, partim autem colebant & Deos suos. Hinc abominabiles semper Iudęis fuere neq; inter illos & Iudæos unquam conuenit. Hoc uero dissidium auxerat factum Sanabalath, qui à Dario Rege Persarum præfectus constitutus, regionem

Vnde dißidiũ inter Iudæos & Samaritas

Samariæ administrabat. Dederat is uxorem,filiam suam Iacham, Manassæ fratri laddi sūmi sacerdotis, ob quā ille à fratre & populo sacerdotio fuit deiectus. Quod cum ei plurimum doleret,& cogitaret uxorē ethnicam repudiare,Senabalath promisit templū se ei instar Ierosolymitani ædificaturū in mōte Garisin,qui super alios Samariæ mōtes eminebat,in quo posset sacerdotio fungi, adiecitq; se illi omnē ditionem & potestatem suam cessurum :senio enim grauabat.His ergo adductus Manasses uxorem,filiam Senanabalath retinuit,cui socer paulo post,cū ad Alexandrū à Dario defecisset, atq; cōdendi tēpli facultatē ab eo impetrasset,iuxta quod promiserat,templum in prædicto monte extruxit. Qua occasione multi quoq; alij Iudæi, qui ob ethnicas uxores, & alias Legis transgressiones Hierosolymis non poterant commode agere,ad Manassen transfugiebant, quibus Senabalath pecuniam ministrabat,& terram colendam deputabat,omnia hæc concedens gratiæ generi. Hinc factum est,ut mons & templum hoc Samaritanorum,qui & Sichimitę dicebantur, à metropoli Sichima, uocarentur mons & templum transgressorum. Ex his ergo causis, Iudæi non communicabant cum Samaritis, cúmq; Domino uellent insigniter conuiciari, Samaritanum uocarūt,transgressorem Legis profanum & impium eo nomine criminantes.Hæc legimus libro Anti.11.capite.7.&.8.

Si scires donum Dei.) Nempe quòd tibi contigerit, Christum ipsum audire & uidere,& quid ille orbi aduenerit. Quòd autem nihil ad mulieris obiectionem respondit,fecisse puto,quòd non probaret institutum in hoc Iudæorum.Neque enim religionis studium & animus auersans impietatem, sed supercilių & proprię glorię cura ita eos à communione Sacramentorum abstrahebat.Præterea notandum, ut à potu Anagogē fecerit Christus,ad spiritū sanctum,quē Metaphoricōs, aquam uocat uiuentem. Vt enim uiua & fontalis aqua,ad sedandam hominum sitim,semper scaturit, ita spiritus sanctus, nostro spiritui testimoniū perhibens, quòd filij Dei sumus, in æternum arcet sitim bonorum, dum plane beatos tandem reddit, & hic fide certa perpetuo recreat. Is est fons nunquam deficiens,quia nunq; quos adflarit deserit. Ad hunc ergo modum,si Anagogas feceris,& Metaphoras atq; Allegorias formaueris,firmæ erunt,& ad docendum in Ecclesia idoneæ.

Anagogæ ab aqua ad spiritum.

Nunquid tu maior es.

Nunquid tu maior es.) Putabat Dominum sibi arrogasse facultatem fontis educendi, uti Moscheh è petra aquam excussit, unde illi autoritatem obiecit Iaacob. Quasi diceret: Non est tibi satis hic puteus, quo usus est Iaacob & filij eius, quam tu aliam uiuam aquam promittis? Nunquid exemplo Moscheh uirga,id est, petra aliqua uiuam aquam elicies? Quem te facis? Num maior uis haberi Patre nostro Iaacob. Quanquam enim alienigenæ essent, subinde tamen, præsertim ubi res Iudæorum bene habebant,natos se ex Ioseph gloriabantur. Vti Iosephus testatur lib.Ant.9.capi.ultimo.Hinc illa patrem suum Iaacob dicebat.

Omnis qui bibit ex aqua ista.) Allegoriam suam intendit, quo magis mulierculam ad querendum incitet. Diligenter autem notandum, quod ait: Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Certum est hanc aquam, spiritum sanctum esse. Si iam ergo hoc spiritu potus, nunquam potest sitire, in aperto est,eum cui semel hic spiritus contigerit, cui semel credere fuerit datum,eum nunquam posse gratia Dei excidere. Sicut nanq; is sitire nunquam posset, qui fontem in uiscerib haberet continuo scaturientem atque potantem , ita saturum esse oportet bonorum omnium , & præsentem semper & in omnibus habere consolationem , cui adest spiritus Domini sanctus, spiritus filiorum. Hic fons est, qui in uitam æternam salit , id est,qui uitam æternam suppeditat. Nam cognoscere Deum eiusq; iugiter & in æternum frui bonitate donat. Hinc gloriatur Paulus , nihil apud superos uel inferos esse,quod à dilectione Dei possit dimouere,Roma.8.

OBSERV.

A OBSERV. Circa fugam Domini obseruandum, & nobis licere ut fugiamus, si id sit è gloria Domini, & non contra eam: quando aũt fuga nostra pro gloria dei, uel contra solus docebit spiritus Dei, qui & in tempore periculum faciet rescire, uti sum hic in tempore Christus rescíuit. Semper igitur pro spiritus consilio, & ducatu orandum. Deinde animaduertendum, Pharisæos, id est, opinione hominum sanctissimos, præcipuos esse hostes Christi, idem & hodie usu uenit. Circa transitum Samariæ obseruandum, quàm pulchre omnia diuina prouidentia, gloriæ suæ promouendæ occasiones faciat. Id in hoc quoq; perpendere debemus, ut agnoscamus Deum in omnibus laudandum, & nihil metuendum ijs, qui ab ipso pendent.

Fatigatum Iesum Euangelista testatur. Vide ergo uerum hominem fuisse, nihilq; humani à se fecisse alienũ: Nomina hæc, Prędium Iacob, & fons Iacob, post tot populi Dei exilia, & calamitates alias perseueraſſe, idq; apud tam prophanam gentem, id confirmat, quod canit Psalm. 112. In memoria æterna erit iustus. Mulierculam hanc male probam, idoneam tamen habitam Domino, ex omni Sichimitarum ciuitate, cui primum Euangelion cõmunicaretur, quæq; Apostola illius ad Samaritas fieret, monet nunc satis perpensæ & admiratæ dignationis Christi, qui cũ ueniſſet in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret, id oĩbus iuis cum sermonibus, tum factis præ se tulit. Quos enim saluaret, nisi perditos? Qui enim saluus est, saluari non potest, neq; iustus iustificari. Perpende ergo hoc arcanum diligenter, Phariſęos fugit Iesus, Euangelion nimirum persequentes, & ad Samaritidem, eámque perparum castam mulierculam, illud defert. Cui non solum hoc dedit, ut Euangelio crederet, uitámq; æternam haberet, sed etiam, ut alijs hæc annuntiaret. Præterea in hoc fuit uocationi gentium, & excæcationi Iudęorum, atq; ostensum, ut ex primis nouissimi fierent, & contra. Discamus igitur hinc, & nos humiB are, & alios non condemnare temere. Quos minime putaueris, uocare solet Deus. Quòd uero discipuli cibos emerunt, indicat Dominum nequaq; mendicasse, sed pecuniam habuisse, quibus emeret necessaria, amq; secum ministerio Iudæ circumtulisse, quare temporarium modo, & primę illi legationi Apostolorum proprium fuit quod præcepit Dominus illos nullam pecuniam, nullam peram secum ferre, cum irent Euangelisatũ. Non igitur peccatum est habere & circumferre pecunias, etiam Euangelistas, sed pecunia male uti. Quòd Iudæi cum Samaritis non communicabant, admonet præposterę hypocritarum religionis, imò superstitionis. Peccatis oportebat nihil cum gentibus cõmunicare, non in necessarijs uitæ. Sed hoc ingenium est hypocritarum ut in omnibus rebus testam arripiat, id est, speciem pietatis, nucleum, id est, quod uere pietatis est, negligant. In eo quòd Iesus ad binas obiectiones mulieris, alteram, an maior esset patre Iacob nihil respondit, sed ansam tantũ quæsiuit, de Euangelio regni docendi illam, moneat, ut & nos omnia missa in colloquijs & de ueritate disputationibus faciamus, præsertim quibus nos impetimur, ut occasionem arripiamus fratres lucrandi, syncériter prædicato eis Euangelio, sicut hic uidemus fecisse Dominum.

Contẽptior à uocat Deus.

In eo deniq; quòd fontem sanctiorem arbitrabantur, èo quod ex illo bibisset Iacob & filij eius, ex eo uitio humani ingenij manauerat, quo uirtutem præsentem odimus, remotam ex oculis requirimus, non autem imitamur, tametsi uenerari nos illam, rebus nihil, simulare magis quàm uere honorare soleamus. Sic hodie Apostolos, & priscos Patres audias laudari ab ijs, qui nihil peius odiunt, neque atrocius persequuntur, quàm qui illorum uestigijs, quorum uideri uolunt cultores, cũq; studiosissime insistunt, multo adhuc crudelius sæuituri, in eos ipsos, quorum cultũ iactant, si adessent, & sui similes esse pergerent. Vnde & cultum illorum, quem mentiuntur, nugis metiuntur. Tantum enim nomina eorum magnifice iactant, reliquias eorum religiose seruant, si qua re illi usi sunt, si quid tantum contigerint,

Præposterus cultus sanctorum.

id sanctum habent,auro & argento ornant,& attrectari laicis manibus uetant. Sic Samaritæ placebant sibi, quòd prædium & fontem Iaacob haberent,dúmq; inane sancti Patris nomen iactarent, filios & cultores se illius arbitrabantur,nihil solliciti, ut pietatem eius ęmularentur. Nõ autem prædium uel fontem,sed mentem Iaacob habere,non ossa sanctorum seruare,sed mores illorum imitari, est pietatis quæ tum rite etiam externa sanctorum magni facit,inq; illis sanctos rite colit.

Dicit illi mulier:Da mihi istam aquam,) ANNOT. Dicacula uidetur fuisse hæc muliercula,utcunq; ad uitam æternam esset electa,semẽq; Dei haberet. Nam ironice ista loquebatur. Petulantiam ergo eius uolens reprimere,iussit uocare uirum suum,inde uenans occasionem eius admonendi uitæ suæ corruptioris. Illa uero admonita eius,siue pudore,siue studio pietatis mota,ad alia sermonẽ deflectit, nempe ad disputationem de religione. Mihi quidem uidetur, quandoquidem sequentia satis probant filiam Abrahæ illam, & electam ad uitam fuisse, eam studio religionis Dominum de adoratione rogasse. Prophetam enim esse Dominum confessa,de cultu Dei continuo sciscitari cœpit.

Adoratio in montibus.

Patres nostri in monte hoc.) In montibus,nõ solum Patres,sed & Iesus ipse orare solitus fuit. Patres præterea rem sacram in montibus fecerunt. Christus deniq; in monte Hierosolymitano,semetipsum obtulit hostiam Patri. Extructo templo,uetitũ fuit in montibus rem sacram facere,quare excelsa in scripturis reprehenduntur. Orare aũt in montibus sancti cum Christo sæpe soliti fuere,sed nõ alia,q; causa secessus,& excitandi se in deũ contemplatione cœlorũ & omniũ operũ dei in montibus pręclarius apparentiũ. Serio enim loquentẽ cũ Domino,quod fit in oratione, necesse est procul esse à turbis hominum & admiratione dei flagrare, de quo plura in Matthæo.14. in illud:Ac dimissis turbis ascendit in montem solus ad adorandum.

Mulier crede mihi.) Adorationis nomine,cultum Dei intellígit. Cęterum השתחוה Ebręum ,& Græcum προσκυνεῖν, significat,incuruatione,uel prostratione corporis, reuerentiã animi testari. Id quoniam fieri solet in publicis precationibus, & supplicijs totus Dei cultus adoratio dici cœpit. Vnde cum hic Dominus ait: Appropinquat hora,cum neq; in monte hoc,neq; Hierosolymis adorabitis Patrem,significare uoluit,omnem illum externum cultum Dei,certum locum requirentem,situmq; in extremis istis sacrificijs, alijsq; cęrimonijs,abolendum. Cęterum de adoratione plura in Matth.in illud capite.2.Et prostrati adorauerunt illum.

Vos adoratis quod nescitis.) Quia eo temporis cultus Hierosolymitanus uerbo Dei nitebatur, Samaritanorum autem falsa Patrum imitatione,sine Dei uerbo,repressit uanam hic Samaritarum iactantiam, testatus eos adorare, quod nescirent, hoc est, cultum obseruare Dei, de quo non essent certi, quòd Deo probaretur,imò qui apertis Dei oraculis esset reiectus. Cum enim uastarentur initio suæ transmigrationis à leonibus,depellendi tãtũ mali huius caussa,ritus aliquot in lege Dei traditos susceperant,reliqua perseuerantes,qui erant,idololatrę. Monuit igitur,mulierculam indignum esse,quòd Samaritæ se Dei religione contra Iudæos iactarent. Cum scirent Iudæi,quid,hoc est,quibus rationibus Deum adorarent,uerbo siquidem Dei cultum suum docti,addidit: Quia salus ex Iudæis est,hoc est, omnis uera Dei cognitio ortum à Iudæis habuit, sicut & ipsum mundi redemptorem, quantũ ad carnem attinet,à Iudæis accepimus. Ἐκ Τζιὼν utiq; egressa Lex & doctrina uitæ est,& è Ierusalem Verbum. Iescha.2. A Iudæis Euangelion in totum orbem deriuatum est,sed & ante Euangelion,in nulla alia gente, publicitus doctrina DEI, pure uiguit,uerique simile est, quicquid sani de DEO, sapientes gentium unquam docuerunt,id à Iudæis fuisse mutuatos. Iure igitur optimo dixit: Salus ex Iudæis est.

Ex Iudæis salus.

Sed uenit hora & nunc est.) Vel hic unus locus satis est,ut omnes pij certo uideant nunc Deum in sui cultu haudquaq; probare tam multas cęrimonias. Si enim non pro-

A non probat quas patres olim docti ſpiritu obſeruarunt, qui in monte Garizin, & alibi ſua ſacra habuerunt, neq; eas quas poſtea per Moſchen tradidit: quanto minus probabit illas, quas homines poſtea ſine oraculo ſpiritus, ſine uerbo ipſius, pro affectibus ſuis in irreparabile damnũ fidei libertatiſq; à Chriſto nobis partę, adinuenerũt? Et nunc, inquit, eſt hora, cũ ueri adoratores adorabũt patrẽ in ſpiritu & ueritate. Si iam ergo ſpiritu colendus Deus, nihil gratũ exhibueris rebus corporeis niſi illæ inſeruiant ſpiritui excitando. Si ueritate id eſt, certa fide ſolidáq; uitæ innocentia & integritate, nihil morabitur Deus externa iſta quæ & impij hypocritæ præſtare poſſunt, niſi ea ualeant ad promouendã in nobis & alijs pietatẽ, & iuuent proximos in rebus uitę huius. Attamen cũ certum ſit Dominũ dicto hoc, uoluiſſe reijcere ſimul cultum & cęrimonias tam Iudęorũ quàm Samaritanorũ, & oppoſuit illi cęrimonioſo cultui adorationẽ & cultũ in ſpiritu & ueritate, omnino inde colligitur, quod Diuus Auguſtinus docet, Chriſtianam religionẽ accepiſſe pro multis ſignis quibus uerus cultus conſtabat, pauca eadémque factu facillima & intellectu auguſtiſſima & obſeruatione caſtiſſima, de doctrina Chriſti. lib. 3. cap. 9.

Omnes cæremoniæ reiectæ.

Neq; locum habet, quod quidã dicunt, cęrimonias neminem probare, ubi abſit uerus Dei adorator ſpiritus, pietatiſq; ſolida ueritas, utiles aũt & Deo gratas nunc quoq; eſſe, quibus adſit ſpiritus & ueritas. Nam & ueterum cęrimonias ſine ſpiritu & ueritate ſemper abominatus eſt Deus, neq; potuiſſet de illis dicere dominus: nos adoramus quod ſcimus, id eſt, quibus ſcimus Deo gratum eſſe, ſi de ſolis externis ritibus, ſine cordis religione obſeruatis fuiſſet locutus. Quãlibet enim uerbo Dei cęrimoniæ illæ inſtitutę fuerunt, ſi quãdo ſine fide ſyncera adhibebantur, offendebatur illis Deus, nõ colebatur. Hic ergo Dominus de cęrimonijs fide exhibitis loquutus eſt, atq; illas quoq; negauit poſthac adhibendas, id quod probãt hæc uerba: Neque in monte iſto, neq; Hieroſolymis. Itẽ iſta: Nũc hora eſt, cũ ueri adoratores, adorabunt patrẽ in ſpiritu & ueritate. Quis nõ uideat & probatũ olim Dei cultũ Chriſtũ uoluiſſe hic ſignificare abolendũ, præſertim cũ oppoſuerit ei, qui futurus erat apud ſanctos, cultũ in ſpiritu & ueritate, quẽ prorſus nullis cęrimonijs, & externis rebus, quæ & impijs poſſunt eſſe cõmunes, addictũ eſſe oporteat. Id cõfirmat et quod ſequitur: Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, ſpiritu & ueritate oportet adorare eũ. Significatur enim hoc dicto, ſicut Deus mens eſt, mente quoq; coli ipſum oportere, hoc eſt, ſyncera fide, ſtudioq; ſedulo gloriæ ipſius ubiq; & in omnibus promouendæ. Quæ cui mens adeſt, ei adeſt etiã omnis uitæ honeſtas ſolidaq; integritas, neq; quicq; is prudens dicet aut aget, quod nõ ad gloriã Dei facit, ut Paulus hortatur, is demum cultus eſt Deo gatus. Id & Perſius agnouit cũ ſcribit: Quin damus ſuperis, de magna quod dare lance, Nõ poſſit magni Meſſalæ lippa propago: Cõpoſitum ius, fas & animi, ſanctoſq; receſſus Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto. Hoc cedo ut admoueam templis, & farre litabo.

Sed dices: Cur igitur, ſi Deus ſpiritus eſt, eoq; non niſi eos uult cultores, qui in ſpiritu eum & ueritate colunt, ipſe ueteribus tot cęrimonias tradidit? Vtiq; & tum ſpiritus erat. Erat ſpiritus, neq; etiam tũ, niſi cultum ſpiritus Deus agnouit. Sed quia populus rudior erat, ac puero ſimilis, uiſúmq; eſſet ei, etiam in rudi ſic & puerili populo, ſuam gloriam declarare, cultumq; aliquem habere, in primis exegit ſui timorem, uerbiq; ſui obedientiam, & eam ex toto corde. En cultum ſpiritus & ueritatis. Iam ad hunc cultum ut eos perduceret, atq; ſeruaret perductos, cęrimonias multas illis dedit quibus ad cogitanda ipſius erga ſe beneficia prouocarent, atq; ſi nihil aliud, occupati tamen, perpetuo in legibus eius, & cohiberent, ne uel ſuam, uel aliorũ rationẽ ſequerent, & maieſtatis ipſius cõtinuo admonerent, ne timor eius apud eos exoleſceret. Nunc aũt cum longe amplior ſpiritus, à Chriſti glorificatione datus ſit, uoluerit q; iam Deus ubiq; nõ in Iudęa ſolũ notus & magnus haberi, tranſierit q;

ætas puerilis, admonitio deniq; & exhibitio omnis diuinæ bonitatis, satis superq; C
fieri possit per prędicationem Euangelij, & Sacramenta baptismũ & eucharistiam,
nulla nunc est ratio, multas cęrimonias in cultũ Dei adhibendi. Postremo cum om-
nis ille ueterum cęrimoniarũ usus Hierosolymis ex uerbo Dei .5. Moscheh.12. ad-
dictus fuerit, & hic Dominus dixerit uenire horam, ac tum, cum ipse doceret, esse,
quando neq; Hierosolymis adoraretur, uel hoc uno uerbo, omnis cęrimoniarũ u-
sus sublatus est. Nam uetus ille cultus in cęrimonijs situs, negatus est fore Ierusalẽ,
præsenti Domini responsione, iam nusquam alibi unq̃ fas fuit, eum exhibere, no-
uas aũt fingere cęrimonias, nisi quantum ipsa requirit uera administratio doctrinę,
Christi & Sacramentorum æque prohibitum est. Fide igitur & dilectione colen-
dus Deus, quæ cum synceræ fuerint, Spiritus Dei & in externis sic dabit uiuere, ut
omnia glorię Dei inseruiant. Translatum est sacerdotium, igitur & Lex, & locus,
& ritus adorationis. Noua omnia facta sunt, uetera transierunt.

Scio quòd Messias uenit.) Vulgo non apud Iudæos solum, sed & Samaritas ob
tinuerat Christi, & per eum futuræ omniũ instaurationis expectatio. Ad hũc ergo
muliercula prouocabat, dũ quód Domini uerbis responderet, nõ haberet. Quoniã
autẽ mentes omniũ in sua manu ille habet, ubi tantum dixisset: Ego qui tibi loquor
sum ille Christus, credidit muliercula, & relicta hydria sua confestim abijt nuntiatũ
ciuibus suis, adesse Christum. Hęc enim natura est ueræ Christi cognitionis, ut qui
eam nactus fuerit, nihil habeat prius, quàm plurimis illam cõmunicare. De quo, uti
& de nomine Messiah supra in primo capite, Sectione nona & decima. Admirati
sunt, quòd cuum muliere loquebatur.) Nũquã enim nisi grauia, & de regno Dei, lo
qui Dominus solebat, adhæc uidebatur discipulis muliercula ista, præsertim Sama-
ritis minime idonea, id erat igitur quod mirabantur, loqui eũ cum muliere, quam- D
quàm interrogare eum non auderent. Tanta erat eius apud illos reuerentia.

Nũ hic est ille Christus?) Hoc nequaquã ut dubitantem, sed ex indicato miracu
lo inferentem, Iesum uerũ Christũ esse, dixisse arbitror. OBSER. In eo quòd tã pe-
tulanter respondentem hanc mulierẽ Dominus tamen Euãgelio uitæ dignata est,
discamus, ut neminem temere abijciamus, etiam si initio doctrinam ueritatis non
satis religiose accipiat. Vide simul quã uanæ nõnũquã sint etiã mentes electorum.
Caro in omnibus spiritũ præcedit, neq; innouari possunt, nisi qui uetustatẽ habẽt.
Hinc Paulus & nomine suo, & eorũ qui præcipui in Christianismo erant, uetusta-
tem carnis multã, spiritus renouationem in se & illis præcessisse, Ephesijs tertio, &
Titum tertio, ingenue agnoscit & fatetur.

Circa id, quòd hæc mulier, licet libidini plane seruijsse uideatur, tam præclare E-
uãgelio donata fuit, obseruandũ, ita ferè solere, ut quos destinaui Deus regenerare
eos crassioribus quidẽ in peccatis ante sui illuminationẽ uiuere, huiusmodi tamẽ, ut
fœdiora sint, quã hominibus nocentiora. Ea enim facilius pudorẽ incutiunt, oc-
casioniq; sunt ad resipiscendũ, & nõ dant tamẽ multũ adeo damni, ut tectiora illa,
quæq; uulgi iudicio nõ tã fœda sunt. Deo enim nihil æque inuisum est, atq; ij, qui si
ne ipsoiustitię aliquid sibi arrogant, deos enim sese facere conantur, sinit igitur suos
in ea potissimum labi, in quibus sibi & alijs maxime displiceant, & peccatores sese
agnoscant, utcunq; in eis suæ imaginis scintillulam quandã in eo prelucere faciat,
quòd huiusmodi sint ferè singulari aliqua humanitate, studióq; iuuãdi alios prędi-
ti. Sic enim & ipsum, ut saluatorẽ facile recipiũt, & imitant̃ studiosius. Equidẽ quos
Euangelistæ peccatores uocant, Domino subinde appropinquasse, quorum sanè
caussam præclare agit Lucæ.15. haud dubito quin hoc cognomẽti à crassioribus il-
lis peccatis, ut est, scortatio, cõsectatio delitiarũ, ebrietas, & id genus alia, acceperint.

quibus potiss. peccatis obnoxij electi.

Nam animi fastu, fratrum contemptu, auaritia tectiore, & hoc genus secretiori-
bus malis, laborabant ij potissimum, qui sibi, & uulgo habebantur iusti. Certe pec-
caricem

catricem illam apud Lucam ſeptimo, à male cuſtodita pudicitia, id cognominis cõ-
A ſecutam, nemo facile dubitabit. Ex eodem eſt illud meretrices & publicani præce-
dent uos in regnum dei, egerunt enim penitentiam ad prædicationem Ioannis.

Id, Video quòd Propheta es. Monet eo temporis Prophetam dictum, qui ex re-
uelatione ſpiritus abſcondita uulgo poſſet renuntiare, quare quemlibet ſimplicẽ
enarratorem ſpirituræ Prophetam uocare, præter uſum ſcripturæ eſt. De his plu
ra in Matth. ſub finem capitis. 11.

Ex eo quòd mulier hæc Patrum iactat exemplum, quod tamen Samaritæ mini-
me ſequebantur, uide ut perniciosum ſit homines ſuſpicere non ex deo, utq; facile
ſimiæ ſanctorum, pro iuſtis ſectatoribus reddamur. Ad Deum igitur primum non
homines reſpiciamus. A Propheta illico rogat de rebus diuinis, non ſuis, id indicat
in ea ſemen Dei latuiſſe. Quos igitur de Deo ſciſcitari audimus, de ijs bene ſperan-
dum eſt. Quòd à Chriſto renuntiaturo omnia, expectat certior fieri, argumento eſt
eo ipſo tempore Chriſtum adfore uulgo fuiſſe creditum. In quo uides, ut ſoleat ex-
citare hominum corda Deus, ubi uiſum ei eſt, cognitione ſui ampliore orbem
donare. Ita paulo ante hæc tempora, multorum audiſſes corda præſagire, fore bre-
ui ut multa Dei arcana reuelarentur. Doceat autem hæc ipſa reſponſio mulieris, ut
& ipſi à Chriſto omnia diſcere uelimus, qui unus magiſter noſter eſt, ſoluſq; doce-
re diuina poteſt, qui ſolus ſpiritum donat.

In eo, quod ad unicum uerbum: Ego ſum, Chriſtum eſſe eum illa credidit, no-
tatur uis uerbi Chriſti cum ſtatuit ueritatem perſuadere, quæ eadem notatur & in
eo, quòd ciues urbis, ad mulieris, & talis, teſtimoniũ, illico ad Dominũ fuere egreſ-
ſi. Quos nanq; ipſe uocare ſtatuit, eos nihil poteſt detinere, quò minus relictis om-
nibus, ad eum ſeſe conferant, quem ſaluatorem agnouerunt.

Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi comede.) ANNOT. Ego ci-
B bum habeo comedendum. Adeo ardebat Euangelion & uenturis ciuibus annun
tiare, ut licet defatigatus, corpori tamen cibum indulgere non poſſet. Et id demũ
uerum, & Deo probatum ieiunium eſt, quod efficit deſiderium gloriæ Dei, ita alio
rapiens animum, ut cibum ſumere non libeat. Notandũ etiam, ut cõmodum à cibo
corporis, ad id quod tum eſuriebat, profectum gloriæ Patris, & ſalutis hominũ, diſci
pulorũ animos ἀνάγαγῃ, id eſt, ſubducere ſtuduerit. Huius ſiquidẽ ſucceſſus, lõge
magis ipſum paſcebat, atq; oblectabat, cẽ ullus cibus corporis, quamlibet famelicũ,
id quod cum allegoriã non intelligerent, mox eis aperuit, dicens: Cibus meus eſt,
id eſt, hoc ante omnia deſidero, ut uoluntas Patris compleatur, quæ eſt ut ipſius, in
me, & per me bonitatem cẽ plurimi agnoſcant. Id ipſum & opus eius erat, nempe,
quod eum Pater operari uoluit.

Nũnquid uos dicitis: Iterũ uſus anagogica allegoria eſt. Id uero quod dicit hoc
eſt: Vos dicitis poſt quatuor menſes futurã meſſem, ego aũt dico uobis iamiã meſ-
ſem inſtare Euangelicã, nũc undiq; canas eſſe ſegetes, maturásq; ut demetãtur, om-
nes enim deſiderio doctrinæ Dei tenent. Magnũ itaq; operępretiũ fecerit, qui de-
metere has ſegetes ſtuduerit, hoc eſt, paratos Euãgelio animos, illo imbuere, atq; ita
ex agro mundi demeſſos, in horreũ regni cœlorũ colligere, in quo ut cognitio Dei
habetur, ita uita æterna illi perfruent. Id quod & ſatoribus, id eſt, omnibus, qui un-
quã doctrinę aliquid ſalutaris populis impertierũt, eoq; Euãgelio regni illos præpa
rauerũt, gaudio erit, cũ, ſcilicet, fructũ illic, puenire uidebũt, ubi laboraueruũt. Quod
nãq; uulgo dici ſolet, euenire nõnnũq;, ut alius ſeminet alio metat, id eſt, alius fructũ
percipiat, alius laboret: id in hac Euãgelica meſſe maxime uerũ apparet. Ego ſiquidẽ
miſi uos ad metendum, quod uos nõ laboraſtis, alij laborauerunt, & uos in labores
illorum introiſtis, fructum percepturi.

Porro ideo conuerſionem hominum per Euangelion, demeſſionẽ uocat, quòd *Quid meſſis.*
ita eſſent

ita essent animi hominum Euangelio præparati, ut minimo negotio, sæpe ad unam C
duntaxat annuntiationem, plurimi illud reciperent, quod cum aliâs, tum in Sama-
ritis istis clare apparuit. Per eos uero, quos dicit laborasse, intelligo quicunq; do-
Qui laborarunt. cendis hominibus operam suam impenderunt, æque Ethnicos, atq; Iudæos. Labo-
rem aũt uocat eorum doctrinam, quòd multa & laboriosa diligentia, parum tamen
promouerint. Sacræ nanq; & prophanæ hĩstoriæ testantur, sub aduentum Christi
plurimum ubiq; philosophiæ desudatum esse, de religione, de officijs, déq; finibus
bonorũ & malorũ, plurimos libros scriptos, Quę omnia à Iudęis, ad gentes dimanas-
se, lubẽs crediderim, quanquã semina horũ à primios illis sanctis patribus generis
humani, à quibus & gentes procreatę sunt superfuisse ubiq; gentium ueri simile sit.

Iam quantum & Prophetæ atq; scribæ apud Iudæos, & Philosophi apud gentes,
plurimo studio suo & uigilijs, quibus ad qualemcunq; metum Dei, honestiq; amo-
rem, homines adducere laborabant, profecerint, Paulus ad Rom. 1. &. 2. manifesto
testatur, minimum sane. Visum nanq; Deo fuit, ut tam Iudæi quàm Græci palam
peccato obnoxij esse apparerent, atq; ita tũ manifestũ fieret, omnem iustitiã per fidẽ
Iesu Christi dari, de quo ad Romanos tertio. Laborarunt ergo, quicunq; siue apud
Iudæos, siue apud gentes, uera docuerunt, quia multis uigilijs, uel nihil, uel parum
profecerunt, cum aũt Deo uisum est, per filium suũ, uera iustitia mundũ donare, ita
Euangelio cooperari per spiritum suum cœpit, ut breuissimo tempore, ubiq; solida
iustitia uigeret, ueráq; pietate homines innumeri tã Ethnici, quàm Iudæi florerent.
Cui Euangelio, quia præcedentibus doctrinis scribarum, & Philosophorum con-
scientiæ exagitatę, desyderióq; iustitiæ accensæ fuerant, recte dixit Dominus, Apo-
stolos in laborem eorum, qui ante populos docuerunt, introisse.

Neminem uero offendat, quòd & Philosophorum laborem profuisse ad Euange
lion puto, omnis enim ueritas à Deo est, & ueritas sane plurima in scriptis Philoso- D
phorum & Poetarũ legitur. Iam quantulumcunq; id fuerit, quod de ueritate Philo-
sophi tradiderunt, ad Deum cette animos hominum attraxerunt, eóq; & euangelio
illos præpararunt. Dominus & gentiũ Deus est, quibus in corda opus legis inscrip-
sit, Rom. 2. Hinc sane illę tam preclarę de uirtutibus doctrinę, quarum profecto mul
tas apud illos legimus, manarunt. Sed quid opus uerbis? Qui non uel in Cicerone,
miram Dei solidęq; pietatis cognitionẽ agnoscit, eum necesse est & ignorare, quid
sit & Deus & pietas. Si iam ergo constat opera etiam Philosophorum cognitionẽ
aliquam Dei, & ueræ iustitiæ, mundo inuectam, quis inficietur, eorum laborem E-
uangelio seruijsse. Nam quicunq; semen Dei habent, quanto ij maiorem pietatis
Deiq; cognitionem nacti fuerint, tanto magis sibijpsis displicent, eo quòd se de-
Et philosophi Euangelio homines præpararunt. prehendant Deo dissimillimos & uera pietate uacuos, cúmq; postea Christus illis
annuntiatur Dei iustitia, uerusq; à peccatis redemptor, dici non potest, quã auide
illũ excipiant. Hinc sane Euãgelicę segetes maturuerũt olim, & maturescunt hodie,
hinc certe factũ est ut ipsi Christo cupide adeo peccatores appropinquarunt, & po
stea turmatim Euangelio ab Apostolis prędicato ubiq; gentium nomẽ dederint. Hi
sunt uiolenti illi, qui regnũ cęlorũ ui quodamodo inuadũt. Hoc deniq; quòd mul-
ta adeo pe uniuersum ferè orbẽ esset iustitię cognitio, & paucissimi tamen qui illã
uere colerent, Christi gratiã non parũ illustrauit. Nam ita palam factũ est, nullas le-
ges, nullam omnino sapientiã iustificare hominẽ posse, & unam esse in Christum fi
dem, qua solida iustitia hominibus contingat.

OBSERVATIONES.

Obseruandum allegorijs atq; parabolis Dominum singulariter delectatum.
Caussa fuit, quód similitudine quam in secontinent, aptæ erant ad docendum ru-
diores, tũ quó d reconditum aliquid atq; ænigmaticũ fere habent, appositæ erant,
cum ad excitandum auditorum animos, tum ad infingendum, quæ illis docebantur. Hærent

A tur. Hærent enim diutius, quæ quis quasi ipse inuenerit. Adeo sane accommodæ translationes sunt agenti cum populo, ut Plutarchus inter cætera præcepta, quibus format moderatorem Reipublicæ, & hoc censuerit: Suscipiat, inquit, oratio, quæ instituit ad moderandũ animos multitudinis, forense dicendi genus, sententias, historias, fabulas, metaphoras, quę maxime mouẽt, si modice & in tẽpore adhibeant.

Quòd metentem ait Dominus, accipere mercedem, atq; in uitam æternam congregare fructum, debet excitare nos, ut Euangeliũ, quanta possumus diligentia adnuntiemus, operámq; demus, ut quàm plurimos Christo adducamus, hoc est, in uitam æternam, fructum colligamus. In hoc certe constituit nos Dominus, ut eamus, & fructum adferamus, & fructus noster maneat. Infra. 15. Porro μισθὸν, id est, mercedem Dominus hic accipit, ut & Paulus. 1. Corinth. 9. Si enim libens hoc facio, id est, Euangelizo, mercedem habeo, de qua &. 1. Corin. 3. loquitur. Nihil enim est, quod quis benefecerit, quod non sit & ipsum sibi merces, atq; optata quædam retributio, quanq; idem etiam largissime à Domino remuneretur, qui retribuit cuiq; secundũ opera sua. Verum quia Deus est, qui in nobis operatur, & uelle & operari, imò omnia in omnibus, & spiritus Dei est, non nos, qui loquitur, abunde manifestum est, sicut in prædicatione Euangelica, nostris uiribus, ipsum opus cui merces promittit attribui non potest, ita multo minus mercedem, quę opus sequitur quidem, & inde merces uocatur, & si opere minime adæquetur, tribui posse. Excedit nanque remunerando omnia opera, quæ etiam ipse in nobis operatur.

Quòd simul gauisurum, ait, & eum qui seminasset, ex eo uides uiuere sanctos, qui corpore obdormierunt, & nobis etiamnum ita coniunctos esse ut nostris commodis congaudeant, præcipue autem Dei in nobis gloriæ. Cum Christo siquidem sunt, quare uiuere quoque eos cum illo oportet.

B Ex ciuitate autem illa multi crediderunt.) ANNOT. Hæc subita Samaritanorum conuersio, præludium fuit uocationis gentium, ideo uoluit eam Dominus magnificam esse, uti plane fuit, cum ad unius mulierculæ, & non satis probæ, multi illi eo, & quidẽ Samaritani, Euangelio crederent, Christúmq; amplecterentur, qui primis Iudæorum nihil minus præ se ferre uidebatur. Et mansit ibi duos dies,) Discipulis præceperat, ne ingrederentur ciuitatem Samaritanorũ, Mat. 10. quòd nondũ aduenisset tempus, ut plene glorificaretur. Verum ut uocationi gentium præluserit, in Magis, & postea in Centurione, ac alijs, sic in præsenti edere uoluit specimen, uocationis Samaritanorũ, qui medium quoddam genus inter Ethnicos & Iudæos, primi post Iudæos Euangeliũ receperunt, ut legimus Act. 8. Vnde duos tantum dies apud illos mansit, cum apud Iudæos perpetuo egerit Euangelizans. Minister siquidem erat circuncisionis, Rom. 15. & peculiariter missus ad perditas oues Israëlis, Matthæi decimoquinto.

OBSER. In muliercula tam cupide suos ciues aduocante, & quo permoueret eos, confitente sibi Dominũ peccata sua indicasse, exemplum est, animi iusta Christi cognitione donati. Is suisq; déq; omnia habet, & sua quoq; errata libenter confitetur, modo Christũ, possit multis cõmendare. Idem certe & Paulus. 1. Cor. 15. Ephesijs. 2. 1. Timot. 1. Tit. 3. & alibi fecit, etenim quo Dei erga se misericordiã magnificẽtius prædicaret, ignorantiam suam, ac etiam blasphemiam atq; Christianorum persecutionem, ingenue & multis uerbis confessus est, Quòd Samaritæ orant Dominum, ut apud se maneat, indicat cũq; cupidi doctrinæ salutaris reddantur, qui uel tenuiter eam gustarint. In Domino autem, qui passus est se exorati, ut maneret biduũ apud illos, exemplum est facilitatis & humanitatis, quæ nimirum effecerunt, ut cũq; libet inuisos Iudæis Samaritas, præsentia & doctrina sua dignaretur. Moneat hoc & nos, eum posse omnia, quæ ad gloriam Dei faciunt, exorare, quamlibet indignos, doceátq; eandem facilitatem exhibere proximis.

In eo

In eo quòd Samaritæ audito Christo dicebant: ipsi audiuimus & scimus, quòd hic est uere saluator mundi, obseruandũ q̃ benigne, cũ abiectis alioqui & impuris Samaritis egerit. Qui enim Iudæi uspiam leguntur, tam plene cognitionem Christũ, esse confessi? Sed nec Dominum legimus Iudæis aperte adeo, se Christum esse, ut huic mulierculæ, affirmasse. Sic uocat Deus ea, quæ non sunt, & reijcit, quæ prima esse uidentur. 1. Cor. 1. Notandũ etiam quod aiebant: Scimus quòd hic est uere &c. ad hanc enim πληροφορίαν, id est, plenam, certãq; Christi cognitionem uenire unum quenlibet oportet, ut si Angeli quoque contrarium affirmarent, nihil tamen in sententia fidei uacillaret. Sed huc certitudinis, nemo nisi spiritus Christi adducet.

Post duos autem dies exijt inde.) ANN. Tantum biduum apud Samaritas mansit, quia nondum uenerat hora, ut regnum Dei magnificentius apud illos reuelaretur. Antea Iudæis Euangelion regni erat offerendum, Christiq; morte medius paries, qui à Iudæis reliquas gentes diuidebat, diruendus.

Ipse enim Iesus testatus est) Si consideramus, qua occasione hoc testatum alij Euangelistæ memorant, Matthæi. 13. Marci. 6. Lucæ. 4. uidetur quod Euangelista præmisit, & abijt in Galilæam, per Anthithesin intelligendum, quasi diceret: Non adijt patriam suam, sed in reliqua concessit Galilæam, ipse enim testatus est: Prophetam in patria sua nullum honorem habere. Iam ubi uerbum Dei contemmitur, illic non est annuntiandum, Quantopere autem illud contempserint, Domini municipes, adeò ut de monte eum uellent precipitare, Lucas fuse narrat. Huc si nolis hoc dictum referre, considera, an forte id hoc sensu Euangelista adscripserit. Magni erat Samaritis Iesus, sed quia nondum tempus erat, ut prorsum glorificaretur, in Galilæam, ubi tanq; Ioseph filius contemnebatur, abijt. Ipse enim testatus erat, Prophetam nullum habere in patria sua honorem. Atqui prior sensus mihi firmior uidetur, quia narrationi aliorum Euangelistarum magis consonat, fauétq; ei quod sequitur: Et exceperunt eum Galilæi. Id nanque non erat contemnentium.

OBSERVATIONES

Animaduertendum quàm nocens res sit, externam dignitatem considerare, & oculis carnis iudicare. Quòd fabrum, fabri filium, Dominum Nazareni putabant, uerbum uitæ quod afferebat, contempserunt. Ne ergo personam moremur, ad ipsum potius quod adfertur uerbum Dei animum aduertamus. Humilia enim secundum carnem Deus elígit, ut superba reijciat & confundat.

Es erat quidam regius, cuius filius.) ANNOT. βασιλικὸς id est, regius hic dicitur, fuit enim, ut ueri simile est, quispiam ex ministris Herodis Regis. Nonnus habet, ἰδιώτην στρατιὴν id est, regens exercitum, Equidem Iudæum religione fuisse illũ existimo, uel ex eo, quòd Dominus ei fide, infirmitatem opprobrauit: Nisi signa & prodigia uideritis. Nullis sane ethnicis id opprobrij obiectum legimus, quin ijs, quos suscepisse Dominum Euangelistæ memorant, tantam simul fidẽ adfuisse narrant, ut Iudæis in exemplum proponerentur, Certe Centurionis fidei, de quo Matthæi octauo, nullam adfirmabat Dominus similem haberi, in toto populo Dei.

OBSERVATIONES

Domini hic benignitas obseruanda est, qui quamlibet parum credenti huic Regio, quod orabat, præstitit. Admonuit tamen antea imbecillæ fidei, quòd hic eius morbus, q̃ filij grauior & periculosior esset, postea & filium ei restituit, sed uerbo, neq; descendere ad illum, ut ad filium Centurionis uoluit, quanq; pater secundo id petijsset, & Centurio ultro uolentem ad se uenire per nuntios prohibuisset. Sic enim ad fidei uttunq; confirmationem conducebat. Si ergo & nos subinde non exoramus, quæ Deum oramus, non dubitemus è re nostra esse, ut nos non exaudiat.

Cæterum

A Cæterum discamus hinc,& nos sic in proximos benefici esse,ut animis eorum, pri usquam corporibus consulere studeamus.

Circa id,quòd ex hoc miraculo ad fidem in Christum hic regius cum tota domo adductus est,animaduertendum qualia sint,& quę soleant efficere uera domini mi racula. De quo & supra. Ad fidem in Christum promouent, non ad suspiciendas creaturas.

CAPVT QVINTVM.

POst hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis ad probaticam piscina,quæ nominatur Hebraice bethesda, quinque porticus habens, in ijs iacebat multitudo magna languentium, cæcorum,claudorum,expectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat certo tempore in piscinā,& turbabat aquā:itaq; qui primus descendisset post turbationē aquæ sanus fiebat,à quocunq; detinebatur morbo. Erat autē quidā homo illic,qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Hūc cum uidisset Iesus decumbentē, & cognouisset quòd iam multum temporis morbo teneretur,dicit: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo,ut cum turbata fuerit aqua,mittat me in piscinam. Sed interim dum ego uenio iā alius ante me descendit. Dicit ei Iesus, Surge,tolle grabbatum tuum,& ambula. Et statim sanus factus est homo ille,& sustulit grabbatum suum,& ambulabat. Erat autem sabbathum in die illo. Dicebant ergo Iudæi ei qui sanatus fuerat,Sabbathum est, non licet tibi tollere grabbatum. B Respondit eis: Qui me sanum fecit,is mihi dixit,tolle grabbatum tuum,& ambula. Interrogauerunt ergo eū,Quis est ille homo,qui dixit tibi: Tolle grabbatum tuū,& ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset. Iesus enim subduxit se quòd turba esset eo in loco. Postea reperit eum Iesus in templo,& dixit illi: Ecce sanus factus es, ne post hæc pecces, ne quid deterius tibi contingat. Abijt ille homo,& nuntiauit Iudæis,quòd Iesus esset,à quo sanatus fuisset. Ac propterea persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant illū occidere,quòd ista fecisset in sabbatho. Sectio. 1.

Iesus autem respondit eis: Pater meus ad hoc usque temporis operatur,& ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere,quia non solum soluisset sabbathum,sed & patrem suum dixisset Deum,æqualē se faciens Deo. Respondit itaq; Iesus,& dixit eis. Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam,nisi quid uiderit Patrem facientē. Quæcunq; enim ille fecerit,hæc itidem & filius facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit,& maiora ijs demonstrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult,uiuificat. Neq; enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio,ut omnes honorent filium,sicut honorant patrem. Qui non honorat filium,nō honorat patrem qui misit illum. Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit,& credit ei qui misit me,habet uitam æternam, & in condemnatio- Sectio. 2.

nem nō ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Amen amen dico uobis, quòd e
ueniet hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audie
rint, uiuent. Sicut enim Pater habet uitam in semetipso, sic dedit filio habere
uitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicandi quoq; , quia filius homi
nis est. Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua omnes qui in monumen
tis sunt, audient uocem eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectio
nem uitæ, qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Non
possum ego ex me ipso facere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium me
um iustum est. Quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui
misit me, Patris. Si ego testimonium perhiberem de me ipso, testimoniū me
um non esset uerum, Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio uerū
esse testimonium quod testificatur de me. Vos misistis ad Ioannem, & is te
stimonium reddidit ueritati. Ego autem non ab homine testimonium accí
pio, sed hæc dico, ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, uos autem
uoluistis ad tempus exaltare in luce eius. At ego testimonium habeo maius
testimonio Ioannis. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa,
inquam, opera quæ ego facio, testificantur de me, quòd Pater miserit me. Et
qui misit me pater, ipse testificatus est de me. Neq; uocem eius unquam audí
stis, neq; speciem eius uidistis, & sermonem eius non habetis in uobis manē
tem, quia quem misit ille, huic uos non creditis. Scrutamini scripturas, quia
uos uidemini uobis in ipsis uitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testifican d
tur de me, nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Gloriam ab hominibus
non accipio, sed cognoui uos, quòd dilectionem Dei non habeatis in uobis.
Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me. Si alius uenerit nomine suo, il
lum recipietis. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam à uobis inuicem
accipitis, & gloriam quæ à solo deo proficiscitur, non quæritis? Nolite puta
re, quòd ego accusaturus sim uos apud patrem. Est qui accusat uos, Moses,
in quo uos speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi, de me
enim ille scripsit. Si autem illius scriptis non creditis, quomodo uerbis meis
creditis?

POst hæc festum erat Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolyma. Pri
ma hęc sectiuncula apertā historiam habet, omittā igitur paraphrasin.
ANNO. Græca habent: Est Hierosolymis in probatica natatorium.
Vt intelligas Hierosolymis fuisse locum siue regionē aut aream, quæ
προβατικὴ, id est, ouilla fuerit dicta, forte quòd illic statio, uel forum
ouium esset, & in hac, piscina, & natabulum illud, quod Bethseda sit dictum ser
mone Ebraico, id est, quo tum uulgo Ebræi loquebantur, qui non erat, ut supra ca.
1. quoq; monui, pure ille, quo sacra biblia scripta sunt, quanquam plurima cum eo
communia habeat. Docti huius & Ebrææ linguæ, Chaldaicum aut Syriacum esse
putant. Porro cum Græce scriptum sit βηθσαϊδὰ & incertum sit an σ elementum Gre
cum, pro ס uel ש positum sit: non ita liquet, quæ germana sit nominis huius inter
pteratio, סרת, Chald, ratem significat, unde si nomen piscinæ fuit בי סרת interpre
ratio eius erit domus, hoc est locus, uel statio ratium. Nam idiotismus Chaldaicæ
linguæ

A linguæ est, loca fere domos uocare. Sic agrum uocant בית רע, id est, domum seminis. Si autem σ. sit positum pro ש, quod mihi magis arridet, nam minor lacus ille fuit, quàm ut rates haberet, significabit βηθσεδά, Chald, ביתשרא, id est, Bescheda, domum uel locũ effusionis. Etenim memorat Hieronymus ostendi Hierosolymis geminos lacus, quorum unus hybernis pluuijs adimpleri soleat, unde forte nonnunquam inundat & effunditur: aut certe ita dictus est, quòd pluuialis aqua è tectis & alijs editioribus locis effunderetur in illum. Nam durius uidetur, quòd quidam arbitrantur dictum hunc lacum, בותצירא, id est, Bethsaieda quod domum piscationis significat. Mouit forte eos, quòd uulgata latinorum exemplaria habent Bethsaida, quod nomen patriæ Petri est, & commode sane illi impositum, quia illic in lacu Genezareth piscatio erat. At nomẽ huius laci, Bethseda fuisse Euãgelista scribit, ad hęc nulla erat in eo piscatio. ἡ κολυμβήθρα nanq; id est, natatio erat, non uiuariũ. Piscinam enim & Latini pro natatorio accipiunt, imo & uasa lignea ampliora Plinio piscinæ uocatæ sunt, tametsi initio piscinæ à piscibus, qui uiui in illis seruabantur, fuerint dictæ. Durior adhuc Hieronymi deductio est, qui ביתערד, id est domum gregis dictum, hunc locum autumat. Atqui non probaticam, sed κολυμβήθραν quæ in probatica erat, Bethseda uocatam, Euangelista scripsit, ad hæc quæ consonantia Bethæder, cum Bethseda?

Angelus enim descendebat certo tempore.) Peculium erat Deo hic populus promiserat se habitaturum in medio eius, hinc quamlibet grauiter identidem ipsum offenderent, ut tamẽ declararet quàm firma esset sua electio, semper mira illi beneficia præstitit pręalijs populis. Tale iam fuit & hæc quam hic Euangelista memorat, salutaris laci commotio. *Angelus descendit.*

Vis sanus fieri?) Hac interrogatione uolebat Dominus sanitatis desiderium in morbido illo excitare, quo gratius beneficium eius & maiore cum admiratione B susciperet.

Erat autem Sabbathum die illo.) dominum esse se Sbabathi & omnium, hoc miraculo uoluit declarare, proinde in sabbatho illud fecit, quoq; magis inuulgaretur, iussit eum pariter qui tam diu à grabbato suo portatus iuerat, illud sublatum in humeros uicissim portare, & ambulare. Quod cum non solum insolentissimum, sed etiam inauditæ habebatur impietatis, animos multitudinis plurimũ permouit, ut de caussa tantæ audaciæ sciscitarentur, ac ita Domini uirtutem & autoritatem discerent qui cum eo miraculo gloriam patris maxime illustauerat proprium sabbatho opus fecerat.

Qui me sanum fecit.) Significare uoluit se iure parere illi, portando etiam sabbatho suum grabbatum, qui diuina se uirtute sanasset. Neq; enim posse contra Deum aliquid præcipere, qui tantam Dei in se uirtute sanasset. Iesus autem subduxit se, nimirum ut ante beneficium, quàm ipse innotesceret, & non diuinum opus, inuidia qua ipso laborabat, grauaretur, sed ut par erat receptum, pijs probaret ipsum filium Dei esse. Impijs enim omnia in malum cedunt Ne post hac pecces.) Ob peccata immitti morbos, non solum Lex & Prophetæ, sed & Apostolus testatur. 1. Corinth. 11. Propter hoc multi inter uos imbecilles &c. Et si enim quidam cum morbis nascantur, quos nondum uideantur meruisse, proueniunt tamen illi ex peccato adnato. Quos enim suis Deus morbos immittit, non solum in hoc immittit, ut eos sic castigatos in uiam reducat, sed etiam sępe in hoc, ut in officio contineat, atq; flagitijs, ad quæ natura propendent, arceat. Cæterum ut in omnibus simul præcipua caussa sit illustratio nominis Dei, dicetur infra nono.

Abijt ille homo & nuntiauit Iudęis.) Iudubie ut Iesum, tanquam diuinum hominem, & omnibus colendum Prophetam commendaret, uerum illi, ut nati solent ex Diabolo, quo magis diuinitatem Domini sentiebant, eo magis contra eum effere-

bantur, agente eos hoste Dei satana. Hinc occidere eum quærebant, tan quam sab- c
bathi uiolatorem, qui tamen in sabbatho, quod maxime oportebat, fecerat, utpote qui gloriam Patris illustrasset, & hominum salutem promouisset. De sabbatho & ferijs in Matth. dixi fuse cap. 12.

OBSERVATIONES

Obseruandum ut Euangelista noster pauca, sed insignia miracula narret, eaq; mi ra diligentia conscripta: religiosissime enim ueritatem coluit, eoq; peranxie operã dedit, ut sua grauia, & non uera modo, sed & uerisimilia essent, præsertim pijs. Hoc Euangelistæ studium nos doceat, ut quanta possumus cum grauitate negotium Euangelicum geramus, ne unquam nostra culpa fides illi derogetur.

Quod per Angelũ aqua laci mouebatur ut salutaris esset, docet angelorum ope ra nostram salutem procurari. Plagæ Dei immissiones sunt angelorum malorum, beneficia, operationes & ministeria bonorum, quibus utiq; timentes se Dominus circumuallat. Psal. 34. Ii quoq; portant in manibus eos, qui Domino fidunt. Psal. 91. Proinde quicquid uspiam salutare est, opus angelorum est, quanquam dum non est insolens, non ita agnoscatur. Miram pleræq; aquæ & res aliæ ad sanandum cor pora uirtutem habent, sed dũ perpetua illis ea uirtus adest, dumq; percipitur à mul tis & perpetuo, desijt esse admirationi. Sed pij eiusmodi omnia dona agnoscunt op timi Patris, motusq; esse sanctorum angelorum, non minus quàm erat præsentis la ci commotio.

Quòd triginta annos hic morbo obnoxius fuit, seruiuit ad gloriam Dei, quan- quam sero in eo reuelatam: id moneat etiam si non illico adsit auxiliatrix manus Dei, omnia nihilominus tandem ut in gloriam Dei, ita & in nostram tandem salu tem cessura. Præterea docet hoc factum Christi, ut & nos ijs potissimum opem fera mus, quos maiore uidemus necessitate premi.

Furor Iudæorum, qui tanto miraculo augebatur, cum extingui debuerat, indi- D
cat, quid sit esse satanæ captiuum. Id nobis admirationem eximat, si quando & nos propter benefacta mundus persequatur. Satan hostis Dei est, ubi ergo plus Dei sen tit, ibi plus furit.

ENARRATIO SECTIONIS

Iesus autem respõdit eis.) PARAPH. Cum meas partes esse agnoscam, ea de do mino nostro Iesu narrare, è quibus filius Dei, & indubitatus Christus agnoscatur, uisum fuit præmittere historiam stupendi miraculi sanationis eius, qui graui adeò morbo detentus fuerat annos octo supra triginta, nunc subijciam, quam huius oc casione Christus ad Iudæos apologiam facti sui habuit. Vt enim ad hoc ipse sua mi racula fecit, ut ex illis agnoscendi eius occasio esset, equidem libenter ea potissimũ narro, quæ ansam dederunt non solum populo de eo inquirendi, sed ipsi etiam de se ipso clarius & fusius testificandi. Nemo enim melius ipso, diuinitatem suam ex posuerit. Commodum itaq; erat, cum supra memorauerim, quomodo Euangelion de se Nicodemo magistro in Israël, inde Samaritidi mulierculæ annuntiauit, ut nunc narrem, quomodo illud prædicarit, & hostibus suis Iudæis, adductus eò illo rum calumnijs, quibus inauditum beneficium eius infamabant. Nam ne relinque retur illis excusatio, & ipsis fuit Euangelion prædicandum. Cum igitur eo, quo ad adorandum Dominũ excitari debuerant, efferati illi magis essent, ut quererent eũ interficere, qui antea subduxerat se, quo opus suum gratius innotesceret, & sua in uidia non ante grauatum supprimeretur, quàm multitudini innotuisset, nunc in conspectum eorum prodijt, & in hunc modũ defendere cœpit quod fecerat, quod- que ab illis inuidiæ & odio caussa prætexebatur. Memorat, inquit, scriptura, die se ptimo Deum cessasse ab omnibus quæ fecerat operibus, eoq; diem septimũ benedi xisse atq; sanctificasse, & postea præceptum dedisse, ne quid operis eo die populus

suus

A fuus faceret. Hinc forte nefas ducitis, & morte dignum, quemadmodum & ille, qui die ſabbatho ligna collegerat, iuſſu Dei lapidatus fuit, quòd iuſſerim ſabbatho portare grabbatum, eum quem ſanaui. Ego uero aio me ſabbathum hoc meo facto neq; quaquam uiolaſſe. Quod nanq; feci, ex ijs operibus eſt, quæ pater uſq; operatur, & à quibus ab eo quòd mundum condit, nunquam feriatus eſt, A condendis quidē, cœlo, terra, & nouis rerum naturis Pater die ſeptimo ceſſauit, non autem à moderandis illis, quæ condiderat, iugiq; ſucceſſione ſeruandis. In his Pater meus ad hoc uſq; temporis operatur, & ego operor. Nam ut per me condidit omnia, ita per me quoq; moderatur, ſeruat & uiuificat omnia. Iam huius generis eſt, & quod in ſanatione huius triginta & octo annorum morbido declaraui. Quo utiq; tam non potuit à me ſabbathum uiolari, quā Pater iugi uiuificatione rerum & gubernatione ſuam non interrumpit in ſcripturis memoratam quietē. Hac uero reſponſione Domini tam abfuit ut placarentur Iudæi, ut multo magis cōtra eum furerent & quòd iam non ſolum ſoluere ſabbathum eum iudicarent, ſed audirent eum etiam Deum ſuum proprium patrem facere, eiq; ſeſe æqualem, ut cum quo ſemper eadem opera retur. Magis igitur quàm antea quærebant ut ipſum occiderent. Ieſus autem furore illorum nihil deterritus, more ſuo quę dixerat & aſſeueratione magis confirmabat, & explicatione reddebat dilucidiora. Nam erat eis prædicata ſemel ueritate omnis excuſandi occaſio amputanda. Amen amen, inquit, dico uobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, quod non ipſum & patris opus ſit, id eſt, patrem facere uideat. Communia enim & eadem ſunt patris & filij opera omnia, per filium condita ſunt ſecula, & gubernantur, nihil in orbe eſt, quod nō ſit factū, & ſeruetur per filiū. Verbū & uirtus patris eſt, omnia in omnibus perficiens. Alius eſt filius hic, quā putatis aut uobis appareat. Sic diligit eū pater, ut omnia quæ ipſe facit, demonſtret ei, hoc eſt, exhiberet donaretq; ei unà facere hoc eſt, per eū facit, id quod poſt hac clarius

B agnoſcetis, cum his quæ uos modo offendunt, ille maiora ei monſtrabit perq; eum perficiet, quæ certe uos in ſummā adducent admirationem. Quemadmodū enim pater mortuos ſuſcitat & uiuificat, ita & filius uiuificat quos uult, imò per filiū uiuificantur, quicunq; uiuificantur. Neq; enim pater iudicat quenquā, ſed omne iudiciū, hoc eſt, omnē omnium rerū gubernationē, & adminiſtrationem filio tradidit, Dominumq; eum omniū conſtituit, ut omnes honorēt filiū, etiam hominē factum, ſicut honorant patrē, & omne genu illi flectatur, omniſq; lingua cōfiteatur, quòd ipſe Dominus eſt. In eo uero alteri gloriā ſuam nequaquā cedit, unum idemq; ſumus filius & pater: unde qui filiū honorat, honorat & patrē, qui filiū miſit, hoc eſt, hominem fieri uoluit, & ſaluatorē mundo dedit, quiq; filiū nō honorat, is neq; patrē honorat. Vnus ſiquidē honor eſt patris & filij, ut & ipſi unū ſunt. Proinde qui meū ſermonē fide audit, ac ita credit nō tam mihi, quā ei qui me miſit, cuius quē loquor ſermo eque eſt, atq; meus, uitā ęternā habet, nunquam condemnabitur, euaſit enim à morte in uitā. Vt nanq; ex eo ſermone patrē & filiū, unicū & uerū Deum agnoſcit, ſibiq; inde à nobis bonū omne petit & expectat, ita amabit & in nos tranſmutabit, uitęq; ęternæ iā uere particeps eſt, quę olim reuelabit, cum uoce mea filij à mortuis, in reſurrectionē uitæ reuocabit. Etenim affirmo uobis, iterū atq; etiā nos iterū amē dico, quamlibet nihil tale in me uidere uos putetis, aduenit hora, & iam eſt, cum & mortui audient uocē filij dei, quiq; audierint eā, uiuent. Videbitis ſiquidē inter alios, & quadriduanū mortuū mea uoce excitū in hanc uitam redire. Videbitis etiā cum & ipſe à morte, quā uos inferetis, reſurrexero, multa corpora ſanctorum reuiuiſcere, idq; nequaquā occultū erit, egreſſi è monumentis nō paucis ſeſe uiſendos exhibebunt. Quemadmodū enim pater uitam habet in ſemetipſo, non mutuatam alibi unde, nō in aliena poteſtate cōſtitutam, ac ita autor eſt & fons uitæ, ſic dedit & filio uitā in ſe, & ex ſemetipſo habere, fontemq; & autorē uitę eſſe, quibuſcūq; uoluerit.

Propoſitio, Dominum Sabbathum nō uiolaſſe.

Quæ ſemper pater operetur.

Chriſtus uiuificat.

Dominus omnium Chriſtus.

Viuificat mortuos.

A ſe uiuit.

Nam & si homo factus sit, Verbũ tamẽ patris simul est, idemq; substantia cũ patre. Hinc & facultatem iudicij plenæ, scilicet, gubernationis omniũ, regni totius mundi, filio pater dedisse agnoscitur, paulocq; post à dexteris suis eũ collocabit, hoc est, proxima à se, imò eadem potestate in omnia donabit. Tantũ uero abest, tt huic tanto honori obstet assumptæ carnis humilitas, ut hoc ipso, quòd huc humilitatis sese demisit, eo honore eum pater sit dignaturus, imò iam eũ illi dederit. Placuit ei per Christũ hominẽ instaurare omnia, quæ in cœlis sunt & in terra. Ne uero miramini, néue insolens ducite, quòd tanta mihi arrogo, & mortuos audita uoce mea uicturos affirmo, futurũ est enim ut nõ tantum aliqui mea uoce in uitã reuocentur, sed uniuersi mortales, qui unquam fuerunt, & modo corpore in terra dormiunt, quicq; sunt & erunt, meo iussu in uitam reducentur, licet nõ parem. Resurgent enim mea uirtute excíti alij ad resurrectionẽ uitæ, ut æternam & beatam mecũ uitam uiuant, alij resurgent, ut cõdemnentur, plenamq; in corpore & animo, operũ suorum mercedem recipiant, Vt enim quisq; uixerit, & bona aut mala fecerit, ita erit & sors eius in resurrectione. Hæc autẽ tanta, tamq; diuina, nõ dico me mea, quæ alia sit à potestate patris, uirtute perfecturum. Equidẽ nihil à me ipso facere possum, si me à patre diuidatis, pater in me est, & ego in patre, imò idem cũ pater sum: Verbũ & uirtus patris, cui nihil potuit decedere ex eo, quod sum factus homo. Scitote ergo me ita iudicare, ut à patre audio, id est, non nisi patris sententiã in omnes & pronuntiare & exequi, ideo iudicium meum iustũ est, Neq; enim quæro meã uoluntatem, quæ sit alia, ut uos putatis à uoluntate patris, cum eadẽ sit mea & patris uoluntas. Ipse misit me, ipse me hominẽ fieri, hominesq; docere & regere iussit: omnia igitur ex sententia ipsius sum, facio & iudico. Quare tã absurdũ est de me suspicari, quasi aliquid dicam aut faciam, quod culpandũ sit, aut gloriæ patris deroget, quàm id suspicari de ipso patre. Nullã iraq; contra me caussam ita furendi habetis, neque quòd sabbathũ uiolarim, qui nihil aliud feci, quàm quòd pater per omne sanctũ sabbathũ suũ, quo à nouis rerum naturis cõdendis feriatur, facere solet, neq; quòd filium me Dei, eadem cũ ipso operantem, ipsiq; æqualẽ me professus sum, ita enim res habet, & ipsi olim sic habere, cõstituti ante tribunal meũ, agnoscetis. Sed dicetis: Tu tibi ipsi testimoniũ perhibes, ideo testimoniũ tuum nullius est momenti Ego uero dico aliud, quàm uos in me agnoscitis, mihi testimoniũ horum perhibere, & scio uerũ esse testimoniũ eius: Pater ipse mihi testimoniũ perhibet, sed mitto hoc, quia huius testimoniũ cognoscere nõ potestis. Nunquid eadẽ & Ioannes de me testificatus est, & ex ueritate quidẽ, quãdo per legatos uestros eũ rogastis: Hoc uero nõ dico, quòd hominis testimoniũ morer, uobisq; illud obtrudere uelim, cum longe maius habeam, nimirũ patris, uerum hæc cõmemoro, ut uos fidẽ habentes mihi, cõsequamini salutem. Alioqui quid mihi, uel illius testimoniũ, uel uestra existimatio contulerit? Certe erga Ioannem uos ita habuistis, ut nemo prudens, uestrã æstimationem magno emerit. Erat ille lucerna ardens igni cœlesti, & lucens doctrina saluifica, sed quãti ob hæc uobis fuit? Ad horam in luce eius uoluistis exultare, doctrinam eius cum gaudio precipientes, sed simul atq; ille uos uobis ipsis auferre, & mihi innouandos consecrare uoluit, quem prius ut angelum suscipere uidebamini, cœpistis ut insanũ hominem, & habentem Dæmonium auresari, & etiminari. Sed mittamus etiam huius testimonium, quòd tamen nequaquam reticiendum pio est, cum lucerna fuerit in æternam uitam lucens, sicut & spiritu Dei ardebat. Habeo multo maius & certius quam sit Ioannis, testimonium, nimirum operum meorum, quæ sane eiusmodi sunt, ut nemo queat inficiari, ea patrem mihi dedisse, hoc est, in me perficere. Hominem triginta & octo annos morbo addictum, uerbo sanare & id genus alia multa perficere, cui non fidem faciat, qui modo possit aliquid diuinæ rei intelligere, me à patre missum, nihilq; nisi patris uoluntatem administrare? His sane pater, qui

Omnia iudicat quia filius hominis.

Voce Christi omnes resurgent.

Conclusio.

Testimonia.

Patris internum testimonium.

Testimonium Ioannis.

A qui misit me de me aperte satis testatur, cuius si testimoniũ in huiusmodi operibus non agnoscitis, neq; id ulla alia ratione agnoscetis. Patrem nanq; nunquam audistis, neq; uidistis, & quod omnium deterius est, uerbum eius & uirtus non manet apud uos, ἄθεοι estis, & sensu Dei in totum caretis. Id indubie probat quod me, neq; ex Ioannis, neq; ex operum testimonio agnoscitis, quem ita misit pater, ut omnia in me patris sint, ipsumq; clarissime referant. Sed non est mirum, stupescere adhęc animales. Porro ut nulla uobis fiat reliqua excusationis occasio, agite quãdo nihil uos mouet testimonium Ioannis, contemnitur testimonium operum meorũ, quæ uel cæco me Deum esse natura hominis tectum, ostendũt. Agite, scripturas scruta mini, quandoquidem magnifice adeò de eis sentitis, ut uitam æternam in eis habere uos putetis, id quod recte putaretis, si eas recte intelligeretis. Nũc autem nihil in de nisi uestram damnationem referetis. Testificantur enim illæ de me, uos aut re- *Testimonium scripturæ.*
nuitis mihi accedere, meq; saluatorem uestrũ agnoscere, ut mea uirtute uitam æternam haberetis. Id uero nequaquam dico, quòd cupiam apud uos in pretio haberi, gloriam enim ab hominibus nullius facio, sed hęc dico ut uobis indicẽ, quales uos cognoscam. Noui siquidem & exploratum habeo, quòd dilectionem Dei in uobis metipsis non habetis, obuij alioqui me ulnis exciperetis. Nunc autem me qui tamẽ in nomine patris ueni, uirtutem eius ad saluandum in omnibus exerens, non recipitis, paulopost ueniet alius in nomine suo, sua quęrens ad uestram perniciem, illũ excipietis: sed ita fieri necesse est. Qui enim possetis mihi credere, cui nemo credet nisi se ipsum abnegauerit, & à me omnia petierit, quando gloriam à uobis inuicem ut accipitis, ita alicuius æstimatis, eoq; Dei gloriã posthabetis quærere? Huius uero contemptus, nolite putare quòd ego uos apud patrem accusaturus sim: habetis Mosen, de quo uidemini confidere, is uos accusabit. Scriptis enim eius, ut recepistis uos facturos, & facere simulatis, non creditis. Nam de me ille scripsit, ubicunq; *Cur nõ potuerint credere.*

B de Dei bonitate, uirtute, & gloria, ubi de uera solidaq; sapientia, iustitia, & sanctitate scripsit. Cum igitur uerbis eius nullam habetis fidem, alieni à Deo, ueraq; pietate, quam ille docuit, quamlibet iactetis uos illius discipulos, & gloriemini de lege eius, qui fieret ut mihi credere tis, quem ut filium hominis, fabrum & filium fabri contemnitis, ad hæc criminantes Legum Dei transgressorem, ipsiusq; blasphematorem? *Moses accusabit.*

ANNOTATIONES

Pater meus usq; hoc temporis.) Occupatio est eius quod Iudæi fuerant Domino obiecturi. In lege siquidem ita scriptum est: Dies septimus, requies Domino Deo tuo sit, nihil in eo operis feceris, tu, filius tuus, filia tua, seruꝰ tuus, ancilla tua, peregrinus tuus, qui intra portas tuas est. Quoniã sex diebus fecit dominꝰ cœlos et terram, mare, & quę in illis sunt omnia, die uero septimo quieuit, propterea benedixit Dominus diem septimũ, & sanctificauit eum 2. Moscheh. 20. Omnia siquidẽ condidit Deus, ut bonitas eius agnosceretur: cum ergo ex perfectis eius ac ualde bonis operibus, per sex dies conditis, amplissima bonitas & sapientia eius clarissime relucebat, affatimq; omnia suppeditaret, iure ipse quidẽ septimo die à nouis rebus condendis cessauit, dignumq; erat, ut in consideratione huius ubiq; persentis bonitatis Dei, homines toti ac perpetuo essent. Cum aũt necessarijs uitæ huius, rudior populus hinc distraheretur, selegit Dominus diem septimum, ut eo possimum beneficia sua illi memorarent, eoq; & ad pietatem formarentur. Hæc fuit diei septimi benedictio & sanctificatio. Nam quod 1. Moscheh 2. legitur Dominus benedixisse & sanctificasse diem septimum, per anticipationem scriptum est. Tum enim eum diem benedixit & sanctificauit, cum populo præcepit, ut sanctum eum haberent, id est bonitati suæ considerandæ & colendæ dicarent: quanquam uerisimile sit hanc obseruationem non à Mose primum introductam

ſed iterum ſancitam eſſe,cum & priſcis partibus ea in uſu fuerit.

Hæc Iudæi impij ignorantes,ſabbatho nihil aliud exigi putabant, quàm ut nihil fieret operis,cum multo magis Deus requireret, ſe ex conditis rebus agnoſci eum qui perpetuo noſtri curam geret, ſicut in uſum noſtrum omnia condidit,& ab operibus corporis uacationem nulla alia cauſſa perſancte adeo præcepit,quàm ut liberi eſſent homines ad uacandum ſuis beneficijs recolendis, & cum gratiarum actione,ad incrementum pietatis,celebrandis.Ex hac igitur ignorantia, ita contra dominũ apud ſe colligebant:Deus die ſeptimo ab omni opere quod fecerat ceſſauit, ita ceſſandum & huic erat,iam & ſanauit ipſe hominem hunc die ſabbathi,& iuſſit illum portare ſuum grabbatum.Hoc itaq; uolens diſſoluere dicebat,Pater meus uſque ad hoc temporis operatur, & ego operor,unũ enim ſumus. Neq; enim ut uos putatis nihil facit,& ſi nullas nouas rerum naturas condat, uiuificat tamen,ſeruat, & moderatur interim quæ condidit,idq; per me,ut & creauit. Qui ergo in hoc ipſo opere ſanationis,quod uos offendit,eandem uirtutem, qua omnia condita ſunt, & ſeruantur declarauí,ut non tam meum,quàm patris opus ſit,& eiuſmodi,qualia continuo ille operatur,non potuit ſabbathum eo uiolari. Violatur illud operibus, quibus à conſideratione & glorificatione bonitatis Dei homines auocantur,hoc uero meum opus tale eſt, ut nihil æque poſſit electos,ad cognoſcendum & glorificandum illum incitare. Ad idem inſeruit,& quòd qui tam diu cum morbo conflictatus eſt,lectum ſuum omnibus uidentibus portauit,à quo tot iam annis portatus fuerat uiribus corporis deſtitutus. Forte & hoc ſenſu cum illatione accipi,hæc non incommode poterunt. Vos,quia Deus die ſeptimo ab operibus ſuis quieuit, indignum ducitis, quòd ego die ſabbathi ſum operatus. Ego uero aio Patrem uſq; ad hoc temporis ſemper operari,ideo & me operari oportuit. Maxime cum idẽ quod ipſe,operatus ſum,ſalutem conferens ei qui grauiter adeo laborauerat. Ego enim & Pater unum ſumus eademq; operamur.

Quo ſabbathũ uioletur.

Sed & patrẽ ſuum.)Græce habetur ἴδιον, id eſt, proprium. Sic enim fecerat Deũ Patrem ſuum,ut eadem,quæ Pater operari ſe affirmaret,ac ita ſe illi æqualẽ eſſe pronuntiaret,id ergo Iudæos penitus in furorem contra Dominum egerat.

Iſta; Non poteſt filius à ſe facere quicquam: Non quæro uoluntatem meam:Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo &c. per imitationem dicta ſunt.Imitatus hactenus Dominus Iudæos fuit,qui alium eum à patre putabant,cum diuinitate idẽ eſſet ſubſtantia quod pater, & humanitate item totus ad uoluntatẽ Dei formatus, ut nihil cogitaret, diceret, aut faceret, quod non Dei & patris uoluntas & opus eſſet. Vnde ait:Quæcunq; enim ille facit,hæc & filius ſimiliter facit, atq; hoc eſt facere quę uidet patrem facere.

Omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit.)Id eſt,eadẽ facere donat. Videre enim pro habere uel accipere,& demonſtrare uel oſtendere,pro dare, & aliâs ſcriptura uſurpat.Sic Dominus Moſcheh:oſtendam tibi omne bonum,pro dabo,dixit 2. Moſch. 33.Et ſupra tertio,Chriſtus negauit uiſurum regnum Dei,non renatum,pro non ingreſſurum uel poſſeſſurum.

Omnia filio demonſtrat.

Et maiora iſs demonſtrabit.) Maiora hæc,intellexit,reuocatos à ſe in uitam mortuos,id quod ſpecimẽ fuit,& futurę in die nouiſſimo,generaliſq; omniũ reſurrectionis,& internæ quoq; electorũ per fidem iuſtificationis, quam utranq; ſua uirtute perfruendã huic præmonſtrauit. His quid poſſit maius Pater:Hinc ergo probauit, Patrẽ ſibi demonſtrare,id eſt,faciendi ea facultatẽ conferre, quæcunq; ipſe facit.

Neque enim Pater iudicat quenquam.) Probatio eſt eius,quod dixerat, ſe uiuificare quos uelit. Si enim hoc poteſt, ſupremam neceſſe eſt in omnes poteſtatem habeat. Nulla eſt enim poteſtate uitæ necisq;,maior. Commodum eſt autem, ut ſicut per uerbum ſuum condidit omnia Deus,ita per idem iudicet quoq; regat ac moderetur

retur omnia. In eo aũt nunc̃ſ ſatis admiranda erga nos Dei dignatio apparet, quòd hoc uerbum ſuum hominẽ fieri uoluit, diuinaq̃ hinc omnia per hominem exercere, ut filium iam hominem factum, ſicut patrem ipſum, omnes honorarent.

Qui ſermonẽ meum audit.) Hæc illationem in ſe habent, quaſi dicat: Igitur mihi credere debeatis, qui uiuificare poſſum quos uolo, quiq̃ omne Dei iudicium exerceo, omni in omnes poteſtate fungor. Hinc enim eſt, ut qui me audierit, atq̃ in eo, nõ minus ei qui me miſit, quã mihi crediderit, iam ſaluus ſit. Neq̃ enim poſſum mihi fidentem non ſaluare, quando in mea manu eſt ſaluare quos uolo.

Quando mortui audient uocem filij.) Aduenisſe hanc horam, poſtea fidem fecit dum filiam principis Synagogæ, filium uiduæ, deniq̃ & Lazarũ in uitam ſolo uerbo reuocauit. Hi ergo audierunt uocem filij, & reuixerunt.

Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo.) Id eſt, à nullo alio pendentẽ, pleneq̃ in ſua manu conſtitutam. Sic aũt qui uitam habet, eum autorem fontemq̃ uitæ eſſe oportet, poterit igitur eam cõmunicare cui libuerit.

Quia filius hominis.) Id eſt, quia ita humilis modo apparet, ideo in illã gloriam, ut iudicaturus ſit omnia, exaltabitur, de hoc Philip. 2. Vitum etiã Deo eſt, in aſſumpto homine omnia inſtaurare, Epheſ. primo. Ad hoc ſemen Abrahæ, & ne Angelos quidem aſſumpſit. Eb. primo.

Nolite mirari hoc.) Magnũ erat & ſtupendũ, quod ſibi arrogauerat, cuius ut admirationem imminueret, fidemq̃ eius faceret, adfirmauit ſe facturum quod longe maius, & multo plus ſtupendũ ſit, nempe uoce ſua, id eſt, uirtute (nam uerbi & uocis, qua imperatur, nomine, ſcriptura uirtutem intelligit, ut & ſupra primo) olim in nouiſſimo die mortuos uniuerſos in uitam ſe reuocaturum.

Qui bona fecerunt.) Qualiſq̃ ut eſt, ita & operatur, opera de animo teſtantur: ſecũdum opera igitur, tanquam teſtimonia, ſententia iudicis fertur. Hoc aũt nihil derogat, uel ei, quòd fide ſola iuſtificamur, id eſt, Chriſto, iuſtitiq̃ Dei inſerimur, ſpirituq̃ eius ueræ iuſtitiq̃ doctore donamur, uel ei etiam, quòd Deus eſt, qui & uelle, & perficere, in nobis operatur. Sua enim in nobis opera remunerat Deus: & noſtra, ſi ſua deſint iure optimo, ut mala punit. Neq̃ deſunt bona opera in credẽtibus. Latro cõfitens Chriſtũ, ea tũ bona opera habebat, quòd peccatũ ſuũ fateretur, moneret proximum, prædicaret Chriſtũ. Nihil enim præter uſum linguæ, illi reliquũ erat. At hæc bona opera erant, & ſecundum ea latro iudicatus eſt, & uitam accepit, nõ quidem quòd hæc opera ex ſe tanti eſſent, aut quòd ea ſua uirtute latro edidiſſet, aut quòd ille huiuſmodi operibus ullo modo niti in ſpe ſalutis potuiſſet, ſed quia Deus, eum ex ſola ſua miſericordia & propter Chriſtum ſuum ſuſceperat, eiq̃ hac ſua miſericordia, Chriſtiq̃ ſui ſatisfactione fidere donaſſet, & ex hac ipſa demum fiducia, bona illa opera produxiſſet. Hinc ſanè factum eſt, ut Deus etiã hæc ipſa latronis bona opera reſpexerit, uitaq̃ æterna & compenſarit abolitis prorſus operibus malis, quibus ille ante fidem, uitam ſuam perdiderat.

Secundum opera iudicamur.

Non poſſum ego ex me ipſo facere.) Probatio eſt eius, quod ſibi ſumpſerat, ſua uoce olim omnes reſurrecturos, ſimulq̃ eius, quod hinc offendere poterat Iudæos, quaſi ſibi plus nimio arrogaret, occupatio. Cum enim nihil à ſe facit, ſed uirtute patris omnia, facile uidere erat, quòd quæcunque pater facit, & ipſe facere poſſit, ac etiam in uitam nullo negotio mortuos reuocare, ſicut & è nihilo omnia antea condidit. Hæc autem nequaquam à ſe ipſo homine, ſed à patre in ipſo, & per ipſum cuncta perficiẽte. Sic uero & ad probationem principalis propoſitionis accipiatur, hoc ſenſu: Expoſui uobis quis patri ſim, quæq̃ ab ipſo acceperim, ut eadem cum patre omnia operer, & cũ ipſo mortuos rediuiuos reddã, ex his facile uidetis me longe ab eo eſſe, ut cõtra ipſum aliquid deſignẽ, ſiue ſabbathi uiolatiõe, ſiue mihi arrogãdo, quod ipſi deroget. Nam ingenue fateor, quòd à me ipſo homine, quem uidetis, nihil fa-

hil facere possum, à Patre mihi hæc collata sunt, ille in me omnia perficit. Vt ab ipso audio, ut exploratum habeo, ita iudico in omnibus, nihil in me est, nihil dico, nihil facio, quod non sit Patris, meam uoluntatem, quæ non sit & Patris uoluntas, ignoro, nihil uolo, nihil molior, quod non sit & Patris beneplacitum. Tam multum abest, ut sabbathum Domini prophanauerim, plus, quod ipsum blasphemauerim, quę falso uos mihi impingitis. Si ego testimonium de me ipso perhibeo.) Mimesis est, imitatur enim aduersarios, qui ita censebant. Neq; enim poterat ipsius de se ipso testimonium non esse uerissimum, qui cum patre idem est, Id quod & infra 8. ipse de se testatur.

Alius est qui testatur de me.) Emphaticῶs legendū est. Quasi dicat: longe alius est, quàm me uidere uos existimatis, Deus est, non hic contemptus uobis faber, qui de me testificatur, filiumq; unigenitum & dilectum agnoscit, id testimonij nouí uerum esse, & id abunde satis mihi est, unde mea quidem causa nihil moror, quid homines de me sentiant. Testificatus tamen est de me & Ioannes, ad quem legatos uestros misistis, cuius testimonio, uestræ quidem salutis causa uelim fidem haberetis, me aũt neq; huius, neq; cuiusquam hominis testimonium moror. Maius siquidem habeo, etiam erga homines, quàm sit & Ioannis testimonium, nimirum opera mea. D. Chrysosto. hunc alium Ioannem intelligit, ut hoc sensu dictum accipias: Vobis uidetur si de me ipso testimonium perhibeam id non esse uerum, iam alius est qui de me testimonium perhibuit, quod equidem uerum esse scio, uos aũt si uobis ipsis illud, cum honorificam ad Ioannem legationē misissetis, dictum sit, fidem habere ei negatis. Ille erat lucerna ardens & lucens.) Hoc est, quanquam uere spiritu Dei ille arderet & doctrina salutis luceret, uos tamen uix ad horam, ad minimū tempus, in luce eius uoluistis exultare, id est, doctrinam illius amplecti. Nam licet initio turmatim ad baptismū eius aduolassent, ut Matth. 3. & Luc. 3. legimus, simulatq; tamen illos pro meritis corripuit & omnem iustitiam à sequente se Christo expectare hortatus fuit, aduersari ei cœperunt adeo ut dæmonium habere cum, dum aliud nihil possent, calumniarentur. Matth. 11.

Triplex patris de filio testimonium.

Et qui misit me Pater.) Patris de Christo testimoniū triplex est. Testatur ipsi homini Christo, ut sciat se esse, quod est, id est, unice dilectum Dei, de hoc uidetur proprie esse quod dixit: Alius est, qui testatur de me. & scio quod uerum est testimoniū eius. Alterum probitum uoce est, de cœlo delapsa. Primum cum baptisma susceperat, postea, cum in monte discipulis suam ostenderat gloriā. Tertiū perhibet spiritu suo in cordibus electorū. Nam filium nemo nouit, nisi Pater. Matth. 11. & nemo uenit ad eum, nisi quē Pater attraxerit, ut in sequenti capite. Hoc testimonio carent omnes reprobi, quales & hi Iudæi erant, quibus dixit: Neq; uocē eius audistis, neq; speciem eius uidistis, & uerbū eius, id est, uirtus & energia, qua sola pater ipse & filius cognoscuntur, nō manet, nō habet locum in uobis, uacui estis spiritu, toti caro & sanguis. Scrutamini scripturas.) Tertiū testimoniū, & Iudæis satis apertum & ex

Quibus scriptura de Christo testetur.

positū, scripturę reddunt, quę de Christo testantur, ubicunq; de Dei bonitate, sapientia, uirtute, & iustitia prędicāt. Id qui pie illas scrutabitur, facile animaduertit, qui absq; spiritu est, nihil minus. Pręter id enim q̄d animalis homo, quę Dei sunt nō percipit, sunt etiā pleraq; de Christo uaticinia admodū tecta, præsertim cū fere ex parte aliqua in alios quoq; quadrēt, qui tantū Christi typū gesserūt. Quicūq; enim bonitatis dei insigniores ministri fuere, Christi figurā retulerunt, de quibus sæpe scriptura ea testata est & prædixit, quæ in ipsis quidem partim apparuere, in Christo autē solo demum completa sunt, de quo in Matthæum circa finem & supra caput. 3. in illud: Quemadmodum Moses exaltauit serpentem, nonnihil dixi. Res hæc tam late patet, ut omnino proprīū librū requirat, quod & supra dixi. Si Dominus adspirauerit studijs meis, & tantū uitæ otijq; suppeditauerit, dabo operā, peculiari huic rei libro instituto

A instituto ostendere, quanam ratione scripturæ Christum prædicent, percursis & in hoc tractatis, cunctis S. bibliorū locis, qui cœlitus aliquod ad testificandū de Christo momentum habere uidentur. Nuper partem aliquam huius argumenti deliba-ui in Enarrationibus nostris in epistolam ad Roman. cap. 3. in quæstione 11. adiecta Enarrationi sectionis 4.

Quia uos uidemini uobis.) Notauit præposterum studium literæ legis, quo sine spiritu Iudæi sibijpsis placebant. Alioqui qui ex fide Christi scripturas legunt, eruditiuntur illis ad salutem, & reuera uitam æternam in eis inueniūt. 2. Timoth. 3. cum nihil in eis quàm literam reperiant ij, qui eas legunt absq; fide Christi Roman. 7. 2. Corinth. 3. Gloriam ab hominibus non accipio.) Occupatio est, qua prænenit Iudæorum calumniam, qua ambitiosum calumniari potuissent, eo quòd sui tam manifesto in scripturis commendati contemptum illis opprobrasset. Testatur igitur se illis sui contemptum, non desiderio gloriæ, quam ab ipsis cupiat, sed quod certo sciret dilectione Dei eos uacare, eoq; quicquid Deum respit, auersari, opprobrasse. Quicunq; enim uel aliquem Dei amorem, & sensum habent, quæcunq; Deum referunt suspiciunt etiam, tam abest ut filium Dei, qui in omnibus patrem luculentissime refert, sic præsertim sese insinuantem, ut se insinuauit his Iudæis, possent non cupidissime excipere. Si alius uenerit in nomine.) Sic uenit Aegyptius ille Magus, quem Ben Cuziba uocarunt, qui triginta hominum millia sibi congregarat, se Christum esse mentitus, de quo Ioseph, secundo libro de Bello Iudaico. Item alter Ben Cuziba sub Hadriano, qui innumerabilem turbam seduxit, ut Iudæi ipsi scribunt, in libro Seder olam. Hos & multos alios Christi nomine Iudæi receperunt, quo pœnam dederunt contemptus Christi. Sic & nos proh dolor, nimis graues diu deserti ueri Christi pœnas dedimus, dū apud ligna & lapides perditosq; homines salutem frustra, sed magno quæsiuimus, quam ultro offerebat & gratis Christus saluator uerus. Quomodo uos potestis credere.) Qui credūt, Deo omnem gloriam tribuunt, omnia enim ab ipso petunt. Id non possunt, qui gloriā accipiunt, id est, alicuius faciunt, ab hominibus. Nam ij etiam sibijpsis aliquid uidentur & tribuunt.

Alius uenict nomine suo.

Si enim credidissetis Mose.) Solo spiritu uerbo Dei creditur. Si igitur Mose credidissent, spiritum scrutatorem profundorum Dei habuissent, quo freti, Deum in Christo multo quàm in Mose luculentius sese cognoscendum exhibentem, non potuissent non agnoscere.

De me enim ille scripsit.) Apertissime sanè lib. suo primo ca. quadragesimo: Quia nemo alius unquam ex tribu Iudæ extitit, cui populi ita auscultassent, ut indubitato nostro שילה uere fœlici principi & Christo. Tum clare satis in celebri illa promissione facta Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes nationes: deinde pijs aperte satis, in ijs omnibus, quæ de יהוה id est, Existenti sempiternoq; Deo, per quē omnia acceperunt ut sint, & seruētur, Christum per omnes quinq; libros suos prædicauit. Huius certe facies in populo præiuit, huius posteriora Mosch eh ipse uidit. 2. Moscheh. 33. Hic populum duxit, pauit, defendit, ac etiam puniuit, de quo & supra in caput primum nonnihil dixi. Denicq; cum hic unus sit sanctorum magister, etiam ibi à Moscheh indicatus est, cum prædixit è populo Deum excitaturum Prophetā ex ipso populo, in cuius os sua uerba poneret, quē omnes audire deberēt. 5. Mos. 18. Hoc enim ut in Iehosua, & in alios ueros Prophetas quadrauit, ita præcipue conuenit Christo, omnium Prophetarum capiti. Hinc satis liquet, si Iudæi Moscheh uere credidissent, nunq; eos fuisse Christum reiecturos, præsertim cum se ita exhiberet, ut non posset, à timentibus Deum, non filius Dei agnosci.

Moscheh scripsit de Christo.

Quòd enim hodie forte Iudæi sunt, qui nequeant, in Moscheh Christū agnoscere, & tamē filij Dei sunt, uereq; Moscheh credāt, in caussa est, quòd de domino Iesu lōge aliter persuasi sunt, quā sese his Iudæis ipse exhibuerit. Vt nāq; Cæsaris faciē is

non

Cur Iudæi ex Mosch. Christum non discunt.

non agnoscet,quamlibet graphice pictam, qui Cæsarem nunquã uidit,ita isti quia domini Iesu faciem ignorant,non possunt credere eius faciem esse, illam quã Mo/ scheh depinxit.Magnifica de Christo legunt & credunt,sed ea nostro domino Iesu cõpetere,quia eum qui sit,quęue operatus sis ignorant, & præterea pessima quæ/ que de ipso persuasi sunt,credere non possunt. Quanquam huius eorum ignoran/ tiæ sit & alia caussa,nempe quòd uisum sit domino, in præsenti, Iudæam gentem, cæcitatem perferre, donec gentium plenitudo introierit, de qua Roman.undeci/ mo.Qui electi ex illis sunt & aliquid fidei uerę Mose habent, ij indubie tandem agnoscent dominum,remoto uelo,quo nunc mentes eorum contectæ sunt. Nam stat certum eos Mose non credere,qui Christo non credunt.

OBSERVATIONES

In hac domini Apologia obseruandum primum,ut clare suam diuinitatem,tan/ tis suis hostibus prædicarit.Sic adimi illis omnem excusationẽ oportuit, Deinde probe perpendendum,quid de se dominus illis testatus est, nempe omnia se cum patre habere munia, omnia simul operari, unum esse omnium iudicem & ui/ uificatorem,noscę patrem honorare,cum ipsum honoramus,Deum & seruatorem esse omnium,cui cum credimus,uitam nacti sumus æternam, & læti ante tribunal eius,in resurrectione stabimus.Hæc itaq; diligenter & religiose pensata,nos in fide domini nostri, atq; ita æterna uita mire cõfirmabũt,atq; promouebũt auocabũtq; à rebus istis caducis,quibus nostra eũ pernicie aliàs addicimur.Demũ obser uanda sunt,& quę tribuit Iudęis quòd ad horã tantũ doctrina Ioan. delectati sint, quòd uer bum dei in se non habeant,quod in scripturis sine spiritu uitam æternã sibi pollice/ antur,quòd gloriam humanam quæ rant, quòd dilectionem Dei in se non habeãt, quòd Moscheh minime credant,quantumuis hoc simulent .Sic nanq; habet natu/ ra impiorum ,ut uerbum Dei in se,& dilectionem nequaquam habeant,uacui spi/ ritu eius,ideo quamlibet luculentis testimonijs contincunt, nunquam tamen pos/ sunt ueritati accedere & Christum agnoscere, licet nonnunquam ad tempus se fa/ uere illi simulent,& in pretio habere se uerbum dei fingant. Et cũ in scripturis uer/ santur,mortem ex eis referunt,cum uitam putent se inde relaturos.

CAPVT SEXTVM.

Sectio.1.

POst hæc abiit Iesus trans mare Galilææ,quod est Tyberia/ dis,& sequebatur eum turba multa, quia uidebant eius si/ gna quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit aũt in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Instaba/ bat autem pascha dies festus Iudæorum. Cum sustulisset ergo oculos Iesus, & uidisset quòd multa turba ueniret ad se,dicit ad Philippum: Vnde ememus panes,ut edant isti? Hoc autem dice/ bat tentans eum,ipse enim sciebat quid esset facturus.Respõdit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; pusillum quippiam accipiat.Dicit ei unus ex discipulis ipsius, Andreas frater Simonis Petri:Est puer unus hic,qui habet quinque panes ordeaccos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos?Dixit autem Iesus:Facite ut homines dis/ cumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero ferme quinquies mille. Accepit autem panes Iesus, cúnque gratias egisset,distribuit discipulis, discipuli uero discumbentibus. Similiter & ex pi/ scibus quantum uolebãt. Vt autem impleti sunt,dicit discipulis suis: Colligi/ te quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo,& imple/ uerunt

A uerunt duodecim cophinos fragmentorũ ex quinq; panibus ordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant. Illi ergo homines cum uidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Hic est uerè propheta ille qui uenturus est in mundũ. Iesus ergo cum cognouisset quod uenturi essent, ac rapturi ipsum, ut facerent ipsum regem, secessit iterũ in montẽ ipse solus.

At ubi iam uespera esset, descenderunt discipuli eius ad mare, & con- Sect. 2.
scensa naui, uenerunt traiecto mari ad oppidum Capernaũ. Iamq; tenebræ erant, nec uenerat ad eos Iesus. Mare autẽ uento magno flante intumescebat. Cum remigassent ergo fermè stadia uigintiquinq;, aut triginta, uident Iesum ambulantem super mare, & appropinquantem naui, ac timuerunt. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo recipere eũ in nauim, & illico nauis appulerat terræ ad quã ibant. Postero die turba quæ stabat trans mare, ut uidit quod nauicula alia non esset ibi, nisi una illa in quam ingressi fuerant discipuli eius, & quod non intrasset cum discipulis suis Iesus in nauiculã, sed soli discipuli eius abissent, aliæ uero superueniunt nauiculæ à Tyberiade, iuxta locum ubi comederant panem, posteaquã gratias egisset Dominus. Cum ergo uidisset turba quod Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt & ipsi in nauiculas, & uenerunt Capernaum, quærentes Iesum.

Et cum inuenissent eũ trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc ue- Sect. 3.
B nisti? Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico uobis, quæritis me, non quia uidistis signa, sed quia comedistis de panibus, & saturati estis. Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis, hunc eñ pater consignauit Deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid facimus, ut operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signũ, ut uideamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptũ est: Panem de cœlo dedit eis ad edendum. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, non Moses dedit uobis illum panẽ de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei est qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Dixerunt ergo ad eum, Domine, semper da nobis panem istum. Dixit autẽ eis Iesus: Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquã. Sed dixi uobis, quod etiã uidistis me, nec creditis. Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eum qui uenerit ad me, non eiicio foras. Quia descendi de cœlo, ut faciam non quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo dei. Hæc est autem uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.

Sect. 4 Murmurabant ergo Iudæi de illo, quod dixisset, ego sum panis ille, q
qui de cœlo descendit. Et dicebant: Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cu-
ius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, de cœlo
descendi? Respõdit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare inter uos.
Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego
suscitabo eum in nouissimo die. Est scriptũ in Prophetis: Et erunt om-
nes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me,
non quod patrem uiderit quisquã, nisi is qui à Deo est, hic uidit patrem.
Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Ego
sum panis ille uitæ. Patres uestri comederunt manna in deserto, & mor-
tui sunt. Hic est panis ille de cœlo descendens, ut ex ipso edat aliquis, &
non moriatur. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi: si quis ede-
rit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea
est, quam ego dabo pro mundi uita.

Sect. 5 Decertabant ergo Iudæi inter se, dicentes: Quomodo potest hic no-
bis carnem suam dare ad edendum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen
dico uobis, nisi ederitis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem,
non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem & bibit meum san-
guinem, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.
Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit
meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Si-
cut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrẽ, ita & qui ederit me,
uiuet ipse quoq; propter me. Hic est panis ille qui de cœlo descendit, nõ
sicut comederunt patres uestri manna, & mortui sunt, qui ederit hunc
panem, uiuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capernaũ.

Sect. 6 Multi ergo his auditis ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic ser-
mo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum quod
murmurarent de hoc discipuli ipsius, dixit eis: Hoc uos offendit? Quid
igitur si uideritis filium hominis ascendentem eô ubi erat prius? Spiritus
est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor
uobis, spiritus & uita sunt. Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt.
Nouerat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis prodi-tu-
rus esset ipsum. Et dicebat: Propterea dixi uobis, quod nemo potest
uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex eo tempore multi disci
pulorum eius desciuerunt ab eo, nec amplius cum illo ambulabant. Di-
xit ergo Iesus ad duodecim: Num & uos uultis abire? Respondit ei Si-
mon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes, &
nos credimus & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei uiui. Re-
spondit ei Iesus: Nónne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus dia-
bolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariota. Hic enim erat pro-
diturus eum, cum esset unus ex duodecim.

ENAR-

ENARRATIO SECTIONIS I.

POst hęc abijt Iesus trans mare Galilææ.) Apertior historia est, quàm ut paraphrasim requirat. ANNOT. Hæc historia, & à Matthæo, 14. à Marc. 6. & Luc. 9. conscripta est. Mare Galilææ, lacus is est qui in scriptura כינרית, id est, mare Cinnereth, quod dulce mare quidam interpretantur, uocatur: à Gręcis Genesar uel Genesareth dictus est. Tyberiadis mare eum Ioannes uocat, quod Tyberias urbs, ab Herode tetrarcha in honorem Tyberij Cęsaris ita uocata, huic lacui ad partem occidentalem adiacet. Caussa uero præsentis traiectionis Domini fuit, partim ut Herodem declinaret, partim ut quiesceret: nimium enim premebatur à turbis, ut Mar. memorat, quanquam nō diu illæ quietem ei permiserint. Mox enim secutæ fuerunt, idq; non tam uerbi Dei, quàm signorum caussa, ut hic Ioannes testatur.

Ducentorum denariorum panes.) Tantū pecunię uidentur habuisse. Fuit autem supputatore Budæo, quantum sunt uiginti coronati Francici. Marcus narrat eos dixisse: Euntes emamus ducentis denarijs panes. Huc dilectionis peruenerāt, ut quæcunque haberent, in usum populi parati essent exponere.

Dicit ei unus ex discipulis.) Disputatio hæc de pascendis turbis mota uidetur à Domino, tantum ut ad futurum miraculum suorum mentes excitaret.

Erat multum gramen.) More suo Euangelista tempus, locū, & circunstantias alias diligenter conscribit. Studebat em̄ ueritatē, grauiter & uerisimiliter narrare.

Discipuli apposuerunt turbis.) Sentire & tangere illos uolebat uirtutem suam Dominus, ideo in ipsorum manibus miraculum uoluit perficere.

Abijt rursus in montem solus.) Noluit enim ne suspicionem quidem admittere affectati regni.

B OBSER. Obseruandū Christū ubiq; sui similē, id est, benefactorē sese exhibere, idq; etiam indignis, uti erant hæ turbę, quæ ferè tantum carnalia ab ipso petebant. Hanc beneficentiæ propensionē & studium imitemur. Animaduertendū deinde, nihil posse etiam in deserto uastissimo deesse sequentibus Christum. Id corroboret nos, dum ueritatis hostes omnia nobis loca deserta, plenaq; periculis faciunt. Qui ex tam paucis panibus & pisciculis, tam ingentem turbam saturare potuit, ut tantum etiam supereresset, adhuc uiuit, & nobiscum est, usque ad finem seculi.

Id quod gratias sumptis panibus egit, ut semper solebat, moneat, ut & nos, quoties Dei beneficia attingimus, id quod semper fit, gratias ipsi ex animo agamus, deq; bonitate ipsius, quàm rebus alijs, in conuiurijs nostris sermones misceamus. Reliqua in Matth. require.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Atubi iam uespera esset, descenderant discipuli.) Neque his paraphrasi opus. ANNOT. Vbi iam uespera esset, id est, propior nox. Nam uespera iam fuerat, cum turbas uellet pascere. Diuisit autē à se discipulos, imò abire compulit, ut Matth. habet: id enim conducibile erat, ad dimittendas turbas.

Venerunt traiecto mari.) Ibant trans mare Capernaum, legere malim. Neq; enim adhuc eò uenerant. Marcus memorat Dominum iussisse Bethsaidam trajicere discipulos, quod ideo fecisse puto, quod fortè facilior illò esset traiectio, & nihilominus uoluisse ut Capernaū peterent, ubi erat solita Domini habitatio, uti Ioannes scribit. Ibant igitur, id est, petebant Capernaum, quanquam prius Bethsaidam, ut propiorem & commodiorem locum appulsuri.

Mare autem uento magno.) Non satis potentiā Domini ex miraculo panum discipuli agnouerant, exercendi igitur erant & hoc periculo maris.

Voluerunt ergo recipere eum.) Alij Euangelistæ memorant eum etiā ab illis fuisse receptū: id noster quidem nō negat, sed memorat simul uel illico nauim ap-

puliſſe terrę,ad quam ibant, ut alijs & hoc miraculũ adĩceret. Miraculũ ſiquidem C
fuit,quod ſuper mare ambulauerat,ſic & q̃d mare reddiderat tranquillũ,iam tertiũ
fuit,q̃d illico nauis uirtute Domini terræ appulerat, Mat. quartũ de Petro adiecit.

Vt uidit quod nauicula alia non eſſet.) Viderat turba pridie unam tantum na
uiculam adeſſe, eaq; diſcipulos traieciſſe ſine Domino. Mirabantur igitur quor
ſum abĩſſet Dominus, quem ſciebant neq; cum diſcipulis abĩſſe, neq; alia naui
dilabi potuiſſe,cum nulla pręter illam,qua auecti fuerant diſcipuli,in eo littore ad
fuiſſet. Suſpicantes igitur quod erat,nouo miraculo ad diſcipulos ſuos illum ſere
cepiſſe, cum naues à Tyberiade ad lacum illum,ubi paſti erant à Domino, ueniſ
ſent,in illis traiecerunt & ipſi Capernaũ,quæſituri Dominũ,quem & inuenerũt.

OBSER. Præter potentiã Domini,in hoc ab Euangeliſta tot miraculis prę
dicatam,ut fidere nos illi doceret,obſeruandũ eſt,nos,uti & diſcipulis uſu uenit,be
neficia Dei ſine tentationibus non ſatis erudire, Dominũq; nobis ſatis cõmenda
re. Quapropter nequaquã deſpondendus animus eſt, cum aduerſa & periculoſa
inciderint. Domini ſumus,is aduerſa in bonum noſtrum,ut noſtri amantiſſimus
immittit. Stupet alioqui ad diuina caro,neque proſperis ita,ut aduerſis excitatur.
Demum recte Dei quoque beneficia agnoſcimus, ubi tentationibus deſyderium
eorum in nobis exacuatũ eſt. Reliqua in Enarrationibus in Matthæum require.
Quæ de turbis Ioannes narrat,oſtendunt quomodo hoc miraculum innotuerit.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Cum inueniſſent eum trans mare,dixerũt ei: Rabbi.) PARAPH. Viſis tot
miraculis,cupiebant turbæ ſemper Domino adeſſe,hinc ſedulò adeò ipſum quæ
rebant & ſequebantur. Cumq; id quod res erat, putarent non ſine nouo miraculo
trans lacum ueniſſe, cupientes de hoc certiores fieri, cum eum inueniſſent in Syna
goga ſuo iam muneri Euangelizandi incumbentẽ,rogabant,quonam pacto lacũ D
traieciſſet. Verum Dominus qui ſciebat, uana illos curioſitate iſta inquirere,nihil
ad hoc reſpondit,ſed ſumpta à panibus, quibus pridie ab ipſo, inaudito miraculo
ſaturati fuerant,occaſione,ad fidem in ſe, qua in æternum bonorũ omnium ſaturi
eſſe poſſent, cępit exhortari omnes qui in Synagoga aderant,uſus ad id ſuo more
anagoge & translatione. Dicebat ergo illis, ſermonem primum dirigens ad eos,
quos pauerat quinq; panibus: Amen amen dico uobis,uos me non ideo quęritis,
quod ſigna uidiſtis, ijſq; perſuaſi, me homine maiorem creditis, à cuius uerbis &
doctrina uobis pendendũ credatis: ſed quod paſti à me eſtis,id ſpem fecit,ut & de
inceps me cibum uobis ſuppeditaturũ ſperetis,atq; ita uentris duntaxat cauſſa me
Operamini cibum. ſectamini. Hortor igitur uos,ut nõ operemini & ſatagatis pro cibo corporis,qui
perit, ſed qui manet in uitam æternam, perpetuò ſatians. Hunc dare uobis filius
hominis mauult,quàm illum corporis. Signauit em̃ Deus hunc,ex omnibus mor
talibus ſelectũ,atq; ſpiritu unxit,atq; in hoc ipſum conſtituit,ut hoc cibo homines
paſcat. Ex his, quod Dominus hortaretur cibum operari, id eſt, quærere, qui in
uitam æternam manet, facile intellexerunt iſti homines eum de cibo ſpirituali lo
qui. Eum autem cibum putabant operibus ſuis comparandum: rogabant igitur,
quidnam facerent,ut operarentur opera Dei,quæ Deo ſcilicet probarentur,& ci
bum illum emererentur. Cõmunis enim omnium ſeculorũ error eſt, ut homines
ſuis operibus ſibi parandã ſalutem putent. Reſpondit ergo illis Chriſtus: Hoc eſt
Hoc opus Dei. opus Dei,quo ſolo Deo probari,& cibum uitæ nanciſci poteritis, ut credatis in eũ
quem ille miſit,eum magiſtrum & ſaluatorẽ ueſtrum agnoſcatis, cui in omnibus
auſcultetis, ſicut Moſcheh olim populus credebat & auſcultabat, non dubitans,
Dei illum uerba & prȩcepta proponere. Illi intelligentes quod poſceret ſibi credi,
ſęq; ut magiſtrũ in omnibus audiri,& rati hoc indignũ ipſo eſſe,ut qui nondũ ea ſi
Quod ſignũ fa. gna feciſſet,ut talis meritò haberetur,dicebant ei: Quod ſignũ facis tu,quid ita prę

darum

A clarum operaris, ut uidẽtes tibi adesse Deum, omnib. uerbis tuis fidẽ habeamus? Semel pauisti nostrũ quinq; millia, è quinq; panibus & duobus piscibus. A Moscheh autem patrũ nostrorũ circiter sexies centena millia, pane de cœlo depluto, quẽ ideo scriptura, cœli & angelorũ panẽ uocat, aliti sunt totis quadraginta annis. Tale nihil adhuc tu designasti. Prestat igitur nos Moscheh, quàm tuos discipulos esse, & à uerbis illius, q; tuis pẽdere. Respõdit Iesus, & cũ solita adseueratiõe, ut in re graui, atq; probè animaduertenda: Amen amẽ, inquit, dico uobis, Moscheh nõ dedit uobis panẽ è cœlo, hoc est, spiritualẽ & uiuificũ, qui cœlestis dici iure possit, sed Pater meus is dat panẽ è cœlo uobis, & uerũ panem, uereq; cœlestẽ, quo nimirum quicunq; fuerint pasti, cœlestem & beatam uitam uiuunt in æternum. Nam panis Dei est, & dici meretur, qui descendit de cœlo, qui è diuinitate prodit, qui uerè Deus est, eoq; dat uitã mũdo, hoc est, omnibus hominibus, q̃d utiq; solius Dei est. Man certe hoc nõ potuit, sicut nec ulla alia creatura. Et quod Man panis cœlestis & angelicus dictus est, magis ex eo est, quod fuerit populo sacramentũ, & exhibitio quędã mei: meã enim uirtutẽ saluificã illo discere ac percipere debuerunt patres. At in se Man esca fuit uentris, fluxa & euanida. Hæc cum Iudæi tam magnifica de uerè cœlesti pane audissent, neq; crederent Dominũ talem posse dare, ut muliercula illa Samaritis uiuã aquã, ita isti panem hunc uere cœlestẽ, insultãdo Domino, petebant, dicentes: Domine, semper da nobis panẽ hunc, qui nos æternum alat, & uiuificet. Dominus autem qui sciebat in hac turba quoq; electos esse, qui cum fructu se audirent, tum & alijs, quo inexcusabiles redderẽtur, Euangeliũ aperte prædicandum, indignitate & nõ minus stulta q; ingrata temeritate atq; petulantia eorũ qui ipsum ridebant minime absterritus, cœpit eis aperte dicere, & quis hic panis uerè cęlestis sit, & quo pacto eius possent fieri cõpotes. Ego, inquit, sum ille panis, uitam uerã suppeditãs, & me edit, mecq; cœlesti & in æternũ uiuifico cibo alit, ita ut nunq; esuriat, qui ad me uenerit, qui mihi sese fide certa dedidit, & nunq; sitiet, nihil unq; bonorũ desyderabit, qui in me crediderit, saluatorem suum agnoscẽs. Sed & aliàs dixi uobis, uidistis me, & ut filiũ Dei: nihil eñ quod culpare possetis, imò nihil quod nõ diuinum sit, in me animaduertistis, adhuc tamen nõ creditis mihi. Huius si uultis scire causam, dicã uobis. Pater nõ dedit uos mihi, nõ destinauit in hoc, ut per me salutẽ perciperetis, hoc est, uerè cœlesti pane frueremini ad æternã uitã. Hinc nanq; est, quod mihi nõ creditis: & quanq; uisis tot inauditis miraculis, uenire tamẽ ad me, id est, seruatorẽ uestrum me agnoscere dedignamini. Etenim omne q̃d mihi dat Pater, q̃d ad hoc à se electum, spiritu suo mihi adducit, ueniet certò ad me, & ego neminẽ qui ad me uenerit, redemptorẽq; suum agnouerit, eñcio foras, meaue cura destituo. Nam in hoc è cœlo descendi, hoc est, hominẽ assumpsi, ut nõ meã hominis, quæ alia sit q; Patris, sed tãtum Patris, qui me misit, quæ & mea est, uolnntatẽ perficiã. Ea uero est, ut quicunq; filiũ uiderit, & recte cõsyderarit, atq; cognouerit, indeq; ei crediderit, æternã uitã habeat, & ego illũ mea uirtute ita seruẽ, sustentẽ & uegetẽ, cũ in hac uita, tum post hanc uitã, ut in nouissimo die illũ restituturus sim omni bono perfectũ, ac planè beatũ.

Ego sum panis.

B

ANNOT. Quæritis me, nõ q̃d uideritis signa.) Indubie in hac hominũ turba, ut semper fieri solet, fuerũt boni & mali: fuerunt quos desyderiũ Iesu, ut Prophetæ, & diuinæ uolũtatis præconis, post ipsum traheret. Fuerũt etiã qui ob signa sequebantur, ut suprà Euangelista, sectione 1. testatus est, quæ super ægrotos faciebat, magis attracti, cum portẽtorũ, quæ Dominus edebat, curiositate, tum carnis utilitate, q; studio religiõis, q̃d digne ipsũ uenerarent & colerẽt, adducti. Fuerũt denicq; quos solus uenter impellebat ad sequendũ Christũ, qui semel satiati ab eo sine cõmeatu, idem & postea fore, sperabãt. Et hi exemplũ Moscheh Domino obiecerũt qui perpetuos quadraginta annos, populũ ingentem in deserto, absq; omni eorũ labore pauerat. Horum uerisimile est plurimos in hac hominũ turba fuisse, ideo

Varij Dominum secuti sunt, & uarijs de causis.

potissimũ ad illos sermonem uertit, ácp cibo, quem ipsi quærebant, anagogen fecit ad cibum cœlestem, seipsum scilicet, fide receptum, & ut seruatorem agnitum.

Operamini cibum.) Id est, quærite, date operã, ut alio cibo pascamini. Videtur enim Euangelista uerbũ עבר, hic per ἐργάζεσθε reddidisse: id autem ferè significat operari, unde operæpreciũ aliquod & fructus proueniat. Vnde עבראדמה, colere & operari terram dicũt. Ergo quod Dominus dixit, Operamini cibũ, idem est, atcp operã uestram & laborem, culturamcp huc impendite, ut pane semper perenn nante & uiuificante potiamini & fruamini.

Quem filiũ hom.) Vt filius hominis, id est, ut homo Christus mediator noster est, 1. Timot. 1. qui omnia nobis cum meruit, tum prestat, cui pater omne iudiciũ, id est, omniũ gubernationẽ & regnũ dedit, suprà 5. Signauit eum Pater, hoc est, spũ sancto, pre omnibus participib. donauit & unxit, ut esset omniũ saluator & Dns, etiã angelorũ. Hic est qui solus Patrẽ nouit, & nosse donat, missso Paracleto, docto re omnis ueri, in corda suorũ. Hæc omnia & Pater facit, diuinæ enim hæc uirtutis sunt. Quia aũt Patri uisum est per filiũ hæc perficere, per quem omnia quocp cõdidit, & filiũ quidẽ hominẽ factũ, per quẽ instaurare uult omnia, Ephe. 1. recte dixit hic, quem cibũ dabit uobis filius hois. Reliqua suprà, primo, tertio, & quinto cap.

Vt operemur opera Dei.) Sic solet caro semper quærere, quo seipsam saluet, id est, sibi ipsi Deus sit. Nec de solida, totacp iustitia inquirit, huius enim plus habet inscriptũ animo cp unquã præstare opere libeat. Id quærit, ut certis aliquibus, ijscp nõ uerè bonis operib. à Deo paciscat, id est, uitã hic longeuã et prosperã uiuat pro sua libidine, nõ Dei uolũtate, impunecp possit uerè bona opera negligere. Ex hac aũt interrogatione luce clarius est Iudeos istos intellexisse, hic Dnm per panẽ, hoc est cibũ, quẽ Hebræi omnẽ panis nomine uocãt, intellexisse id, quo apud Deũ liceat consequi uitã æternã. Nam cũ ista putarent esse opera Dei, quæ scilicet Deus D probat & diuina sunt, id est, uerè bona opera, rogabant quænã ista opera Dei essent, quid faciendũ sibi esset, ut uerè opera Dei facerent, & ita cibũ illũ perciperent nõ pereuntẽ. Proinde cum Dns se, suãcp carnẽ & sanguinẽ edendũ & bibendũ postea dixit, nõ dubitarũt hi Iudæi eum hoc dicere, se esse eum, qui nobis uitã æternã largiri, & in nobis uiuere uelit. Hoc igitur cum scirent solius opus Dei esse, ipsum aũt agnoscerent tantũ ut filiũ Ioseph, carnẽ & sanguinẽ, hominẽ solũ, offensi adeò fuerunt eius isto sermone, quẽ & discipuli eius quidã ut durũ auersabant, ut Dnm ideo desererent.

Quid fides, & cur opus Dei.

Hoc est opus Dei.) Mimesis est: quia em illi de operib. rogarunt, & nulla opera possint id præstare qd quærebant, cibũ æternæ uitæ, imitatus eos Dns est, opus uocauit fidem, quæ est certa de bonitate DEI persuasio, cõfidenscp salutis ab ipso expectatio, quam efficit in animis electorũ afflatus spiritus sancti, qui paulò infra tractus Patris uocat, item doctrina Dei, alibi illuminatio. Istam ergo animi persuasionẽ & expectationẽ, hunc sensum & fiduciã bonitatis diuinæ, opus Dei uocat, id est, diuinũ, uerè sanctũ, quodcp Deo probat, quo demũ salui, & filij Dei sumus. Hanc etiã fidem hinc recte opus Dei uocauit, qd sit fons oim bonorũ operũ, id est, uitæ probatæ Deo, cõplectaturcp in se, quicqd omnino Deo in nobis probari, nobiscp saluti esse queat. Hac em noua mente Dei, filij Dei uerè sumus, ut cognoscentes Deũ, ita & amantes, atcp in omnibus ad eius uoluntatem propẽdentes. Hac etiã Christũ ut cibũ æternæ uitæ uerè edimus, eocp alimur.

Quod igit tu signũ facis?) Satis apparet hos nõ fuisse ex illis, qui paulò ante uiso miraculo panũ, dixerant: Hic est uerè propheta ille, qui uenturus est in mundũ, uolebantcp hinc eum regem constituere. Nam prophetã illũ Messiã, sciebant pro missum populo, ut rex eius esset. Necp intellígebant enim in spũ eum regnaturũ.

Vt uideamus & credamus tibi.) Intellexerũt credere pro eo qd est sese penitus dedere, & ab eo pendere cui credis. Sic et Moscheh populus crediderat. Hinc ergo manifestũ est, hos nequaq fuisse illos, qui Dominũ uoluerant regem constituere.

Patres

A Patres noſtri.) Hinc apparet quid iſti quęſierint, utiq; ocioſe cũ Dño tragari, & ab ipſo ſine labore paſci, uti populus olim in deſerto XL. annis alitus fuit per Man. Quemad. ſcriptũ.) Pſal. ſcilicet 78. Dicit uero illic Man, panis cœlorũ & nubiũ. Alij legũt, angelorũ, quia de cœlo, id eſt, nubib. opera angelorũ depluebat. At cũ Apoſtolus ſcribat iſtos eundẽ cibũ ſpiritualẽ manducaſſe, D. Aug. ex eo infert, Man & panẽ Dñi paria fuiſſe ſacramẽta. Nam ſic ſcribit in illud Ioan. 6. Hic eſt panis qui de cœlo deſcẽdit. Hũc panẽ ſignificauit manna, hũc panẽ ſignificauit altare dei. Sacramẽta illa fuerũt, in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re quæ ſignificant paria ſunt. Apoſtolũ audi: Nolo em̃ uos, inquit, ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes mare tranſierũt, & omnes per Moſen baptiſati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandẽ eſcam ſpiritualẽ manducauerũt. Spiritalẽ utiq; eãdẽ, nã corporalẽ alterã: quia illi mãna, nos aliud, ſpiritalẽ uero quã nos: ſed patres noſtri, nõ patres illorũ, quib. nos ſimiles ſumus, nõ quib. illi ſimiles fuerũt.

Non Moſes.) Id eſt, Man q̃d dedit, non fuit uerè cœleſ[illegible], id eſt, diuinus panis, ad ęternã uitã ex ſeipſo ſatians. Nam ut ſacramentũ fuit, qui eo rite utebant̃, in eo, eundẽ quẽ nos cibũ uerè, etſi non tam clare & efficaciter, perceperũt. Cęterũ cœlũ nũc pro nubib. & ſuperioríb. orbib. accipit̃, nũc aũt pro ſecreto diuinitatis, ut ſuprà 3. Sect. 2. Nemo aſcẽdit in cœlũ. Inde panẽ è cœlo uerũ, id eſt, uerè cœleſtẽ ſeipſum dixit. E cœlo eſt, quia deus eſt: panis eſt, quia ſolus ſuo ſpiritu, ſuiq; & Patris cognitione, ſatiat ad uitã, id eſt, ęternũ dat uiuere & beate. Et dat uitã mundo.)

Mundus.

Id eſt, omnibus electis, ubicunq; gentiũ agant. Solet enim mundus ſępe accipi pro promiſcua hominũ uniuerſitate: aliquãdo aũt tantũ pro ijs, qui nondũ renati ſunt & facti cœleſtes: ſic eſt illud, Mundus me odit. Itẽ: Non rogo pro mundo. Se cus eſt q̃d ſuprà dixit: Sic dilexit deus mundũ, ut filiũ ſuũ dederit &c. Qui uenit

Venire ad Ieſum

B ad me.) Hac locutione & ſuprà 5. pro eo uſus eſt, q̃d eſt, qui me ut ſeruatorẽ recipit, & ſe mihi cõſecrat totũ. Cui hoc facere fuerit datũ, is non eſuriet, id eſt, nihil bonorũ deſyderabit. Idem iam dicit per aliã allegoriã: Qui credit in me nõ ſitiet. Credere ſiquidẽ in Chriſtũ, eſt ad eũ uenire, & eũ ſaluatorẽ agnoſcere. Non ſitire uero, eſt nihil deſyderare boni, ſed per oẽia beatũ eſſe: q̃ in ijs, qui ſe Chriſto dediderũt, fide hic incipit, perficitur aũt ubi corpuſculũ hoc in die nouiſſimo reſtitutũ uirtute Chriſti, imaginẽ ipſius, qui cœleſtis Adam eſt, geſtabit. Sed dixi uobis.) Nota uit id, q̃d ad eos paulò ante dixerat: Quæritis me nõ quia uidiſtis ſigna. Ex ſignis ſiquidẽ uiderãt quis eſſet, ſcilicet uerè filius Dei, adhuc tamẽ non credebãt ei, quia à Patre ei nõ donati. Omne q̃d.) Nota q̃d uerũ dixerit Paul. Quos prędeſtinauit, eos & uocauit, & quos uocauit, hos & iuſtificauit, quos uero iuſtificauit, hos & glorificauit, Rom. 8. Cęterũ cũ unus ſit ſeruator Chriſtus, ipſi dari oportet, qui cunq; ordinati in uitã ſunt. Venientẽ ad me.) Id eſt, nõ abñcio, nõ negligo mihi credentẽ. Igit̃ æternũ ſalui ſunt, quib. ſemel datũ eſt ad Chriſtũ uenire. Vbi em̃ Pater eiuſmodi filio donat ſaluandos, & filius uoluntatẽ patris perficit, nec; aliter poteſt, & nemo denic; de manu filij quenquã rapit, ut infrà 10. ipſe teſtat̃, neceſſe eſt ut ęternũ apud ipſum maneãt, & ſaluent̃, quicunq; ſemel ad ipſum uenerint.

Vt nõ faciã.) Iterũ imitatio eſt, re em̃ ipſa nõ habet filius ſuã uoluntatẽ, quę nõ ſit eadẽ Patris. Vnum ſunt, & idẽ uolũt Pater & filius. Sed reſuſcitẽ.) Quia in nouiſſimo demũ die & fine ſeculi, noſtri conſummatio expectat̃, recte de ultima reſuſcitatione hoc dictũ Dñi intelligit̃. Sic em̃ habet in ſe reſponſionẽ, ad eiuſmodi cogitationẽ: Promittis ò Ieſu uitã æternã in te credentib. illi aũt nihilominus moriunt̃. Nam licet morianꝰ corpore, uel potius dormiãt, etiã ipſi credẽtes, quia tamẽ ſignati ſunt ſpiritu ſancto in diẽ redẽptionis, & nouiſſimę reſuſcitationis, ſpe ſalui ſunt & ſaturi, cõtenti qualicũq; guſtu uitę cœleſtis, qui ſimul eis interim cõtingit, donec corpore & animo plenè innouati, plenè itẽ regnũ Dei in hæreditatẽ percipiant. Vt omnis.) ὁ θεωρῶν habetur, q̃d non ſimpliciter uidere, ſed cõſyderare

Qui uidet filiũ.

potius ſignificat, unde pro planè cognoſcere, accipit. Qui enim planè cognoſcit filiũ, nõ poteſt nõ in eum credere. Agnoſcit enim unicũ eſſe ſeruatorẽ Deum, uitã, & omnia. Impij uident eum & cognoſcunt, ſed nõ peruident, & nõ planè cognoſcunt, ideo inexcuſabiles reddunt, ſed nõ poſſunt Dño uel credere, uel eũ amare.

Quomodo credentes in Chriſtum uitam æternam habeãt, ſuprà quędam dixi.

OBSER. In eo, ꝙd iterũ fruſtranea interrogantib. Dominus nihil reſpondit, ſed ad ſalubria ſubduxit, diſcamus & nos omnia poſthabere, quo proxime Chriſtum docere poſſimus. Quod uero tam uarijs, ac etiã indignis hominibus, Chriſtus adeò ſancte & clare de ſe annunciauit, moneat ne ita, ut Catabaptiſtæ, promiſcuum populũ docere, quæ Dei ſunt, auerſemur. Reliqua cõmendãt nobis iterũ Chriſti incõparabilem dignitatẽ, fidei pręſtantiã, & electionis Dei immutabilem uirtutẽ. Nemo ſiquidẽ Chriſto unquã credet, nõ electus, nõ à Patre filio donatus. Sic nemo quoq; illi donatus, nõ ueniet ad eũ, cumq; uenerit, nunq; poterit ab ipſo auelli. Fortior nanq; is eſt, qui in filijs Dei agit, quàm qui in mundo. Non glorificant niſi iuſtificati, nõ iuſtificant niſi uocati, nõ uocantur niſi prędeſtinati. Hi autẽ cum à Deo, qui mutari nequit, prędeſtinati ad uitam ſint, & eam æternã, impiũ eſt cogitare uitã horũ, quã ſemel fide perceperunt, nõ eſſe æternã, & eos perire poſſe, cõtra decretũ Dei. Hęc cũ nullis perſuaderi poſſint niſi electis, id eſt, ſpiritu Dei donatis, ac ita ex Deo renatis: his autẽ tam abſit ut ignauiã prædicata pariãt, ut nihil æque illos ad amorẽ Dei, atq; inde ad omne opus bonum queat excitare: ſatis conſtat illos neſcire quid dicant, qui negãt iſta palàm prædicanda. Vtiq; quo maiorẽ quiſq; Dei erga ſe amorẽ agnoſcit, eò ardentius illũ redamabit. Reprobi ſi iſtis offendant mirũ nõ eſt, illi nulla re nõ offendunt. Sacra ſanctis & electis ſcripta ſunt, ijs debẽt lucide & clare impertiri, quicqd inde ueneni more araneorũ reprobi hauriant.

Nihil utilius quàm prædicare credentib. impoſſibile eſſe ut unquam excidant.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Murmurabãt.) ꝓ AR. Signũ petierãt Iudæi à Dño, quib. probaret ſibi credendũ, quẽadmodũ & Moſcheh multis adeò ſignis & portentis à Deo miſſum ſe, cui populus credere deberet, probaſſet. Dominus autẽ non ſolũ nullũ eis nouũ ſignum dedit, pręter ea quę uiderant, abũde enim illa ſatis erant, ſed pręterea ſe Moſcheh infinito pręſtantiorẽ affirmauit, et Deũ eſſe pronũciauit, quia iterũ atq; iterũ de ſe prędicauit, ꝙd in ſe credentib. uitã det ęternã, ſeruet à morte, atq; in die nouiſſimo reſtituat in uitã beatã, per omnia cõſummatos: hoc eſt, ſit panis, qui è cœlo deſcendit. Hęc cũ in Dño noſtro illi minime agnoſcerẽt, cõſyderãtes ſcilicet carnis ineo humilitatẽ, murmur inter illos ortũ fuit, alijs, electis ſcilicet, hæc cum fide ſuſcipientibus, eumq; à calũnijs malorũ defendentib. alijs uero, reprobis nimirũ, cum ipſius, tum parentũ eius, quos putabãt, obſcuritatẽ atq; uilitatẽ obiectantib. Hi ergo dicebãt: Quid iſte audet ſe dicere panẽ qui è cœlo deſcẽderit, qui è diuinitate nobis prodeat, ad uitã ęternã ſibi addictos ſatiaturus? Quaſi uero ignoremus qui ſit, nempe Ieſus ille faber, Ioſeph fabri & Marię filius. Iſte igit perſuadebit ſe prodiſſe è cœlo, quẽ dedit nobis abiectũ oppidulũ Nazareth? Reſpondit Ieſus & dixit: Ne murmuretis de me inter uos, ob id ꝙd dixi è cœlo me deſcendiſſe. Vos quibus datum eſt huic meo uero teſtimonio fidem habere, in eo perſiſtite: ꝙd alij illud impugnant, inde eſt, quod natura ſua perditi ſunt. Vos ergo quibus abſurdum uidetur quod prædico me panem eſſe qui è cœlis uenio, ſinite interim me abſurda locutũ eſſe, ſcio enim uobis ueritatem hanc perſuaderi non poſſe. Nemo enim poteſt uenire ad me, meq; ſaluatorem ſuum recipere, niſi quem attraxerit Pater, ſuo illi ſpiritu indicans, qui ſim, & quid dem meis, quos in die nouiſſima Patri ſiſtam peromnia innouatos & iuſtos. Etenim in Prophetis legimus: Erunt omnes diſcipuli Dei, Deus omnes docebit. Proinde qui à Patre audiuerit, & ita audiuerit ut perdiſcat, is uenit ad me, quia ita à Patre attrahitur, ut nõ uenire nequeat. Qui enim nõ ad me adcurreret etiam, certò doctus æternã ſe apud me uitam inuenturũ? Porrò quod

Vnde murmur.

A quod aio, docendos à Patre quicũq; mihi credituri sunt, nõ sic accipiendũ est, quasi Patrẽ quisquam uiderit, aut uidere possit, hoc est, planè cognoscere. Nemo enim unquã illũ uidit, nisi qui est à Patre consors diuinitatis, ego ipse qui à Patre ueni in hunc mundũ, id est, Deus cum sim æternus, etiã homo factus sum. Spiritu Dei hęc doctrina Patris, & attractio perficit, quo dum uos reprobi uacui estis, nihil mirũ, quod uos offendunt, quę de me uera prędico. Vera sunt & certa, utcunq; uobis uideantur insana. Iterũ ergo ea uobis cum asseueratione affirmo, & amen atq; amen dico: Qui credit in me, iam habet uitam æternã. Ego sum enim panis uitæ, ueram edentibus me, id est, mihi credentibus, uitã adferens & seruans. Patres uestri in dę serto comederunt Manna, fateor, sed mortui sunt: non igitur erat ille uerus è cœlo panis & uiuificans, quod quidẽ in eo externũ sumebat. Iste aũt de quo ego loquor panis, qui ipse sum, uerè è cœlo descendit, ut homines ex eo edant, hoc est, eo in se uiuente secq; uiuificante perfruant ut mori nunq; possint. Iure igitur optimo dixi, ꝙd panis sim ille uiuens et uiuificans, qui è cœlo descẽdit. Si quis edat ex hoc pane, uiuet in æternũ. His adeò nõ obstat, ꝙd homo sum, caro & sanguis, ut uobis uideor filius Ioseph, ut me pane uiuifico nõ aliter frui quisquã poterit q̃ per me hominem, per me carnẽ & sanguinẽ, uerũq; hominis filiũ. Vt homo nanq;, Deũ inter & homines unicus mediator sum. Quare ut hominẽ etiam amplecti me oportet eos qui uolent cũ Deo in gratiã redire, ab eoq; uitã pcipere. Hinc affirmo uobis: Panẽ quẽ ego dabo, quo ego reficiã eos, quos mihi Pater dederit, attraxerit & docuerit, carò mea est, hoc meũ corpus, ꝙd impendã pro uita mundi immolandũ. Satisfieri eñ diuinę iustitiæ oportet, idq; morte mea. Hoc ergo qui crediderit, & per me crucifixum, salutem sperauerit, is uerè demum assumit me in se, & me uno & uiuifico pane pascitur, uiuetq; in æternũ. Proinde & in me homine, in me carne & sangui-
B ñe, in me cõtempto adeò ac humili Ioseph filio, scitote salutẽ & æternã uobis uitã esse repositã, quã à nemine alio, nec alia ratione percipietis, quàm si fide me seruatorem uestrũ agnoueritis & assumpseritis, quãlibet homo sum, caro & sanguis.

ANNOT. Murmurabant ergo Iudæi de illo.) Id est, Domino, eò quod dixisset: Ego sum panis qui de cœlo descendi. Hinc quod Euangelista de Domino, non contra Dominũ murmuratos scribit, mihi fit uerisimile fuisse inter illos, qui à partibus Domini steterint, ij præsertim qui eum ex signo panũ Messiã agnouerant, Regemq; uoluerant cõstituere. Sic sanè & infrà scribit, ꝙd pugnauerint inter se: alijs ergo alios aduersarios fuisse oportet: hoc qua alia ratione esset factũ, q̃ alijs pro Domino, alijs contra eum loquentibus? Hoc primum fiebat submissius, inde murmur illud Euangelista uocat. Postea incaluit cõtentio, eã uocauit certamen. *Quæ causa murmuris.*

Nisi Pater qui misit me traxerit eum.) Quid trahere sit, Dominus ipse mox exponit, cum ait: Omnis ergo qui audiuit à Patre, & didicit, uenit ad me. Audire eñ à Patre, & ita audire, ut perdiscat, est trahi à Patre. Eiusmodi enim uerè agnoscunt quid Christus sit, nempe, uita, salus, & omne bonũ, igitur nõ possunt nõ uenire ad eũ. Vnde haud inepta similitudine Aug. usus est, dũ ait: Ostendis oui uiridẽ ramũ, & trahis eam. Necq; non quadrat illud Poetæ quod adducit: Trahit sua quenq; uoluptas. Haud eñ potest animus non persequi, quod sibi salutare fore certò iudicauit. Quî ergo posset contari ad Christũ uenire, eiq; se totum tradere, qui doctus à Patre certò didicit illũ panẽ esse uitæ, & suis donare uitam æternã? Vnde quicũq; ad ipsum nõ ueniunt, ideo non ueniunt, quod uel à Patre nihil de eo audierunt, id est, spiritu Dei nihil de eo docti sunt, aut nõ sunt docti ita ut perdidicerint. Discũt eñ aliquantulum diuina & impij, sed non perdiscunt, non planè illa agnoscunt. De quo iam paulò supra quædam dixi, fusius uero in obseruatione prima sect. 2. *Qualis patris tractus.*

Erit scriptũ in Prophetis.) E Iesa. 54. adductũ hoc quidã putant, ubi Ierusalem, id est, Ecclesię sanctorũ promissum legimus, fore ut omnes filij eius sint docti Domini, id

ni,id est,discipuli Domini,quos ipse suo spiritu erudiat. Et si uerba perpendamus, C
nõ facile inuenias locũ,unde rectius dicas hanc sententiã mutuatã: at si sensum so-
lum consyderes, uix aliquis prophetarũ est, qui non multis hanc Patris doctrinã,
Christi tempore potissimũ sese exerturã prędixerit. Nam licet hac & ueteres docti
sint,multo tamẽ cũulatior & plenior impertiri cœpit electis à glorificato Christo.
Certe Iirmeiah cum prædixit fore, ut scriberet Deus legẽ suam in cordibus suorũ,
31. idẽ testatus est. Sic Iechezkel ac alij, quoties de amplissimo dono spiritus uatici-
nati sunt. Inde uidẽ hoc dictũ non uni prophetarũ, sed omnibus attribuendũ esse.

Quatenus homini liberũ arbitriũ

Hic locus, Nemo potest uenire ad me, nisi Pater traxerit eũ, pręcipuus inter eos
est, quibus pugnaẽ contra uires humanas: sed idem probè expensus, omnẽ litem,
apud ueri studiosos duntaxat, nõ cõtentiosos, dirimere potuerat. Etenim quid per
Trahere, Dominus intellexerit, ipse satis explicauit, cũ subiecit: Omnis igitur qui
audierit à Patre, & didicerit, uenit ad me. Etenim si uenit homo ad Christũ, & tum
uenit, quando à Patre audierit & didicerit ueniendũ esse, certe suo libero arbitrio,
suaq; sponte uenit, non minus, atq; aliud quippiã amplectiẽ, de quo audiuit & di-
dicit, id est, certò cognouit, id è re sua esse. Non trahit igitur Pater ad filiũ homines,
uelut homo saxũ aut lignũ post se trahit, sed ita, ut de Hercule Gallico fabulæ me-
morant, eum homines attraxisse catenis ab ore eius pendentibus, & auriculis ho-
minum infixis, sed ijs laxis: quo significabatur illos attrahi solitos fuisse oratione
Herculis persuasos, ac ita persuasos, ut iam ultro adcurrerẽt. Vt igitur Deo nemo
persuadet certius, omnemq; de eo quod commendat, dubitationẽ plenius submo
uet, nemo uerius item dici debet homines attrahere, & attrahere simul tum libe-
riores ac lubentiores. Quo enim certius, pleniusq; hominibus utilitas ingens in re
aliqua ostenditur, eò redduntur item animo in eam rem proniores & cupidiores. D
Quare cum Christo Pater æternã uitam & felicitatẽ, spiritu suo sic hominũ ani-
mis mõstrat, ut non possint non cupidissime illi sese dedere, trahit quidẽ eos, & po
tenter adeò, ut non sequi nequeant, at iuxtà tam libere tamẽ, ut in nullã rem suo ar
bitratu ferantẽ ardentius. Hactenus igitur est hominib. arbitrij libertas, quod diui
na non amplectuntẽ, nisi antè didicerint, cognouerintq; amplectenda, tamq; ultro
in ea totis animis ruerint, ut iam nihil aliud omnino libeat. Sic nec peccant nisi uo
lentes, suoq; libero arbitratu Dei iussa negligẽtes. Rursus cum Christum, & uera
in hoc bona nemo potest cognoscere, nisi Patre docente, hominibus certe deest, ad
bonũ quidẽ uolũtatis libertas, cẽ diu hac Patris doctrina, hoc est, spiritu mõstrante
quæ in Christo sunt, destituunt. Neq; enim quisq; suo arbitrio amplecti potest, de
quo nihil nouit, quare philosophi, uoluntatẽ cęcam dixerũt. Hinc aperte affirmat
Christus, nisi renatũ, neminẽ posse uidere regnũ Dei. Et Paul. negat animalẽ ho
minem posse percipere quæ Dei sunt, esseq; hęc illi stultitiã. Quod ergo nõ potest
iudicare quale sit, neq; poterit arbitrari amplectendũ, arbitratũq; lubẽs amplecti.

Hinc dixerũt quidã: Homini esse uoluntatis libertatẽ ad mala, non aũt ad bona.
Id hactenus uerũ est, quod adnatus ille nobis error est, quo bona ducimus, ad quæ
fertur corruptus animus. Vt enim deest cognitio uerorũ bonorũ, falsa probari no
strę rationi oportet, indeq; in mala tantũ uoluntatẽ nostrã, iuxta cæcũ mentis ob-
scuratæ arbitriũ, propendere. Et id est q̃d scriptura dicit: Cogitatio cordis huma
ni à puero mala est. Item quod Paulus: Scio quod non habitat in me, hoc est, car-
ne mea, bonũ. Et cætera multa, quę de eo scribit, quod homo mala quæ detestet, fa-
ciat, bona uero quæ uelit, non faciat, Rom. 7. Cęterum si mali huius radicẽ inquiri
mus, nec est plena etiam ad malũ libertas. Nam qui Christi spiritu, ueræ libertatis
authore donati nõ sunt, eos captiuos teneri à Satana ad suã uoluntatẽ alibi Paul.
scribit. Hic sanè oculos ijs, quos Christus eius tyrannide nondũ uindicauit, sic prę-
stringit, ut licet nonnihil lucis habeãt ex scripta in cordibus ipsorũ lege Dei, illa ta-
men po

A men potiora iudicent, quę ingenitis morbis, prauis illis cupiditatibus, quarum ille uetus serpens inuentor est, accõmoda sunt. Hinc recte uidetur dici, uolentes quidem hos, & nequaquã coactos mala admittere, at non arbitrio per omnia libero. Quî enim arbitrium istuc dicetur planè liberum, quod tantopere obnoxium est impostur ę, uicę Satanæ, ut uiolentissimas naturæ cupiditates sileam? Profectò, si quis stulto & imprudenti homini persuadeat frigida lauare, dum is ex febre æstuans id uehementissime cupit, & si hic non nisi uolens lauabit, at nemo dicet tamẽ eum, rei huius iudiciũ habuisse prorsus liberum. Tantum tamen malis omnibus iudicij adest libertas, ut nullam suæ culpæ partem Deo, cum eos conscientia inceperit reos peragere, tribuere possint, sicę impietatis cuius se sua sponte, scientes & prudentes obligauerint, suis ipsorum tandem cogitationibus conuincunt, ut ipsi contra seipsos pronunciare compellantur.

De eorum opinione qui liberũ arb. homini in rebus suis tribuũt, negant in diuinis

Sunt alij qui scribunt, ad solidam iustitiam, quę opus sit spiritus sancti, homini deesse libertatem: adesse autem ad iustitiã, quam uocant ciuilem, cui tribuunt, continere manum à cæde, à furto, abstinere ab uxore aliena, & hoc genus alia: tum & in deligendis his quę ψυχικὰ sunt, ut, hoc aut illud cibi genus eligere, hoc aut illo genere uestitus uti, huc & illuc ire. Hi uero non tam de libertate arbitrij, quàm de facultate libera loquuntur agendi. Dominus enim passim hominibus tantum lucis largitur, ut uidere quæ præstant in iustitia ciuili & uita corporis, possint. Quæ autem sunt ueræ iustitiæ, nullis dat peruidere, quàm selectis ad uitam æternam. Vulgò igitur homines in his nihil eligere recte possunt, quia nihil recte uident. Cæterum tamen non minus in his libera electione, & ultronea uoluntate amplectitur homo quę cognouit Deo grata, quàm ullum genus cibi, uestitus, aut

B actionis, cum dei ea cognouit, imò cum in hęc sępe naturę impetu, sine multa deliberatione feramur, ijs autem quę tanquã iussa Dei proponunt, non assentiamur, nisi probè excussis & exploratis, præsertim cum propter repugnantẽ his in membris nostris legem, nihil tale amplecti possimus, nisi id multa expensione ut diuinum & salutare agnouerimus, multo plus & arbitrij, & liberæ uoluntatis in rebus solidę pietatis, quàm uitę carnalis adesse nobis experimur. Thessalonicenses illi, qui iudicaturi de annunciato ipsis Euangelio, scripturas excutiebant, nunquid maxima & iudicij & animi libertate, illud receperunt?

Id sane in nobis experimur, nos nihil prorsus, siue internum, siue externũ, siue iustitiæ sit fidei, siue ciuilis, dum ut homines agimus, sine rationis arbitrio, & ultronea uoluntate, uel amplecti uel respuere. Et rursus confitendum est, agere Deum omnia in omnibus, noscę in ipso Deo moueri, uiuere & esse, denique sine peculiari eius afflatu, nihil nobis ueræ iustitię uenire unquã in mentem. Videtur ergo res sic habere, ratione prędditos nos Deus condidit, electionecę agere dedit. Tales itaq; seruat & agit nos, non ut inanimata & rationis expertia, quod & paulò ante dixi. Siue igitur nos prauis nostris cupiditatib. Satanæcę suggestionibus permittat rapiendos ad mala, siue monstrato seipso, suacę optima in nos uoluntate, trahat per spiritum suum ad Christum seruatorem, hoc est omnimodã iustitiam & salutem, agere nos sinit ex nostra sententia, nostrocę iudicio, ut si susceptã actionẽ cõsydere mus, haud unquã inficiari possimus, liberũ nobis arbitrium deesse, etsi ut recte illo utamur, quæcę uera bona sunt amplectenda nobis censeamus, opus sit horũ certo monstratore spiritu dei. Nam ut dixi, sine hoc spũ, quæ dei, ac ideo uera bona sunt, cognoscere prorsus nequimus, tam abest, ut statuere quicquã de eis possimus. Sic & ad malum libertati hoc deesse sentimus, quod ad illa innatæ cupiditates, suggestioęcę Satanę sic impellit, ut non sit arbitriũ nostrum planè liberum. Liberum tantum hactenus est, ut iuste, tanquam qui scientes & uolentes Deum cõtempsimus, diuinę ultioni nos obnoxios esse, ipsis fatendum sit. Media licet illa sint in se naturalis

ralis hominis opera,ut sunt, ire,stare,hoc uel illo ciborum aut uestium genere uti, C nihil tamen in his tam minutũ est,quod in gloriam Dei ordinari, eóq; certa deligi ratione debeat. In gloriã siquidem Dei omnia nostra,siue edamus,siue bibamus, siue quid aliud faciamus,instituenda sunt,in & nomẽ Christi suscipienda,ut Paul. docuit 1.Corinth.10.& Colosſ.3.Et in his ergo agunt spiritu DEI, filij Dei,hoc est, ipso freti,uident,iudicãt,deligunt,agunt quod ipsis dignũ,hoc est,quod momentũ aliquod habeat,ut ad utilitates proximorũ,ita ad sanctificandũ nomen Dei.Omnia & liberius & lubentius, quàm quicquam agit homo carnalis, utcunque nihil huius possit uel cogitare quisquam, necesseq; sit omnia,quæcunque etiam in hisce rebus tentauerit,peccata esse,si hic Domini spiritus actus defuerit.

Ad quid præceptа homini data.

Et hinc,quod Deus hominem statuit, non nisi suoipsius arbitrio & uoluntate ad se attrahere,& ad quęuis bona impellere,tantũ nobis adhiberi uoluit doctrinę, hortamentorum, ac etiam minarum, quæ omnia tamen inutilis sunt plantatio & rigatio, ipso non administrãte incrementũ,hoc est, non suo spiritu plenè de iussis, promissisq; suis persuadente. Nec sequitur ex eo, quod scriptura homini uoluntatem tribuit,totque pręcepta tradit,eum ex se ullum habere conatum ad bonum, quo mereri quicquam à Deo, uel qualicunque ratione possit. Donat quidem ille omnibus lucis aliquid,quo quę recta sunt,utcunq; uideant,et cum ea neglexerint, seipsos damnent; sed est istuc inefficax adeò in omnibus quibus spiritus filiorum Dei non adspirarit, ut eos uis cupiditatum, Satanæq; impulsio à recto nihilominus semper detorqueat, ac sic detineat, ut nunquam sese penitus Deo committere,& proximos amore digno prosequi ualeant. De quo iam suprà,& in capite primo in illud: Et lux in tenebris lucet.

E nihilo Deus hominem condidit,ideo homo cum omnia,tum optima maxime ex Deo, non ex sese habet. Quid iam præstabilius, quàm ratum de rebus iudicium,quàm conatus innocenter,probeq; uiuendi? Hinc D.Paulus,planè agi sanD ctos Christi spiritu affirmat; etsi non diffiteatur, sic illos agi, ut liberrime tamen omnia, ipsi quoq; & censeant & uelint. Mihi non dissimile esse uidetur, homini sic diuinitus acto, id quod in machinulis illis, quibus horæ indicantur, uidere est. Mouentur horum rotæ pondere appenso, agitq; alia aliam, ut suo tempore, absente moderatoris manu,horam indice & pulsato tintinnabulo notent. Vt enim hæ machinulæ huiusmodi in se motum nunquam haberent, utcunq; in hoc fabrefactæ,suisq; rotulis & uentilabro instructæ sunt, nisi moderator homo, certa ratione pondus illis appenderet: ita homo quamlibet ratione, quæ indicatura boni uoluntatẽ mouet,ipsa mota à sensiliũ speciebus,præditus sit, eoq; seipsum ad agendum impellat,nisi tamen simul deus perpetuo suo adflatu adsit,omni prosus actione destituitur,nõ aliter atq; cursus sistitur horologij,si deponas trahens illud pondus. Id cum se ad hũc modum in quibuslibet actionibus habeat (mouemur enim, uiuimus,imò sumus in Deo,etsi nostrum tamen sit,non Dei, quicquid peccamus, eo quod certum bonumq; in finem ille cuncta quę per nos etiam peccantes efficit, deducat) maxime tamen ita usu uenit in actionibus uitæ nouæ ac cœlestis,propterea quod ijsD eum iam,non hominem uiuere incipiamus.

Hinc uel aliqua ratione puto perspicuum fieri, ut Deus operetur omnia in omnibus, & ipsi tamen simul agamus libero iudicio & spiritus uoluntate prædíti. Penitus res hæc tam non potest in hac uita cognosci, q̃ nequit planè cognosci Deus. Dicemus ergo homini arbitrij libertatẽ,ut in rebus alijs,ita pręcipue in rebus pietatis adesse: etenim in his ut plenius docet & agitur à spiritu Dei, ita & iudicat omnia certius, & amplectitur ardentius, iuxtà tamen ut reliqua, ita & hæc ut iudicet & uelit, maxime autẽ, ut iudicet uelitq; recta, dono illi contingere Dei fatebimur, non illo semel collato, & homine postea sibi permisso, sed afflante iugiter impulsuq;

A ſuq; perpetuo, ſpiritus illius peculiaris noſtri doctoris & monitoris, cuius apud nos ſemper habitantis ſumus domicilium & ſacrum templum. Eſt nanq; Deus, uis æterna, intima, præſens, diffuſa in omnibus, cunctaq; permeans, ſeruans, agens, & perficiens. Et id eſt, quod epiſtola ad Eb. teſtatur, cum dicit dominum, uerbo, hoc eſt, nutu mine ſuo portare omnia. Hic operatur in nobis & uelle & operari, uelle ergo habemus, idq; cum non poſſit nõ liberum eſſe, libero agimus arbitrio omnia. Hinc ergo ſciat pius lector, dum liberum arbitrium in hiſce enarrationibus conuello, eius uel aſſertores noto, me earum duntaxat ſententiam uelle oppugnare, qui eam facultatem homini tribuunt, qua homo nondum adflatus ſpiritu filiorũ Dei, poſſit diuina & cognoſcere, & amare. Ingens etenim eſt electorum, & reproborũ diſcrimen, ſicq; docet ducitq; Deus electos, ut pro quibus ipſi moriuntur, omnem ſuam in eis fœlicitatem ponentes reprobi rideant tatq; deteſtentur, quamlibet & ipſi ſuum liberum arbitrium habeant, uerum, ſicut dixi, obnoxium & ſatanæ & ſuis ipſorum cupiditatibus, ut nihil omnino recte iudicare queant, finem enim bonorum ignorant.

Diuus Auguſtinus, & alij ſancti patres aſſerunt liberum adfuiſſe homini arbitrium ad bonum, antequam lapſus eſſet peccato, quod poſtea ſauciatum ſit, & infirmatum, ut iam non queat homo, id quod potuiſſet ſi peccato non ceſſiſſet. His puto uoluiſſe dicere illos, ampliori adflatu Dei initio hominem fuiſſe donatum, qui poſtea etiam in electis ſit tenuior factus, inuecta illi aduerſatrice ſpiritui lege peccati in membris noſtris. Reprobi tamen ut non in Adam, ſed in diabolo perierunt, diaboli enim filios Chriſtus pronuntiat, ita omni illo ſpiritu, pleno Diuinorũ Doctore, & inſtauratore carent, uaſa enim iræ ſunt, etſi ſua tamen ſponte pereant, ut ſuo proprio iudicio in flagitia ruunt, deumq; auerſantur. De horum cõditione dicetur infrà aliquoties. Chriſtiani iudicent de omnibus,

Non quòd patrem uiderit quiſquam.) Hoc ἀναπόδοτον uidetur, id eſt, oratio altera ſui parte mutila. Nam negauit ſic doceri à patre homines, quòd patrem quiſquã

B uiderit, non reddidit autem, quo ergo pacto ab eo doceantur, quod reddendũ fuiſſe uidetur. Abſoluitur igitur hæc ſententia ſic: Omnes à patre doceantur oportet, ſed id non ita fiet, quòd quiſquam uiderit unquam, aut uiſurus ſit patrem, in hac quidem carne, ſed per ſpiritum arcana ratione docentur ſancti, eo enim quos afflauerit, ij profunda Dei ſcrutabuntur 1. Corh. 2. Huc pertinet & illud Matthæi 11: Nemo nouit filium niſi pater &c. & illud ſupra primo: Deum nemo uidit unquã, unigenitus qui eſt in ſinu eius, enarrauit nobis. Ego ſum panis ille uiuens.) Quia hoc ad alteram partem propoſitæ antitheſeos pertinet, huius, ſcilicet, Patres manducauerũt & mortui ſunt, idemq; hoc eſt quod, Qui me edit nõ morietur, unde iſtuc colligebat: Non fuit igitur Man panis è cœlo & uitæ, ſed ego ille ſum, apparet ſatis Dominum inde ſe uiuentem pauem dixiſſe, quod uiuificet. Ergo hoc ζῶν, id eſt, uiuens, idem pollet ζωοποιῶν, id eſt, uiuificans, unde ſupra Sect. 5. ubi eandem antitheſin poſuit, id quod hic panẽ uiuentem, dixit panem qui dat uitã mundo. Sic & ſupra quarto, aquam uitæ quam dare ſe Dominus mulierculæ Samaritidi promittebat, uocauit ὕδωρ ζῶν, aquam uiuentem, & ſignificare tamen indubie uoluit aquam uiuificantem. *Panis uiuens.*

Et panis quem ego dabo.) Dixit nunc ſæpe Chriſtus per translationem ſe ipſum panem illum eſſe cœleſtem, qui ſolus ſatiat mentes hominum, dum eum ſeruatorẽ agnoſcunt. At quia non potuit ſalus ſanctorum perfici, niſi ipſe carnem ſuam pro nobis daret in mortem, ſicut ergo per mortem ſalutem noſtram perfecit, uereq; redemptor noſter factus eſt, non poteſt fides Chriſti conſtare, niſi credamus in crucifixum, unde Paulus teſtatus eſt, ſe noluiſſe uideri aliud ſcire, quàm Ieſum & eum crucifixum. In cruce ſiquidem eius, eſt peccatorum noſtrorum expiatio, eſt iuſtitiæ Dei ſatisfactio, eſt patris placatio, eſt ianua immortalitatis. Hinc ut ſignificaret, quo *Panis quem ego dabo.*

modo esset nostram salutem perfecturus, & cuiusmodi fide edi ipsum à nobis oporteat, dicit panem illum, quem daturus sit suis, esse carnem suã. Omnibus siquidem quibus unquam saluatorẽ sese exhibuit, per spiritum persuasit, ut in se crucifixum sperarent, certicq; essent carnis suæ immolatione salutem ipsorum partam. Sic dat ergo suam carnem in cibum, dum fide in carnis suæ immolationẽ, de æterna salute reddit certos, & tum ad æternam uitam illa reficimur, dum ea freti, non dubitamus nos propitium habere Deum & Patrem, atq; hinc fore ut olim omnibus peccatis puri, & uera iustitia pleni ęternam & beatã uitam cum ipso & Patre uiuamus. Quã uitam Dei simul ipse in suis uiuit & explicat simul atq; eum fide complexi fuerint: præterea auxit more suo bonis admirationem, malis absurditatem & abhorrentiam hoc dicto, cum Panem illum uiuificum, quem tantopere cõmendauerat hoc est se ipsum dixit esse carnem suã. Existimauerãt enim Iudæi, illi maxime mali, indignissimum, ut se panem cœlestem, ac donantem uitam ęternam diceret, quem scirent esse filium Ioseph, natũ à Nazareth. Hoc enim apparet superioribus à Domino subiectum esse in hunc sensum: Videtur uobis plus quàm absurdum, quòd dixi me uenisse è cœlo, & uitam largiri sempiternam in me credentibus, eo quòd sim, ut uos putatis, filius Ioseph, homo caro & sanguis. Dicam uobis id quod res est, utcunque acceperitis, hic ille, de quo disputo, uiuificus panis, hæc mea caro est, nec percipere uitam alia ratione unquam poteritis nisi communicatione carnis meæ, huius, quã tantopere despicitis. Etenim Dominus ut homo est, id est, ut caro est, mediator est dei & hominũ. Ideo cũ eius adeo humilitate offenderẽtur Iudęi, cœpit ipse adhuc humilius de se loqui, & carnem suam (quæ appellatio, mortalitatem, omnemq; hominum fragilitatem in se complectitur, ut in illud: Verbum caro factum est, dixi) dicere cibum illum, pascentem in uitam æternam. Sic nanq; merebatur retundi eorum arrogantia, superbusq; ille Domini contemptus, à quo tantum dudum miraculum uiderant.

Bis dixit dabo

Bis dixit δώσω, id est, dabo. Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Primo ergo (dabo) significat Christus se daturũ carnem suam electis cibum uitæ æternę: id facit cum per spiritum docet se nos immolatione carnis suæ redemisse. Ipse nanq; panis uitæ & uiuificans est, qui æternum satiat, ubi editur, id est, cognoscitur & in os uera fide summitur. Iam non potest saluator agnosci, nisi agnoscatur pro nobis satisfeciisse. Ipse ergo panis, dat nobis panem, id est, ipse Christus reficiens & satians mentem in æternam uitam, hoc nos ordine reficit & satiat, quod primum dat suam carnem dum donat fidem, qua scimus pro nobis morte eius satisfactum, pro nostris peccatis carnẽ eius immolatam, deinde dat nobis se secundum gloriã resurrectionis, ut certi simus, eum regnare in hoc, ut nos plane iustificet, & immortales ac beatos reddat. Sic pascimur eo homine, & per eũ hominem, qui pro peccatis nostris mortuus est, & resurrexit propter iustitiam nostram, Rom. 4. Hinc eò perducimur, ut & ipso Deo, hoc est, diuinitate eius qua idẽ est cum Patre, pascamur, hoc est, læti in omnibus & alacres, freti bonitate Dei agamus. Ista omnia ipse nobis efficit séque ita nobis impertit ita se nobis immittit ita uiuit agitque in nobis ut simus itam caro de carne eius, & os de ossibus eius, & uiuamus in illo. Hæc aut Christi communio & perfruitio hic nondum plena est tum uero plena erit, quando extincto per spiritum Christi omni in nobis peccato, erit in nobis Deus omnia. 1. Cor. 15. Altero autem (dabo) significat mortem suam, in quam cum corpus suum dedit, uitam mundo restituit. Quod ergo Dominus ait: Panis quem ego dabo &c. perinde est, ac si dixisset: Refectio qua reficiam meos, id est, quo uiuam in eis uitam æternam, primum caro mea est, corpus hoc, quod dabo pro mundi uita, in mortem crucis.

Quo ordine pascamur Christo.

Cur non dixit quem do.

Neminem uero offendat, quod dixit: Panis quem dabo, & non do. Id enim ideo fecit,

A fecit, quia fides in mortem eius illa amplior & Christi communio plenior à resurrectione eius primum reuelari debuit. Dare siquidem hunc cibum tum uere cœpit, cum spiritum paracletum dedit, qui docuit, quemadmodum necesse fuerit ipsum mori pro nobis, ut uita Dei donaremur. Et antea quidem sancti hoc cibo pasti sunt, quotquot ab initio orbis fuere electi, sed non ita, ut post glorificationem, reuelate. Expectarunt omnes miram quandam sui redemptionem, eamq; morte Christi perficiendam, id tot sacrificia haud obscure indicabant, adhuc tamen certa redemptionis huius ratio, sanctis tecta manebat, exceptis sane pauciss imis.

OBSERVATIONES

Quòd Dominus de dilectione & uocatione patris sermonem repetijt, debet nobis occasio esse, ut ista nobis diligentissime expendantur. Accendetur hinc in nobis amor Dei, dum consideramus, quãta sit nos gratia dignatus, qui nos è tam multis mortalibus elegit, ut filium suum nobis reuelaret in uitam æternam. Deinde monebimur pariter ut erga consortes huius gratiæ, etiam si uiderimus eos parum uocationi suæ respondere, ampliorem dilectionem exhibeamus. Denicq; minus consternabit furor impiorum, cum perpendemus, quòd aliter nequeunt, reiecti nimirũ à Domino. Reliqua monẽt, ut in fide Christi esse nobis sita omnia agnoscamus.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Decertabant igitur inter se Iudæi.) Quo magis Dominus, quid mundo aduenisset, quidque expectandum suis à se esset, explicabat, hoc magis qui audiebant reprobi contra eum mouebantur: maxime tum offensi quòd sibi Ioseph, ut putabant, filio, tanta sumeret, insuper dixisset carnem suam, illam mortalem, humilem, contemptam, quæ sola illis obstare credebatur ijs quæ sibi tribuebat, esse uiuificum illum panem, quem tantopere prædicauerat in synagoga. Cum autẽ adessent & pij,
B qui à partibus starent Domini, certamen uerborum inoriebatur, cum antea tantũ murmur quoddam, sedatior, scilicet contentio fuisset. Dicebant igitur illi reprobi: Iste filius Ioseph, quem nobis Nazareth uile oppidulum dedit, paulo ante dixit se è cœlo uenire, nunc quasi hoc non satis insane dictum esset, dicit carnem suam, istã uermium escam, & instar graminis caducam, cibum illum esse uitæ æternæ ad quem nos tantopere inuitat. Hoc, scilicet, autore, missa doctrina uiuifica Moscheh, à carne ipsius uitam nobis expectabimus. Sed donemus ei tanta sibi arrogare, quonam quæso pacto poterit nobis hanc suam uiuificam carnem dare edendã? Qua ratione tandem hanc quam pollicetur uitam à carne eius percipiemus. Christus autem, qui allegoriam suã satis aperuerat, uel eo quòd dixerat, credentem in se habere uitam æternam, cum uideret istos uidentes nolle uidere, atque offendi eo, quo minime oportebat, intendit allegoriam, fortiusq; affirmat quod dixerat, at illi insanum arbittabatnur. Amen amen, inquit, dico uobis, si non comederitis carnem filij hominis, qui uobis adeo uilis est, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitã in uobis. Nam qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, quisquis uobis uideor, is demum habet uitam æternam, & eum resuscitabo ego in die nouissimo. Caro mea uere cibus. Ne uideatur adeo absurdum uobis quod dico: Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus, quia his reficiuntur mei, ut nunquã esuriant, ita sustentantur, ut nullius boni desiderio unquam laborent. Etenim qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, hoc est, mei communionem nactus fuerit, me etiam ut hominẽ in se uiuentẽ habuerit, certus se sacrificio carnis & sanguinis mei redemptũ, & cum Deo reconciliatum, is in me manet, pendens à me totus, & ego in illo, totum illum meo spiritu implens ac uiuificans. Vnde sicut uiuens pater me misit, hoc est, hominem fieri iussit, qui Deus sum, & ego hinc uiuo & si homo, æterna uita, propter Patrem, propter diuinitatem, inquam, quam eandem habeo cum Pa-

tre,sic uiuet propter me,& is qui edit me, est enim in me & ego in illo, unum facti sumus, sicut ego homo & Pater unum sumus, & ego in Patre sum, & ille in me. Istiusmodi est panis ille qui de cœlo descendit quem credendo mihi sumnes sic pascit ille, ut æternum uiuat, qui ex eo comederit. Alius cibus est quàm Manna quod iactatis,quod Patres comederunt,& mortui sunt, qui enim hũc panem edit, uiuet in æternum.Hæc Dominus in Synagoga oppidi Capernaum docens,palam disseruit, publicum enim ille nunquàm abhorruit, & operæpretium fuit, ut cum doceret summe salutaria,illic ea doceret,ubi à plurimis,non tam audiri, quàm etiã iudicari possent

ANNOTATIONES

Quomodo potest hic dare nobis carnem edendam?) Hæc uerba primo intuitu uidentur obiecta ab aduersarijs, ex hoc offensis quòd Dominus dixerat, se daturum suam carnem edendam. Hominis enim carne uesci, & quam ipse uorandus homo daret,horror erat audire.At si præcedentia ac sequentia, ipsumq; totius huius sermonis statum diligenter consideremus, haudquaquam hinc Iudæos istos offensos esse liquebit, ut pote qui allegoriam probe intelligerent, sed inde, quòd tanta sibi Dominus,& quidem carni suæ, hoc est, sibi mortali & homini caduco, ut tum illis uidebatur,tribueret,cumq; hæc non minus impia, quàm ridicula ducerent,dissimulantes se uerba eius intelligere, ea ex alio diuexabant: Quomodo,inquiebant,dabit nobis iste edendam carnem? Sic & muliercula illa samaritis,cum satis intellexisset,quid sibi Dominus uellet, quando dixerat: Si scires donum Dei, & quis sit qui dicit tibi:Da mihi quod bibam,et petisses ab eo,& dedisset tibi aquã uiuam,illudens tamen dicebat: Domine, neque quo haurias, habes &c.Item postea,cum se Dominus magis exponeret,ac dare se diceret aquam, qua bibita,in æternum exempta sitis sit, rursum irridens petebat sibi hanc aquam dari,ut non haberet necesse aduenire toties ad eum fontem, ubi tum erat, ad hauriendum.Non insolentes adeo erant isti populo Parabolæ & Allegoriæ, & peculiariter illa, qua sub nominibus cibi & potus,uerba fiebant de doctrina saluifica. Certe cum initio dixisset Dominus: Operamini cibum qui non perit,sed manet in uitam æternam, statim intellexerunt allegoriam,Dominum non de corporis, sed animæ cibo, hoc est,doctrina salutis quærenda & amplectenda loquutum:nam respondentes,dicebant,Quid faciemus, ut operemur opera Dei?non:Quis, quæso cibus maneat in uitam æternam, nec unquam pereat?Aut,Vnde petemus nobis talem cibum Sic cum dixisset: Ego sum panis uitæ,qui uenit ad me non esuriet,& qui credit in me, utique idem quod hic dixerat. Si enim ipse panis est, certe caro & sanguis eius quod erat, cibum esse oportet,& tum dixit carnẽ suam edendam. Sed ut simul id, quomodo accipiendum esset, exposuit, subijciens: Qui uenit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet, ita Iudæi isti uerba Domini recte intellexerunt. Cum enim murmurantes, hunc sermonem tanquam absurdum confutare uellent, non dicebant:Quid ille se panem esse dicit,qui homo est?Aut cum Ebræis Panis quem libet cibum significet, ergo faciet nos antropophagos,uorabimus ipsum hominẽ? Sed hoc calumniabantur,quod dixerat se uenisse è cœlo,eoq; esse Deum,qui reddendo in se credentes diuinitatis participes,in uitam æternam pasceret. Inde dicebant:Nunquid iste est Iesus, filius Ioseph, cuius nos patrem & matrem cognoscimus;quomodo igitur dicit iste:Descendi è cœlo?Non igitur quòd se carnem in cibum offerret,intelligebant enim allegoriam,sed quòd tanta sibi, cum uere caro esse appareret,tribueret,illos offendebat.Id & ex eo cognosci potest,quod infra legimus respondisse Dominum discipulis, ijs quibus tam pariter sermo eius durus uide-

A debatur, quo negauerat quenquam uiuere posse, nisi carnis suæ esu, potuq; sanguinis sui. Indubie enim ad id potissimum Dominus respondebat, quod uidebat illos præcipue turbare. Iam dicebat: Hoc uos offendit? Cum igitur uidebitis filium hominis ascendentem ubi erat prius? subaudi, quid tum dicetis? Modo intolerabile uidetur, quod dico carnem meam uere cibum, & sanguinem meum uere potum esse, hoc est, me uere cœlicum panẽ esse, qui è cœlo aduenì, ut æternam dem uitam omnibus, qui se mihi addixerint. Hoc offendit adeo, ut iam & uobis discipulis meis durus hic sermo, tanquam plus satis arrogans existimetur? At uidebitis me paulo post quamlibet filium hominis, quamlibet carne mortali amictum, in cœlum ascendere. An & tum uidebuntur uobis hæc mea uerba tam absurda, tànque sortem meam excedentia? Idem probat denique & Petri responsum, cum iam offensi hoc sermone discipuli aliquot Dominum deseruissent, & ipse rogasset duodecim, an & ipsi uellent abire: Ad quem, inquiebant, ibimus? uerba uitæ æternæ habes, tam abest, ut nobis durus, uel absurdus tuus sermo haberetur. Quam aũt subiicit huius rationem? Et nos credidimus & cognouimus, quòd tu es Christus, filius DEI uiui. Hoc quid aliud erat, quam credidimus iam pridem te esse panem uitæ, è cœlo uenisse, ut cibes tuos in uitam æternam, etiam per hanc carnem tuam, quã nostri caussa suscepisti? Et hinc iam, ut & ex superioribus, satis liquet, hunc totius orationis præsentis scopum Domino fuisse, ostendere se Christum esse, unicum illum mediatorem Dei & hominum, qui uitam æternam è cœlis, à Patre, credentibus suis adferat & donet. Dubium sane esse nequit, Petrum hac sua confessione, testari uoluisse, se & suos collegas non esse uerbis Domini, ut alij, offensos, sed habere eis fidem, & hinc nihil dubitare ipsum id esse, quod se esse dixerat, panem, scilicet cœlestem & uiuificum: útque ostenderet ea uerba se plane cognita habere, extulit illa apertius, remotis allegoriæ inuolucris & dixit: Tu es Christus filius Dei uiui. Proinde omnino hoc, id ipsum fuit, quod Dominꝰ, sed usus more suo allegorijs, B de se toto illo sermone prædicarat. Idem igitur quoque fuit quod incredulos offendit. Non igitur quòd putarent, Dominum uelle suam carnem ita dare edendam, ut bubula editur, sed quod se Christum esse & Deum, uitæ, scilicet, æternæ largitorem affirmaret, hancq; lagiri se carnem & sanguinem, filium, scilicet, hominis, & quod adhuc grauius sonabat, per carnem hanc suam tradendam in mortem, id demum fuit, quod illos turbauit, offendit & à Domino abalienauit, murmurisque eorum caussam dedit. Idem sensit D. Chrysostomus ut legis in homilia. 46. in Ioannẽ. Ab eo itaque quod intelligebant, sed insanum ducebant, Iudæi sermonem uertebant, ad illudendum, quod carnem suam cibum dixisset, sicut & illa Samaritis, aliò irridens sermonem domini torserat, quàm ad quod ipse fuerat locutus.

Nisi ederitis carnem filij hominis.) Ita se hic nominauit, ut fortius falsum illorum de se iudicium feriret. Quòd enim homo, & humilis apparebat, insanum putabant, sibi eum tantum sumere. Agnouit ergo se filium hominis, uilem & abiectum hominem, sed ut simul indicaret, quid in se, contempto adeò & neglecto homine latitet, negauit uitam ueram habere, hoc est, uitæ æternæ in totum expertem esse & fore, qui non ederet carnem filij hominis, & biberet eius sanguinẽ, hoc est, non haberet Christum in se uiuentem, certus se per illius sacrificium redemptum, & filium Dei atque hæredem constitutum. Proposuit siquidem Deus Christum Iesum propitiatorem, per fidem in sanguine eius, in ostensionem iustitiæ eius, ut, scilicet, credentes eius sanguine nostra peccata expiata esse, & Deum nobis propitium factum, id ipsum in nobis re ipsa experiremur, donati uere iustitiæ spiritu, qui tandem omni expurgatos peccato, nos plene iustos redderet. De hac per mortem Christi facta redemptione, & fide in illam, qua sola æternæ uitæ pariticipes reddi-

mur, multa insigniter expendenda commemorat passim in Epistolis suis Paulus, tum præcipue Roman. 5.

Simpliciter ait hoc dominus, Qui edit meam carnem, habet uitam æternam, nullam addit conditionem. Hinc scribit D, Augustinus lib, de ciui. Dei 21. cap. 25. Reuera manducare Dominum, esse manere in domino, & habere illum in se manentem, idque dominum ipsum sequenti dicto, Qui manducat carnem meam, manet in me, & ego in illo, declarasse. Ad hunc certe modum & uulgo fere in uerbis, edere, manducare, uesci, & similibus, intelligimus non modo cibi sumptionem, sed etiam consequentem ex eo alimoniam, uitęque sustentationem. Iam sunt qui corpus Domini in sacra Eucharistia sumunt, nec tamen demittunt in uentrem animæ, hoc est non reputant digne fide sua beneficium tantum Domini, itaque cibum istum nõ concoquunt, nec rite in membra sua digerunt, sed ceu quis cibum sumptum ore statim iterum abijciat, nec in stomachum demittat, ita illi corpus Domini non diiudicando, quasi ab ore animi rursus abijciunt. Proinde non proprie & simpliciter edere illud dicuntur D. Augistino, sed sacramento tenus tantum. Proprie itaque & reuera manducare Dominũ, ut hic & ipse de manducatione loquitur, est ipsum ut Deum & hominẽ, ut caro & sanguis est, siue uerbo Euangelij tantũ, siue simul sacris symbolis Eucharistiæ sumere & amplecti, fideique compressu intra nos tenere, ut eum à quo nobis omnia optata ueniunt, & iam donata sunt & prestantur. Talem qui credunt, sumunt, amplectuntur, tenent, uera, uiuáque fide talem utique experiuntur. V'tque subijcit suis ipse uerbis, uiuunt eiusmodi in domino uita ipsius, & uiuit ipse in illis uitam patris, uitam sanctam, felicem & æternam, inde & ista dixit.

Quemadmodum me misit uiuens pater.) Hæc ἀπόδειξις est eius, quod Deus toto hoc sermone egit, esse, scilicet, se panem cœlestem, dare uitam mundo, uicturum æternum eum, qui sibi credit, qui ad se uenit, qui carnem suam edit, & bibit sanguinem suũ, uiuere in ipso, & per ipsum, & ipsum uiuere in ijs qui suã carnẽ edunt &c. Vtique æternũ uiuet, qui uitæ dei particeps sit. At uitæ dei particeps est omnis qui Christum ut uitæ largitorem fide complectitur & in se habet, hoc est, qui edit eum. Ergo qui edit Christum, qui fide illum assumit & tenet, ita ut sese offert uerbo & sacramentis suis, is particeps est uitæ dei, uiuet ergo æternum Maior probatur, Christus ita uitæ Dei compos est, ut eam credentibus sibi & assumentibus communicet. Nam sicut misit eum uiuens pater, uiuens uita sua, quę à nemine alio pendet, ita uiuit ipse propter patrẽ, carne iuncta diuinitati patris. Misit enim Christum pater, quia uoluit eum carnem assumere, uerbum carnem fieri, indéque dedit ei etiam filio hominis uitam habere in semetipso, ut supra capit. 5. Dominus ipse de se testatus est, Vitæ enim ipsi, id est diuinę naturæ cõiuncta in una hypostasi caro, qui non natura uita Dei polleret? Hinc se dominus uitam quoque uocauit. Ego sum, inquiens, uia, ueritas & uita. Ergo ut uiuit propter patrem & uitam habet in se ipso sicut pater, ut uita ipsa est, ita uitam dei percipit, & in se habet quisquis ipsum percipit & in se habet. Percipiunt autem eum & in se habent, quicunque ipsum ut se Euangelio offert, & sacris symbolis assumunt, & tenent uera fide quam ipsam tamen idem Dominus operetur, nam reparat & instaurat nos per omnia. Viuet ergo propter Christum, qui edit eum, est ergo ipse uere panis qui è cœlis descendit, quam totius sermonis conclusionem Dominus hoc loco infert, & congerie quadã repetens & illud de Man, quod qui solũ ederunt, & non cũ eo Christum simul, mortui sunt, cum qui ipsum edit non morietur, sed uiuat in æternum

num. Nam ita compos est, uitę Dei, omnis qui Christum in se habet, ut ea uita mor
A te corporis non intercipiatur, corpori licet dum in puluere quiescit usque ad diem
domini subtracta. Nam spiritus interim ea beatus fruitur cum Christo, securus de
resurrectione corporis. Et hanc perennitatem uitæ Dei sibi donatam, ita norunt &
sentiunt hi, qui Christum uerè edunt, ut ipsi quietem corporis, non mortem sub-
ire sibi uideantur, cum uita hac defunguntur. Viuunt in æternum, & moriuntur
nunquam, qui dominum edunt. Quam uitæ Dei perfruitionem, ij nequaquam
habuerunt, qui tantum Man in deserto, & non etiam ipsum Christum spiritualem
cibum per Man manducarunt.

OBSERVATIONES

Obseruandum iterum ueritatẽ, quanquam impij quanto ueritatem clarius for-
tiusque adsertam audiunt, tanto magis contra eam efferentur, tamen prædican-
dam esse, uti & hic fecisse dominum uidemus. Neque prætereundum, quod ser-
monem qui offenderat non remisit, sed intendit, excæcandi enim erant reprobi,
& gloriæ Dei quoque seruiebat, ut electi ad hæc mysteria sic magis excitarentur,
tantis domini asseuerationibus. Ex alijs innumeris indicijs uidebant dominum
uere filium Dei esse, quæ si uoluissent perpendere, facile uidissent, nihil illum su-
pra quàm erat, sibi arrogare. Qui utique uera illum fide receperant, etiamsi uel
ad hunc uel alium sermonem eius nonnihil stuperent, nihilominus tamen in fide
eius perseuerarunt, uti & Petrus cum ijs, quorum loco dicebat infra, ad quem ibi-
mus? Verba uitæ æternæ habes. Quos autem huius sermonis aucta asseueratio
à domino disiunxit, ij neque unquam ei uere adhæserant. Satis nanque ex ijs quæ
postea Petrum & dixisse & egisse legimus, liquet, nec ipsum plene adhuc perce-
pisse, quod hic confessus est, adhuc tamen tractus patris spiritu sensit tam uera, &
B confessus est, quæ audierat.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

Multi autem his auditis, ex discipulis eius dixerunt: durus est hic sermo. Et
quis potest eum audire?) PARAPHRASIS. Reproborum in hac synagoga obstinata arrogantia merebatur magis excæcari, electis au-
tem nihil oberat, etiam si quædam nondum plane assequerentur: denique non-
dum aduenerat tempus, ut Euangelion regni clare omnibus annuntiaretur, & ani-
mis persuaderetur. Pati enim priusquam glorificaretur, Christum oportuit. Inten-
dit igitur dominus quod Iudæos offenderat, non explicat, aut apertius probat, so-
la affirmatione tertio repetita cõtentus, nisi quòd hanc tamen rationem admiscuit,
ut ipse patrem in se habet, ac inde æternam uitam possidet, sic hanc uitam impartire
re eis qui sibi se addixissent. Turbati itaq; sunt & ex discipulis aliqui atque dixe-
runt: Durus est sermo quem loquitur, non posse quenquam uiuere, nisi edat eius
carnem, & bibat sanguinem eius, quicq; hoc fecerit, eum uicturum in æternum.
Quis hæc sustineat audire? Quid hoc aliud est, quàm ex carne mortali, facere Deũ
immortalem? Quòd se panem cœlestem dixerat, hactenus forsan ferri poterat,
quod uideri quiuerat propter doctrinam suam, quæ eadem patris sit Dei, id sibi
tribuisse. Nunc aũt carni suæ, quæ quid aliud quàm gramen est, ut omnis caro, hoc
tribuit, hic plus nimio uidetur, & sibi sumere, et detrahere Deo. Cum itaq; huiusmo
di inter discipulos murmur coortũ, apud se quẽ nihil latebat, sciret, dixit ad eos: Hoc
uos offendit quod tanta mihi sumo, quod comesæ carni meæ tantũ tribuo, quod è
cœlo me panem uiuum descendisse affirmo? Si igitur spectaueritis filium hominis

rursus ascendentem ubi prius erat in lucem inaccessam, perfectum diuinitatis con- c
sortium, quid tum de me sentietis? Certe qui huius spectatores fuerint, aut aliàs hoc
cognouerint, illis nequaquã uidebuntur, quę modo dico, absurda aut impossibilia.
Omnia ista in me agnoscẽt, idq; docti à spiritu. Spiritus enim quẽ mittã uiuificat, is
cũ uenerit testabit de me, docebitq; meos omnia, ueraq; uita per fidem frui dabit.
caro nihil in his rebus percipit, stupet ad hæc omnia: uerba enim hæc mea spiritus
sunt & uita, de spirituali mei & uiuifica manducatione, quæ constat fide in me,
loquuntur, id sentient quotquot mihi uere crediderint. Sed sunt ex uobis quí-
dam qui non credunt. Ab initio enim nouerat Iesus, qui non crederent, quique es-
set ipsum traditurus. Addidit igitur: Propterea dixi neminem posse ad me uenire,
nisi à patre id acceperit, nemo ergo miretur, quod quidam sermonibus meis, etiam
discipuli offenduntur, non est eis ut uere credant à Patre adhuc datum. Illi ergo,
quorum sane multi erant desciuerunt à Domino. Dixit ergo ad duodecim: Num
& uos uultis abire, postquam desciscunt tam multi, etiam discipuli, nostriq; secta-
res, ìdque ob eos sermones, quibus ęternam uitam exposui & obtuli omnibus ele-
ctis? Ad hæc Petrus, qui admodum studio domini ardebat, pro se & reliquis, non
dubitans qua ipse flamma ardebat ardere & illos, respondit: Ad quem, inquit, ibi-
mus? Quem tibi præceptorem præferemus? utcunque offendant alij tuis sermoni-
bus, nos scimus te habere, & loqui sermones æternæ uitæ, ut qui illis fidem habeat,
æternam uitam certo percipiat. Id nemo alius magister discipulis suis unquam præ-
stabit. Nos credidimus & certo cognouimus, quòd tu Christus es saluator mundi,
ille filius dei uiuentis & omnia uiuificantis, per quem ius filiorum nobis & electis
omnibus contingit: atque ideo iure optimo tibi sumere, quæ de te prædicasti, te,
scilicet, esse panem uere cœlestem, qui in æternam uitam cibet, quicunque eum
esitarint, hoc est, tibi crediderint. Respondit Iesus: Prompte & animose respondes
pro te & collegis tuis Petre, ego autem scio & inter uos, quos præ alijs omnibus ad d
munus Apostolicum elegi, qui que modo à me non discedetis, unum diabolum es-
se, hostem meum & aduersarium ueritatis, etiam si ille se desciscentibus à me non
adiungat, & uobiscum adhuc hæreat. His Iudam Iscariotem, unum ex duodecim,
futurum proditorem suum, notauit.

ANNOTATIONES.

Hoc uos offendit? Quid hoc? Indubie quod responsione sua dominus ostendit,
nec tam absurdum aut impium uel impossibile uideri debere, atque cum ludæis
isti discipuli putabant. Id uero est quod dixerat se uenisse è cœlo, eoq; cœlestem ac
diuinitatis esse compotem, eamq; posse alijs impertire, quamuis homo, id est, caro
& sanguis. Nam quum se denuntiat, filium hominis cœlos ascensurum, quid ex
eo docere aliud uoluit, quàm tum manifestum fore, se & è cœlo aduenisse, qui il-
lud repeteret, iuxta illud capit. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui è cœlo descen-
dit, filius hominis qui est in cœlo. Offenderat igitur & discipulos hosce, quòd sibi
homini arrogasset, dare in se credentibus uitam æternam, eóque panem esse uitæ
& cœlestem, qui è cœlo aduenisset, hoc est, Deus hominẽ adsumpsisset. Porrò quòd
ascensum suum in cœlum indicauit uerius, quam aperte dixit, inde fecit, quòd non
dum aduenisset hora eius, ut gloriam suam palã profiteretur. Hinc interrogatione
huiusmodi & oratione Ecliptica usus fuit, quæ hunc sensum habet. Hoc uos offen-
dit? hoc inquã, quòd me maiorẽ quã decere putatis, facio, & aio è cœlo me aduenis-
se, eoq; deũ esse, quamlibet infirma hac carne tectus? Vident dura adeo, malletis di
cere impia, quæ loquor? Cũ igitur spectaueritis filium hominis, quẽ modo tã nihili
esse putatis, et Ioseph filiũ arbitramini, ascendentẽ ubi erat prius in cœlũ, unde uenit,

in

A in quo & uerbum patris ſemper eſt, quid tum cenſebitis? Videbor etiam tum plura quàm par ſit mihi arrogaſſe? In illud igitur tempus uolumus iſtam diſputationem differre. Tum dabitur ſpiritus qui uiuificat, & uera intelligentia donabit, caro, quod uos eſtis, nihil ualet, nihil in his rebus poteſt. Quæ loquor ſpiritus & uita ſunt, nec poſſunt niſi ſpiritu percipi.

Quid cœlum ſit ſupra aliquoties indicatum eſt, & in Matth. fuſius expoſitum, in illud capitis tertij. Et baptizatus Ieſus aſcendit protinus ab aqua, & ecce aperti ſunt illi cœli. Eſt enim cœlum, quod inhabitare dicitur Deus, unde Chriſtus uenit, & in quod aſcendit, inacceſſa lux, atq; gloria Dei inuiſibilis, id quod nos Paulus docuit, dum ſcripſit, Deum inhabitare lucem inacceſſam. 1. Timoth. 6. *Cœlum quid.*

Iam de aſcenſu Chriſti in cœlum. E cœlo nobis Chriſtus aduenit, quia cum, ut uerbum & uirtus Dei lucem habitaret inacceſſam factus homo eſt, & ita in terra, in ſimilitudine hominum nobiſcum egit, & ſpecie habituq; ut homine ſeſe exhibuit, cum autem opus, quod ei mandarat pater perfeciſſet, patremq; opere & ſermone glorificaſſet, illi obediens factus in mortem uſq; crucis, dignum fuit ut pater uiciſſim filium glorificaret, excitauit ergo eum à mortuis, & in cœlum aſſumpſit. Non ſecundum diuinitatem, ſic enim ſemper fuit, & eſt in cœlo, idem enim ſubſtantia eſt quod pater, ſed ſecundum humanitatem, illa ex mundo hoc, in gloriam Dei inuiſibilem, in lucem illam inacceſſam, in plenam diuinitatis perfruitionem translata eſt. *Quid aſcẽſus*

Nunc de dextera patris. Hæc Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuitur. Cæterum ſcriptura, per ſedere à dextris principibus intelligit, proxima ab eis poteſtate fungi. Id certe intelligebant filij Zebedæi cum peterẽt Chriſto alter à dextris, alter à ſiniſtris ſedere. Iam Chriſto enim homini dedit pater poteſtatẽ omnis carnis, ut det æternam uitam omnibus, quos ei pater dederit, infra 17. & non ſolum hoc, uerum extulit eum ſuper omnem quoq; poteſtatẽ angelicam. Epheſ. 1. hinc dicitur eum euexiſſe & collocaſſe, ad dexteram ſuam. Hæc fides noſtra eſt de dextera Dei. B

Spiritus eſt qui uiuificat.) Hoc dominus de ſpiritu indubie dixit ſuo, quo adflans ſuos, facit eos participes uitæ diuinæ. Ad quod ſubijcit, Caro nõ prodeſt quicquam, uarie accipitur. D. Chryſoſtomus intelligit de carne noſtra, quæ nequit percipere quæ ſunt ſpiritus, & de carnali auditione. Qui ſenſus admodum quadrat, D. Cyrillus autem & D. Auguſtinus de carne Chriſti intelligunt, carnaliter, non uera fide & ſpiritualiter manducata. De aſcenſione ſua dominus hic loqui cœpit, conſequebatur ergo, ut de ſpiritu ſuo ſubijceret, quo erat ſuus adflaturus, cum aſcendiſſet, eiq; tum ſpiritui commodum opponebatur inutilitas, & ad percipienda uerba domini, quæ ſunt ſpiritus & uita, ſtupiditas carnis noſtræ: hac de cauſſa Chryſoſtomi, quàm aliorum hic ſententiam ſequi uiſum eſt: utcunq; in priore editione ſententiã D. Auguſtini non ſine ſtomacho defenderim. Etenim dire adeò reijci & proſcindi Zuinglium & Oecolampadium, eosq; omnes qui cum his facere uidebantur, dolebat. Huic dolori cum indulgerem, cœperunt mihi improbanda uideri, quæ probari tamen poterant. Dominus liberet nos ab omni contentione. Nec enim illis quibus cum decertabam cauſſa fuit damnandi adeò eam quæ eſt ſententia Auguſtini & Cyrilli, ſed tum non conſiderabant illi eam ſententiam eſſe Dui Auguſtini & Cyrilli, ſicut nec ego eam quam ipſi defendebant eſſe Chryſoſtomi. Da Domine IESV, ut in tractandis tuis uerbis, tuo ſemper ducamur ſpiritu, Amen. *Caro nõ prodeſt quicquã.*

RETRACRATIO.

Induxi pleraque quæ in proxima editione in duas has poſtremas ſectiones ſcripſeram

peram contra eos, qui uidebantur ijs uerbis præsentiam & exhibitionem Domini in sacra cœna explicare, quibus corpus Domini cum pane uniri naturaliter, aut includi in pane localiter statueretur, atque nimium huius exhibitionis ministro, uerbis & symbolis attribueret. Cognoui enim interim illos in quos stilum strinxeram, ut cætera, ita etiam in hoc articulo orthodoxe sentire & docere. Nam præsentiam & exhibitionem Domini ueram, ac ideo realem, & ipsius corporis & sanguinis Domini, non inanium tantum signorum corporis & sanguinis Domini statuunt, citra commixtionem naturalem uel localem inclusionem. Sic quoque operam ministri, uerba & signa instrumenta Domini ad largienda dona spiritualia facerent, ut omnem tamen uirtutem saluificam penes unum Christum esse uelint. Iam ego, ut legere est in eadem rei huius tractatione quam proxime editioni inferueram, ab hac remoui, penitentiam ueram & exhibitionem corporis & sanguinis Domini in cœna diserte agnoui, Agnoui & illud, ministros uerbis & symbolis Domino cooperari, frustraneo licet metu adhuc horrerem quasdam loquendi formas, ut quibus uererer statui æquo crassiorem Domini in cœna præsentiam & ministro tribui plus quàm par esset. Vbi itaque Dominus dedit & quod illi probe docerent, & quo ego frustra offendere, officij mei putaui esse & confessionē meā de præsentia Domini in cœna & dignitate ac ui sacri ministerij pleniorem edere, & testimonium illis uiris orthodoxæ doctrinæ reddere, abolitis notis, quas contra illorum scripta, dum ea uidebantur aliud statuere, quam statuūt, meis Enarrationibus inseruerām. Vtrumque facere studui in Retractatione. 26. capit. Matthæi inserta, eam legat qui hoc loco aliquid amplius in nobis desiderarit: Dominꝰ mihi & omnibus cōdonet, quicquid circa sacramēta eius humano uel errori uel adfectui indultū est. Nobis quoque impacta multa sunt, quæ minime agnoscimus, & quæ ex nostris scriptis nemo legit, formæ quoque damnatæ, quibus ut sancti Patres bene usi sunt ita & nos orthdoxè uti potuimus. At quia omnino mihi fatendum est, non fuisse mihi eam in ominbus religionem adhibitam, cum inquirendi quæ Christi sunt, & tractandi ea, tum autoritatem Christi in primis Euangelij administris suspiciendi, quam adhibere oportebat, meum ego omnino peccatum Domino & Ecclesię eius libenter confiteor, ueniámque oro & mihi & alijs. Quis enim explicet quantum mali in eo sit uel errore, uel præpostero zelo caussam dedisse uel fouisse tum, ut Ecclesiæ Christi circa doctrinam & sacramenta eius turbentur. Dominus condonet nobis & omnibus quicquid huius quouis modo admissum est, & seruet porrò ab isto & omnibus malis, Amen.

Sed sunt ex uobis qui non credunt.) Ideo uerba mea plerique uestrum non possunt intelligere: si enim mihi ut magistro uitę fidem omnes haberetis, facile uideretis meū sermonem non durum esse, sed uitæ æternę.

Domine ad quem ibimus?) Etiam ex hac Petri responsione aperte iudicatur qui fuerit Domino totius suæ orationis status, utique ostendere id, quod hic Petrus confessus est, nempe ipsum Christum esse, hoc est, panem uitæ, & cœlestem. Idem igitur fuit, quod & alios incredulos turbauit, & à Domino alienauit.

Et ex uobis unus Diabolus est.) Græci cœperunt uocare Diabolum, quem Ebræi satan. Per hoc ergo quòd Iudam dixit diabolum esse, significauit aduersarium & hostem suum esse, nō discipulum, licet esset cum alijs delectus in numerum discipulorum externo, scilicet, delectu, ageretq; etiamnum inter illos. De his plura in Matth. 4. in illud: Vt tentaretur à Diabolo.

OBSERVATIONES

Obseruandum primū, quàm rara res sit syncerus Christi discipulus, & quā nullus eius

A eius cœtus sit in quo non sint hypocritæ. Si enim dominum isti, quibus adeò durus eius sermo uisus est, ut Christũ sequebantur, cur offendebantur quòd sibi, saluare in se credentes, sumeret? Quidnam erat aliud, Christum esse? Certe perfacile intelligebant hoc solum ipsum uelle, nempe licet filius hominis esset, & externa conuersatione satis humilis, se tamen simul illum esse, à quo æterna uita omnibus petenda sit. Viderant sanè tot iam miracula, è quibus si nati ex Deo fuissent, nullo negotio ipsum homine maiorem potuerant agnoscere. Quæ uero de ascensu suo in cœlũ & spiritu uiuificante disseruit, moneant nos, ut ab ipso ad dexteram patris exaltato, & per spiritum eius, non per creaturas, nobis conferenda omnia petamus. Præsentem ad finem usq; seculi ipse adfuturum se nobis promisit, nosq; sibi similes redditurum, plane iustos & beatos, quid præterea requiramus?

Quòd prædicat Euangelista, nouisse dominum nõ credentes, & proditorem etiã tum latentem, deterreat ab hypocrisi, & consoletur, si quando & inter nos hypocritæ deprehendantur, etiã inter uerbi ministros. Tantum cauti simus, ne ut oues amplectamur, qui lupi rapaces sunt. Siquidẽ ut in timore, tremore, ac omni circunspectione uersaremur, ita uoluit Deus apud nos omnia esse permixta.

In Petro notetur, ueræ fidei ad cõfitendum ardor, & quam certam Dei cognitionẽ esse oporteat, ut solida sit. In eodẽ notãda charitas est, de omnibus quod optimũ sit sibi pollicens. Nam quod sentiebãt de domino ipse, sentire & collegas nihil addubitabat, cum & pro ipsis, nulla ante facta apud eos huius inquisitione respondit.

In Iuda quem nihil mouit, se domino cognitum esse, solita impiorum indicatur obstinatio.

CAPVT VII.

B VErsabatur Iesus posthæc in Galilæa, non enim uolebat in Iudæa uersari, quia quærebãt eum Iudæi interficere. Erat autem in propinquo dies festus Iudæorũ scenopegia. Dixerunt igitur ad eum fratres eius, transi hinc, & uade in Iudæã, ut & discipuli tui uideant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palam esse. Si hæc facis, declara teipsum mũdo. Nam ne fratres quidẽ eius credebãt in eum. Dicit ergo eis Iesus: Tẽpus meũ nondũ adest, tẽpus aũt uestrum semper est paratũ. Non potest mundus odisse uos, me autẽ odit, quia ego testimoniũ fero de illo, quòd opera eius mala sint. Vos ascendite ad diem festũ hunc. Ego nondum ascendo ad festũ hoc, quia meũ tempus nondum impletum est. Hæc aũt cum dixisset illis, mansit in Galilæa. *Sectio. 1*

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festum, nõ manifeste, sed uelut in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turbis de eo. Quidam enim dicebãt, bonus est, alij autem dicebant non, sed seducit turbam. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Cum autem iam dimidium festi peractum esset, ascendit Iesus in templum ac docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem *Sectio. 2*

autem quærit gloriam eius qui misit ipsum, hic uerax est, & iniustitia in illo c
non est.

§ Actio.3. Nonne Moses dedit uobis legem, & tamen nemo ex uobis, factis præstat legem: Quid me quæritis interficere? Respondit turba & dixit: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Vnũ opus feci, & omnes miramini. Propterea Moses dedit uobis circuncisionẽ, nõ quia ex Mose sit, sed ex patribus, & tamen in sabbatho circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbatho, ut non soluatur lex Mosi, mihi indignamini, quòd totum hominem sanũ fecerim in sabbatho? Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.

Sectio.4. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis: Nonne hic est quem quærũt interficere? Atqui ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt: Num uere cognouerunt principes, hunc esse uere Christum? Sed hunc nouimus unde sit, Christus autem cum uenerit nemo scit unde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, ac dicens: Et me nostis, & unde sim nostis, & à me ipso non ueni, sed est uerax qui misit me, quem uos non nouistis: Ego uero noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum uenerit, num signa plura edet ijs quæ hic edidit?

Sectio.5. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt Pharisæi ac Principes sacerdotum ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo d
eis Iesus: Adhuc pusillum temporis uobiscum sum, & abeo ad eum qui me misit. Quæretis me, nec inuenietis: Et ubi ego sum, eò uos non potestis uenire. Dixerunt ergo Iudæi inter se. Quo hic iturus est, quòd nos non inueniemus eum? Num in dispersionem gentiũ iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, quæretis me, & nõ inuenietis, & ubi ego sum, eò uos non potestis uenire?

Sectio.6. In nouissimo autem die magno festi stabat Iesus & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat: Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ: Hoc autem dixit de spiritu, quẽ acceperant credentes in ipsum. Nondũ enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Multi ergo de turba cum audissent hunc sermonem, dicebant: Hic est uere Propheta. Alij dicebant: Hic est Christus. Quidã autem dicebant: Num à Galilæa ueniet Christus? Nonne scriptura dicit, quòd ex semine Dauid, & de Bethleem castello, ubi erat Dauid ueniet Christus. Dissensio itaq; orta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis uolebant apprehendere eum, sed nemo coniecit in eum manus.

Sectio.7. Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos, & dixerũt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisæi: Num & uos seducti
estis

A estis? Nunquis ex Principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, execrabiles ſunt. Dicit Nicodemus ad eos, is qui uenerat ad eum nocte, qui unus erat de numero eorum: Num lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat? Reſpondérunt & dixerunt ei: Num & tu Galilæus es? Scrutare & uide, quòd à Galilæa Propheta non ſurrexerit. Et profectus eſt unuſquiſq; in domum ſuam.

VErſabatur Ieſus poſt hæc in Galilæa.) Apertiora ſunt, quàm ut opus ſit paraphraſi. ANNOT. Supra quinto narrauit Euangeliſta Iudæos uoluiſſe dominum occidere propter ſabbatho ſanatum illum, qui triginta octo annos laborauerat, & quòd ſe patri feciſſet æqualē, hæc uno uerbo hic repetit, ut cauſſam indicet, quare in Galilæa tum uerſaretur. Miraculum panum factum ſcribit Euangeliſta capite ſuperiore cum propè eſſet feſtum paſcale, nec memorauit, an ad illud ipſum feſtū Hieroſolyma aſcenderit, hinc mihi coniectura fit, factam ab Euangeliſta in hiſtoria, μετάθεσιν, id eſt, tranſpoſitionem. Nam quæ narrantur capite quinto accidiſſe in feſto Iudæorum ad quod aſcenderat dominus, facta credo in feſto Pentecoſtes, cum antea appropinquante paſcate in Galilæa, tranſ lacum Geneſar, quod mare Tiberiadis Euangeliſta uocat, quinq; millia pauiſſet. Certe cum in hoc 7. capite memorentur, quibus ſatisfecit pro facto, quod quinto memoratum eſt, & mouerat Iudæos, ut dominum quærerent interficere, conſentaneum eſt, quæ in hoc capite narrantur, in eo feſto tabernaculorum euenìſſe, quod uenerat proximum poſt illam Pentecoſten, in qua exiſtimo facta, quæ memorantur capite quinto. Mihi enim non ſit uerìſimile, ut Ieſus ullo feſto Hierolymis abfuerit, in quo adeſſe ex lege oportebat, cum

B ergo hic cauſſa narratur cur in Galilæa ageret, quòd Iudæi quærerent eum occidere, idq; ut ex contentis in hoc 7. capite clare liquet, propter ea, quæ memorat caput quintum, uiolatum, ſcilicet, ſabbathum, conijciur, quòd ab eo feſto, in quo illum morbidum ſabbatho ſanauerat dominus, nō apparuerit Hieroſolymis. Si iam non licet dicere, quòd legem præterierit, fatendum eſt id feſtum, in quo ſanauit morbidum, proximum fuiſſe, ante feſtum tabernaculorum, atque igitur feſtum Pentecoſtes. Alioqui aut dicendum eſſet, quòd Ieſus toto anno non fuiſſet Ieruſalem, ac ita legem bis præterijſſet, aut quòd fuiſſet ibi, neque tamen fuiſſet aliquis propter eum motus factus ex accuſatione uiolati ſabbathi, id nullam autem haberet ueriſimilitudinem. Certe hoc quod Hieroſolymitani dicebant: Nónne hic eſt, quem quærūt interficere? Atqui ecce palam loquitur &c. & quod nominatim de uiolato, ut Iudæis uidebatur, ſabbatho dominus hic ſatis facit, coniecturam faciunt, nō adeò diu antequā acciderint quæ hoc capite narrantur, accidiſſe, quæ in quinto memorata ſunt. Tranſponi aūt in Euāgelicis hiſtorijs geſta, nemo magnopere mirabitur, qui ſcripta Euangeliſtarum conſideraūerit diligentius: ut enim Chriſti uirtutem exponerent, non ut quæq; ſuo ordine narrarent, ſtuduerunt.

Mutatus hiſtoriæ ordo.

Erat aūt propè feſtum Iudæorū.) Scenopegia, fixio tabernaculorū dicitur, ſeptem enim diebus in tabernaculis omnis Iſraël agebat, ad memorandū quòd patres eorū Deus feciſſet habitare in tabernaculis, quando eduxit eos de Aegypto 5. Moſch. 23. De hac & alijs feſtiuitatibus Iudæorū dixi aliqua in Matth. cap. 12.

Dixerunt igitur ad eum fratres eius.) Contribules, cognatos & affines Euangeliſta more ſcripturæ fratres domini uocat. Ii igitur, quia non credebāt eum eſſe quē ſe ipſum prædicabat, inſultando ei monuerunt, ut Hieroſolymam ad diem feſtum aſcenderet, ibiq; ubi totus Iſraël conueniebat, ſe, quid eſſet, palam faceret. Sciebant enim quòd declinans Iudæorum furorem, ex ſanatione eius, quem morbus trigin-

Qui fratres.

ta octo annis tenuerat,contra ipsum motum,in Galilæa uersaretur.

Si hæc facis,id est,quæ de te mira prædicant,& uis inde Christus agnosci, ostende te mundo,Qui enim uult in παῤῥησίᾳ esse, id est, ut libere & palam de eo omnes loquantur,quæ magnifica facit,ea nequaquã in occulto facit.

Tempus meum nondum adest.)Hoc est,mihi nondum opportunũ est, pater qui omnia certis temporibus dispensat,nondum uult ut ego ascendam:tum ascensurus sum,quando ex uolũtate patris fuerit, tum & ad gloriam ipsius illustrandam faciet meus ascensus. Vobis autem qui neq; ex præscripto Dei uiuitis, neq; rationem habetis,quid gloriam Dei promoueat,aut secus, quibus denicq; cum mundo,id est,hominibus,secundum carnem uiuentibus bene conuenit,nullum est metuendum periculum,ideo tempus uestrum semper paratum est, uobis nunquam non opportunum est Ierusalem petere,quia mundus nõ potest uos odisse,qui malis eius consentitis,ego autem arguo illum,ostendo mala esse quæcunq; agit,eaq; caussa ipsi intolerabilis sum.Proinde uos ascendite ad hoc festum, ego, quia nondum definitum à patre,eoq; mihi opportunũ tempus aduenit, id est, cõpletum est, nondum ascendã. Illud: Mala sunt opera eius, eodem modo accipiendum est, quo suprà illud cap.3. Qui male operatur nõ uenit ad lucem,quia mala sunt opera eius.Idem utrunq; ualet,quòd est per omnia malũ esse,neq; quicquã agere boni. Sic sanè sunt,qui ex spiritũ non sunt renati omnes.

OBSERVATIONES.

Secundo iam è Iudæa in Galilæam secessisse dominum, ut uim Iudæorum declinaret,Euangelista noster memorat,prius,supra initio cap.4.legimus. Circa id uero hic obseruandum, & nobis licere subinde fugere, modo Dei gloriam fugiendo nõ prodamus.De quo in Matth.fusius cap.4.in illud:Cum audisset autem Iesus,quòd Ioannes traditus esset. Deinde animaduertendum circa id,quòd & fratres domino molesti erant,ferendum nobis esse,cum & domestici nos infectantur.Item,non illico pium esse,qui iuxta externa,hoc est,carnem,Christo attinet. Quid enim profuit his quos hic Euangelista incredulos fuisse memorat,quòd fratres domini fuere? In domino igitur nihil nisi noua ualet creatura, Gal.6.non professio, aut cuculla monachorum,non consecratio Episcopi,non denicq; eruditio,aut morum externa honestas,solus internus homo,secundum Deum conditus, apud Deum æstimatur,& certum iustitiæ fructum profert.

Quòd hic horæ suæ, id est,opportuni temporis dominus meminit, monet quàm diligenter obseruandum nobis sit,ut ex præscripto Dei,& suo tempore omnia agamus.Postremo notandum nos mundi amicitiam non posse tueri, nisi malis eius operibus cõsentiamus.Si nanq; Dei gloriam adserere,atq; Deum solum bonum esse testari,mundum uero peccati arguere uoluerimus,id quod sanè si in nobis agit spiritus Dei,semper mundum arguens, & Deum magnificans, haudquaquam poterimus omittere,persequetur ille nos,ut & Christum persecutus est.Arguere autem mundum,non est tantum crassiora illa peccata insectari,id enim mundus,ne uideatur penitus deploratus potest ferre, sed testari, quod opera eius mala sint,hoc est,in totum omni iustitia & bonitate careat,neque possit nisi per Christum iustitiam ueram assequi.De his infra.16.plura.

Quid mundũ arguere.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Vt autem ascenderunt fratres eius,tunc & ipse ascendit.) Et murmur multum. Omnium sermo erat de eo,at non in παῤῥησίᾳ,id est,libertate. Id murmur disputatio quædam erat populi de domino,in qua aliqui pro domino loquebãtur, id quia primores Iudæorum non ferebant,nemo audebat de illo palam bene loqui. Voluit ita dominus omnes sui desiderio & expectatione excitare, ut cum postea intrepide se in

A se in medium hostium suorum ingereret, & doceret libere, omni contempto periculo, electi & amantes eius, tanto magis confortarentur, reprobi autem, dum quod maxime uolebant, non possent illi uim inferre, plus confunderentur, omnique ignorantiæ prætextu nudarentur.

Ascendit Iesus in templum ac docebat.) Hæc hora eius erat, hoc tempus erat illustrandi gloriam patris, omni ergo spreto periculo, in primum locum, ubi Iudæis minime tolerabilis erat, sese recepit, docereque cœpit cum medium festum ageretur, adesseque ideo populi frequentia maxima. Et hic uirtutem suam declarauit, qui paulo ante fugiendo declarauerat humilitatem.

Quomodo hic literas scit.) Fabrum enim egerat, ut ex Mar. 6. patet. Oportebat siquidem omnia in domino esse summe admiranda. Cæterum qui negligit cum possit discere literas eum ut ingratum & ignauum, dominus nequaquam miraculo docebit. Et qui in adiscendo eos, qui Ecclesiam doceant, ruditatem piæ eruditioni prætulerit, Dei donum contemnit, & nequaquam ex eo spiritu agit, quo Paulus uoluit mysterion Euangelicum cõmitti hominibus ad docendum idoneis, quóque Aquila & Priscilla, Apollo hominem eloquentem, atque in scripturis potentem, ob hæc præcipue dona, plenius uiam domini docebant, ut ad docendum alios essent instructior. De his plura in Matth. cap. 4. in illud: Vidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus &c.

Studiũ literarũ nequaquã negligendum

Mea doctrina non est mea.) Hominis, scilicet, sed mea Dei, atque ita eius qui misit me, quo cum natura & substantia unus sum. Vnde non est mirandum, si absque eruditione hominũ doctus sim & literas sciam. Hoc uestrum pauci credunt, quia non quærunt quæ Dei sunt, non cupiunt Deo sese approbare. Qui enim uult uoluntatẽ Dei facere, id est, in quo est studium aliquod Dei, is eo spiritu, quo ad Dei uoluntatem propẽdet, facile agnoscet, utrum ex Deo sit mea doctrina, an ex me ipso loquar,
B quod non sit doctrina Dei. Qui à se ipso loquitur & docet, non ex spiritu Dei, ut se ipsum alijs doctorem constituit, ita suam ipsius gloriam quærit. Qui aũt quærit gloriam eius qui misit ipsum, dei, id quod ego studeo, is uerax est, & omnibus audiendus, neque enim quicquam in eo poterit iniquitatis esse. Iam considerate, explorate, excutite, quæcunque doceo solam patris me gloriam quærere deprehendetis, quandoquidem nihil aliud in omni doctrina mea quæro, quam ut ipsius bonitatem electi omnes, & probe agnoscant, & gnauiter æmulentur. Proinde uerax sum, & nihil loquor quod ulla ratione queat culpari, dignũque erat ut pronis me animis audiretis magistrum cœlestem, non persequeremini ut hostem dei.

OBSERVATIONES.

Animaduertendum sicut Christum spiritus cum maxime opportunum esset, Ierusalem adduxit, ita & nos cõmode ducturum, acturumque, ad quæ pater destinauit. Tantum abnegatis affectibus ipsi nos contradamus. Obijcietur sæpissime illustrandæ gloriæ Dei tam optata occasio, ut stupeas tam præsentem uim spiritus. Perpendendum & quæ mundi sit iustitia apud sanctissimos, siquidem non licet apud eos uel loqui de Christo, Dei sapientia & iustitia. Sed dum uisum est Deo, coguntur hi ipsum palam docentem audire, qui putabant se effecisse, ne quisquam de ipso tantum mussaret. Idem eueniret & hodie Christi hostibus, si modo nos fortiter crederemus.

Probe notandum aũt de doctrina Christi, eos demum posse cognoscere, qui cupiunt uoluntatẽ Dei facere. Nemo ergo miretur plurimos hodie patentissimã ueritatem auersari, nõ sunt ex ueritate sed diabolo nati, ideo habẽt odio quæ Deus probat. Hinc odisse oportet illos omnẽ Dei doctrinã, neque sustinere ut de ea audiant tantum. Qui aũt ex deo natus est, cui cordi pietas est, is sicut spiritu dei præditus est, ita ueritatem dei in doctrina Christi nullo negotio agnoscit.

Postremo nec hoc prætereundum, sicut is gloriam suam quærit, qui à se ipso loquitur, ita necesse est omnes illos sua quærere, qui à se ipsis, hoc est, quæ à Patre non didicerunt, docent. Id facile uides in omnibus, qui humana cõmenta, pro Verbo Dei Ecclesijs obtrudũt. Quid nanq; factiosius Matæologis? Quid arrogantius Catabaptistis? Quid magis nescium cedere, Iudæis? Quid iudicij dogmatum suorum intolerantius, Mahometanis? Cum ijs qui ex Deo loquuntur nihil sit submissius, nihil blandius, nihil ad ferendum errantes paratius. Exemplum sit Christus, & Paulus, quanquã & hodie haud obscure uideatur, qui hos quàm supercilios os Scribas & Pharisæos malint imitari.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Nónne Moses dedit uobis legem. ANNOT. Quicunq; Euangelicas historias aliquando pressius considerarunt, ij norunt illas continere miscellanea quædã, quæ Euangelistæ sic congessisse satis habuere, ut ex pauculis illis gestis ac sermonibus quos conscripserunt, Christus agnosceretur, neq; fuerunt anxij, ut uel certo ordine singula, aut etiã sermones integros, ut à domino habiti sunt, memorarent, hinc uideas nonnunquã commodum initium, nunc finem deesse. Sic sanè uideri possit, & præsens domini oratio, qua de doctrina sua unde sit, & quàm deceat illi habere fidem, ijs qui stupebant ipsum scire literas, quas nõ didicerat, respondit, non adeò cõmodo fine esse clausa, ac mox nullo quoq; commodo principio & prærupte nimiũ subiectam alteram, qua satisfacit de opere sanitatis in sabbatho perfecto. Id uero eos qui solum Christũ discere cupiunt, qui in his, qualicunq; demũ ordine, aut ratione congestis narrationibus mirifice tamen prædicatur, minime offendet, quosq; offenderit, certum est, eos neq; Christum uere quærere.

Quæ ergo hic dixisse dominum Euangelista narrat, siue aliquid præcesserit, ut uerisimile est, siue ita prærupte cœpit, apologia sunt pro eo, quod in sabbatho hominẽ, de quo suprà 5. sanauerat. Primum aũt argumentũ eiusmodi est, ut eo nõ licere probet Iudæis contra se ex lege Moscheh agere, quãdo eam ipsi legem minime seruarent. Quod enim quisq; iuris in alterum statuit, ipse eodem uti debet. Aiebat igitur: Moses dedit uobis legem, & nemo uestrũ est qui eam seruet, qua frõte igitur in me ita sæuitis, qui & si uidear eã uobis transgressus, solus eam in omnibus impleo. Lex sanè dilectionem Dei & proximi in omnibus docet & requirit, hac illi uacui erant, ideo legem non faciebant, id est, nõ obseruabant. Sed ut suam uelarẽt iniquitatem, transgredientes primora legis, in quibus solis sita pietas est, legis zelatores se simulabant in minutijs istis, rebus, scilicet, externis, uti sabbathũ erat, & similia. Id quod illis dominus Matth. 15. & 23. opprobrauit. Potissimũ aũt etiam hunc simulatum zelum suum, contra alios exerebãt non in se ipsos, quod & ipsum dominus Matth. 23. illis obiecit, Importabilia siquidẽ onera colligabant &c. Sic & hic contra dominũ sæuientes, religionẽ ostentare uolebant, magis quàm exhibere.

Prima ratio qua depellit Iudæos ab accusatione.

Respondit turba.) Forte ignara eius, quod contra dominũ, primores fuerant machinati, ut in 5. cap. memoratũ est, cumq; ipsi nihil tale contra eum cogitarent, dicebant dæmoniũ eum habere, quòd mortẽ intentari sibi quæreretur.

Vnũ opus feci.) Altera ratio est, qua probat se sabbathũ minime uiolasse, quæq; dixit in summa ita habent: Equidem semel, id est, unum opus in sabbatho feci, uos sæpe de me tamen tanquã sabbathi uiolatore admiramini, de uestris operibus non ita. Ita sabbatho circuncidítis hominem, nunquid id opus est. Iam circuncisionem Moses à patribus acceptam uobis tradidit, non ipse eam primus præcepit, sicut obseruationem sabbathi. Si iam uobis non uiolatur sabbathum, qui contra legẽ Moscheh, opus in sabbatho facitis, eo quòd opus illud patribus diuinitus traditum est, cur mihi succensetis qui in sabbatho opus feci, quod æque iussit pater, & est circumcisione multo antiquius & præstãtius? Ego enim totũ hominẽ sanaui, cum uos circuncisione

Altera ratio, quòd sabbathum non uiolarit, argumẽto ducto ab exẽplo eorũ.

A cunciſione nihil aliud præſtetis, quàm ut homo externe populo Dei accẽſeatur. Ne igitur iudicetis ſecundum aſpectum, ſed iuſtum iudicium iudicate, hoc eſt, factum ex ſe ipſo, & lege Dei, non ex amore uel odio facientis æſtimate. Dum enim ego opus in ſabbatho feci, & tale, quod Deus maxime uoluit, iudicatis me ſabbathũ uiolaſſe, uos dum operamini ſabbatho, quod multo minoris momẽti eſt, nihil tale cenſetis. Hoc nõ eſt iuſtũ iudicium, & ex ipſa re ſumptum, ſed factum ſecundũ perſonæ reſpectum. Si iudicatis, quouis opere ſabbathum uiolari, iudicare debueratis ſabbathum & à uobis uiolari, cum infantes ſabbathis circunciditis: ſi aũt eo illud non uiolatis, neq; me uiolaſſe illud iudicare debueratis, qui in ſabbatho feci, quod longe magis neceſſariũ & utile fuit, q̃ ſit circunciſio. De ſabbathi religione ſupra quædam, plura in Matth. cap. 12. Certe benefactis uiolari non potuit, etiam multo minoribus, quàm erat hoc domini collatũ illi qui iam diu morbo laborauerat.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Dicebant ergo quidã ex Hieroſolymitanis. ANNO. Hi quia Hieroſolymitani & Chriſti aduerſarij, ut ex uerbis eorum apparet, erant, tum forte etiam ex primoribus, ſcire facile potuerunt, quid contra dominum principes Iudæorum moliti fuerant, utq; ad mortem ipſum quærerent, mirantur ergo qui fiat, ut illi quod contra eum cogitarant, non exequerentur, ſed ferrent libere adeò & palam in templo docentem. Dicebant igitur: Num uere cognouerunt principes hunc eſſe Chriſtum? Neq; enim huc prolapſos credere poterant, neq; patebat alia cauſſa, cur illũ in templo docentem ferrent, id ergo eos male habebat, præſertim cum abſurdum eis uideretur, uel ſuſpicari de domino, eum Chriſtum eſſe, idq; propter conuerſationis, qua ſemper offendebantur, humilitatem. Chriſtum ſiquidem expectabant tam glorioſum & magnificum, ut cum ueniſſet, nemo ſcire poſſet, unde nam eſſet, hoc eſt, unde ei tanta potentia, gloria & fœlicitas adeſſet. Etenim. 1. Moſ. 49. Ieſcha. 11. ac alibi
B in Prophetis omni æſtimatione maiora, de potentia & ſucceſſu eius prædicta ſunt. Cum ergo omnia domini tam eſſent humilia, & uulgaria, ut nihil dignum admiratione uideretur, omnesq; ſcirent unde eſſet, hoc eſt, unde ſua haberet, ſigna enim & diuinos ſermones, illi ut excæcati contemnebant, omnibus tanquã manifeſtiſſimũ uideri uolebant, eum non poſſe Chriſtum eſſe.

Præcipue tamen uidentur hanc de Chriſto opinionẽ, uenturum eum ut nemo ſciret, unde eſſet, id eſt, unde ſua tam magnifica haberet, ex uaticinio Mica. 5. acceperſe. Is quidem naſciturum illum Bethleem prædixit, ſed addidit, egreſſus eius, id eſt, potentiam & opera eſſe ab initio, atq; à diebus ſeculi, id eſt, in principio omnium rerum, ſicut per eum omnia condita ſunt. Hinc ergo expectabant Chriſtum, de quo ſciri non poſſet, unde eſſet, utpote cuius egreſſus, potentia, ſcilicet, & opera à principio mundi fuiſſent. Cum igitur nihil tale in domino Ieſu uideri uellent, nihil minus quàm Chriſtum eum cenſendum, uel ex hoc admodum celebrato teſtimonio, iudicabant. Certe hoc ipſum oraculum paulo infra iterum, ſed priore ſui parte contra dominum obiecerunt, ubi, ſcilicet, prædicit Chriſtum è Bethleem proditurum. Hęc certiora uidentur, quàm ſi dicamus Iudæos tanquam inſanos contra ſeipſos locutos eſſe, utpote qui infra dixerint, Chriſtum Bethleem naſciturum, hic uero nõ poſſe ſciri unde Meſſias ueniat. Nam ſimul Mica prædixerat egreſſus Chriſti eſſe ab initio, inde fama obtinuerat, Chriſtum ea cum potentia uenturum & regnaturum, ut nemo ſuſpicari poſſet, undenam eſſet, quia infinito maiorem maioribus ſuis gloriam habiturum eum perſuaſi erant. Et id quidem recte iudicaſſent, ſi modo intellexiſſent ſimul myſterium humilitatis, qua illa potentia & gloria, uſq; in diem reuelationis eius tegenda erat.

Nemo ſcit unde ſit.

Iudæi recentiores interpretantur hunc Mica locum, ut quod habet: E` Betthleem egredietur mihi dux, idem ſit, ac è ſemine Dauid Bethleemitæ naſcetur, & illud à

primo tempore & à diebus seculi, hoc est, primis mundi temporibus egressus eius, C
idem, atq; genus ducet ab antiquissimis patribus: sic torquent quę aduersa suo erro
ri sentiunt. Sed ex eo, quod responsum fuit à Scribis Herodi Matth. 2. & quod infra
Iudæi obiecerunt de Bethleem, cum uellent probare dominum non esse Messiam,
cum Nazarenus esset, ut ipsi putabant. Ex his, inquã, satis liquet, Iudæos illo tempo
re sanius oraculum Mica intellexisse, sicut & multa alia de Christo. Eoq; uerisimile
est, sicut non dubitarunt eo oraculo natalem Christi locum indicatum, nihil quoq;
addubitasse de aduentu mirifico, qui referret ipsum æternum uerbum patris esse.
Attamen si quis certiorem huius opinionis de Christo rationem afferre possit, illi
etiam gratias agam, tam abest, ut præferri meam uelim. Adducunt quidam illud
Iesa. 53. Generationem eius quis enarrabit, id autem à Vate de numerosa Christi so
bole, & spirituali posteritate prædictum est.

Alij scribunt natam hanc de Christo opinionem, ex Iescha. 53. & Zacar. 9. Sed in
his locis prædictum est de domini humilitate, in qua latuit. Et nihil Iudæos æque
offendit, atq; nimia domini humilitas, eaq; præcipue plebi probare, eum nequaquã
Christum esse, conabantur. Hinc enim uideri uolebant, quæ in domino apparebãt,
minime respondere ijs, quæ de Christo prædicta erãt tam magnifica. Semper enim
Iudæis, ut & hodie id potissimũ obsistit, ne dominum nostrum Christum esse cre/
dant, quod non agnoscunt in eo præclara illa, quæ de regno eius Propheræ prædi/
xerunt. Miseri aũt non sustinent credere, omnia ista primum in spiritu fuisse incho/
anda, & percipienda fide, cum aũt uenerit cõsummatio, & dies gloriæ domini, tum
omnia etiam externe & reuelate, in ipso apparitura.

Clamabat ergo Iesus in templo docens.) Ex eo quòd Euangelista docuisse domi/
num in templo testatur, uidetur significare, eum cum autoritate & ex loco docen/
tium, perpetuam ad plebem orationẽ habuisse, interim tamen cum apud se cogno/
sceret, quid de se in turba loquerentur, ad illa, cum res poscebat, respondisse. Hinc D
cum Hierosolymitani illi dicerent, se ipsum nosse unde esset, uolentes eo significa/
re, nihil nisi filium Ioseph esse, & nullius pretij hominem, respõdit eis per ironiam,
qua significabat eos falli, neq; id scire, quod iactabant, nimirũ, unde ipse esset, quip/
pe qui à Deo uenisset, ueretq; esset ab initio egressus eius. Clamabat uero, hoc est, ela
tiore uoce ista dicebat, forte ideo, quòd aliquantulum ab ipso, ut uerisimile est, ab
fuerint illi calumniatores, uel certe ut ita pondus maius uerbis suis adderet. Et me,
inquit, nostis, id est, me non nostis, neq; unde sim nostis. Nam à me ipso nõ ueni, sed
ab eo, qui solus uerax est, & uera certaq; omnia agit, missus sum. Hunc uos non no/
stis, qui igitur scire possetis unde sim? Ego aũt noui eum, quia ab ipso sum, ipse misit
me, hoc est, hominẽ fieri uoluit, cum apud ipsum essem uerbũ eius, & uerus Deus,
substantia idem cum ipso. Quare & à me solo plene ille cognoscitur. Attamen no/
tum tandem, tam uobis, quàm electis meis fiet, uere me Dei filium esse, Deiq; nego
tium gessisse. Verus enim est, qui me misit, omnia complet & absoluit, unde & ap/
parere randẽ oportebit id quoq;, quod in me & per me operari cœpit. Tum uidebi/
tur, unde sim, & quis me miserit.

Sed est uerax qui misit me.) Græce habetur ἀληθινὸς, id est, uerus, sed idem pollet
cum illo, quo Euangelista infra sequenti capite usus est, cum ait: Sed qui misit me,
ἀληθὴς, id est, uerax est, item supra. 3. ubi inducit Baptistã loquentẽ de domino: Qui
recipit testimonium eius, obsignauit quod Deus uerax est. Porrò ista quam Deo
toties hic Euãgelista tribuit ueritas, soliditas, certitudo, & plenitudo est operũ eius.
Vnde quod ait: Sed est uerax qui misit, perinde est ac si dixisset: Qui misit me pater,
solidus, plenus, certus, & perfectus est in operibus suis, ille cum me miserit, id faciet
tandem certis & solidis operibus suis abunde manifestum. Opera eius nõ possunt,
ut hominum opera uana esse, aut non perfici, unde & me missum ab eo, eiusq; &
uerba

uerba loqui,& negotiũ gerere,omnibus palam faciet. Hinc ſane in Pſal. omnis homo mendax & uanus eſſe dicitur, quòd nihil queat perficere,nihil abſoluere,mutila ſint omnia opera eius,& fruſtranei conatus,ſæpeq; fallatur,ſic contra Deus ſolus uerax,quòd eius omnia uerba certa,& opera plena & perfecta eſſe oporteat.

Quærebant ergo eum.) Sic diuinã in eo uirtutẽ oportuit manifeſtari,& confundi impios. De turba aũt multi.) Vide,iſti cum Dei ſemen haberẽt,uidere in domino potuerunt magnifica,nẽpe ſigna,quibus maiora fieri non poterãt,hinc & Chriſtum ipſum agnouerunt,nihil offenſi humilitate uel generis,uel conuerſationis,reprobi aũt illi,nihil in eo,niſi humilia,& quibus offenderẽtur,uidere potuerunt.

OBSER. Obſeruandum nunq; deeſſe impijs, quod contra ueritatẽ prætexant, ſed & dominum qui iuſto iudicio eos abiecit,dare quoq; illis occaſiones,unde excæcentur, ſic certe fuit Iudæis, Chriſti cum humilitas, tum alia ferè omnia. Deinde notandũ,quoties Iudæi fruſtra Chriſto injcere manus fuerint conati,quia nondum uenerat hora eius. Ita nos ſolum hoc ſtudeamus,ut Dei gloriæ inſeruiamus,reliqua curabit ipſe,neq; accidet quicquam nobis,niſi cum noſtra aduenerit hora,tum uero ſaluti erunt,quæcunq; acciderint. Poſtremo & hoc animaduertendum,nunquã abſq; fructu aliquo uerbum Dei annuntiari,utcunq; enim inſanirent primores Iudæorum,è populo tamen plurimi Chriſto crediderunt.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Audierunt Phariſæi turbam murmurantem.) ANNOT. Adhuc puſillum temporis,Quaſi diceret:Suſtinete pauliſper,intolerabilis uobis ſum,ſed nõ ero diu, abibo paulo poſt,ad eum qui me miſit,in conſortium diuinæ maieſtatis, ad quod uos nunquam peruenietis. Sed erit cum me quæretis nec inuenietis,quando uos apprehendent mala illa,quæ uos manent,eò quod tam indignis modis oblatam uobis ſalutem reſpuitis. Tum demum notum uobis pater faciet,quis ego ſim. *Impij olim agnoſcẽt Chriſtum.*

OBSER. Notatur hic iterũ,eos potiſſimum ueritati aduerſari,qui in mundo primi habentur ueritatis cultores,uti apud Iudæos Phariſæi erant,atq; ſacerdotũ Principes. Deinde animaduertendũ,& impios tandem cognituros Chriſtum, operaturoſq; ab eo ſalutem,ſed fruſtra,tum, ſcilicet,quãdo eos merita apprehenderit ultio. Id Iudæis uſu uenit,cum per Titum uaſtarentur, tum uel unum diem filij hominis uidere,& perlibenter amplecti ſeruatorem uoluiſſent,ſed ſero nimis.

ENARRATIO SECTIONIS, VI.

In nouiſſimo die,illo magno feſtiuitatis.) ANNOT. Vltimus enim,hoc eſt,octauus feſti Tabernaculorum celeberrimus erat,quo ueriſimile eſt maiorẽ populi frequentiam in templo ubi docebat,confluxiſſe.

Stabat Ieſus & clamabat.) Vnde enim æterna uita eſt,id omnibus optabat indicatum. A ſolo ſiquidem ſpiritu Dei eſt,ut Deũ cognoſcamus,& de eius erga nos bonitate certi reddamur,tum referre ipſam erga proximos ſtudeamus, hunc aũt ſpiritum ſolus Chriſtus donat ſuis,à fide igitur in eum,omnia pendent,ad hanc ergo potiſſimum cum hic, tum alias Chriſtus hortatur. Illo uero: Flumina de uentre eius fluent,ſignificat credentes ſibi,in æternũ abſq; ſiti bonorũ fore,non minus,quàm illum ſiti laborare impoſſibile eſſet, qui fontem flumina facientem, in uiſceribus ſuis haberet. Simili allegoria & ſupra uſus eſt. 4. Aqua quam ego dabo ei,fiet in eo fons aquæ ſalientis in uitam æternã. Spiritũ utiq; ſanctum nacti,& ipſi certi de bonitate Dei erga ſe abſq; ſiti ſunt,& alijs quoq; ſolidã poſſunt conſolationem,ex eodẽ ſpiritu,prædicando eis eandẽ Dei bonitatẽ,adferre. De amplo hoc & redundante ſpiritu,prædictũ eſt Ieſcha. 44. Iechez. 36. Iohel. 2. & paſſim in Prophetis. Certe quemadmodũ exuberans fons largiſſime uicina ſibi omnia rigat, ita eſt Chriſtianus,quibuſcunq; adeſt,ijs uerbo & opere infinita & uera cõmoda adfert. *Nondũ erat ſpiritus.*

Nondũ enim erat ſpiritus ſanctus.) Hoc eſt,manifeſtior ille ſpiritus ſancti afflatus,

& efficacia, quæ post glorificatũ Christum in credentibus apparuit, nondum erat, idq; quia Christus nondũ erat glorificatus. Ipsius enim iam regnãtis erat, eam uim spiritus in suos effundere: cum ergo antea crucifigi illum, q̃ regnare oportebat, ut orbis uideret, quid morte eius nobis apud patrẽ impetratum esset, amplissima illa diuini spiritus uirtus, super semen, hoc est, germanã sobolem Iaacob, postq̃ Christus in cœlum fuit subuectus, effundi primũ debuit. Cæterũ quicunq; ab initio mundi Deo crediderunt, spiritũ Dei habuerunt, at non opulente adeò, atq; largiter, tãtaq; efficacia. De his & supra obseruatione quarta Sectione 7. primi cap. De spiritu sancto, & nominibus eius, in Annotatione quarta, Sectione eadem.

OBSER. Obseruandum ut ubiq; dominus fidei in se primas tribuat: ne igitur audiamus eos, qui queruntur fidei nimium tribui. Etenim cui persuaseris ut Christum suum saluatorem uere agnoscat, eum plane beasti, & neq; poterunt suo tempore fructus iustitiæ in eo desiderari: cui hoc non persuaseris, nulla omnino alia doctrina bonum unquam reddes.

Mirari uero quis possit, cum audiret dominus offendi eo Iudæos, quòd Nazareth & non Bethleem natum ipsum putarẽt, quare non indicarit eis, se editum in hanc lucem Bethleem, & non Nazareth. Indubie id feciſſet, si hoc eis solum obstaculo fuisset, sed erant nati è diabolo, neq; potuerunt Christum amplecti, quare si nõ hoc, certe alio se offensos simulassent, ut impietatem suam uelassent. Offenderat hic scrupus & Nathanaëlem, sed quia ueritatem quærebant, nihilominus dominum nullo adhuc signo uiso adijt, auditurus quidnam doceret, aut promitteret. Isti autem tot uiderant signa, audierant sermones plane diuinos, quibus si ex Deo fuissent, ita indubie fuissent domino addicti, ut de loco natali eius, aut non cogitassent, aut certe de eo dominum rogassent. Sed quærebant tantum, quibus ueritatem à se propellerent, non ut eam discerent. Iusto itaq; Dei iudicio, ubi natus dominus esset eos latuit, & occasio offendiculi fuit.

ENARRATIO SECTIONIS VII.

Venerunt ergo ministri ad Pontifices.) ANNOT. Vis diuina, in uerbis domini tanta exeruerat se, ut ministri non potuerint, manus illi inijcere. Sic perfacile est, Deo quoduis periculum auertere suis, etiam ubi nihil apparet præsidij.

Sed turba hæc.) Quinto Moscheh. 27. scriptum est: Maledictus, qui non statuerit omnia uerba legis huius, ut ea faciat, iam cum uulgus non posset omnia legis cognoscere, sicut erat onus importabile, maledictos illos Pharisæi iudicabant, non animaduertentes, quòd ipsi grauius legẽ transgrederẽtur, qui sciẽtes quid lex in primis requirat, Dei timorem, & proximi dilectionem, adeò insane filio Dei aduersabantur, etiam in alios uacui misericordia & æquitate. Id quod uel iniquissimo hoc suo de plebe iudicio satis prodiderunt. Non aliter uero & hodie de laicis loquuntur nostri Pharisæi.

Ignorantes legẽ maledicti.

Dicit Nicodemus.) Vtcunq; hic non auderet aperte domino patrocinari, factum est tamen eius interpellatione, ut in præsens concilium hoc pestilens dissolueretur.

OBSER. Primum probe perpendendũ, quàm mirabiliter Christum suum Deus in medio hostium suorum, & tam atrocium, tamq; sanguinis eius sitientium, ac toties manus illi inijcere tentantiũ, seruarit, sic plane & nobis aderit, ubi gloriæ ipsius sedulo studuerimus.

In eo, quòd Pharisæi iactant, neminẽ principũ credidisse, iterum notatur, q̃ inuisa Deo sint, quæ maxime mũdus miratur. Quis ergo sanus cupiat in mũdo excellere? Maledictos uocant Scribæ indoctos, in quo uidendum, quid efficiat scientiæ persuasio, si desit syncera pietas, quámque uerum scripserit Paulus, scientiam inflare, hoc est, non tam Christianum, quàm Christianismi cõtemptorẽ reddere. Id enim ferè Paulo inflari est. Cæterũ legis diuinæ tantum quisq; didicit, quantũ uita expri-

mit.

mit, uítæ enim non uerborum doctrína est, quia non est regnum Dei in sermone, sed uirtute, qua noua Christi creatura opere sese profert. Quod utinam animaduertant, qui hodie summã sacræ disciplinæ in disputationibus & aduersariorũ confutatione ponunt.

In Nicodemo uides, ut semen Dei suo tempore fructificet. Nõ uolebat hic Christo palàm adhærere, apud hostes eius sedebat, neq; patrocinari ipsi aperte audebat, attamen in totũ eum deserere non potuit, credebat siquidẽ in eum, quanq; admodũ infirme. At dum plus nõ auderet, legẽ obiecit, quæ iustũ iudicium facere, & neminem nisi conuictũ condemnare præcipit, eoq; tantum effecit, ne quid eo quidẽ consilio contra dominũ statuerent. Vides igitur & in hac periculosa conditione, & infirma sua fide, fructum tamen aliquẽ hunc Nicodemum attulisse. *Semen Dei ubicunq; est, fructificat.*

Discamus hinc præterea, quàm pernicioſum sit cõmentum Catabaptistarum, qui negant Christianum posse fungi magistratu. In hoc impio & crudeli concilio unus duntaxat fuit Christianus, isq; parũ firmus, quantũ tamen malũ per illũ Deus auertit? Idem hodie multis in locis experimur, ubi pauci nõnunq; Nicodemi & Ioſephi, hostibus Christi non consentientes, plurima mala auertunt, & Dei gloriã mire promouent. Quos qui iusserit abdicare se magistratu, is ultro uult accersere lanienam bonis, offendicula infirmis, & materiã insaniendi contra dominum malis, utiq; alio quàm Paulus spiritu actus. Quemadmodum hic enim iubet orare pro Regibus & principibus, ut placidã ac quietam uitã agamus cum omni pietate & honestate. 1. Timoth. 2. ita indubie nihil prius optauit, quàm uel illos esse Christianos, uel Christianorum acquiescere consilijs. Nam ubi impij regnant, nihil minus quàm placidè & trãquille uiuere possunt, qui uolũt pie uiuere & honeste. De his plura in Matth. in 5. cap. in illud: Audistis quod dictum est, oculum pro oculo.

CAPVT OCTAVVM.



Esus autem perrexit in montem oliuarum, & diluculo iterum uenit in templum, cunctusq; populus uenit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem ad eum scribæ & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & cum statuissent eam in medio, dicunt ei: Magister, hæc mulier deprehensa est in adulterio, in lege autem Moses præcepit nobis, ut huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseuerarent interrogare, erexit se, & dixit eis: Qui uestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, singulatim alius post alium exibant, initio facto à senioribus, & relictus est solus Iesus, ac mulier in medio stans. Cum autem erexisset se Iesus, & neminem uideret præter mulierem, dixit ei: Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemno. Vade, & posthac ne peccaueris. *Sect. 1.*

Iterum ergo Iesus locutus est eis, dicens: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, nõ ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Dixerũt ergo ei Pharisæi. Tu de te ipso testificaris, testimonium tuum non est uerum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeam de me ipso, uerum est testi- *Sect. 2.*

monium

monium meum, quia scio unde ueni, & quo uado, uos autem nescitis unde ue
nio, & quo uado. Vos secundũ carnem iudicatis, ego non iudico quenq̃: por
rò & si iudicem ego, iudicium meum uerum est, quia solus non sum, sed ego &
qui misit me pater. Quin & in lege uestra scriptũ est, quòd duorũ hominum
testimonium uerum est. Ego sum qui testimonium fero de me ipso, & testimo
nium fert de me qui misit me pater. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Re
spondit Iesus: Neq; me nostis, neq; patrem meum. Si me nouissetis, & patrem
meum nouissetis. Hæc uerba locutus est Iesus in gazophilacio, docens in tem
plo. Et nemo apprehendit eum, quia nondum uenerat hora eius.

Sect. 3. Dixit ergo eis iterum Iesus: Ego uado, & quæretis me, & in peccato uestro
moriemini, quo ego uado, uos nõ potestis uenire. Dicebãt ergo Iudæi: Num
interficiet semetipsum, quia dicit, quo ego uado, uos nõ potestis uenire? Et di
cebat eis: Vos ab infernis estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis,
ego non sum de hoc mũdo. Dixi ergo uobis, quòd moriemini in peccatis ue
stris. Si enim non credideritis quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris.
Dicebant ergo ei: Tu quis es? Et dicit eis Iesus, In primis quod & loquor uo
bis. Multa habeo quæ de uobis loquar ac iudicem, sed qui me misit, uerax est,
& ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Non cognouerunt quòd de
patre eis locutus esset. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis filium hominis,
tunc cognoscetis quòd ego sum, & quod ex me ipso facio nihil, sed ita ut do
cuit me pater hæc loquor. Et qui me misit, mecum est. Non reliquit me solum
pater, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente, multi cre
diderunt in eum.

Sect. 4. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderant ipsi Iudæos: Si uos manseritis in
sermone meo, uere discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas libe
ros reddet uos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, neq; cuiquã seruiui
mus unquã, quomodo tu dicis, liberi reddemini? Respondit eis Iesus: Amen
amen dico uobis, quòd omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus
autem nõ manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo uos
filius liberos reddiderit, uere liberi estis. Scio q; semen Abrahæ estis. Sed quæ
ritis me interficere, quia sermo meus non habet locum in uobis. Et quod ui
di apud patrem meum loquor, & uos quod uidistis apud patrem uestrũ, faci
tis. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus,
Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Nunc autem quæritis me in
terficere hominem, qui ueritatem uobis locutus sum, quã audiui à Deo, hoc
Abraham non fecit. Vos facitis opera patris uestri. Dixerunt itaq; ei, Nos è
stupro non sumus nati. Vnum patrem habemus Deũ. Dixit eis Iesus, Si De
us pater uester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, & ueni.
Neq; enim à me ipso ueni, sed ille me misit. Quare loquelam meam nõ agno
scitis? quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis,
& desideriis patris uestri uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in ue
ritate

A ritate non ſtetit, quia non eſt ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex pro
prijs loquitur, quia mendax eſt, atq; eius rei pater.

Ego autē quia ueritatē dico, non creditis mihi. Quis ex uobis arguit me de *Sect. 5*
peccato? Porrò ſi ueritatem dico, quare uos nō creditis mihi? Qui ex Deo eſt,
uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſpon-
derunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nónne bene dicimus nos, quòd Samarita-
nus es tu, & dæmonium habes? Reſpōdit Ieſus, Ego dæmonium non habeo,
ſed cohoneſto patrem meum & uos ignominia affeciſtis me. Ego autem non
quæro gloriā meam, eſt qui quærat & iudicet. Amen amen dico uobis, ſi quis
ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit in æternū. Dixerunt ergo
illi Iudæi, Nūc cognouimus quòd dæmonium habes. Abraham mortuus eſt
& Prophetæ, & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mor
tem in æternū. Nunquid tu maior es patre noſtro Abrahā, qui mortuus eſt?
Et Prophetæ mortui ſunt. Quē teipſum tu facis? Reſpondit Ieſus, Si ego glo-
rifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me, quē uos
dicitis Deum ueſtrum eſſe, & tamen non cognouiſtis eum, ego aūt noui eum.
Et ſi dixero quòd non nouerim eum, ero ſimilis ueſtri mendax. Sed noui eū,
& ſermonem eius ſeruo. Abrahā pater ueſter exultauit ut uideret diem meū,
& uidit, atq; gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos
nondum habes, & Abraham uidiſti? Dixit ei Ieſus: Amen amen dico uobis,
B antequam Abraham naſceretur, ego ſum. Tollebant ergo lapides, ut iacerent
in eum. Ieſus autem aſcondit ſe, & exiuit è templo.

IEſus autem perrexit in montem oliuarum.) ANNOT. Agens Hie-
roſolymis dominus frequenter in hunc montem ſecedebat oraturus,
idq; noctu fere, die ſiquidē docebat in templo, populo gratiam patris
adnuntiās, neq; enim erat quod faceret aut ſe dignius, aut hominibus
utilius, cum cognitio patris & ipſius ſit uita æterna. De oratione & ſe-
ceſſu ad orationem fuſe dixi in Matt. 6. & 14.

Adducunt aūt ad eum ſcribæ.) Hæc hiſtoria non eſt attacta à Nonno, qui perpe- *Hiſtoria hæc*
tuam tamen paraphraſim in Euangelion hoc Ioannis conſcripſit, ſed nec à Chryſo- *non habetur*
ſtomo aut Vulgario, qui ijdem perpetua enarratione ipſum explicarūt: id argumē- *in omnibus*
to eſt, quod illorū tempore Eccleſiæ hanc hiſtoriam nondum agnouerint parem a- *exēplaribus.*
lijs hiſtorijs, quæ in hoc Euangelio legimus. Attamen cum nihil habeat Chriſto in-
dignū, cum fructu & ipſa legi poterit. Viderant Phariſæi mire facilem dominū atq;
benignum in peccatores, eoq; ſperabant contra legem Moſcheh abſoluturum hāc
adulteram, atq; daturum ita cauſſam, ut iure in ipſum uiderentur ſęuire, tanquam
legis Dei eneruatorem. Magiſtrum ſalutant, ſed eo animo, quo & cum de cenſu ro
garent. Dominus igitur ut tum, ita hic quoq; digno eos reſponſo eluſit. Non iuſſit
contra Moſcheh abſolui adulteram, neq; cum externi iudicis officio non fungere-
tur, uoluit pronuntiare lapidandam. Sicut neq; opus fuit, nam legem illi apertā ha-
bebant, neq; rogabāt ut uerū iudiciū diſcerent, ſed ut uenarētur, quo dominū accu-
ſarent, hoc eſt, ut cōtra legē reſponderet. Digni itaq; erant, quos in dubio, quid ipſe
ſentiret, relinqueret, & ſuorū ſcelerum ita admoneret, ut præ pudore non auderent
conſiſtere. Id effecit occulta efficacia ſpiritus, cum dixiſſet, qui abſq; peccato eſt, pri-
mus in illam lapidem inijciat. De qua re in terram ſcripſerit non eſt memoratum,

quanquam

quanquã ueriſimile ſit talẽ fuiſſe,ut ad idem quod agebat, nempe ad incutiendum pudorem ſuperbis iſtis hoſtibus miſericordiæ,momentũ aliquot attulerit. C

OBSERVATIONES.

Diſcendum hinc,dominum afflictis dare conſolationem,& ſuperbos confunde/re,idem & nos ſtudeamus. Nemo uero hinc colligat,aut non punienda adulteria, aut punire non poſſe alium,qui ipſe peccato laboret. Non iudex externus ſcelerum ſed præco dominus aderat miſericordiæ paternæ, ideo ipſius non erat damnare a/dulteram,ſed ad reſipiſcendum prouocare,ſed neq; Phariſæis reſpondendum erat, quod ſciebant, & de quo non niſi dolo quærebant. Cum autem dominus teſtatus eſt,ſe non uenisſe ut legem ſolueret, ſed ut eam adimpleret, hoc eſt, ut quicquid ad promouendam pietatem & honeſtatem fecerit,ſtabiliat,nemo putet ipſum uoluiſſe abrogare quæ ex cuiuſquã offic'o;& è re ſunt proximorũ:iam magiſtratus eſt tolle/re offendicula, & malum è medio populi Dei ſubmouere, quia gladium geſtat in uindictam malorum,idq; cum ſtudet,Deus punit non ipſe, & cõmoda publica plu rimum promouentur. Neq; ſi peccator ipſe ſit,legem ideo de puniendis malis lice/bit illi tranſgredi,& peccatis peccatũ addere. Certe ſi nemo punire ſcelera debeat, niſi qui ipſe abſq; peccato ſit,omnia mala impunita manebunt. Adulterium autem inter capitalia habendum, leges Dei & piorum Cæſarum præcipiunt, ideo qui ad illud cõniuent,ut Deũ grauiter offendũt, ita tranſgreſſionis ſuæ patronũ Chriſtum nequaq; habebunt. Hic enim doloſos & arrogantes Phariſæos confundere, & ad/flictam ac contritã peccatricem in ſpem reſipiſcẽtiæ uoluit erigere,legem aũt patris adeò neceſſariã & ſalutarem de puniendis adulteris,refigere noluit.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Iterum ergo Ieſus locutus eſt eis,) ANNOT. Quia omnia pietatis & ſalutis ab eo pendent,ut dominum, Chriſtum & unicum ſaluatorem noſtrum agnoſcamus, ipſe totus ſemper in eo omni doctrina ſua fuit,ut ad credendum ſibi auditores pro/uocaret,atq; perſuaderet à ſe uno,uitam & omnia petẽda. Hinc ſe ſupra panem qui uitam dat mundo,hic lucem uocat, quam qui ſequitur nõ poſſit errare. Allegoriis enim ut & parabolis libenter propter uulgus, quibus ſic propoſita melius hærent, uſus eſt. Hinc & proximo capite inuitauit ad ſe ſitientes,& promiſit,nullam unquã ſitim ſenſurum,qui ad ipſum ueniſſet, hoc eſt, ipſum ſaluatorem agnouiſſet. His o/mnibus docuit,æternam uitam,& ſpiritum ſanctum in omnibus ducentem,omnia docentem,ſanctificãtem,pleneq; demum perficientem,accepturũ, quicunq; ipſum certa fide ut Chriſtũ receperit. Hic ſpiritus lumen illud uitæ eſt, lucens ad omnia ſa/lutaria,ne quis hoc in mundo impingat, néue in tenebris cupiditatũ, & iudicij ra/tionis aberret. Quare qui Chriſto non credit, ſicut is hoc ipſius ſpiritu caret, ita ne/ceſſe eſt in tenebris eum ambulare,id eſt, ſequi rationem carnis, malarũ cupiditarũ ſeruam,unde nunquam nõ noxia ſibi quæret & ſectabitur. Quid enim nõ noxium ſit,quod quæras præterito Deo? At ubi hic deeſt ſpiritus omnia Dei tibi ſtultitia ſunt,nec potes ea capere.1.Corint.2. D

Quid potiſſ. docuerit Do/minus.

Verum eſt teſtimonium meum.) Hic uides per imitationem uel conceſſionem dominum ſuprà quinto dixiſſe:Si ego teſtificor de me ipſo,teſtimonium meum ue/rum non eſt. Quoniam enim ſciebat unde ueniſſet,& quo abiret, id eſt,quòd filius Dei eſſet,qui æternum uerbum patris exiſtens hominem aſſumpſiſſet, ſed quem in gloriam patris paulò poſt ſubuecturus eſſet,hæc cum ſciret, hoc eſt, Deus uerus, & homo Deo plenus eſſet, non potuit niſi ueriſſima, hoc eſt, diuina loqui, eoq; de ſe nihil quoq; teſtari potuit,quod nõ ita haberet. Neutrũ aũt agnoſcebant Iudæi,ideo eius de ſe ipſo teſtimonium,uerum credere non potuerũt. Simile eſt, ſi quis legatus ueniret à Cæſare,magna nomine Cæſaris pollicẽs ſi iuſſa eius capeſſeremus,cumq; fidem ei negaremus, diceret: Ego ſcio unde ueni & quo uado, ego certus ſum me

Cæſaris

A Cæsaris legatum,ad hæc ipsa quæ proposui,ab ipso amandatum, ad eundem & redibo,rationem gesti negotij redditurus, dignaq; pro laboribus meis præmia accepturus, proinde quæ de mea legatione testificor, uera sunt, uos autem qui nescitis, unde uenerim,& quo uadam,fidem habere mihi contamini.

Vos secundum carnem iudicatis.) Id est, æstimatis me iuxta externam faciem, qua humilis & abiectus appareo,non aũt perpenditis, quàm magnificis de me operibus Pater testimonium perhibeat. Ego non iudico quenquam, ut uos me uidetis homo,quia nõ sum tantũ homo,sed simul Deus, quo hic,quẽ uidetis homo ita plenus est,ut si quid iudicẽ etiam ut homo,quando nihil homo agere aut iudicare possum,quod nõ ipsum agat & iudicet in me & per me Deus, iudiciũ tamen meũ non potest nõ uerũ esse,solus nõ sum,hoc est non tantũ homo sum,sed ego & Pater unũ sumus,quia & Verbũ Patris,& homo simul sum. Habetis ergo duorũ testimoniũ, Patris,hoc est,diuinitatis,& meum hominis,in quo tamen Deitas habitat corporaliter. Si iam lex,duorũ hominum testimoniũ recipit,quanto magis uos meũ hominis diuini, & Patris Dei,testimonium de me recipere debebatis? *Solus nõ sum.*

Neq; me scitis,neq; Patrem meum,) Hoc est,spiritu & doctrina Patris cum uacetis, eóque me in quo omnia diuina sunt, & per quẽ solum Deus cognosci potest, non cognoscitis,frustra de Patre meo inquiritis. Cum etenim in Domino omnia Patrem indicarent & referrent,non potuit ulla ratione Patrer certius & plenius,q; per ipsum & in ipso cognosci. Tantum enim in operibus suis Deus,& nõ in se cognosci potest,in Christo autem illa luculentius, quàm uel in supremis Angelis relucebant. Vnde & Philippo dicebat: Qui uidit me,uidit Patrẽ meum. Quanta enim Dei cognitio à nobis haberi potest, locupletissime tum percipitur, cum quid Christus est datum nobis fuerit cognoscere,qui nimirum nihil aliud est, quám Dei iustiB tia,redemptio & sanctificatio. *Per filium Pater recte cognoscitur.*

Hæc uerba locutus est Iesus.) Vt iterum indicaret Euangelista quám mirabiliter pater Dominum in suo negotio seruarit, scribit quo in loco, ubi certe minime tolerabile erat,hostibus suis,hæc de se testificatus est atq; docuit,hoc est,multo pluribus,quàm hic sunt annotata, disseruit ubi nemo tamen manum iniicere ei ausus fuit,licet nihil prius cuperent. Iustas utiq; ad populum Dominus orationes habuit, quoties eũ docuisse Euangelistæ memorant,quanquum Euangelistæ satis sibi duxerint paucula ex illis, sed in quibus inesset Domini de se testimonium plenius, magisq; obseruandum, narrasse. Etenim prœconis testisq; officio Euangelistæ, idq; apud eos,qui iam Dominum fide receperunt, nõ oratoris apud eos, à quibus Dominus nõdum ut Christus agnitus est,fungi uoluerunt. De Christo enim perſuadere, non hominum sed spiritus sancti est.

OBSERV. Obseruandum hic,quod & in singulis Domini sermonibus, esse ab ipso omnia petenda,quippe qui non homo tantum,sed & Deus sit. Deinde eum non posse cognosci,nisi à renatis,spiritu; Dei præditis,id est, ijs, quibus id dat pater,quos intus per spiritum suum docet,ac ita ad filium pertrahit.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Ego uado,& quæretis me.) ANNOTA. Prioribus dixit,quid esset suis,lux, scilicet,uitæ,quanq; fœliciter agant qui ipsum sequantur,id est,ut Christum agnoscant,in his uero indicat, quid maneat eos,qui ipsum repudiant,nempe ut moriant in peccatis suis. Nam cum ipse unus sit, qui nos ab iniquitate in qua nati sumus liberet,necesse est eos mori in peccatis, qui ipsum non recipiũt liberatorem. Dicit ergo: Ego abeo,carne scilicet, & gloriã recipiã etiam ut homo, quã ut Deus habui priusquam hic mundus fieret,neque unquam deposui. Vos autem infinita mala, pro eo quòd me reiicitis apprehendent, tum optabitis saluatorem, qui cum nemo præter me esse possit,me quæretis,& si inscientes,quanquam tandem suis me quoq; *Cur in peccatis moriantur qui respuunt Christum.*

uisuri, eum qui sum, sed sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Tum sentietis quàm infœliciter sapuerítis uobis, cum me repulistis in hac uos ad uitam humilitate uocantem, tum enim optabitis, sed frustra, me experiri saluatorem, quem modo ut hostem Dei persequimini. Sed horum caussa est, ego è supernis sum, hoc est, Deus & homo diuinus, & non de terra, aut de hoc mundo, nihil in me carnale, omnia diuina sunt, uos autem ita ab infernis & de mundo hoc estis, ut omni sensu & cognitione Dei careatis, hinc est ergo quòd uestra tantum quæritis, & quæ Dei sunt agnoscere non potestis, Quemadmodum igitur me unicum seruatorem respuitis, ita necesse est, ut in peccatis uestris moriamini.

In primis quod & loquor uobis.) Subobscurus est hic locus, neq; uidetur expeditius enrarari posse, quàm à Nonno enarratus est, qui ita habet: καὶ χριστὸς ἀνέκραγεν, ὅτι πέρ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς ἀόριζον, ἔχων, ἀνήριθμα δικάσσαι καὶ καλέσαι, id est, Et Christus respondit, quod quidem uobis ab initio dixi, habens innumera iudicare & loqui. Initio sit quidem sermonis cum eis habiti, unde fere omnes sequentes dimanarunt, qui supra quinto capite ab Euãgelista conscriptus est, dixerat Dominus sibi à patre omne iudicium demandatum. Vnde non inepte Nonnus intellexit, respondisse Dominum se esse eum, qui haberet multa, quæ iudicaret & loqueretur, hoc est, iudicem, ut omnium ita & ipsorum, id quod initio eis dixisset, cum primũ calumniam ei tanquam Dei blasphematori intentare cœpissent, de quo supra quinto. Et in præsenti quoq; idipsum quadrabat responderi ad arrogantem adeo & superbam illorum interrogationem. Sicui aũt hic sensus non tam perspicue haberi ex uerbis Euangelistæ uideatur, is perpendat quòd hæc uerba subobscura sunt, quorum forsan sensum nemo dabit undiq; planum.

Nonni enarratio.

Sed ipsa Euãgelistæ uerba subijciã. Principio, inquit, quod & loquor uobis, multa habeo quæ de uobis loquar & iudicem &c. Dixerat se non esse de hoc mundo, sed è supernis, atque ideo abiturũ quo ipsi uenire nõ possent. Rogarunt illi uicissim eum quis igitur esset, si nõ esset de hoc mundo, sed è supernis. Iam Dominus & alibi ex cõtemptu & dolo rogantibus, quis esset, respondit se futurũ ipsorum iudicẽ, quẽ uisuri essent sedentẽ à dextris uirtutis Dei, & uenientẽ in nubibus cæli, nimirum ut superbiã eorũ retunderet, sic ergo & hic conueniebat, ut eorũ arrogantiã & tumorẽ reprimeret, liberoq; responso se illis, & nequaquã illos sibi esse formidamdos testaret. Hoc ergo sensu responsum eius accipiendũ puto: Rogatis me qui sim, qui quid sim ex operibus meis pridem discere poteratis. Respondebo tamẽ ut uideatis me & uobis q̃libet iuuitis & minacibus auditoribus audere tamẽ ueritatẽ ingerere. Id sũ, quod principio, id est, iã à principio huc usq; uobis loquor & prędico, nempe is filius Dei, cui pater omniũ iudiciũ dedit, potestatẽ in omnia tradidit. Scitote igitur me habere multa quę de uobis loquar, quibus uestrã impietatẽ arguã, & iudicẽ. Sed pater meus qui me misit uerax est, opera eius certa & plena sunt is dabit igitur, ut quẽ modo in hac humilitate contemnitis, aliũ in maiestate ipsius, iudicẽ uestrũ summo cum terrore sitis suspecturi. Etenim quæcunq; ab ipso audiui, quæ certus sũ ipsius esse uerba, hæc in mundo loquor, quare qui ea reijcit, Patrem ipsum reijcit, grauissimiq; se iudicij reum constituit.

Si quis aũt illud τὴν ἀρχὴν durius sic ordinari putet, & malit ipsum ab initio ponere, uti & ab Euangelista scriptũ est, hæc sic accipiat: Principio respondeo me esse id, quod iã dudũ uobis loquor & prædico, eũ cui Pater omnia dedit in manus, qui omnia iudicabit. Sic idẽ sensus quidẽ habetur responsionis Domini, sed desiderabitur quod respõdeat illi principio. Ordinẽ enim significat. Quasi diceret: Domin⁹ primũ hoc iã dico, me esse iudicẽ uestrũ. Huic iã conueniebat subijci, quid secundo diceret se esse & tertio. Hinc ergo est, quod dixi Nonni lectionem expeditiorem esse.

Vtcunq; aũt istud τὴν ἀρχὴν accipiamus, satis ex præcedentibus & sequentibus patet, quòd

A tet,quòd Dominus uoluerit respondere se esse, quẽ nequaq; deberent cõtemnere, sed potius summa reuerentia excipere,futurum ipsorum iudicem. Vnde cũ non intellexissent,quòd de Patre suo fuisset locutus,quando dixit, ueracem qui misit se,& quæ audisset ab eo,se loqui,addidit:Quando exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis,qui ego sim. Quid his aliud,q; suam iudiciariã potestatẽ illis significauit & minatus est? Exaltauerunt aũt Iudæi Dominũ,cũ se summe deiecisse eum affectũ morte crucis ignominiosissima, putarunt. Ea siquidem morte,functioni eius seruili & erumnosę finem imposuerunt,ut sic humiliatũ filium Pater ad dexterã suam exaltaret.De hac exaltatione & supra,3.in illud:Sicut Moses exaltauit serpentẽ. Porro illa:Et à me ipso facio nihil,coniungunt quidam, illi, cognoscetis &c. quasi Dominus dixerit,tum quãdo iam exaltatus fuerit, uisuros eos, quòd nihil à se ipso fecerit, quod non fuerit opus Patris,sed quòd ea tantũ locutus sit, quę à Patre didicerit &c. Sed possunt etiã legi,ut sint superioris confirmatio,in hũc modũ: Olim cũ me exaltaueritis per mortẽ,qua putabitis me penitus extinctũ,cognoscetis quid sim,primũ potentissime adeo se spiritu meo in credentibus mihi exerente,& omnes machinas uestras demoliente,deinde cum uidebitis me à dextris uirtutis Dei uestrum iudicẽ. Quia nihil à me ipso facio, nihil à me ipso loquor,quod nõ sit Patris & opus & uerbum.Is me nunq; solum relinquit, semper mecum est,quia quę ipsi placent ea facio ego semper,imò ipse in me omnia agit & loquitur. Quapropter graue uos manet iudicium,qui in me ita sæuitis.Non contra me uilem,ut putatis, hominem,sed contra Deum furitis. Alium igitur olim me sentietis,quàm nunc credere sustinetis. *Quando exaltaueritis.*

OBSER. Obseruandum est, quod ferè in omnibus sermonibus Domini, nisi ipse seruet, actum de omnibus esse,neq; posse nos nisi per ipsum,in cœlum,quo ipse abijt,peruenire. Ab infernis enim sumus, hoc est,caro sumus,unde ad terrena tantum propendemus Dominus aũt è supernis est, quia & Deus est, & homo spiritu
B Dei plenus,nullicq; peccato obnoxius.Hic igitur solus in cœlum ascendit,quia semper est in cœlo,de quo supra. 3. Nobis uero tũ dabitur eodem uenire,cum ipse nos suo spiritu innouarit,& sibi ipsi ita inseruerit,ut unum cum ipso simus,sicut ipse homo cum Patre unum est,quod ut suis infra.17. orauit,ita & dare solet. Deinde animaduertendum Patrem ueracem,qui quæcunq; incepit, non potest non perficere. Id debet & nobis spem confirmare,perfecturum eum,& quæ cœpit in nobis. Præterea non prætereundum,id esse argumento nobiscum Deum esse,si faciamus quę illi placita sunt.Exemplum quoq; in Domino est, ut in omnibus spectemus quæ sit bona Patris uoluntas, neq; dicamus aut faciamus ,quod nostri nobis affectus suggesserint,sed quæ didicerimus à Patre.

Hæc loquente Domino, crediderunt multi in eum.) Hic uides ut nunq; desint apes,quæ ex floribus uerbi Dei mel sugant, utcunq; inde aranei uenenum hauriãt.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderant ipsi.) AN. Verisimile est,& hypocritas,ut ferè fit, fuisse inter hos qui Domino uidebantur credidisse ,ad notandũ ergo hos,& confirmandum eos,qui uere crediderant,dixit dominus:Si manseritis in sermone meo , hoc est, toros uos doctrinæ meæ consecraueritis, cœpisse enim nihil proderit,ueri discipuli mei eritis, doctrinæ meæ uere capaces,unde & ueritatem rite cognoscetis,ipsam utiq; sapientiam æternę uitę,qua quæ uere bona sunt,& intelligetis & amabitis.Hęc tũ ueritas,uera , scilicet, scientia salutis,liberos uos reddet. Vt enim Deum recte per illam cognoscetis , ita nihil licebit quàm ipsi uiuere: quæ caro concupiscit, noxia plane agnoscetis, ab illis igitur abhorrebitis , neq; iam trahent uos affectus uestri,ut antea seruos, sed ut liberi reprimetis illos, uitámq; cœlo, Deoq; dignam meditabimini. *Quomodo ueritas liberet.*

Amen amen dico uobis, qui facit peccatum.) Non intellexerant illi, de qua libertate fuisset locutus, eoq; cũ semen Abrahæ essent, liberos sese arbitrabantur, explicabat ergo Dominus, se de animorum libertate locutum & dicebat: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Nemo enim ultro, quod malum est facit. Nisi igitur & iudicium deprauatum, & corrupti affectus prævalerent, homo nunquam peccatum faceret. Seruus igitur peccati est, hoc est, prauę concupiscentiæ, quę naturæ peccatũ est, quisquis peccat. Iam ut huic pestilenti iugo colla subducamus, unus nobis Christus præstat, libero donatis spiritu, qui & si in præsenti, nõ omnẽ peccati, hoc est, deprauati animi tyrannidẽ extinguat, fortiter tamen eã reprimit, neq; cedit, donec prorsꝰ illã deijciat, & eliminet. Recte itaq; dixit: Si filiꝰ uos liberos reddiderit uere liberi eritis. Vtq; ad ambiendã hãc à se libertatẽ illos magis incitaret, simile adiecit de seruo, qui in domo nõ semper manet, cũ filius semper maneat, quo significauit nos omnes filios Dei fieri oportere, id cũ nõ nisi per ipsum unigenitũ consequi possimus, recte intulit: Si igitur uos filius liberauerit, uere liberi estis. Dat enim ille spiritum, quo liberi & pronis animis quæ Dei sunt sectemur, quę sola uera libertas est. Quid enim profuerit carne orbi imperare, & animo esse seruum mortis? Etenim dum in nos concupiscentia imperium obtinet, agit ut ad peccatum, ita & ad mortem. Stipendia siquidem peccati mors, & si secundum carnem uixerimus, moriemur. De hac seruitute peccati, & libertate Christi, lege plura Rom. 8.

Seruus peccati qui peccat.

Vt filius liberet.

Scio quòd semen Abrahæ estis.) Hæc præcipue ad hypocritas, & hostes suos Iudæos, non eos qui sibi uere crediderant dixit, quanquam & his uoluerit per hæc iudicare, carnis libertatem pro nihilo apud Deum haberi. Docuit ex operibus æstimandam ueram & libertatem, & nobilitatem. Nihil referre carne ex Abraham natum esse, si non habeatur & spiritus Abrahæ, unde & uita atq; studium Abrahæ sequatur. Iam Abraham credidit Deo, & studiose coluit nuntios Dei, isti autem ueritati Dei, per Christũ adeo non potuerunt credere, adeo sermo Domini, qui nihil tamen loquebatur, nisi quod uiderat apud patrem, hoc est, certo sciret beneplacitum patris, locum apud illos nullum habebat, támque aberat ut eum sermonem, Dei sermonem agnoscerent, ut propter eundem, qui ipsa saluifica ueritas erat, interficere Dominum cuperent. Hinc ergo iure intulit, eos nequaquam esse filios Abrahæ, quorum nimirũ opera, id est, studia, studijs Abrahæ essent tam dissimilia, multo minus Dei, cuius filium & uerbum per filium prædicatum adeo non agnoscerent, qui tamen nequaquam à seipso uenisset, hoc est, non esset tantum homo, neque humana, sed omnia diuina loqueretur, uerum filius esset Diaboli, quem nimirum mendacij, & homicidij autorem & suasorem, odio ueritatis, & persequutione adnuntiantis illam, studiose & plene referebant.

Quare Iudæi filij Diaboli.

OBSERVATIONES

Obseruandum quæ uera libertas, & à quo petenda. Non trahi siquidem ad iniquitatem, & principali spiritu præditum esse, ut libere Deo uiuas, ea uera demum libertas est, eámque solus Christus, qui donat spiritum huius libertatis, confert. Animaduertendum deinde ingenium impiorum, qui placent sibi semper in ijs, quibus nequaq; meliores redduntur, ut est à sanctis genus ducere, uel institutum accepisse, aut aliud quippiã externum uel à sanctis, uel cũ sanctis cõmune possidere, Deum contrà nos à uita, à studijs, ab animo æstimare. Cæterum de ueris & germanis filijs Abrahæ Roman. 4. Galath. 3. & 4. plura. Neque prætereundum eos non posse Christum, simulatq; prædicatus eis fuerit, non amplecti, quicunque Deum patrem habent, id est, qui ex electis sunt, qui seminis Dei aliquid possident. Illico siquidem agnoscit mens Dei sensu prædita, ubi Deus, ubi uerbum eius. Contrà qui ex patre Diabolo sunt, id est, reprobis, illi iuxta desideria Satanæ, ad mendacium con-

A dacium contra ueritatem, eiusq; professores perpetuo aguntur. Nota etiam Diabolum, Ebra. Satanam, patrem dici mendacij & omnis peccati, quòd omne mendacium & peccatum, per ipsum in orbem uenerit.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Ego autem quia ueritatem dico, ideo non creditis mihi.) ANNOTA. Probat hic Dominus Iudæos non Dei, sed Diaboli patris mendacij filios esse, quia non alia caussa, quàm quòd ipse ueritatem loqueretur, non crederent, ideſt, non reciperent præceptorem ueritatis, nihil enim poterant aliud causſari, nullius culpę accusare. Subijcit igitur causſam cur sibi non sustinerent credere: Qui ex Deo est, inquit, id est, qui Dei spiritum habet, qui à Deo electus est, is audit uerba Dei, & fide recipit, hæc igitur & nulla alia causſa est, cur uos, quæ loquor Dei uerba non auditis, non recipitis, mihi non creditis, hęc enim omnia idem pollent, quàm quia non ex Deo, sed Diabolo nati estis. *Cur nõ crederent Iudæi.*

Responderunt igitur Iudęi.) Ita solet conuicta impietas, dum non habet quod respondeat ueritati, conuertit se ad conuitia. Conuicti erant esse filij diaboli, regerunt ergo mera animi impotentia, & nulla uel similitudine ueri dominum habere Dęmonium, & esse Samaritanum, quo uoluerunt intelligi, eum esse Legis & cęrimoniarum Dei transgressorem. De quo & supra. 4.

Ego Demonium non habeo.) Contentus fuit simpliciter maledictum deputasse, nisi quòd simul admonuit eos iudicij, quod ipsos maneret, eo quod ait: Sed honoro patrem meum. Vt uero suo more adsereret, ad quid uenisset, quidue ab ipso expectandum esset, nam erat illis, ne quid postea prætexerent ignorantię, ueritas apertissime indicanda, dicebat eis: Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, id est, receperit fide, uerúmq; agnouerit, non uidebit mortem. Nam
B istiusmodi certa expectatione beatæ resurrectionis, corpus dum fatum urserit, somno uerius quam morti cedunt, interim animis perpetua & beata in Domino uita perfruentes, de quo supra cap. 3. 5. 6. plura.

Abraham mortuus est.) Argumentum Iudæorum est, mortuos fuisse, non solum qui Abrahæ & Prophetis crediderunt, uerum etiam ipsos, insanum ergo esse dictum Domini tanquam se absq; ulla ratione sanctissimis Patribus & Prophetis preferentis.

Si ego me ipsum glorifico, nimirũ homo & sine testimonio diuinitatis. Id aũt cũ non posset Dominus dixit, hęc per imitationẽ uel concessionem, uti & supra plura. Cæterũ quòd dixit se à Patre glorificari, quẽ ipsi dicerent Deum suum esse, nec tamen cognoscerent eum, se autem ipsum ita cognoscere, ut si id negaret, non minus mendax esset, quã ipsi dicentes se illum cognoscere, nam uerbum eius seruaret, hoc est, uerum haberet, esset q; ei penitus addictus, hæc omnia & responsio fuere ad illorum obiectionem, cum id quòd se Abrahamo maiorem faceret, & præmunitio ad sequens dictum, quo adfirmauit Abrahamum exultasse, ut uideret diem suum, hoc est, reuelationem sui factam ipso iam in carne apud homines conuersante quam reuelationem Abraham iam perceperat, & iude gaudebat. In his sane uerbis Dominus se non solum maiorem Abrahamo, sed & saluatorẽ Abrahami confessus est. *Quẽ Abrahã in sua promissione uiderit.*

Hic uide rursus, ut longe plura semper sancti in promissionibus sibi factis, quã uerba uideantur indicare, intellexerint. Promiserat Abraham Deus, semen eius multiplicaturum, sicut stellas cœli, & illud portas inimicorum suorum possessurũ, tum per semen eius benedicendas omnes nationes terræ. Quis ex his uerbis aliud accipiat, quàm Deum uoluisse posteritatem, Abrahæ numerosissimam & uictoriosam reddere, tum ita felicem, ut ex ea commoda accipiant cunctæ quoque gentes orbis? Quid hic proprie de Christo? Attamen hic de Christo, & unico popu-

lo eius, qui est Ecclesia credentium, factam promissionem, Paulus Galatis affirmat, & iure quidem. Quid enim ab Ebræis ad gentes unquam peruenit, quod benedictio uere possit dici, quàm cognitio Dei, doctrinaq; pietatis? Neque sane benedictio fuit, quòd Iudei interdum gentes aliquot in seruitute detinuerunt, multo minus quòd plurimas penitus deleuerunt. Iam quando & per quem hanc benedictionem tandem gentes perceperunt? Vtique per Christum, qui diruto medio pariete, ex utroque populo unum fecit, qui Apostolos suos ad gentes misit, qui spiritum suum gentibus æque, imò amplius, quàm Ebræis donauit. Huius ergo diei, huius aduentus Christi & reuelationis, cum Abraham promissionem accepisset, certus factus se ista uisurum, exultauit, gaudio indicibili ob futuram hanc orbis redemptionem, perfusus. Iam uero Christo homine facto, munusq; suum obeunte, uiderat hęc etiam bona ex parte facta, unde sciebat breui & alia subsecutura, indeq; rursum gauisus est & amplius.

Sancti plura de Christo intellexerunt, quam cortex literæ indicet.

Sic & alij sancti longe plus de Christo ex scriptura intellexerunt, quàm cortex uideatur literæ indicare. Inde certe fuit generalis illa atque uulgata Christi expectatio, iam non apud Iudæos solum, uerum etiam apud Samaritanos, nec dubium quin & apud gentes, id quod testantur uaticinia Sibyllarum, Literam autem tectiorem esse Dominus uoluit, ut uidentes non uiderent, & mensa hæc in laqueum cederet reprobis, hinc uelum ob oculos Iudæorum positum, usque in hunc diem perseuerat.

Amen amen dico uobis.) Quia iterum dicturus erat quod Iudæis paradaxon erat, addit asseuerationem suam. Dixit autem, quod & aliàs, se non tantum hominem, sed & Deum esse, qui semper fuerit & sit. Qua ueritate ita Iudæos offendit ut uellent eum lapidare. Quod uero dixit, id significat, quod: In principio D erat uerbum.

OBSERVATIONES

Iterum notandum discrimen electorum & reproborum, hi nõ possunt Dei uerba, hoc est, ueritatem, Christique doctrinam audire, id est, fide recipere, etiam si nihil in ea queant culpare, contrà illi non possunt ei non accedere ac ita addicere se, ut nullis ab ea cruciatibus diuelli queant. Aeternam enim in illa uitam habent, seruant igitur eam, id est, fide perpetuo ei adhærent, ac ita mortem nunquam uident, animis semper beati, etiam si ad tempus crucietur, aut dormiat corpus.

Hi cognoscunt quoque Deum, & honorant, reprobi neutrum possunt, sed persequuntur Dei præcones & Deum blasphemant, Præcipue autem animaduertendũ, sanctos uiuere, uideréque apud Dominũ gloriæ eius profectum, atque inde gaudere uti Abraham uidit Diem Domini id est tempus reuelationis, imo ipsum reuelatum in carne, & gauisus est. Denique notandum Christum, & semper fuisse, & esse eóque Deum esse, ac etiam semper fuisse & esse sanctorum gaudium & salutem.

CAPVT NONVM.

Sectio. 1.



T præteriens Iesus, uidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius, dicentes: Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundo.

Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & illeuit lutum super ocu-

A per oculos cæci, & dixit ei: Vade, laua in piſcina Siloæ, quod ſi interpreteris, ſonat miſſus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens.

Itaq; uicini, & qui uiderant eum prius quod mendicus eſſet, dicebant: Nõ ne hic eſt qui ſedebat, & mendicabat? Alij dicebant, hic eſt: alij rurſus, ſimilis eſt ei. Ille dicebat, ego ſum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Reſpondit ille, & dixit, ille homo qui dicitur Ieſus lutũ fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad piſcinam Siloæ, & laua. Vt autem abij ac laui, uiſum recepi. Dixerunt ergo ei: Vbi eſt ille? Ait, neſcio. Adducunt ad Phariſæos eum, qui dudum cæcus fuerat. Erat autem Sabbathum, cum lutum faceret Ieſus, & aperiret oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum & Phariſæi, quomodo uiſum recepiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum mihi impoſuit ſuper oculos, & laui & uideo. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo, quia Sabbathum non obſeruat. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna edere? Et diſſenſio erat inter eos. Dicunt cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit tibi oculos tuos? Ille autem dixit, Propheta eſt. *Sectio. 2.*

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quòd cæcus fuiſſet, & uiſum recepiſſet, donec uocauerunt parentes eius qui uiſum receperat, & interrogauerant eos, dicentes: Hic eſt filius ueſter, quem uos dicitis cæcum natum eſſe? Quomodo ergo nũc uidet? Reſpõderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quòd B hic eſt filius noſter, & quòd cæcus natus eſt, quomodo autem nunc uideat, neſcimus, aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus. Ipſe ætatem habet, ipſum interrogate, ipſe de ſe loquetur. Hæc dixerunt parentes eius, quòd timerent Iudæos. Iam enim conſpirauerant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, è ſynagoga eijceretur. Propterea parentes eius dixerunt, ætatem habet, ipſum interrogate. *Sectio. 3.*

Vocauetunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos ſcimus quòd hic homo peccator eſt. Reſpondit ergo ille, & dixit: An peccator ſit, neſcio, unum ſcio, quòd cæcus cum fuerim, nunc uideam. Dixerunt ergo illi iterum, Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis, Dixi uobis iam, nec audiſtis, cur iterum uultis audire? Nũ & uos uultis diſcipuli eius fieri? Conuitiati ſunt ergo ei, & dixerunt, Tu diſcipulus illius eſto, nos autem Moſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus quòd Moſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus unde ſit. Reſpondit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile quiddam eſt, quòd uos neſcitis unde ſit, & tamen aperuit meos oculos. Scimus autem quòd peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & uoluntati eius obtemperat, hunc audit. A ſeculo non eſt auditum quòd quis aperuerit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, uon potuiſſet facere quicquam. Reſponderunt & dixerunt ei, In peccatis natus es totus & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. *Sectio. 4.*

Audiuit Iesus quòd eiecissent eum foras, cunctq; inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit, Quis est Domine ut credam in eum? Et dixit ei Iesus, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Domine, & adorauit eum. Et dixit ei Iesus, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant, & qui uident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis hæc, qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Num & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc uero dicitis, uidemus, idcirco peccatum uestrum manet.

ET præteriens uidit Iesus hominem cæcum.) ANNO. Tempus erat, ut apertius potentiam suam Dominus reuelaret. Quàm autem id saluti erat pijs, tam erat perniciei impijs, sed hactenus impijs quoq; gloria Domini detegenda fuit, uerum sic, ut magis excæcarentur. Huc seruijt, quòd Dominus & huic cæco, sabbatho uisum donauit.

Necq; hic peccauit &c.) Hoc est, potissima caussa ut hic cæcus nasceretur, fuit, ut gloriæ Dei illustrandæ esset occasio, non uel ipsius, uel parentum eius peccatum. Cęterum tamen solent morbi ob peccata immitti, ut docetur supra sexto, &. 1. Cor. 11. præter ea, quæ. 3. Moscheh. 26. legimus, caussa ut rogarent discipuli, cuius culpa ille ita natus esset, erat, quòd non uiderent cæcum ipsum peccare potuisse antecq; esset natus, neq; uidebatur eis dignum, ut ob parentum peccata filius pœnas daret. Significauit ergo Dominus, etiam mala immitti hominibus, ut in eis gloria Dei illustris fiat, uasa enim Dei sunt, & debent quouis modo, gloriæ inseruire conditoris sui. Gloriam Dei uides hic, pro saluatrice eius potentia accipi, ea enim in hoc cæco fuit manifestata.

De qua nocte hic Christus.

Me oportet operari.) Diem uocat tempus prę sentiæ, & iure quidem: lucebat enim ipse tum sol iustitiæ radijs doctrinæ & operum uitæ æternæ. Noctem uocat tempus in quo ex decreto Patris uacaturus esset ab eiusmodi operibus & doctrina. Ea nox Iudæis uenit, cum & ab ipso & Apostolis eius deserti fuere. Ipse enim lux mundi, hoc est, omnium hominum est, dum in mundo, idq; non solum suo corpore, sed multo magis suo spiritu, & per Euangelion. Illud: Nox uenit, cum nemo potest operari, de uita prę senti quidam intellexerunt, indéq; collegerunt, tantum in hac uita nos posse bona & Deo grata operari. Sed si quis consideret ipsa Domini uerba, manifeste uidet noctem ab ipso uocari, tempus suæ absentiæ. Et quod ait: Venit nox in qua nemo potest operari, alluśit more suo ad noctem uulgarem, in qua non possunt homines operari, hinc allegoricõs significauit instare tempus, in quo à Iudæis abiturus, nihil esse apud eos operum salutis, quæ tum faciebat, operaturus. Hoc igitur tempus, duplici nomine nox Iudęis futurum erat, & quod abfuturum erat, & quod abfuturus esset eis sol iustitię, qui solus sua prę sentia diem gratiæ facit, & quod idem tanquã in nocte, nihil esset apud illos, pro illorũ salute facturus.

Opera mystica.

Expuit in terram.) Ex mysticis illis operibus hoc fuit, de quibus supra in capi. 3. in illud: Sicut Moses exaltauit serpentem, circa finem eius annotationis diximus. Iis rebus usus est ad aperiendũ huic cæco oculos, quibus nemo dubitare potuit, huiusmodi uirtutem nequaq; inesse, sed totum opus esse uirtutis ipsius, hinc itaq; monuit, nõ minus & in alijs quibuscunq; operibus, omnia se solum sua uirtute perficere, quódq; adhibere, tanq; cooperantes aliquas creaturas dignatur, nequaq; id propter opus facere perficiendum, sed propter honorandum creaturas suas, quas ita ad bonitatis suę ministeriũ, & uirtutis suę cooperationẽ, admittit. Cęterum in Matth. aliquoties indicaui, quòd Dominus quosdam, solo uerbo, quosdam uero contactu corporis

A ctu corporis sui sanauit, hoc eum indicasse pretium carnis suæ, per quam salutem nostram operatus est, illo uero, uerbo se omnia posse perficere, etiam absente carne eius, ne displiceremus nobis, quibus corporis sui præsentiam subduxit.

Piscina Siloam, ἡ κολυμβήθρα erat, id est, natatorium, sicut & illud supra. 5. Hieronymus qui in ea regione habitauit, & oculis omnia conspexit, ita scribit in. 8. capit. Iescha. Siloam autem fontem esse, ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis, diebusq; ebulliat, & per terrarum concaua, & antra saxi durissimi, cum magno sonitu ueniat, dubitare non possumus, nos præsertim qui in hac regione habitamus. Hæc ille. Ex hoc igitur fonte, maxime cum interruptis uicibus manet, & sit in ea regione aquarum penuria, facta erat natatio, quæ & ipsa Schiloach dicebatur. Nam Nehemiah. 3. שלח בובת id est, piscina uel natatio Schiloah legimus, quam etiam à Iescha. notatam uerisimile est, cum opprobrans populo, quòd contempto regno Iudah, ad uirtutem respexisset regum Syriæ, & decem tribuum, per metaphoram regnum Iudah uocauit aquas Schiloah leniter euntes. Id enim de fonte, si magno cum sonitu ut credendum Hieronymo uidetur ueniat, non commode diceretur. Chald. dicitur שילוחא Schilucha, inde Græci pro ש suo σ usi, extrita aspiratione ח & ad finem μ adiecto, fecerunt Siloam. Id uero missum significat, quod & Euangelista more suo interpretatus est. Mysticos intellectus, requirant alij. Euangelistas scio dedisse operam, ut quorum ipsi monere uellent, ea aperte indicarent. Et hic satis didicero, si Christum meum omnium habere potestatem, & salutificam suorum, rite agnouero. Siloam.

OBSERVATIONES

Obseruandum primum, omnia quæ nobis accidunt gloriæ Dei seruire, æquanimiter igitur illa feramus. Figmentum Domini sumus, & si ipsum agnoscimus,
B quocunq; suam in nobis gloriam ipse illustrat, eodem & nostram salutem promouet. Deinde ex eo, quòd discipuli rogabant, an peccasset ipse cæcus, quòd esset cæcus natus, conijcere dant, quàm uulgaris fuerit illa de transitu animarum in multa corpora, opinio. Vbi enim cęcus hic peccasset nondum natus, ut cæcus nasceretur, nisi anima eius in alio quopiam corpore deliquisset? Vt autem stulta erat hæc opinio sic indignam habuit Dominus natam ex ea interrogationem, cui responderet. Quanq; nec de peccato parentum quicquam dixit, eo quòd magis è re discipulorũ esset rectà eos ducere ad cognoscendam primam cæcitatis huius caussam. Postremo obseruandum: Si Christus lux mundi est, non esse mirum si ita mundus insaniat, & horrende omnibus in rebus impingat, dum ille uerbo & Euãgelio, eoq; & spiritu suo ei abest. De his & in. 1. capi. & supra. 8.

ENARRATIO SECTIONIS. II.

Itaque uicini & qui uiderant eum.) OBSERVA. Obseruandum ut omnia Deo inseruiant. Etiam quòd mendicus hic fuit, momentum ad gloriam Dei aliquod habuit, hinc enim multis notus erat, idq; caussam tum dedit, ut ad notitiam plurimorum hoc Domini factum peruenire. Ad idem seruijt, quòd Sabbathum esset: tum enim homines uacabant, & templum ante quòd cęcum istum sedisse mendicantem uerisimile est, frequentabant. Deniq; quod & ad pharisæos ductus fuit, ad idem contulit. Videntur autem illi uicini & noti, cæcum nequaquam malo animo ad pharisæos duxisse, sed quòd cuperent illis indicare Dominum quem ita persequebantur, nequaquam esse hominem malum, qui tantum, scilicet, fecisset miraculum. Sed notandum rursus ingenium impietatis. Tam inauditum Diuinę potentię miraculum adeo nihil potuit mouere illos, ut mitius de Domino sentiret, ut illico inde calumniæ occasionem arriperent, quòd Sabbatho illud fecisset.

Id uero

Iste Sabbathũ non obseruat.

Id uero quod dicebant, Quia Sabbathum non obseruat, significationem etiam habet prioris signi Sabbatho editi, de quo supra. 5. Quasi dixissent: Iste Sabbathũ pro nihilo habet, iam secundo illud uiolauit. Videntur enim mihi quę Euangelista quinto capite narrauit, cum ijs, quæ. 7. & sequentibus, haud multum inter se distantibus temporibus accidisse, neq; multum antequam Dominus passus est. Sub tempus enim supplicij Dominus clarius diuinitatem suam cum uerbis, tum factis exeruit, iam noster Euangelista, ea præcipue quibus Domini diuinitatem ostensa est apertius, sibi narranda desumpsit: quare quæ gesta, quosq; Domini sermones memorat, maiore ex parte, ex ijs quæ cũ non procul abesset tempus immolationis eius, facta dictaq; ab ipso sunt, esse credidero. Quòd aũt non tam is qui fuerat cæcus, quàm & alij hoc facto Domini moti, nequaq; eum pro homine peccatore, legisq; Dei cõtemptore, uti eum Pharisæi criminabantur, sed pro Propheta, id est, diuino homine agnouerunt, in eò uide Dominum, utcunq; mali factis dictisq; eius perpetuo offenderentur & peiores fierent, electis tamen saluatorem, cum uerbis tum gestis suis fuisse. Sic & nos dum prouirili operibus Dei insti terimus, quanquam semper id malo cessurum sit reprobis, frugem tamen bonam adferemus electis. C

ENARRATIO SECTIONIS III.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo,) OBSERV. Vide hic ut quærat impietas quo pietatem calumnietur, præter spem sane sperabant hunc non esse, qui cæcus fuisset, ita agebat illos Satan. Ex eo, quòd conspirauerant Iudæi eos ejiciendos Synagoga, qui confiterentur Dominũ Christum esse, animaduertimus, iam tum peccre buisse atq; iactari cœptum fuisse eum esse Christum. Hinc etiam notandum, quã sit intolerans uerę iustitiæ mundus. Quæ unquã maior innocentia, quæ maior modestia, quæ maior in omnes officiositas uisa erat, quàm in Christo omnibus conspicabatur? hunc tamen tanto potuerunt odio persequi, qui in mundo erant optimi, ut eos etiam bona tantum de eo, eaq; uerissima testantes, indignos sua communione haberent, idq; prætextu institiæ studijq; Dei. Quid igitur turbet, cum & nos mundus odio habet, suisq; Synagogis ejicit? D

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Vocauerunt ergo rursum hominem.) ANNOT. Nos scimus quòd hic homo peccator est. Peccatoris nomine intellexerunt eum qui studio, & citra pudorẽ peccaret, qualem nos, nebulonem, uel scelestum, uocamus. Nam significare uolebant, Dominum data opera legem DEI transgredi, unde quod hic dixerunt perinde est, ac si dixissent Germanice, uuir uuissen das der mensch ein buob ist, id est, scimus hunc nebulonem & sceleratum esse. Tales utiq; habebantur, & qui aliàs in Euangelicis historijs, peccatores cognominantur.

Scimus qui t peccator est.

Dixi uobis iam, & non audiuistis.) Hic uide, uerbo audire, Euangelistam, pro credere, uti. Nam hoc: & non audiuistis, idem pollet, ac si dixisset: & non credidistis, quid igitur uultis id iterum audire. Ecce posterius audire accepit simpliciter, prius autem pro credere.

Quid audire.

Non scimus unde est.) Hoc est, unde nobis missus, & cuius spiritu instructus ad ueniat: quare hoc dictum ut absurdum, recte illi qui cęcus fuerat, obiecto miraculo in se facto, reiecit. Illud enim satis testabatur, unde Dominus esset, nimirum à Deo, quia ut cõmodum subiecit, Deus peccatores, id est, malis studijs intentos, non audit, ut, scilicet, uirtutem suam ad eorum precationẽ, & ad hoc ut ipsi in pretio habe rentur, sic declaret, sed pijs & suę uoluntatis studiosis hunc in modum adesse solet. Inauditũ erat, quod fecerat Dominus signũ, inde apertissime patebat, ipsum à Deo esse, id est,

Nescimus unde sit.

esse,id est,diuinitus missum, & negociũ Dei agere, uirtuteq; diuina esse instructũ.

A Hinc etiam roboratur quod supra.7.in Sect.4.diximus,de eo:Hunc scimus unde est,Christus aũt cũ uenerit,nemo cognoscet unde est. Vt nanq; hoc suo dicto Iudæi significare uolebant,se scire Iesum filium Ioseph esse,neq; nisi humana & nihili uirtute ac sapientia præditum: Christũ aũt uenturũ ea uirtute & sapientia,ut nemo possit inire rationem,unde tanta accipiat, quis tantis eũ ualere donet, sic eo, quod hoc loci dixerunt,nescimus unde sit,dicere uoluerũt,se scire,quòd sua Moses à Deo acceperit,nescire aũt,unde Dominus sua,quæ docebat & agebat. Atq; ita impleuerũt partim illud de Christo uaticinium,quod ipsi iactarunt, fore tam admirabilẽ Christũ,ut nemo posset cognoscere unde tanta uirtute & sapientia prędituș ueniret, ipsi siquidem hoc cognoscere non potuerunt. Cęcus aũt hic & alij pij ex signis quæ faciebat,cognouerunt quòd à Deo esset & Deus ista omnia per ipsum operaretur,plenam tamen & ipsi huius cognitionem habere non potuerunt, ut & in ipsis idem uaticinium impleretur,quia utiq; deitatem Christi plenè nõ agnouerunt. At illam pernosse,est plenè demũ scire unde Domin⁹ sit,hoc est,quòd à Deo & ipse Deus sit.

Quid illud? Scimus,uel nescimus unde sit.

Non potest facere quicquam.) Subaudi huiusmodi.Nullum enim tantum signum faciet,qui id non acceperit à Deo.

In peccatis totus natus es.) Id inde,quòd cæcus fuerat,colligebant,sed falso, nã non ideo ita cæcus natus fuerat, quòd uel ipsius, uel parentum in eo peccata punirentur,sed ut Domini in eo manifestaretur gloria.

OBSER. Præter furorem & ardens calumniandi studium in Pharisæis, quod & in superiori Sectiuncula graphice satis depictum est, obseruanda est constantia huius qui cæcus fuerat. Sic sanè solent constantissimi Christũ confiteri,quicunq; Christi cognitione uere donati sunt. Nec sinunt se ab ea confessione eo absterreri,quòd uident se à primoribus mundi,hominum consortio indignos iudicari & eiici.

B

ENARRATIO SECTIONIS. V.

Audiuit Iesus quòd eiecissent eum foras.) ANNO. Tu credis in filium Dei? Et hic uides filium Dei uulgo Messiæ cognomentum fuisse nam in Messia expectabant Dei imaginem perfectissime refulsuram,de hoc & supra cap.1.in Sect.10.

Ctedo Domine.) Adoratione hac Dominũ ut Christũ agnouit.Sic citra moram ad filium perueniunt,quos Pater traxerit,id est, qui audierint à Patre & didicerint.

In iudicium ego in hunc mundum ueni.) Iudicio res mutari solent.ipse uenerat res Iudaicas penitus inuersurus, nempe ut non uidentes,iam uiderent,& uidentes cæci fierent.Alluśit aũt ad id,quòd illi cęco dederat uisum,quasi dixisset: Vt ego te, qui nihil uidentẽ reddidi corpore,ita & te,& alios,quos oculati illi & sapientes mũdi ut cæcos in rebus Dei contemnunt, quiq; etiam nihil earum rerum uidebatis, sed neq; uolebatis haberi illarum uidentes, oculis dono spiritus,ut ista perui deatis, ametis & possideatis æternum beati. Ita oculatos illos sapientes,qui multa sanè uiderunt uulgo incognita, & plura adhuc uidere sese arbitrati sunt,fulgore ueritatis, quam doceo,quoniam oculis spiritus,nati ex Diabolo carent, omni cognitione ueri nudo, ut omnem sensum recti amittant,planéq; cæci, contra me lapidem angularem, immotũ omnibus omnium uiribus,irruant,& confringantur,quos ego quoque tandem & in eos decidens,totus comminuam.

An nõ cæci fuerunt hi Pharisæi, qui Christum nihil nisi omnium salutem operantem,tanto furore persequebantur? Certe antequam hic sol oculis eorum illuxerat,antequam Dei uirtutem in eo conspexerant, nõ ita insaniebant, nequaquã tam multa contra sensum communem faciebant. Sed tum uisum est Satanæ,in eum furorem illos agere cum à Domino labefactari uideret suam tyrannidem. Sic hodie quoq;,proh dolor,uidemus minime paucos,qui paulo ante satis prudentes,cordati

& huma-

& humani habebantur, nunc aũt Euangelij lampade excæcati, & in furorem acti, C quæ maxime ſibi prodeſſent, etiam ſecundum carnem reſpuunt, eaq; ſectantur, quibus ſibijpſis certam, non animi ſolum, ſed & corporis perniciem, adciſcunt. Dicunt & agunt, ut qui eos ante nouerit, iuret ex admodum oculatis, factos maxime cęcos, imò inſanos, ac ſenſu cõmuni deſtitutos. In iſtis uides hoc iudicium, ad quod ſe hic Dominus teſtatur ueniſſe in mundum.

Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum,) Vide clare hic, peccatum illud demũ damnare, quo cognita ueritas reijcitur, unde equidem non dubito, cum Paulo ueniam conſecuturos, quotquot ex ſola ignorantia peccant, & ueritatem uel negligunt, uel etiam perſequuntur. Reprobis tandem innoteſcet ueritas, ut ipſi uidentes ſe dicant, & ſint adeo, ut omnis iguorantiæ prætextus eis auferatur, de qua re ſupra. 17. plura. Tales iam erant & iſti Phariſæi, ea audierant à Domino & uiderant in eo, ut animus eorum conuictus eſſet, eſſe illum Prophetam Dei, adhuc agente eos ui Satanæ, perſequebantur eum odio exitiali, ideo peccatum eorũ manſit, nulla prorſus uenia dignum, quia contra ſpiritum ſanctum erat, ſeſe tam, ſcilicet, aperte in Domini dictis & factis, quæ non potuerunt niſi diuina uideri, exerentem, ut nullus omnino relinqueretur inficiandi locus. De his & in Matth. 12.

OBSERVATIONES

Diſcrimen electorum & reproborum. Obſeruandum ut illico Chriſtus excipiat, quos mundus abiecerit, quibus cum ſe mox plenius agnoſcendum prebet, ſic conſolatur & beat, ut ne pili faciant iacturam mundi. In reliquis iterum notatur diſcrimen electorum & reproborum, quibus idem Chriſtus adfert tam diuerſa, ut hi ad deſtinatam eis perniciem, illi ad paratam eis ſalutem, eo accedant propius, quo plus Chriſtum cognouerint. Ita ſe habuit ſemper & habebit Chriſtus, non minus in ſuis, quàm olim dum carne adeſſet, D

CAPVT DECIMVM.

Sectio. 1. AMen Amen dico uobis qui non intrat per oſtium in ſtabulum ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Huic oſtiarius aperit, & oues uocem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiſerit, ante eas uadit, & oues illum ſequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non ſequentur, ſed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorũ. Hoc prouerbiũ dixit eis Ieſus: illi autẽ non cognouerunt, quæ loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen amen dico uobis, ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot ante me uenerũt, fures ſunt & latrones, ſed uon audierunt eos oues. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſeruabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.

Sectio. 2. Fur non uenit, niſi ut furetur & mactet ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant. Ego ſum paſtor ille bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deſerit oues fugitq;, & lupus rapit ac diſpergit oues, mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & oues non ſunt illi curæ. Ego ſum paſtor ille bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Sicut nouit me Pater, ita & ego noui Patrem, & animam meam pono, pro ouibus. Et alias oues habeo, quæ nõ ſunt ex hoc ouili, illas quoq;

a quoq; oportet me adducere,& uocem meam audient,& fiet unum ouile,unus pastor.Propterea me Pater diligit,quia ego pono animam meã,ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.Potestatem habeo ponendi eam,& potestatem habeo rursus sumendi eam,hoc mandatũ accepi à Patre meo. Dissentio igitur iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos.Dicebant autem multi ex ipsis,dæmonium habet,& insanit,quid eum auditis?Alij dicebant:Hæc uerba non sunt dæmonium habentis.Num dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Facta sunt autem encænia Hierosolymis, & hyems erat,& ambulabat Ie- *Sectio.3.*
sus in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei:Quousq; animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenue.Respõdit eis Iesus:Dixi uobis,nec creditis. Opera quæ ego facio nomine Patris mei,hæc testimonium reddunt de me.Sed uos non creditis,quia nõ estis ex ouibus meis,quemadmodum dicebam uobis. Oues meæ uocem meam audiunt,& ego cognosco eas, & sequuntur me,& ego uitam æternam do eis,nec peribunt in æternum,neq; rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi,maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei.Ego & Pater unum sumus. Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi,ut lapidarent eum.

Respondit eis Iesus? Multa bona opera ostendi uobis ex Patre meo,pro- *Sectio.4.*
b pter quod eorũ operum me lapidatis? Respõderũt ei Iudæi,dicẽtes:Ob bonũ opus non lapidamus te,sed ob blasphemiã, & quia tu homo cũ sis,facis teipsum deum.Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege uestra: Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura de eo, quem Pater sanctificauit,& misit in mundum, Vos dicitis me blasphemare,quia dixerim,filius Dei sum,Si non facio opera Patris mei,nolite credere mihi,sin uero facio,& si mihi non credatis,operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quòd Pater in me est, & ego in eo. Quærebant iterum eum apprehendere,& exiuit de manu eorum,& abijt iterum trans Iordanem in eum locum,ubi fuerat Ioannes baptizans primum,mansitq; illic.Et multi uenerunt ad eum,ac dicebant,Ioannes quidem signum edidit nullũ.Omnia aũt quæcunq; dixit Ioannes de hoc uera erant,& crediderũt multi illic in eum.

AMen dico uobis qui non intrat per ostium.) ANNOTAT. Parabolam hanc protulit Dominus partim contra Pharisæos,qui non uidentes solum,sed & duces uolebãt esse, lumenq; cœcorum,partim illos, qui ante ipsum Christi se nomine populo obtruserant, qualis Gaulonites Iudas fuerat, qui in diebus census seditionem excitarat,de quo Act.5.& apud Iosephum Vtriq; enim non erant ingressi per iustum ostium in ouile,hoc est, ouibus Dei sese ingesserant, non succenturiati ab ipso. Per ipsum enim ut Verbum Dei quemadmodũ facta sunt,ita & instaurari oportet omnia,ita missi quoq; sunt,& subdelegati,quicunq; salutaria unquam docuerunt. Quicunq; autẽ ante ipsum uenerunt,non per ipsum, non ipsius instructi spiritu, ij fures fuerunt & latrones,tantum enim ad perniciem ouium uenerũt,omnisq; doctrina eorum huc

Qui sunt uenientes aliunde.

institutâ fuit, ut ipsis lucrum, ijs qui eam susciperent damnum & mortem adferret, sed oues, hoc est, electi, non audierunt, nõ sunt secuti illos, dedentes se illis toto corde, ita ut sese dedunt Christo & ijs qui Christi doctrinam pure prædicant. Hi ergo auersati sunt pharisæos suis traditionibus legem Dei eneruantes, quod his dominus 15. Matth. opprobrauit, quòd per seditiosos illos, qui carnalem populo libertatem, & auxilia Dei pollicebantur, reddiderunt auscultantes sibi seditiosos & sicarios, uti narrat Iosephus libro, 18. Antiqui. cap. 1. Et lib. 2, de bello Iudaico cap. 7. & alibi. Porro illud quod ait: Omnes quotquot uenerunt ante me, uidetur proprie pertinere ad eos, qui ante Domini prædicationẽ tanquam liberatores populo sese uenditauerant, & sic Chrysostomus hunc locum enarrauit, quanquam equidem non dubitem hæc & ad scribas & pharisæos pertinere, qui clauem scientiæ rapuerant, & humana sua figmenta pro Lege dei docebãt, suo lucro ubiq; studentes, id quod Matth. 15. & 23. obiectum illis à Domino legimus. Vtiq; & isti non per dominum, uerum ostium fuere ingressi, & non uenerant nisi ad perdendum oues. Non sic autem prophetæ & sancti patres, ij enim per dominum qui est antequam Abraham erat, non aliunde in ouile Dei ingressi sunt, ueriq; uocem pastoris, & ideo salutem ouibus attulere.

Christus ostiũ ouium & pastorum.

Ego sum ostium.) Ostium se facit, & uerorum pastorum, & ouium. Pastores, id est, ueri doctores per eum ingrediuntur ad oues, dum ab ipso missi, & eius instructi tum uerbo tum spiritu, ueniunt ut ea oues doceant, quibus saluentur. Oues uero, id est, omnes electi, per eum ingrediuntur, cum omnem in ipsum fiduciam suã collocant, omniaq; ab ipso, ut saluatore suo expectant. Sic sane ingressi in Ecclesiam, saluabuntur. Credentes enim in dominũ uitam habent æternam, ingredientur, & egredientur, & pascua inuenient, id est ambulabunt & uiuent fœliciter, nihil deficiente eos bonorum. Non enim possunt esurire, uel sitire qui ueniunt ad Christum, id est, credũt in Christum, hoc est, ingrediuntur per Christum. Nam omnibus istis allegorijs idem significauit.

OBSERVATIONES

Obseruandum, quod & in omnibus Domini de se ipso sermonibus, ipsum unicum esse saluatorem, à quo, & per quem uenit, quicquid salutare unquam electis contigit, aut contingere possit. Deinde ita datos ipsi à Patre electos, ut nequaent diuersa docentibus auscultare, ita ut eos penitus animo sequantur, etiamsi nonnunquam ad tempus illos suspiciant & sic errent. Semper enim in eis dũ errant, est quidam renisus, nec possunt, ita ut reprobi, sese totos mendacio dedere. Hic autem audire & sequi, significat, sese penitus addicere, siue Christo ad salutem, siue impostoribus ad perniciem. Nemo siquidem est, qui non sępe alienorum uocem audiat, cũ omnes cupiditatibus, & suggestionibus, tum & Apostolis satanæ errorum satoribus identidem auscultemus. At sequi alienos, hoc est, relicto penitus Christo, prorsus se alienis tradere in discipulos & sectatores, id non possunt, quos Pater donauit filio. Vocat enim tandem quos prędestinauit.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Fur non uenit nisi ut furetur.) ANNOTAT. Antithesin furis, & pastoris, tum ueri pastoris & mercenarij ponit, idq; ut quid ipse suis ouibus sit, exponat. Fur, inquit, uenit ut furetur, mactet, & perdat, se autẽ uenisse, ut credentes sibi uitam habeant, & abundantius habeant, hoc est, ut uitam æternam fide percipiant, quæ per spiritum eius semper incrementum accipiat, donec plene perfecta beataq; reddatur.

Vitam abundantius accipiunt.

Hinc iam agnosci uult, uerus pastor ouium, útque se magis commendet tanquam non proprium solum, sed & optimum pastorem, addit se pro ouibus animam suam ponere, neque deserere eas in periculo, uti mercenarius solet, denique & ex eo se uerum bonumq; pastorem probat, quòd cognoscit suas oues, & cognoscatur ab eis.

A eis. Errant quidem, ut dixi, nonnunquam & oues quod & infra indicat, cum dicit, se habere adhuc oues alias, quas oporteat se adducere, sed quia tandem audiunt uocem pastoris & sequuntur in iustum ouile, non possunt in errore perseuerare. Neque enim potest inanis esse electio Dei quos prædestinauit, hos & uocabit, filioq; suo adducet tandem.

Quemadmodum cognoscit me Pater.) Nisi aliqua omissa hic sint ab Euangelista, qui ut aliquoties monui, non omnia uerba Domini narrare instituit, citra distinctionem à superioribus ista legi debent, & iungi eis in hunc sensum: Ego cognosco meas oues, ut me cognoscit Pater, & cognoscor ab illis, ut Pater à me cognoscitur. Iam Pater cognoscit sic filium, ut eum nunquam deserere possit, sed omnia in gloriam eius attemperet, sic iam & ipse cognoscit oues suas, in quarum salutem omnia & facit & patitur, filius uero cognoscit Patrem, ut in omnibus gratiæ eius studeat, sic pendebunt & oues eius tandem ab ipso. Hæc confirmat cum iterum dicit, se animam suam ponere pro ouibus. Quæ possit hac maior cura, & dilectio fingi? Vere itaq; cognoscit suas oues Christus, ut ipsum Pater.

Et alias oues habeo.) De electis ex Gentibus loquitur, quæ non erant de ouili, in quo pridem erant electi ex Ebræis & has igitur adducturum se ait easq; uocem suam audituras, quod Apostolorum tempore comprobarum est, factumq; ita est unum ouile, id est, una Ecclesia ex Gentibus & Iudæis congregata sub uno pastore, capite huius Ecclesiæ, Christo. Frustra autem expectabunt noui Origeniani, ut omnium mortalium, unum ouile fiat, sunt enim muti hœdi, qui non ad ouile pertinent, atque ideo separabuntur ab ouibus in die iudicij, & detrudentur in hœdile, gehennam ignis inextinguibilis.

Factum est unum ouile ex gentibus & Iudæis.

Propterea me Pater diligit.) Digressio est, qua declarauit, quomodo pro ouibus suis animam esset positurus, nequaquam sane morti aliquid debens, sed ultro, idq;
B sic, ut resumpturus illam esset, sua ipsius uirtute. Vnde quod dicit, hoc est: In eo declaratur Patris in me amor, ex hoc certum est diligi me à Patre, quòd animam meã pono, ut iterum assumam eam. Diuina utiq; hęc uirtus est, ea igitur cum in me conspicietur, quis inde non agnoscat summe diligi me à Patre, qui me hominem ita assumpsit per uerbum suum, ut idem sim & Verbum eius & uerus homo, sed homo sanctus, homo diuinus, cui uitam auferre nemo queat, quique mea sponte positam diuina uirtute resumere ualeam? Cui quæso obscurum esset unice me Patri charum? Si quis autem solum attendat, quod Dominus de ponenda anima dixit, intelligi ista & hoc sensu possunt: Quandoquidem ex mandato Patris animam meam uolens, morti nihil obnoxius, pono pro ouibus meis, ideo Pater me diligit, & est me summe honoraturus.

Hoc mandatum accepi à Patre, hoc est, in hoc missus sum, ut moriar pro peccatis ouium, id est, electorum, & resurgam propter iustificationem eorum, Rom. 4.

Schisma igitur rursum factum est.) Quo enim clarius diuinitatem suam prodebat, eo magis & electorum atq; reproborum reuelabatur discrimen.

OBSERVATIONES.

Vnus Christus, uere bonus pastor est, quia unus pascua uitæ ęternæ ouibus morte sua meruit, & spiritu suo administrat. Cooperarij eius esse possumus, quatenus & nos pastores dicimur, sed quia plantans & rigans nihil est, nihil huius nos uel esse, uel dici uere possumus, nisi auditorum animis spiritus Christi, quæ ex eodem instincti nos loquuti fuerimus, persuadeat. Idem faciet pro ouibus inuigilare, ac nullo eas in periculo deserere, quia & si nostræ nõ sint oues proprię, sunt tamẽ pro prię eius, cuius nos spiritus agit, & cuius nos proprij sumus. Mercenarij recte dicẽtur, qui sua tantum quærunt, non quæ Iesu Christi, ij nullum propter oues periculum adibunt.

Christus unus pastor est, nos eius serui.

Deinde obseruandũ,tandem electos omnes ad unum Christi ouile perducendos, quòd eos Christus cognoscat,sicut ipsum pater,quare negligere eos tam non poterit, quàm nequit illum derelinquere pater. Hoc utinam rite perpendamus,nihil enim æque fidem nostram confirmabit & augebit.

Animaduertendum denicp unum Christum esse,qui morti homo nihil debuit, ideo tollere animam eius nemo potuit.Quid iam de eo nõ speremus,qui ultro pro nobis mori sustinuit, nostrecp salutis caussa resurrexit,indubie ut & nos resurrectionis beatæ participes faceret?

ENARRATIO SECTIONIS III.

Coortum inter auditores schisma iterum monet,nunquã deesse pastoris uoci suas oues. Facta autem sunt Encænia Hierosolymis.) ANNOT. Festum erat dedicationis altaris instaurati per Iudam Machabæum,post contaminationem factã per Antiochum,de qua legis .2.Mach .2.Ebræi חנכה ,illud uocant, hoc est, initiationis. Vnde pulchre quadrat nomen Græcum ἐγκαινίων Celebrabatur uero hoc festum, ut & hodie apud Iudæos die uigesimo quinto mensis Cisset,qui nostro Decembri respondet.

Dixi uobis & non creditis.) Vbi enim se esse panem uitæ, & lucem mundi aliacp huiusmodi testatus est,se Christum esse prædicauit, Iudæi aũt nihil horum crediderunt:Dominus ergo ad opera sua,quæ in nomine patris,hoc est,uirtute patris, & ut à parte missus faciebat,more suo prouocabat, ea enim cum omnem creaturæ potentiam longe superarent,certum satis de diuinitate ipsius testimoniũ perhibebant,si modo agnoscendi diuina, Iudæis facultas fuisset.Sed non erant ex ouibus Domini,hoc est, donatis Christo à patre,non erant ex electis ad uitam, ideo omni spiritu Dei bono carebant, animales toti, necp potuerant Domino credere,aut ut seruatorem ipsum amplecti,

Non possunt perire electi.

Oues meæ uocem meam audiunt,)In his aperte docet,omnia à diuina electione pendere.eoscp quibus semel datum fuerit oues esse,perire nunquã posse.Hic nanque audimus, eos tantum uocem Christi audire,id est,fidẽ recipere,qui oues sint. Iam unde erit ut alij oues,hoc est,capaces doctrinæ Christi sint, alij minime:Indubie quòd bono illi spiritu Dei afflati sunt,hi nequaquã.Nam.1.Cor.2.Paulus aperte spiritu prædítis cognitionem diuinarum rerum tribuit,spiritu carentibus,ut animalibus,adimit. Vnde autem erit ut illi spiritu donentur, hi secus?Haud profecto

Vnde detur spiritus

aliunde quàm quòd illi ad uitam ordinati sunt,hi secus, quòd illi filio saluandi donati sunt,hi nequaquam.Domino ergo demus hanc gloriam, ut ipse spiritum det, nihil nostra opera adiutus Eum autem ubi dare instituit,tum ad erudiendũ & monendum cooperari ipsi possumus,si tamen ipse sermonem nostrum eodem spiritu, ijs quibus loquimur,donet recte percipere. Vnde hic Dominus subijcit:Et cognosco illas,hoc est,curæ mihi sunt,& hinc certe est,ut ipsum oues sequantur,uitamcp uiuant,quę finem nescit.Ipsi illas pater dedit,ut eis suppeditet uitam æternam,tam igitur non poterũt è manu eius,quàm è patris manu,qui maior & potentior omnibus est,eripi. Vnum siquidem sunt ipse & pater,eadem est utriuscp uirtus & potentia,Germanice,es ist ein ding der uatter und der sun. Quare ut de manu patris nemo potest electos rapere,ita necp de manu Christi.Dum igitur æternũ in manu saluatrice Christi oues perseuerant,perire certe nunquam possunt, necessecp est, eas uitam habere ęternã,de qua supra plura.Primi hi sunt,ut nouissimi nunquã fiant.

OBSERVATIONES.

Iterum obseruandũ,à sola Dei electione esse,ut oues simus,& Christum sequamur,tum tales excidere nunquam posse. Quia unum sunt pater & filius, eandem manum habent,id est,potentiam,de qua nemo unquam rapiet eos,quos illa semel apprehenderit saluandos.Apprehensi autẽ sunt quibuscunque datum fuerit Christi

A sti uocem audire & sequi. Id siquidem nulli possunt nisi oues sint, si iam oues in manu Christi & patris sunt, ut nunquam pereant, sed habeant uitam æternam.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo.) ANNOTAT. Hic rursum uides, quod ostendere uel demonstrare, Græce δεικνύειν, pro exhibere, & dare ab Euangelista accipitur. Exhibuerat siquidem Dominus multa iam bona opera, quibus mirum salutē attulerat hominibus, quale fuerat illud supra .5. & illud quod iam 9. memoratum est, quæ opera ex patre demonstrata fuere, id est, diuina uirtute præstita. Iis iam Dominus indicarat, quid à se expectandum esset, nimirum nihil nisi certam salutem & uitam æternam, id credere hortabatur Iudæos, & declarabat sua omnia patris esse, ut certo ipsi fidere possent. Hæc uero erant, quæ ita irritabant illos nihil nisi bona & saluifica opera. Recte igitur rogabat eos, propter quod suorum bonorum operum uellent se lapidare. *Quæ bona opera Domini*

Quia tu homo cum sis, facis te Deum.) Palam professus erat se & patrem unum esse, id est, eandem sibi, quæ & patri esse uirtutē, quo utiq; se Deum esse palam professus erat. In eo enim unum cum patre esse, ut æque nemo de manu sua atque patris rapere possit, est eundem ipsum cum patre Deum esse. Hoc ergo blasphemiā, & Dei contumeliam Iudæi interpretati fuere. Nonne scriptum est in Lege uestra, id est, scriptura, quæ sæpe uocatur Lex, id est, תורה quod tamen non tam Legem, quàm doctrinam significat. Iam scriptura ubiq; docet, recte igitur tota Eb. Thorah, quod nos Legem interpretamur, dicitur. Porro quod hic Dominus adduxit, Psal. 82. legitur, dictum ad principes, & iudices terræ, eosq; malos, qui inique iudicāt, & impijs deferūt, eo tamē quòd potestate in alios prēditi eiusmodi sunt, & hactenus uicarij Dei, cuius est omnis potestas, & à quo, ut Paulus inquit, omnes potestates, quę uspiā sunt, ordinatæ sunt, dij, & in hoc Psalmo & aliâs in scripturis uocantur. Quid
B enim aliud Deus est, quàm summa potestas? Iam principes & magistratus à Deo potestatem uitæ necisq; acceperunt: hactenus igitur diuinitatis participes sunt, & dij atque filij altissimi iure uocantur. Sed quia fiduciaria est hęc illorum diuinitas, spoliantur rursus ea, dum male ea funguntur, & sicut cæteri homines, quod idem Psalmus eis minatur, moriuntur. Argumentum ergo Domini huiusmodi est: Scriptura quæ solui, id est, salsa esse non potest, uocat deos ad quos uerbum Dei factū est, id est, quibus commissa est potestas, demandatum munus alijs imperandi (factū enim uerbum Domini ad aliquem, Ebræo idiotismo significat, aliquod illi à Domino datum negotium) quanto rectius igitur ego me Deum, & filium Dei uoco, quē pater sanctificauit, hoc est, selectum ex uniuersis mortalibus diuina & saluatrice omnium potestate donauit, in mundum saluatorem misit, adorandumq; omnibus quæ sunt in cœlo & terra proposuit? Minutula adeo diuinæ potentiæ participatio principes inter homines, etiam malos, dignos facit uocabulo Dei, ut scriptura quæ blasphemare nescit, deos illos uocet, filiosq; altissimi, & me in quo longe præclarius diuinitatem uidetis, dicitis blasphemate, quòd filium me dixi Dei, unumq; esse cum Patre, & eadem potestare prædituм? Si id non opera quæ facio uerum testantur, iure blasphemiæ accusatis. Si autem opera patris mei, hoc est, uere diuina facio, ut facere me non potestis inficiari, diuinam mihi uirtutem sumenti debebatis credere. Sed si mihi credere piget, uerbaq; mea arrogantiora putatis, ipsis operibus credite. Certe uerbo, totum hominem, qui grabbato affixus fuit annis .38. sanum reddere, cæco nato dare uisum, mortuos in uitā hanc reuocare, & id genus alia, nō nisi opera Dei sunt, est ergo in me pater ista efficiens, & sum ego in illo, id est, etiam homo hic quem uidetis & adeo contemnitis, per illum uiuo & ago omnia, uerius itaque quàm quisquam alius unquam, filius Dei & Deus uocor, etiam ut homo, taceo quod uerbum Patris sum, idemq; cum patre uerus Deus. Id certe ut sublimi *Quem pater sanctificauit.*

us sit, quàm ut uerum agnoscere possitis, cum uideatis tamen etiam in me homine Patrem agere omnia, & in illo me totum esse, perq; eum uiuere, & cuncta facere, neque ignoretis in scriptura deos & filios Dei uocari, in quibus infinito minori uirtute, præsertim si illam ei quæ in me apparet conferatis, Pater agit, nullam certe rationem habetis sic contra me furendi, quòd Deum me, filium dei, & cum patre unum esse prædico.

Exiuit de manu eorum.) Virtute diuina auertit furorem eorum, qui apprehendere ipsum cupiebant, donec commodum se inde reciperet,

Ioannes nullum signum edidit.) Debebatur siquidem hæc gloria Christo, qui & glorificatus per suos plura quàm antea per se ipsum in carne signa edidit. Vnde infrà dicit maiora facturos, qui in ipsum crederent, quàm fecisset ipse.

OBSERVATIONES.

Iterum obseruandum ut apertione ueritatis reuelatiore excitati soleat furor impiorum, non secus atq; ignis cum aqua aspergitur: Christi sane iusta præsentia, satanæ tyrannidem, ita ut aqua ignem extinguit. Vnde ubi satan Christi præsentiam sentit uel parum illucescere, totus in rabiem concitatur. Deinde obseruandum, ut Christus Iudæos, à minima diuinitatis participatione, quæ in principibus & magistratibus, ac omnibus deniq; in quibus, uel per quos Deus aliquid insigne agit, apparet, subducere uoluerit ad agnoscendum eam, qua ipse etiam ut homo donatus erat, maiorem sane, quàm in orbe unquam uisa esset. Eam enim si in homine Iesu agnouissent, iam nõ potuissent ignorare, ipsum etiã natura Dei uerbũ esse, ipsumq; Deum. Sic enim per cognitionem mediatoris, in cognitionem Dei ascenditur, & qui uidet dominum Iesum filium Dei, uidet & Patrem.

Dum Christus homo rite cognoscitur, idem Deus uerus esse non potest ignorari.

Animaduertendum quoq; signa non esse certa ueræ sanctitatis indicia. Ioannes enim nullum fecit, & fecerunt multa, quibus dicet olim dominus: Amen dico uobis, nunquam noui uos. Matth. 7. Cum magnificentia enim debebat Euangelion Christi, orbi initio commendari, sicut & Lex multis cum portentis & signis populo commendata fuerat Ebræorum. Donec igitur illud in orbe percrebresceret, signa plurima per suos Christus operatus est, quibus ad audiendũ illud homines excitauit, fidem autem ut haherent Euangelio electi, opus semper fuit spiritus, qui cũ & hodie electis non desit, non est ut signa requiramus. Signa Iudæi multa uiderũt, sed tam abfuit, ut inde fierent meliores, ut magis agerentur in furorem contra Dominum, & quoslibet ueritatis testes. Postremo notandũ, ut in desertis Iudeæ multi credant Domino, cum Ierusalem primores illum uellent lapidare. Sic humilia celsis præferuntur. Insani igitur qui sublimia sectantur, aut etiam appetunt.

Ad quid signa.

CAPVT XI.

Sectio. 1.

AEgrotabat autẽ quidam nomine Lazarus Bethaniensis à castello Mariæ & Marthæ huius sororis. Maria autem erat ea quæ unxit dominũ unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus ægrotabat. Miserunt ergo sorores eius ad eũ, dicentes, Domine, ecce quẽ amas, ægrotat. Audiẽs autẽ Iesus, dixit, infirmitas hæc nõ est ad mortẽ, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eã. Diligebat autẽ Iesus Marthã & sororẽ eius & Lazarũ. Vt ergo audiuit quòd ægrotaret, tum quidẽ temporis mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hoc dicit discipulis, Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli, Rabbi, modo quærebant te Iudæi lapidare, & iterũ uadis illuc? Respõdit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si quis autẽ ambula

A ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hæc ait, & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitẽ eum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, at illi putauerunt, quòd de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste, Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quòd non fuerim ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad discipulos, Eamus & nos ut moriamur cum eo.

Venit itaque Iesus & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam ferè stadijs quindecim. Multiq; ex Iudæis uenerunt ad Martham ac Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quòd Iesus uenisset, occurrit illi, Maria uero domi desidebat. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quòd quæcunq; poposceris à Deo, daturus tibi sit Deus. Dicit illi Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quòd resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum, Credis hoc? Ait illi, Etiam Domine. Ego credo quòd tu sis Christus ille filius Dei, qui in mundum uenturus erat. *Sect. 2.*

Et cum hæc dixisset, abijt & uocauit Mariam sororem suam clanculum, *Sect. 3.*
B dicens, Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, surgit cito, & uenit ad eum. Nondum aũt uenerat Iesus in castellum, sed erat in eo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo & consolabantur eam, cum uidissent Mariã, quòd cito surrexisset & exisset, sequuti sunt eam, dicentes: Vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum uenisset eo ubi erat Iesus, uidens eũ, accidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos, qui uenerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicũt ei, Domine ueni & uide. Lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidã aũt ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere, ut hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso uenit ad monumentum.

Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei, ait Iesus: Tollite lapidem. *Sect. 4.*
Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine iam olet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nónne dixi tibi, quod si credideris, uisura esses gloriam Dei? Sustulerũt ergo lapidem à loco, ubi is qui mortuus fuerat, erat positus. Iesus autem attollens sursum oculos, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me, Ego autem sciebam quod semper me audis, sed propter turbã quæ circunstat, dixi, ut credant quòd tu me miseris. Atque hæc cum dixisset, uoce magna clamauit: Lazare, ueni foras. Et prodijt qui fuerat mortuus, manus & pedes habens reuinctos fascijs sepulchralibus, & facies illius sudario erat

rat obuincta. Dicit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire, Multi ergo ex Iudæis c
qui uenerãt ad Mariam, & uiderant quæ fecisset Iesus, crediderunt in eũ. Qui
dam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecisset Iesus.

Sectio. 5. Congregauerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, ac dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa edit? Si permiserimus eum sic, omnes credent ei. Veniẽntque Romani, & tollent tum locum nostrum, tum gentem. Vnus autem ex ipsis Caiaphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec perpenditis quòd expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso nõ dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, uaticinatus est, quòd Iesus moriturus esset pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab illo ergo die consultabant inuicem, ut interficerent eum. Iesus ergo iam non propalam ambulabat inter Iudæos, sed abiit illinc in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur, Ephraim, & ibi uersabatur cum discipulis suis. Instabat autem Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam è regione ante Pascha, ut purificarent se. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur inter se, in templo stantes. Quid uidetur uobis quòd non uenerit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi præceptum, ut si quis cognouisset ubi esset, indicaret, ut comprehenderent eũ

AEgrotabat autem quidam nomine Lazarus.) ANNOT. Sextum hoc signum est, quod Euangelista hic noster commemorat. Pauca etenim ex miraculis Domini, sed ea singulari quodam delectu & gradatione, D
conscripsit. Splendidius utiq; erat, quinq; millia ex quinq; panibus & duobus piscículis saturare, quàm fuerat aqua in nuptijs mutata in uinum. Sic quod cum qui morbo detentus fuerat annis triginta octo, sanitati restituit, clarius miraculum fuit, quàm quòd sanum reddidit febricitantem filium illius Regij, utroq; autem admirabilius erat dare uisum ei, qui natus erat cæcus, omnibus uero adhuc maius, quòd in uitam reuocauit hunc Lazarum, quartum iam diẽ agentem in sepulchro. Quo enim ad uesperam magis uergebat dies domino præscripta, in qua munus suũ in carne obire debuit, eo clarius cum uerbis tum factis,

Ordo miraculorum quæ Io. narrat. qui esset, curq; uenisset, aperiebat. Mihi certe historiam hanc Ioannis propius intuenti, omnino uerisimile uidetur, quæ à quinto capite narrauit, omnia facta esse intra ultimum prædicationis Domini annum, & quidem hoc ordine. In Galilæa sub festum Paschatis pauit quinq; millia, in Pentecoste sequenti sanauit illium, qui laborauerat triginta octo annis Hierosolymis. In festo Tabernaculorũ sequenti, docuit palã in templo, quod septimo capite narratur, & ut uidetur, dedit uisum cæco. In festo postea dedicationis interrogatus fuit, quis esset, quod commemoratur capite. 10. Sub Pascha iam ultimũ, suscitauit hũc Lazarũ. In festiuitatibus uero, & Hierosolymis ista gerere dominus, ac se prædicare magnificentius uoluit, quò sic toti Circuncisioni, cui peculiariter eo quidem temporis missus erat, sese commodius & clarius insinuaret.

Maria autẽ erat ea.) Hæc unctio sequenti capite ab Euangelista narratur. Miserunt ergo sorores. (Sperabant enim si adesset, non moriturum fratrem, id quod Domino postea, ut sequitur utraq; confessa fuit. Nonne duodecim sunt horæ.) Sensus: ut duodecim horę diei sunt, in quibus ambulare et agere homines omnia oportet, nam qui noctu uelit ambulare, & negotia sua agere facile impingeret, cũ die, ubi lumen

A lumen mundi,ſolem iſtum uidet,non impingat, ſic habeo & ego diem meum,qui ſuis certis horis finitur,in hoc ergo quæ mihi pater mandauit,perficienda ſunt.Hic dies iam inclinat,neq; multum eius ſupereſt, appropinquat hora, quũ ad patrem è mundo mihi concedendum eſt,quare utcunq; contra me concitati Iudæi ſint, mihi mea opera dum dies meus eſt,perficienda ſunt, eoq; Iudæa & Ieruſalem mihi repetenda,patrisq; gloria illuſtranda. Illi erit cura de nobis.

Simili allegoria uſus dominus eſt,& ſupra.9.ſectione prima cum ait:Me oportet operari opera eius qui me miſit donec dies eſt &c. Neq; enim quadrat, quo ſenſu uerba iſta domini,iactari uulgo ſolẽt,quaſi ſignificare uoluiſſet,cum duodecim horæ diei ſint,ſæpe etiam uno die homines animũ mutare,eoq; fieri potuiſſe,ut hoſtes ſuri conſiliũ mutaſſent,cum iam aliquot dies inceſſiſſent,aut certe,nunc non ualitu/ros illos,quod antea.Sequentia ſiquidem hic,quæ cum illis ſupra.9.eadẽ ſunt,reclamant,ſatisq; aperte indicant,ſignificare dominũ uoluiſſe,ſe oportere tempore à patre definito opera patris perficere,non ſecus atq; homines die ambulare,& negotia ſua curare. Vnde neq; firmum uidetur, quod alij dicunt, his uerbis ſignificare uoluiſſe dominũ abſq; periculo eſſe hanc ſuam in Iudæam reditionem, eò quòd ſicut dies ſuas duodecim horas,ita ipſe,& quilibet alius certũ habeat cum officij ſui,tum uitę tempus,intra quod perire nequeat.Neq; enim ſecuros periculi hic ſuos,ſed intentos magis iuſſioni patris reddere uoluit.Diligẽs lector perpendat, quæ ſupra 9. dominus dixit,& quæ hic,& uidebit indubie dominum uoluiſſe dicere, quicquid molirentur Iudæi,ſe oportere tamen operari opera patris dum dies eſſet, dum tempus illis operibus à patre deputatum,cumq; iam finis eius temporis acceleraret,nihil ſibi contandũ eſſe,omneq; periculum uoluntati patris poſthabendum.

Lazarus amicus noſter dormit.) Hac allegoria ſignificare uoluit, ſe Lazarum à morte reuocaturum,unde ſomnum rectius quàm mortem obitum Lazari uocauit, quanquam ſcriptura paſſim,ſiue ut rem triſtem melioribus uerbis, per ἀσεισμὸν eloquatur,ſiue ut ſpem reſurrectionis indicet, mortem quorumlibet,non bonorũ tantum,ſomnium & dormitionem uocare ſoleat. *Mors quorũlibet ſomnus in ſcriptura dicitur.*

Et gaudeo propter uos.) Nimirum quòd non fuerim ibi,ut uidentes me quadriduanum mortuum in uitam reuocare, tanto firmius in me credatis. Inſtat enim,ut ueſtra in me fides,periclitetur.

Dixit ergo Thomas.) Didymus,id græce,quod Ebræis תאם unde Thomas deriuatum eſt,ſignificat,nempe gemellum. Quæ autem hic dixit, non tam fiduciæ, quàm deſperationis uerba uidentur.

OBSER. Iterum obſerua, ut omnia gloriæ Dei ſeruiant. Si iam huic,ut par eſt, ſtudemus,æquis animis feramus quicquid inciderit:indubie enim,ut cæcitas illius nati cæci, & mors Lazari huius, ita & quæ nobis aduerſa Deus immiſerit, ad illuſtrationem gloriæ eius facient,eoq; cum ipſius filij ſimus, ad noſtrã quoq; ſalutem. Circa illud,quòd contempto periculo,dum dies erat,ſuum obire munus dominus uoluit,diſcamus & nos,ante omnia ſpectare, ad quæ nos deſtinarit Deus, reliqua ipſius curæ cõmittentes. Cui nomen Lazarus.) Notandũ hic ut nihil temere ſit, ne nominis quidẽ impoſitio.Lazarus enim quod eſt לאזריה Hebræi ſignificat cui auxilio eſt Deus.Admirandã enim opẽ dei erat hic Lazarus experturus, ut à morte quadriduanus reuocaretur uoce Chriſti in uitã:hoc ergo oportuit prænotari in nomine eius.Eadẽ ratio nominis apparet & in illo Lazaro,cuius animã angeli deportarunt in ſinum Abrahæ, qui hic uiuens non poterat impetrare micas cadentes de menſa diuitis epulonis,in quem canes maiori miſericordia fuerant q̃ homines.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Venit itaque Ieſus,& inuenit eum quatuor dies.) ANNOT. Erat autem Bethania.Stadium ſexcentorũ pedum ſpatium eſt. Millium faciunt ſtadiorũ ſeptem uel octo,

octo, indè duo millia, à Ierusalem hic uicus abfuit.

Martha ergo ut audiuit.) Quàm obseruarit soror utraq; Dominum, & Luc. 10. meminit. Domine si fuisses hic,) Nihil non pollicebatur sibi à Domino, quem amabat, & à quo redamari se non dubitabat. Hoc nero ingenium est ueræ fidei.

Ego sum resurrectio & uita.) Id est, autor resurrectionis & uitæ: Resurrectionis, quia credentes in me suscitabo in nouissimo die ad uitam beatã & qui mortui sunt, uiuent per me, eò quòd credunt mihi. Vitæ uero autor sum, quia spiritum dono, quo in præsenti gustum aliquem diuinæ bonitatis mihi credentes percipiunt, in deq; ei sic inhærent, ut donec plene illa fruantur, auelli ab ea nulla ui possint: sic qui uiuunt & credunt in me, non moriuntur. De his supra 5. 5. & 6. plura.

Ego sum resurrectio & uita.

Ego credo, Græce πεπίστευκα, id est, credidi habetur, significare enim uidetur, se pridem credidisse, hoc est, agnouisse quòd Dominus Christus, ille filius Dei esset, quem uenturum in mundum, ut omnia instauraret, expectauerant.

OBSERVATIONES.

Animaduertendum sorores has, quòd de obitu fratris dolerent, non esse à Domino increpitas, sed Dominum potius illis fuisse compassum, atq; condoluisse, ut in sequenti sectiuncula Euangelista memorat. Neque enim stupentem à nobis, sed uiuã & ardentem, quæ uiscera exagitet, totoq; se corpore prodat, dilectionem Deus requirit. Neq; alia fuerit uera hominum hic agentium dilectio. Hæc iam non potest non de morte, & qualibet aduersitate proximi quem amat indolere, quamlibet sciat electis omnia bono esse. Sic Paulus gratias agebat Domino, quòd Epaphroditũ à morte seruasset, ne dolor sibi dolori fuisset adiunctus, Philip. 2. Est quidem mors, ianua uitæ credentibus, unde & spiritus consolatione percepta, dolorem in uisceribus æstuantem, mitigat, ne doleant sancti, sicut Ethnici, spe futuræ & melioris uitæ destituti, quod & Paulus Thessalon. monet, indolentiam tamen spiritus Christi nequaquam adfert, dumq; uerus uiuit in cordibus sanctorum amor fratrum, non possunt non dolere & lugere mortuos, aut alios afflictos. Nihil Christo fingi potest magis & spirituale & constans, attamen cum uerus homo esset, uereq; homines diligeret, continere se non potuit, quin obortis lachrymis excidium Ierusalem deploraret, quam sciebat tamen iusto patris iudicio excindendam, Nec enim poterat aliter uera dilectio in homine uero. Stoici igitur magis quàm Christiani sunt nostri Catabaptistæ quidam, qui nullum luctum, nullas lachrymas pro mortuis, uel aliàs afflictis fratribus ferunt. Sed non est mirum hic illos dilectionis iura ignorare, qui in totum dilectioni nuntium remiserunt. Confessio Marthæ probat id cuius aliquoties monui, Dominum id temporis passim pro Christo agnitum fuisse, idq; ita furentes contra eum Pharisæos, & Iudæorum primores reddidisse.

Christiana dilectio luget mortuos, sed modeste.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Et cum hęc dixisset, abijt.) ANNOT. Iudæi gero qui erant. Vide ut mirę occasiones singula fiebãt, quò quã plurimi ad sepulchrum conuenirent, uirtutemq; Domini cõspicerent. Ad hunc uero modũ ordinat Dei prouidentia singula, quare si quis modo animaduertat, semper uidebit unde Dei bonitatẽ admiretur. Marthã uocare sororẽ, illã prępropere ad dominũ ire, Iudęos sequi, tũ inter se de domino disputare oportuit, ut tanto maiore cũ admiratione excipereť, quod futurũ erat miraculum.

Infremuit spiritu.) Ita mouit eum præsentium fletus, sic condoluit dolentibus, seq; & uerum hominem, & uera dilectione præditum declarauit, prius nota cõtra Marcionitas, posterius contra Catabaptistas, contra quos iam in sectiuncula superiore. Cum nanque Dominus plorantes omnes uideret, commota uiscera eius furere, tum ut uiri solent constantioris animi, non sine fremitu dolorem animi testatus est, mox fudit & ipse lachrymas. Quę omnia argumenta germani amoris & Iudæi agnouerunt. Testatus siquidẽ & Euangelista est supra sectione prima dilexisse dominum.

Infremuit.

A dominum, Martham, sororem eius & Lazarum, quod & ipsum ueri hominis in eo indicium fuit. Nam unde dilexisse illos peculiariter scribitur, qui omnes diligebat, nisi quia peculiariter amoris affectum erga illos demonstrauit, singularique cum illis familiaritate uixit?

OBSERVATIONES.

Vehemens ista domini erga Lazarũ & sorores eius dilectio, sororũ sedulũ erga dominum studium, tum & Iudæorũ minime stupens humanitas, doceant nos quã humana, affectuosa, & officiosa sit dilectio, ubi syncera & germana fuerit.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei.) ANNOT. Domine iam fœtet. Et si crederet dominũ posse suscitare fratrem, dixerat enim, sed & nũc scio, quòd quæcunq; petieris à Deo, dabit tibi Deus, non sciebat tamen etiam hoc uelle eum. Nam quod dixerat, resurget frater tuus, de nouissima resurrectione dixisse eum putauerat, neq; dominus tum eius opinionem aperte correxerat, licet enim in hoc dixisset, se resurrectionem esse & uitam, ut moneret se præsente, & resurrectionẽ atq; uitam præsentem esse, atq; in præsenti quoq; fratris resurrectionem sperandam, hęc tamen uerba eius Martha non intellexerat.

Pater gratias ago.) Iam certus erat patrem uelle, ad suam hominis uocem Lazarum uitæ reddere: pro eo igitur, ut uideretur omnia uirtute patris facere, gratias illi agebat. Adiunxit autem, ego sciebam, quòd semper me audis, quo indicauit eandẽ sibi, etiam homini, cum patre uoluntatẽ esse, ut quicquid homo petat, pater audiat, hoc est, diuinitas perficiat. Hæc qui cognoscebãt, uere missum eum à patre, eoq; & apud patrẽ ante fuisse, hoc est, Deum esse uerũ, facile potuerũt agnoscere. Nam huc cognitionis, ut & supra dixi, non aliter peruenitur, quàm dum homo Christus o-
B mnia diuina agere cognoscitur. Ideo gratias patri agendo, turbæ præsenti testabatur, patris se uirtute omnia perficere, seseq; à patre semper audiri, eoq; eandem se cum patre uoluntatem habere.

Voce magna clamauit.) Nimirum ut omnes audirent, sola uoce sua Lazarum rediuiuum reddere, quoq; magis diuinitatem suam indicaret, imperauit mortuo, ut & aliãs, non notauit patrem, ut ille eum in uitam reuocaret, patris enim uirtute ipse hæc agebat, idem cum patre Deus.

Et prodijt.) Et hoc miraculũ fuit, ut prodiret qui manus et pedes habebat ligatos. Soluite & sinite abire) ut nimirũ omnes uideant eum uere uiuentẽ. Nos hinc discamus dominũ, resurrectionem esse & uitam, idq; ut testari hoc quoq; libeat.

Multi ergo ex Iudæis.) Et apud sanctas has, dominiq; studiosissimas sorores, mali cum bonis admixti fuerunt, potuit enim id ferre uera illarum sanctitas, falsa Cata-
baptistarum nõ tulisset. OBSER. Obseruandũ hic, ut sancti miracula fecerint, indubie sic, ut hic uides fecisse Christum. Certi fuerunt antea quàm quicquam tentarent, ita dominum uelle, inde ergo acti spiritu eius, imperabant morbis, dęmonijs, & morti, & succedebat, domino suppeditante uirtutem, id est, reddente uerba eorũ efficacia, reliqua notata sunt.

ENARRATIO SECTIONIS, V.

Congregauerunt ergo Pontifices.) ANNOT. Si permiserimus eum sic. Ecqui tolletis ὁ prudentes, uerbo in uitã reuocantẽ mortuos? Vide ut demẽs sit impietas, Signa agnoscunt illũ facere, & eiusmodi, ut nemo inficiari possit, uitæ & mortis esse penes eum arbitriũ, neq; cogitant nihil se contra eum profecturos. *Dementia hostiũ ueritatis.*

Et ueniant Romani.) Hoc in concilio, in quo nequaq; omnes mali erant, sicut supra interfuisse legimus Nicodemum, & in Act. 5. Gamalielẽ, metum Romanorum prætexebãt, cum tamen nihil eos ita in necem domini ageret, q; quòd impij essent, natiq; ex diabolo, eoq; ueram docẽtem pietatem, ipsorumq; impietatem detegen-

tem

tem ferre non possent. Sic & hodie impij, in concilijs ruinam Reipublicę sępe, dum testes Domini oppressos uolunt, prætexunt, cum nequaquam eos huc agat amor Reipublicæ, sed furor impellat satanæ, à quo acti non possunt, non etiam cum pernicie sui ipsorum, nedum Reipublicę, ueritatem & Euangelion Christi execrari & persequi. Verisimilitudinem autem habebat in hoc Iudæorũ concilio iste hostiũ Christi prætextus, quia iam multa à Romanis propter uarias seditiones & rebellio nes fuerãt passi. Videri igitur uolebãt fore, ut omnis populus crederet in Dominũ, id est, pro Christo reciperet, Regemq; cõstitueret, tum uenturos Romanos, & exci suros urbem, populumq; translaturos. Sic semper inuenit impietas, quo sua consilia aliquo utilitatis fuco oblita, simplicioribus obtrudat.

Vos nescitis.) Indignabatur & stuporem interpretabatur, quòd in consultatio nem uenire sinerent, quid faciendum esset, adeo putabat non latere, nihil prius curandum, quàm dominum extinctum. Nulli enim esse dubium existimabat conducere, ut unus homo, quo iure, qua iniuria periret, ne totus excinderetur populus Id uero ait Euangelista, nõ dixit à semetipso, sed eò quòd anni illius Pontifex esset, prophetauit, hoc est, instinctu Dei id locutus est, quanquã imprudens. Qui nanq; in magistratibus, præsertim sacris constituti sunt, ut in hoc sunt à Deo electi, ut multa & egregia per eos fiant, ita cum omnium corda in manu sua Deus habeat, peculiariter tamẽ horum corda monere solet, id quod sacra Prouerbia de Regibus prędicant. Hinc sæpenumero imprudentes faciunt & dicunt, quæ longe alio spectent, atq; aliud efficiant, atq; ipsi unquam cogitarint. Organa Dei omnes sumus, ac præcipue, qui alijs præfecti sunt: multo igitur plura per illos, quàm aliós Deus agit, unde & Dij ipsi, filijq; excelsi omnes dicuntur, de quo iam capite superiore. Hoc itaq; est, quod Euangelista ait, ideo prophetasse, hoc est ex spiritu Dei, non ex seipso Caiapham locutum, quòd Pontifex esset anni illius. Sicut autem ipse suam Prophetiã non intellexi, sic & alij reprobi, per quos Deus sua mysteria promit, ea ipsa quæ loquuntur, haudquaquam pernoscunt, sed dant sine mente sonum, cum sancti de ijs quę uaticinantur, tantum semper intelligant, quantum & ipsorum saluti & muneri quod gerunt rite obeundo, satis est. Cæterũ de Prophetia plura dixi in Matth 11.

In sublimitate constitutos, ad multa & mira sæpe agit spiritus Dei.

Porro huius Caiaphæ Prophetia, summa est omniũ Prophetiarum, nimirũ per mortem Christi salutem electis omnibus, non Iudæis solum, uerũ etiam gentibus parandã. Electi enim ex his filij Dei sunt illi dispersi, quos supra oues uocauit, nondũ ouili suo adductas. Hos spiritus domini redigit tandẽ in unum corpus cum sanctis omnibus, eũ spiritũ Christus morte sua meruit, recte ergo dicitur pro populo, & dispersis dei fuisse moriturus, ut cõgregarentur in unũ, unum agnoscẽtes Patrẽ, eodẽ uiuentes spiritu, ab eodẽ pendentes Christo, eadem spe futuræ uitæ subnixi.

Ab illo ergo die.) Vicerat sententia Caiaphæ, sed nõ quia dicta ab ipso, sed quia esset Prophetia à Deo, iamq; non consultabant amplius, quid de Domino statuerent, sed ut quàm primum curarent interemptum. Vnde præceptum dederunt, ut quicunque resciret ubi esset, proderet eum, quò ipsi eum caperent. Sed quia nondum hora Domini erat, iterũ declinauit furorem illorũ, cumq; è gloria Patris erat, ultro se conspectui eorum rursum ingessit, liberiusq; quàm unquã in eos inuectus est, idq; impune, donec iuxta Patris mandatum, sponte sua se se in manus illorum traderet immolandum.

OBSERVATIONES

Præter pugnantem sibijpsi insaniam impiorum, qui dum odio contra ueritatem incaluerint, nihil uident, nihil cogitant, omnia perturbatissime dicũt & agunt, obseruandum, quanti Deo sint magistratus, & ad quã magnifica utatur ille sæpe pessimis. Hinc legimus per impijssimos Reges prędare interdum regna administrata, insignes uictorias de hostibus relatas, aliaq; multa utiliter & gloriose gesta.

Non

Non sunt autem ferendi, qui hinc uolunt colligere, quicquid statuerit Pontifex Romanus, & Episcopi, id illico ut oraculum amplectendum. Neque enim semper prophetant Pontifices, ad hæc nõ est istorum ex instituto Dei dignitas, ut erat Caiaphæ. Christus dedit Ecclesiæ suæ alios Apostolos, alios Euangelistas, alios prophetas, alios Pastores, & doctores. Ephes. 4. Pontifices autem, & Principes sacerdotum non dedit. Neq; tamen & hos nostros, dum in magnam adeo potestatem illos Deus euexit, negauero prophetare, sed sicut Caiapham, ut longe aliud dicãt sibi & impijs, atq; pijs. Nam qui uerbis eorum ad ipsorum intellectum & uoluntatem obtemperarent, homicidæ fierent, & blasphemi in Deum, quales utiq; euaserunt, qui in hoc concilio Caiaphæ accesserunt, uolenti Christum sublatum, ut ipsi pro arbitrio tyrannidem in populum exercerent, cuius contrariũ illis euenit. Sic multi iam pridem prophetarunt, Chalcographicam artem, & cognitionem linguarũ, turbas daturam imperio sacerdotum. Hæc uera non ex semetipsis locuti sunt, sed prophetarunt. Verum ad quid? Si illorum animum spectes, utiq; ut præclara illa Dei dona è mundo tollerentur. Qui iam ad nepharium hoc eorum propositum illis consensit, sacrilegium admisit, qui autem ideo impensius promotas has artes & hæc studia curauit, recte prophetiam intellexit. Prophetent igitur, id est, non ex semetipsis, sed Deo loquantur, quicunq; in potestate constituti sunt: ubi Dei ueritatem agnouerimus, libenter illos sequemur, sed pro uoluntate Dei, nõ arbitrio Prophetantiũ. Dum aũt ex seipsis loquuntur, ipsis somnia sua relinquemus.

Quatenus impiorum Prophetis obtemperandum.

Postremo animaduertendum, per uices dominum fugisse, & intrepide conspectui hostium sese ingessisse, easq; incertas, ne quis hinc leges fugiendi, & consistendi fingeret. Abnegare nosmetipsos, & totos credere spiritui Dei, qui filios Dei agit in omnibus, oportet, sic & nos in tempore, & fugiemus & stabimus, ut inde gloria Dei incrementum accipiat.

B

CAPVT DVODECIMVM.



ESVS ergo ante sex dies Paschæ uenit Bethaniã, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit à mortuis. Fecerũt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus uero unus erat de numero discumbentium cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistícæ pretiosæ, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, domus autem impleta est ex odore unguenti. Dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Simonis Iscariotes, qui erat eum proditurus: Quare hoc unguentum non uenijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quòd pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat, ac marsupium habebat, eaq; quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Iesus: Sine illam, in diem sepulturæ meæ seruauit istud. Pauperes enim semper habetis uobiscum, me uero non semper habetis.

Sect. 1.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quòd illic esset, & uenerunt nõ propter Iesum tantum, sed ut Lazarum quoq; uiderent, quem suscitauerat à mortuis. Consultabant autem Principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerẽt, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. Postero die turba multa quæ uenerat ad diem festum, cum audisset quòd ueniret Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabãt: Hos anna, benedictus qui uenit in nomine Domini Rex Israël.

Sect. 2.

Nactus autem Iesus asellam, sedit super eam, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus uenit sedens super pullum asinæ. Hæc autem non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quòd hæc essent scripta de eo, & quòd hæc fecissent ei. Testificabatur igitur turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum uocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam uenit ei turba, quod audierant eum edidisse hoc signum.

Sect. 3. Pharisæi ergo dixerũt inter se: Videtis quòd nihil proficitis? Ecce mundus post eum abijt. Erãt autem quidam Græci ex his, qui ascenderant, ut adorarent in festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Beth saida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine uolumus Iesum uidere. Venit Philippus & dicit Andreæ, Andreas rursum & Philippus dicunt Iesu. Iesus aũt respondit eis, dicens: Venit hora ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si uero mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animã suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit cohonestabit eum pater.

Sect. 4. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, seruato me ex hora hac. Sed propterea ueni in horam hanc. Pater illustra nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo dicens: Et illustraui, & rursus illustrabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Iesus & dixit: Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos. Nunc iudicium est mundi huius. Nunc princeps mundi huius ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes trahã ad me ipsum. Hoc aũt dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quod Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc ad breue tempus lumen uobiscum est. Ambulate donec lucem habetis, ne uos tenebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Sect. 5. Hæc locutus est Iesus, ac digressus abscondit se ab eis. Cum autẽ tam multa signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Esaiæ Prophetæ
Esa. 53. impleretur quem dixit: Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachiũ Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Es-
Esa. 6. saias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo.

Sect. 6. Veruntamen etiam ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne è synagoga ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Iesus autem clamauit,

A uit,& dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui uidet me, uidet eum qui misit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris nō maneat. Et si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim ueni ut iudicem mundum, sed ut seruem mundū. Qui reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die, quia ego ex me ipso nō sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio quòd mandatum eius uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

IEsus ergo ante sex dies paschæ.) ANNOTAT. Appropinquante hora supplicij, ad locum quoq; supplicij dominus accessit: sic ducit spiritus sanctus in tempore, summaq; cum opportunitate & commoditate filios Dei, ad ea, ad quæ diuinitus ordinati sunt. Tantum huic duci, nos committamus.

Fecerunt ei cœnam illic.) Hanc cœnam & Matth. 26. & Mar. 14. describūt, nam quòd illi unctos pedes domini memorant, hic uero noster caput, cum eadē unctione utrunq; fieri potuerit, hæc non est tanta dissonantia, ut euincat diuersam fuisse, unctionem quam illi narrauerunt, ab hac quàm Ioannes memorat. Sicut neq; id, quòd Ioannes solum Iudam, alij discipulos scribunt murmurasse, nota enim est Synecdoche, qua tribuitur multis quod unus fecit, quemadmodū duo latrones blasphemasse Christum scribuntur, cum id unus tantum fecerit. Loci deniq; & temporis nulla diuersitas est ut quibusdam uidetur. Matthæus enim & Marcus nullum tempus exprimunt, Ioannes nullum locum, neq; conuincit in domo Marthæ hanc B cœnam habitā, quòd ipsa ministrauit. Inter discipulos domini arctissima utiq; fuit familiaritas, & Martha in ministrando domino tam fuit sedula, ut mirum non sit, eam et in Symonis domo, iam religione fratris, domino ministrasse. Iam reliqua omnia conueniunt, ne quæramus igitur nodum in scirpo. Cui autem uerisimile illi facient, qui diuersa sentiunt, discipulos ausos fuisse factum reprehendere, quòd dominus tam grauiter ante paucos adeò dies defendisset, & cōmittere, propter quod Iudas fuisset seuere adeò increpitus? Illi enim uolunt hanc, quam Ioannes conscripsit priorem factam, sexto, scilicet, ante pascha die, illam aūt quam alij narrant, pridie paschæ. Cæterum hanc Mariam sororem Lazari, aliam fuisse, quàm Mariam Magdalenam, quæ ex Galilæa cum domino uenerat, item nulla scriptura probari, quòd peccatrix illa mulier, cuius Lucas meminit, hæc soror Lazari extiterit, in Matth. pluribus monui.

Eadem hæc unctio est, cū ea quā describunt Matth. & Mar.

Libra unguenti.) Nardinū unguentū quomodo cōficiatur Dioscor. lib. 1. cap. 27. docet. Quàm pretiosum uero hoc fuerit Iudas expressit, cum dixit, potuisse uendi trecentis denarijs. Trecenti enim denarij, faciunt solatos Francicos triginta.

Vnxit pedes.) Sed postea fracto alabastro fudit quicquid reliquū erat unguenti domino super caput, ut Marcus habet. Domus aūt impleta est.) Vehementissimæ enim fragrantiæ est hoc unguentum, ita ut uix ferri possit.

Dixit igitur unus ex discipulis.) Matthæus habet, discipulos. Marcus quosdam indignatos fuisse, cum hæc uidissent, atq; contra unctricem infremuisse. Vtcunq; aūt simul & alij fuerint hoc facto offensi, autorem tamen huius indignationis fuisse Iudam non dubito, ut & ipsum dixisse: Ad quid perditio hęc? &c. Pauperes & delitiarum insueti erant discipuli, unde natura offendebantur luxu & delitijs lautiorū, eoq; mirum non fuit, si Iudę sententiam probarent, & simul cum eo contra mulierculam stomacharentur, præsertim cum ille curam prætexeret pauperum.

Iudas autor murmuris cōtra Mariam.

Dixit igitur Iesus, sinite eam.) Indubie dominus per se hoc officij haud magno pere probauit, quia seueriſſimæ ſemper continentiæ fuit, sed ut doceret nihil teme re damnandum, quod ex dilectione fieret, tum & rerum delicatarum aliquē usum esse, etiam sanctis, cum omnia dona Dei sint in usum hominum condita, tam di ligenter illud excusauit. Opus bonum, inquit, ut Matthæus & Marcus habent, in me operata est, pauperes semper habetis &c. Quasi diceret: Mihi bene fecit, quem nunc habetis præsentem, & corporeis officijs utentem, nolite hoc grauiter ferre, in stat hora, ut à uobis corpore abeam, neq; possitis bonum opus in me operari, id est, me beneficijs uestris afficere, pauperes aūt semper habetis, in quos bona opera ue stra, & omne genus officia possitis cōferre. Sinite & me semel rebus huius uitæ uti, permittite semel delitiari, etiam unguēti huius esse bonus aliquis usus potest. Si re cte illo uterentur, qui ipsum à nobis emerent, recte & nos illo utimur. Pauperes in terim non pereunt, & adhuc multa uobis semper materia erit illis, qui nunquā uo bis deerūt, benefaciēdi. Ne igitur ita indignamini huic mulierculæ, quæ cum sum me me amet, id isto uoluit officio testari. Quantumlibet uero graui id uobis uide tur reprehensione dignū, amen amen dico uobis, apud Deum tanti est, ut ubicunq; posthac in toto orbe hoc Euangelion, hæc historia eorum quæ in carne feci & pas sus sum pro salute electorum, prędicabitur, prędicandum sit & hoc huius mulieris, qualecunq; uobis illud habeatur, officium, atq; ita cum laude apud omnes sanctos illa celebrabitur ob hoc ipsum factum, contra quod uos nunc infremitis. Si ista aūt uobis non satisfaciunt, agite instat iam mors, & sepelitio mea, & puto si iam diem meum obijssem, ferretis me more Iudæorum inungi mortuum: ferte igitur me ui uum inungi, ab ea, cui nō licebit me ungere mortuum. Huic mulieri me mortuum inungere non dabitur, id licet anxie quæsituræ, in diem igitur sepulturæ meæ ser uauit illud, hoc est, in locum unctionis sepeliendo exhibendæ, iam me unxit: quod enim unguentum hoc misit super corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Matth. Quod potuit, fecit, præuenit ut ungeret meum corpus ad sepulturam. Mar. Liquet ergo defensionem Mariæ, tribus niti argumentis. Primum: Bonū opus fecit in me, condonate illi quod mihi benefecit, haudquaquā diu istiusmodi officijs usuro, cum pauperes semper habituri sitis, quibus illa impendatis, si tantum uolueritis. Bonū opus siquidē pro beneficio more scripturæ accepit. Germanice dixisset: Si hat mir guts gethan. Alterum, Deo hoc mulieris officium tam gratū est, ut facturus sit præ dicari in memoriam & laudem eius per totum orbem, non est igitur uobis culpan dum. Tertium, ferretis me inungi mortuum: in locum ergo illius unctionis mor tuo præstandæ, hanc tolerate exhibitam uiuo. Paulo enim pòst sepeliar, tum me hæc non poterit ungere, perinde igitur habetote quod fecit, ac si uoluisset præue nire unctionem sepulchri.

Quibus dominus Mariā excusauit.

OBSERVATIONES.

Quatenus uti liceat delicijs pretiosioribus.

Diligenter hic obseruandū, quam nō uelit damnari usum ullius creaturæ Deus. Multæ res delicatæ, ac pretiosæ sunt, attamē bonus Deus hominibus illas in usum condidit. Quàm ingens luxus uideri possit tanta florum, rosarum, uiolarū & lilio rum, aliarumq; odoratarū herbarum & fragrantia, & colorum uarietas? His tamen non tam iuuare nos, quàm oblectare indulgentissimus pater uoluit. Deum ergo lu xuriæ accusabit, qui usum harum rerum indignum Christianis censuerit. Neq; etiā non licebit istis uti, nisi sit ante omnibus pauperibus prouisum. Cui dubium, cum Christus tam pretioso unguento perfunderetur, ut tota domus odore impleretur, multis pauperibus, multa defuisse, quorū inopia pretio illius unguēti subleuari po tuisset, perfundi tamen dominus se sustinuit isto unguento, qui nihil potuit admit tere iniqui. Sic cum Dauid, Schlomoh, & Reges alij sancti multis ad delicias tantū paratis rebus abundarent, quis dubitet, fuisse quàm plurimos necessarijs etiam in digentes,

A digentes, splendorem tamen illorum, & gloriam scriptura non damnat. Orandum igitur est, ut uere diligamus proximos, ea tum dilectio faciet ne quē uspiam prætereamus debito officio. Interim aūt quia pater cœlestis nos uarie & non eodē gradu habere dignatur, quod cuicp ex benedictione huius patris nostri adest, utatur cū frugalitate & liberalitate in sibi proximos. Idcp curet quod pater noster certo efficit, ne cui eorū, quorum ipsi cura incumbit, desint necessaria, & ut maneat tamen uitæ discrimen, quod Deus qui personā non accipit iusto suo iudicio statuit.

Sed quid dicemus?) Si nō libero hic nos ductui spiritus permiserimus, & quod Paulus monet, ex nostra copia, inopiam aliorū sarcire simpliciter studuerimus, & si quis diues sit opibus huius seculi, ut quærat diues esse bonis operibus, id est, officijs erga inopes, quod idem Paulus hortatur, sed ex indigentia pauperum uolueri mus metiri usum rerum, quas nobis uel alijs Deus concessit, ut nulla re non summe necessaria uti nobis licitum putemus, nisi nemo apud nos necessarioribus egeat, cuius quidem indigentiam, detrahendo nobis, quibus sine incōmodo carere possumus, liceat subleuare, aliud certe nihil efficiemus, quàm ut nostras, & aliorū conscientias frustra perturbemus, & excarnificemus, & si quid etiam à nobis ipsis, uel alijs extorqueamus, id absq animo simplici & lubenti fiat, eoq ingratum sit Deo, qui hilarem datorē postulat. Quotus enim quisq est nostrum, etiam qui tenues sumus, qui sibi non quotidie indulgeat, quibus possit absq graui incōmodo carere, & cōtra illis, si sibi ea detraheret, alios insigniter iuuare? Bibis enim tu sanus & corpore uegeto uinum, qui posses aqua sitim restringere, & uendito uino uestire aliquot, aut pascere, qui inopia cibi & uestitus grauiter laborant, rebus multo magis necessarijs illis, quàm tibi uinum sit. Sic uides sæpenumero, qui medica cura opus habeat, tu substernis corpori tuo molles plumas, qui possis dormire in strato uiliori, & lectum tuum uendere, ut curaretur frater. Si aūt tu tibi hic permittis, uti nō adeò

B necessarijs præterita inopia fratrum, in ijs, quæ illis plurimum necessaria sunt, cur non & holosericarum, & pretiosarum uestiū, auri, gemmarū, unguentorū, lautitiarum, & id genus rerum non necessariarū usum permittis ijs, quibus illa suppedita uit optimus omnium dispensator Deus? Proinde legibus in his, ne excarnificemus conscientias, neq metiamur usum nostrum, ab aliorū inopia. Tot enim egent pasim, ut necesse sit & sanctissima sæpe uasa Dei damnare, si nemini licere censeas, rebus uti nō summe necessarijs, nisi nemo apud nos egeat uere necessarijs. Certe hic uides, isto iudicio te damnare & Christū, neq hic solum, sed & dum uinum illud, quod in nuptijs ex aqua fecerat optimum, patiebatur conuiuas bibere, quod utiq uendi poterat, & multorum eius pretio necessitas longe grauior, quàm erat illorū conuiuarum, releuari.

Ita igitur rationem horum ineamus. Domino nihil placet, nisi quod exlubenti proficiscitur dilectione, hæc non meum, non tuum, sed spiritus sancti opus est, excitare eam uerbo adhortationis; si tamen cooperetur deus, poteris, id cura sedulo. Di uites mone, ut Paul. iubet, ne fidant opibus, ut diuites studeāt esse bonis operibus, hortare ut copia sua fratrum sarciant inopiam, modum ne præscribas, neq ab horum opibus, neq ab aliorum indigentia. Liber spiritus sine modum prescribat, qui solus potest hilarem datorem efficere. *Vera ratio exigendi elemosynam*

Si interim impariter uiuant fratres, ne hoc indignum adeò putes. Paulus & in eo Christus heros amplectitur, qui fratres seruos habēt, tantum hortatur ut eos tractent humaniter, & tu non feres lautius alijs uescentes, & edentes? Cui dubiū haud quaquā uulgares opes fuisse Marthæ, Lazaro & Mariæ, nā indubie quod unguentum domino infudit, non fuit supra eorum facultates, iam si illi quorumlibet tollere inopiam uoluissent, tam opulenti haudquaq fuissent. Sed sicut alios liberos, alios uero seruos, sic alios uult deus diuites, alios inopes, hos ut ne negligas requirit *Voluit Deus homines inæqualiter uiuere.*

Deus,ut aũt pares tibi reddas,tam non requirit,quàm non exigit,ut ſeruum manu/ C
mittas.Diuitem illum in Luca non legis reprehenſum quòd purpura & biſſo ueſti
retur,lauteq; uiueret, ſed quod in tanto luxu, Lazaro ne micas quidam de menſa
ſua decidentes curaſſet exhibendas. Ergo ut ferueñter ſe mutuo diligant Chriſtia/
ni,hortator conſtantiſſime, ita ſi ſyncera uiguerit dilectio, modus eleemoſynæ iu/
ſtus ſtatuetur,ſi id minus obtinueris,& tamen aliquid diris minis ab inuitis extor/
ſeris,ſcito,ſi ea in re tibi placeas,Paulo te multum diſſimilem eſſe.

Deniq; ſi non agnoſces Chriſtianos, qui non quoslibet proximos pro uiríli ſua
iuuerint, quot ſunt omnino quos tu de pietate docere poſſis, cur iam non omittis
omnia alia,& abis domatim,doctum qui Dei ſunt rudiores? Dices forte te huc nõ
uocari, At uocaris ut alijs officijs fratres demereare. Si minus,agnoſcito & fratres
tuos non uocari ad ea,quæ in illis deſideras.Neq; enim uulgare Dei donũ eſt, poſ/
ſe fœnerari Deo,id quod faciunt,qui largiter adminiſtrant pauperibus. Vnde D.
Paulus id inter dona ſpiritus illa peculiaria memorat Rom.12. Vocatione externæ
doctrinæ huc omnes uocati ſumus ut Deũ ex toto corde, proximũ ſicut nos ipſos
diligamus,eoq; eum iuuemus, quacunq; omnino re licuerit. Verũ dum non ua/
luerit uera in corde dilectio,nihil tale animo prono faciemus.Iam habet quodlibet
membrũ ſuum actũ,& niſi agnoſcas Chriſtianos,in quibus imperfecta dilectio ſit,
ne dum qui utuntur,quibus alij in maiore neceſſitate iuuari poſſent,quod & Chri
ſtus ipſe fecit,cum perfectã tamen dilectionẽ habuerit,nullos profecto Chriſtianos
agnoſces.Sed nõ licet hic quidẽ de his dicere plura,ſi tamen quis quę dixi recte ex/
pẽdat,multũ uariabit iudicio à Catabaptiſtis,qui ex litera & rebus externis,omnia
metientes,multos dãnant ipſis infinito meliores. De ijs ſcribo,qui hæc cõmittunt.

Cæterum in Maria exemplum eſt ſeduli & ardentis amoris. In Iuda hypocrita/
rum,qui ſemper ſancta prauis affectibus ſuis prætexunt: in alijs diſcipulis,eorum, D
qui illico offenduntur,ſi alios ſe ditiores & lautiores conſpiciant. In domino deni/
que ſynceri iudicij & uere dilectionis, dum & quod ex dilectione proficiſcebatur,
bonũ agnouit,& diligẽter contra calumniatores defendit. Quòd aũt Deus uoluit
hoc factum tam celebre fieri per uniuerſum orbem,partim inde factũ puto, ut in eo
mirabile iudicium eius appareret,qui dedit mulierculæ huic tam ardenter Chriſtũ
ſuum amare,optimos aũt Iudæorũ ita abiecit, ut nihil odirent peius, partim ut ne/
mo damnaret ullum creaturarũ uſum. Vere enim obſeruabile exemplũ eſt iudicij
domini,quod hic contra iudiciũ tam diſcipulorum innocentium,quàm Iudæ falſo
pauperum curam prætexentis,Chriſtus fecit.

Cur Iudæ pe/ cuniam domi nus crediderit

Mirum poſtremo uideri poſſit,cur Dominus Iudæ furi pecuniam crediderit, lu/
po ouem.Sed ita ſuam reprobis materiam perditionis Deus adminiſtrat,uti & ele/
ctis materiam ſalutis,& cõueniebat ut in iniquo, ac non proprio Mammona, infi/
delem Iudas ſe oſtenderet,ut palam uideretur eum ueris & propríjs bonis fuiſſe in/
digniſſimum.Reliqua annotaui in Matth.26.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis.) ANNOT. Appetebat tempus gloriæ
Chriſti,omnia igitur huc ſeruiebant: Lazarus non ignobilis, cum quartũ diem in
ſepulchro egiſſet rediuiuus,urbis Ieruſalẽ uicinitas,inſtans feſtum paſcæ,deniq; &
flagrans principium contra dominum odium.

Hos anna.

Poſtero die turba multa.) Vide & multi dominũ ut Chriſtũ agnouerint, id quod
acclamatione illa, Hos anna, Benedictus qui uenit in nomine domini, ex Pſal.118.
mutuata,ſatis declararunt,præſertim adiecto illo, Rex Iſraël, ea enim Antonoma/
ſia, Chriſtũ ſignificarunt.Pſalmus iuxta ueritatẽ Ebraicam habet: Obſecro domine
ſaluum fac quæſo, Obſecro domine libera quæſo. Benedictus qui uenit in nomine
domini. Illa uero, hos anna, Ebraice ita legũtur הושיעה נא id eſt, Ana hoſchiah.

Porrò

A Porrò in nomine domini uenit Christus quia nihil nisi domini uerba attulit, uirtutecꝫ domini præ omnibus præditus uenit, seruator omnium sibi credentium.

Cum ramis palmarũ iuerunt domino obuiã, quò uictoriam ei ominarentur, aliꝫ uestimenta & ramos de arboribus eunti substernebant, cupientes ita cꝫ augustissimam facere pompã, qua in urbẽ ueheretur. In his specimen quoddã futuri regni sui ostendere dominus uoluit, ut nihil omitteret, quo Iudæis esse se Christũ probaret.

Nactus aũt Iesus asellam.) In infirmitate, ut Paulino uerbo utar, hoc est, in humilitate & abiectione, uirtutẽ suam Christo, dum hoc seculũ est, ut in se ipso, ita & in suis declarare semper placuit: id & in eo adumbrauit, quod cum ut Christus excipi & salutari in hac pompa uellet, tam abiecto iumẽto insedit. Ex mysticis autem factis & hoc esse arbitror, nam pullus fuit, ut Marcus habet, super quẽ nemo sedit, quo significatũ accipio, eos duntaxat, qui coram mundo abiecti, & ad crucem nati uiderentur, quicꝫ neminem adhuc toto corde, magistrũ essent secuti, Christum sessorem, & moderatorem, accepturos. Certe oues Christi alienorũ uocem pleno nunquam animo sequuntur, & in eo pullus sunt super quem nemo hominum sedit. Iugalis asina simul adducitur, ut Matthæus habet, sed dominus non sedet super eam, hæc typus eorum fuit, qui alieno iugo sese subdiderunt, apud quos Princeps mundi adhuc regnat: iꝫ tametsi per Euangelion domino adducantur, hoc est, & si uidear interdum illis ueritas placere, dominus tamen non sedet super eos, Christo uere non subduntur, quare tandem resiliunt.

Quid asini pullus adumbrarit.

Sicut scriptum est, Zachariæ. 9.) De hoc loco, & reliquis in hac historia memoratis, plura si libet, lege in Matthæo. 21.

OBSERVATIONES.

Obseruandũ, ut in manu Christo fuerit glorioso esse cum uellet, utcꝫ gloriæ tamen sibi noluerit plus sumere, quàm esset ex uoluntate patris & hominum salute:
B sic in solidam gloriã suam, antea in cruce humiliatus introiuit, ita & nobis placeãt humilia quæ ordinarit nobis Deus. In eo quòd hic tam magnifice Christum plebs excepit, & post tam paucos dies postulauit ad crucem, uidemus omnia in nobis bona opera esse spiritus sancti, ubi ille agit nos, ardemus, ubi minus, frigemus: nihil enim boni uel cogitare ex nobis possumus. Quòd discipuli post resurrectionẽ primum scripturas, & illis facta domini collata, recte cognouerunt, obseruemus iterũ, omnia salutis dona Dei esse, tum & certo nobis ordine dispensari.

Turbas ad glorificandum Christum, Lazari resuscitatione fuisse excitas, monet usum uerorum miraculorum esse, gloriã illustrare Dei, hinc facile uidere licet, quæ imposturæ sint Satanæ.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Pharisæi ergo dixerunt inter se.) ANNOT. Quo magis Dei regnum sese exerebat, eo necesse fuit magis furere Satanam in suis. Erant autem quidam Græci.) Instabat ut in signũ salutis eucheretur per Euangelion dominus in Gentibus, huic Græci isti præluserunt, unde cum desiderium eorum resciuisset dicebat: Venit hora ut filius hominis glorificetur, hoc est, ut Christus, quàm late orbis patet, agnoscatur, & celebretur. Sed quia ad hanc gloriam non nisi per mortem sibi ueniendum esset, addebat: Amen amen dico uobis, nisi granũ frumenti &c. Quasi diceret: Adueniet tandẽ tempus, ut qui hactenus ut filius hominis contẽptus inter meos uersatus sum, Christus mundi seruator ab electis per uniuersum orbem adorer, sed certo affirmo, id nõ posse fieri, nisi ante mortẽ obiero. Hinc est, quòd huius tẽpore appetẽte, uidetis gloriã meã, magis cꝫ antea uncꝫ illucescere, uidistis ut me magnifica põpa populus excepit Iudaicus, nũc uidetis mei studiosos adesse & græcos, discite igiẽ, & uobis per mortẽ, uitã & salutẽ quærendã esse: sicut nancꝫ granũ frumẽti, nisi decidẽs in terrã ante moriatur, solũ manet, & nullũ fructũ adfert, ita si nõ morerer,

Paraphrasis sermonis hic Domini.

ego nullum fructum adferrem, ubi aũt mortuus fuero, in toto orbe fructũ faciam, patri adductis quàm plurimis. Tum certe fructum feret Euangelion meum, apud omnem creaturam quæ ſub cœlo eſt. Sic cum uobis tum alijs, & ueſtra mors fructifera erit, igitur uitæ huius ne ſitis æquo amantiores, ſed eam exemplo meo, uoluntati patris libenter impendite. Ita enim comparatũ eſt diuinitus, ut qui amat uitam ſuam hic, & non uult eam pro patris uoluntate in diſcrimen adducere, uere ſit eam perditurus. Dum nanq; uitæ autorem contemnit, quî non perderet, quam ab ipſo uitam accepit? Et qui odit uitam ſuam in hoc mundo, hoc eſt, pro gloria Dei, tanq; odiens eius, in periculum adducit, cuſtodiat eam in uitam æternam, quia in manũ Dei, optimi patris noſtri, qui eam dedit, ſolusq; ſeruare poteſt, collocat. Confidentes igitur me ſectamini, etiam in mortem uſq;, dum ita patri uiſum fuerit, polliceor fore, ut qui mihi miniſtrauerit, annuntiando orbi factam per me ipſius redemptionem, & intrepide in quoduis me diſcrimen ſecutus fuerit, indubitato eò perueniat, ubi ipſe ero, hoc eſt, in gloriam patris. Nam & patrem honorauerit, quiſquis mihi miniſtrauerit, & uitam ſuam ſecũdum iuſſa mea, nempe ut alijs uerbo & factis, me Chriſtum eſſe teſtetur, inſtituerit.

OBSERVATIONES.

Chriſtus quo magis inuiſus huic mundo fiebat, eo magis glorificabatur à patre, quóque propius ei præſentis uitæ finis appropinquabat, eo magis illuceſcebat immortalitas, idem & nobis uſu ueniet ſi ipſum ſequamur. Animaduertenda quoque allegoria grani eſt: ut enim primũ à morte Chriſti apparuit qui fuerit, ita et nos poſt fata primum ſolida gloria & fœlicitas manet, ſi modo miniſtri eius fuerimus, id aũt erimus, ſi in eo cui ipſe incubuit operi ſedulo incubuerimus, nempe ut dei bonitas quàm plurimis ita innoteſcat, ut æmulari illam ſtudeant. Huiuſmodi miniſtri erũt, ubi ipſe eſt, in gloria patris. Id utinam & nobis eius ſpiritus perſuadeat.

ENARRATIO SECTIONIS, IIII.

Nunc anima mea turbata eſt.) ANNO. Per allegoriam grani mortis ſuæ meminerat, hinc anima eius, hoc eſt, uis ſenſibilis, ut uerus homo erat, & affectibus teneritimis cõmota fuerat, patrem igitur inuocat, ut ſe ſaluet ex ea hora, quæ tum appetebat ſupplicij. Sed propter hoc, inquit, ueni in hanc horam, pater illuſtra nomen tuum. Concíſæ ſententiæ, & non ſine reticentia, quæ pertutbatis animis familiaris eſt, dictæ. Mihi uidetur, cum dixit, ſed propter hoc, illuſtrationem nominis paterni, quam continuo precatus fuit, intellexiſſe. Vbi enim petierat, ut ſe pater ex ea hora liberaret, hoc eſt, donaret ſupplicium imminẽs fortiter ſuperare, illico cogitauit de quo iam dixerat, quod nimirum à morte ſua, gloria patris eſſet quàm clariſſime illuſtranda: Subiecit igitur. Sed propter hoc, ut morte mea efficiam, ut ubiq; ô pater nomen tuum celebretur, ueni in hanc horam, hoc fac igitur eueniat, ſicut tua bonitate omnino euenturum eſt. Glorificari, hoc eſt, celebrari nomen Dei, eſt paſſim ipſum Deum & patrem eſſe predicari atq; agnoſci. Id poſt mortem domini, miſſo ſpiritu ſancto, magnificentius quàm unquam antea, fieri cœpit, ſic nanq; apparere oportuit, quid mundo mors Chriſti attuliſſet.

Venit uox è cœlo.) Glorificauerat nomen ſuũ pater, dum tam inſignia per dominum agentẽ in carne bonitatis ſuę teſtimonia ediderat, rurſum illud glorificaturus erat, miſſo paracleto, qui uſq; ad extremũ terræ Euangelion gratiæ erat inuulgaturus, & credere huic, quàm plurimis daturus. Hæc uox, propter turbã è cœlo uenerat, ut agnoſcerẽt dominũ, cum patre unũ eſſe, ab eoq; ſeruatorẽ mundo miſſum.

Iudicium eſt mundi.

Nunc iudicium eſt mundi.) In iudicio mutari & corrigi res ſolent, in mundo tyrannidem ſuã quietus exercuerat Satan fortis ille armatus, qui atrium ſuũ diligenter cuſtodiebat, hic iam ex plurimorũ cordibus, qui pulſo illo, Chriſto nomen daturi erãt, eijciendus erat, recte igitur iudicium mundi eſſe, id eſt, iamiam faciendũ hic

dominus

dominus testatus est. Et ego si exaltatus fuero.) De morte crucis hac quidem allegoria dixit, sed quia per hanc in gloriam suam ingressurus erat, magis adeò hanc ipsam gloriam significauit. Id indicat, quod adiecit: Omnes traham ad me ipsum. Hoc utiq; tum fecit, quum ad dexteram patris fuit exaltatus, unde spiritum misit. Voluit ergo dicere: Vos exaltabitis & in ueram gloriam agetis, cum sustuleritis in crucẽ. Vos à terra attolletis corpus, ut summa cum ignominia moriatur, atq; sic nõ modo uos deiecturos me, sed penitus extincturos arbitramini, id tam non efficietis, ut ea ipsa morte, me sitis uere à terra exaltaturi, & in cœlum ad dexterã patris transmissuri. Vnde misso paracleto, id primum quod uos interimendo me conamini auertere, efficiam, nempe ut totus mundus, hoc est, omne genus hominũ me sequatur: traham siquidẽ omnes ad me, fide facta illis per spiritũ meũ, quòd seruator sum mundi. De hac exaltatione & supra pauca cap. 3. *Ego si exaltatus fuero.*

Nos audiuimus ex lege, id est, scriptura Psal. 7. Erit nomen eius in æternum &c. & psal. 89. Et thronus eius sicut dies cœli. Idem passim in uaticinijs Prophetarum legitur. Rogãt igitur cur dicat se à terra exaltandum, cum uellet Christus haberi, intellexerant siquidẽ allegoriam, sed non penitus. Quis est, inquiunt, ille filius hominis? Si de te ipso loqueris, cum Christũ esse te prædices, & nos id credidimus, quare dicis te exaltandum à terra? Si regnũ Christi uere æternũ scripturæ prædixerunt, oportet ut nobiscum semper maneas, & timearis dum sol & luna lucebunt, in generatione generationũ, ut iam citatus psal. habet. Neq; enim intelligebant, ut æternũ regnaret, ideo opus esse, ut corpus mortale immutaretur. *Christus æternus.*

Adhuc ad breue tempus.) Lumen non corporis sui, sed Euangelij præsentiam intellexit, quæ ad breue tempus in Iudæa fulsura erat, ex eo autem potuerunt discere, quo pacto esset abiturus, carne, scilicet, quó ue pacto apud suos usq; ad consumationem seculi mansurus, hortatur ergo eos, ut ambulent in luce dum lucẽ habeant, eamq; allegoriam mox ipse explicans dixit: Credite in lucem, ut filij lucis sitis. Lux utiq; Christus est, is præsens exhibetur dum per Euangelion annuntiatur. Et qui credunt, filij lucis, id est, ueræ lucis, & ueritatis participes euadunt. Dicuntur enim filij lucis, sicut filij uitæ, filij benedictionis, filij mortis, filij perditionis, quos ita scriptura uocat, quod uitam & benedictionem habeant, quod morti & perditioni obnoxij sint. *Quomodo Christus sit nobis.*

OBSERVATIONES.

Quòd anima Christi turbata fuit, argumentum ueri hominis fuit: quod obseruet contra eos, qui Marcionis dogma pestilentissimum postliminio reuocant. Animaduertamus etiam, non esse Christiani, ut non doleat, sed ne dolore à recto distur betur. Patrem Christus orauit, ut liberaret eum à supplicio, non ne illud perferret, sed ut perferret fortiter, hinc discamus perturbati dum sumus, cõsolationem à Deo petere, à quo solo, certa ueraq; nobis ueniet. Obseruandum præterea ibi eiectum Satanam, ubi Christus regnare cœperit, ideo qui Christum semel uere receperunt, ij eo nunquam excident, deuictus enim est hostis eorum Satan, & eiectus. Lacesset igitur sanctos quidem, deuincet nunquam.

Circa id quod dixit dominus, ad se omnes tracturum, postquam esset exaltatus, obseruandum, quid nouum, Christi litatio orbi attulerit. Etenim & ueteres sancti, per Christum saluati sunt, utiq; quòd ex gratia Patris, & ipsius futura satisfactione spiritu sancto donati fuere, ut diuina cognoscerent & amarent, atq; sectarentur. Quid iam præter hæc sancti acceperunt, dum dominus redemptionem ipsorũ perfecit? Hæc certe: Traxit ad se omnes, quæ Dei gratia tantum apud Iudæos celebris erat, diuulgata fuit in uniuersum orbem, donato electis spiritu, multo quàm ante sancti habuerant ampliore, quo sicut in uita Dei grandiores prudẽtioresq; facti sunt, ita liberati, quo q; sunt à pædagogia cærimoniarũ legis, nõ secus atq; à præceptore *Quæ noua Dei beneficia mũdus à morte Christi acceperit.*

ceptore elementario liber fit, qui sublimiori doctrinæ cœpit esse idoneus.

Quid legis abrogatum.

Quicquid sanè externorum rituum præceptum ueteri populo fuit, ad hoc præceptum fuit, ut tanquam rudiores illis uel ad aliquod pietatis & honestatis studium formarentur, tum à Gentibus separati in obseruantia uerbi Dei seruarẽtur. Vbi igitur spiritus donatus est, quo multo perfectius ad omnem cum pietatem, tum uiuendi honestatem simul & decentiam, quàm ullis unquam institutionibus externis fieri potuerit, electi formantur & impelluntur, deinde sublato medio pariete unus factus est populus Dei ex Iudæis & Gentibus, nõ est utiq; ratio, ut elementis illis, externis, scilicet, obseruatiunculis etiamnum alligentur. Sicut profecto absurdũ esset eius manum, qui iam scribendi artem egregie teneret, ad pingendas literas ab alio duci, aut præceptori elementario eum addici, qui iam loquendi scribendiq; perfectum usum esset consecutus, aut uirum iam & uiro dignis moribus ornatum, & illas morum formulas, quas pueris præscribimus, adstringi. Cum uenit quod perfectum est, euacuatur quod ex parte est. Vnde in futuro seculo, cum magister spiritus omnia obtinuerit, cum Deum sicuti est cognouerimus, hoc est, cum in uirum perfectum, plene adultæ ætatis Christi euaserimus, etiam ea faceſſent externa, quorũ in Christianismo usus est, nimirum usus externæ doctrinæ atq; monitionis, atq; sacramentorum, quibus homines, initiantur & instaurantur, tum ordinis ministrorum, quos propter docendi monendiq; officium hic habere nos Deus uoluit. Sic certe cum Ecclesiæ, tanto quàm ueteribus amplior spiritus contigisset, & sancti ultra puerilem ætatem, in adolescentiam quandam & iuuentutẽ cœlestis uitæ essent euecti, iure abolita fuit pędagogia legis, quę tamen utilis fuerat, dum populus Dei puer erat, hoc est, spiritu nondum libertatis, sed timoris tantum prędītus. Vt autem hunc libertatis spiritum alij alijs opulentius, etiam in Christianismo accipiunt, ita alijs alij iure maiore libertate ab externis institutis fruũtur. Aetate sanè minoribus & spiritu rudioribus utile est, elementarias nonnunquã præceptiones dare, sed quę ex fonte totius sanctæ præceptionis, ijs, scilicet, præceptis: Diliges Deũ ex toto corde &c. & proximum sicut te ipsum, rectà dimanent. Nullis aũt in uniuersum Ecclesia grauanda est, nisi quas dominus dedit, & quæ necessario ob eas quas dedit requiruntur: qui solas dedit, quas dixi: Vsum externi uerbi, studiũ externæ societatis propter commode percipiendum uerbum, baptismum & Eucharistiam, quibus redemptio Christi efficacius exhibetur, deniq; ordinem ministrorũ, qui docendi, monendi, & alia Ecclesiæ negotia curandi, muneribus fungantur.

Quæ elementa habeat Ecclesia.

Hæc quæ disserui, cum omnis scriptura, tum clarissime Paulus passim docet, peculiariter uero Rom. 8. 1. Cor. 10. 11. 12. 2. Cor. 3. Gal. 3. & 4. Philip. 3. Coloss. 2. & 3. 1. Timoth. 1. Prophetæ sparsim eadem habent, & dominus infra quoq; 23. & 14. & alibi ea in summa præcepit. Fusius ista explicare, & exemplis illustrare, non est instituti præsentis. In Matth. tamen 5. & Epistolam Ephes. cap. 2. sect. 5. pluribus ista tractaui. Cõmodius fortasse disseruissem de his, infra 13. uel 14. dum tamen hic fuit occasio dicendi quomodo Christus ad se omnia attraxerit, nimirum effuso spiritu amplissimo & in gentes, dicendum simul fuit, quid hic spiritus noui attulerit, præ ijs, quæ attulit & priscis sanctis. Ea ergo cum sint, amplior Dei cognitio, atq; inde studiosior bonitatis Dei æmulatio, unde & legis facta libertas est, de ea quoq; fuit aliquid adijciendũ. Hinc etiam abunde liquet hæc, super ea quę prioris fœderis sancti habuerunt nobis per Christi litationẽ allata esse, primum, spiritum ampliorẽ, deinde hunc gentibus cum Iudæis cõmunem, postremo, ut natura consentaneum erat, à legibus tot cærimoniarum & rituum, libertatem.

Christum lucem esse, idq; cum per fidem Euangelij habetur, unde omnem sapientiam præter Euangelion oportet meras tenebras esse, id multis iam locis obseruandum uenit.

ENAR-

Hæc locutus est Iesus ac digressus.) ANNOT. Vt uicissim & humilitatẽ homínis, & uirtutẽ Dei in se exhiberet, per uices & fugiendo Iudæorũ furorem declinauit, & animose ingerendo se illis uim Satanæ in eis occulta quadã uirtute repressit.

Cum autem tam multa signa fecisset.) More suo, cum Euangelista ait, quasi loquens de omnibus: Non credebãt in eum, intellexit perpaucos in eum credidisse. Hoc Ieschaiah prædixerat, ideo oportuit ita fieri, & uaticinium Prophetæ impleri. Nam id ille non prædixisset, nisi sic futurum à patre fuisset definitum. Vaticinium hoc legitur Iescha. 53. Non forma, neq; decor, qui Christum referret, in domino apparuit, ideo nullius quoq; fuit Iudæis æstimatus, nisi quibus brachium domini, id est, diuina in eo uirtus reuelata fuit, id autem datum fuit paucissimis. Eam ergo paucitatem futuram Vates significans, dixit: Quis credet sermoni nostro? cui reuelabitur brachium domini?

Propterea non poterant credere.) Quid quæso potentius & apertius dici possit pro Dei omnia ordinantis prædestinatione, & contra id, quod quidam lib. arb. tribuunt, nẽpe homini ex sua uirtute Christo credere posse? Reprobi hi fuerunt, quibus in hoc uerbum Dei prædicari debuit, ut magis excæcarentur, & impietatis suę modum implerent. Diximus aliquoties supra, quo propius se Deus mentibus impiorum insinuat, eo magis illorum impietatem exagitari, ut blasphemantes conditorem suum, peccatũ, in quo mori, & æternum cruciari eos oportet, consumment. Euangelista simpliciter quid dominus fecerit impijs prædixisse Prophetam memorat, quod nimirum excæcauerit oculos eorum &c. Vates autem non absq; schemate hæc scripsit, introducit enim Deum dicentẽ sibi: Vade dicesq; populo huic, audiendo audite, & non intelligetis, uidendo uidete, & non cognoscetis. Fac crassum cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius contege, ne uideat oculis suis, & auribus audiat, & corde intelligat, & cõuersus sanitatẽ accipiat. Ex his Prophetæ uerbis significatũ uidemus euenire, ut tum potissimũ reprobi excæcẽtur, & in perniciem indurentur, cum ueritas eis quàm patentissime prædicatur. *Locus Esa. 6.*

Propheta ergo Christo præmissus, & ex eius spiritu loquẽs, cum reprobis Iudæis ueritatem salutis prædicaret, tam non reddidit eo illos meliores, ut blaphemare ueritatem iam cognitam, ac ita in spiritum sanctum peccare efficeret, unde conuerti nunquam potuerunt, & sanitatem recipere. Idem, cum illis Christus ipse patris doctrinam attulit, tanto clarius euenit, quanto Christus reuelatius & potentius illam cum uerbis, tum signis oculis reproborum intulit, multo uerius igitur hoc uaticinium ipse impleuit. Vtiq; post Christi prædicationẽ ea Israëli cæcitas accidit, qua nulla antea maior. Hac in re igitur Ieschaeiah Christi typus fuit, & quã ipse reprobis sua prædicatione excæcationẽ inuexit, eius quæ postea inflicta reiectis per Christum fuit, tantum umbra quædã extitit. Et omnino id Vates intellexit, eoq; nõ tam de se ista, quam Christo uaticinatus est. Id Euangelista recte adserit dicens: Hæc dixit Esaias, quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo. *Quomodo Christo competat hoc uaticinium.*

Cuius aũt gloriam uidit, de quo locutus est? In anno, quo mortuus fuit Vzijahu regis, scribit Vates se uidisse dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & fimbrias eius, hoc est, extrema tapetium repleuisse templũ. Tum Seraphim stetisse iuxta eum, & fuisse unicuiq; sex alas, duabus illos texisse faciem suam, duabus pedes, & duabus uolasse, clamasseq; alterum ad alterum: Sanctus, Sanctus dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Hac uisione, specimen regni Christi ostensum Vati fuit, unde scribit Euangelista, uidisse eum gloriam Christi, Christus enim qui sedet super solium celsum, cui pater omnem dedit potestatem in cœlo & in terra, fimbriæ eius uel tapetes replent templum maiestate: siquidem eius etiam hominis, omnia in Ecclesia eius plena sunt, uirtúsque regni eius peruenit ad omnes. Astantes illi Seraphim, repræsentarunt angelos domino ministrãtes. *Quomodo Ieschaeiah uiderit gloriam Christi.*

Ii dua-

li duabus alis faciem, duabus pedes, atq; ita totum corpus contegebant, tum duabus uolabant, eo significatum puto, diuiniore & cœlesti uirtute undiq; illos amictos esse, tum eadem uirtute omnia agere, attamen Christo homini iure inseruire, ut omnium domino. Vnde & Seraphim, id est, ardentes, utiq; illo igni, qui Deus est, dicuntur. Geminatio alarum, plenitudinem diuinitatis, quæ in illis, & superna & inferna tegit, tum & opera efficacia reddit, adumbrasse uidetur. Sic & Ioseph his uisum somnium eiusdem rei, significasse interpretabatur maiorem certitudinem. Cœlesti natura alioqui scriptura diuinitatem significat, inde fit ut angelos ferè alatos repręsentet, figura animalis cœlo uicinioris. Humanam tamen faciem eis semper affingit, quo consortium quod nobis cum Deo est, indicat, simulq; monet, è terrenis nos cœlestes reddendos. Hi adstiterũt domino, quia semper ei ministrãt, quod & mortali etiamnum præstiterunt, superq; eum, quamlibet filium hominis descenderunt & ascenderunt, de quo suprà 1. Sanctum trina, hoc est, perpetua confessione eum celebrant, & יהוה צבאות id est, dominum exercituum, hoc est, autorẽ & dominum omnis uirtutis & ornatus, qui uel in cœlo est, uel in terra, cuius gloria omnis terrena plena sit, prædicant, quia ministerio angelorum, per quos sua Deus opera exercet, Christi diuina maiestas, qua uere sanctus & adorandus omnibus existit, cum efficaci sermone, tum signis & prodigijs per Apostolos, hominibus per uniuersum orbem ostensa, factaq; est illustris & celebris. Hanc domini Iesu gloriam, in hac uisione propheta uidit, & dum se dixit missum, ut uerbo ueritatis populum excæcaret, de ipso domino potissimũ locutus fuit, quem, scilicet, ut Dei ueritatem & bonitatẽ apertius atq; potentius prædicaturũ Iudæis intellexit, ita præsensit per eũ, plus quoq; quàm unquã antea illos excæcandos & indurandos. Quanquã & ipse Vates, reprobis & inter Iudęos qui ipsum audierũt, occasio fuerit, ut excęcarẽtur et perirẽt, sed nõ nisi quatenus Christi minister erat, & Christi uerbũ illis annũtiabat.

OBSERVATIONES.

Obseruandum, ut recte de Christo prophetæ prædixerint, nondũ enim erat tempus ut plane reuelaretur. Spiritus autem filijs Dei omnia facile retegit, reprobi debent undiq; occasionem ut pereant, accipere. Diligẽter autem animaduertendum, quod hic Euangelista ait: Vatem de Christo locutum, cum uatis uerba testentur illum, de se ipso locutum. Hinc confirmatur, quod suprà. 5. de typis Christi dixi. Typus Christi & hic propheta fuit, eoq; quæ in Christo implenda erant, in ipso adumbrata sunt, in se ergo illa prædixit, dum tempus nimirum nondum esset de Christo palam loqui. In eo aũt quod Euangelista scribit, propterea non potuerunt credere, notanda prædestinationis certitudo est, & liberi arbitrij ex se inanitas.

ENARRATIO SECTIONIS VI.

Veruntamen ex principibus.) ANNO. Quia de obstinatione Iudæorũ Euangelista dixerat, quod non potuerint domino credere, recte hoc subiecit, quo ostendit non omnes ita fuisse reiectos, sed etiam ex principibus multos in dominum credidisse, quanquam & illi infirmiores adhuc, & gloriæ huius mundi amantiores essent, quàm ut id palam auderent confiteri, quo pacto gloriam nacti fuissent apud deum. Vt ergo hos dominus animaret, clamabat & dicebat: Qui credit in me &c.

Clamabat. Volebat siquidem & exemplo suo, ita edita uoce de se prædicans id, quo nihil molestius audiebant Pharisæi, excitare illos, ut secum Pharisæos præ deo contemnerent. Tum addidit rationem, urgentissimam sanè, adserens in deum credere, qui crederet in ipsum, quiq; ipsum uideret, hoc est, rite cognosceret & peruideret de quo & suprà, ὁ θεωρῶν enim dixit deum uidere & cognoscere, quę utiq; æterna uita est. Adiecit uero: Ego lumen in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, non maneat in tenebris, hoc est, qui me Christũ recipit, à peccatis & omni ignorantia liberetur.

retur,ut plene tandem cognoscat Deum,indeq; æternum uiuat.His cum se Dominus palam Deum esse,& cum Patre unum prædicaret, abunde satis principes istos prouocauit,ut susq; deq; habentes quid de ipsis pharisæi statuerent,palam se ipsi dissent unico mundi seruatori. Sed erat hoc tempus infirmitatis istorũ,nam dominus antea pati,quàm glorificari palam omnium confessione debebat,

Ego non iudico eum,nimirum homo tantum quem me esse uidetis. In hac siquidem conditione mortali non ueni in mundum ,ut iudicem,hoc est,condemnem mundum , non est enim hoc propter quod præcipue adueni , non hoc specto,licet multi nihil nisi condemnationem à me,sed sua culpa accipiant , de quo & supra.9. Præcipua caussa cur adueni, est,ut mundo,hoc est , omne genus hominibus salutẽ adferam,impetrato & donato eis spiritu solidæ iustitiæ.

Sermo quem locutus sum .) Hic sermo ipsa ueritas est , & mittentis Patris de æterna uita promissio,Euangelion regni.Id ita tandem reprobi agnoscent,ut nihil possint contradicere,& si tamen nequeant eum sermonem ueritatis & pietatis amplecti,nati , scilicet , ex Diabolo . Hinc autem cum quibus nunc occupati sunt carnis oblectamenta olim euanuerint, contra seipsos pronuntiabunt , qui ultro oblatam ueritatem,& sermonem æternam uitam adferentem contempserint, atque ita ipse sermo Christi , hoc est, ipsum Euangelium gratiæ,damnabit olim contemptores sui,dum clare demum illi agnoscent quantam Dei bonitatem reiecerint,indeq; tum se ipsi condemnabunt.Sicut si quis salubre amici consilium contemneret, & diceret ille consilij sui contemptori,contemnis modo quòd tibi consilium dedi,ob id ego nihil mali tibi faciam,sed ipsum quod dedi tibi consilium , ubi id olim recte cognoueris cruciabit te,& pœnitere faciet uecordiæ qua illud modo demens reiecis.Ita fingi modo non potest,quanta sit impiorum in die nouissimo carnificina futura,quanti eorum cruciatus ex ipso Euangelio quando apertissime uidebunt eũ Christi sermonem & Euangelion quod ipse orbi attulit,quod illi tanquam dei blasphemiam totis uiribus persecuti sunt , esse ipsum dei sermonem,& quo uitam ęternam orbi obtulit.Hoc uero est quod ait,ideo sermonem suum iudicaturũ eos , qui eum non susceperint, quia ex se ipso homine , scilicet , nihil locutus sit,sed sicut ipsi Pater mandatum dedit,hoc est,loqui iussit,seq; scire id uitam ęternam esse,hoc est, uitam æternam adferre credentibus.Idem est,quod Paulus scripsit Romanis,Euangelion esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

Sermo Christi condemnabit impios.

OBSERVATIONES.

Obseruandum iterum sermonem Christi,semper suos habere auditores , eosq; quouis ordine & uitæ genere,& a nemine magis damnari,quàm ab ijs qui uolunt uideri sanctitati & ueritati addictissimi ,tum infirmos Dominum nequaquam abiecisse . Vides enim hic & principum multos credidisse , licet infirmi adeo essent, ut Dei gloriam humanæ nondum possent præferre , pluriscq; calculum Pharisæorum hostium Dei , quàm Deum ipsum facerent , neque tamen abiecit illos Christus,sed quantum licuit cohortatione confirmare,& prouehere eos est conatus.Id nos curemus , ne qua Dei uasa,si non confringamus , lædamus tamen:quos enim misericordiæ uasa esse Deus uoluit,destinata ad usus honorificos , collidere homines inconsulti possunt , confringere non possunt . Væ aũt illi dixit dominus , qui unum ex minimis eius offenderit.Postremo animaduertenda est domini cum Patre æqualitas,quum dicit uidere Patrem,qui ipsum uiderit.Hinc enim certo colligitur eum ipsum deum , & cum patre unum esse.Sed uidere hic est,ut dixi,peruidere,atque certa fide contemplari eum , ut quid sit , plane pernoscas.

CAPVT XIII. C

Sectio.1. ANTE festum autem paschæ, sciens Iesus quòd ueniſſet hora ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet suos qui erant in mundo, usq; ad finem dilexit eos. Et cœna facta, Cũ diabolus iam immisiſſet in cor Iudæ Simonis Iscariotæ ut proderet eum, sciens Iesus quòd omnia dediſſet sibi Pater in manus, & quod à Deo exiſſet, & ad Deum iret, surgit è cœna, & ponit uestimenta, & cũ accepiſſet linteũ, præcinxit se: deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorũ & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonẽ Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit: Quod ego facio, tu nescis nũc, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Nõ lauabis meos pedes in æternũ. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habes partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine nõ tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est nõ opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Et uos mundi estis, sed nõ omnes. Sciebat enim quisnam esset qui proderet ipsum. Propterea dixit, non estis mundi omnes.

Sectio.2. Postquam ergo lauiſſet pedes eorũ, receptisq; uestibus suis accubuiſſet, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magistrũ ac dominũ, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus & magister, uos quoq; debetis inuicẽ alĩ aliorũ lauare pedes. Exemplũ enim præbui D uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, neq; legatus maior est eo qui legauit ipsum. Si hæc nouistis, beati estis, si feceritis ea.

Sectio.3. Non de omnibus uobis loquor, ego scio quos elegerim. Sed ut adimpleatur scriptura. Qui edit mecũ panem, sustulit aduersum me calcaneum suum. Nunc dico uobis priusquam fiat, ut cum factũ fuerit, credatis quòd ego sim. Amen amẽ dico uobis, qui recipit quemcunq; misero, me recipit. Qui autem me recipit, recipit eum qui me misit. Cum hæc dixiſſet Iesus, turbatus est spiritu, & testificatus est, dixitq;: Amen amen dico uobis, quòd unus ex uobis proditurus est me. Aspiciebant ergo se inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat autem unus ex discipulis Iesu recumbens in sinu ipsius, nimirũ is quẽ diligebat Iesus, innuit ergo huic Simon Petrus, ut sciscitaretur quis esset de quo loqueretur. Itaq; cum recubuiſſet ille, super pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondet Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cũ intinxiſſet panẽ, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post offulam ingressus est in eum satanas. Dicit igitur ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc aũt nemo intelligebat discumbentium, ad quid dixiſſet ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Iesus, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepiſſet ille offulam, exiuit continuo. Erat autem nox.

Cum

Cum ergo exiſſet, dixit Ieſus: Nunc glorificatus eſt filius hominis, & Deus glorificatus eſt per eum. Si Deus glorificatus eſt per eum, & Deus glorificabit eum per ſe, & cõtinuo glorificabit eum. Filioli adhuc pauliſper uobiſcũ ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis, quo ego uado uos nõ poteſtis uenire, ita & uobis dico nunc. Præceptum nouũ do uobis, ut diligatis uos mutuo, ſicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuo. In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter uos mutuam. Dicit ei Simon Petrus: Domine quo uadis? Reſpõdit ei Ieſus: Quo ego uado nõ potes me nũc ſequi, ſequeris autem poſtea. Dicit ei Petrus: Domine: quare non poſſum te ſequi nunc? Animam meam pro te ponã. Reſpondit ei Ieſus: Animã tuam pro me pones? Amen amẽ dico tibi, nõ canet gallus, donec ter me negaueris. *Sectio. 4.*

ANte feſtum autem Paſchę.) ANNOT, Reliqui Euãgeliſtę hoc loco hiſtoriam ſacræ Cœnæ inſerunt, at huius miſterium omne in hoc inſtitutum eſt, ut pane quem frangimus, & calice quo gratias agimus, cõmunicationẽ percipiamus corporis & ſanguinis domini, quóq; dominus magis magisq; uiuat in nobis, & nos in illo. Cum itaq; Ioannes ſermonẽ domini de uera cõmunione eius memorarit ſuprà 6. hic à narratione cœnę ſuperſedit, Ritus enim Euchariſtię, pridẽ omnibus Chriſtianis cœperat eſſe familiariſſimꝰ: prętermiſſis ergo quę ad Euchariſtiã attinẽt, memorat, quę, ut mihi uidetur, cœna iã abſoluta à domino facta ſũt & dicta, quę, ſcilicet, alij Euãgeliſtę prętererãt.

Vt tranſiret, hoc eſt, tranſierret in lucem inacceſſam carnẽ ſuam, oculis hominũ ſubductã. Verus homo fuit, unde cũ ad Patrem ex mundo abijt, in mundo iam non eſt ea ratione qua abijt Quanquam enim Pater ſit ubiq; & omnia impleat, nõ tamẽ ubiq; inacceſſam ſuã & beatam lucem reuelat, quam nũc dominus inhabitat. Hęc uero opponitur mundo.

Ad finem dilexit eos.

Ad finem dilexit eos, hoc eſt, uſq; in finẽ nihil omiſit erga eos, quod dilectionis eſſet. Paulo ante porrecto pane & poculo donauit eis ſuũ corpus & ſanguinẽ mox immolanda pro ipſorũ ſalute, quo nouũ fœdus Dei ipſis confirmaretur, modo uolebat lauare illis pedes, ita & exemplo ſuo ad ſummiſſionẽ & mutuã dilectionẽ eos prouocaturus. Cui facto ſermonẽ quoq; ſubiecit, incredibiles dilectionis flammas ex ſe eiaculantẽ. Ob hęc ergo ſcribit Euangeliſta, dilexiſſe dominũ ſuos in finem.

Diabolus miſit in cor.

Cum Diabolus iam.) Vt mendacij, ita omnis peccati autor & ſuggeſtor ſatan eſt, præterea tam infandum ſcelus Iudæ fuit, ut nõ eſſet humanæ menti tribuendũ. Videtur autem hoc in pręſenti Euãgeliſta ideo memorare, ut domini ſummiſſionẽ miramq; lenitatem, & in eo prędicaret, quòd tam ſceleſto proditori ſuo ſuſtinuiſſet lauare pedes.

Sciens Ieſus quòd.) Senſus: Quanquam ſciret Dominus ſibi omnium poteſtatẽ traditam, & uere Deum eſſe, qui à Patre ueniſſet homo factus, & nũc etiam homo, diuinam maieſtatem repeteret, attamen adeo ſe demiſit, tamq; fuit ſeruulorum ſuorum amans, ut &c. Vt enim domini dilectionem in ſuos, Euãgeliſta maximã fuiſſe oſtenderet, hæc de domini diuina celſitudine præmiſit.

Surgit à cœna.) Memorabile factum hoc Euangeliſta more ſuo quàm diligentiſſime ſingula perſequens, memorat, utiq; ut diligẽter quoq; à nobis perpenderet.

Venit ergo ad Simonẽ.) Omnino uidetur ad hũc ueniſſe, cũ iam alijs aliquot diſcipulis pedes lauiſſet. Neq; mirũ ſi Petrus reclamauerit, cum alij lauari ſibi pedes à Domino ſuſtinuiſſent, indicant enim & alia quæcunq; fere de eo Euangeliſtæ memorant, eum domini amore & admiratione admodum arſiſſe.

Quod ego facio, tu neſcis nũc.) Neq; enim ut diſcipuli mundos haberent pedes.

ſed ut diſcerent mutuã dilectionem, hanc lotionẽ dominus inſtituerat, id tum ignorabat Petrus, poſtea autem à Domino audiuit, ſed uere demũ intellexit, cũ accepto paracleto, & reliqua Chriſti geſta uerbaq; cognouit penitius.

Si non lauero te,) Ruſtice magis quã pie officiũ ſuum recuſantem petrũ deterruit dominus, facta anagoge ab externa ad internã lotionẽ. Neq; enim cũ domino quiſquã cõmune aliquid habere poteſt, niſi renatus, hoc eſt, ſpiritu eius lotus. Hanc allegoriam tametſi tum Petrus nõ intelligeret, quia tamẽ audiebat ſe non poſſe cũ Domino partẽ habere niſi ab ipſo lotus, illico manus & caput ſimul cũ pedibus lauanda obtulit: Dominus aũt altera uſus allegoria, deſumpta ex cõmuni hominum uſu, reſpondit, tantũ opus ei eſſe, ut lauet pedes. Sicut nanq; loti ſolent tamẽ pedes, quos cõtactu terræ continuo inquinant, uel etiã cum primũ balneas egrediuntur, abluere, & mox & identidem, ſic & ei, cui aqua illa munda de qua Iehezkel, ſpiritu Dei, lauari, hoc eſt renaſci, datũ fuerit, nõ eſt opus, niſi ut pedes, quibus terrã contingit lauet, hoc eſt, carnẽ hanc mortificando continuo affectus eius prauos, expurget, cętera eſt mundus totus, fide cor purificante. Hinc mundos diſcipulos dominꝰ pronuntiauit, quia hoc filiorũ Dei ſpiritu, qui quos ſemel apprehenderit, nunquã donec omni mũdatos macula reddat undequaq; purosde ſtituit, donati erant. Iudã excepit, quia hũc ille ſpiritũ nunquã perceperat, reprobꝰ & Deo odio habitus cũ adhuc in utero eſſet matris. Spiritum quidẽ, id eſt, uirtutem habuerat, ut ueriſimile eſt, pellendi dæmones, & uirtutes alias faciendi, ſed ea animũ eius nõ immutauit, unde audiuit à Domino, quod illi de quibus Matth. 7. Amen dico tibi, nõ noui te. Sic & Schaul ſpiritũ aliquandiu habuit נדיבה, id eſt, principalẽ, quo egregie regnũ potuit adminiſtrare, ſpiritũ autem, quo uera imbutus fuiſſet pietate, nõ habuit, alioqui filius dei perſeueraſſet. Sanctificantur enim tantum, qui uocati & prædeſtinati ſunt.

Mundus totus eſt, qui lotus ſemel.

OBSERVATIONES.

Obſeruanda ingens Domini & ardentiſſima dilectio, qui adeo nihil in ſinẽ uſq; omiſit, quo plene iuſtos & beatos redderet ſuos, quemq; non piguit, ad quoduis ſe dimittere miniſterium, quo nobis dilectionẽ, qua ut Lex completur, ita homo Dei abſoluitur, cõmendaret. Hinc diſcamus, & quàm tuto nos ipſi credamus, & quàm ſedulo deceat, in proximorum nos dilectione exercere, quamlibet uel ipſi magni ſimus, uel illi humiles, adde etiam hoſtes. Nam dominus omnium cũ eſſet ſeruator, Iudæ tamen proditoris ſui lauare pedes, diſcipulorum enim pedes ſcribitur lauiſſe, neq; quiſquam excipitur, nequaquam dedignatus eſt.

Prędicata hic ampliſſima domini & poteſtas et dignitas, moneat ut totos nos illi dedamus & uerbum eius, rebus omnibus anteferamus.

Obſeruandum item, nõ poſſe partem cũ domino habere niſi lotum ab ipſo, & lotum prorſus mundũ eſſe, tantum opus habere, ut lauet pedes. Docemur his enim, ſpiritũ iuſtificationis à ſolo Chriſto dari, tum datum nunquam auferri, quia lotum, nõ opus eſt, lauari, ſed eſt mundus totus, externã tamẽ ſemper conuerſationẽ emendandã eſſe, donec membra quę ſuper terram ſunt, penitus mortificauerimus, Coloſſen. 3. & carnem cum uitijs & concupiſcentijs prorſus crucifixerimus. Gala. 5.

Deniq; notandũ uſum dominũ allegorijs hic, quæ Petro cũ audiret ęnigmata fuerunt, ſed poſtea intellectæ, cũ ipſi tum alijs ſuum fructũ nihilominus attulerunt. Nõ igitur fruſtra prædicatur, quicquid non ſtatim per omnia intelligitur, & ſæpe plus mouent, quæ poſt ad mentem recurrentia, à perſcrutantibus percipiuntur.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Poſtquam ergo lauiſſet pedes eorum.) ANNOTAT. Quod uelut ęnigma Dominus hoc facto diſcipulis exhibuerat, nũc explicat, monens, ut quandoquidẽ ipſum magiſtrũ & Dominũ recte ſalutarẽt, nollent ſe domino, magiſtro, & principi ſuo ſeruuli, diſcipuli, & legati preferre, quodq; uidiſſent ipſum edere exemplũ, uellent ſtudioſe imitari, ut nimirũ alij alijs inuicẽ lauare pedes nequaquã grauarentur, quãdo

do ipse eorum pedes lauisset, eorũ magister & Dominus. In eo autem quod dixit: Vos quoq; debetis alij aliorum inuicẽ pedes lauare, nequaquam pedũ tantum lotionem exegit, sed ueræ dilectionis officia quæuis. Synecdoche enim est, ut ex eo quod seruilissimũ uidetur omnia officia intelligas. Qui nanq; eó demiserit se ut ex syncera dilectione etiam hosti, nedum fratri lauet pedes, quid illé ministerij, quid officij detrectet? Nihil minus igitur quàm Christum imitantur Episcopi & satrapæ, dum quotannis semel aliquot pauperum pedes, sed eos ante non lotos solum, sed & odorata simul aqua perfusos, abluũt et deosculantur. Nõ fucis, sed ueris Christum imitari oportet, nempe ut nemo quamlibet eximius, indignũ se ducat quibuslibet humilibus & sordidis officijs, nõ modo fratres, sed & inimicos demereri. Cum Abigail diceret nuntijs Dauid: Ecce me famulam tuã, quæ sim in ancillã, ut lauem seruis Domini mei pedes, nequaquam ad talem sucũ, qualẽ exhibẽt præposteri isti Christi æmlatores, sese obtulit, sed significauit se usq; adeo morigerã & subiectam fore Dauidi, ut ne quidem lauare pedes seruulorum eius detrectatura esset. Sic & Paulus accepit lauare pedes, cum uiduã requirit quæ lauerit pedes sanctorum, id est, quolibet ministerio, illis inseruierit. 1. Timoth. 5. *Quid sit lauare pedes.*

Si hæc nouistis.) Hoc est, si hæc recte intelligitis, ita ut libeat ea præstare, beati estis. Nam quo Deo euadimus similiores, eo sane & beatiores reddimur: iam nulla re magis Deo similes euadere licet, quàm perpetua in omnes beneficentia: sic perfecti euadimus, ut ipse est, qui tam malis quàm bonis benefacit, Matth. 5. ac est bonitas ipsa, qua omnia uiuunt & fouentur.

OBSERVATIONES.

Obseruemus diligenter, quàm deceat nos seruulos & discipulos, dominũ & magistrum æmulari: cum igitur ille pro nobis inimicis suis mortem etiam obijt, nihil putemus esse, quod non subire debeamus pro fratribus. Hinc certe beati euademus, indubie miseri futuri, si uixerimus nobis ipsis. Beatius est dare, quàm accipere.

ENARRATIONES SECTIONIS III.

Non de omnibus uobis loquor.) ANNOTAT. Ne plures se inter immundos numerari putarent, palam dixit unum esse duntaxat immundũ, simul explicans quã immundus ille esset, nempe adeo, ut ipsum magistrum & seruatorem suum proditurus esset, & in manus impiorum traditurus. Ita uero ita questus, ademit omnem scelerato proditori excusandi ansam, & ostendit, quàm nihil possit profici erga eos, qui spiritu filiorum destituti in potestate sunt satanæ.

Scio quos elegi.) Vide neq; malos posse esse, quos Christus elegit, neque bonos quos non elegit. Iudam enim significat se non elegisse. Huic uero nõ pugnat, quod supra. 6. in fine dixit: Nunquid ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est. De externa enim ibi electione in cœtum Apostolicum, hic autem de interna, & æterna in numerum filiorum Dei locutus est.

Sed ut impleatur scriptura.) Hęc Psal. 41. legitur: Ebręa sic habent: Etiam amicus meus, de quo cõfisus eram, qui uescebatur pane meo, sustulit calcẽ suum cõtra me. Hæc de quolibet sancto, qui à domesticis suis adfligitur uere intelligas, uti Dauid de se illa cecinit, sed quia nemo hoc indignius unquã & grauius Christo pertulit, optime, & in eũ, imo in eũ, prę alijs hoc dictum cõpetit. Hinc igitur dixit: Vt impleretur scriptura, id est, in me quoq;, ac ideo plene uera ostenderetur. Cęterũ scriptura, per magnificare supplantationẽ, uel leuare plantã, uel calcaneum, oppressionẽ intelligit. Quem enim calcaneo truseris, & supplantaueris, prorsus habes prostratum. Imperfecta autem est hæc domino oratio, sed ut scriptura impleatur &c. & impletur, si subaudias, ideo ferendũ est, aut quid eiusmodi. Similẽ sane fieri dominum fratribus oportuit, per omnia tentatũ: cum igitur & hoc in fratrum tentationibus, & eorum qui typum eius gesserunt fuisset, ut à domesticis quoq; opprimerentur, *Leuare calcaneum quid.*

idem pati & dominum oportuit,ac ita & in ipso,hanc scripturam Psal.impleri. c

Nunc dico uobis.) utiq; cum uideret eum omnia præsciuisse, & tamen pati ea uoluisse,facile potuerunt agnoscere,uere eum Christum & Deum esse. Quanquã hęc omnia tum fuerint illis rite perpensa atque intellecta, cum spiritu ampliore fuerunt donati.Adeo præter doctrinam spiritus, nihil horum potest homo percipere.

Amen amẽ dico uobis.)Et hæc oratio imperfecta est, siue omiserit aliquid Euangelista,siue dominus ipse,ut solet fieri,cum animus perturbatus est,aliquid reticuerit.In hoc enim uidetur Apostolicam dignitatem hic Dominus extulisse, ut significaret,quantum Iudæ honoris contulisset,atque inde,quàm ingratus & scelestus ille esset,qui in mortem posset tradere eum, qui se eo euexerat,ut qui ipsum recepisset,Christum & Deum recepisset. Vnde cum hęc dixisset turbatus fuit spiritu,utiq; ob atrocitatem tanti sceleris,quę perturbatio quoq; eum cõpulit,ut apertius de proditore loqueretur,cumq; solita sua adseueratione testaretur, unum esse ex ipsis suis selectioribus discipulis atq; Apostolis,qui esset se proditurus.Quasi diceret: Videte in quantam uos duodecim dignitatem extulerim,amen amen siquidem dico uobis,tales ac tantos uos feci,ut qui uos exceperit,me & Patrem meum exceperit,sed ô scelus, ô inauditã crudelitatem,unus ex uobis,uobis,inquam,duodecim,uobis Apostolis, quos qui audierit, me & Patrem audiuit,quibus qui benefecerit,mihi & Patri benefecit,me tradet in mortem.

Ille est cui ego intinctũ.)Hęc sane uidenť indicare,Ioa. proditorẽ porrectione buccellę proditũ,sed cũ sequitur,neminẽ discumbentiũ intellexisse, ad quid Dominus dixerit Iudę:Quod facis fac citius,uidetur uerisimile,mentẽ Ioannis fuisse detentã, ut licet audisset à domino,eum esse proditorẽ,cui dedisset intinctũ panẽ,ac mox ui disset Iudę panẽ porrigere, nõ tamẽ plane intellexerit Iudã illum proditorẽ esse,aut si intellexit,nõ existimauerit tamẽ tum instare,ut scelus suũ ille perficeret. Certe nihil tale dixit aut fecit Ioannes,quod quidẽ scriptũ sit,unde cõiectura esset,eũ proditorem ex hoc domini dicto plane agnouisse. Vtcũq; autẽ sit, siue plane agnouerit eum siue minus,sic certe secretũ hoc dominus cõtinuit,ut adhuc quidẽ nihil tale à Iuda discipuli expectarent,quo certe super alia beneficia innumera,& incomparabilia,bonitatẽ suã scelesto mirifice declarauit,satisq; ostendit,sua illũ culpa perijsse. d

Et post offulam.)satan possedit mentẽ Iudę iam ab initio,sed uim suã nunc magis, quàm ante cœpit exerere,hinc scribit Euãgelista,ingressum in eũ satanã ,cũ & paulo antè scripsisset satanã immisisse in cor eius, ut dominũ ꝓderet. Vt enim homines ad pietatẽ sancto aguntť spiritu,ita ad impietatẽ malo,qui est satan.Et sicut bonũ spiritũ recipere sancti dicuntur,quoties insignius eo afflantť,ita dicuntur & mali inuadi à satana quoties apertius ab illo impellũtur ad scelera. Apostoli tum certe spiritu sancto donati fuerũt cum Christo crediderũt,attamẽ spiritũ sanctum,& post resurrectionẽ,cũ domini adflatu,& post ascensionẽ,in linguis igneis legũtur iterũ accepisse.Significat enim spiritus,uim arcanã & energiã,qua aguntur mentes,si ad sancta, spiritus sanctꝰ,spiritus Christi et dei,si ad impia,spiritꝰ malus, ἄτη, Diabolus,& satã. Quid spiritus

Cum ergo accepisset ille offulã, exiuit cõtinuo.) Hoc uidetur Euãgelista adiecisse,ut indicaret perditi hominis iniustã omnibus officijs crudelitatẽ. Simul tamẽ cũ dominus porrigendo offulã Iudæ diceret,quod facis fac citius, occasionẽ illi dedit cõtinuo egrediendi,ut sic ne Ioãni quidẽ cõstaret,an ipse is esset, quẽ Dominus uoluisset porrigendo offulã indicare suũ esse proditorẽ.Mihi quoq; uidetur, porrectu offulę simul & domini uerbis,uelut ui quadã bonitatis Iudã electũ esse, ut qui neq; propositũ posset mutare scelestũ,neq; ferre iam omnia superantẽ Christi lenitatem.

OBSERVATIONES.

Notandum primũ mysteriũ electionis,cum ait Dominus se scire quos elegerit. Inde quomodo scripturæ in Christo impleantur adducto loco Psalm.1. Tum perpendenda

pendenda est & Christi diuinitas præscientis omnia futura, dum de Iuda prædicit. Post hæc Apostolorū obseruanda dignitas, dum testatur se & Patrem recipi ab eo, qui receperit Apostolum suum. Veritas aūt humanæ naturæ notatur in Christo cum spiritu turbatur ob scelus Iudæ, eadem prodidit se & in eo, quòd familiarioris dilectionis affectum, ostenderit erga Ioannē, unde ille, discipulus cognominari cœpit, quem diligebat Iesus. Incredibilis denique notatur Domini lenitas, quòd Iudam toties monere, & nunquā prodere, bonitatecq; tā mirabili cum impietate illius usq; uoluit certare. In Iuda aūt in quē post offulā totus ingressus satā fuit, notat id quod aliquoties iā monuimus, reprobos tanto magis in furorē agi, quāto præsentius illis diuina bonitas illuxerit. Id uides euenisse in Pharisęis, uides hic euenisse & in Iuda.

ENARRATIO SECTIONIS. IIII.

Cum ergo exisset, dixit Iesus.) ANNOTAT. Nox erat cum egrederetur Iudas, eoq; proximum ut ad supplicium Dominus raperetur. Inde dixit: Nunc glorificatus est filius hominis, hoc est, aduenit tandem tempus, ut morte finiam tempus humilitatis meæ, & auspicer tempus gloriæ. Hoc tam prope accessit, ut nunc uidear mihi glorificatus, nunc uidear mihi Christus per uniuersum orbem adorari, quo pacto & Deus in me glorificabitur. Tum enim recta demum Dei gloria illustrabitur apud homines, cum electi Deum ut patrem suum per me agnouerint. consortes diuinitatis facti. Sic ergo cum res habeat, ut per me Patris gloria illustranda sit, necesse est ut ipse me glorificet in seipso, hoc est, esse me Deum declaret: sic ipse in me, Deus in Deo. sed homine facto, in eaq; natura ad diuinitatis consortium exaltato, recte cognoscetur. Hanc itaq; gloriam mox mihi conferet. Hæc de glorificatione sua Dominus disseruit, ut animos suorum confortaret, quos sciebat suo supplicio mire consternandos. Testatus igitur est, supplicium ipsum certam ad diuinitatis gloriam uiam esse.

Nūc filius hominis glorificatus est.

Filioli adhuc paulisper.) Blandientibus uerbis abiturum se dicit, quo minus putarent illi se ab ipso deserendos, Dilectionem mutuam eis quando nequibāt adhuc sequi ipsum per supplicium in gloriam Patris, diligenter commendat, germanum signum, quo agnosci queant ipsius discipuli. Nam ut ueram pietatem, legisq; solidam impletionem, suos nō tam docet Christus quàm etiam largitur, ita necesse est dilectio mutua, quę Legis, scilicet, impletio est, & ideo omnis pietatis colophon, uigeat unice inter eos quicunq; uere ipsum magistrū audiūt & obseruant. Præceptū nouum uocat, noua enim præcepta ab ipso nouo magistro, & orbis instauratore expectabant, non quòd per se nouum esset, antea non auditum. Nihil siquidem aliud omnis Lex requirit, quàm ut quisque proximum suum, perinde atque seipsum diligat: impletur siquidē tota Lex in hoc uno uerbo, ut Paulus Gal. 5. scribit. Vere aūt nouum hoc præceptum, & Christi peculiariter ideo dictur, quòd ut Ioannes scribit in Epistola sua cap. 2. in Christo uerum est: nemo enim illud plenius unquam impleuit, cum animam suam pro nobis posuerit inimicis, tum ab ipso datur, ut idē uerum sit & in nobis, hoc est, uigeat in nobis minime fucata, sed solida & officiosa dilectio. Tenebræ nanq; per ipsum abactæ sunt, omnis nimirum sensus carnis, & proles huius amor nostri, uerum iam lumen lucet, utique ipse Christi spiritus, docens nos nostra Patri in cœlis committere, & curare quę sunt proximorum. Hactenus ergo dilectionis præceptum, nouū Christi præceptum dicitur, quòd Christus ut in se perfectam dilectionem nobis exhibuit, ita donat omnibus suis, eandem syncera habere, & amplam adeo, ut illi omnium externarum rerum moderatio sit permissa, atque remotum omne onus tot cęrimoniarum Legis, quæ antea erant pris obseruandæ, de qua liberatione supra in cap. 12. Sectione. 4. Cæterum si ipsam doctrinam, & mandatum spectes dilectionis, uetus sane præceptum est, ut & Ioannes illud uocat, ab initio enim conditi hominis id præcepti Deus dedit, ac

Cur dilectio signum Christianismi.

etiam in cordibus omnium gentium, ne dum in libris scriptum, semper ante omnia proposuit, & exegit. Dicit ei Petrus.) Miro ardebat studio Christi, sed quia suas uires nondum habebat perspectas, in bonum suum cadere eum oportuit,

OBSERVATIONES

Animadnertamus, sicut per mortem Christus, & in eo Deus glorificatus est, ita & in nobis non posse bonitatem dei plene relucere, nisi caro hæc, in qua nihil boni est, fuerit immutata: regnum siquidem Dei hæreditare nō potest. In primis aūt obseruandum erat, solam dilectionem germanam esse Christianissimi notam, hoc si omnes nos pariter cognosceremus, nequaquam essent inter nos tam faciles offensæ, non tam tenuia pauperum subsidia, in totum longe ampliore nobis gloria regnū Christi fulgeret. In Petro inconsultæ audaciæ discendum est, ut nihil nobis boni arrogemus, sed omnia à benignitate patris expectemus.

CAPVT XIIII.

Sectio. 1. ET ait discipulis suis. Ne turbetur cor uestrum. Creditis in deū, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem uobis, uado paratus uobis locum. Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis, & quo ego uado, scitis, & uiam scitis.

Sectio. 2. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum uia & ueritas, & uita. Nemo uenit ad Patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum utiq; cognouissetis. Et nūc cognoscitis eū, & uidistis eū. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrē, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tēpore uobiscū sum et nō cognouisti me? Philippe, qui uidit me, uidit patrem. Et quomodo tu dicis, ostēde nobis patrem? Nō credis, quòd ego in Patre sum, & pater in me? Verba quæ ego loquor uobis, à meipso non loquor: pater aūt in me manens, ipse facit opera.

Sectio. 3. Credite mihi, quòd ego in Patre sum, & pater in me, alioqui propter ipsa facta credite mihi. Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad patrem uado. Et quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filiū. Si quid petieritis per nomen meum, ego faciā. Si diligitis me, præcepta mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & aliū consolatorē dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritū ueritatis, quē mundus nō potest accipere, quia nō uidet eum, nec nouit eū. Vos aut cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit. Nō relinquā uos orphanos, ueniā ad uos. Adhuc pusillū & mundus me iam non uidet, uos aūt uidetis me. Quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis, quòd ego sum in Patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui aūt diligit me, diligetur

Sectio. 4. à Patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipsum.

Dicit ei Iudas, nō ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quod manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit eis: Si quis

diligit

diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat, & sermo quē auditis, nō est meus, sed eius qui misit me Patris. Hæc locutus sum uobis, apud uos manens. Paracletus aūt ille, qui est spiritus sanctus, quem spiritū, mittet Pater nomine meo, illi uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis.

Pacem relinquo uobis, Pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat ego do uobis. Ne turbetur cor uestrū, neq; formidet. Audistis quòd ego dixi uobis, uado & uenio ad uos. Si diligeretis me gauderetis utiq;, quod dixerim, uado ad Patrē, quia Pater maior me est. Et nunc dixi uobis prius quā fiat, ut cum factū fuerit, credatis. Posthac non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quòd diligo Patrem. Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite eamus hinc. *Sectio. 5.*

TAit discipulis suis: Ne turbetur cor uestrum,) PARAPH. Dixerat se Dominus paulisper futurum cum discipulis suis, & abiturum, quo ipsi nondum possent uenire, inde quod consequens erat, illi admodū turbabantur, ut qui eximio domini amore flagrarent, consolaturus igitur eos, dicebat: Ne turbetur cor uestrum, tantum, ut cœpistis, mihi credite, siquidem Deo ipsi creditis, uere enim Deus sum, & uos aluos reddam. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, ut omnibus uobis locus futurus sit, qui à me pendetis, Quod si aliter esset, dixissem utiq; uobis, qui fallere neminem possum. Persuasum ergo habete, uobis omnibus apud patrem beatas mansiones paratas esse, quas ut olim adeatis, nunc morte mea efficiam, tum à patre misso uobis spiritu, ideoq; uos uos illis mansionibus reddam. Quod ergo abeo, in bonum uestrum abeo, nimirū paratū uobis locū, in quo mecū beati olim acturi sitis, indeq; reuersurus sum in gloria patris, & ad me uos corpore quoq; corpori meo glorioso cōformatos, traducturus. Vt nanq; dixi, uos meos ministros esse oportet ubi ego sum, ita eò uos mea uirtute perducam, tantum in me credite. Scitis iam igitur & quo uadam, ad patrem nimirum, idq; uestræ salutis ergo, & uiam, qua me sequamini, scitis, nimirum fidem in me. Mittite igitur omnem, propter abitum meum ex animis uestris tristitiam, bono uestro abeo. *Mansiones multæ.*

ANNOTATIONES.

Dominus tota hac oratione hoc agit, ut instruat Apostolos ad munus suum, ad id præcipue necessaria erat primū fides certa in ipsum, hanc ergo illis confirmat, consolans eos de suo carnali discessu, deinde summa in homines dilectio, & hāc ergo eis multis commendat, præterea malorum maxima tolerantia, & ad hanc itaq; durat eos, postremo amplissima res spiritus, hunc pollicetur: et de his quatuor tota hac oratione differit. Quod si sēcus esset, dixissem uobis. Hic in Græcis perfectus punctus est, igitur & absoluta sententia, qua confirmare Dominus uoluit, quod dixerat multas mansiones esse in domo Patris sui, atq; ita significare apud Patrem & discipulis esse locum. Quod autem subijcit: Abeo ut parem uobis locum, eo significauit, effecturum iam se suo abitu, ut illas in domo Patris mansiones suo possent tempore adire, id uero impetrata per mortem suam plena cum patre reconciliatione, & misso spiritu, qui illos plane reddidit cœlestes, aperiq; denique immortalitatis ianua per resurrectionem suam, præstitit. His certe parauit ipsis & electis omnibus, in beatis illis mansionibus locum, in quibus æternum beati agant. *Abeo parare locum.*

Et

Et uiam ſcitis.)Quia conſolari uoluit diſcipulos de abitu ſuo,de uia conuenit in c
telligamus hoc,qua ipſum diſcipuli ſequerentur ad patrem, nō qua ipſe ad patrem
ibat.Id autem quod dicebat dominus diſcipulos ſcire,quo iret,& uiam ſcire quam
Thomas tamē ſcire ſe negabat,ſicut & quod paulo poſt dixit,cognoſcere et uidiſſe
Patrē,cui Philippus contradixit,utrumq; hoc de initio fidei, quam ut in ipſum,ita
& in Deū habebāt,intelligendū eſt. Vtiq; credebant in dominū ut Chriſtum & ſer
uatorem,iam igitur agnoſcebāt ipſum,ut æternam ſapientiam, iuſtitiam & uitam,
uere itaq; & Deum in ipſo cognoſcebāt,& uiam perueniendi ad Deum,ſed imper/
fecte utrumq; atq; obſcure adeo,ut ipſi neſcirent,quod ſciebant.Quid enim ſint &
habeant electi, non ſolum mundo, ſed & ipſis,licet non in totum ut mundo, ſæpe
incognitum eſt.

OBSERVATIONES.

Chriſti notanda humanitas eſt, in eo quòd tam diligenter ſuos conſolatur,tum
fidei in ipſum uis & præſtantia, ea enim uia eſt ad Patrē & eadem Chriſti & Patris
cognitio.Obſeruandū quoq; licet ab æterno manſiones multę ſint in domo patris,
pro multis electis,parari tamē illas,hoc eſt,illis parari electos per Chriſtū oportere,
quod præſtat,cū ſuo ſpiritu illos repurgat,& prſus diuinos efficit. Atq; ut hoc cura
ret Chriſtus abijt in gloriā Patris,ut apud eū pro nobis ſummus noſter pontifex in
tercederet,& ſpiritū ſanctificatorem mitteret,hoc eſt,inſtaruaret omnia.Neq; prę te
reundū hoc ſanctos plerunq; plus ſcire dei quā ipſi agnoſcant.Senſus utiq; dei erat
in Apoſtolis,quo ita Domino alligabantur, ipſi tamē id haudquaquam plane co/
gnoſcebant:ſic in multis ſępe Dei cognitio amplior uiget,quàm non modo alij,ſed
& ipſi perſpectum habent.

ENARRATIO SECTIONIS, II.

Dicit ei Thomas:Domine neſcimus.)PARA.Rudes etiamnū ſpiritu diſipuli,ne d
ſciebant quod ſciebant,in domino Deū uiderāt & cognouerant, ideo illū ut ſerua/
torem ſectabantur,attamen cum hęc Dei cognitio admodū obſcura adhuc eſſet,nō
agnoſcebant ſe habere,quod habebant.Hinc Thomas dicebat: domine, dicis nos
ſcire & quo abeas,& uiā quare ſequamur,nos uero neutrū ſcimus. Neſcimus quo
abeas,inde cōſequens eſt,ut & uiam ignoremus qua te ſequamur.Reſpondit domi
nus:Iam dixi ut ſi in Deū credieretis ,& in me credieretis, ſic fore,ut mecū locum o/
mnes apud Patrem habeatis,meq; modo abire,ut eum uobis locum parem,reuer/
ſurum tempore,& uos eodem deducturum,quid igitur dicis Thoma, uos & neſci
re quo abeam,& qua uia me ſequamini? Credite tantū in me,& in uia iā eſtis. Ego
ſiquidē ſum uia per me & ſolū ad patrem uenire uobis licebit,ueritas ſum quoq; &
uita, unde qui in me credunt, iam ſolidā pietatem & ſalutē ueram nacti ſunt,iamq;
habēt uitam æternā,Toties profeſſi eſtis,habere uos mihi ſidem, certoq; in me cre/
dere,hoc ſi ita habet,nō poteſtis uiam ad patrē ignorare.Si igitur uere mihi, qui in
ipſa uia iam cōſiſtitis,hoc eſt,in certa uiuitis expectatione beatę immortalitatis,cre
ditis,per me ne dubitate, ad patrē ꝓuenietis.Ipſe hęc uia ſum neq; eſt ad patrē alia,
nemo niſi per me ad illū perueniet,id eſt,nemo niſi meo ſpiritu iuſtus & ſaluus eua
det.Certe ſi me recte cognouiſſetis,qui æterna ſum ſapiētia,iuſtitia ,& uita, utiq; &
patrē deū,ſcilicet,ipſum cognouiſſetis,qui nihil aliud eſt,quā quod in me uidere li/
cet.Sed bono animo eſtote,nūc cognoſcitis eū, & uidiſtis eum, dū qualicunq; me
ſide eſtis amplexi.Niſi enim patrē Deū in me agnouiſſetis,nō ita mihi adhęreretis,
Hactenus ergo uidiſtis Deū,& in ipſa ad illū uia ſtatis, manéntque uos beatę in do
mo eius manſiones,in quibus nūc abeo paratū uobis locū. Ne igitur turbetur cor
ueſtrū.Cum autē ne ſic quidem caperent,quę dominus loquebatur,dicebat Philip
pus:domine dicis nos cognoſcere & uidiſſe patrē,id nos nō agnoſcimus,fac oſten/
das eū nobis, & ſatis fœlices,nos arbitrabimur:tū ſimul & quo abeas,& uiā qua te
ſequamur

sequamur, sciemus. Huic ergo Dominus respondit: Tanto iam tempore uobiscum sum, & nihil nisi patris & uerba & opera uobis exhibeo, & nondum cognouisti me, ut agnouisses & me in patre, & patrem in me esse, meq; uiso, patrem te uidisse & cognouisse? Philippe qui uidit me, & cognouit qui sim, patrem uidit, quãdoquidem omnia in me patris sunt. Quomodo igitur tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quòd ego in patre, & pater in me est, hoc est, quòd ego totus à patre pendeo, & ille in me agit omnia? Considera quæso & quæ dixi, & quæ gessi inter uos. Certe à me homine nihil locutus sum, nihil feci, pater, ipse Deus, in me omnia & locutus est, & fecit. Credite igitur mihi, quòd ego in patre sim, & pater in me, hoc est, quòd Christus & indubitatus sim seruator mundi. Id testãtur de me opera mea, uel ijs ergo fidem habete, si mihi diffiditis.

ANNOTATIONES.

Digressio quædã est, quod Thomæ & Philippo dominus respondit, sed instituto accõmoda. Probare enim dominus instituerat discipulis se in bonum eorũ ad patrem abire, ut ita æquo animo suũ abitum ferrent. Hoc iam confirmauit id, quod se uiam ad patrem, & ipsam tum ueritatẽ, tum uitam, denicq; patrẽ in se, & se in patre esse adfirmauit, idemq; per dicta factaq; sua certissimos testes, cõprobauit. *Digressio sed instituto seruiens.*

Ego sum uia.) His uerbis idem de se prædicauit quod ubicq;, nempe se Christum Deum, & unicũ esse omnium seruatorẽ. Necq; aliud est quod hic dixit, q; quę supra, cum se nunc panẽ uitæ, nunc lucem mundi, nunc ostiũ in ouile Dei, nunc bonum pastorẽ, nunc resurrectionẽ & uitã, & id genus alia esse testatus est. Via uticq; ad patrem est, quia per eum solũ ad patrẽ peruenire, hoc est, iustitiã & salutem consequi possumus. Veritas est, quia per ipsum, ut supra primo, ueritas facta est, id est, uera iustitia omnibus contingit. Vita est, quia solus uiuificat, ut æternũ & beate uiuamus. *Ego sum uia ueritas.*

Qui uidit me, uidit patrem.) Necq; enim nisi in filio, pater uideri potest. Quantum igitur unquam Dei mundus uidit, utiq; Apostoli in domino uiderant, nec tamen agnoscebant se Deum uidisse, propter cognitionis huiusce tenuitatem, & spiritus ad huc ruditatem.

OBSER. Præter domini diuinitatem, qui cum patre unum est, quem ut basim totius salutis ubicq; prædicat, obseruandum, unde ipsa cognosci queat. Indubie enim qui spiritu Dei non destituti sunt, & uerba gestaq; domini recte considerant, Deum ipsum esse, haudquaq; dubitare possunt. *Vnde diuinitas domini cognoscitur.*

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Amen dico uobis qui credit in me.) PARAPH. Vt redeam ad consolandum uos, & ostendendum bono uestro me abiturum, amen amen dico uobis, si tantum credideritis mihi, ad quod & semper, & nunc uos hortatus sum, uidebitis me à discessu meo, uobis multo plura, quàm præsentẽ carne, præstare. Modo admonui uos operum meorũ, ex quibus certo cognoscere potestis me Deum esse, iam hæc ipsa, & maiora illis dabo & uobis facere. Ego minister circuncisionis, Iudæis tantum prædicaui Euangelion regni, uos illud ad fines usq; orbis proferetis, sanaui ægros multos, mortuos aliquot in uitã reuocaui, uos plures sanabitis & in uitã reuocabitis. Hæc profecto per me poterunt, qui in me credunt, quia ego uado ad patrẽ in gloriã meã, in qua plura per uos efficiã quàm per ipsum me in hac humilitate degentem effecerim. Quàm angusta enim sint adhuc pomeria regni Dei uidetis, quã obscura adhuc sit & in uobis patris cognitio ipsi sentitis, at tẽpus est, ut ego in patre & pater in me undiq; cognoscatur & adoretur. Ad hoc uos mihi seruietis, igitur maiora per uos quàm per meipsum, in hac mortalitate uersantem efficiã. Nihil prorsus est, quod in nomine meo petieritis, quod ego nõ sim facturus, siue morbidis bonã ualetudinẽ, siue mortuis uitã, siue ignorantibus denicq; cognitionẽ uitæ æternæ petieritis, omnia ego efficiam, ut in me filio pater glorificetur, dum me suũ seruatorẽ homines *Maiora domino faciẽt post abitum eius.*

homines ex dictis & factis,per uos illis exhibitis,agnouerint.Si igitur diligitis me, C
indeq;,ut par est, gloriæ meæ fauetis,mittite istam de abitu meo animi uestri mole
stiam,& in me credite,me Christum agnoscite,ac ita sedulo ijs, quæ uobis manda-
ui,incumbite.Sic uerius uos mei amantes comprobabitis,quàm uano isto propter
meum abitum dolore, cum non tam meo,quàm uestro etiam bono abeam.Certe
quò ego regnabo augustior,eò potentius uestram quoq; fœlicitatem promouebo,
qui mihi estis uita mea chariores.Rogabo enim Patrem, & alium dabit uobis Pa-
Paracletum alium & æternum accipiēt. racletum,alium doctorem & patronum ,in cuius fide tutissimi sitis. Is nunquam à
uobis discedet,ut ego nunc carne à uobis migrabo, sed manebit apud uos in æter-
num.Is spiritus est ueritatis,qui in omnem uos ueritatem inducet,uere pios & bea
tos reddet. Tam certe eximius;ut mundus,id est,homines nondum renati ,eum ne
quaquam possint accipere,quia neq; uidere quicquam eius,aut cognoscere ualēt.
Vos autem qui sit hic spiritus cognoscitis,utcunq; nondum uideamini id in uobis
ipsis agnoscere,apud uos enim manet,et in uobis est, mihiq; ita uos adglutinat,ut
diuelli à me haud possitis. Ne igitur ita animos deijcite, quia dixi me abiturum il-
lo,quò in præsenti uos non pollitis me sequi, Abibo quidem , sed sic ut meliore ra-
tione uobis affuturus sim. Carnem subducam oculis corporis,sed adero interim uo
bis ratione diuina aliumq; Paracletum spiritum,dabo uobis ,ita efficiam ut longe
Post resurrectionem redibit. alij sitis futuri,aliaq; facturi,quàm hactenus.Neq; enim ita abeo,ut uos relinquam
orphanos, etiam carne redibo ad uos post paululum,sed tum mundus me non ui-
debit, uos autem me uidebitis, quia ita uiuo,ut mors quam subiturus sum,uitam
meam haudquaquam sit extinctura. Vitam dei uiuo,ea intercipi nequit,unde etiã
sepultus resurgam in immortalem & beatam uitam.Huius uos , dum mihi credi-
tis,facti participes estis,me igitur non uidebitis tantum,sed ita quoq; contemplabi
mini,ut in illo die sitis plane cogniturí me in Patre, id est , cum patre unum,& uos
in me,& me in uobis esse ,ut & uos mecum unum sitis, toti nimirum à me penden- D
tes,& meo spiritu uiuentes , quæ omnia nũc subobscure cognoscitis. Sic igitur cũ
res habeat,ut post abitum meũ longe melius, quàm nunc uestræ res habituræ sint,
uosq; mihi in negotio gloriæ patris illustrandæ successuri sitis, & maiora quã ipse
Epilogus. fecerim,mea uirtute opera patraturi,omnia per nomen meũ impetraturi, atq; hæc
ideo, quòd à patre alium Paracletum spiritum,qui omnẽ ueritatem doceat,sitis ac-
cepturi,quo freti cum rediuiuum me uidebitis,uere simul cognoscetis, me totum
in Patre esse,totumq; ab eius uoluntate pendere,omnia eius uirtute perficere,tum
& uos in me esse,assumptos nimirum à me,ut olim mihi similes euadatis & in qui
bus meus spiritus uiuat,& cuncta administret.Sic ,inquã,cũ res habeat,nõ est cau
sa ut illum mœrorem mei discessus causa admittatis, qui nihil minus quàm orpha
ni à me relinquemini. Si ergo me diligitis,alia in re id declarare uos oportet,quã
lugendo propter meum abitum.Qui habet mandata mea,meã doctrinã, & huic ut
uiuat,dat operam,is est qui me uere diligit, & eum uicissim diliget pater meus, &
ego diligam eũ,& manifestabo ei me ipsum,in me tum is et patrem cognoscet,atq;
uitam habebit æternã.Hæc igitur missio uano isto mœrore studete,quæ præcepi uo
bis, ut mihi credatis,& uos inuicem synceriter diligatis, ea totis uiribus curate,ijs
uos addicite.Sic experiemini infinito præstare uobis, ut carne à uobis nũc abeam,
quò plenius adueniam uobis spiritu meo,quàm ut illam uestris sensibus relinquã.

ANNOTATIONES

Qui status huius orationis. Qui credit in me opera.) Satis constat, statum huius præsentis particulę huius
orationis Dominicæ ad discipulos esse , non esse illis dolendum de discessu eius,
qui bono ipsis futurus esset,sed magis dandam operam,ut muneri Euangelico for-
titer & diligenter obeundo sese accingerent, Liquere ergo puto,quę hic Dominus
credentibus sibi pollicitus est,maiora, scilicet,facturos,quàm ipse fecerit,potissimũ

discipulis

discipulis suis pollicitũ esse, qui utiq; maiora, quàm Dominus ipse, præstiterunt, sed Domini spiritu. Præter enim prodigia & signa in quibus supra Dominum claruerunt, etiam Euangelion latius propagarunt. Natura etenim maiora facere nõ potuerũt: quid enim maius fecissent, quàm sit uerbo pellere morbos & dæmones, & mortuos reuocare in uitam? Numero autem & efficacia, maiora fecerunt, idq; ideo, quod abierat iam Dominus ad Patrem, hoc est, glorioſus regnabat, qui antequam crucifigeret, non debuerat adeò inclarescere & glorificari. Vnde tantam ipse in sua carne mortali potentiam, quantam postea in discipulis, exerere non debuerat. Vt itaq; gloria Christi per illos erat illustranda, & nomen eius per uniuersum orbem celebrandũ, ac ita quod cœperat ipse in corpore mortali, per illos opus perficiendũ, nimirũ ut undiq; Dei bonitas cognosceret, necesse fuit ut maiorem uirtutem & potentiam in Apostolis suis exereret, quàm exeruisset in seipso adhuc mortali. Nam quemadmodũ Iudæis Legem, ita toti orbi Euangelion cum signis & prodigijs initio uoluit commendare diuina prouidentia, quæ postquam illa Iudæis, & hoc omnibus gentibus satis innotuit, non tam frequentia apparuerunt, ob id tamen ouibus Christi nihil quod ad salutem ipsorum faciat, unquã defuerit. Neque enim miracula fidem dare possunt, id quod in Pharisæis Christi hostibus satis declaratum est. De qua re pluribus in Matth. capite septimo, in illud: Multi dicent mihi in illo die. Quod igitur hic dominus dixit, credentem in se, maiora se facturum, accipiendum est, ut illud Marci ultimo: Signa uero eos qui crediderint hęc sequentur. Vtrunq; de credentibus seculo Apostolorum, in quo signis & portentis gloria Christi illustrari debuit, & non de credentib. quibuslibet. Hic cõsolari de suo abitu uoluit Apostolos: ergo quę præstãtiora ab ipso carne absente essent accepturi, quàm à præsente accepissent, cõmodum prædixit. Sic Marci ultimo, amandabat eos in uniuersum orbẽ Euangelion prædicatũ. Recte igitur de glorioso successu quem experturi, & uirtute qua iniunctũ munus essent obituri, eos præmonuit. Reliqui credentes usq; in finem mundi, in domino uitam ęternã habent, facitq; & quæcunq; ipsi in nomine eius petierint, ut omnia oporteat ipsis ad salutẽ cooperari. Hi aũt, ut & primi illi, nihil petũt, nisi quę spiritus profundorũ Dei scrutator petẽda ideo dictauerit, quia factura ad Dei gloriã agnouerit. Signa et portenta suo tempore prolatando regno Dei idonea erant, ea igitur tum sancti & orabant & exorabant: post illud tempus petunt & impetrant alia, quæ non minus ad sanctificandum Dei nomen accommoda sunt.

Quomodo maiora Domino fecerint discipuli.

Et quicquid petieritis.) Ratio est eius quod dixerat, credentes in se maiora se facturos, quod scilicet, ut monuimus, discipulis præsentibus tum pręcipue promisit. Sensus ergo est: Nolite putare incredibile, quod uobis pollicitus sum, etenim quęcunque demum petieritis in nomine meo, ego efficiam, quia glorificari Patrem Deum, in me filio oportet, idq; per uos: quare quicquid demum fuerit, quod inuocato meo nomine petieritis, ego præstabo. Intellexit autem de ijs operibus & miraculis quibus Pater in filio glorificaretur, hoc est, per quæ ipse seruator orbis, ex Patris bonitate donatus, agnosceretur, ne quis hanc promissionẽ trahat ad quidquis. Gloria Dei, salus sanctorũ est, ideo ante omnia sanctificari nomen Dei, & aduenire regnum eius precantur, neque quicquam precantur, nisi ad quod eos spiritus Patris, qui nouit quid gloriam eius promoueat, impulerit. Perfacile igitur est agnoscere, Christum quæcunq; petierint sui, præstare, etiam hodie, cum perpauci miracula orant, quia ad ea oranda spiritus non impellit. Id uero fit, quia modo gloriam Dei non promouerent miracula.

Prima ratio qua consolatur.

Si diligitis me.) Ex eo quod plurimũ Dominum diligerent, de abitu eius dolebant. Monet ergo, in quo potius argumentũ dare amoris erga se debeant, nempe ut studioſe obseruent quæ ipsis mandauerat, hoc est, ut sibi fortiter fidant, mun-

Quæ Christi mandata. dum contemnant, se animose coram mundo Christum confiteant, mutuam inter C seipsos dilectionem habeant, & reliqua, quæ in his tamen continentur.

Secunda ratio. Et ego rogabo.) Secunda ratio est, qua probare discipulis Dominus uoluit ipsis profuturũ, quod carne abiret, quia pro carne accepturi essent spiritũ, omnis ueritatis doctorem, patronũ & defensorem certissimũ, eumq; æternũ possessuri: id quod certe optabilius illis erat, quàm habere Dominum carne usq; præsentẽ. De Paracleti nomine in sequenti capite, sectione tertia. Rogaturum autem se Patrem pro hoc spiritu dicit, quia ut homo, mediator noster & Pontifex est apud Patrẽ.

Quem mundus non potest accipere.) Vt magis consolaretur discipulos, præstantiam huius spiritus indicat, atq; simul incomparabilẽ Patris erga ipsos dignationem, ut qui eis daturus esset spiritum, quem totus nequiret mundus capere.

Vos cognoscitis eum.) Cognoscebant spiritum sanctum, ut paulò suprà diximus, obscure: attamen cum eo adeò præditi essent, ut nequirent à Domino auelli, quem Iudæi eo spiritu destituti, exitiali odio persequebantur, & Iudas erat proditurus, certe aliquatenus ipsum cognoscebant, quem in se agentem tam potenter sentiebant.

Venio ad uos.) Quædam exemplaria hæc ita ordinata habent: Non relinquã uos orphanos, sed uenio ad uos adhuc pusillum, id est, post pusillũ. Mundus amplius me non uidebit, uos autem uidetis me &c. Vt intelligas dixisse, uenturum se iterum ad eos à resurrectione, à qua utiq; discpuli eum uiderunt, mundus nequaquam. Sic quod hic Dominus dixit, cum eo conueniet quod infrà 16. habetur: Et rursum pusillum &c. Plurima tamen exemplaria, illud ἔτι μικρὸν, id est, adhuc pusillum, cum sequentibus ordinant, sic: Adhuc pusillum, id est, post pusillum mundus me non uidet &c. Nonnus sic legit, ut uideatur ἔτι μικρὸν, id est, adhuc pusillum, ad præcedentia & sequentia retulisse. Sic enim habet: ταχυνὸς δὲ πρὸς ὑμέας D αὖθις ἱκάνω, βαιὸς ἔτι χρόνος ἐστὶν ἐμὴν ὅτε θέσπιδα μορφὴν, οὐκέτι κόσμος ἄπιστος ἐσόψεται. id est, celer uero ad uos rursum uenio. Breue adhuc tempus est, quando diuinam

Tertia ratio. meam formam, mundus incredulus haudquaquam amplius uidebit. Quod enim celerem se uenturum ad discipulos dixisse Dominum facit, uidetur istud ἔτι μικρὸν cum ἔρχομαι quoq; coniunxisse. Vtcunq; autem ista ordinemus & legamus, promisisse hic Dominus uidetur discipulis, à resurrectione se illis rediuiuum ostensurum, non autem mundo: atq; ita tertia ratio est, qua eximere illis de suo abitu mœstitiam uoluit. Minutulum hoc quod præsentibus his uerbis pro futuris abusus est, uenio pro ueniam, uidet & uidetis, pro uidebit & uidebitis. Ebræis sanè hoc solenne est, temporibus, præsenti, præterito & futuro inuicem commutatis, uti.

Quia ego uiuo.) Id est, uitam habeo perpetẽ, quam Iudæi non auferent: uiuo semper, ut idem sit, atque illud suprà: Priusquam Abraham erat ego sum. Vtique uoluit his probare, se ad discipulos rediturũ. Igitur cum mortem iam adiret, commodum significauit eis, se eam uitam uiuere, quæ nulla posset morte extingui.

Et uos uiuetis.) Hic à uita corporali, ad spiritualem & æternam anagogen fecit. Nisi enim spirituali, eoq; & æterna discipuli uita donati fuissent, tam non potuissent uidere Dominum rediuiuũ, quàm mundus. Etenim, ut Petrus inquit, non manifestauit ille se toti populo, sed testibus ad hoc diuinitus pręordinatis. Act. 10.

Quarta ratio. In illo die cognoscetis.) A resurrectione enim Dominũ, Christum & Deum esse, uerè cognouerunt. In Patre enim esse, est Patris nutu & spiritu uiuere & agere omnia: sic sancti uiuunt nutu & spiritu Christi, toti ab ipso pendẽtes. In his itaque est quarta ratio, qua Dominus utilem discipulis suum abitum probauit, quia post resurrectionẽ suam essent rite demum & perfecte ipsum uisuri & cognituri.

Qui habet præcepta.) Redit Dominus ad monitionẽ, ut discipuli misso mœrore potius curarent, se mandatis ipsius accõmodare, sic probaturi germana se erga ipsum

A ga ipſum dilectione flagrare. Sic quoq; fore, ut à Patre & ipſo uiciſſim diligant, & ipſe ſe plenè eis manifeſtet, quo utiq; Patrem ſimul eſſent cogniturí, atque inde æterna & beata uita perfruituri.

OBSER. Primum obſeruandũ, potentiam Chriſti primũ poſt mortẽ eius plenè exertã, ut libeat & nobis pro uoluntate Dei mortẽ oppetere. Deinde quanti credentes ſibi Chriſtus habeat, in ijs enim ſuam uirtutẽ magnificentius, quàm in ſua propria carne uoluit declarare. Prẽterea ea nos debere petere in nomine Chriſti, eaq; nos impetraturos, quib. in ipſo Deus glorificet, hoc eſt, Dei per ipſum bõnitas eluceſcat. Notandũ quoq;, ut dilectionẽ, ita & fidem in Dominũ (idem ſiquidem eſt, in Chriſtũ credere, hoc eſt, pro Chriſto ipſum amplecti, atq; eum diligere) nos nulla re alia poſſe teſtari, quàm ſi mandatis eius, id eſt, doctrinæ eius, ex animo nos addixerimus. Eius aũt doctrinę ſumma eſt, ut credamus ipſi, & diligamus proximos. Animaduertendũ & diſcrimẽ electorũ atq; reproborũ in eo indicatũ, quod ſpiritũ ſanctũ mundus non poteſt uidere, ſancti autem uident eum, quia habent eum perpetuò apud ipſos manentẽ. Hic ſpiritus ueritatis eſt, in quo notatur uanũ eſſe quicquid non ab hoc ſpiritu fuerit profectũ. Obſeruandum denicq; Chriſtum à reſurrectione uerè demum cognitũ, quia tum demum debuit glorificari, & Dominus omnium lingua prædicari. Reliqua ex dictis pia mens ipſa obſeruabit, plurima ſanè, nec minus ſalutifera.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Dicit ei Iudas nõ ille Iſchariotes.) PAR. Quia ſpiritũ ueritatis diſcipuli nondum acceperant, parũ intelligebant quæ Dominus dicebat omnia, unde non magis appoſite hic Iudas, quàm ſuprà Thomas & Philippus interrogauit. Dominus oſtenderat illis ſuum abitũ magis quàm preſentiã carnalẽ profuturũ, ideo non eſ-
B ſe admittendũ mœrorẽ, ſed potius dandã operam, ut præcepta ipſius ſtudioſe obſeruarent. Iam Iudas uelut nihil horum audiſſet, dicebat; Domine, cur te nobis & non mundo es manifeſtaturus? de quo tantũ obiter dixerat, ut oſtenderet quàm charos illos haberet, quos toti mundo eſſet prælaturus. Vt igit̃ intempeſtiua erat Iudæ interrogatio, ita Dominus ab ea, ad id quod unice referebat, diſcipulos reuocare magis quàm ad eam reſpondere uoluit: quanquã ſimul ex ijs quæ dixit, & ad Iudæ interrogationẽ colligi reſponſio poſſit. Si quis diligit me, inquit, ſermonem meum ſeruabit: huc intendere, ò diſcipuli mei, animos debueratis, in his ſalus ueſtra ſita eſt. Vultis ſiquidẽ uideri mei diſcipuli, meiq; longe amantiſſimi, ueſtrũ ergo erit, omnib. omiſſis, hoc dare operã, ut ſermones mei à uobis ſeruent̃, id eſt, fide ſyncera percipiant̃, ut uiuere illis totis uiribus ſtudeatis. Qui enim ſic comparatus eſt, eum Pater quoq; diliget, & non ſolum non diſcedo ego ab eiuſmodi, ſed cum Patre meo ad eum uenio, & apud eum habitamus æternũ. Videtis quo pacto non ſolum me, ſed & Patrem retinere apud uos poſſitis, ratione profecto multo, quàm uobis modo adſum, optatiore. Mihi ergo fortiter credite, & uerbis meis uos addicite. Nam qui ſermones meos non obſeruat, is neq; diligit me. Iam quos uobis ſermones tradidi, preçepta quę dedi, haudquaq; à me homine, q̃d ſępe dixi, profecta ſunt, ſed à Patre Deo, qui me miſit, & in os meũ ſua uerba poſuit. Hinc iam licebit colligere, & quare me mundo non ſim manifeſtaturus. Is me non diligit, quia ſermones meos ſeruare nõ poteſt. Hęc locutus ſum apud uos manẽs, hæc ſumma eſt omniũ quę uos docui, nimirũ ut meũ ſermonẽ tanq; Dei amplecteremini, & miſſum ab ipſo ne dubitaretis: ſed tardi nimiũ eſtis ad hęc percipiẽda. Paracletus autẽ ſpiritus ille ſanctus, uereq; diuinus, quẽ mittet uobis Pater in nomine meo, id eſt, per & propter me, is tandẽ docebit uos omnia, quę ſcire referat, & ſuggeret, hoc eſt, intelligere faciet quęcunq; dixi uobis, quæ uobis multis preçepi, uos autem obinopiam huius ſpiritus non potuiſtis hactenus planè percipere.

Qualis Iudæ interrogatio.

ANNOT. Si quis diligit me.) Credere in Christũ, & diligere Christũ, hoc est, ex animo ut præceptorẽ amplecti, idem est, ut paulò ante dixi. Hinc iam facile intelligit, non posse non seruare Dñi sermones, id est, doctrinã, qui ipsum dilexerit, eoq; crediderit ei, & Christũ agnouerit. Si em̃ hoc habet, ut uerè credat Dño, certò cum Petro nouit, uerba eius, esse uerba uitæ æternę. Quis iam nõ addiceret se uerbis uitę æternę? quis non studeret totis uirib. ei doctrinę, quę ęternũ reddit beatũ? Nam seruare sermonẽ domini, hic nihil aliud est, q̃ credere uerũ & saluificũ, eiq; tõto corde studere. Id certe & aliàs in scripturis seruare, & custodire mandata Dei significat, q̃d uel ex illo 5. Moscheh 5. intelligas: Audi Iisrael statuta & iudicia, quæ ego in auribus uestris hodie propono, ut discatis ea, & seruetis uel custodiatis, ad faciendum ea. Seruare enim Dei mandata, si pro implere accipias, nemo illa seruabit: at si pro studere illis ut impleas, seruant illa omnes pij. Neque poterit enim uerbis Dei se non addicere seruandis, qui ea Dei uerè esse, planè nouerit.

Quid seruare sermonem domini.

Mansionẽ apud eum.) Mansio Patris & Christi apud sanctos, est certa utriusq; cognitio, quæ non potest non esse perpetua, ut sæpe dictum. Hanc enim qui nacti fuerint, hi perpetuò & bonitate Patris, & Christi redemptione perfruuntur, ut æternum & beate uiuant.

Quæ mansio Dei.

Hæc locutus sum.) Hæc si cum sequentib. recte perpẽdas, nõ potes non agnoscere, per hæc quæ locutũ se manentẽ apud discipulos Dominus testat, omnia ea intellexisse, quæ eos in carne agens cum eis docuerat, quorũ summã iam antè exposuerat, nimirũ ut agnoscamus ipsum Christũ, & dilectione proximorũ ęmulari eum studeamus. Sed cum spiritu nondũ essent opulente satis donati discipuli, non potuerũt hęc planè cognoscere: promittit ergo iterũ spiritũ sanctũ, qui omnia eos sit docturus, quæ scilicet saluti ipsis esse possent, & suggesturus, id est, ad mentẽ ac intelligẽtiã reuocaturus, ut omnia planè intelligerẽt, quęcũq; ab ipso audiuissent, nec tamẽ capere hactenus potuissent. Cum aũt dicit: Quęcunq; dixi uobis, non est intelligendũ, q̃d singula uerba Christi eis spiritus sanctus suggesserit, sed omniũ uerum intellectũ, qui situs in eo est, q̃d Christus ipse uere agnoscit: unde cõtinuo se quit & studiũ ęmulãdi eius. Hęc qui probe intellexerit, is quęcunq; Christus unq; docuit, intellexit. Vanius est, q̃ ut refutari debeat quorundã cõmentum, qui dicere audent, spiritũ sanctũ suggessisse discipulis pleraſq; ceremonias, quas tradiderit Dñs, quanq; nullã earũ Euang. fecerint mentionẽ, & eas postea illos Ecclesijs tradidisse. Toties Dñs dixerat uitã æternã habere sibi credentẽ, & omnib. prętęritis dandã operã, ut alijs prosimus, hęc discipuli nõ satis perceperãt, sicut neq; nos ea sine doctrina & suggestione spũs sancti percipimus, ideo promisit spiritũ qui eos illos penitus doceret, suggereretq;, ut planè intelligerẽt, & uita studiosè exprimerẽt.

Quid doceat & suggerat spiritus.

Tenet hodie minime paucos haud leuis error, qui mirificã quandã multarũ reconditarũ rerũ scientiã, reuelato plenius Euangelio, expectãt reuelandã, putantq; arcana quædã mysteria singulis scripturę apiculis cõtineri, quæ sint sanctis adhuc aperiẽda: eamq; uolũt esse sapientiã illam, quã D. Paul. loquebat inter perfectos, quamq; seruator discipulis tradiderit, quando eis scripturas de se interpretabat. Hi uelim diligenter cõsyderarent, quidnam sit illud Pauli: Non existimaui dignũ, ut quicquã scirem apud uos, nisi Iesum Christũ, & hunc crucifixũ. Quę illa ipsa quoque sapientia erat, quam loquebat inter perfectos: alijs em̃ hæc stultitia est, eo q̃d abscondita sit omnib. quos non afflarit spiritus diuinorũ perscrutator. Tum perpenderent & illud, Legem & Prophetas esse, facere alijs, q̃d quisq; fieri optat sibi, & in una hac re, dilectione proximi, legem omnẽ impleri. Denicq; excuterẽt, quid sibi uelint quæ scripturę habent de uirtute spiritus, quam & sapientiæ & eloquentiæ, quæ quidẽ mortalib. æstimat, identidẽ opponũt. Huc nanq; omnia quæ in scripturis Deus nobis proposuit, eunt, atq; in hoc tradita sunt, ut Dei in nobis imago

Contra eos qui allegorijs, anagogijs & mysterijs ex scripturis erudendis intẽti sunt, necessaria admonitio.

A rursus obtineat, nempe, ut per Deum securi omniũ, in hoc unũ incumbamus, quo plurimis Deum quendã, cum morũ utiq; decẽtia, tum officiositate quisq; præstet. Proinde omne illud scire & sapere quod huc non promoueat, nihil est, quantalibet specie effulgeat. Vera Theologia, non theoretica uel speculatiua, sed actiua & practica est. Finis siquidem eius agere est, hoc est, uitã uiuere deiformẽ. Hinc diuus Paulus uirtutis toties meminit, inq; uirtute, nõ in sermone regnũ Dei situm esse prædicat. Haudquaq; igitur expectandũ ut multa nobis Deus arcana, siue de scripturis suis, siue alijs de rebus reuelet, ante eum diem, quo ut uidendũ seipsum, uti est, dabit, ita faciet nobis pleraq; sua consilia, quę scriptura sua, uel re ipsa nobis indicarat, plenius peruidere. Hoc autem à cœlesti Patre orandũ nobis erat, ut uel ea, quæ omnibus Christianis quamlibet rudibus perpetuò in ore sunt, Deum esse Patrem nostrũ, redemptorem Christum, nõ esse uitam aliam, quàm quę ex ipsius spiritu uiuitur, ab ipso cuncta optime administrari, & huiusmodi, per spiritũ suũ animis nostris ipse solide persuadeat, ac uiuã eorũ in nobis operosamq; cognitionem reddat, quæ mores, omnemq; uitã immutet, atq; ad uoluntatẽ ipsius transformet. Hæc si exorauerimus, sapientia illa arcana & cœlestis, quam inter perfectos Paulus loquebat, nobis contigit, omnemq; rite scripturã intelligimus, quia legem implebimus atq; Prophetas, recte spiritalia spiritalibus conferemus, hoc est, uerbis ab ipso spiritu formatis, de rebus sacris disseremus. Vt aũt nihil nos in diuinis literis lateat, ut de futuris euentibus, aut etiã de præsentibus, uel prẽteritis Dei operibus, quæ illa continet, mirifica quædã, quæ hactenus latuerint, cognoscamus, ut ualeamus ex singulis uoculis nescio quę mysteria eruere, ac quouis in loco anagogas & allegorias texere, neq; per se optandũ nobis est, neq;, ut mea quidem fert opinio, unquã sanctis cõtinget. Non optandũ inquã, quia id cogitationibus haud
B perinde frugiferis, atq; curiosam mentẽ titillantibus detentos, ab eo nos auocaret, ad quod conditi sumus, ut scilicet tota nostra uita Deum quendam quisq; proximis præstet. Deinde quemadmodum expectamus, ut omnis hæc ex parte cognitio, quæ in hac uita cõtingere potest, aboleat, sic quo cuiq; spiritus Dei opulentius contingit, eo recedit is à cognitione, quæ est uitæ huius, ad eam quæ est futuræ, longius. Vnde experiunt hoc sanctiores homines, se, dum maxime diuina sapientia sacra legentes donant, & spiritu afflantur potentius, à uerbis scripturæ in diuinioremquandam operũ, uoluntatisq; Dei, quæ scripturæ cõmendant, contemplationem rapi, qua etiã mox quicquid in illis est, ad uitã deiformem mirifice incendit. Scripturę in aliud nõ sunt datę, quàm ut de Dei in nos uoluntate, de redemptione nostri facta per Christũ, deq; uerè beatæ uitę officijs nobis testificent, id quod ineffícax tamen, & planè mortua res est, donec eadem spiritus Patris in cordibus nostris loquat & persuadeat. Iam cum illa tam multis in locis hęc patentissime atque luculentissime, tam præceptis quàm exemplis, tam minis quàm promissis, demittens scilicet se ad fastidiosum & nimis stupentẽ animorũ nostrorũ palatũ, tradat, doceat, oculis opponat, infigat, inculcet, præposterũ sanè, ne dicam, impiũ est, hæc anteq; in cordib. nostris uiuant transilire, & uestigare curiosius quid sibi recondita aliqua & perplexa loca uelint, quę ut eadẽ doceant, docent tamẽ, eò ꝙd planè intelligi nequeant, obscure & incertò: aut certe dum historia, omnia quæ ad salutẽ sciri possunt, planissime offert, ea transmissa, in anagogis argutis quidẽ, sed uerè tanto ad docendã pietatẽ ineptiorib. ac inefficatiorib. quanto plus in se habent curæ ingenij humanæ, anxie philosophari. Quid enim hoc aliud est, quàm sub prætextu uestigandę scientię sacræ, illam declinare & fugere, facere quod laborantes ex sto macho solent, cõmode alentes cibos fastidire, & perquirere qui plus obsunt, quàm prosint. Dici enim non potest, ut faueat inuentis suis ingeniũ humanũ, fitq; plusquam sæpe ut inuenisse reconditũ aliquid in scripturis lic delectet, ut non solũ eo

ad utendũ rectius non impellamur, sed in execrandã maximeq; noxiã nostri com placentiam incidamus, quæ statim ex se fastidiũ, ne dicã odium gignit omniũ, qui nostris inuentis parum applaudũt: hoc ubi obtinuerit, dat prẽter sectas & factiones, non tam impias quàm atroces & cruentas pugnas, bellaq; exitialia. Has pœnas meritò exigente à cõtemptorib. sui ueritate diuina, quę ultro in amplexus nostros patentib. suis clarisq; locis ruens, tamẽ non excipit, negligitur, fastidit. Hinc Paul. cum cuperet, quæ apud Corinth. orta erant dissidia tollere, multa contra intempestiuam hanc in sacris sapientiã disseruit, extollens eam, qua unum hoc scimus, sed uerè, sed solidè, sed uiuè, Iesum Christũ & hunc crucifixũ, nostrã salutẽ, iustitiam & sapientiã esse. Proinde magno redimendũ esset, ut exemplũ Apostolorum simpliciter, & iuxta historiam scripturas tractantiũ, quàm cultorũ illorum quos Philo scribit, patrum leges in allegoricã intelligentiã deducere solitos fuisse, in legendis atq; enarrandis scripturis sequi liberet. Sic fieret, ut scriptura quantum satis esset, ubiq; nota & familiaris haberet, indeq; ex quouis loco, in certã statim & ad omnem pietatẽ efficacem contemplationẽ raperemur, nihil esset studiorũ & factionum, plurimũ autem ueræ dilectionis uitæq; sanctioris. Sic siue Abrahæ, siue aliorum patrum exempla, nobis ex ijs, quæ omnib. facile patere possunt conſyderata, ut certius, ita & efficacius Dei potentiã, prouidentiã, bonitatẽ, mediatoremq; illum unicum, per quem solum hæc semper sese protulerunt hominib. cum nobis ipsis, tum ijs qui docendi, monendi ue nobis sunt, cõmendarent. Cum quando in aperta hæc animos figere negligimus, & singulas uoculas ad mysteria rapimus, ac ex quouis facto, Christũ non tam ostendimus, quàm extorquemus, inani tantum delectatiuncula, ex argutiore cõmento animum titillabimus. Cumq; nobis spiritualia spiritualib. egregie cõtulisse, nihil & nisi oracula spiritus disseruisse uidebimur, sentiemus nos prorsus omni spiritu, uirtute illa recte uiuendi uacuos, si non etiam in ea mala Philautiæ, de quibus modo memini, prolabamur. Verè sa D.
tis superq; est patentiũ historiarũ, præceptorumq; Dei, si modo rite ea percipere-
mus, ut prorsus nõ sit opus, sic argutãdo quærere, ꝗd si etiam inuenerimus, non tamen possit quicquã ædificationis adijcere ijs, quæ offerũt historiæ illæ manifestiores. Simus grati spiritui sancto, quod palàm adeò diuina nobis tradidit, & perspecta historiæ, quantũ fieri potest, ueritate, in ea pia curiositate, Deum & Christũ nostrum cõsyderemus, huc animis toti intenti, ut quamprimũ uita nostra illum referat, & studiosè æmulet. Equidẽ non dubito id nos Apostolos uoluisse docere, cum in citandis scripturis, summã sententiæ satis habuerũt retulisse, securi adeò uerborum. Quin hinc quoq; esse ausim affirmare, ꝗd tam multa sint passim in scripturis loca, quorũ certus sensus eruí nequeat, quæ tamẽ quoscunq; uideant sensus innuere, si summã historiæ spectes, pietati ædificandæ momentũ aliquod adferant. Nec, ut dixi, expecto, ut unquã ista certa nobis, planeq; cognita fiant, sed potius ut relicta in totũ litera, spiritu solo doceamur, id tamẽ non in hoc corpore, sed dum consti gerit regeneratio. Voluit itaq; Dñs offusa tot locis nobis haudquaquã superabili caligine, uelut re ipsa monere, ne minutias sectaremur, daremusq; potius operam, quæ facile & primo obiectu percipimus, introspicere penitius, atq; infigere cordi studiosius, quàm ueſtigare quę latent, & eruere recõdita. Tum & illud, cuius adeò nullũ extat apud Apostolos, multo minus apud Prophetas exemplũ, ex quibusuis locis anagogas & allegorias cõminiſci, cum abunde doceat historia, quid aliud est, quàm preſenti urso, ueſtigia eius sectari? Animi id profecto est, diuina non digne suspicientis, alioqui ultro occurrentib. atq; sese ostentantib. sic afficeret, & addi ceret, ut incertiores illas cõquirere subductiones atq; allegorias nequaq; uacaret. Incertiores dico, magis nostris cogitationib. adscitas, quàm ex ipsa historia natas. Suprà enim capite tertio ipse fassus sum, uerè pijs anagogen ad Christũ aliqua ratione

ratione ſubminiſtrare, quicquid uſpiã eſt, quia q̃d nõ ſit per ipſum factũ, nihil eſt, nedũ quæ ipſe ſibi in ſanctis ſuis præluſit. Ita placet in Iitzaak deſtinato immolationi cogitare Chriſtũ: at in eodẽ ab uxore falſo, nolim quis ſe torqueat, quomodo Chriſtum oſtendat repreſentatũ. Sic Iona 3. die ereptus è uentre ceti, recte in Chriſtum ſubducit: idem detrectans iuſſum Dei, conatusq; effugere, non ita. Nec aliuſmodi ſunt, quę de ſe Chriſtus diſcipulis è ſcripturis produxit. Sed de his in Mattheum ſub finẽ, & ſuprà in illud: Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentẽ. Vt itaq; tempeſtiuas, & ſuo loco adhibitas allegorias probo, ita nulli uolo author eſſe, ſcripturas uel legendi uel enarrandi negligentius, tantũ præpoſterã & inutilem damno curioſitatem, cæterũ ut germanè ac propriè, quoad eius fieri queat, ſingula ſcripturæ loca accipiantur, ſobrium ac pium ſtudium adhiberi, etiam inhortor.

OBSER. Obſeruandũ, iterũ nos abſq; doctrina ſpiritus nihil ſalutare poſſe capere, tum quæ nobis quęrẽda ſit Dei & Chriſti præſentia, utiq; quæ per fidem & ſpiritũ eſt, & in quo illa appareat, nimirũ ſi uerbis Dei toto pectore ſtuduerimus.

ENARRATIO SECTIONIS V.

Pacem relinquo uobis.) PAR. Vt redeã uero ad conſolandũ uos chariſſimi diſcipuli, mouerat enim Iudæ non ſatis appoſita interrogatio, ut quid potiſſimũ quærendũ uobis ſit, magis infigere animis ueſtris operæpreciũ duxerim. Pacẽ relinquo uobis, uerã ſalutẽ & proſperitatẽ, etſi corpore à uobis ſim abiturus, pacẽ, inquã, meam do uobis, hoc eſt, ſolidã ac æternã felicitatẽ, non qualẽ mundus dat, euanidã & fallacẽ. Ne igit turbet cor ueſtrũ, nihil formidet, audiſtis enim q̃d dixi me quidẽ abiturum, ſed iterũ ad uos rediturũ. Certe ſi me uerè diligeretis, q̃d uideri uultis, & nõ potius ueſtra in me ſpectaretis, gaudere ſanè debueratis, cum me dixi abiturũ ad Patrẽ, in gloriã diuinitatis. Pater liquidẽ Deus, me homine infinito, & modis omnib. maior eſt. Apud eum igit in luce inacceſſa me beatũ regnare, & ueſtram ſalutẽ multo q̃ in carne præſens poſſim potentius operari, optare debebatis, & uel propter me gaudere, q̃d hæc tandẽ hora adueniſſet. Sed hæc eſt infirmitas ueſtra. Volui tamẽ iſta, quæ uobis à meo diſceſſu futura ſunt, longe quàm attulerit uobis carnis meæ præſentia, præſtantiora prædicere, ut cum euenerint, tanto firmius credatis me eſſe Chriſtũ, orbis ſaluatorẽ. Iam non licebit multa uobiſcum loqui, accedit enim princeps mundi huius, qui imperiũ habet in reprobos, & mox me quoq; poteſtate ſua urgebit immiſſis ſatellitib. ſuis, qui me ad necẽ rapient. Id uero patiar, non quod ille iuris quicquã in me habeat, nihil enim unquã peccaui, ſed in eo declarabo orbi, quàm Patrem Deum diligã, in gratiam cuius immeritã mortem obibo. Surgite igitur, eamus illi obuiam, iam enim hora mea aduenit.

ANNOT. Pacẽ relinquo.) Pacis nomine ſcriptura proſperitatẽ intelligit & felicitatẽ. Significat ergo hic Dñs ſe nõ caducã, nõ fluxã & uanã mũdi, ſed ſuã, id eſt, certã & diuinã felicitatẽ relinquere atq; dare, nõ fruſtraneis tantũ uerbis precari, ut homines ſolent. Ea uero ſita eſt in fide ſolida, quã ſuppeditat ſpũs paracletus, quẽ ſuis erat miſſurus. Hæc pax amplior eſt, q̃ agnoſcere queat mens hoĩm, Philip. 4. *Quid pax Chriſti.*

Quoniam Pater maior me eſt.) Hoc cum emphaſi legendum eſt, uoluit enim ſignificare Patrem Deum, ſe homine infinito maiorẽ, eoq; ſumma felicitate apud eum ſe futurum, cum hic egiſſet miſerè & calamitoſe. Hancq; felicitatem diſcipuli ſibi gratulari debuerant, non inde turbari.

Et nunc dixi uobis. Quid dixit? Omnia profecto quę dixerat de Paracleto, & uera quam per hunc habituri erant felicitate, incredibiliq; uirtute, qua maiora facturi erant, quàm Dominus ipſe fecerat. Hæc ubi omnia euenerunt, in fide erga Dominum eos confirmarunt. Hoc eſt quod ait: Vt cum factum fuerit, credatis.

Et in me nõ habet quicq;.) Ius eſt ſatanę in obnoxios peccato, agit eñ in incredulis, Eph. 2. Cum ergo Dñs omnis peccati purus eſſet, nihil habuit in eũ iuris Satan.

Vt cognoscat mundus.) Vel subaudiendū est, ideo cedam potestati Satanæ, traditurus ipse me in manus peccatorū: aut certe coniungendū est, cum eo q̄d præcessit, nempe, Venit princeps mundi: ut intelligas, ideo uenit, ideo datū est illi, ut mihi mortē per suos inferat, quod mandatū uolo facere Patris, non quod ius aliquod in me habeat. Posset & iungi ei q̄d sequit, Surgite eamus: ut sensus esset: Venit princeps mundi, cum tamen nihil contra me habeat, sed ut totus mundus uideat q̄d Patrem dilígo, & facio ut mandatū dedit, surgite eamus obuiā satellitibus eius. Vtunc̄ autem legas, intelligi Dñs uoluit, se in gratiam Patris, & ob nullum suum peccatum sese iam traditurum Principi mundi, ac potestati tenebrarum.

OBSER. Obseruandum, quæ uera pax & felicitas, quisc̄ eius largitor. Diuersa sanè est à pace & felicitate quam dat mundus, non solū quod solida & æterna est, sed etiam quod uiget, uerec̄ habet in medijs etiam persecutionib. Animi enim est, de bonitate erga se Dei persuasi, eoc̄ non dubitantis in salutē sibi cuncta eum operari. Nec prætereundū illud, tum demū cōsummata nos felicitate fruituros, cum per mediatorem Christum peruenerimus ad Patrem, hoc est, cum Deus fuerit omnia in omnib. Hucc̄ cum morte accedat, non esse Christiano illam abhorrendam, sed cogitandum, Pater maior est, & omnia præcellit, igitur gaudendum, non dolendum cum eundum sit, ut ad maximum, ita & ad optimum.

Post hæc obseruandum, tum nos à potestate principis mundi liberos fore, cum peccatis liberi erimus, quam libertatē solus filius largit, de quo suprà octauo: hac enim ex causa erat, quod Satan nihil haberet iuris in Christum. Denic̄ animaduertendū, mundū, id est, omnes non renatos, malos esse, ut in quos imperiū habeat Satan. Postremo discamus à Christo, uitam & omnia, gratiæ Patris posthabere.

CAPVT XV.

Sect. 1. 

Ego sum uitis uera, & Pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentē fructū, tollit, & omnē qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorē afferat. Iam uos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Manete in me & ego in uobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructū multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos & in ignem conijciunt, & ardent. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

Sect. 2. Sicut dilexit me Pater, ita & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum uobis, ut gaudiū meum in uobis maneat, & gaudiū uestrū impleatur. Hoc est præceptū meum, ut diligatis uos inuicē, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæcunc̄ ego præcipio uobis. Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus

A Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quę audiui à Patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & cõstitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat, ut quicquid petieritis Patrem nomine meo, det uobis. Hæc præcipio uobis, ut diligatis uos mutuò.

Si mundus uos odit, scitis q̃d me prius quàm uos odio habuerit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suũ est, diligeret. Quia uero de mundo non estis, sed ego selegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Mementote sermonis, quem ego dixi uobis. Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequent̃: si sermonẽ meum seruauerunt, & uestrũ seruabũt. Sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum, quia non nouerũt eum qui misit me. Si non uenissem & loquutus fuissem eis, peccatũ non haberent. Nunc aũt non habent quod pretexãt peccato suo. Qui me odit, is & Patrẽ meum odit. Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberẽt. Nunc aũt & uiderũt, & oderũt non solũ me, uerumetiã Patrẽ meũ. Sed hoc accidit, ut compleat̃ sermo, qui in lege eorũ scriptus est: Odio habuerũt me gratis. Cum aũt uenerit Paracletus, quem ego mittã uobis à Patre, spiritus ueritatis, qui è Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. B Quin & uos testes estis, qui ab initio mecum estis. *Sect. 3.*

ENARRATIO SECTIONIS I.

EGo sum uitis uera.) PAR. Ardentissime amabat suos Dñs, eoq; cum omnis eorum salus penderet ab eo, ut ipsi essent quamaddictissimi, omnia ab ipso expectarent, ipsius iussa summo studio capesserẽt: huc uoluit illos, & cum iam hostib. suis iret obuiã, hortari longe diligentissime, sicut & accumbens fecerat: præcipue aũt, ut proferendo Euangelio regni sui studiosissime, ad q̃d peculiariter delecti erant, sese dederẽt. Eleganti ergo usus allegoria, quam & clare explicuit, dicebat illis: Ego sum uera uitis, omnino ita me habeo ad cœlestia, ueraq; bona, uti se habet uitis ad suum fructũ. Agricola uero meus Pater est, à quo nimirũ sum quantus sum. Is omnẽ in me infrugiferũ palmitẽ, id est, omnes qui nulla mihi fide se adiungũt, tollit et abijcit: qui aũt electi ad hoc certa mihi fide insiti sunt, eoq; frugiferi palmites, hos purgat suo donatos spiritu, ut plus fructus adferãt. Iam uos mundi & purgati estis, quod & paulò ante uobis dixi: sermonẽ em̃ quẽ uobis dixi, doctrinã quã tradidi, uera fide uobis datũ est amplecti. Vt igit̃ frugiferi palmites mihi insiti estis, ueræ uiti, ita in me manete, mihi forti fide inhærete, & ego manebo in uobis, succũ suffecturus uobis, unde uuas cœlestes, doctrinã salutis, hominib. afferatis. Quemadmodũ em̃ palmes à seipso nequit fructum ferre, sed oportet ut maneat in uite si frugifer esse debeat, ita nisi uos in me manseritis, toti à me pendẽtes, & meo spiritu uiuẽtes, nullũ adferetis fructum, nihil salutare præstabitis, nemini frugi eritis. Ego siquidem uobis sum id quod uitis palmitibus, uos mihi quod palmites uiti, per uos uitæ succus ad electos peruenire debet: id autem tum erit, cum in me manseritis, toti à me pendentes, & ego in uobis omnia meo spiritu perficiens. Sic fructum multum adferetis cum uerbo tum opere, ad regnum Dei quamplurimos adducturi. Nam sine me, sine meo spiritu & uirtute, uos nihil prorsus boni præstare poteritis. Proinde qui in me non solida fide perstiterit, (sunt enim qui mihi accedunt, & accessuri *Allegoria uitis & palmitum.*

cessuri sunt, citra uerã in me fidem, unde in me nequaq; perseuerabũt, eijcient tandem è meo grege) sicut defractus abijci solet palmes, qui illico aresci t, sitq; fomentum ignis: sic & isti hypocritæ arescent, fictus ille uigor euanescet, demũq; abijcient in gehennã ignis inextinguibilis. Vos igitur manete in me, mihi firmiter credite, à me omnia expectate, & fructũ plurimũ adferetis, maioraq;, ut antea promisi, q; ipse fecerim, opera facietis. Si quidẽ in me manseritis, et uerba mea in uobis manserint, ut illis fidem certã habeatis, quicquid omnino uolueritis id petetis, & accipietis, quod & antea uobis pollicitus sum. Quod uel ex eo futurũ credere poteritis, Pater meus in eo demum glorificatus fuerit, si uos plurimũ fructus attuleritis, & multos regno meo adduxeritis, in eo declaraturi, uos germanos meos esse discipulos, cum redemptionem orbis, à me prædicari cœptam, ad fines usq; orbis proferetis. Vt ergo Pater gloriæ suę illustrandæ, quando modo tempus huius instat, deesse non potest, ita certò fient, quæcunq; uobis polliceor.

ANNOT. Ego sum uitis uera.) Hoc est, in ueris & cœlestibus bonis id sum, quod uitis in suo genere. Neq; enim nisi per metaphorã Dominus, eoq; ob similitudinem se uitem uocauit. Quandoquidẽ Christus ut homo, quia mediator Dei & hominum est, is per quem gratia & ueritas omnibus electis fit, de cuius plenitudine omnes accipiũt, uiti recte assimilat, quẽ agricola Pater plantauit, dum ipsum Verbũ suum, carnẽ fecit, ut idem esset Deus uerus, & uerus homo. Huic certe qui insitus est, ut uiuit uitã dei, ita pro sua uocatiõe fructũ afferat necesse est, et salutarẽ.

Omnẽ palmitem in me.) Quomodo est in Christo, qui non fert fructũ? Sicut zizania in regno Dei, & putres pisces in reti Euangelico, carens ueste nuptiali, in nuptijs Christi, nominetenus scilicet, & secundũ externa tantũ, non etiã uera fide: quare tollunt isti tandem, & uelut resecti arefactiq; palmites, gehennæ addicunt.

Vos mundi estis propter sermonẽ meum.) Id est, perceptam doctrinã meam: ea enim renati estis, & in eam recepti sortem, ut prorsus mundi olim continuis auctibus spiritus, quos Pater donat, euadatis. Mundi itaque sunt qui Euangelio credunt, & purgantur tamen ut fructum copiosiorem adferant, quia in fide qua filij DEI facti sunt, dono patris proficiunt, in qua quanto plus profecerint, tanto magis ut Deo similes, ita & frugiferi redduntur alijs. De hac munditie & suprà capite 13. in sectiuncula prima. Verum ad hanc munditiem non nisi purgatione, hoc est, recisione inutilium pampinorũ peruenitur. Continuò enim naturæ desyderia recidi oportet, ut succus spiritus Dei suum fructum extrudat.

Quomodo mundi purgantur.

Quia sine me nihil potestis.) Hac gnome fateor probare Christus uoluit discipulos nullum per Euangelicã prædicationem fructum allaturos, nisi in ipso per certam fidem manerent: quia ideo palmitibus eos similes fecit, quod per eos succus uitæ, doctrina salutis perferri ad multos deberet. Sed quia non manentem in Christo palmitem pater tollit, & arefactũ in ignem abijcit gehennæ, ut hic simul testatus est, quis non uidet sine Christo neminem quicquã boni posse? Si autẽ hoc dederis, ubi manebit liberũ arbitrium, ex seipso ad bonum enitens, qualemcunq; denicq; conatum illi des, aut cooperationẽ? Quæ enim libertas & facultas recte uiuendi per se nihil posse boni efficere, etiam si demus in homine esse aliquem conatum? Tantum ergo per Christũ & uera libertas & boni facultas nobis cõtingit.

Et colligunt eos.) Idem de paleis Matth. 3. & zizanijs 13. dicitur.

Si manseritis in me, & uerba mea.) Hic Dominus ipse explicauit, quid sit in ipso manere, certa utiq; uerbis eius fide adhærere. Hęc fides ubi est, æterna est, & spiritum Dei semper præsentẽ habet, qui docet & uelle & petere, quibus gloria dei promoueat, quare omnia quoq; impetrat. Cæterum hic rationem reddidit, eius, quod dixerat fructus facturos, qui in ipso manerent, hoc est, multis Euangelion persuasuros. Si enim erant omnia, quæ uellent, impetraturi, facile potuerũt Euangelio

Quid manere in Christo.

A gelio efficere quiduis. Omnia autem exoraturos, eo probauit, q̃d subiecit. In hoc glorificatus est, id est, fuerit Pater meus, ut fructũ copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli, hoc est, opus quod cœpi proferatis, & regno Patris quamplurimos adducatis. Iam Pater deesse gloriæ suæ, quando iam aduenerat hora illustrandi eam apud homines, non poterit, dabit ergo uobis quæcunq; petieritis ad profectum Euangelij.

OBSERVAT. Obseruandum omnium Christianorũ esse ut fructum adferant, id est, alijs ad salutẽ inseruiant: id autem tum poterunt, cum Christo fide syncera fuerint addicti: in quo si non hæreant, quicquid sint & uideantur, olim è sanctorum consortio abijcientur in gehennã. Inhærebunt autem Domino, dum in ipsorum animis hęrebunt uerba eius, ad quæ in omnibus respiciant.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Sicut dilexit me pater.) PARAPH. Ostendi unde accepturi sitis, ut fructum adferatis, ad quod delecti estis, nimirũ à me solo, cui solida fide uos adhærere oportet. Nunc hortor ut libeat uel meo exemplo fructum adferre, & proximis seruire. Pater me dilexit, ideo uicissim dilexi & diligo eum, idq; declaro, dum mandatis ipsius studiosissime obtempero. Manete igitur & uos in dilectione mei, idq; studio mandatorum meorum demonstrate. Hæc uobis locutus sum, & hoc uos hortor, ut gaudium meum in uobis maneat, quandoquidem de meo abitu tantopere conturbamini. Si enim ita mandatis meis studendo, dilectionem mei declaraueritis uos habere synceram, prædixi, Patrem & me mansionem apud uos facturos, neque unquã deserturos: hinc erit, ut de me longe melius & salubrius uobis præsente gaudeatis, quàm si carne apud uos subsisterem. Quod igitur uobis hæc de dilectione mei, & studio mandatorũ meorum loquor, uestri causa facio, sic sanè gau
B dium uestrum complebitur, iustum & solidum erit, quia uerum, & de me uere uobis præsente futurum est. Ne autem dubitetis quæ mea mandata sint, quanquã id & antea uobis exposui, omnia in hoc uno uerbo summata sunt, ut diligatis uos inuicẽ, sicut ego uos dilexi, quos sanè ita dilexi, ut maiorem dilectionẽ nemo præstiterit. Ita dilexi siquidẽ uos, ut animã meam pro uobis ponam: quis maiorẽ amicis suis dilectionẽ exhibeat? Agnoscite igitur, me uos uerè amicos habere, tantum studete ijs, quæ uobis mando. Etenim quod certum germanę amicitiæ argumentum est, quæcunq; à Patre audiui, quorũ cognitio uita æterna est, ea nota uobis feci: recte igitur uos amicos meos uocaui, non seruos, quandoquidem seruis indicare sua arcana heri haud soleant. Sed & hinc uidetis, quàm amicos uos habeã, non uos me, sed ego elegi uos, & ad munus sanè diuinissimum. Constitui siquidẽ uos, ut abeatis in uniuersum orbem, & fructũ, adducendo quamplurimos regno Dei, adferatis, fructusq; ille maneat futuris usq; ad finẽ mundi, qui in doctrina, quam uos spargetis, permaneãt. Denicq; huc euexi uos, utiq; in summã dignitatẽ, ut quicquid omnino Patrẽ petieritis, id sitis ab eo accepturi: id quod tertio iam, quia maximũ est, uobis polliceor. Quid quæso amplius potuissem uobis præstare? quid præterij, quod non uel summo uos inter amicos meos haberi loco probet? Certe proximos mihi dignitate uos feci, & quotquot antea fuere sanctis regibus & Prophetis longe prætuli. Mysteria Patris saluifica nemo unquã apertius uobis audiuit, nemo unquã maiorẽ orbi salutem attulit, atq; uos adferetis: nemo unquã maiora dei opera & miracula, quàm uos ædetis, ne à me quidẽ uidit. Hæc tanta tamq; diuina uobis præ uniuersis cœlitibus & terrigenis morte mea comparabo: quod quęso amoris summi argumentum præterea quæratis? Diligite igitur uicissim & me, atq; mandatis meis ex animo studete, quæ nihil aliud à uobis requirunt, quàm ut uos ipsos inuicem diligatis, ut uobis ipsis inuicẽ benefacere studeatis, & quisque proximum suum regno Dei adducere laboretis. Nam sic demum, si uera

Argumenta dilectionis Christi.

obtinuerit

obtinuerit apud uos proximorũ dilectio, munus uestrum digne obibitis, ad quod C
uos delegi, ut uelut palmites è succo uitis uuas, ita uos ex meo spiritu doctrinam
Euangelicam, uuas cœlesti & saluifico uino plenas, orbi adferatis.

Quæ à Patre audita discipulis prædicarit.

ANNOT. Omnia quę audiui à Patre.) Hæc sunt: quod ipse Christus esset ser
uator mundi, & iudex omnium: quod morte sua redempturus esset sanctos, quod
ad gentes quoq; salus peruenire debebat, & Iudæi excæcari: quod per ipsos Apo
stolos, ipsius & Patris gloria mirè esset reuelanda: & id genus alia regni Dei my
steria, quæ sanè Reges & Prophetæ optauerant uidere & audire, nec tamen uide
runt uel audierunt.

Ego elegi uos.) Apostolos elegerat Christus, ut summo beneficio orbem af
ficerent, & dij alijs hominibus essent, dum Euangelion uitæ fecit per eos inuulga
ri. Recte igitur huius eos admonuit, dum uolebat ad redamandum se illos exci
tare. Certe minimus eorũ, maior Ioanne factus erat, qui tamen omnes retro Pro
phetas, imò quicunq; è mulieribus nati erant, excelluerat. Hæc etsi parum, tum
cum ea audirent perpenderent, postea tamẽ ubi spiritu ampliore donati fuere, mi
rificè eos accenderunt, ut uocationi suæ summa cum diligentia, summoq; cum stu
dio, hoc est, ut Paulus loqui solet, cum timore & tremore incũberent. Eodem cer
te argumento, ad ambulandum digne Deo, Paulus suos ubique hortatus est, ut te
stantur eius Epistolæ. Et hinc sanè est, quod Apostolus de uirtute & successu apo
stolatus sui in omnibus gentibus tam multis gloriatur.

Fructus Apostolorum mansit.

Et fructus uester maneat.) Mansit certe hactenus, & manebit usque ad con
summationẽ seculi, quia semper electi erunt, qui in doctrina Apostolorũ uiuent.
Multis proh dolor in nationibus fructus Apostolorũ diu admodum obscuratus
fuit, atq; etiamnum est, nequaquam tamen extinctus.

Vt quicquid petieritis.) Et hoc cum uerbo, elegi uos, cõiungendum est. Quia D
enim in hoc delecti fuerant Apostoli, ut primi orbi Euangelion annunciarent, o
portuit ut plurima & maxima miracula ederent, & exorarẽt, quicquid orassent.
Idem & alijs sanctis, pro sua uocatione datum quidem est: hic autem præcipue ijs
de miris operibus Dominus loquitur, ad quę patranda Apostoli fuerant delecti,
id totus hic ad eos habitus sermo testatur.

OBSER. Obseruandũ, sicut nostri erga Deum dilectionis certum argumentũ
est, si mandatis eius, id est dilectioni proximorũ ex animo fuerimus dediti, spectan
tes quisq;, ut proximis pro sua facultate inseruiat, ita Dei erga nos amoris manife
stum indicium esse, si nobis sua mysteria reuelet, & in hoc constituat, ut plurimos
regno suo adducamus. Debet siquidem omne omniũ Christianorũ studium esse,
ut alijs sic inseruiant, ut illi Dei bonitatẽ agnoscant, eaq; syncera fide perfruantur.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Si mundus uos odit.) PAR. Hortatus sum, ut ante omnia dilectioni studea
tis proximorũ, quæ impellet utiq;, ut gnauiter munus ad quod uos elegi, ut Euan
gelium salutis ubiq; prædicetis, obeatis: sed scio mundus id non minus grauiter fe
ret à uobis, quàm à me tulit. Vos igitur cum mundus pro tanto beneficio, quod il
li adferetis, uobis exitiali odio respondebit, consyderate quod me quoq;, qui prin
ceps uester sum, & uobis multo præstantior, odio habuit. De mundo uos selegi,
& ereptos tyrannidi Satanæ, cui mundus subiectus seruit, regno cœlorum dona
ui, ideo cõtra uos tanquam defectores & transfugas ille ita insaniet. Quid autem
non ferre ab illo debeatis, potius quàm cum illo Satanæ seruire, cum æterna uestri
pernicie? Mementote sermonis quem uobis dixi, non esse seruum præstantiorem
Domino suo. Cum igitur meum illi serui Satanæ, sermonem contempserũt, meq;
ob salutem quã eis obtuli, dirè persecuti sunt, idem ab illis & uos expectate. Id au
tem interim cõsoletur, quod propter nomen meũ, uos illi persequentur. Me enim
in uobis

A in uobis odiunt, me petunt, eo quòd nec Deū noſcant, qui me miſit. Ex Diabolo enim ſunt, ideo ueritatē & iuſtitiā nō poſſūt nō oppugnare. Quàm optabile autem uobis pro iuſtitia Dei perſecutionem ab illis ferre, quámq; pernicioſum & exitiale illis, ſic contra illā furere? Nā præcipui hoſtes, à quibus uos pati oportebit Iudæi, nequaq; ex ignorantia, quæ excuſari poſſet, uos perſequentur. Ea enim locutus illis ſum, ea opera oſtendi, quibus maiora ante mundus non uiderat, ut aperte ſatis in me Deū agnouerint, quare nullam prorſus excuſationem poterunt prætexere, prætexturi ſane, ut nullum ob repulſam mei peccatum illis imputaretur, ſi nō uenilſem, & locutus illis fuiſſem, operaq; Patris exhibuiſſem. Nunc ita in me Patris uerba & opera agnouerunt, ut uere non tantum me hominem, ſed in me Patrem quoq; Deum odio inſectati ſint, ut uerum ſit factum illud ſcripturæ eorū: Abſq; cauſſa me odio habuerunt. Nam nihil uel dixi uel feci illis, quod non, ſi ſuſtinuiſſent id recipere, ſalutare eis fuiſſet. Sed ferendū hoc mihi fuit: uos igitur cum eadem inciderint, & uobis illa æquis animis ferenda ducite. Vt namq; mihi, ita & uobis omnia tandem bono cedent, cum apparuerit qui ſimus. Odio illorum & perſecutioni hactenus obnoxius fui, ſed cum aduenerit uobis paracletus, uerus ſanctorum patronus, & adhortator, regniq; Dei legitimus moderator, ſpiritus ueritatis, qui ueram & ſolidam iuſtitiam ſuppeditabit meis, quem mittam à patre, ex luce inacceſſa, ex abdito diuinitatis, cum illo iam me recepero, hic, inquā, ſpiritus cum aduenerit, teſtimonium perhibebit de me, cum faciet ut per uniuerſum mundum electi me ſaluatorem agnoſcant & adorent, quem ut Dei blaſphematorem illi cruci ſuffigent. Tum & uos illo inſtincti, mihi idē teſtificabimini, idq; eo certius, quòd ab initio prædicati à me Euangelij, à quo tempore cœpi Chriſtum me profiteri, mecum conuerſati eſtis.

OBSERVATIONES.

B Mundus quod ſuum eſſet diligeret. Licet mundi homines nunquam ſe inuicem uere diligant, quia omnes tantum ſua quærunt, attamen nihil prorſus adeo deteſtantur & intolerabile ſibi ducunt, atq; ſyncerum ſtudium Dei, huc agit eos princeps eorum Satanas, hoſtis uetus Dei. Vnde ſi Apoſtoli non fuiſſent è mundo electi & donati ſpiritu, qui mundo & principi eius ſemper aduerſatur, & ſi non magnopere dilecti fuiſſent ab hominibus ſeculi, tolerati tamen fuiſſent, & dilecti ab aliquibus, ſic autem, dum gloriæ Dei ſtuduerunt, contra ſe concitarunt totum mundum, id eſt, quicquid Dei bono ſpiritu non erat donatum, quia principem eorum deturbare tyrannide ſua conabantur. Mundum hic Dominus præcipue pro mundanis Iudæis accepit, id quod ſequentia ſatis teſtantur. His enim ipſe locutus erat, & abſq; cauſſa odium eorum pertulit. Neque ab alijs & diſcipuli plura perpeſſi ſunt. *Vt mundus ſuos diligat.*

Scitis quod me prius quàm uos.) Græca habent, γινώσκετε ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, quod ſic legi poteſt: Scitote, id eſt, perpendite, quia me primum ueſtrum, hoc eſt, principem odio habuerit. Hęc mihi interpretatio magis arridet, eo quòd ſic hoc dictum conueniat, cum eo quod ſequitur: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Sic quoq; πρῶτος, & in teſtimonio Iohannis, cum dicebat de Domino, ante me factus eſt, quia πρῶτός μου ἦν, id eſt, primus meus eſt, pro primo uel principe accipiendum puto, id quod ſupra. 1. Sect. 5. indicaui.

Quia non nouerunt eum.) Id eſt, non pernouerunt, ita ut amare poſſent, alioqui audierunt iſti ea uerba, uiderunt ea opera Patris in Domino, ut nihil ſit illis relictum, quod peccato ſuo prætexerent, utiq; quia ſatis uim diuinam in ipſo perſpexerant. De hac cognitione Dei, quæ quidem omnem ignorantiæ prætextum tollit, nec tamen animum immutat, Deiq; ſtudio inflammat, diximus iam ſæpe, ſupra. 1. capite. Diligenter autem notandum, quòd Dominus hic ait Iudæos non habituros

 fuiſſe pec-

fuisse peccatum, si non uenisset, & fuisset eis locutus, fecissetq; ea coram illis opera, quæ nemo fecerat alius. Neminem ergo damnabit Deus, qui ex sola ignorantia peccat, quiq; abiecti sunt, eos oportebit tandem ita ueritatem cognoscere, ut iam non sint ignorantes, sed spiritus Dei blasphematores, & scientes hostes Dei, ut in spiritum sanctum peccent, peccatum irremissibile. De his & in fine Noni cap.

Vt impleretur.) Quod in Plal. 35, scriptum est, in Lege scriptum dicit, quia Legis nomine totam scripturam sacram intellexit, ut & supra. 10. Vndiq; enim illa docet & erudit ad salutem: quare תורה recte dicitur, quod cum Græci νόμον, Latini Legem uerterunt, forte melius doctrina uerteretur.

Cum autem uenerit paracletus.) Cum hoc nomen ducatur à uerbo παρακαλῶ quod aduoco & adhortor magis quàm consolor significat, hoc enim Græcis fere παραμυθοῦμαι dicitur, quem Græce παράκλητον hic Dominus uocauit, aduocatum uel patronũ, aut etiam adhortatorem dicere mallem, quàm consolatorem. Augustius siqudem est hoc nomen, quàm ut spiritui paracleto conueniat, cui Dominus scilicet multo plura, quàm consolari tribuit. Vt enim uel solus sit adflictarum mentium uerus consolator, dum spiritui nostro, testimonium infallibile perhibet, nos filios & hæredes esse Dei, attamen cum Dominus supra. 14. sect. 3. dixerit: Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit qui maneat apud uos, talem utiq; uidetur promisisse, qui omnia discipulis præstaret, quæ ipse antea in carne eis præsens præstiterat & quidem perfectius. Iam non solum mœstos discipulos Dominus consolatione erexit, sed magis in omnibus ad salutẽ erudijt, & ad grata Patri opera excitauit, impulitq;, defendit eos, fuitq; eis doctor & patronus, cuius dum clientes fuere, nihil prorsus eis defuit, nihil eos læsit. Cum itaq; hæc omnia melius & efficacius præstare debuerit hic paracletus, quia spiritus Domini est & Patris, uirtutem siquidem suam Dominus post mortem gloriosius exerere uoluit, patronum rectius, & ducem atq; doctorem & adhortatorem dicemus quàm consolatorem. Spiritus siquidem est ueritatis, qui in sanctis omnia iusta & uera efficit, glorificat Christũ, dum solus animo se confiteri eum saluatorẽ donat, docet omnia, & quæcunq; Christus dixit, suggerit ut intelligantur, ducit deniq; in omnem ueritatem, ob hęc utique patronus melius, quàm consolator noster uocabitur. Idq; haudquaquam præter rationem sermonis Græcanici: apud quos uulgo aduocatum atq; patronum, παράκλητον uocant. Vide annotationem Budæi in cap. Moris, titulo de pœnis. Hinc D. Iohannes in Epistola sua cap. 2. scribit, si peccauerimus παράκλητον habemus apud Deum, id est aduocatum Iesum Christum.

Paracletus patronus.

Quem ego mittam à Patre.) A Patre missurum se hunc spiritum Dominus promittit, & addit eum à Patre proficisci, eo uero nihil aliud significauit, quàm cum & de se dixit, missum se à Patre, & uenisse à Patre, nempe quòd hic paracletus uere Dei spiritus sit, neq; docturus nisi diuina, sicut & ipse uere Dei filius & præco, nihil nisi diuina, uereq; Patris, & uerba prædicauit, & opera fecit.

Ille testimonium perhibebit de me.) Id factum est, cum hoc spiritu afflati Apostoli, animose Euangelion Christi prædicarunt, & mirificis signis confirmarunt. Tũ siquidem & ipsi Domino testimonium perhibuerunt, & spiritus paracletus, ipsi ut ministri, spiritus paracletus, ut autor & impulsor. Neq; enim ipsi, uel loquebantur, uel prodigia edebant, sed loquens in eis & agens omnia hic spiritus Patris paracletus; id est, patronus ille sanctorum, qui Christo in carne præsenti successit, quo denique ipse Christus, uirtus enim eius est, & arcana potentia, perfectius & diuinius suis adest, quàm cum carne adesset, De hoc spiritu & suprà primo.

OBSERV. Obseruandum nos mundo, si uere Dei sumus, & negotium eius agimus, non posse non haberi odio, & esse intolerabiles, quando ille nulli unq; magis infensus fuerit, quàm Christo Domino omnium optimo, Deinde Christum nõ nisi

spiritu Dei

A ſpiritu Dei ipſi teſtimonium perhibente, poſſe cognoſci. Præterea eos non habere peccatum, quod ſcilicet maneat & condemnet, qui peccant ſola ignorantia, ſed tales cum Paulo ueniam tandem conſequi. Poſtremo omnes qui uolunt doctrinæ Apoſtolicę ſectatores & prædicatores eſſe, nihil aliud quàm Chriſto, quòd is ſit & præſtet omnia, teſtimoniū reddere debere, nihil de ſe, aut ullis alijs creaturis polliceri.

CAPVT XVI.

HAEC locutus ſum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à ſynagogis facient uos. Sed ueniet tempus ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrē, neq; me,, ſed hæc locutus ſum uobis, ut cum uenerit tempus illud reminiſcamini eorum, quòd ego dixerim uobis. Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiſcum eram. Nunc autem uado ad eum qui miſit me, & nemo ex uobis interrogat me quo uadam. Sed quia hæc locutus ſum uobis, mœſtitudo impleuit cor ueſtrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, conſolator ille non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. *Sectio. i.*

Et cum uenerit ille, arguet mundū de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iuſtitia uero, quia ad Patrem uado, & poſthac non uidetis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Ad hæc, multa habeo quæ uobis dicam, ſed non poteſtis *b* portare nunc. Cum autem uenerit ille, qui eſt ſpiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit, loquetur, & quæ futura ſunt annuntiabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Omnia quæcunq; habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, quòd de meo accipiet, & annuntiabit uobis. *Sectio. ii.*

Puſillum & non uidetis me, & iterum puſillum & uidebitis me, quia ego uado ad Patrem. Dixerunt ergo quidam ex diſcipulis eius inter ſe, Quid eſt hoc hoc quod dicit nobis, puſillum & non uidetis me, & rurſus puſillum & uidebitis me, & quia ego uado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit puſillum? Neſcimus quid loquatur. Cognouit ergo Ieſus, quòd uellent ipſum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quòd dixi, puſillum & nō uidetis me, & iterum puſillū & uidebitis me, Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos. mundus contrà gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini, ſed mœror ueſter uertetur in gaudiū. Mulier cū parit, dolorē habet, quia uenit hora eius. Cū aūt pepererit puerū, iam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat hominem eſſe natū in mundo. Et uos igitur nūc quidem mœorem habetis, ſed iterum uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis. Et in illo die me nō interrogabitis quicquam. Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus nō petiſtis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium ueſtrum ſit perfectum. *Sectio. iii.*

Sectio. 4.

Hæc per prouerbia locutus sum uobis. Veniet tempus, cũ iam nõ per pro c
uerbia loquar uobis, sed palam de Patre meo annuntiabo, in illo die in nomi
ne meo petetis. Et nõ dico uobis, quòd ego rogaturus sim Patrem pro uobis.
Ipse enim Pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quòd à Deo ex/
iuerim. Exiui à Patre, & ueni in mũdum, iterum relinquo mundũ, & uado ad
Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbiũ ul/
lũ dicis. Nunc scimus, quòd scis omnia, nec opus est tibi, ut quis te interroget.
Per hoc credimus, quòd à Deo existi. Respõdit eis Iesus: nũc creditis. Ecce in
stat tẽpus, & iã uenit, ut dispergamini unusquisq; in sua, meq; solũ relinquatis
& tamẽ nõ sum solus, quia Pater mecũ est. Hæc locutus sũ uobis ut in me pacẽ
habeatis, in mũdo afflictionẽ habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundũ.

HAEC locutus sum uobis.) PARAPH. Hæc uobis ideo prædicere uo/
lui amantissimi discipuli, à mundo uos cum illi Euangeliũ salutis annũ/
tiaueritis, relaturos odium eius, & persecutionem atrocissimam, ne of/
fendamini cum ita euenerit, néue indigna uos pati arbitremini. Futu/
rum siquidem est, ut è consortio suo homines seculi uos eijciant, atq;
ita deuoueant, ut qui uos interemerit, putet se Deo admodum esse gratificatum. Id
ita facient, quod ut dixi, neq; me, neq; Patrem, cuius uos uerbum illis adferetis, ue/
re agnoscant. Volui ergo de his uos præmonere, ut cum acciderint, memores sitis,
ea me uobis prędixisse, atq; ita fieri oportere, sed indubie ut ad gloriam Patris, ita &
uestram salutẽ, deniq; inde, quòd ista uobis prædixi, Christũ me esse agnoscatis. Ab
initio cũ uos mihi discipulos adlegi, ista uobis nõ dixi, eram enim carne apud uos, d
& tanq; infirmiores ita foui, ut nihil horũ experiremini, nunc aũt abeo carne à uo/
bis, ad eũ qui misit me in gloriam diuinitatis. Inde mittam uobis paracletũ, quo in/
structi, testimoniũ mihi coram uniuerso orbe perhibere uos oportebit, tum quę iam
prædixi experiemini, iam igitur de eis potissimũ præmonere tempestiuũ duxi. Vos
aũt adeo stupetis ad hæc, ut non interogetis quo abeam, de qua re præcipue rogan
dum uobis erat, ut cognita gloria & potentia, quæ me apud patrem manet, tan/
to firmioribus, atq; lætioribus animis ista exciperetis. Tantum hoc consideratis,
quòd dixi me abiturũ, & uos à mundo persecutionem passuros, atq; hinc corda ue/
stra tristitia exanimat. Sed utcunq; uos afficiamini, & ista exceperitis, uere è re ue/
stra est, ut carne à uobis abeã, eo quòd ille paracletus, alius & melior, quã sit hęc mea
caro, patronus, non sit uobis aduenturus, si non abiero: certo autem uenturus, &
semper apud uos mansurus, si abiero.

ANNOT. Hęc aũt uobis ab initio. Quanto enim propius accedebat, ut Aposto
li suum munus obirent, tanto apertius muneris eius rationem illis Dominus expo
suit. Cũ enim primũ amandauit eos ad Israelitas tantũ, de qua amandatione Matth
10. & Luc. 9. atq; 10. specimẽ tantũ eis exhibuit futuri Apostolat⁹. Dũq; carne cũ eis
egit, nihil eos adfligi passus est, ut sponsus enim illis aderat, eoq; non conueniebat
ut aduersa adhuc experirent. Mihi quoq; dubiũ nõ est, quę de persecutione prędixis
se discipulis dominũ Math. 10. legimus, neq; ab initio uocationis illorũ, neq; cũ pri/
mũ amandaret eos prędicatũ, eis prędixisse, sed cũ iã instaret, ut ea experirent. Neq;
enim, ut sępe dictũ est, eo ordine Euãgelista omnia memorarũt, quo dicta sunt & fa
cta. Cõfirmãt uero hęc quę Luc. 22. illis dicebat, instare ut etiã uendita tunica gladiũ
emerent, cũ antea nihil eis defuisset, quãdo absq; sacculo & pera amãdati fuerãt ad
prędicandũ, de quo inferius, & in Matt. 10. in illud: ne possideatis aurũ, neq; argẽtũ.

Et nemo uestrũ rogat quo abis.) Id est, quod de regno meo & futura gloria præ/
dico, nihil uos mouet, nihil de eo estis solliciti, nihil rogatis, unum id consideratis,
quòd um

quòd ſum uos carne deſerturus, mundus uero etiã perſecuturus, indeq; corda no-
A ſtra triſtitia opplentur, quæ contra conſolarentur atq; erigerentur, ſi potius rogare-
tis quonam abiturus ſim, de gloria, ſcilicet, & potentia, quam ad patrem concedens
accepturus ſum, eaq; ueſtram & omniũ electorũ ſalutem perfecturus. Vt ergo eos à
conſideratione diſceſſus ſui, ad cogitandã indicibilem fœlicitatem inſtantis regni
ſpiritus reuocaret, adiecit: Sed ueritatem dico uobis &c.

Si enim nõ abiero.) Multũ eſt de hoc abitu Domini è mundo digladiatũ in diſpu-
tatiõe de euchariſtia, ſimplex ueritas ſic habet, mundi huius uitã Dominus cœleſti
cõmutaturũ dixit, quando ſe ex mundo ad patrem abiturũ dixit: mundũ enim cœlo
componit, cœleſtis aũt uita Chriſti omnem ſenſum hominis ſuperat: ex uerbo aũt e-
ius diſcimus eam ſic eſſe, ut inde ille nos uiuificet & ſaluet, ut promiſit nobis Math.
ultimo, preſentiſs, uſq; ad conſummationem totius ſeculi, ſed ratione diuiniore, quã
ut noſtra eam poſſit ratio conſequi.

Sin aũt abiero.) Quia paracletus ſpiritus glorificaturus Chriſtũ erat, nõ potuit
aduenire, niſi Domino ante mortuo, & ita in gloriam Patris exaltato.

OBSER. Obſeruandũ ſic à Patre eſſe comparatũ, ut cum propter ipſius gloriã pati
mur, mundus exiſtimet ſe nos tanq; hoſtes Dei in gratiã ipſius mactare. Sic & Chri
ſtus ipſe, non ut Dei filius, ſed ut hoſtis fuit cruci ſuffixus, deinde nobis eã Domini
preſentiã uere ſalutarẽ eſſe, qua illũ fide in celeſti gloria complectimur & inde pa-
racleto ſpiritu donamur. ENARRATIO SECTIONIS II.

Et cũ uenerit ille arguet mundũ,) PARAP. Quo aũt tolerabilius ô diſcipuli fera *Spiritus mun-*
tis, ut corpore à uobis migrem, cũ ubi migrauero, ſpiritus paracletus certo uobis ad *dum arguit*
uenturus ſit, uolo huius uobis ſpiritus uirtutẽ latius exponere: quanq; & antea ſatis *de peccato &*
eam indicarim, cũ teſtatus ſum uobis eũ uos omnia docturum, & omniũ quę uobis *iuſtitia &c.*
dixi, intelligentiã ſuppeditaturũ, eſſeq; ſpiritũ ueritatis, tũ de me teſtificaturũ. Iſtis
B hoc addo, cũ aduenerit hic ſpiritus, uosq; adflarit, efficiet ut mundũ nequaq; ampli
us timeatis, ſed ut indies eũ arguatis, perditúmq; eſſe demõſtretis. In peccato, enim
detineri totũ, & neſcire, eũ quę ſit uera iuſtitia, tũ cuius ſit iudiciũ & omniũ poteſtas
conuincetis: dum.n. Euangelion predicabitis in quo nimirũ ſolo iuſtitia dei reuela
tur & exhibeẽ, agnoscturq; dei potentia & uirtus, pateſiet maxime, eos nihil q; pec
care poſſe, qui in me nõ credunt, at qui credũt, ſolos uera iuſtitia pollere quã nunc
plurimis ubiq; gentiũ impertiã de cœlis, quia ad patrem concedo in gloriam meã
ubi declarẽ me ſeruatorẽ, Dominumq; penes quẽ ſit õne iudiciũ ſupremaq; omniũ
quæ ſunt in cœlo & terra poteſtas, iudicato iam & condemnatoq; principe mũdi,
ut eiciarur ex plurimorũ, q; late orbis patet, cordibus, in quibus ita uiciſſim ego re-
gnabo, ut omnẽ illis credere oporteat potentiã mũdi. Ne morte ſiquidẽ illi à me di-
uelli poterunt, quare ridebũt cũctã uim Satanæ, à me illos auellere conaturi. De his
aũt myſteriis, quòd neceſſe eſt, hos omnis genus peceatis, flagiiis & ſeleribus perire,
qui mihi nõ credunt, quòd cõtra omnis iuſtitia & ſalus inde ſolum ueniat, quòd de-
niq; mihi õnis poteſtas data ſit in cœlo & terra, quã & mirifice contra Satanã decla
raturus ſum, ut paulopoſt ubiq; mea trophæa ſitis eliminata omni tyrannide Satanę
erecturi: multa ſane haberẽ, quæ uobis dicerẽ, ſed nõdũ ualetis ea capere. Differã igi
tur donec patronus ueſter ille aduenerit ſpiritus ueritatis, is in omnem uos ueritatẽ
inducet. Nam ut & ego feci, à ſe nihil, ſed tantũ quę audierit loquetur, quicquid ſug
geret meũ & patris uerbũ erit, uentura denicq; de Antichriſto & eius deſtructione,
deq; altera nominis mei illuſtratiõe ſub finẽ mũdi, de Iudaicę gentis cõuerſione, &
uita ſeculi futuri, uobis annũtiabit. Hic demũ me glorificabit, Chriſtúmq; & Deũ
eſſe palã faciet. De meo nãq; accipiet, meã ſapientiã uobis impartiet, meũ uerbũ ad-
feret. Quæcũq; enim pater habet mea ſunt, Dominus & inſtaurator omniũ à Patre
conſtitutus ſum, quare à me accipi oportet, quicquid ſapientiæ aut iuſtitię, cuicunq;

contigerit,ideo dixi de meo accepturum paracletum, & uobis annunciaturū, quia meum demum erit,quicquid ille uobis attulerit. Condita sunt per me omnia,igitur & instaurari per me cuncta oportet.

Arguet mundum, id est.palam conuincet,est enim ἐλέγξει. Arguet aūt eum de peccato,palā. n. faciet reuelari iram Dei de cœlo in omnē carnem in cunctos mortales qui religionem licet maxima ex parte simularent,prorsus tamen in omni impietate & iniustitia, detinebant ueritatem eis reuelatam, ut Apostolus Rom.1. grauissime differit.Luce solis infundente se terris,iam nihil sordium latere potest quod ex tat. Ita lux Euangelij detexit peruersitatem atq; impietatem hoc amplius, quo uerā iustitiam mundo intulit pleniorem. De iustitia arguit mundum, id est, conuincet eum iustitia.Iustitiam enim par est pro uera iustitia accipiamus,sicut & peccatū hic pro uero peccato,& iuditium pro uero iuditio accipitur. Vtiq; quā nudus sit mundus uera iustitia,tū demū plane apparuit,quādo uera iustitia Dei per Euāgeliō ubique reuelata fuit,iustitia de qua Lex testata est,& Prophetę,iustitia quę per fidē Iesu Christi peruenit in omnes credētes Ro.3. Totus siquidē mūdus iustitiā inquisierat, studiosissime autem subaduentum Domini, Iudæi per legem, Gentes per philosophiam,uerum uolente Domino demonstrare non esse:nisi per Christum iustitiam, utroscp & Iudæos & Gentes,quanto plus uidebantur studere iustitiæ,tanto in grauiora prolabi permiserat iniustitiæ dedecora, ut postea tam eximia & uere Dei, atque cœlesti iustitia florentibus ijs, qui Christo nomen dedissent, totus orbis agnoscceret, non esse nisi per fidem Christi iustitiam petendam. Hæc ergo uera solidaq; iustitia, quæ à fide Christi contingit,ut homo totus Deo & proximo,in admiranda sanctitate uiuat, tum demum cœpit reuelari, cum ad Patrem Dominus abijsset,& iam à discipulis non uideretur. Vnde & Paulus Rom. 4. scribit,eum propter iustificationem nostram resurrexisse, Ideo tum paracletus in Apostolis de iustitia mundum arguit.id est, palam iustitia nudum esse conuicit, cum fulgeret in credentibus uere solida & diuina iustitia.De iudicio etiam arguit mundū,qua tum demum apparuit filio omne iudicium datum esse, ubique uerbo eius cedente Satana,quod item mundus ignorabat.

De iustitia qua uado ad Patrem.

Adhuc multa habeo.) Hæc multa cærimonias esse, quæ in Ecclesias irrepserunt,ij intelligendas contendunt, quibus illæ lucro sunt.Sed quid possit dici stultius? Scilicet non potuerunt portare,id est, capere discipuli præcepta de cærimonijs, quibus assueuerant à puero, & opus fuit doctore alio, quàm esset Christus ipse in carne mortali,ut illę traderentur,quarum tam multas Moscheh tradiderat, Christo longe inferior? Denicp pauculæ cærimoniæ eæcp ferè mutuatæ ab ethnicis erunt, si Christo placet, omnis ueritas in quam inducit spiritus paracletus. Sed sic sapere debent ueritatis hostes.Hæc multa igitur sunt,quibus explicatur uis peccati,discrimen electorum & reproborum,uera Christi iustitia,& æterna potestas. Ea sunt quę Paulus orabat Ephesijs cum scribit: Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem &c.lege Ephes. 3. Quæ & Collossensibus ac suis omnibus precari solitus fuit,ut in exponendis illis multus semper fuit. Ista siquidem plene nouisse,est uita æterna. Cū uenerit uero spiritus ille: Ineffabile est, quod cum antea pauci adeo adflarentur, spiritu dei, statim ab illa solenni effusione spiritus sancti, ille adflauit tā innumeros per uniuersum orbem,& in unū corpus Christi coadunauit.Proinde merito Dominum de hoc spiritu suę carnis quasi uicario: nam dicit,alium paracletum mittam uobis.tā magnifica prędicat. Omnino.n.per eū Dominus regnū suum administrat,sumcp patrocinium credentibus exhibet,quod ante carnali conuersatione præsens exhibebat.Reliqua in paraphrasi satis explicui.

Multa hæc quæ non potuerant portare non sunt cærimoniæ.

Obserua

OBSERVATIO.

A Obserua quid sit mundum arguere, nimirum omni eum iustitia & cognitione ueri, nudum ostendere, peccatoq; exitiali esse oppressum, id quòd nemo faciet, nisi spiritus paracletus. Deinde hunc quoq; solum docere, quid Christus sit & possit. Animaduertendum quoq; sanctos non quouis tempore quælibet posse capere, eoq; nihil mirandum, si quos bonos plerunque & Spiritu Dei non uulgari prædi-tos, uideamus ad aliqua, quæ tamen indubitato Dei sunt, stupere.

ENARRATIO SECTIONIS III.

Pusillũ & non uidetis me.) PARAPHR. De paracleto spiritu, uel ideo uerba uobis libẽter facio, à quo nimirum posthac doceri uos omnia oportet, quod per pusillum temporis sit, quo uobis carne adero, iam iam enim rapiar ad mortem, à qua quidem iterum ut dixi uidebo uos, sed id quoq; exiguo tempore, quia tempus aduenit ut ad Patrem, in gloriam diuinitatis concedam. Hæc discipuli non intelligentes, uolebant eum interrogare, quidnam eo sibi uellet, quod dixerat, pusillum uidebitis me. Sed præuenit eos, & quid uellet apertius indicabat, dicens: Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, & mundus gaudebit, me, scilicet, interempto, sed breui mœror uester in gaudiũ uertetur, cum, scilicet, rediuiuum me uobis exhibuero. Sicut enim mulieris parturientis dolor omnis euanescit, cum uidet se peperisse hominem, ita uobis iste mœror, quo nunc propter abitum meum grauati estis, & magis grauabimini cum uidebitis neci me dedi, omnis euanescet, cum iterum uidebo uos, tum gaudio corda uestra perfundentur, quod nemo à uobis tollet. In illo die nihil me interrogabitis, adeo omnia clarissime docebit uos spiritus paracletus, quem penes uos habebitis. Sic agetis quoque feliciter, ut quicquid omnino Patrem petieritis, sit uobis daturus, quod iam quarto uobis polliceor. Ha- *Vnde uerum gaudium.*
B ctenus nihil in nomine meo petiuistis, contenti ea uitæ commoditate, qua mecum estis fruiti, iam autem futurum est ut petatis, ad diuiniora scilicet mentes uestras spiritu paracleto accendente, petite igitur & petite confidenter, omnia accipietis, & implebitur ac perficietur gaudium uestrum, cum me & Patrem plene cognoueritis. Hæc credite futura, & inde consolamini, huncque præposterum de meo abitu mœrorem missum facite.

ANNOTATIONES.

In illo die me non interrogabitis.) Significat fore, ut omnia abunde adeo à spiritu docerentur, & à Patre acciperent, postquam per ipsum, hoc est, in nomine ipsius ab illo petijssent, quod in nulla re essent hæsitaturi, nulliúsq; boni inopia laboraturi. Nulla itaque tum interrogandi Dominum caussa futura erat.

Hactenus non petijstis.) Vt enim spiritualia parum intelligebant, ita neque petere ea poterant.

OBSERVATIONES

Obseruandum unde sit uerum ac solidum gaudium, utique à sola cognitione Christi inde est, quod ipsum Paulus ubique fidei fructum facit. Deinde fideles per Christum impetrare à Patre omnia.

ENARRATIO SECTIONIS IIII.

Hæc per prouerbia locutus sum.) PARAPHR. Hactenus quum uobis non adfuit ò discipuli amplior uis spiritus, instar paræmiarum, quæ ferè obscuritatis aliquid habent, uobis sermones mei fuerunt, tecti scilicet, sed confidite, instat modo tempus, cum apertius uobis de Patre meo annuntiabo, nimirum per paracletum, quem uobis toties pollicitus sum. Tum petenda per nomen meum & cognoscetis, & cum petieritis accipietis. Chari estis Patri, ideo ista omnia quæ promisi futura ne dubitetis. Adeo sane ille uos amat, ut non sit opus, quòd mea illum uobis inter-

cessione propitium reddam, iam enim uobis ille summe fauet, quia uobis datum est C
me diligere atq; credere quòd à Patre exiui, hoc est, uerus Deus in hunc mundum
& seruator omnium ueni, homo factus. In hac tantum fide persistite & omnia op
time habebunt. Vere enim à Patre egressus, in hunc mundum ueni, cum æternum
uerbum patris, sum caro factum. Iterum modo mundum relinquo hac carne quam
assumpsi, & ad patrem uado, in immortalem gloriam eandem subducturus. Per
hæc ugro excitati discipuli, & admiratione quadam rapti, nam hæc ultima uerba
sua Dominus ingenti spiritu dicebat, respondebant Domino: Ecce nunc aperte &
citra paræmiarum inuolucrum loqueris, nunc scimus te nosse omnia, neque etiam
opus esse ut te quisquam interroget, quando ipse iam palam omnia loqueris. Hinc
iam credimus, quòd à Deo egressus es, uerus orbis seruator. Hæc uero magis ex
stupore quodam, quàm certa scientia discipuli dicebant, neque enim ita plane om-
nia uerba Christi intellexerant.

Erat etiamnum sermo quẽ eis dixerat, prouerbialis, neq; ita aperte & plane de-
patre edocti erant. Nam id per paracletum Dominus futurum promiserat. Voluit
igitur illos infirmitatis suæ Dominus admonere & dicebat: Nũc creditis, nunc me
ut Christum agnoscitis, sed ò quã nondum egit satis radices hæc fides uestra. Iam e-
nim instat hora, ut me deserto, quisq; uestrum ad sua se conferat. Sed ob id nõ ero so-
lus, patre Deo mihi usq; pręsente. Volui autem priusquã à uobis migrarem, hęc uos
monere, ut credentes mihi uerã pacem haberetis. In mundo enim afflictionem sen-
tietis. Sed confidite, ego uici mundum, unde & uos illum uincetis.

ANNOTATIONES.

Hęc per prouerbia, id est, tanquã prouerbia, quæ ferè rem manifestam obscuritate
tegunt, Dominus dixerat. Nam hic nullis alioqui prouerbijs usus est. Est enim pa-
ræmia definitore Erasmo, Celebre dictũ, scita quapiã nouitate insigne. D

Et non dico uobis, quòd rogaturus sim.) Semper quidem intercedit pro sanctis
Christus donec plene consummentur, hic autem dixit non esse opus, ut patrem pro
eis roget, ut nimirum iam primum eis fauorem patris impetret, qui iã tum eximie
illis fauebat, ut Christo suo credentibus.

Dicunt ei discipuli.) Quia quòd Dominus dixit uenire horã, qua esset aperte dis-
cipulis de patre annuntiaturus, satis liquet de tempore resurrectionis & aduentus
paracleti eum dixisse, obscurum quoq; esse non potest, hæc discipulos ex pia quadã
admiratione respondisse, magis quã certa scientia. Cum enim summum erga ipsos
Dominus amorem iam multis testatus esset, cœperant & ipsi uicissim eius amore ar
dere, atq; ex eo, ut fieri solet, uidebantur sibi plura capere, ac promittebant etiã plu-
ra, quàm adhuc poterant uel capere uel præstare.

Nunc creditis.) Dum scilicet extra periculum estis, aliud declaraturi cum pericu
lo accesseritis propius. Huius infirmitatis suæ monendi erant, quo agnoscerent om
nia Domini dona esse. Fidem tamen cum Dominum deseruerunt haudquaq; ami-
serunt, exercita illa quidem fuit & adflicta, sed nequaquam oppressa & extincta.

Vt in me pacem habeatis.) In Christo sancti, Patris bonitatem agnoscunt, & ui-
tam æternam inde percipiunt, unde semper dum mentis oculos in ipsum conijciũt
gaudent & lætantur: in mundo aũt dum illum perpetuo arguere & confundere, so-
lúmq; Deum in Christo prædicare & glorificare studeant, nunquam ab impijs non
affliguntur, quos contra regnum Christi semper Satan armat. Sed hoc interim con-
solatur eos, sciunt Christum mundum uicisse, ita ut sanctis non possit ulla in re obes
se, sed oporteat in omnibus illis seruire ad salutem.

OBSERV. Iterum & ubiq; monemur omnia in amore fideq; Christi sita esse:
tum eum de patre uobis annuntiare, ut uere discere liceat. Præterea conducere sæ-
pe sanctis, ut tententur & labantur, quò se & gratiam Dei melius agnoscant, alio-
qui dilectis-

A qui dilectiſſimos ſuos diſcipulos dominus haudquaquã ita labí paſſus fuiſſet. Deinde ut cũ Chriſto in ſupplicio pater fuit, & ſi ipſe ſibi iuxta ſenſum naturæ uideretur nimium derelictus, ſic & nobis patrem ſub cruce noſtra, & ſi nihil minus ſentiat caro, nnnquã defuturum. Poſt hæc in uno Chriſto eſſe uerum gaudium & ſolatium, in mundo nihil expectandum, niſi adflictionem. Poſtremo, mundum ita à Domino uictum, ut prodeſſe tantum nobis poſſit, lædere non poſſit.

CAPVT XVII.

HAEC locutus eſt Ieſus, & ſublatis oculis in cœlum dixit: pater, uenit hora, glorifica filiũ tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut quotquot dediſti ei, det eis uitam æternam. Hæc eſt aũt uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deũ uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ, ego te glorificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi ut facerẽ. Et nunc glorifica me tu pater apud temetipſum, gloria quam habui prius quã hic mũdus eſſet apud te. Manifeſtaui nomẽ tuum hominibus, quos dediſti mihi de mũdo. Tui erant & mihi eos dediſti, & ſermonẽ tuum ſeruauerũt. Nũc cognouerũt, quòd omnia quæcũq; dediſti mihi abs te ſunt. Quia uerba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognouerunt uere, quòd à te exiui, & crediderunt quòd tu me miſiſti. Ego pro eis rogo. Non pro mũdo rogo, ſed pro ijs quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſũt, & tua mea ſunt, & glorificatus ſum in eis. Et iam non ſum in mun- Sect. 1.

B do, & hi in mundo ſunt, & ego à te uenio.

Pater ſancte, ſerua eos per nomen tuũ, quos dediſti mihi, ut ſint unũ ſicut & nos. Cũ eſſem cũ eis in mundo, ego ſeruabam eos nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui & nemo ex eis perijt, niſi filius ille perditus ut ſcriptura impleretur. Nũc aũt ad te uenio & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudiũ meũ impletũ in ſemetipſis. Ego tradidi eis ſermonẽ tuũ, & mundus eos odio habuit, quia nõ ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Nõ rogo ut tollas eos è mundo, ſed ut ſerues eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos per ueritatem tuam. Sermo tuus ueritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundũ, ita & ego miſi eos in mundum, & pro eis ego ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati per ueritatem. Sect. 2.

Nõ pro eis aũt rogo tantũ, ſed & pro ijs, qui crediturí ſunt per ſermonẽ eorũ in me, ut omnes unũ ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quòd tu me miſeris, ego gloriã quã dediſti mihi dedi eis, ut ſint unum, ſicut & uos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & ut cognoſcat mundus, quòd tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecũ, ut uideant gloriam meam, quã dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conditum mundũ. Pater iuſte, & mundus te non cognouit, ego aũt te cognoui, & ij cognouerunt quòd tu me miſeris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Sect. 3.

Hæc locu-

HAEC locutus est Iesus, & sublatis oculis.) PARAPHRA. Cum hęc quę præmisimus Dominus dixisset, ut totus ardebat, & amore suorũ, & desiderio gloriæ Patris illustrandæ, quo magis suos corroboraret, elatis in cœlũ oculis, corpore ita mentis ardorem referente, orauit ad Patrem in hunc modum: Pater, inquit aduenit tandem hora, glorifica tuum filium immortalitate, & omnium imperio donatũ, ut uicissim ipse te glorificet, conuersis hominum cordibus per paracletum, ut te Deum & Patrem suum agnoscant & adorent, quorum nunc orbis pauciſſimos habet. Dedisti enim illi potestatem in omnem carnem, non ludæos solum, ut ex omni hominum genere aliquot saluet, & æternę uitæ participes reddat, quos tu nimirum illi dedisti, ante conditum mundum in hoc electos. Iam uita æterna, & plena electorum salus nihil aliud est, quàm ut certo cognoscant, te solum uerum Deum, & quem misisti IESVM Christum unicum mediatorem & saluatorem, quem ideo hominem fieri uoluisti, ut per eum in agnitionem tui orbis ueniat, fac igitur, cum multi filij tui, per uniuersum orbem dispersi, alios deos & mediatores erga te colunt, eo misere errantes, ut hæc nostri cognitio ubiq; terrarum effulgeat, & sentiat mundus, me sibi seruatorem aduenisse. Equidem, hoc quod tu statuisti tempore, glorificaui te in terra, & nomen tuum ijs quos ad hoc ordinasti manifestaui, tum doctrina tum miraculis, atque ita opus quod mandaueras perfeci: restat igitur iam, ut ea nunc apud te gloria dones me hominem quoque, quam ut uerbum tuum, Deus ab æterno, antequam hic apud te mundus esset, possideo, quęq; mihi homini quoq; ante iacta mundi fundamenta apud te reposita est. Iis quidem, quos mihi erudiendos & saluandos dedisti, cum tui erant, à te scilicet conditi & in hoc, ut salutem consequerentur selecti, nomen tuum notum feci, bonitatẽ tuam cognitã reddidi, sermonẽ enim meum fide receptum seruarunt, cognouerunt q; quęcũq; in me uiderunt, abs te utiq; profecta, uere abs te & diuina esse. Nam quæ mihi uerba dedisti, ijs illi fidem habuerunt, uereq; cognouerunt, quòd à te exiui, & missus sum. Verbum tuum, uerus Deus, & saluator mundi, quem omnes audire debeant. Hi iam proferre, quod cœpi Euãgelion debent, quamq; in Iudææ angulo lucem accendi, in uniuersum mundum differre. Pro his igitur non pro mundo te rogo. Tui sunt & dedisti eos mihi, sicut omnia mea tua sunt, & tua mea, unum siquidem sumus. Glorificatus iam sum in eis, quia me Christum esse agnouerunt, sed ipsorum erit, ut ad id cooperentur, quo & in alijs electis per orbem dispersis glorificer. Cum itaq; ego non amplius in mundo futurus sum, iam enim è mundo egressus sum, quia modo uado ad te, illi aũt in mundo mansuri sunt, ut meam bonitatem ubiq; prædicent, tuumq; in me nomen glorificent, oro pro eis, ut illis, tam difficile, munus obituris, paterne adsis.

Potestas omnis carnis

Gloriam ab æterno habeam.

ANNOT. Glorifica filium tuum.) Filius Patrem glorificauit, dum potentiam & bonitatem eius manifestauit. Pater filium, dum exaltatum ad dexetram suam Dominum & seruatorem omnium, & constituit, & agnosci quoq; per prædicationem Euãgelij fecit. Id Dominus ipse satis declarauit, cum subiecit: Quemadmodum dedisti ei potestatem omnis carnis, ut det uitam æternam, omnibus quos ei dedisti, & mox definit uitam æternam esse, Patris & sui cognitionem. Hæc tum mundo, id est, electis è toto mundo contigit, cum à Patre paracletum suis misit. Tum Christus donator uitæ æternæ agnitus est, ideo & uere glorificatus. Quomodo autem cognitio Patris & Christi, uita æterna sit, quæ nimirum sola, æternam salutem, iustitiam & gaudium adfert, ijs qui eius participes facti sunt, haudquaquam potest esse obscurum. Vbi enim uere Deus ut omnis boni fons & autor agnoscitur, dumq; per Christum certi sumus, illum nobis fauere, atq; in hoc nos de mundo elegisse, ut sibi nos per spiritũ suum similes reddat, plene iustos & beatos, ea certe fiducia & spe in Deum corda nostra uiuunt, ut huic collatum quicquid orbis habet, fumus, & umbra sit, eo

A bra ſit, eo Dei amore perfunduntur, ut nihil non moleſtum ſit, quod neſcias te cum gratia ipſius habere. Hæc iam fiducia confundi non poteſt, hic amor nunquam excidere: Deus enim uerax eſt & opera eius perfecta. Vnde dum per ſpiritum Dei quo donati ſancti ſunt, indubitato ſe filios Dei ſciunt, futurę & beatæ uitæ, ut arram ita & guſtum aliquem habent, tenuem quidem illum, ſi plenæ beatitudini, quæ nos manet conferas, ſed tantum tamen, ut præ eo leue ſit, omnia uitæ preſentis, & ipſam quoq; morte & quibuſuis cruciatibus commutare. Hæc quidem uita Dei, dum in corpore hoc à Domino peregrinamur, imperfecta eſt: ut enim nondum plene Dei bonitas cognoſcit, ita neque plene amatur, hinc fit ut placeant ſubinde, quæ Deus non probat, & peccetur nihilo minus tamẽ, ſicut nõ poſſum⁹ nõ amare Deum & bene de ipſo ſperare, quem datũ eſt nobis cognoſcere, ita nequit fruſtra eſſe hic amor, & non poteſt hæc in Deum ſpes confundere, indeq; neceſſe eſt, ut tandem perficiat hanc quam dedit uitam Deus. Hinc ergo liquet, quod æterna iure dicitur, quæ omnino perficienda eſt, & finem accipere nequit. De his ſupra, 3. 5. 6. plura.

Opus conſummaui.) Miniſterium utiq; circunciſionis, ſuo enim tempore, & ſuis auditoribus regnum Dei annuntiauerat.

Gloria quàm habui.) Verus Deus & homo erat, uerbum Patris per quod omnia condita ſunt, inde eam gloriam, ut per ipſum gubernarentur, & ſaluarentur omnia, habuit ſemper ut Deus re ipſa, ut homo, deſtinatione Patris, cui factũ eſt, quod adhuc fiet, nunc autem eam orat ſibi quoq; homini, re ipſa conferri. In ipſo enim placuit Deo omnem plenitudinem inhabitare, & primogenitum eum eſſe omnis creaturæ, id eſt, Dominum omnium, ſicut primogenitus ex Lege fratrum ſuorum Dominus erat. In omnibus ipſum primas tenere oportuit, quia per eum inſtauranda ſunt, quæcunq; in cœlo ſunt & in terra. In hanc dignitatem ſemen Abrahæ Deus aſſumpſit, & non angelos, ideo & eos huic filio hominis ſubiecit, ſicut omnia. B De his plura. 1. Corinth. 15. Epheſ. 1. Coloſ. 1. 1 Timoth. 6. Hebre. 1. & paſſim in ſcripturis præcipue autem Apoſtolicis.

Quomodo gloria Domino Ieſu collata.

Tui erant.) Deus electos condidit. & Chriſto mediatori dedit ſaluandos & perficiendos.

Sermonem tuum ſeruauerunt.) Hic uide, quid ſit ſeruare ſermonem Dei, utiq; illum fide recipere. Nam certe diſcipuli nondum eo peruenerant ut opere ſermonem Domini impleuiſſent.

Quia uerba quæ dediſti mihi.) Hic uide ordinem ſalutis. Electis primum Euangelion annuntiatur, tum datur eis illi habere fidem, deinde in illo & per illud Deus cognoſcitur, hinc continuo fiducia in eum, & amor eius naſcuntur, Ex ijs mox ſequitur ſtudium ſanctitatis, & officioſitas in fratres.

Ego pro eis rogo.) Vtiq; id diſcipulis orauit, quod in ſequentibus magis explicat, nimirum ut munus ſuum fœliciter obirent.

Et mea omnia.) Commune ſibi mediatoris, & Dei regnum eſſe ſignificat, quanquam proprie regnum Chriſti dicatur dum pugna uiget contra peccatum, hoc penitus extincto, regnum proprie Dei erit, qui tum futurus eſt omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. Nunc per hominem Chriſtum ſuper omnia exaltatum cuncta regun-tur & inſtaurantur, ſed non niſi quia hic homo à uerbo aſſumptus eſt, & idem Chriſtus, hoc eſt, Deus ſimul & homo eſt. Quare quia & homo Chriſtus regnat, cunctaq; inſtaurat, Dei uirtus eſt. Quanquam uidetur hic peculiariter de electis Dominus loqui, hi ita cõmunes Patri & Chriſto ſunt, ut Chriſtus non aſſumat ſaluandos, niſi quos Deus in hoc elegit, & quoſcunq; Deus elegit, eos ſuæ fidei concreditos Chriſtus habeat, atq; ſaluos reddat.

OBSER. Obſeruandum ut ſe uera habeat precatio, id ſolum de quo per ſpiritum certa mens eſt, id Deo probare cupit, & orat, id eſt, auidam eius ſe teſtatur.

Sic uide-

Sic uidemus bene moratos filios, ea demum cupere & orare à Patre quæ illi agnouerint grata, ne quidē optaturi quæ sciant Patri displicere. Certe nihil bonum ideo neq; optabile fuerit, quod non placuerit Deo. In reliquis obseruandum amplitudo regni Dei, & uis electionis ac fidei, de quibus & supra multa dicta sunt.

ENARRATIO SECTIONIS II.

Pater sancte serua eos.) PARAPHRA. Pater sancte, quando tui sunt & ad tuam illustrandam gloriam à me paulopòst in uniuersum orbem extrudendi, in prouinciam perdifficilem, seruare eos per nomen tuum, per uirtutem tuam dignare, ut sint unū nobiscum & inter se, uno, scilicet, nostro spiritu uiuentes & Euangelion regni tui prædicantes, sicut nos unum sumus, ut sicut ego nihil nisi quæ tibi grata sunt, & dico & facio, ita & illi in omnibus à nobis pendeant, & nostrę se in omnibus uolūtati attemperēt. Sic certe poterūt fœliciter sua legatione fungi. Hactenus custodiui eos, tū corpore tum animo, neq; periit ex eis quisquam, nisi perditioni deuotus ille meus proditor, quem perire necesse fuit, ut scriptura impleretur, qua prædictum est, meum domesticum cōtra me calcaneum suum leuaturum eóq; excindendum, & loco in quo erat mouendum. Instat ut ad te uadam, quare hæc pro illorum consolatione, dum adhuc in mundo sum, & ipsi me audiunt, dico & precor, quò gaudium, quod de me habēt, aucta eis mei cognitione plenū fiat. In mundo, siquidē ut eis prædixi, afflictionē habebunt, eámq; ideo, quòd sermonē meū, Euangeliō regni illis dedi, ut & ipsi ei fidem habeāt, & illud undiq; prędicent: hac illos caussa mundus letali odio insectabitur. Nō oro ut eos è mundo tollas, ne affligantur, uolo eos in mūdo esse, & à mundo persecutionem ferre, hoc oro, ut eos à malo illo mundi principe Satana liberes, ne dum adflictiones & cruciatus immiserit, detorqueat eos à meis iussis, ab illustrando tuo nomine. Nō sunt è mundo sicut & ego, alius in eis, nempe noster spiritus agit, ideo mūdo intolerabiles erūt: Sāctifica tu igitur illos & obsigna ueritate, tuo scilicet uerbo, ut immoti stēt cōtra omnē tentationē, & fortiter ueritati testimoniū perhibeant. Nā sicut tu me misisti, ita ego illos mitto in mundū, ut testētur opera illius mala esse, te uero solū bonum ubiq; prædicent. Scis quanto illi spiritu, quant auirtute ad tā durā prouinciā opus sit. Equidē hac caussā ut illi per ueritatem sanctificati sint, sermone tuo ita imbuti, ut cum mundo, tum sibijpsis ualedicāt, & toti tuo nomini illustrādo inseruiant, me ipsum modo sanctificabo, tibi in cruce immolatū, quare obsecro Pater habeas eos tibi cōmendatos, & à malo illo ueteri humani generis hoste sic serues, ne quid illis imponat, néue in legatione sua remoreť.

ANNOTATIONES.

Inn omine tuo. Petit ut Pater Apostolos suo nomine seruet, & dicit se illos quoque ipsi us nomine seruasse, eandem ergo uides Patris & filij esse uirtutem. Quod enim dicit in nomine tuo perinde est, atque tua uirtute, tua potentia.

Quomodo in perditione Iudæ scriptura impleta est.

Vt scriptua impleatur.) Perire utiq; debuit, qui post tanta beneficia post doctrinam uitæ & admirandi spiritus participationem, post incomparabilem dignitatem Apostolici muneris in mortem uendere potuit magistrum & Dominum suum, quem adeo innocentem & sanctum esse ipse expertus erat. Quemadmodum igitur sicut supra. 13. Sectio. 3. ostendi, in Dominum caput sanctorum competit, quicquid de afflictionibus sanctorum scriptum est, imò in ipso completur, ita consequens est, ut non quadret tantum, sed & impleatur in hostibus Christi, quicquid uspiam scriptum est de hostibus sanctorum. Hinc Petrus Acto. 1. Psalm. 69. Sit palatium eorum desertum, & ex. 109. Episcopatum, uel præfecturam eius, accipiat alter, tanq; de Iuda dictum adduxit. Peculiariter quidem isti duo Psalmi de supplicio Domini, & hostibus eius canunt, attamē quæ canunt, primū in Dauide, ut Christi typo, & hostibus eius, qui hostium Christi typi fuerunt, præcesserunt, sed adumbrata, & in Domino demum & eius hostibus uere completa sunt.

Hinc mi-

A Hinc mihi uidetur Dominus præcipue de his, quæ Psal. 69. scripta de hostibus Domini sunt, in præsenti intellexisse. His nempe: Da iniquitatem super iniquitatem eorum, & ne ingrediantur in iustitiam tuam, deleantur de libro uiuentium &c. Hæc tametsi ad omnes Christi obstinatiores hostes pertineant, sicut tamen inter hos malitia & crudelitate Iudas excelluit, ita peculiariter in eum competunt. Reliqua in Para. satis explicata sunt.

OBSERVATIONES

Obseruandum ante omnia orandum esse, ut unũ simus sicut Christus & Pater, ut nimirum eius spiritu pariter uiuamus, & gloriã Dei unanimiter propagemus. Item sola Dei nos uirtute seruari, etiam ubi Dei ministri nos tueri uidentur. Sicut tum nomẽ Patris seruauit discipulos, cum Dominus eos seruauit. Hoc dicto nihil uidetur planius, attamẽ quotusquisq; est, qui id fide intelligat, qui uere Dei esse omnem uirtutem, qua uiuit, & seruatur agnoscat? Post hæc monemur iterũ, solo Euangelio, mundũ contra nos concitari, ubi ipsum uere fuerimus amplexi. Præterea obseruandũ, non esse orandũ, ut è mundo nos adfligente liberemur, sed ut à malo mũdi principe, ne nos suis afflictionibus à recto detorqueat seruemur, hoc est, non esse precandũ, ne tentemur, sed ne in tentationẽ inducamur, & liberemur à malo illo tẽtatore, ne uspiam ab officio nos deducat. Postremo notandũ ut sanctificemur & diuini reddamur, nimirũ dum probe sermonẽ Domini, & ex eo cognitionẽ eius fuerimus cõsecuti. Quanto enim plus Dei cognouerimus, tanto ardentius amabimus eum, & ad æmulandũ quoq; rapiemur. Hęc uero agit omnia in nobis spiritus Dei, quem Dominus suis donat, uirtute patris, uti eum sanctificando semet ipsum pro nobis in cruce meruit.

ENARRATIO SECTIONIS, III.

Non pro eis autẽ rogo tantum.) Primũ orauit te Pater, pro ijs, quos Apostolos in
B orbem ex tua uoluntate ablegabo, qui cũ lux mundi & sal terræ esse debeant, recte precatus sum, ut illos à satana seruares, & præcipue cognitione Euangelij tui sanctificares, unũq; esse nobiscum donares, quo nimirum diuinissimo huic muneri satisfacere possint, iã precor & pro ijs, ad quos illos Apostolos amandabo, qui electi in hoc abs te sunt, ut audito Euãgelio ab illis, in me credant. Et his ergo dona tuũ spiritum, ut omnes, ipsi & Apostoli in nobis unũ sint, atq; sicut tu in me es & ego in te, ita simus tu & ego in illis, & ipsi in nobis, ita ut totos illos agat spiritus noster, & toti ipsi à nobis in omnibus pendeãt, uigeatq; hoc pacto in eis uera iustitia & pietas, ex quo tum mundus sentiat & credat me, quem illi seruatorẽ & dominũ suum confitebuntur, & prędicabũt, indubitatũ Christum esse, missum à te, ut iudiciũ & iustitiam in terra faciã. Ad hoc certe gloriam quam mihi dedisti, omnifariã potentiam spiritus tui, in sermone & operibus illis contuli, ut ita in unũ corpus uniuersi coalescant, id est, uere unũ euadant, sicut nos unum sumus. Hinc manifestum erit, quòd ego in illis sim, uiuã, loquar atq; perficiã omnia, sicut tu in me es, uiuis, loqueris, & perficis omnia. Sic demũ perfecti erunt in unũ, ut omnes unũ corpus sint, & singuli aliorũ membra, uidebitq; mũdus in eis sic omnifariam iustitia, & uirtute florenti bus, me, quem illi sectabuntur, atq; de quo magistro & redemptore gloriabuntur, uere Christũ esse, à te in hoc missum, ut tibi similes homines reddam, sic apparebit quòd sicut me uere dilexisti, & id tam potenti & mirifico quem donasti spiritu declarasti, sic etiam uere diligas istos, quos eodẽ spiritu prędditos esse donabis. Denicq; pater uolo ac peto, ut cũ perfuncti fuerint quisq; suis muneribus, cũ pensum suum quisq; iuxta tuã constitutionẽ persoluerit, ad instaurationẽ Ecclesiæ nostræ, sint in ea fœlicitatis cõditione, in qua ipse ero, & ita plane demũ uideant gloriã meã. Dilexisti siquidẽ me etiã hominem antequam mundus hic cõditus esset, igitur dilexisti & meos quos ante iacta mundi fundamenta ut huius glorię participes fierent dele

gisti, dabis igitur quod peto, nempe ut hanc gloriã cum nomen tuum satis in terra illustrauerint, beati adeant. Ipsis hæc gloria debetur, mundus enim te nõ agnouit, ideo nihil huius ad eum attinet, isti autẽ te cognouerũt, uti & ego te cognoui, quia agnouerunt iam quòd me miseris, quòd Christus sum, unde & te hactenus cognouerunt in me, cuius sum, quantus sum, & qui in me omnia agis, cum igitur iustus sis Pater, istis te cognoscentibus, iuxta tuam promissionẽ, dabis, ut mecum beata immortalitatis gloria fruantur. Notum feci eis nomen tuum, id amplius faciam, quo præsentius dilectionem tuam erga se sentiant, quam in me declarasti, & sic dedant se penitus mihi, ut in eis uiuam & agam omnia, quare cõueniet, ut & olim mecũ beati agant, qui modo in me permanserint, & in quibus ego permanebo cuncta meo in illis spiritu instituens & efficiens.

ANNOTATIONES.

Vt omnes unum sint.) Hæc unitas graphice à Paulo depicta est, Rom. 12. 2 Cor. 12 & Ephes. 4. in eo utiq; sita, ut idem spiritus omnes huc agat, ut quisq; pro sua portione & uirili dei gloriã in electis promoueat, donec omnes perueniant in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum. &c.

Vt credat mundus.) Vbi namq; discipuli Domini ita uiuunt, ut redemptos à tyrannide peccati, & uere iustificatos eos esse omnes uideant, conspicitur utiq; in eis regnum Christi, & ipse Dominus indubitatus Christus agnoscitur.

Et ego gloriã.) Hæc ampla illa potentia fuit spiritus, qua maiora, quàm dominus ipse primi credentes patrarunt.

Vt sint consummati in unũ.) Id tum fit, cum perueniunt omnes in uirum perfectũ, & mensurã ætatis plene adultæ Christi, Ephes. 4. hoc est cũ omni abolito peccato, in iustitia fuerint cõsummati, ac in eo Christi uera iãq; pura membra euaserint.

Et dilexisti eos.) Id declaratũ est, cum eos tã potenti spiritu donauit. Pater iuste.) Notauit hic discrimen electorũ & reproborũ, unde uenit ut alij Deũ discant, alij discere nequeãt, unde illi apud Christũ olim diuinitatis gloria perfruent, isti minime.

Et notum faciam.) Nam in cognitione Dei hic continuo crescendum est. Vt dilectio.) Dũ etenim absolute pij sum⁹, uere de mũ apparebit, quòd Deo chari sumus.

OBSERVATIONES

Obseruandũ Christi intercessioen omnia sanctis impetrari, quanquã plura oporteat his orare, quibus maiora negotia regni dei cõmittuntur. Tum sicut hoc præcipue suis Christus orauit, ut unũ sint, ita dandã operam ante omnia, ut unũ corpus electi coalescant. Vt uitemus qui peccant, nõ ita nobis dominus uel orauit uel cõmendauit. Impostura igitur est ueteris hostis, quod quidẽ nulla in re pietatẽ suã cõmendare melius sibi uidẽt, quã si secedant ab ijs quos peccatores habẽt, nec tamẽ unquã ad resipiscentiã hortati sunt. Excusant postea se, quia nõ cũ ipsis baptismũ denuo susceperũt, nõ esse eos fratres, ideo nõ esse ipsorũ partes, ut eos moneãt. O dolũ, ô insidias satanæ, Vltimũ & anceps quoq; remediũ est, quod laborantibus fratribus adhibeamus, secluso, & nos, scilicet, illa primũ utemur, similes medicis, qui medicinas dubias ac periculo plenas, initio morbi adhibẽt, et gubernatori q simulatq; asperior uent⁹ flare cœperit, cõtinuo eijcere in mare merces, & comeatum cogitat. Quin si tenet uos ardor Christi, siue fratres, siue amici, si Ecclesiæ illius sanctitati & puritati serio studetis, monetis in primis fratres quos Christũ auditis cõfiteri, & uitam tamen uidetis eos Christo indignam uiuere, & monetis non primũ suscipiendi baptismi, renuendi iurisiurandi, & istiusmodi dogmatũ, in quibus nõ est sita pietas, sed resipiscentiæ uerę, uiuęq; in Christum fidei, idq; exemplo Ioannis, Christi & Apostolorũ: Nunc cum ministros Ecclesiarũ in primis traducitis, & quos potestis alienare ab illis laboratis, dum totos dies queremini nullos uspiã esse Christianos, quales tamẽ nec uos præstatis, dum adeo parũ dilectioni studetis, Ecclesiã misere secatis, nõ purgatis, in fiduciam sui stultos homines erigitis, nequaquam sanctiores reddi-

tis,

A rediditis. Alia ratione Christus & Paulus puritatem Ecclesiæ quærere docuerunt, ut nimirum qui spiritualiores sunt in omnia sese uertant, omnibus omnia fiant, dies noctesq; quicunq; admoneri se modo tulerint, moneant, hortentur & obtestentur, idq; in spiritu lenitatis & dilectionis flagrantissimæ, ut digne sua uocatione uiuant, ut prauas in se cupiditates extinguãt cumq; frustra fecerint omnia, tum demũ consortio cotidiano excludant, sed ut ne sic ceu inimicos habeant, uerum nihilominus dum esse occasio possit, ut fratres admoneant. Vbi huiusmodi quæso spiritũ Catabaptistæ, & qui illis fauent præ se ferunt? ubi ita studio monendi, uel secedendi & excludendi ardent? Certe quoscunq; neglexeris, neq; monitione tua dignos duxeris, eos necesse est, tanquam deploratos habeas. Quam autẽ iniquum & impium, illos omnes facere filios Diaboli, quos hodie nostri Catabaptistę uitandos pronuntiãt? In reliquis obseruandum, à cognitione Dei omnia pendere, eamq; unum Christum suppeditare.

CAPVT XVIII.

HAEC cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trãs torrentem cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Nouerat autem & Iudas, qui prodebat eum, locum, quia frequenter Iesus cõuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem & à Pontificibus ac Pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis, ac facibus, & armis. Iesus itaq; sciens omnia quæ uentura erant super se, processit, ac dixit eis? Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarænum, Dicit eis Iesus, ego sum. Stabat autem & Iudas, qui prodebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit
B eis, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarænum. Respondit Iesus: Dixi uobis, quòd ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt compleretur sermo quem dixerat: Ex ijs quos dedisti mihi, non perdidi quenquam. Simon ergo Petrus cum haberet gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Immitte gladium tuum in uaginam. An non bibam poculum quod dedit mihi Pater? Cohors igitur & tribunus ac ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum & ligauerunt eum, & abduxerunt enm ad Annam primum, erat enim socer Caiaphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is qui consilium dederat Iudæis, quòd expediret unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus aũt ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus aũt stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille alter, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Num & tu ex discipulus es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se, Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina ipsius. Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mũdo,

ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil, Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sicine respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testificare de malo, sin bene, cur me cædis? Et misit eum Annas uinctum ad Caiapham Pontificem. Stabat autem Simon Petrus & calefaciebat se. Dixerunt ergo ei: Num & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei unus ex seruis Pontificis cognatus eius, cuius absciderat Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & statim gallus cecinit. Ducunt ergo Iesum à Caiapha in prætoriũ. Erat aũt mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut ederẽt pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic nocens, hauquaquam tibi tradidissemus eum. Dicit ergo eis Pilatus? Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es ille rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Num ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi. Quid feciſti? Respondit Iesus: Regnum meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaq; ei Pilatus, ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quòd rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meã. Dicit Pilatus: Quid est Veritas? Et cum hoc dixisset, iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causſam. Est autem consuetudo uobis, ut unum dimittã uobis in Pascha. Vultis ne ergo dimittam uobis illum Regem Iudæorum? Clamauerunt rursum omnes, dicentes: Non hunc sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro.

CAPVT XIX.



Vnc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit, & milites plectentes coronam de spinis, imposuerũt capiti eius, & ueste purpurea circundederunt eum, ac dicebant: Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoscatis quòd nullã in eo causſam inuenio. Exiuit ergo Iesus foras, gestans spineam coronam & purpureũ pallium, & dicit eis, Ecce homo. Cum ergo uidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige crucifige. Dicit eis Pilatus, Accipite eum uos, &

A & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causlam. Responderunt ei Iudæi, Nos Legem habemus, & secundum Legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iesus autē respōsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis quòd potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Respōdit Iesus, Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datū esset desupernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes, Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris. Quicunque se Regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, sedítque pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Habraice autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ, hora ferme sexta, & dicit Iudæis, Ecce Rex uester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem uestrum crucifigam? Responderunt Pontifices, Nō habemus Regē nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur. Acceperunt autē Iesum, & abduxerunt, atque is baiulans crucem suam, exiuit in eum, qui dicitur Caluaria, locum, Hebraice autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæ-

B orum. Tunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum, Hebraice, & Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, Noli scribere Rex Iudæorum, sed quòd ille dixerit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.

Milites ergo cum crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta per totum. Dixerunt ergo inter se: Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit: Vt scriptura impleretur dicens: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Stabant aūt iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius Maria uxor Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum uidisset ergo Iesus matrem ac discipulū astantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suā. Postea sciens Iesus, quòd omnia iam consummata essent, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum. Illi uero impleuerunt spongiam aceto & hysopo, & impositam admouerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.

Iudæi ergo quoniam Parasceue erat, ut non remanerent in cruce cor-

pora Sabbatho(erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum C
ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites,& pri-
mi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo : ad Iesum
autem cum uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius
crura, sed unus militum lancea latus eius fodit, & continuo exiuit sanguis &
aqua. Et qui uidit testimonium perhibuit,& uerum est testimonium eius. Et
ille scit quòd uere dicit, ut & uos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura im-
pleretur: Os non comminuetis ex eo. Et rursum alia scriptura dicit: Videbũt
in quem pupugerunt.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph Arimathiensis, qui erat discipu-
lus Iesu, sed occultus propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Iesu, idque
permisit Pilatus.

Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferens
mixturam myrrhæ & aloës ad libras ferme centum. Acceperunt ergo corpus
Iesu, & obuinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepeli-
re. Erat autem in eo loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum
nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen
Iudæorum, quod in propinquo esset monumentum, posuerunt Iesum.

Hæc cum dixisset Iesus, egressus est.) Operępretium duxi, totam eorum
quæ passus est Dominus, simul & resurrectiõis, atq; apparitionũ eius
historiam, ex omnibus quatuor Euangelistis collectã, continua para-
phrasi cõtexere, dabo operã ne quid prętereã, tum ut suo ordine, quo D
ad fieri potest, singula memorẽ, fratres de omnibus iudiciũ liberũ faci-
ant, nã alium in quibusdã ordinem, quàm nõnulli idẽ ante me conati, sequar: ut au-
tem lector uideat, quæ cuiusq; Euangelistæ sint, ijs quę à Matthæo desumpta sunt,
Matth. subijcietur, ijs quę ex Marco, Marcus, ijs quę ex Luca, Lucas, ijs denicq; quę
ex Ioanne, Ioannes.

HISTORIA SVPPLICII DOMINI IESV.

CVm finem itaq; precandi fecisset Dominus, egressus est cum discipulis trans
torrentẽ Cedron, Ioan. in montẽ oliuarum, quo cum alias, tum illis præcipue
diebus noctu egredi ad precandũ fuerat solitus. Matth. Mar. Lu. Inter eundũ uero
cum discipuli toties iam audissent Dominum à se migraturũ cœperunt disputare,
quisnam inter eos deberet maior esse, & uelut Domino in magisterio succedere,
neq; enim adhuc intelligebant, ad quid muneris essent destinati. Cum sta ambitio-
nis aliquid in hac illorũ disputatiõe se proderet, ad summissionem eos, ut & antea
aliquoties, Dominus hortatus est: Reges gentiũ, inquit, dominantur eis, & qui po-
testatẽ super eas habent, honoris causſa benefici uocantur, ut uere dij sunt & omni
um beneficentissimi, qui potestate recte utuntur, sed uos ad nihil tale electi estis,
quare nullus in alios dominiũ & potestatẽ quærat, sed qui maior spiritu & uirtute
fuerit, is exhibeat se ministerio erga alios tanquã minorem. Debet nanq; pluribus
commodare, qui plura in hoc ipsum à Deo accepit. Libeat ergo uos discipulos me
magistrum uestrum imitari, qui cum sim non uestrum tantum, sed & omnium
mãximus, omnium me minimum feci, quia omnibus electis usque adeo me
seruum addixi, ut sim pro ipsis animam meam positurus. Longum igitur ua-
lere dicite cupiditati regni & præcellentiæ in terris, alio uocati estis. Perdura-
stis hactenus mecum in tam uarijs ac difficilibus tentationibus, quibus à Iu-
dæis

Secti. prima. ea quæ in itinere ad montem oliuarũ, cũ discipulis Do. locutus est, cõmemorans.

Maior sit minor.

A deis exercitus sum, ideo manet uos, ut & antea dixi, ea apud Patrem fœlicitatis gloria, quæ me manet. Quo loco Principibus sunt quos mensa sua dignatur, & in consiliis ac iudicijs, proximos sedere faciũt, eo loco eritis mihi in regno cœlesti. Vt enim mihi Pater disposuit, ita uobis dispono, ut edatis & bibatis super mensam meam, & sedeatis super thronos, Principes & Iudices duodecim tribuum Israël. Cœlestibus sane & æternis bonis et hic præ omnibus sanctis, qui unquam fuerunt perfruimini, & ea potestate præterea in Ecclesia sanctorum pollebitis, ut à condito mundo nulli sancti polluerint maiore, Luc. Vos filij illi estis, qui pro Patribus populo Deferitis, quos habebit ille Principes in uniuersa terra, Psalm. 45. Quanq̃ autẽ in tãtam uos euexerim dignitatem, de qua multa iam uobis dixi, omnes tamen hac nocte graue in me, iam in manibus hostiũ constituto, offendiculũ patiemini. Id unum sic offendet & repellet à me, ut oblitì omnium quæ dixi & gessi inter uos, Dei filium esse me abunde testantia, tanquã nihil minus essem, planeq̃ uobis imposuissem, me inter hostes relicto, uniuersi diffugituri sitis, cuius & ante monui. Sed ita uisum Patri est, sic experiemini quàm nihil uirium ad bonum habeatis, nisi à me. Ad hæc & me decet etiam ab omni hominum genere, etiam amicis & domesticis adflictionem sentire, qui pro salute mundi me Patri hostiam constitui. Id uero erit, quod Zacharia prædixit, percutiendum pastorem, & oues dispergendas. Sed ob hunc casum uestrum, animos ne desponderitis, erigam iterum uos, & cum resurrexero, in Galilæa uos rursum congregabo, & uobis, ut pastorẽ decet ouibus suis, præibo ducemq̃ me iterũ exhibebo. Matth. Mar. Sed uere interim exercebit uos Satanas, & grauissime tentabit. Nam, Simon, Simon, Satanas expetiuit uos ut cribaret sicuti cribrari solet triticum, ego autem rogaui pro omnibus quidem uobis, quod ipsi audiuistis, sed peculiariter pro te Simõ, qui & præ alijs cades, ne deficiat fides tua, quam pro omnibus collegis tuis aliquoties confessus es. Conuersus igitur, cum in B uiam redieris, cõfortare fratres tuos stude, memor casus proprij. Ad hæc Petrus. Paratus sum, inquiebat, Domine tecum in carcerem et mortẽ ire, Luc. Vnde si omnes alij tuo offensi periculo à te defecerint, ego non deficiã. Sentiebat enim quam amaret Dominum, non autem agnoscebat id donum Patris esse, non carnis & sanguinis, quod tamen ei adeo diserte Dominus post magnificam illam confessionem testatus fuerat. Dominus itaque peculiariter Petro dicebat, nempe qui fugæ adiecturuserat trinam negationem: Petre, amen dico tibi hac ipsa nocte in qua iam sumus, tu antè ter me negaturus es, quam bis cecinerit. Petrus autem nimium sibi confisus, iterum maiore cum asseueratione dicebat: Si etiam simul moriendum sit, te non negabo, idem dicebant & alij, Mattheus, Marcus: nam adhuc extra periculum erant. Dominus igitur, licet ante eis illud satis prædixisset, iterum tamen de eo uerba faciebat. Quando misi uos, inquit, sine sacculo, sine pera, et calceamentis, nunquid defuit uobis? Illi respondebant, nihil. Dicebat ergo: Nunc aliter res habebit, ne ipse quidẽ, qui uobis tũ omnia suppeditaui, et tutos reddidi, mõ tuꝰ ero. Sic seuire in me impios uidebitis, ut tã necessariꝰ uideri possit gladius, ut si quis sacculum habeat et perã, tollenda sibi existimet, neq̃ ea quidẽ uictus caussã, sed magis ut sibi illis distractis gladiũ cõparet. Tãta siquidẽ modo nobis uis imminit, ut non solum sacculus cum pecunia, pera cõmeatu, sed & uestimentũ, neq̃ extimum quidem, quo quis possit facile carere, sed tunica plane, interius, scilicet, magis necessariũ uestimentum, gladio cõmutandũ uideri queat. Dico nanq̃ uobis implẽda tandẽ esse quę de me scripta sunt, eoq̃ cũ iniquis iã deputabor, & ut hostis Dei, ad necẽ rapiar. Aduenit enim tandẽ finis eius, quòd in hac humilitate gerendũ negotiũ Pater dedit, illi autem adhuc de uiribus suis nihil diffidentes, & gladijs amoliri posse periculum arbitrantes, ex magna sane ruditate dicebant: Domine ecce duo gladij, putas satis fore ad instantem pugnam? Quibus Dominus, satis est, frustra

Apostolorum dignitas.

Scãdalũ Ap. Petri cõfiden.

Synecdoche, qua per necessitatẽ gladij & trocitatẽ intelligit tẽtationis. Lucæ 22.

stra, scilicet, ratus eis pluribus exponere instantem tempestatem, præsertim fuga nō gladijs pugnaturis, ad hæc hora erat, ut se ultro in mortem daret: quanquā Petrus altero gladio ad gloriam Dei fuerit usus, sed insciens. Luc. Qua de caussa dominus illis duos istos gladios permisit.

Sed. 2. continens precationem in horto.

Dum uero hæc cum discipulis colloqueretur, uenerunt in uillam, que dicitur Getsemane. Matth, Mar. ibi erat hortus in quē Dominus cum discipulis introiuit, Iohan. Iussisq; discipulis reliquis in certo loco sedere donec procederet paulum & oraret, assumpsit Petrum sibi atque duos filios Zebedæi, quos & ad alia secretiora admiserat, & gloriam suam in monte uidere permiserat. Coram his cœpit admodū perturbari, angi & mœstus esse, dicebatq; : Mœsta est anima mea usq; in mortem. Ita uolebat testari se uerum hominem esse & tentationibus per omnia fratribus assimulari. Grauem noxam, nimirum totius mundi uoluit eluere, non igitur corpore tantum, quid enim est corporis cruciatus, si mens non sentiat? sed animo & totis uiribus grauiter cruciari oportuit. Cū itaq; summe adflicto animo esset, ita ut mori proximus esset, in mortem enim usq; tristabatur, more suo & sanctorum omniū, ad Patrem confugit. Quem quò attentius & liberiore spiritu inuocaret, etiā ab his tribus selectioribus discipulis pusillum progressus, quātum forte iactus est lapidis, procidit in terram, orauitq; : Pater mi, inquit, si fieri potest, transfer hunc calicem à me, attamen non mea, sed tua uoluntas fiat. Querulabatur enim magis apud patrē quàm supplicium deprecabatur : uolens siquidem in hanc horam uenerat. Sed animo indicibiliter anxio atq; trepidanti ob instans supplicium, hinc releuatio aliqua erat, quòd Patri suum æstum, naturæq; sensum ita testaretur, admonitusq; indepr̄ sentius sic uoluntatem Patris esse, confortaretur. Cum itaq; orasset id quod dictum est, hoc est, æstus animi, horrore usq; in mortem perculsi, in sinum Patris multis indubie lachrymis, & singultibus ac flagrantissimis cogitationibus effudisset, probēque firmata consideratione sic esse uoluntatem Patris, & salutem mūdi requirere, resumpto nonnihil animo ad discipulos redijt, ut ij sane qui adeo perturbatis sunt animis, haud diu uno in loco consistere possunt, offendit autē illos dormientes. Vt ergo Petrus alijs confidentius ei responderat, ita hūc nominatim obiurgauit: Simō ne una, inquit, hora potuisti mecū uigilare? Vbi queso animus ille mecū in mortē iturus? Vigilate & orate ne intretis in tentationē, quæ grauissima uobis imminet. Spiritus satis promptus, at caro infirmior est, quā ut sitis perduraturi. Orandum igitur uobis erat, non dormiendum, si saperetis. Sed erant suo casu docendi, quàm nō infirma solum, sed prorsus ad omne bonum impotēs caro sit, & omne robur à Deo, inde tum quidem surda aure Domini obiurgationē et monitionem transmiserunt. Redijt ergo ad orationem, quando & in selectissimis uiderat, quòd sibi dolorem augebat, nihil quod consolaretur. Oportuit enim eum adfligi undiq;. Iterum uero orauit quod antea, hoc est, animi perturbationem, cum uoluntate Patris, eius consolationem precatus, contulit. Indeq; iterum inuisit discipulos, quos iterum quoq; reperit dormientes, grauati enim erant oculi eorum, neq; poterant Domino obiurgati quicquam respondere. Sic rursum aflictionē accepit, à quibus debuerat accipere consolationem. Tertio itaq; ad precem sese contulit, et orauit prolixius, totus enim angore cōficiebatur, unde sudor eius guttis sanguineis in terram decurrebat. Cum itaq; angor & perturbatio animi maior esset, quàm ut ferre amplius posset, apparuit illi Angelus, & consolatus est eum, indubie cum efficacia menti eius ingentē salutē, quā supplicio suo esset perfecturus, simul & gloriā Patris, quæ inde plurimum illūstranda erat, pponēs et solide itueri faciēs. Hac itaq; cōsolatione percepta, surrexit, et ad discipulos redijt, cūq; adhuc dormirēt, dixit eis per obiurgatricē ironiā: Dormite iā et qescite, scilicet, ea ē rerū trāqllitas nobis et pax, ut uobis dormire libeat. Quā stupetis ad oīa quę uobis de instāte tēpestate prędixi, surgite tādē, satis superq; somno

Mœstus fit usq; ad mortē

Querulatio magis fuit quā precatio, quòd Domi. orauit.

Angelus consolatus est.

A somno indulsistis. En appropinquauit hora de qua dixi, ia filius hominis in manus peccatorũ tradetur. Surgite eamus illis obuiã, adest qui me tradit. Matt. Mar. Luc.

Nouerat siquidẽ Iudas hanc precandi stationẽ, eo quòd crebro in eum locũ Dominus cum discipulis suis secessisset. Accepta igitur cohorte prętoria, assumptis & ministris Pontificũ, Scribarum, Pharisęorũ & Seniorum, uenit illò cũ laternis, facibus & armis, Ioan. aderatq; domino adhuc cũ discipulis loquente. Dederat autem hoc signũ ijs quos secũ adducebat, quẽ osculatus fuisset, eũ esse Dominũ, monuitq; ut cõprehensum caute ducerent. Veritus, scilicet, ne si ut antea aliquoties fáctũ uiderat, diuina uirtute elaberetur, ipse nõ satisfeciisse uideretur spõsioni suę, & periclitaretur de pretio proditionis. Vide quò cæca ruat impietas, quanq; audeat, quę nouit haudquaquam suarum uirium esse. Cum ergo aduenisset, antecedebat enim turbam, illico accessit, Dominoq; dixit: Aue Rabbi, rabbi, & osculatus est eum. Ad quem Dominus: Amice ad quid ades? Iuda, osculo filium hominis prodis? Matth. Marcus Lucas. Iesus itaq; sciens omnia quę super se uentura erant, iamq; horam esse, ut illa perferret, processit obuiam ijs, qui ad capiendum se uenerant, dicitq; eis: Quem quæritis? Quibus respondentibus, se Iesum quærere Nazarenũ, dixit: Ego sum. Quod cum audissent, astante illis Iuda proditore, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Quo utiq; Iudæ, cohorti, Iudæorumq; ministris & discipulis, abunde satis Domini diuinitas declarata fuit, si animi fuissent, qui potuissent agnoscere, quod sentiebant & uidebant. Hoc igitur emisso diuinitatis suæ fulgore, quo luculentissime declarauit, se ultro suam animã ponere, neque quenquã posse eã sibi eripere, Dominus rursum interrogauit capturos se, quẽ quęrerẽt, quibus, iterũ dicẽtibus se Iesum quærere Nazarenũ, rursum respondit eis: Dixi uobis quòd ego sũ, si ergo me quęritis, sinite hos meos discipulos abire. Idq; quod dixit, ab hostibus suis impetrauit, sed sua uirtute, magis quàm illorũ uoluntate, sicq; uerum fecit sermonẽ
B suũ, quem antea ad Patrem dixerat: Ex ijs quos dedisti mihi non perdidi quenquã. Nam & corpore suos seruare uoluit, Ioan. Videntes autem ij qui cum Domino erant, quod futurũ erat, dicebãt ei: Domine, percutiemús ne gladio? Quod enim antea Dominus per id quod dicebat tam necessarium fore gladiũ, ut omnis pecunia, cõmeatus, & adeo tunica quoq; gladio cõmutanda esset, magnum hostium uim, & uiolentam adfore manũ significare uoluerat: illi, ut adhuc carnales erant, ex eo collegerant, se debere gladio uti, ad ipsius defensionem, quare & tum dixerant: Domine, ecce duo gladij hic. Dominus autem nihil tale uoluerat, id tamen antequam responderet hic eis, Simon Petrus, qui studio Domini plurimũ ardebat, habens alterum gladium, eduxit eum, atq; seruo Pontificis, nomine Malcho, amputauit dexterã auriculã. Cõtinuo igitur dominus: Sinite, inquit, huc usq;, remitte in uaginã gladiũ Petre. Nescis quod prouerbiũ ex Lege mutuatũ iactari soleat: Gladio debere perire, quicũq; gladio fuerint usi absq; mãdato dei. Si nõ ultro me supplicio offerrẽ, dubitas in manu mihi esse, ut à Patre impetrẽ mihi duodecim legiones Angelorũ? Non uis tu ut bibam poculum quod miscuit Pater, ut feram quæ ille mihi ferenda decreuit? Quomodo ergo implerentur scripturę quæ prędixerunt me ista passurũ? Matth. Mar. Luc. Ioan. His dictis Dominus auriculã mutilati restituit, eo cum diuinitatem suã rursum potenter & clare exerens, tum præbens benefaciendi hostibus egregiũ exemplũ, Luc. Cõuersus autẽ ad turbã hostiũ, inter quos & Principes sacerdotũ, magistratus tẽpli, & seniores erãt, dicebat: Tanq; ad latronẽ existis cũ gladijs ac fustibus, ad cõprehendẽdũ me, nõ opus erat tã ualida manu, cotidie in tẽplo palã uidẽtibus & audiẽtibus uobis sedi & docui, cur nõ tũ manus mihi iniecistis? Certe sępe uoluistis, quis uos cõtinuit? Agnoscite igit̃ me mea spõte, ut scripturę impleant̃, in manꝰ uestras uenire, alioq; posse hic tã tutus à uobis esse, q̃ fui in tẽplo. Sed hęc est hora illa uestra, et potestas tenebrarũ, nũc uisum Patri est, ut Principi tenebrarũ, q̃ uos agit, et uobis illiꝰ satellitibus me tradat, huiꝰ mãdatũ ultro & lubens

Sedi, ꝛ ea quæ dum capere tur acciderũt complectens.

subeo

ſubeo,ut orbis uideat,quàm uere ipſum diligam,& ſcripturæ impleantur, Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt,Matth,Marcus,Luc. Cohors igitur & tribunus ac miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum & ligauerunt eum,& abduxerunt ad Annam primum. Erat enim ſocer Caiaphæ,qui erat Pontifex anni illius,Erat autem Caiaphas is qui conſilium dederat Iudæis :Expedit unum hominem mori pro populo,Ioh. Quiſpiam autem adoleſcens ſequebatur Dominum, ſindone amictus ſuper nudum, eum adoleſcentuli qui aderant comprehenderant,ſed ille relicta ſindone nudus ab illis aufugit. Adeò enim ſolus tum uoluit pati pro ſuis dominus,ut non tantum nõ paſſus ſit ex diſcipulis quemquam ſimul capi, ſed etiam effecerit, ne hic adoleſcens,quiſquis fuit,cum ipſum ſequeretur, in hoſtium manibus hæreret. Marcus.

Cum ergo Caiaphas pontificatu fungeretur, ad eum Annas ita uinctum Dominum miſit,Ioan. Interea reſumptis animis Petrus,& alius quidã diſcipulus, eminus dominum ſequebantur. Alter autem ille diſcipulus notus Pontifici erat,eo confiſus introiuit cum Ieſu in atriũ Pontificis,Petro foris ad hoſtium manẽte. Is diſcipulus ſtatim regreſſus egit cum oſtiaria, ut liceret Petrũ introducere. Illa oſtiaria paulo pòſt uidit ſedentem ad lumen Petrum, accenderant enim ſerui & miniſtri inferius in medio aulę ſiue atrij ſibi ignem,& conſidentes unà, atq; circunſtantes calefaciebãt ſe,erat ſiquidem frigus,eratq; Petrus cum illis calefaciens, eò quòd cuperet uidere finem. Hæc ergo oſtiaria cum Petrum fixis in eum oculis contemplaretur, dixit Petro,Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Et tu cum Ieſu Galilæo eras. Continuo reſpondit ille:Non ſum,non noui eum, neſcio quid dicas:Matth,Mar. Luc. Ioan. Et exiuit foras in ueſtibulum, & gallus cecinit, Mar. Sed id nihil adhuc eum mouit. Quin cum rurſum uidiſſet eũ altera ancilla, atq; dixiſſet præſentibus, & hic cum Ieſu Nazarẽno erat,iterum negauit, idq; cum iureiurando, Matthæus Marcus. Adeo euanuerat ille animus paratus ſimul cum Domino mori. Sicq; labi cõueniebat,qui ſuis uiribus pluſquam Chriſti uerbis fiſus erat, quicq; fratribus ſeſe adeo prętulerat conſtantię nomine. Interea põtifex Caiaphas Ieſum interrogabat, de diſcipulis eius & doctrina,cur, ſcilicet, auſus fuiſſet ſibi diſcipulos congregare, quam doctrinam illis tradidiſſet nouam, quid eſſet his molitus. Cui Dominus reſpondit:Ego palàm locutus ſum mundo quæ docui, in ſynagogis ac templo ubi omnes Iudæi conueniunt docui, unde te non poteſt latere, quam tradiderim meis doctrinam,nequaquam certe,ut tu cupis uideri,ſeditioſam,et Legi dei derogantẽ. Cito teſtes non unum & alterum,ſed quotquot me audierunt. En hi ſciunt quę dixerim & docuerim, mihi enim de me ipſo teſtificanti ſcio nullam habebis fidem. Hæc cum Seruator dixiſſet,uticq; ſumma cum modeſtia,attamen aſſidens unus miniſtrorum & uolens gratificari ſuo domino,dedit alapam ei,dicens:Siccine reſpondes Pontifici? Cui Dominus reſpondit:Si male locutus ſum,teſtificare de malo,ſin bene,cur me cedis? Ioan. Sed quia hora erat,ut Dominus ſuo ſupplicio,& indicibilibus cruciatibus electos ſanctificaret, nihil ei ueritas, nihil ſumma innocentia & modeſtia profuit,ita concitarat Satan omnes,ut uelut rabidi canes uniuerſi contra eum irruerent, & quanto quiſq; atrociore iniuria & cõtumelia afficere eum poſſet,tanto ſe pluris habendum duceret. Hinc qui tenebant eum uiri, omnes ei illudebant,expuebant in faciem,cędebant colaphis,alij depalmabant,cumq; circumtexiſſent faciem, cædebant & interrogabant dicentes: Vaticinare,quando Prophetam te facis,quis eſt qui te percuſſit? Et alia multa conuiciantes dicebant in eum. Tum certe in medio erat canum,taurorum,leonum & unicorniũ, de quibus canit Pſal. uigeſimus ſecundus,tum audiuit uituperationem multorum, ut canit Pſal.31. multiplicatos ſuper capillos capitis hoſtes ſuos ſenſit, ut canit Pſalm 69. Petrus autem poſt puſillum ad ignem reuerſus eſt, nam à prima negatione fuerat in ueſtibulum egreſſus,

Sectio. 4. cõtinẽs, quæ apud Pontificẽ contigerunt, & Petri negationes.

A egressus, inibiq; negauerat secundo, nõ animaduerso Galli cãtu. Stabat ergo iterũ & calefaciebat se cum ijs, qui illic aderant. Illi uero dicebant ei: Num & tu ex discipulis eius es? Vnus uero ex illis dicebat ei. Et tu de illis es. Petrus autem negabat et dicebat, homo, non sum, Luc. Ioan. Et interuallo interiecto ferè horæ unius, accesserũt qui astabant & dicebãt ei: Profecto tu ex illis es, loquela tua te prodit, Galilæus siquidem es. Et unus ex seruis Pontificis, cognatus eius cuius absciderat Petrus auriculam, dicebat ei: Nónne ego te uidi in horto cum illo? Tunc cœpit Petrus se deuouere & deierare, quòd non nosset hominẽ, & continuo adhuc illo loquente, gallus secũdo cãtauit, Matth. Mar. Luc. Ioan. Et cõuersus dominus, qui, scilicet, à ministris illic detinebat̃, & cõtinuis cõtumelijs ac uerberibus uexabatur, intuitus est Petrum, Luc. Hinc Petrus recordatus uerbi quod dominus dixerat ipsi, antequam bis gallus cecinerit ter me negabis, indeq; ut par erat ingẽti pudore, perfusus, ac indicibili pœnitudine correptus est, quòd dominũ suum & seruatorẽ, cum quo in mortem usq; ire tam grauiter erat pollicitus, sancteq; iurauerat, toties iam negasset, & quidem audientẽ & uidẽtem, egressus ergo est foras, & fleuit amare, Matth. Mar. Luc. Tum sensit quàm temere & impia confidentia sibi arrogasset, quòd dominus ei negauerat. Ex hoc utiq; casu in omnem usq; uitã, & de se sensit modestius, & fratrum lapsus tulit humanius.

Cum uero illuxisset, cõuenerunt seniores plebis, Principes sacerdotũ & Scribæ, in domo Pontificis, & duxerunt dominum in concilium suum. Principes autem sacerdotum, seniores & totum concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent, nec inueniebãt, quę uel ipsi esse momenti alicuius iudicare potuissent, tam nullam etiam mali speciem in omni doctrina, & uita sua dominus admiserat. Nouissime demum post multam iuquisitionem, duo falsi testes prodierunt, qui dicebant se à domino audisse, quod dixisset: Possum destruere tem- *Sect. 5. cõplectẽs quæ in Iudæorũ cõcilio gesta sunt, & exitiũ Iudæ.*

B plum Dei, & in triduo reædificare illud. Cum autem ut aliorum, ita & horum testimonia, non satis idonea uiderentur: surgebat in medium Princeps sacerdotum, & cupiens dominum in suis ipsius uerbis illaqueare, dicebat ei: Nihil respondes ad ista, quæ contra te hi testificantur, putas frustra esse, quæ dicunt contra te testimonia? Iesus autem tacebat. Quid enim diceret ad testimonia, quæ nec tantis suis hostibus idonea uidebantur? Rursum igitur dicebat Pontifex: Adiuro te per Deũ uiuentem, ut dicas nobis, an tu sis Christus ille filius Dei benedicti. Tum ne uideretur dominus, aut parum reuereri patrẽ, per quem adiuratus erat, aut certe illos metuere, & non audere coram ipsis quoq; profiteri ueritatem iam uinctus, quam ante liber sæpe professus fuerat, respondit eis, Matth. Marcus, Lucas: Si uobis dixero quod uerum est, non credetis, & si quid uos interrogauero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis me, Lucas, eoq; satis caussæ esset, ut sicut cœpi, perpetuo coram uobis tacerem. Sed ut uideatis me & patrem honorare, per cuius me nomen adiurastis, & nequaquam uos formidabiles adeò mihi esse, ut quod uerum est, uobis fateri non ausim, respondeo & fateor sic esse ut tu Pontifex dixisti. At uos nunc nihil minus credere sustinetis: uidebitis autem me, quem modo ut filium hominis contemnitis, & neci dare meditamini, sedentem à dextris Dei, proxima à Deo potestate omnibus imperantem, demumq; in nubibus cœli uenientem, ad iudicandum uiuos & mortuos. Hanc mox gloriam apud patrem accipiam, simulatque uos me neci dedideritis. Amodo certe, post hunc unum diem, aliter me non uidebitis, quàm ad dexteram Dei, omnium potestate pollentem, quod & antea uobis prædixi. Tum omnes dicebant: Tu ergo es ille filius Dei? Respondit dominus: Vos dicitis me esse, & sum. Tunc Pontifex discidit uestimẽta sua dicens: Prolocutus est blasphemiam. Quid insuper egemus testibus? Ecce nunc ipsi audistis blasphemiam. Quid uobis uidetur, quid iudicatis? At illi omnes respondentes, *Amodo uidebitis.*

dixerunt:

dixerunt: Reus est mortis. Matthæus, Marcus, Lucas.

Hęc itaque in concilio suo, quod mane inierant omnes Principes sacerdotum, & seniores aduersum Iesum, ut eum morti traderent, acta sunt, & sic se illi ad accusandum eum apud Præsidem instruxerunt. Matthæus, Marcus. Porro cum operæpretium uideatur, & quem exitum Iudas ille proditor accepit narrare, libet eam historiã hic interponere. Cũ uidisset hic, quòd damnatus Dominus esset, tũ eum pœnitentia inuasit, cõpulitq; triginta illos argẽteos, pro quib⁹ dominũ uendiderat, refer

Iudæ exitus. re ad Principes sacerdotũ & seniores, ac dicere: Peccaui tradẽs sanguinẽ innoxiũ. Qui respõderũt ei, Quid ad nos (tu uideris. Adeo nihil existimabant referre, quòd ipsi innoxiũ sanguinẽ emisissent, & in mortẽ tradidissent. Hęc Hypocritarũ sanctitas & iustitia est. Iudas autẽ proiectis argenteis abijt, & laqueo sese suspendit, crepuitq; medius & diffusa sũt omnia uiscera eius, innotuitq; istuc omnibus habitantib⁹ Hierosolymis. Principes autẽ sacerdotũ acceptis argenteis dicebant, nõ licet eos mittere in corbonam (Chaldæi קרבנא kurbana) id est, in repositorium donorum & oblationum, quia pretium sanguinis est. Mira uero religio, nõ uereri innoxiũ sanguinem fundere, non autem audere pretium sanguinis, donis & oblationibus Dei apponere. Sic culicem excolant Hypocritæ, & deglutiunt camelũ. Illi ergo præpostere religiosi inito consilio emerunt argenteis illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, unde uulgo ager ille uocatus est uernacula illis lingua חקלדמא id est, Chakaldema, quod agrum sanguinis significat. Tunc impletum est, quod uates domini Zacariah, qui & Iirmeiah uocatus fuit, prædixit, nempe quòd triginta argenteos, pretium æstimati quem æstimatum emerunt, à filijs Iisraël, hoc est, à selecto ex multis Israëlitis Iudah daturi essent, pro agro figuli, sicut id Dominus ordinauerat. Insigne certe fuit, ut à discipulo tam charo Dominus uenderetur, & nõ carebat mysterio, quod eodem pretio, quo Dominus uenditus erat, emeretur ager pro sepultura peregrinorum, quia uere quies morte Christi comparata est ijs, qui hic peregrinantur à Domino, ius ciuitatis supernæ Ierusalem consecuti, ideo dignum hoc fuit ut nominatim à Propheta prædiceretur. Nunc prosequenda est historia supplicij Dominici.

Sectio. 6. quæ Do. in prima inquisitione apud Pilatum, & mox apud Herodem quoq; acciderunt, memorans.

Postquam igitur Iudæi ad accusationem Domini satis instructos se putarunt, surrexit è concilio uniuersa eorum multitudo, & præsentarunt ipsum Pilato, Lucas. Nolebant autem ingredi prætorium, ne se profanarent, postridie Pesach suum sancti celebraturi, ita religiosa est impietas. Egresso ergo ad ipsos Pilato, & roganti cuius Dominum accusarent, responderunt: Si non esset hic nocens, nequaquam tibi eum tradidissemus. Qua responsione superba satis, Pilatus nonnihil, ut uidetur, offensus, iussit illos secundum suam Legem eum iudicare. Qui negarunt sibi licere, occidere quenquam, quòd ita diuinitus ordinatũ esset, ut à gentibus Dominus crucifigeretur, id quod ipse suis etiam prędixerat. Ioan. Cœperũt ergo Dominum accusare trium, quòd gentem euertisset, doctrina, scilicet, quam uideri execrabilem uolebant, quòd uetasset dare tributa Cæsari, & demum quòd Christum se Regem fecisset, quo sperabant illum reum maiestatis se peracturos, Lucas. Stantem ergo coram se præses rogauit, num esset Rex Iudæorum, hoc enim sua referre putabat, de doctrina nimirum quatenus Cæsareæ potestati nihil derogabat, non erat solicitus.

Interrogatus de regno. Matthæus Marcus Lucas Ioan. Dominus ergo interrogabat, unde id de eo quæreret, an à seipso, uel si audisset ab alijs. Volebat enim dominus, ut iure debuerat, alienus adeo uideri ab affectione regni terreni, quod absurdum esset, huius aliquid de se uel suspicari. Hinc dicebat Pilatus significans nihil tale se quidem suspicari: Num ego Iudæus sum? Equidẽ Romanus, rerum uestrarum ignarus sum, nescio qua ratione Christus uester uenturus sit. Mihi quidẽ nihil uideris præ te ferre regiũ. Gens autẽ tua & pontifices tradiderũt te mihi, & hi te huius accusant, quid ergo fecisti?

Respondit

A Respondit ergo Iesus: Regnũ meum nõ est de hoc mundo, alioqui haberem meos ministros, qui defendere me conarentur. Atq; ita Christum cœlorum regem se esse confitebatur, & simul tamen significabat Pilato, à se nihil esse periculi metuendum ei regno, cui ipse ministrabat, cuius, scilicet, à Iudæis accusabatur. Ioan. Hinc itaque colligens Pilatus ipsum nihilominus regem esse, dicebat: Ergo Rex es tu? Cui dominus respondit, tu dixisti. Matth. Mar. Luc. Ioan. Addit aũt causſam, cur hoc fateretur, nempe quòd esset in hoc natus, & huius gratia uenisset in mundum, ut testimonium ueritati perhiberet, utiq; huic potissimũ quòd unus omnium electorũ rex & saluator esset, sed quia id electi tantum credunt, addebat: Omnis qui ex ueritate est audit uocem meam. Ioan. Videns itaq; Pilatus alienũ eum à crimine imminutę maiestatis, cui ipse quidem merebat, prodijt ad Iudæos iterũ affirmans nullam se in domino necis causſam inuenire. Luc. Ioan. Continuo ergo principes sacerdotum inualescebant accusantes dominũ, quòd cõmouisset populum, docens per uniuersam Iudæã, exorsus à Galilæa. Pilatus igitur audita mentione Galilææ, an Galilęus esset interrogauit, atq; cognito quod ad ditionẽ Herodis pertineret, remisit ipsum ad Herodem, qui eo tempore Hierosolymis erat. Vnde Herodes non parũ gauisus, quòd pridem uidẽdi eius cupidus fuisset, interrogauit ipsum multis. Sed dominus illi nihil respondit, quãuis adstarent principes sacerdotũ & scribæ, acriter ipsum accusantes. Cum igitur dominus Herodi tanq; cani et porco nihil respondere dignaretur, fortasse quia etiã nihil ad gloriam Dei facturum rogaret, Herodes ipsum cum satellitio suo spreuit, cui & induto albam uestẽ illuserũt, atq; inde ad Pilatum remiserunt. Hinc uero reintegrata inter Herodem & Pilatũ amicitia fuit, quæ nonnihil scissa fuerat. Sic conuenerunt reges terræ contra dominũ & Christum eius, Psal. 2.

Adductus Herodi.

Pilatus uero cum sibi dominus reductus esset, conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus ac plebe, dixit, neq; se, neq; Herodem causſam necis in eo de-

Sect. 7. continens alteram præsidis inquisitionem, consilia dimittendi dominũ & flagellationem eius.

B prehendere potuisse, eoq; uelle se emendatum dimittere. Luc. Accusabant aũt dominum summi sacerdotes de multis, ipse aũt nihil ad ea respondit, sed neq; Pilato poscẽti suam ad illorum accusationes responsionẽ, adeò ut miraretur. Matth. Mar. Cum ergo in festo solitum esset, populo donari unũ ex uinctis, & haberet præses in uinculis insignem latronẽ Barrabam, captum cum autoribus seditionis, qui & in seditione cædem patrauerat. Hunc tanquã insignite populo inuisum, cum domino cõposuit, cumq; plebs more suo, donari sibi unũ ex uinctis postulasset, rogauit eos, utrum uellẽt sibi dimitti Barrabã, an Iesum regem illum Iudæorũ, qui dicitur Christus Matth. Mar. Luc. Ioan. Sciebat enim quòd propter inuidiã tradidissent eum. Principes aũt sacerdotũ & seniores persuaserũt turbis, ut peterent Barrabã Matth. Mar. Rogata ergo plebs utrum dimitti uellet, exclamauit simul uniuersa turba: Dimitte nobis Barrabam Matth. Mar, Luc. Ioan. Potestas tenebrarũ, ut populo quoq; omnis adeò humanitas erga dominũ excideret. Rogante rursum præside, quid ergo uellent fieri, ei qui diceretur Rex Iudæorum. Iterũc lamauerũt: Crucifige eum. Quibus Pilatus: Quid enim mali fecit? At illi uehementius clamabant: Crucifige eum. Matth. Mar. Videns igitur hoc consiliũ non succesſisse, conuertitur ad aliud, cuius & ante meminerat: Nullum, inquit, crimen capitale cõperio in eo, castigatũ ergo dimittam Luc. Et apprehensum Iesum fecit flagellari. Tum milites præsidis duxerunt eum intro in atriũ prætorij, atq; totam cohortẽ congregauerunt ad eum, exutumq; suis uestibus amiciuerunt chlamyde coccina, & plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, arundinemq; dederunt, in dexteram, tum genu flexo in speciem adorantiũ illudebant ei, salutantes, Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Cum expuissent in eum, acceperunt arundinẽ, & percutiebant caput eius. Matth. Mar. & Ioan. Flagellatum itaq; dominũ, spinis coronatũ, consputũ, cæsum & illusum, eduxit Pilatus foras ad Iudæos sperans, uel miserabili eo spectaculo, il-

Flagellatur & coronatus spinis illuditur.

lorum se odiũ erga dominũ nonnihil emolliturũ. Ecce adduco eum uobis, inquie- C
bat, foras, ut cognoscatis quòd nullã in eo causſam inuenio. Exiuit ergo Iesus fo-
ras, gestans spineã coronam, & purpureũ pallium. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo.
Pontifices aũt & ministri uiso illo, clamabant: Crucifige eum, crucifige eum. Qui-
bus Præses: Accipite eũ uos, & crucifigite, ego enim nullã in eo supplicij causſam
inuenio. Contra Iudæi: Nos legẽ habemus, & secundũ legem nostrã debet mori,
quia filium Dei se fecit. Cum hoc audisſet Pilatus, magis timuit, nimirũ Iesu causſa,
ne forte tale aliquid præ se tulisſet, & non possſet ideo à se absolui. Vnde prætorium
iterũ ingressſus, dicit ad Iesum: Vnde es tu? Sed Iesus nihil ei respondebat, satis enim
antea ueritati testimoniũ tulerat, professus se quidem Christũ regem esſe, sed cuius
regnũ non esſet huius seculi, unde nihil erat, quod Pilatus potestati Cæsaris sui ti-
meret, aut causſam haberet contra eum pronuntiandi. Pilatus ergo offensus quòd
sibi non loqueretur, dicebat ei: Cur mihi non loqueris, nescis mihi potestatem esſe
crucifigendi te, & absoluendi te? Eo aũt cum plus æquo sibi arrogasſet, quodq; in
contemptũ Dei uergeret, à quo definito cõsilio, potestati tenebrarũ in præsens per-
missſus fuerat, nemine alioqui quicq; contra ipsum potente, castigat dictũ Præsidis:
Non haberes potestatẽ, inquit, aduersus me ullã, nisi tibi data esſet è supernis. Nunc
cũ magistratu fungeris, accepta diuinitus in me potestate, minus sanè peccas, quã
ij qui tibi me tradiderunt, ex solo mei odio cõtra me furentes, & nulla publica fun-
ctione, huc adacti. Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi aũt clamabant, di-
centes: Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris: quicunq; enim se regem facit, cõ
tradicit Cęsari. Ioan. Instabant itaq; uocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur,
& inualescebant uoces eorũ, ac summorũ sacerdotum, Lucas.

Sect. 8. continens condemnationẽ Deductionẽ, & crucifixionẽ.

Pilatus itaq;, cum audisſet hunc sermonẽ, produxit Iesum foras, sedítq; pro tribu- D
nali in loco, qui dicitur, Lithostrotos, Hebraice aũt Gabbatha, id quod locũ editio-
rem significat. Erat aũt paraſceue Paschæ, dies, qui proxime Paschæ diem antece-
debat, quo sanctificabant se, & parabant quæ ad festũ requirebantur. Et hora fermè
sexta, id est, circa finẽ secundæ portionis diei, quæ à tertia diei hora incipiebat, nam
totum illud tẽpus quod à tertia usq; sextã horam decurrebat, tertia hora uocabatur.
Vnde Marcus, hora tertia crucifixũ dominum memorat, hac eadem, scilicet, secun
da diei parte, quæ iam fermè ad finem uenerat. Ioan. Sedente aũt Pilato pro tribu-
nali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cum iusto illo, multa enim passſa sum
hodie in somnis propter eum. Sic curauit Deus Pilatũ officij sui admoneri, Matth.
Ille aũt dicebat Iudæis: Ecce Rex uester, quasi diceret: Vos contenditis hunc se re-
gem uestrũ feciſſe, uidete eum, ut nihil tale præ se ferat. Illi aũt clamant: Tolle tolle
crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrũ crucifigam? irridens, scilicet, eos, Isti
contra: Non habemus regem nisi Cæsarẽ. Huc eos furor agebat, ut in totum regnũ
Christi, quod cuncta gens auidisſime expectabat, abnegarent, Ioan. Videns igitur
Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, abluit manus corã populo
dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti, uos uideritis. Et respondens uni-
uersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros, Matth. Tunc
adiudicauit Pilatus ut fieret quod illi postulabant, ac dimisit eis Barrabam, Iesum
aũt tradidit arbitrio eorũ, ut crucifigeretur. Quẽ rursus exuentes chlamyde, indue-
runt uestimentis suis, & abduxerũt ut crucifigerent, Matth. Mar. Luc. Ioan. Domi-
nus igitur adiudicatus neci, exibat baiulans suã crucem in eum locũ, qui Caluaria
dicebatur, Hebraice aũt, id est, lingua qua tum Hebræi uulgariter utebantur, quæ
Chaldaismum resipiebat, גלגלתא hoc est, golgoltha, Ioan. Inter eundum aũt, appre-
henderunt Simonẽ quendã Cyrenensem, patrem Alexandri & Rufi, uenientẽ ex
agro, & illi imposuerunt crucem ut portaret post Iesum. Id forte fecerunt, quod Ie-
sus debilior iam esſet, & ut ligni molẽ portare possſet, Matth. Mar. Luc. Sequebatur

Vincitur Pilatus improbitate Iudæorũ

Educitur ad supplicium.

autem

A aũt dominũ multa turba populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur. Neq; enim omnibus amor & obseruantia eius exciderat. Ad has conuersus dominus dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super uosmetipsas, & super filios uestros flete. Veniẽt enim dies, in quibus dicetur: Beatæ steriles & uentres qui nõ genuerunt, & ubera quæ non lactarunt. Tunc incipient montibus dicere, cadite super nos, & collibus, operite nos. His futuræ obsidionis & excidij calamitatem illis prædicebat, in qua experti fuerunt quid hic sibi precati sunt, cum dixerunt: sanguis eius super nos, & filios nostros. Addebat aũt, Quia si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Quo significauit, si diuina uoluntate, ita in se sequiretur, innocentem, & ligno humido atque fructifero simílem, multo durius sæuiendum esse in gẽtem Iudaicam, ligno arido & sterili simílem. Ducebantur aũt & alij duo facinorosi cum eo, ut interficerentur, Luc. Et postq; uenerunt in locũ, qui dicitur, Caluaria, dederunt domino bibere myrrhatũ, id acetum erat cum felle mixtũ, sed ille cum gustasset, non sumpsit, Matth. Mar. Ibiq; crucifixerunt eum, & duos latrones cum eo, unum à dextris, alterum à sinistris eius, quo uaticiniũ Iesch. 53. fuit impletũ: Et cum sceleratis deputatus est. Matth. Mar. Ioan. Iesus autẽ dicebat: Pater remitte illis, nescíunt enim quid faciant, Luc. Imposuit uero Pilatus titulũ cruci Domini, hæc Hebraice, Græce & Latine continentẽ: Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ, Matth. Mar. Luc. Ioan. Iudæi aũt cum hanc inscriptionem legissent, ut erat locus hic prope Ierusalem, petebant à Pilato Pontifices, ut scriberet Iesum dixisse: Ego sum Rex Iudæorum, nõ simpliciter Rex Iudæorũ, uerum ille scripturam, diuina utiq; ordinatione adductus, immutare noluit, quæ sane uerum Euangelion Christi continebat, qua, scilicet, prædicabatur uerus ille esse, & indubitatus Meschiah Rex Iudæis missus. Ita in media morte, cœpit dominus ad gloriã exaltari, & regnũ suũ auspicari.

B Milites aũt cum crucifixissent Iesum, acceperunt uestimẽta eius, feceruntq; quatuor ex illis partes, ut unicuiq; militi pars una cederet. De tunica uero inconsutili & per totum contexta, quia scindi cõmode non potuit, sortiti fuerũt, ut impleretur illud Psal. Partiti sunt uestimenta mea sibi, & super uestem meam miserunt sortem. Et milites quidẽ hæc fecerunt, sedentesq; seruabant dominũ ibi. Matth. Mar. Luc. Ioan. Stabat autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius & Maria Magdalene. Cum ergo uidisset Iesus matrem, ac discipulum astantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex ea hora accepit eam in curam suam. Mulierem uocauit more suo, quòd maior multo esset, quàm ipsa eum genuisset, filij tamen officiũ noluit posthabere. Hinc morituri discant suis prospicere. Stabat uero populus spectans, & prætereuntes cõuitia iaciebant in dominũ, mouentes capita sua, et dicentes: Tu ille qui destruebas templũ & in triduo ædificabas: Serua temet ipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotũ illudentes cum scribis & senioribus, dicebant inter se: Alios seruauit, seipsum non potest seruare. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Cõfidit in Deo, liberet eum nunc, si uult eum. Dixit enim filius Dei sum. Sic ad crudelissimũ supplicium etiã execrari & irrideri Christũ suũ pater uoluit. Vnde & Psal. 22. hæc ferè conuitia omnia prædicta sunt. Illudebant aũt ei & milites Luc. Quin & unus de his, qui erant suspensi facinorosorũ, id ipsum ei exprobrabat. Si tu es Christus, inquiebat, serua teipsum & nos. Adeò ab omni genere hominũ blasphemari ipsum oportebat. Respondens aũt alter increpabat eum dicens: Ne tu quidẽ times Deum, quũ in eadem damnatione sis? Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic uero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei cum ueneris in regnũ tuum, & dixit illi Iesus: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, particeps gloriæ meæ. Dum uero hæc fierẽt appetijt hora sexta, tertia diei pars, quæ & ipsa solebat tota, à sexta usque ad horam

Sect. 9. memorans quæ pendente Domino in cruce acciderunt.

Blasphematur & irridetur.

nonam,ſexta hora uocari.Diem enim habebant finitum horis duodecim,totidẽ & c
noctẽ,& utramq; per partes quatuor diſtinctã,noctis partes,uigilias uocabant.Fa-

Clamabat ſe derelictum.

cta ergo iam ſexta hora,tenebrę ortę ſunt,ſuper totam terrã,uſq; ad horam nonam,
& circa horam nonam,clamauit Ieſus uoce magna,dicens:Eli eli lama ſabachtani,
hoc eſt,Deus meus,Deus meus,cur deſeruiſti me? Quidã aũt illic ſtantiũ,cum au-
diſſent,dicebant: Heliam nocauit iſte. Cæteri uero dicebant,ſine uideamus, an ue-

Pſal.69.

niat Helias liberaturũ eum, Matth.Mar.Poſtea ſciens Ieſus,quòd omnia iam con-
ſummata eſſent,ut cõſummaretur ſcriptura, nimirũ in omnibus, quæ de ſupplicio
ipſius prædixit,dicit:Sitio. Vas igitur erat poſitũ aceto plenũ,Ioan. Inde impleue-
runt ſpongiã aceto & hyſopo,& impoſitã harundini admouerunt ori eius.Matth.
Mar.Ioan.Cum ergo accepiſſet Ieſus acetũ, dixit conſummatũ eſt. Iam enim ad fi-

Prodigia à morte Chriſti

nem pertulerat,quæ prædicta erant omnia,Ioan.Et cum clamaſſet uoce magna Ie-
ſus,ait:Pater in manus tuas cõmendo ſpiritũ meũ,Luc.Et hæc cum dixiſſet,inclina
to capite emiſit ſpiritũ.Et ecce uelum tẽpli ſciſſum eſt in duas partes,à ſummo uſq;
ad imum,Matth.Mar.Luc.Et terra mota eſt,& petræ ſciſſæ ſunt,& monumenta a-
perta ſunt,& multa corpora ſanctorũ qui dormierant,ſurrexerunt, & egreſſi è mo-
numentis poſt reſurrectionẽ eius uenerũt in ſanctam ciuitatẽ,& apparuerunt mul-
tis,Matth.Centurio uero,qui adſtabat ex aduerſo illi,& qui cum eo erãt cuſtodien
tes Ieſum,cũ uidiſſent quòd ſic emiſſo clamore expiraſſet,uiſoq; terræ motu, & his
quæ acciderant,timuerũt ualde & glorificabãt Deũ,dicentes: Vere filius Dei erat
iſte,Matth.Mar.Luc.Et omnes turbæ eorũ, qui ſimul acceſſerant, ad ſpectaculum
iſtud,& uiderãt quæ contigerant,percutientes pectora ſua,reuertebantur, Luc.Sta
bant aũt omnes noti eius procul,& mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa,mi-
niſtrãtes ei,inter quas erat Maria Magdalene,& Maria Iacobi parui,et Ieſu mater,
& Salome mater filiorũ Zebedæi,aliæq; cõplures,quæ aſcenderãt cũ eo Hieroſol. D

Sect.10.de ſepelitione Dominí.

Iudæi aũt quoniã paraſceue erat Sabbathi magni,nempe quo Paſcha erant cele-
braturi, indignũ rati, ut corpora punitorũ magno illo Sabbatho in cruce remane-
rent,rogauerunt Pilatũ,ut fractis cruribus ipſorũ,tollerẽtur. Milites igitur utriuſq;
latronis crura quidẽ fregerũt,ad dominũ aũt ubi ueniſſent,iam mortuus erat. Cru-
ra itaq; eius non fregerunt,ſed unus militũ lancea latus eius fodit,& continuo exi-
uit ſanguis & aqua.Id uiſum à ſeſe teſtatur Ioan.uerumq; affirmat,ut & nos creda-
mus,facta,ait,præterea hæc, ut ſcriptura impleretur: Os non cõminuetis ex eo.Et
rurſus alia ſcriptura: Videbunt in quẽ pupugerunt. Poſt hæc ueſpera facta, nempe
poſt horã nonam,uenit uir quidã diues & honeſtus ſenator,nomine Ioſeph,uir bo
nus & iuſtus,qui conſilio & facto Iudęorũ nõ conſenſerat,oriundus ex ciuitate Iu-
dæorũ Arimathæa,qui & ipſe expectabat regnũ Dei,eratq; diſcipulus Ieſu,ſed oc-
cultus propter metum Iudæorũ,hic ſumpta fiducia acceſſit ad Pilatum ac poſtula-
uit corpus Ieſu,Matth.Mar.Luc.Ioan.Pilatus aũt admiratus ſi iam mortuus eſſet,
accerſiuit ad ſe Centurionẽ,et interrogauit illũ,an iam dudũ mortuus fuiſſet. Vtq;
rem cognouit ex Centurione,donauit corpus Ioſepho. Venit aũt & Nicodemus,
qui uenerat ad Ieſum nocte primũ,ferens mixturã myrrhæ & aloës,ad libras fermẽ
centum,Ioan.Acceperũt ergo corpus Ieſu & inuoluerũt ſindone munda,cum aro-
matibus,ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autẽ in eo loco ubi crucifixus fuit,hor-
tus,& in horto monumentũ nouũ,quod ſibi Ioſephus è petra exciderat, in quo nõ-
dum quiſq; poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudęorũ, quod in propinquo
eſſet monumentũ,poſuerunt Ieſum,& aduoluerunt lapidẽ ad oſtium monumenti,
Matth.Mar.Luc.Ioan.Ita glorioſe ſepultus eſt,qui mortuus erat ignominioſe.Iam
enim incipiebat glorificari. Et dies erat paraſceue, & Sabbathũ illuceſcebat, ap-
propinquabat enim finis horæ nonæ,uel ſi mauis undecimæ, ultimæ, ſcilicet,por-
tionis diei,quæ ſexta apud nos pomeridiana fuiſſet. Subſecutæ aũt mulieres, quæ

cum

A cum eo uenerãt de Galilæa, uiderunt monumentũ, & quẽadmodũ positũ erat corpus eius, Matth. Mar. Luc. Reuersæ uero parauerunt aromata & unguenta, ac sabbatho quidẽ quieuerũt secundũ præceptũ, Luc. Postridie aũt parasceues, sabbatho nimirũ magno, conuenerunt Principes sacerdotũ & Pharisæi ad Pilatũ, memorantes Dominũ, quem ipsi impostorẽ uocabant, dixisse se tertio die resurrecturũ, eoq; petebãt, ut iuberet sepulchrũ muniri usq; in tertium diẽ, ne discipuli suffurato eius corpore dicerẽt plebi, surrexisse eum à mortuis, & fieret error posterior, peior priore. Quibus Pilatus custodiã permisit, ut munirent sepulchrũ sicut scirẽt. Quò sepulchrum munierunt obsignato lapide, & adhibitis custodibus.

Finis historiæ supplicij Dominici.

ANNOTATIONES ET OBSERVATIONES PROmiscuę, in totam Dominici supplicij historiam.

Plurima sanè obseruanda in hac historia occurrunt, & explicãda quoq; nõnulla, ex his indicabo paucula, nam pleraq; & in Matth. annotata sunt, reliqua studiosis Christianis animis animaduertenda relinquã. Quanq̃ ex ijs quæ dicemus & diximus, istis quoq; quæ relinquemus, nõnihil lucis accessurum sit.

Quòd usq; rudes adeò erant Apostoli, & terreni regni dignitatẽ atq; fœlicitatem cõtinuo somniabãt, licet tam multis ad cogitanda cœlestia erigere illos dominus fuisset conatus, monet eius, q̃d sępe iam notatũ est, sine spiritu in corde docẽte, auribus corporeis frustra oĩa ingeri, tũ hunc spiritũ tantum definito à patre tẽpore dari.

Quòd uero Apostolis dominus promisit in sua mensa locũ, & iudices fore duodecim tribuũ Israël, uoluit futuræ uitæ supremã dignitatẽ pe ea exprimere, quibus in præsenti dignitas summa agnoscitur. Qui enim in eadem mensa cum Cæsare edunt, & proxime ei sedent in concilijs & iudicijs, ut sunt principes electores, ij sane dignitate reliquos omnes antecellunt. Tales iã sunt Christo Apostoli, per quos B uniuerso hominũ generi salutem attulit. Maior siquidẽ apud Deum habetur, qui ei similior est, id est, plures pluribus beneficijs iuuerit.

Quid sedere in mẽsa Christi, & super thronos.

Illud è Zacariah Propheta adductum, habetur apud eum prophetã cap. 13. Ebraice non sine figura, ut idem tamen sensus sit, in hunc enim modũ legitur: Gladie excitare super pastorem meum, & contra popularẽ meum, dixit dominus exercituũ, percute pastorẽ & dispergetur grex, & reducã manum meam contra paruulos &c. Est in Matthæo explicatũ. In Galilæa iterum præcessit Apostolos, cum uisendum se plusquã quingentis fratribus exhibuit, atq; inter eos uelut pastor inter oues suas è dispersione rursum collectas, uersatus est.

Pro Petri fide dixit se orasse dominus, non quòd non & pro aliorum fide orauerit, nam pro omnibus Apostolis ac etiam credituris per uerbum eorũ orauerat, ut supra habuimus, sed præ alijs casuro uoluit hoc dicto etiã præ alijs prædicere, fore quoq; ut resurgeret. Qui ideo pro fide Petri dominũ orasse uolunt, quod esset reliquis caput constitutũ, idq; dignitatis ad successores suos ab eo trãsmissum, somnijs delectantur. Quid enim fidei in Christum reliquũ tot tam seculis apud Pontifices Romanos? Nam qui credit uere in Christum, uiuit Christũ, habet enim uitam æternam, quæ est solius Christi.

Circa id, quod per gladij necessitatẽ figurate dominus imminentis periculi magnitudinem significauit, uide quàm insanũ sit & perniciosum, omnia uerba domini & scripturæ iuxta literã, & simpliciter accipere, ex hoc enim loco si permittas literam simpliciter accipiendã, & tropum reijciendũ, conuincetur dominũ uoluisse suos pugnare gladio, quo nihil magis cum omni doctrina eius pugnat.

Trepidatio illa & mira anxietas domini, quę ei sanguineũ sudorẽ excussit, humanæ naturæ, & quidem cõpositionis insigniter nobilis argumentũ fuit, tum indicauit quàm undiq; tentari illũ pater uoluerit, Certe nemo uerus homo tantos crucia-

tus,& adeò dira tormenta,tum mortis genus ignominiosissimũ imminere sibi con c
siderabit, qui non summe animo consternetur & exanimetur, nisi uel natura stu-
peat,uel diuinitus alio mens auocetur. Cum igitur Dominus uerus esset homo,tũ
præsentissimo omnia animo perspiceret,esset deniq; sensibus, totaq; naturæ & cor
pusculi cõpositura tenerrimus ac subtilissimus,sic afflicta,sic anxia anima eius reddi
ta fuit,ut nisi mentẽ alio pater,nẽpe in considerationẽ bonæ suæ uoluntatis,& per-
ficiendæ ab ipso omniũ salutis auocasset, indubie prorsus exanimatus concidisset.
Nequaq; aũt totum à contẽplatione instãtis supplicij auocauit, alioqui omni mœ-
rorẽ & anxietate eum liberasset,sed hactenus tantũ,ne mœrore penitus conficere-
De angore Domini. tur. Hinc uides in oratione eius,utriusq; supplicij & paternæ uoluntatis,quasi quã-
dam librationẽ. Transferri siquidẽ calicem,& non transferri orabat,nam addebat,
non mea sed tua uolũtas fiat. Vnde quod orabat, ferè huiusmodi erat: Vide pater,
ut tantũ cogitatio imminẽtis supplicij me excruciet, si possibile esset, quàm uellem
me ab istis tormẽtis seruari,at non est neq; possibile,neq; bonum, unde nõ mea sed
tua pater uolũtas fiat. Sed quid faciã,iam exanimor,supra uires est quod patior pa-
ter,ô acerbam horã, ô intolerabile tormentũ, querulatio nanq; magis q̃ precatio
erat,ut dixi. Hinc procidebat nunc in faciẽ,et istiusmodi apud patrem querebatur,
nunc inuisebat discipulos,nusq; potuit consistere,præ cruciatuũ quos sentiebat in-
credibili atrocitate,donec per angelũ consolaretur. Quanq; aũt ingens fuit miracu
lum sudor ille sanguineus,& cum inenarrabilis doloris, tum sensus præsentissimi
indicium,haud tamen adeò mirũ fuisset,si isto dolore fuisset plane enectus,quãdo
Homerũ ferant dolore absumptũ, tantum quòd in insula quæstionẽ à piscatoribus
propositã non potuisset soluere. Item Diodo dialecticũ,lusoria quæstione non pro-
tinus ad interrogationes Stilbonis dissoluta: Gaudio uero Sophoclẽ,& Dionysiũ
Siciliæ tyrannum,utrunq; accepto tragicæ uictoriæ nuntio,item matrem pugna il D
la Cannensi filio incolumi uiso,contra falsum nuntium.

Bis diuinitatis suæ Dominus certissimũ argumentum exhibuit, prius prostratis
uerbo Iudæis,alterũ sanata Malchi auricula,sed quia hora erat ut pateretur, & po-
testas tenebrarum superiores habere uideretur,seruos Satanæ nihil ista mouerunt.
Hinc uideas,quid sit esse Satanæ seruum.

Ad Annam duxerunt dominũ primũ,is uero uinctum misit ad generũ suum,qui
pontificatu tum fungebatur. Et is dominũ interrogauit de discipulis eius & doctri
na,in eius quoq; domo Petrus negauit,licet Ioãnes ita uideatur hæc narrare, quasi
Annas Dominũ interrogasset,& primũ in eius ædibus Petrus negasset. Sed qui a-
nimaduertit,quòd Ioan. Pontificẽ tãtum Caiaphã uocat, is facile uidet,nihil ab eo
narratum,quod in domo Annæ actum sit,sed tantum quæ apud Caiaphã, quodq;
post memoratam & Petri negationem,& Pontificis erga Dominum interrogatio-
nem,subiecit: Misit eum Annas uinctum ad Caiapham Pontificem,perinde esse,
ac si scripsisset, miserat enim Annas &c. Transpositio enim est, posterius narrauit,
quod gestum erat prius. Cum siquidem narrare de Petro cœpisset, ut Dominum
fuisset secutus, consequenter memorauit, quo esset eum secutus, nempe usque
in atrium pontificis: ex hac tum occasione memorauit quæ illic & Petro & Domi-
no acciderunt. Cum igitur nondũ narrasset,quomodo Dominus ad pontificem ue
nisset,postea id historiæ inseruit,ab Anna eum uinctum ad Caiaphã fuisse missum,
ex quo significauit,nihil apud Annã Domino accidisse memoratu dignum. Disci-
pulum illum notum pontifici,quidam Ioannem intelligi uolunt, sed non est ueri-
simile,multo minus, quòd adolescens ille fuerit sindone amictus super nudum,
discipulũ enim quẽ diligebat Iesus,se uocare solet. Tum quomodo Galilæo pisca-
tori notitia fuisset Hierosolymis apud Pontificem? & si fuisset,quomodo id illi non
in præsenti nocuisset,quando ex intimis fuerit Domini discipulis, æque ac Petrus.

Quare

A Quare ueriſimile eſt aliquem fuiſſe Hieroſolymitanũ, & ideo alio nomine notum fuiſſe Pontifici, quàm quòd diſcipulus Ieſu eſſet.

Illud amodo uidebitis filiũ hominis ſedentẽ à dextris &c. perinde eſt, ac ſi dixiſſet, poſthac non uidebitis eum, niſi ſedentẽ à dextris uirtutis Dei. Ab eo enim tempore mundo ſe dominus ſubduxit, de quo ſuprà, unde præter eum diem illis nõ eſt uiſus, niſi in gloria Patris. Teſtimoniũ de triginta argenteis cum apud Zacariah clare legatur, ueriſimilior mihi eorum ſententia uidetur, qui putant Zacariah binominẽ fuiſſe, & etiam Iirmeiah uocatũ. Sic certe Matth, Barachiã nominatũit, quẽ ſcriptura Ioiada, unde binominem fuiſſe docti recte colligunt.

Amodo uidebitis.

Qui Zacariæ ab idem Iirmeiah.

Quòd Iudæi grauatim ad accuſationẽ deſcenderunt, ingeniũ retulerunt omniũ eorũ, qui cum ueritate bellũ gerunt. Ii enim nihil æque refugiunt, quã ut cauſſam ſuã, manifeſto iudicio approbẽt. Sic hodie hoſtes Euãgelij uideas eò perduci nõ poſſe, ut uel ipſi ſuã cauſſam palã & cũ ratione tueantur, aut nobis ad tuendã noſtram facultatẽ faciãt. Vnũ hoc urgent, ut Pilatus Chriſtũ indicta cauſſa, tantum ad ipſorum præiudicium, condemnet.

Hoſtes ueritatis iudicium fugiunt.

A Gentibus tum rerũ apud Iudæos potientibus uoluit Dominus mortí adiudicari & occidi, ut tanquam iure occiſus moreretur ignominioſiſſime.

Læſæ maieſtatis accuſatus fuit, ita & Paulus & omnes ſemper adſertores ueritatis. Nam eiuſmodi defectionẽ docent à principe mundi, & Deo conantur homines adducere. Cęterũ autem alieni adeo agunt, ab omni affectatione terreni regni, atq; magiſtratus cõtemptu, ut abſurdiſſimũ ſit quicquã huius de illis uel ſuſpicari. Sed qui agit in incredulis, Deus huius mundi, ut ſentit eos totos in hoc incumbere, ut ſua tyrannis ſoluatur, ita quò eos opprimat, ſemper id agit, ut aduerſarij externę illi poteſtati, quam nemo magis illis obſeruat, uideantur.

Imminutę maieſtatis accuſantur omnes prædicatores ueritatis.

Regnũ Chriſti nõ eſt de hoc mũdo, id eſt, ſitũ in externo dominatu, unde & gloria,
B diuitijs, et potẽtia externa uſq; deſtituit, ut in capite Chriſto, ita et mẽbris. Ergo hic reiectamẽta mũdi nos eſſe oportet, in regeneratione demũ cũ Chriſto regnaturos.

Regnum Chriſti.

In hoc natus Chriſtus fuit ut teſtimoniũ ueritati perhiberet, & præcipue huius, quod uerũ regnũ ſit, uita, & felicitas, ſibi ut regi & ſeruatori ſyncera fide addici, hãc ergo unam & ſummã ueritatem, ſe Chriſtum & ſaluatorem eſſe electorũ, fateri & teſtari eum oportuit: quam fateri & prædicare Euangelion regni & uitæ eſt. Qui ex ueritate eſt, nempe electus ad uitam, is audit uocẽ eius, hoc eſt, fide recipit: unde Pilatus & ſi rogaſſet quid ueritas eſſet, nõ ſuſtinuit tamẽ reſponſionẽ percipere. Nõ enim ex ueritate erat, nõ ex Deo natus, quæ Ioannes pro eodẽ accipit: ideo ſermo Chriſti, præſertim de Euãgelio regni haud quaquã potuit illi magni haberi.

Quæ prima ueritas.

Qui ex ueritate.

Ab Herode quoq; ſperni & ignominia affici Dominũ oportuit, ut nihil apud Iudæos ſublim eſſet, à quo nõ aliquid pateretur. Ita quicquid mundi eſt, ſanctis aduerſatur: ad hæc uaticinium ſecundi Pſal. Quare tumultuatæ ſunt Gentes, populi meditantur inania: aſtiterũt reges terræ, & principes ſecretarij, cõuenerũt in unum, ita impleri oportuit, uti impletũ in hoc, & Apoſtoli intellexerunt. Actо. 4.

Omnia aduerſa Chriſto.

Populus perſuaderi potuit, ut Barrabã in ſignẽ latronem Domino præferret, ita Satanæ & miniſtris eius obnoxiũ eſt, quicquid nõ eſt ad bonũ confirmatũ uirtute ex alto. Paulo antè his benedictus Chriſtus erat, nũc ad crucẽ poſcitur, prę deplora tiſſimo latrone & ſeditioſo. Expendat pectus Chriſtianũ, quanta hæc fuerit Chriſti ſeruatoris noſtri, noſtrę ſalutis cauſſa ſuſcepta humilitas. Cur ei nõ omnia credimꝰ, cur cũ ipſo nõ libet mori, & crucifigi mundo? Seditioſos homicidas natura homines execrantur inocentes, & beneficos natura homines diligũt atq; uenerant. Barrabas hic inter ſeditioſos atq; homicidas ſingulariter deteſtabilis fuit, Domino noſtro Ieſu nihil in orbe unquã apparuit innocẽtius et in homines beneficentiꝰ, uerbis & factis: dominũ tamẽ populꝰ quoq; ſuſtinuit prę Barraba ad crucẽ poſtulare. Vide quid in homine ſit, ubi in eo ſpiritus Chriſti nõ eſt. Flagellatus & ſpinis coronatꝰ

Populi inconſtantia.

miserecꝙ illusus & consputus, ad misericordiã tamẽ Iudęorum pectora mouere nõ potuit, ea erat uis Satanę, qui quos detinet, omni etiã humanitatis sensu exuit.

Pilatus multis modis conatus fuit Christũ liberare, partim manifesta innocentia eius, partim odio in Iudęos, quo flagrabat, impulsus. Sed reuera id Domini opus fuit, quo obstinata Iudęorum impietas magis proderetur.

Admonitus fuit per uxorem, ne quid & circa ipsum diuina bonitas negligeret.

Christus uscꝙ tacuit ad Iudæorũ accusationes, quia sciebat horã aduenisse ut moreretur, tum erant falsa adeo quorũ accusabatur, ut per se prędes uideret sola inuidia ipsum premi. Nõ igitur erat, quòd prędidi suã innocentiã approbaret, aliás abunde eam cognoscenti, si tuendi eam animum quoꝙ habuisset.

Iudæi reiecerũt imperium Christi, prędata ei Cęsaris tyrannide, & sanguinẽ Christi super se, & filios suos uenire optarunt. Hinc ablatum ab ipsis regnum Dei est, & sanguinis Christi per Romanos incredibili atrocitate sumpta ultio.

Aegyptio nempe Cyrenensi imposita fuit crux Christi, quo significatũ accipio, crucem Christi saluificam, Gentibus dehinc imponendam fuisse, Iudæis satis dira quidem cruce impositam, sed non Christi, hoc est, quæ esset saluti, Et hic quidem Cyrenensis cum pater à Marco prædicetur Alexãdri & Rufi, uidetur etiam ipse in suã domum Christum postea recepisse.

Dederũt Domino, cũ ad locum supplicij uentũ esset, uinũ myrrhatum bibere, ut Mar. habet, alij habẽt acetũ felle mixtũ, quod idem sit oportet. Acetum igitur, quia corruptũ uinũ est, uinũ à Marco est uocatũ, amarum simul erat ex mixtione fellis & myrrhę, inde uinũ myrrhatũ dixit. Annotauit Erasmus ex Plutarcho, haustũ acetũ uulneratis mortẽ accelerare, ea forte caussa aderat uas positũ acetoplenũ, cuius Ioa. memínit, unde damnatis bibere daretur, quò citius tranffixi manus & pedes morerentur. Dominus tamẽ primũ oblatũ noluit bibere, uolens statutũ à Patre tempus pati, quẽ ille tamẽ citius latronibus supplicio eripuit: mortuus enim erat, cũ latronibus oporteret frangere crura, unde & Pilatus celeritatẽ mortis eius mirabat, ut in historia ex Ioan. adductũ est. Postea autẽ cum alioqui iã spiritũ traditur esset, accepit acetũ, ut Ioa. narrat, impleri enĩ scripturã uoluit: potauerũt me aceto &c. Psal. 86.

In latrone Christũ tam egregie agnoscente & prędicãte ubi iam noti omnes procul stabãt, ubi silebãt ora Apostolorũ, cum obmutuisset uox illa: Benedictus qui uenit in nomine Domini, immensa dei bonitas, mirũ in modũ illuxit. Vnde plane discendũ, ne de quoquã, nisi oppugnante salutis doctrinã iã cognitã sibi, desperemus, postquã tot primis, hic omniũ nouissimus latro prępositus fuit, paradisiꝙ promissionẽ, ante omnes mortales, precepit. Paradisũ uero, ut & Pau. 2 Cor 12. uocat locũ aut uitę statũ diuiniorẽ ĩ quo apertior dei gloria refulget, diuinitatisꝙ perfruitio donat.

Tenebræ factæ sunt super totam terram Iudæorum, scilicet, id præsagium fuit, illos postquam Dominum solem iustitiæ à se reiecerant, & morte affecerant, horrẽdis tenebris ignorantiæ & impietatis adobruendos.

Id uero: Eli, Eli, &c. initiũ est Psal. 22. & uerbũ שבקתני, ia est, Schebaktani Chaldęum, est pro Eb. עזבתני, id est, Azabtani positũ. Hoc autẽ simpliciter dicta à Domino accipio sicut & quę in monte oliuarũ orauit. Questus fuit his se in manibus impiorũ, ad omnẽ ipsorũ libidinẽ à patre derelictũ, quãquam uolens spiritu omnia perferret, sicut in horto de atrocitate supplicij querebat, quod tamẽ ultro uolebat subire.

De descensu Domini ad inferna, multi multa disputarunt, sed perpauca ad rẽ, quia præter scripturam ferè omnia. Vnde blasphemi quidam, uisi sibi habere articulum fidei, nullo scripturæ loco firmatum, concludere uolunt esse credẽda, quæ cunꝙ Ecclesia, id est, Pontifices & Theologi cum Monachis præscribunt, etiamsi nullã ex scripturis afferãt rationẽ. Sed si recte accipias hãc uocẽ infernus ibi memorãt Euãgelistæ Christũ ad infernũ descẽdisse, ubi narrant mortuũ & sepultũ, שאול enim

A enim pro quo in scripturis nos ferè infernus legimus, sepulchrum significat, quod nunquam saturatur, & semper quodammodo petit, iuxta illud Prouerb. 30. Vnde Petrus Acto. 2. & Paulus 13. probaturi Dominum à mortuis resurrexisse, adducunt illud, Psal. 15. Non relinquas animam meam in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionẽ, ubi pro eodem ponitur, animã nõ relinqui in inferno, et sanctũ nõ uidere foueã corruptionis, hoc est, sepulchrũ, nempe, p eo, quod est, nõ relinq in morte. Vnde Petrus cũ dixisset: Quẽ Deꝰ suscitauit, eũ solutis doloribꝰ mortis, quatenus ipossibile erat teneri illũ ab ea, hoc ipsũ, pbaturus, locũ hũc Psalmi 15. adduxit.

In huiusmodi infernum dicebat se Iacob cum dolore ad filium Ioseph descensurum, cum discerptum à bestia putaret 1. Moscheh 37. Et ubi timebat Beniamin, alteri filio ex Rachel, dicebat filijs suis, qui abducere illum in Aegyptum uolebant, eos si illi aliquid accideret, canos suos cum dolore ad inferos depulsuros. Quid hic aliud ad infernum descendere, quàm recondi corpus sub terra. Sic cum terra uiuos absorduisset Korach & coniuratos suos, dicebantur, uiui descendisse ad infernum, id est, in sepulchrũ, sub terram, ad mortuos 4. Moscheh 16. Hinc subinde in Psalmis, gloriãtur sancti se ereptos ex inferno, exaltatos ab inferno, ut Psal. 30, & alijs. Nec alter scriptura uspiam de inferno loquitur, quàm ut sit communis omnibus, tam sanctis, quam impijs, Gehenna autem solis impijs attribuitur. Ad hunc ergo modum descendit & נמש id est, uita uel animatum corpus Domini in infernum, hoc est uere mortuum, repositum fuit in sepulchrum, sed quia à morte detineri autorem uitæ impossibile erat, ut Petrus inquit, ideo non potuit in sepulchro, & inter mortuos relinqui, aut permitti, ut sanctus Domini uideret foueam corruptionis, id est corrumperetur, sicut sepulti alij. Cæterum Spiritus Christi, ubi corpus reliquit, in Paradisum concessit, ubi secũ futurum & latronem illi promiserat.

Ad hoc enim ut sanctos qui in inferno erãt, id est, dormiebant corpore in pulue-
B re terræ, sicut & electos uniuersos, à morte in æternam uitam transferret, nulla scriptura quicquam aliud prædixit à Domino perficiendum, quàm ut moreretur pro suis. Somnia igitur sunt, quæcunq; Theologi superioris seculi de limbo patrum, & reali descensu illo Christi, quo etiam ad locum damnatorum & purgatorium ac cesserit, disputarunt. Scriptura post hanc uitam, sanctis quietam uitam cum Christo & regnum Patris, impijs gehennam & ignem æternum, paratum Diabolo, promittit, non infernũ. Veteres patres memorat ad infernũ descendisse, sed quo descendit omne quod genitum est. Nihil de limbo, nihil de purgatorio, nihil de descensu spiritus Christi ad loca quædam obscura: mittenda igitur hæc sunt, ut inuenta hominum, & gratiæ agendæ magis Domino, qui filium suum pro nobis & electis omnibus in infernũ protrusit, id est, uere mori uoluit, corpusq; eius sociari reliquis corpòrálibus sanctorum sepultura & in terram reconditura: spiritum uerò spiritibus sanctorum qui à corpore separati in sinu Abrahe quiescebant. Quid enim fingamus istos passos mali, cum Dñs ipse dicit tales fuisse ab angelis in sinum Abrahæ translatos ut ibi recreẽt. Quis. n. ãbigat ita certe habitos quẽadmodũ habitus fuit lazarus ille de quo Dominus. Si qua aũt sit cõditio spirituũ à corpore separatorũ, in qua qui hinc decesserunt impuriores, urgentur, id cũ nulla scriptura affirmat, nec uobis affirmãdũ est. In ecclesia siqdẽ Dei. sermonẽ loq fas est. Scriptura solet de sanctis loqui secũdum corporum rationem inde quia corpus in inferna in terrã reconditur dicit ipsos descendere in inferna, eo tñ non inficior commigrationẽ spirituũ ad spiritus defunctorum hac ipsa appellatione significari, quare hanc commigrationem et Dño recte tribuimus ex hoc ipso articulo descẽdit ad iferna. At quòd infernã istã spirituũ cõditionẽ aliter definire quidã ausi sũt, quàm scriptura definit id uero reijcimus. Dicit Dñs ipse latroni, hodie mecũ eris in paradiso ibi ergo fuit aïa Christi.

Hæc confirmat,quòd hunc articulum,descēdit ad inferna,non fuisse nec in symbo-
lo Romano,nec in symbolo Orientalium Ecclesiarum Cyprianus testatur,& apud
Tertullianum non recēsetur,quare adiectum tanq̄ explicationem superioris,sicut
& illum communionem sanctorum,nihil ambigendum est.

Cæterum quòd uelum scissum fuit,cum Christus tradidisset spiritum,significatū
accipio,tum fuisse abrogatas cęrimonias legis,& irritum factum testamentum ue-
tus,cum iam nouum,morte eius esset confirmatum,de quo in Matth.26.

Terra mota,& petræ scissæ,uidentur significasse orbem commouendum Euan-
gelio,& saxea pectora scindenda per pœnitentiam.De his canunt Psal.97.98.& 99.

Monumenta aperta,è quibus post resurrectionem Domini sanctorum corpora
egressa sunt,uirtutē mortis Christi testata sunt,qua,scilicet,ad uitā electi reuocātur.

Quòd Centurio & alij Dominum,filium Dei agnouerunt & prædicarunt,speci
men fuit fructus qui à morte eius expectandus erat,nimirum ut iam plurimi,præci
pue autem gētiū,ipsū Christū,et per eū Patrē agnoscerēt,ita uitā æternā percepturi.

Eo autem quòd sanguis & aqua de latere Domini exiuit,indicatum est,à morte
Christi esse omnium peccatorum expiationem expectandam,quam sanguine fieri
oportuit,tum spiritum sanctum aquas uiuas illas, quibus in totum electi mundan-
tur,& ad omnem pietatem fœcundantur,de quibus Iechezkel 37.Iohan.7. & alibi.

Iosephum & Nicodemum ausos mortuo Christo ministrare,qui uiui occulti tā-
tum discipuli erant,propter meum Iudæorum, præter immensam Domini facilita-
tem,qui usq̄ infirmos adeò tulit,uirtutem mortis eius quoq̄ testatur et fructum,un
de,scilicet,fortior,ac uere filiorum Dei spiritus,electis cōtingit,sicut istis usu uenit.
Notatur quoq̄ quàm ferax salutis sit, Christo uel infirmo adhærere.

Ad cuius mortis pretium magis commendandum & pretiosa illa sepultura fe-
cit.Ita & nos tum uere honorabimur,& cum deo regnabimus,ubi cum ipso quoq̄ D
antea mortui, & in nihilum redacti fuerimus.Iudæis autem mos fuit,pretiose sepe-
liri cum aromatibus,ad testandam spem resurrectionis.Nos omnia cōtemnēdo, &
animā nostrā p Dño perdēdo,hāc spē,pfiteri debemus,et sūptus facere in pauperes.

Sepulchrū Christi Iudæi uoluerunt munitum,ita ad gloriā resurrectionis Chri-
sti inuiti seruierunt.Neq̄ aliter euenit impijs omnibus,ega pios. Quibus enim lę-
dere eos uolunt,ijs promouent ipsorum salutem.Hic simul obseruandū ut Iudęi ma
gnum istud Sabbathum sanctum habuerunt.

Innumera insunt præterea huic historiæ, quæ non sine magno pietatis fructu,ab
electis perpendi possunt,sed quibus fuerit sancta illa curiositas eorum,quæ Domi-
nus nobis dixit,fecit,et pertulit,ijs per se illa occurrēt,in propatulo enim posita sūt.
In his ergo inquirendis & excutiēdis studiosi simus, missis blasphemis nugis,quas
somniorum prædicatores,sanctissimæ huic historiæ hactenus assuerunt,quasi uero
non supra quàm satis ad summum supplicium fuissent,quæ euangelistæ conscripse
runt.Sed hi putarunt,tum demum cum fructu se hanc historiā recitasse, cum muli-
erculis Domini caussa lachrymas extudissent,cum magis ad lachrymandum super
se ipsis iuxta uerbum Christi auditores prouocare debuissent. Certe supplicīū Do-
mini,in hoc perpendendum est,ut non dubitemus,nos iam eo à morte in æternam
uitam adserros,quo hinc etiam exultemus,gratias agētes Patri, qui filiū suum pro
nobis in mortem tradidit,& filio qui tam crudele & infame supplicīū pertulit. Tū
ut peccatum detestemur,quod tā inuisum Deo est, ut non nisi morte filij sui potue-
rit expiari,deniq̄ ut ita in mortem usq̄ fratrum saluti, & nos consecremus. Sic de-
mum cum fructu historiam supplicij Domini nostri perpenderimus.Ipse huiusmo-
di mentē nobis donet. Prima editione seorsim hæc edita fuerant,unde pleraq̄ hic
leguntur,annotata antea & in Matthæum, Ea studiosis non oberunt etiam bis le-
cta,ideo noluimus rescindere eas.

Caput xx.

CAPVT VIGESIMVM.

PRIMO uero die ſabbathorũ Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, uidetq; lapidem ſublatum à monumento. Currit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: Suſtulerunt Dominum è monumento, & neſcimus ubi poſuerint eum. Exĳt ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentũ. Et cum ſe inclinaſſet, uidit poſita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum. Et uidet linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille alius diſcipulus, qui uenerat prior ad monumentum, uiditq; & credidit. Nondum enim nouerant ſcripturam, quòd oportuiſſet eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergo rurſus diſcipuli ad ſemetipſos. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe in monumentum, & uidet duos angelos amictos albis, ſedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, illic ubi poſuerant corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Suſtulerunt Dominum meum, nec ſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cum
B dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & uidit Ieſum ſtantem, nec ſciebat quòd Ieſus eſſet. Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans quòd hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu aſportaſti eum, dicito mihi ubi poſueris eum, & ego eum tollam. Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magiſter. Dicit ei Ieſus: Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Sed uade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem ueſtrum, & Deum meum & Deum ueſtrũ. Venit Maria Magdalene, annuntians diſcipulis, quòd uidiſſet Dominum, & ea dixiſſet ſibi. Cum ergo ueſpera eſſet die illo, qui erat unus ſabbathorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Ieſus, ſtetitq; in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli uiſo Domino, dixit eis iterum, Pax uobis. Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto uos. Hæc cum dixiſſet, flauit in eos, & dicit eis, accipite ſpiritum ſanctum. Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Ieſus. Dixerunt ergo ei alĳ diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius ueſtigium clauorũ, & mittam digitum meum in ueſtigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis, uenit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax

uobis

uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & c
admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed
credens. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Di-
cit ei Iesus. Quia uidisti me Thoma, credidisti, beati qui non uiderunt & cre-
diderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum
suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc, hæc autem scripta sunt, ut creda-
tis, quòd Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per
nomen eius.

CAPVT XXI.

POstea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis, ma
nifestauit aũt sic. Erãt simul Simon Petrus & Thomas, qui
dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ,
& filij Zebedæi, aliíq; ex discipulis eius duo. Dicit eis Si-
mon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus & nos
tecum. Exierunt & ascenderunt in nauim statim, & illa no-
cte nihil ceperunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in litore, non tamen
cognouerũt discipuli quòd Iesus esset. Dicit eis Iesus: Pueri, num quid obso-
nij habetis? Responderunt ei: Non. At ille dicit eis: Mittite in dexteram na-
uigij partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud tra-
here præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus
Petro, dominus est. Simon ergo Petrus cum audisset quòd dominus esset, D
tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autẽ discipuli na-
uigiolo uenerunt, non enim longe aberant à terra, sed circiter cubitis ducen-
tis trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas
positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus
quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram ple-
num magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tot essent, nõ est
scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite prãdete. Et nemo discipulorum audebat
interrogare eum, dicens: Tu quis es? cum scirent quòd dominus esset. Ve-
nit itaque Iesus, & accepit panem, & dat eis, & piscem similiter. Hac iam tertia
uice manifestatus est Iesus discipulus suis, cum resurrexisset à mortuis. Cum
ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus
his? Dicit ei: Etiam domine, tu scis quòd amem te. Dicit ei: Pasce agnos meos.
Dicit ei rursus iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam domine,
tu scis quòd amem te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertio: Simon Io-
annis amas me? Indoluit Petrus, quòd dixisset sibi tertio, amas me, dixitq;
ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quòd amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oues
meas. Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, quo
uolebas, cum autem senueris, extendes manus tuas & alius te cinget, & du-
cet quo non uis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset
Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus, uidet illũ
discipu-

A discipulum quem diligebat Iesus, sequentē, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est ille qui tradit? hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit Iesu, Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus. Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moreretur. Et non dixerat ei Iesus, non moritur, sed si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus quòd uerum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos qui scriberentur libros.

HAnc historiam resurrectionis & apparitionum Domini à Ioanne hisce duobus ultimis capitibus expositā, Paraphrasi & annotationibus suis explanaui ad finem, D. Matthæi, illinc ea repete. Adijcere tamen illis hæc paucula uisum est. In Matthæo interpretatus sum illud quod de se Ioānes meminit, credidisse se ubi uacuū sepulchrū, & positū seorsim à linteaminibus sudariū uidisset, quasi crediderit tantum corpus Iesu fuisse sublatū, quod, scilicet, Maria nuntiauerat, nō etiam resurrexisse, propterea quòd nondū scripturas discipuli intellexissent. Sed hoc loco diligentius perpenso, uidetur is de fide resurrectionis intelligēdus, ad quam prouocatus fuerat hic discipulus, quòd nō solum uacuū sepulchrum, sed posita simul linteamina, & seorsim conuolutū iacere sudarium uidisset. Eoq; id quod sequitur: Nondum enim intellexerāt scripturā &c. ut ratio eius quòd ante hac resurrecturū dominū non crediderat, una cum alijs animaduertendum est. De Petro sane scribit Lucas, quod abierit mirans.

B Nominatim fratribus suis iussit resurrectionē suam annuntiare Mariam, ut meminit Ioannes, & postea alias quoq; mulieres quæ pedes ipsi tenuerunt, ut testatur Matthæus, hos puto cognatos domini fuisse, qui & aliâs fratres eius dicebantur, apud quos uerisimile quoq; est, hasce mulieres cum Galileæ essent fuisse diuersatas, eoq; quam primum ad illos tum ituras. Fieri quoq; potest, ut fide alijs infirmiores fuerint: nam Ioan. legitur, nec fratres eius credebant in eum, quod ut in hos dictum non sit, haud indignū tamen domino fuit, ijs peculiariter resurrectionis suę gaudiū offerre, quos ut proximos peculiari debebat dilectione cōplecti. Alij putāt discipulos promiscue hic fratres uocatos, forsan quòd Luc. meminit mulieres adnuntiasse domini resurrectionē illis undecim selectioribus discipulis, qui Apostolatu destinati erant, & cæteris omnibus. At quòd Angeli discipulis iusserūt nūtiare, id Mar. de Maria memorans, ita scripsit: Illa profecta renuntiauit ijs, qui cum illo fuerāt, lugentibus, ac flentibus. Hinc uero uidetur fratres hosce domini quia domino adhæserūt, & discipulorū nomine uocatos esse, et si peculiare fratrū domini quoq; nomē habuerint. Hos ergo Lucas sub cæteris illis quibus mulieres resurrexisse dominū adnuntiarunt, Marcus sub lugentibus & flentibus qui cum domino fuerant, Angeli sub discipulis cōprehenderūt. Dominus aūt loquens primū Mariæ & deinde alijs mulieribus maluit eos proprio nomine uocare fratres suos.

Videri possint pugnare quæ Lucas memorat de discipulis, cum ad eos uenissent duo illi, qui ierant Emauntē, uel ut Marcus habet, rus, cum ijs, quæ Marcus narrat. Nā scribit Luc. discipulos illos qui Hierosolymis māserāt, hisce duobus ab Emaūte reuersis, anteq; quæ ipsis acciderāt exposuissent, dixisse: Surrexit dñs uere, & apparuit Simoni. Mar. aūt narrat eos, ne his quidē q dominū Emaūti cognouerāt, redūtiantibus quæ uiderāt, credidisse: Sed hoc ꝙd Mar. scribit, ad discipulorū cœtū referendū est, in q cū pauci adhuc resurrexisse dominū plane crederēt, dicebant omnes id nō credere: illud uero Lucę ad paucos illos, qbus iā dñi resurrectio persuasa erat.

Qui

Qui enim uel paululum in scripturis uersati sunt, norunt societati tribui, quod & C
pauci, & multi ex ea fecerint. Non itaq; nullos credidisse Marcus dicere uoluit, sed non omnes, quare statim subiicit ut dominus illis undecim exprobrarit incredulitatem & duritiem cordis, quòd ijs qui ipsum uiderant resurrexisse, nõ credidissent. Id quod ad Petrũ sane nequaq; attinebat cui ipsi dominus apparuerat, sed neq; ad Ioannem, qui uisis sepulchro, & seorsim iacentibus linteaminibus, & sudarijs crediderat, neq; igitur ad eos referendum est, qui reuersis è rure dicebant: Surrexit dominus uere, & apparuit Simoni, quod scripsit Lucas.

Ioannes præterea memorat tertio dominũ Petrum rogasse si se plus alijs amaret, & appellante illo domini conscientiã, cõmendasse dominũ ei curam ouium suarũ, his uidetur & hoc uoluisse dicere: Tu uero Simon præ te fers magnum mei amorem, & uis uideri præ his fratribus tuis me diligere, si ita est, fac id in eo declares, ut fideliter pascas oues meas, his te impendendo declarabis si me uere diligas. Eo aũt significauit dominus Petrum omnino præcipuũ ouium suarũ pastorem fore. Neq; enim refutauit professionẽ illius de singulari in ipsum amore, iam cum uere dominum amaret, nõ potuit amorem suũ non in eo declarare, in quo dominus eum declarari poscebat, cura, uidelicet, & pastu fideli ouium suarũ. Omnino ergo præ alijs D. Petrus ouium Christi pastor fuit: at earum potissimũ quæ tum in nomine censuq; ouium habebantur, quæ erant à domo Israël. Hinc de Apostolatu Petri præcipuo ad circuncisionẽ, Paulus quoq; testatur, scribens Galatis. Gloriatur dominum ita in se efficacẽ fuisse Apostolatu ad Gentes, ut in Petro efficax esset ad circuncisionem. Petrus tum etiã Gentibus euangelizauit, at in his Paulus laborauit, & id non frustra, plus omnibus: sed de eo quicquid sit, qui uolunt esse Petri successores, diligant dominũ præ alijs, & pascendis ouibus eius uerbo Dei plus alijs laborent, & Petri honorẽ duplicem, si ita illis libeat, ipsis deferemus. D

Cæterum in eadẽ historia, quia Ioannes ipse sermonẽ fratrũ qui putabant ipsum non moriturũ correxit, negauitq; dominũ dixisse, nõ moritur, sed si uelim eum manere &c. non dubito & ipsum mortuũ fuisse, & dominũ eo quod dixit si uelim &c. tantum Petrum uoluisse à superuacanea de fratre cura reuocare.

Quòd aũt Ioannes testatur plura dominũ signa fecisse, aliaq; gessisse, quã scripta sint, aut etiã scribi potuerint, nequaq; feneſtram aperuit fingendi & statuẽdi quidquis, ut quidã hæc uerba diuexant: quia adiecit: Quæ scripta sunt, in hoc scripta esse, ut credamus, quòd Iesus est ille Christus, ille filius Dei, indeq; uitam habeamus æternam. Si enim huc sufficiunt, quæ scripta sunt, nihil est, quod præterea desideremus. Nam si singula conscripta essent, nihilo plus docere possent. Quod aũt adiecit mundum non potuisse capere libros, si ad unum omnia Christi facinora fuissent cõscripta, nota hyperbole est. Et certe, cum infinita ferè fuerint, nam nihil omnino dixit aut fecit, quod non diuinũ fuerit, & Christũ egregie retulerit, quis singula cum fructu memorasset aut perpẽdisset? Ad quid igitur fuissent cõscripta? Neglígi enim ea à nobis indignum fuisset. Conscripta itaq; sunt, quæ rite perpensa ad colendam pietatem abunde satisfaciunt, utinã excuterentur tam ad perficiendũ studium pietatis, quàm diuexantur ad contentionis & rixarum materiam.

IVDICENT FRATRES, ET IVDICENT CVM OMNIA ad analogiam fidei diligenter exegerint, quæ probauerint accepta referant Deo, quæ minus, mihi, sed de ijs moneant amice.

BASILEAE APVD IOAN. HERVAGIVM, ANNO M. D. XXXVI. MENSE SEPTEMBRI.

